


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31
2 400 40
Faita
MADE IN SPAIN


GRANADA

Biblioteca Universitaria
GRANADA

Nº

Sala Librería del Colegio Mayor

NICOLAI VIGELII IV=
RISCONSVLTI

DIGESTO=
RVM
PARS QVARTA:

De cauſis Iuris Iu=
cratiuis.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. 2ª C. 25. N. 3.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA

BASILEÆ, EX OFFICINA
OPORINIANA.

DIGESTORVM LIBER VICESIMVSOCTAVVS:

DE HAEREDITATE ET BONORVM possessione ex testamento.

Hactenus genera iuris cum suis causis specialibus & actionibus sunt proposita atq; descripta. Nunc de causis generalibus, quibus istiusmodi iura adquirantur, nobis est agendum. Sunt autem huiusmodi causæ iuris uel lucratiuæ, uel onerosæ. De hisce infrà Parte quinta: de illis uerò in hac Quinta parte disserendum erit. Causæ itaq; iuris lucratiuæ sunt successiones tam ex testamento, quàm ab intestato: legata & fideicommissa, donationes tum inter uiuos tum mortis causa. De quibus ordine dicemus: & primùm quidem de successionibus ex testamento, si prius de successionibus in genere dixerimus.

2939

DE HAEREDITATE IN genere. Cap. I.

I. DEFINITIO HAEREDItatis & hæredis.

DEFINITVR *hæreditas l. nihil aliud. 24. ff. de uerb. significat. his uerbis:* Nihil aliud est hæreditas, quàm successio in uniuersum ius, quod defunctus habuit. *Concordat l. hæreditas. 62. ff. de regulis iuris, hisce uerbis:* Hæreditas nihil aliud est, quàm successio in uniuersum ius, quod defunctus habuerat.

Definitio hæredis proponitur l. in pari. 170. ff. de regulis iuris, hisce uerbis: Hi qui in uniuersum ius succedunt, hæredis loco habentur. *Concordat l. quoties. 5. §. hæredes. ff. de hæredibus instituendis: cuius uerba uide ĩ. cap. 23. reg. 2.*

II. GENVS HAEREditatis.

Hæreditas nomen iuris est. quæ regula approbatur l. pecuniæ. 178. §. hæreditas. ff. de uerb. significat. his uerbis: Hæreditas nomen iuris est. *Concordat l. hæreditatis. 119. ff. eod. tt. his uerbis:* Hæreditatis appellatio sine dubio continet etiam damnosam hæreditatem: iuris enim nomen est, sicuti bonorum possessio. *Concordat item l. bonorum. 208. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. de uerb. significat. Concordat item l. hæreditas. 50. in prin. ff. de petitione hæreditatis, hisce uerbis:* Hæreditas etiam sine ullo corpore iuris intellectum habet. *Concordat item l. bona. 3. §. hæreditatis. ff. de bonorum possess. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. quæst. 1.*

III. SPECIES.

I. Regula, De damnosa hæreditate. Hæc etiam hæreditatis appellatione continetur. quæ regula approbatur d. l. 119. ff. de uerbor. significat. cuius uerba uide ĩ. quæst. prox.

II. Regula, De bonorum possessione, proponitur l. hæredit. 138. ff. de uerb. significa. his uerbis: Hæreditatis appellatione bonorum quoq; possessio continetur. *Concordat l. prætor. 117. ff. de regul. iuris, hisce uerbis:* Prætor bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet. *Concordat l. 2. ff. de bonorum possess. cuius uerba uide ĩ. libro prox. cap. 14. reg. 1. Concordat item inst. eod. tt. §. quos autem. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. quæst. 2.*

2940

III. Regula, De hærede ulteriore. Hic etiam hæredis appellatione continetur. quæ regula approbatur l. hæredis. 65. ff. de uerb. signif. his uerbis: Hæredis appellatio nõ solùm ad proximum hæredem, sed & ad ulteriores refertur: nam & hæredis hæres, & deinceps, hæredis appellatione continetur. *Concordat l. hæredis. 170. ff. eod. tt. his uerbis:* Hæredis appellatione omnes significari successores credendum est, etsi uerbis non sint expressi. *Concordat item l. qui per. 154. ff. de reg. iuris, hisce uerbis:* Qui per successionem, quamuis longissimam, defuncto hæredes extiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes extiterint. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi in substitutione hac, Quisquis mihi hæres erit: hic enim non nisi proximus hæres continetur. quæ exceptio approbatur l. sciendum. 70. ff. de uerb. signific. his uerbis:* Sciendum est, hærede etiam per multas successiones accipi. nam paucis speciebus hæredis appellatio proximum continet: ueluti in substitutione impuberis: Quisquis mihi hæres erit, idem filio meo hæres esto. ubi hæredis hæres non cõtinetur: quia incertus est. Item in lege Ælia Sentia filius hæres proximus potest libertum paternum ut ingratum accusare; non etiam si hæredi hæres exiterit. Idem dicitur in operarum exactione, ut filius hæres exigere possit, nõ ex successione effectus. *Concordat exceptioni propositæ l. ex illa. 227. ff. eod. tt. his uerbis:* Ex illa parte edicti, Eum quem ei hæredem esse oportet: hæredis hæredibus bonorum possessio non defertur. Item in substitutione

his uerbis, Quisquis mihi hæres erit: proximus hæres tantùm significatur: imò non tantùm proximus hæres, sed etiam scriptus. *Secunda exceptio est: Nisi in lege Aelia Sentia, qua hæredi libertum paternum ut ingratum accusare permittitur. Quæ exceptio approbatur uerbis d.l.70. §.except.prox.propositis hisce:* Item in lege, &c. *Tertia exceptio est: Nisi in operarum exactione. quæ exceptio approbatur uerbis ibidem propositis hisce:* Idem dicitur, &c. *Quarta exceptio est: Nisi in usufructu hæredibus relicto. quæ exceptio approbatur l.antiquitas.14. C.de usufructu. cuius uerba uide §.lib.24.cap.2.causa 1.except.3.*

IIII. *Regula: Hæredis appellatione legatarius non continetur. quæ regula approbatur l.ult.C.de hereditar.actionibus. cuius uerba uide ff.lib.50.cap.2.reg.14. Concordat l.quoties.13.C.de hæredib.instit. cuius uerba uide d.cap.2.reg.13. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi alia fuerit uoluntas contrahentium uel testatoris. quæ exceptio approbatur l.in conuentionibus.219. ff.de uerb.significat. cuius uerba uide §.libro 7.cap.9. regula 5.*

V. *Regula: Legitimæ hæreditatis species dici potest hæreditas ex testamento. quæ regula approbatur l.lege.130.ff.de uerb.significat.his uerbis:* Lege obuenire hæreditatem non impropriè quis dixerit & eam, quæ ex testamento defertur: quia lege XII. Tabul. testamentariæ hæreditates confirmantur. *Contradicit l.ea uerò.3.§. de illo.ff.pro socio. cuius uerba uide ff.libro 43. cap.11. quæst.2.causa 2.except.6.*

IIII. PROPRIA.

I. *Regula: Hæreditas nondum adita sustinet personæ uicem, non quidem hæredis, sed defuncti. Quæ regula approbatur l.mortuo.22. in fine.ff. de fideiussoribus, his uerbis:* Hæreditas personæ uice fungitur, sicuti municipium, & curia, & societas. *Concordat l.legatum.113.§.seruo. ff.de legatis 1. cuius uerba uide ff.lib.32. cap.3.except.25. quarta except. Concordat item l.hereditas.34. ff.de adquir.rer.dom. cuius uerba uide §.lib.21.cap.2.reg.8. Concordat item l. hæres.22. ff.de usucapionibus. cuius uerba uide §.lib. 22.cap.5.except.34. repl.2.dupl.2.tripl.2. Concordat item instit. de hæredibus instituen. §.seruus autem, his uerbis:* Nondum adita hæreditas personæ uicem sustinet, non hæredis futuri, sed defuncti. *Concordat deniq; inst. de stipulat. seruorum, in prin.his uerbis:* Hæreditas in plerisq; personæ defuncti uicem sustinet. *Concordat item l. non minus.31.§.fin.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ff.cap.11.except.99.*

II. *Regula: Omnis hæreditas, quamuis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. quæ regula approbatur l.hæres.54. ff.de adeunda hæreditate, his uerbis:* Hæres quandoq; hæreditatem adeundo, iam tunc à morte successisse defuncto intelligitur. *Concordat l.omnia ferè. 151. ff.de reg.iuris, hisce uerbis:* Omnia ferè iura hæredum perinde habentur, ac si cõtinuò sub tempus mortis hæredes extitissent. *Huius regulæ exempla & exceptiones congessit Accursius in d.l.omnia ferè: quem uide.*

V. CAVSAE EX QVIBVS hæreditas adquiritur.

Huiusmodi causæ enumerantur l.1. cum legibus sequentib.ff.de petitione hæreditatis, hisce uerbis: Hæreditas ad nos pertinet aut uetere iure, aut nouo. Vetere, ex lege XII. Tabularum, uel ex testamento, quod iure factum est, siue nostro nomine hæredes, siue per alium effecti sumus: ueluti si eam personam, quæ in nostra potestate sit, instituta iusserimus adire hæreditatem. Sed & si Titio, qui Seio hæres extitit, nos hæredes facti sumus: sicuti Titij hæreditatem nostram intendere possumus, ita & Seij. Vel ab intestato: fortè quòd sui hæredes defuncto sumus, uel adgnati, uel quòd manumissus defunctum, quódue parens noster manumisit. Nouo iure sunt hæredes omnes, qui ex senatusconsultis, aut ex constitutionibus ad hæreditatem uocantur. *Ex his uerbis tria causarum genera, ex quibus hæreditas adquiritur, patent. duo ex iure uetere, ex testamento scilicet & ab intestato: tertium ex iure nouo, scilicet ex senatusconsultis & constitutionibus Principum. Prima igitur causa hæreditatis est testamentum: de quo ff.cap.3. cum sequentibus. Altera causa est ab intestato: de qua ff. libro prox. Hisce duabus causis concordat Instit. per quas personas cuiq; adquiratur. §.fin. his uerbis:* Hæreditatum duplex conditio est. Namuel ex testamento, uel ab intestato ad nos pertinent. *Tertia causa est ex iure nouo: ut ex senatusconsulto Orficiano & Tertulliano: ex constitutione diui Pij, l.Papinianus.8.§.si quis impubes.ff.de inofficioso testam. cuius uerba uide ff. lib.31.cap.4. quæst.2.except.30. Quarta causa est fideicommissum. quæ causa approbatur l.& sine.5. C. de senatusconsul. Trebell. cuius uerba uide ff.lib.32.cap.6. except.72. Quinta causa est: Si pater filium naturalem curiæ obtulit, ex eo fit hæres patris. quæ causa approbatur l.quoniam. 4. C.de naturalibus liberis. cuius uerba uide ff. libro prox.cap.13. except.14. replic.7. Sexta causa uidetur esse pactum atq; conuentio de succedendo: uerum causa hæc reprobatur l.hæreditas.5. C.de pactis conuentis tam super dote, his uerbis:* Hæreditas extraneis testamento datur. Cum igitur adsimes, dotali instrumento pactum interpositum esse uice testamenti, ut post mortem mulieris bona eius ad te pertinerent, quæ dotis titulo tibi non sunt obligata: intelligis, nulla te actione posse conuenire hęredes seu successores eius, ut tibi restituantur, quæ nullo modo debentur. *Concordat l. ex eo.4. C. de inutilibus stipulat. his uerbis:* Ex eo instrumento nullam uos habere actionem, quo contra bonos mores de successione futura interposita fuit stipulatio, manifestum est:

est: cum omnia quæ contra bonos mores uel in pacto, uel in stipulatione deducuntur, nullius momenti sint. *Concordat item l.pactum.15.C.de pactis, hisce uerbis:* Pactum quod dotali instrumento comprehensum est, ut si pater uita fungeretur, ex æqua portione ea quæ nubebat, cum fratre hæres patri suo esset: neque ullam obligationem contrahere, nec libertatem testamenti faciendi mulieris patri potuit auferre. *Concordat item l. cum donationis.33. in fine. C.de transactionibus. cuius uerba uide §.lib.9. cap.de transact. Concordat item l. de quæst.30. C.de pactis, hisce uerbis:* De quæstione tali à Cæsariensi aduocatione interrogati sumus. Duabus uel pluribus personis spes alienæ hæreditatis fuerat, ex cognatione fortè ad eos deuoluendæ: pactaque inter eos inita sunt pro aduentura hæreditate, quibus specialiter declarabatur, si ille fuisset mortuus, & hæreditas ad eos peruenisset, certos modos in eadem hæreditate obseruari: uel si fortè ad quosdam ex ijs commodum hæreditatis peruenisset, pactiones certas euenire. Et dubitabatur, si huiusmodi pacta seruari oporteret. Faciebat autem eis quæstionem, quia adhuc superstite eo, de cuius hæreditate sperabatur, huiusmodi pactio processit: & quia non sunt ita confecta, quasi omnimodò de hæreditate ad eos peruentura, sed sub duabus conditionibus composita sunt: Si ille mortuus fuerit: &, Si ad hæreditatem uocentur ij qui pactionem fecerunt. Sed nobis omnes huiusmodi pactiones odiosæ esse uidentur, & plenæ tristissimi & periculosi euentus. Quare enim quodam uiuente & ignorante, de rebus eius quidam pacisc entes conueniunt? Secundum itaq; ueteres regulas sancimus, omnimodò huiusmodi pacta, quæ contra bonos mores inita sunt, repelli, & nihil ex his pactionibus obseruari: nisi ipse fortè, de cuius hæreditate pactum est, uoluntatem suam eis accommodauerit, & in ea usq; ad extremum uitæ suę spacium perseuerauerit. tunc enim sublata acerbissima spe, licebit eis, illo sciente & iubente, eiusmodi pactiones seruare. Quod etiam anterioribus legibus & constitutionibus non erat incognitum, licet à nobis clarius est introductum. Iubemus etenim, neq; donationes talium rerum, neque hypothecas penitus esse admittendas, neque alium quenquam contractum: cum in alienis rebus contra domini uoluntatem aliquid fieri uel pacisci, lecta horum temporum non patitur. *Sed etsi quis per pactum hæreditati futuræ renunciauerit, non ualet pactum. De quæ re uide ff.lib.29.cap.7.except.5. Hactenus leges, quibus causa proposita reprobatur, enumeratæ sunt. Planè eius regulæ, qua causa proposita reprobatur, exceptio prima hæc est: Nisi is, de cuius hæreditate pactum factum est, conuentioni consenserit, in eoq; consensu usque ad finem uitæ perseuerauerit: tunc enim pactum de futura successione ualet. quæ exceptio approbatur uerbis d.l.30. iam propositis hisce:* Nisi ipse fortè, de cuius hæreditate pactum est, uoluntatem suam eis accommodauerit, & in ea usq; ad extremum uitæ suæ spacium perseuerauerit. tunc enim sublata acerbissima spe, licebit eis, illo sciente & iubente, eiusmodi pactiones seruare. *Similis exceptio habetur in donationibus inter uirum & uxorem: de qua uide ff.lib.33.cap.8.except.39. Secunda exceptio est: Nisi milites inter se de futura successione pactum fecerint. quæ exceptio approbatur l.licet.19. C. de pactis, his uerbis:* Licet inter priuatos huiusmodi scriptum, quo comprehenditur, ut is qui superuixerit, alterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis causa gestæ efficaciter speciem ostendat: tamen cum uoluntas militum, quæ super ultimo uitæ spiritu, deq; familiaris rei decreto quoquo modo contemplatione mortis in scripturam deducitur, uim postremi iudicij obtineat: proponasq; te & fratrem tuum, ad discrimen prælij pergentes, ob communem mortis fortunam inuicem esse pactos, ut ad eum qui superstes fuisset, res eius cui casus finę uitæ attulisset, pertinerent: existente conditione, intelligitur ex fratris tui iudicio, quod principalium constitutionum prompto fauore firmatur, etiam rerum eius compendium ad te delatum esse. *Septima causa uidetur: Si quis aliquem hæredem suum sibi relicturum iactauerit. Hæc causa reprobatur Instit. quibus modis test.infir. §.fin. ibi: neque ex nuda. cuius uerba uide ff. cap.17.replic.5. Concordat l.ult.ff.qui test.facere poss. his uerbis:* Eius bona, qui se Imperatorem facturum hæredem esse iactauerit, à fisco occupari non possunt. *Octaua causa uidetur: Si ab aliquo quid sit legatum. Et hæc causa reprobatur l. hæred.63.ff.de hæred.inst.his uerbis:* Hæreditas ad Statium Primum nullo iure pertinet, cum institutus hæres non sit: nec quidquam ei prodest, quòd ab eo aliquid legatum est, aut libertus ei defuncti testamento commendatus est, &c.

VI. EFFECTVS HAEREDITATIS, & hæredum iura.

I. *Regula: Hæres eiusdem iuris est, cuius fuit defunctus. Quæ regula approbatur l.hæred.59.ff.de reg.iuris, hisce uerbis:* Hæredem eiusdem potestatis iurisque esse, cuius fuit defunctus, constat. *Concordat l.qui in.137. ff.eod.tt. his uerbis:* Qui in ius dominiumue alterius succedit, iure eius uti debet. *Concordat item l.quod ipsis.185. ff. eod.tt.his uerbis:* Quod ipsis qui contraxerunt obstat, & successoribus eorum obstabit.

Concordat item l.inuitus.198. §.cum quis. ff.eod.tt. his uerbis: Cum quis in alicuius locum succeſſerit: non eſt æquum,ei nocere hoc, quod aduerſus eum non nocuit, in cuius locum ſucceſſerit. *Concordant item ea quæ habentur §. lib.50. cap.5. in uerbo Succeſſor,reg.2. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi ius aliquod perſonale defuncti habuerit. hoc enim ad hæredem eius non tranſit. quæ exceptio approbatur exemplo priuilegiorum l.priuilegia.156.ff.d.tt. cuius uerba iuſte §.lib.1.cap.9.de conſtit.perſ.quæſt.2.*

II. *Regula: Nemo plus iuris ad hæredem transferre poteſt, quàm ipſe habet. quæ regula approbatur l. nemo.162. ff.de reg.iuris, hiſce uerbis:* Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm ipſe habuit. *Concordant ea quæ propoſita ſunt §.lib.21. cap.3. quæſt.ult. reg.1. item ea quæ habentur d.uerbo Succeſſor,reg.3.*

III. *Regula: Per hæreditatem actio hæredi adquiritur. quæ regula approbatur l.1. §.denique.ff.de iniurijs,his uerbis:* Iulianus ſcribit, ſi corpus teſtatoris ante aditam hæreditatem detentum ſit:adquiri hæreditati actionẽ,dubium non eſſe.Idemq; putat,etſi ante hæreditatem aditam ſeruo hæreditario iniuria facta fuerit.nam per hæreditatem actio hæredi adquiritur. *Plura de hæredum iure & officijs uide §. lib.prox.cap.12.item lib.30.*

DE BONORVM POSSESſione in genere. Cap. II.

PRIMO: *Definitio bonorum poſſeſſionis proponitur l.bona.1. §.hæreditatis. ff. de bonorum poſſeſſionibus, his uerbis:* Hæreditatis bonorumue poſſeſſio (ut Labeo ſcribit) non uti rerum poſſeſſio accipiẽda eſt. Eſt enim iuris magis quàm corporis poſſeſſio. Deniq; etſi nihil corporale ſit in hæreditate, attamen rectè eius bonorum poſſeſſionem agnitam, Labeo ait. Bonorum igitur poſſeſſionem ita rectè definiemus, Ius perſequendi retinẽdiq; patrimonij, ſiue rei quæ cuiuſq;, cum moritur, fuit.

II. GENVS BONORVM poſſeſſionis.

Hæreditas eſt prætoria.quæ regula approbatur inſtit.de bonor.poſſeſſ.§.quos autem, his uerbis: Quos ſolus Prætor uocat ad hæreditatem, hæredes quidem ipſo iure non fiunt. Nam Prætor hæredem facere non poteſt. Per legem enim tantùm,uel ſimilem iuris conſtitutionem hæredes fiunt, ueluti per Senatuſconſulta & cõſtitutiones principales. Sed cum eis Prætor dat bonorum poſſeſſionem: loco hæredum conſtituuntur,& uocantur Bonorum poſſeſſores. *Concordant ea quæ habentur §.cap.prox.quæſt.1.reg.2.*

III. RATIO & uſus bonorum poſſeſſionis proponitur inſtit.d.tt.in prin.his uerbis:

Ius bonorum poſſeſſionis introductum eſt à Prætore emendandi ueteris iuris gratia. Nec ſolùm in inteſtatorum hæreditatib.uetus ius Prætor eo modo emẽdauit, ſicut ſuprà dictum eſt: ſed in eorum quoq;,qui teſtamento facto deceſſerint. Nam ſi alienus poſthumus hæres fuerit inſtitutus: quamuis hæreditatem iure ciuili adire non poterat,cum inſtitutio non ualebat: honorario tamen iure bonorum poſſeſſor efficiebatur, uidelicet cum à Prætore adiuuabatur. Sed & is à noſtra conſtitutione hodie rectè hæres inſtituitur, quaſi & iure ciuili non incognitus. Aliquando tamen neq; emendandi, neque impugnandi ueteris iuris, ſed magis confirmandi gratia Prætor pollicetur bonorum poſſeſſionem.Nam illis quoq;,qui rectè teſtamento facto hæredes inſtituti ſunt, dat ſecũdum tabulas bonorum poſſeſſionem. Item ab inteſtato ſuos hæredes & adgnatos ad bonorum poſſeſſionem uocat. Sed & remota quoq; bonorum poſſeſſione, ad eos pertinet hæreditas iure ciuili. Adhuc autem & alios complures gradus Prætor fecit in bonorum poſſeſſionibus dãdis, dum id agebat, ne quis ſine ſucceſſore moreretur. Nam anguſtiſsimis finibus cõſtitutum per legem XII.Tabularum ius percipiẽdarum hæreditatum, Prætor ex bono & æquo dilatauit. *Ait Imper.* Aliquando tamen neq; emendandi, neq; impugnandi ueteris iuris,ſed magis confirmandi gratia Prætor pollicetur bonorum poſſeſſionem. *Huic concordat l.ſed cum.6. §.penult. ff. eod.tt. his uerbis:* Legum quoq; tuendarum cauſa dat bonorum poſſeſſionem.

IIII. DIVISIO *& ſpecies bonorum poſſeſſionis proponuntur inſtit.de bonorum poſſeſſionibus. §. ſunt autem, uſq; ad §.cum igitur plures, his uerbis:*

Sunt bonorum poſſeſſiones ex teſtamento quidem hæ: Prima, quæ præteritis liberis datur,uocaturque Contra tabulas. Secunda, quam omnibus iure ſcriptis hæredib. Prætor pollicetur, ideoque uocatur Secundum tabulas. Et cum de teſtamentis prius locutus eſt,ad inteſtatos tranſitum fecit. Et primo loco ſuis hæredibus,& ijs qui ex edicto Prætoris inter ſuos hæredes connumerantur,dat bonorum poſſeſſionem, quæ uocatur Vnde liberi. Secundo, legitimis hæredibus. Tertio,decem perſonis,quas extraneo manumiſſori præferebat. Sunt autem decem perſonæ hæ: Pater,mater,auus,auia tam paterni, quàm materni: item filius, filia, nepos, neptis tam ex filio, quàm ex filia: frater, ſororue,conſanguinei, uel uterini. Quarto, cognatis proximis. Quinto, tanquam ex familia. Sexto, patrono patronæque, liberisq; eorum & parentibus. Septimo,

Septimo, uiro & uxori. Octauo, cognatis manumiſſoris. Sed eas quidem prætoria introduxit iuriſdictio: à nobis tamen nihil incuriosum prætermiſſum eſt. Sed noſtris conſtitutionibus omnia corrigentes, Contra tabulas quidem, & Secundum tabulas bonorum poſſeſſiones admiſimus, utpote neceſſarias conſtitutas: necnon ab inteſtato Vnde liberi, & Vnde legitimi, bonorum poſſeſſiones. Quæ autem in Prætoris edicto quinto loco poſita fuerat,id eſt, Vnde decem perſonæ: eam pio proposito & compendioſo ſermone ſuperuacuam oſtendimus. Cùm enim præfata bonorum poſſeſſio decem perſonas præponebat extraneo manumiſſori: noſtra conſtitutio, quam de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus eiſdemq; manumiſſoribus contracta fiducia manumiſsionẽ facere dedit:ut ipſa manumiſsio eorum hocin ſe habeat priuilegium, & ſuperuacua fiat ſupradicta bonorũ poſſeſsio. Sublata igitur prædicta quinta bonorum poſſeſsione, in gradum eius ſextam antea bonorum poſſeſſionem induximus, & quintam fecimus, quam Prætor proximis cognatis pollicetur. Cumque antea fuerat ſeptimo loco bonorum poſſeſsio Tanquam ex familia, & octauo Vnde patroni patronæque, & parentes eorum:utramq; per conſtitutionem noſtram, quam de iure patronatus fecimus, penitùs euacuauimus. Cùm enim ad ſimilitudinem ſucceſsionis ingenuorum, libertinorum ſucceſsiones poſuerimus,quas uſque ad quintum gradum tantummodò coartauimus, ut ſit aliqua inter ingenuos & libertinos differentia: ſufficit eis tam contra tabulas bonorum poſſeſsio, quàm Vnde legitimi & Vnde cognati,ex quibus poſſunt ſua iura uindicare, omni ſcrupuloſitate & inextricabili errore iſtarum duarum bonorum poſſeſsionum reſoluto.Aliam uerò bonorum poſſeſsionem, quæ Vnde uir & uxor appellatur, & nono loco interueres bonorum poſſeſsiones poſita fuerat, & in ſuo uigore ſetuauimus, & altiore loco, id eſt,ſexto eam poſuimus: decima quoq; bonorum poſſeſsione, quæ erat Vnde cognati manumiſſoris, propter cauſas enumeratas meritò ſublata: ut ſex tantummodò bonorum poſſeſsiones ordinariæ permaneant, ſuo uigore pollentes. Septima eas ſecuta, quam optima ratione Prætores introduxerunt. Nouiſsimè enim permittitur edicto ijs etiam bonorũ poſſeſsio, quibus ut detur, lege, uel ſenatuſconſulto,uel conſtitutione comprehẽſum eſt: quam neque bonorum poſſeſsionibus quæ ab inteſtato ueniunt,neque ijs quæ ex teſtamento ſunt,Prætor ſtabili iure connumeranit: ſed quaſi ultimum & extraordinarium auxiliũ (prout res exegit) id commodauit, ſcilicet ijs qui ex legibus, ſenatuſconſultis, conſtitutionibuſue principum, ex nouo iure uel ex teſtamento, uel ab inteſtato ueniunt. *Concordat l.ſed cum.6. §.bonorum. ff.eod.tt. his uerbis:* Bonorum poſſeſsionis beneficium multiplex eſt. nam quædam bonorum poſſeſſiones competunt contra uoluntatem,quædam ſecundum uoluntatem defunctorum: necnon ab inteſtato habentibus ius legitimum, uel non habentibus propter capitis deminutionẽ.quamuis enim iure ciuili deficiant liberi, qui propter capitis deminutionem deſierint ſui eſſe hæredes: propter æquitatem tamen reſcindit eorum capitis deminutionem Prætor.

Tabula bonorum poſſeſsionis ſpecies continens.



V. ADFINE BONORVM poſſeſsionis remedium.

Adfine remedium eſt,legitima hæreditas.quæ regula approbatur l.ſi aut.4. C.de legitimis hæredibus, his uerbis: Si aut nullum teſtamentum nepos patrui tui ordinauit, aut intra quattuordecim annos conſtitutus fecit, & adgnationis iure ſucceſsio eius tibi delata eſt: etiam citra bonorum poſſeſsionis ſubſidium legitimo iure ſubnixus es. *Concordat l.matri.3.C.ad Senatuſc.Orficianum, his uerbis:* Matri inteſtatò defunctæ ſecundum Orficianum Senatuſconſultum, citra bonorum poſſeſsionẽ filia pro hærede gerendo ſuccẽdere non prohibetur. *Concordat item l.general.3. ff.unde legitimi, his uerbis:* Generaliter ſciendum eſt,quotieſcunq; uel lex uel ſenatus defert hæreditatem,non etiam bonorum poſſeſsionem: ex hac parte peti eam oportere. Cum uerò etiam bonorum poſſeſsionẽ dari iubet, tum & ex illa parte, qua ex legibus peti deberet, ſed & ex hac parte poterit.

VI. CAVSAE EX QVIBVS BO-
norum possessio competit, cum suis exce-
ptionibus: item quibus & pro qua parte
competit, quidue in eam
ueniat, &c.

Ex quibus causis datur legitima hæreditas, ex iisdem etiam bonorum possessio cõpetit: quæq; illius sunt exceptiones, huius quoq; esse possunt. quæ regula cum ex uerbis d.l.3. ff. unde legitimi, iam propositis constat: tum approbatur etiam l.non est.12. in fine. ff. de bonorum possess. his uerbis: Vbicunq; lex, uel senatusconsultum, uel constitutio capere hæreditatem prohibet, & bonorum possessio cessat. *Cum ergo tanta legitimæ hæreditatis & bonorum possessionis sit adfinitas, utriusq; leges coniungam, & sub iisdem locis tam legitimæ hæreditatis, quàm bonorum possessionis iura proponam: præsertim cum (ut Imp. Iustinianus inst. de test. ordinand. §. sed quum paulatim, ait) tam ex usu hominum, quàm ex cõstitutionum emendationibus cœpit in unam consonantem ius ciuile & prætorium iungi.*

DE TESTAMENTIS. Cap. III.

QVoniam hæreditas omnis uel ex testamento competit, uel ab intestato: prius de testamentis nobis differendum est.

I. DEFINITIO *testamenti proponitur l.1. ff. qui testamentum facere possint, his uerbis:* Testamentum est, uoluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri uelit.

II. RATIO *nominis proponitur Instit. de testamentis ord. in prin. his uerbis:* Testamẽtum ex eo appellatur, quòd testatio mentis sit.

III. DIVISIONES TE-
stamenti.

I. *Diuisio habetur inst. d. tt. §.1. his uerbis:* Vt nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, olim quidem duo genera testamẽtorum in usu fuisse: quorum altero in pace & ocio utebãtur, quod Calatis comitijs appellabatur: altero, cum in prælium exituri essent, quod Procinctum dicebatur. Accesit deinde tertium genus testamentorum, quod dicebatur Per æs & libram: scilicet, quod per emancipationem, id est, imaginariam quandam uenditionem agebatur, quinque testibus & libripende, ciuibus Romanis puberibus præsentibus, & eo qui familiæ emptor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera testamentorum ex ueteribus temporibus in desuetudinem abierunt: quod uerò per æs & libram fiebat, licet diutius permanserit, attamen partim & hoc in usu esse desijt. Sed prædicta quidem nomina testamentorum ad ius ciuile referebantur. Postea uerò ex edicto Prætoris forma alia faciendorum testamẽtorum introducta est. Iure enim honorario nulla emancipatio desiderabatur, sed septem testium signa sufficiebãt: cùm iure ciuili signa testium nõ essent necessaria. Sed quum pau latim, &c. *Reliqua uerba uide ĩ. cap. 8. in prin.*

II. *Diuisio in testamentum iustum & iniustum, proponitur l.2. §.1. ff. testamenta quemad. aperiantur, his uerbis:* Testamentum propriè illud dicitur, quod iure perfectum est: sed abusiuè testamẽta quoq; ea appellamus, quæ falsa sunt, uel iniusta, uel irrita, uel rupta: itemque imperfecta solemus testamenta dicere.

III. *Diuisio in testamentum scriptum & nuncupatiuum, proponitur Nouell. c.1. §. quoniam uerò, his uerbis:* Duplex ratio testamentorum existit, ut uel in dispositionem scripto comprehensam deferatur, uel in uoluntatem sine scripto consistentem.

IIII. PARTES TE-
stamenti.

I. *Regula, De eo quod ad testamentum factum est. Hoc pars testamenti censetur. quæ regula approbatur l.2. §. ad causam. ff. testamenta quemad. aperiantur, his uerbis:* Ad causam testamenti pertinere uidetur id, quodcunq; quasi ad testamentum factum est, in quacunq; materia fuerit scriptum, quod contineat supremam uoluntatem. Et tam principales quàm secundæ tabulæ edicto continentur.

II. *Regula, De secundis tabulis, proponitur uerbis iam dictis hisce:* Et tam principales quàm secundæ tabulæ edicto continentur. *Concordat l. sicut. 11. ff. eod. tt. his uerbis:* Sicut codicilli pars intelliguntur testamenti, ita secundæ tabulæ principalium tabularum partẽ obtinere uidentur.

III. *Regula, De codicillis, qui & ipsi partes sunt testamenti. quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sicut codicilli pars intelliguntur testamenti. *Concordat l. quidam. 14. ibi: quod codicilli. ff. de iure codicillorum. cuius uerba uide ĩ. lib. 32. cap. 4. except. 39. Concordat item l. ab intestato. 16. §. ad testamentum. ff. eod. tt. his uerbis:* Ad testamentum, quod quoquo tempore fecerit, pertinent codicilli.

V. PROPRIVM TE-
stamenti.

Proprium testamenti est, hæredis institutio. quæ regula approbatur l. non cod. 14. C. de testamentis, hisce uerbis: Non codicillum, sed testamentum aliam uestram facere uoluisse, institutio & exhæredatio facta probant euidenter. *Concordat l. illud. 13. §. fin. ff. de iure codicillorum, his uerbis:* Voluntatis quæstio ex scripto plerunque declarabitur. Nam si fortè à Titio legata reliquit, & substitutum adscripsit, si hæres non extitisset: sine dubio non codicillos, sed testamentum facere uoluisse intelliget ur. *Concordat item Instit. de legatis. §. ante hæredis.*

hæredis. ibi: quia testamenta, his uerbis: Testamenta uim ex institutione hæredis accipiunt, & ob id ueluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti hæredis institutio. *Vide item ĩ. cap. 11. except. 81.*

VI. ACCIDENTIA TE-
stamento.

I. *Regula, De testamenti factione. Hæc non priuati, sed publici iuris est. quæ regula approbatur l. testamenti. 3. ff. qui testament. facere poss. his uerbis:* Testamenti factio non priuati, sed publici iuris est. *De forma testamenti clausi faciendi uide ĩ. cap. 9. except. 52. replic. 2.*

II. *Regula, De testibus ei qui testari uolet, à magistratu præbendis, proponitur l. curent. 22. ff. de testibus, his uerbis:* Curent magistratus cuiusque loci, testari uolentibus & seipsos & alios testes uel signatores præbere: quò facilius negocia explicentur, & probatio rei salua sit. *Reliqua ad testamenti factionem pertinentia uide ĩ. inter exceptiones.*

III. *Regula: Testamenti instrumẽtum uniuersorum est, quibus quid illic est adscriptum: quin potius publicum est instrumentum. Quæ regula approbatur l.2. in prin. ff. testamenta quemad. aperiantur, his uerbis:* Tabularum testamenti instrumentum non est unius hominis, hoc est, hæredis: sed uniuersorum, quib. quid illic adscriptum est. Quin potius publicum est instrumentum.

IIII. *Regula, De testamenti tabulis deponendis. Apud quem deponẽdæ sint, definitur l. cæterùm. 4. §. fin. ff. familiæ erciscundæ, his uerbis:* Tabulas testamenti debebit aut apud eum qui ex maiore parte hæres est, iubere manere, aut in ædem deponi. Nam & Labeo scribit, uendita hereditate, tabulas testamenti descriptas deponi oportere. Hæredem enim exemplum debere dare: tabulas uerò authenticas ipsum tenere, aut in ædem deponere. *Concordat l. si quæ sunt. 5. cum l. sequente. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. 44. cap. 10. quæst. 3. reg. 1. except. 58. Alia de eadem re proponitur regula l. ult. ff. de fide instrumentorum, his uerbis:* Si de tabulis testamenti deponendis agatur, & dubitetur cui eas deponi oportet: semper seniorem iuniori, & amplioris honoris inferiori, & marem fœminæ, & ingenuum libertino præferemus. *Alia eius rei regula proponitur l. hac consultissima. 8. §. sed quia, in fine. C. qui testamenta facere possint. cuius uerba uide ĩ. cap. 6. except. 9. Item alia de eadem re regula habetur l. testam. 18. C. de testamentis, & quemadmodum, his uerbis:* Testamenta omnia, cæteraq; quæ apud officium censuale publicari solent, in eodem reseruentur, nec usquam permittatur fieri ulla translatio. Mos nanq; retinendus est fidelissimæ uetustatis: quem si quis in hac urbe uoluerit mutare, irritam mortuorum uideri faciet uoluntatem. *Postremò eadem de re proponitur regula l. de instrum. 5. C. communia utriusq; iudicij tam familiæ, &c. his uerbis:* De instrumentis, quę communia fratrem uestrum tenere proponitis, Rector prouinciæ aditus, apud quem collocari debeant, æstimabit.

V. *Regula: Accidunt præterea testamentis duæ actiones tuna de testamenti tabulis aperiendis, inspiciendis, & describendis: altera de tabulis exhibendis. Item accidunt testamentis exceptiones aduersus ea, de quib. omnibus ordine est dicendum.*

DE TESTAMENTI TA-
bulis aperiendis, inspiciendis & describendis. Cap. IIII.

PRIMO: *Ratio huius actionis proponitur l.1. §. ratio. ff. testamenta quemad. aperiantur, his uerbis:* Ratio huius edicti manifesta est: neque enim sine iudice transigi, neq; apud iudicem exquiri ueritas de his controuersijs, quæ ex testamento proficiscuntur, aliter potest, quàm inspectis cognitisq; uerbis testamenti.

II. CAVSAE EX QVIBVS
actio proposita detur.

I. *Causa: Si quis tabulas testamenti inspicere, uel etiam describere desiderat. Hæc causa approbatur l.1. in princ. ff. eod. tt. his uerbis:* Omnibus quicunque desiderant tabulas testamenti inspicere, uel etiam describere, inspiciendi describendique potestatem facturum se Prætor pollicetur: quod uel suo uel alieno nomine desideranti tribuere eum, manifestum est. *Concordat l.2. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. quæst. 9. reg. 1.*

II. *Causa: Si controuersia ex testamento pendeat, Hæc causa approbatur d.l.1. §. ratio. cuius uerba uide ĩ. quæst. prox.*

III. *Causa: Si dubitetur cui demandata sit in testamento uentris curatio. Hæc causa approbatur l. si mulier. 9. ff. d. tt. his uerbis:* Si mulier uentris nomine in possessione sit, aperiendæ sunt secundæ tabulæ, ut sciatur cui demandata sit curatio.

Exceptiones dictarum causa-
rum generales.

I. *Exceptio: Nisi quis signatorum neget se sigillum suum agnoscere. Hæc exceptio reprobatur l.1. §. fin. ff. testamenta quemad. aperiantur, his uerbis:* Si quis se neget sigillum suum agnoscere, nõ ideo quidem minus aperiuntur tabulæ, licet aliàs suspectæ fient.

II. *Exceptio:* Nisi *testamentum iniustum sit, ruptum uel irritum factum. Et hæc exceptio reprobatur l.2. §.1. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. quæst. 3. diuis. 2.*

III. *Exceptio:* Nisi *non principale testamentum, sed quid aliud ad testamentum pertinens, aperiri petatur. Hæc exceptio reprobatur l. codicillos. 4. C. quemad. testam. aperiantur, his uerbis:* Codicillos

seu

III. CAVSA HVIVS interdicti.

Si quis tabulas testamenti sibi exhiberi desideret, hoc interdictum competit. quæ causa approbatur uerbis interdicti paulò superius propositis. Declaratur hæc causa definitione uerbi Exhibere, d.l.3. §.quid sit exhibere. cuius uerba uide ſ.lib.21. capite 10. quæſt.3. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi non testamentum, sed quid aliud actor exhiberi sibi desideret. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerum eius replicatio hæc est: Nisi ad causam testamenti pertineat id quod sibi exhiberi desiderat. quæ replicatio approbatur l.1. §.hoc interdictum. ff. de tabulis exhibendis, hisce uerbis: Hoc interdictum pertinet non tantùm ad testamẽti tabulas, uerùm ad omnia quæ ad causam testamenti pertinent: utputa & ad codicillos. *Concordat d.l.1.in prin. cuius uerba uide ſ.quæſt.1. Declaratur hæc replicatio l.2.§. ad causam. ff.teſt.quemadm.aper. cuius uerba uide ſ. cap.3.quæſt.4.reg.1.*

II. *Exceptio uidetur: Nisi testamentum iniustum sit, uel imperfectum, aut irritum. Hæc exceptio reprobatur d.l.1.§.siue autem, his uerbis:* Siue autem ualet testamentum, siue non ualet, quòd ab initio inutiliter factum est, siue ruptum sit, uel quo alio uitio sit: sed & si falsum esse dicatur, uel ab eo factum, qui testamenti factionem non habuerit, dicendum est interdictũ ualere. *Concordat d.l.1.§.itaq; dicendum, his uerbis:* Itaq; dicẽdum est, ad omnem omnino scripturam testamenti, siue perfectam, siue imperfectam, hoc interdictum pertinere. *Concordat item l.2.§.1.ff.testamenta quemadm.aper. cuius uerba uide ſ.cap.3.quæſt.3.diuiſ.2.*

III. *Exceptio: Nisi testamentum non sit signatum. Hæc exceptio approbatur l.si quis.6.§.1.ibi: cæterum si non. ff.ad l.Cornel.de falsis. cuius uerba uide ſ.lib.4. cap.4.quæſt.1.causa 12.except.2.*

IIII. *Exceptio: Nisi testamentum deletum sit. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.fin. cum legib.sequentibus. ff.de tabulis exhibendis, his uerbis:* Etsi dolo testamentum sit deletum, uel totum, uel pars eius: locum habet hoc interdictum.

V. *Exceptio: Nisi prius, non posterius testamentum petat sibi exhiberi. Hæc exceptio reprobatur d.l.1.§. siue supremæ, his uerbis:* Siue supremæ tabulæ sint, siue non sint, sed priores: dicendum, interdictum hoc locum habere. *Concordat d.l.1. §.proinde, his uerbis:* Si plures tabulæ sint testamenti eius, quia sæpius fecerat: dicendum est, interdicto locũ fore. Est enim quod ad causam testamẽti pertineat, quidquid quoquo tempore factum exhibere debeat.

VI. *Exceptio: Nisi plures tabulæ, in quibus testamentum est scriptum, sibi exhiberi petat. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam dictis hisce:* Si plures tabulæ sint, &c. *Concordat l.locum.3. §.1. ff.eod.tt. his uerbis:* Si tabulæ in pluribus codicibus scriptæ sint, omnes interdicto isto continentur: quia unum testamentum est.

VII. *Exceptio: Nisi de statu testatoris disceptetur. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.sed & si de statu. ff.de tabulis exhibendis, hisce uerbis:* Sed & si de statu disceptetur, si testator fortè filiusfamiliàs uel seruus hoc fecisse dicatur: & hoc exhibebitur. *Concordat d.l.1.§.siue autem, in fine. cuius uerba uide ſ.except.2.*

VIII. *Exceptio: Nisi filiusfamiliàs de castrensi peculio testatus sit. Et hæc exceptio reprobatur d.l.1.§.item si filiusfam. his uerbis:* Si filiusfamiliàs fecerit testamentum, qui de castrensi peculio testabatur: habet locum interdictum. Idem est, si is qui testamentum fecerit, apud hostes decesserit.

IX. *Exceptio: Nisi testator apud hostes decesſit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Idem est, si is qui testamentum, &c.

X. *Exceptio: Nisi testator adhuc uiuat. Hæc exceptio approbatur d.l.1.§.penult. his uerbis:* Hoc interdictũ ad uiui tabulas non pertinet: quia uerba Prætoris Reliquerit fecerunt mentionem.

XI. *Exceptio: Nisi hæreditatis controuersia ex testamento pendeat. Hæc exceptio approbatur l.de tab. 5.ff.de tabulis exhibendis, hisce uerbis:* De tabulis proferendis interdictum competere non oportet, si hæreditatis controuersia ex his pendet, aut si ad publicam quæstionẽ pertinent. Itaq; in ædẽ sacra interim deponendæ sunt, aut apud uirum idoneum.

XII. *Exceptio: Nisi tabulæ ad publicam quæstionem pertineant. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Aut si ad publicam quæstionem pertinent.

XIII. *Exceptio: Nisi actor tabulas suas esse dicat. Hæc exceptio approbatur l.locum.3. §.si ipse testator. ff.de tabulis exhibendis. cuius uerba uide ſ.lib.21.cap. 10.quæſt.4.except.2.repl.1.*

XIIII. *Exceptio: Nisi reus fateatur penes se esse testamentum. tunc enim cessante hoc interdicto, ad exhibendum est compellendus. quæ exceptio approbatur l.1.§.si quis fortè. ff.de tabulis exhibendis, hisce uerbis:* Si quis fortè confiteatur penes se esse testamentum, iubendus est exhibere: & tempus ei dandum est, ut exhibeat, si non potest in præsentiarum exhibere. Sed si neget se exhibere posse uel oportere, hoc interdictum competit. *Concordat l.2.§.fin.ff.teſt.quemad.aper. cuius uerba uide ſ.cap.prox.quæſt.9.reg.1.*

IIII. QVIBVS COMpetit?

I. *Regula, De omnibus quibus quid in testamento relictum est, proponitur l.locum.3.§.solent. ff.de tabulis exhib.his uerbis:* Solent exhiberi tabulas desiderare omnes omnino, qui quid in testamento adscriptum habent.

II. *Regula, De hæredibus cæteriſq; ſucceſſoribus, proponitur d.l.3.§.fin.his uerbis:* Interdictum hoc post

post annum competere constat. Sed & hæredi cæteris{q;} successoribus competit.

V. ADVERSVS QVOS competit?

I. *Regula, De eo qui tabulas testamenti deposuit, & eo apud quem depositæ sunt, proponitur d.l.3. §.si tabulæ. ff.de tabulis exhib.his uerbis:* Si tabulæ testamenti apud aliquem depositæ sint à Titio, hoc interdicto agendum est & cum eo qui detinet, & cum eo qui deposuit. Proinde & si custodiam tabularum ædituus uel tabellarius suscepit: dicendum est, teneri eum interdicto.

II. *Regula, De domino serui, penes quem sunt tabulæ, proponitur d.l.3.§.si penes, his uerbis:* Si penes seruum tabulæ fuerint, dominus interdicto tenebitur.

III. *Regula: Is quoq; tenetur, qui tabulas dolo malo possidere desiit. quæ regula approbatur d.l.3. §.si quis dolo, his uerbis:* Si quis dolo malo fecerit, quo minus penes eum tabulæ essent: nihilominus hoc interdicto tenebitur: nec præiudicatur aliquid legi Corneliæ testamentariæ, quasi dolo malo testamẽtum suppresserit. Nemo enim ideo impunè retinet tabulas, quòd maius facinus admisit: cùm exhibitis tabulis admissum eius magis manifestetur. & posse aliquẽ dolo malo facere, ut in eam legem non incidat: utputa, si neq; amouerit, neque celauerit tabulas, sed idcirco alij tradiderit, ne eas interdicẽti exhiberet: hoc est, si non supprimendi animo uel consilio fecit, sed ne huic exhiberet. *Concordat regulæ propositæ l.1.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.cod. cap.in prin.*

IIII. *Regula, De tutore & pupillo, proponitur l. si sint.4.ff.eod.tt. his uerbis:* Si sint tabulæ apud pupillum, & dolo tutoris desierint esse, in ipsum tutorem competit interdictũ: æquum est enim, ipsum ex delicto suo teneri, non pupillum.

VI. QVID VENIAT IN hoc interdictum?

I. *Regula: Petitur hoc interdicto, ut tabulæ exhibeantur. de quo ſ.quæſt.3.in prin.*

II. *Regula: Et si non exhibeatur, uenit in hoc interdictum, quãti interest actoris exhibitas esse. quæ regula approbatur l.locum.3.§.condemnatio. ff.de tabulis exhibendis, hisce uerbis:* Condemnatio huius iudicij, quanti interfuit, æstimari debet. Quare si hæres scriptus hoc interdicto experiatur, ad hæreditatem referenda est æstimatio. Et si legatum sit, tantum uenit in æstimationẽ, quantum sit in legato. Et si sub conditione legatum sit: quasi conditione existente, sic æstimandum est. Nec compelli debebit, ut se restituturũ caueat, quidquid consecutus est, si conditio defecerit: quia pœna contumaciæ præstatur ab eo qui non exhibet.

VII. QVANDIV COMpetit?

Perpetua est actio. quæ regula approbatur d.l.3.§. fin. cuius uerba uide ſ.quæſt.4.reg.2.

VIII. ADIVNCTA.

De conuocandis signatoribus ad recognoscenda sua sigilla, proponitur d.l.3. §.exhibere autem, his uerbis: Exhibere autem apud Prætorem oportet, ut ex authoritate eius signatores admoniti ueniant ad recognoscẽda signa. Et si fortè non obtemperent testes, Labeo scribit, coercerii eos à Prætore debere.

IX. EVENTVS.

I. *Regula: Qui hac actione egit, & litis æstimationẽ consecutus est: postea legatum uel hæreditatem petens, exceptione repellitur. quæ regula approbatur simul & distinguitur d.l.3.§.penult. his uerbis:* Quæritur, si hinc consecutus est æstimationem legatarius, postea legatum petat, an sit audiendus? Et putem, si hæres idem præstiterit, exceptione doli repellendum: si alius, repelli non oportere. Ideo etsi hæres sit, qui interdicto usus æstimationem cõsecutus est, eadem erit æstimationis distinctio.

II. *Regula: Si quis hac actione ideo sit condemnatus, quòd dolo malo fecerit, quo minus tabulæ penes se essent: legi Corneliæ testamẽtariæ præiudicium non fit. quæ regula approbatur d.l.3.§.si quis dolo. cuius uerba uide ſ.quæſt.5.reg.3.*

X. ADFINIA REmedia.

De ad exhibendum actione & uẽdicatione, si actor tabulas suas esse dicat, proponitur d.l.3. §.si ipse testator. cuius uerba uide ſ.lib.21.cap.10.quæſt.4.except.2. repl.1. Hactenus de tabulis exhibendis.

DE EXCEPTIONIBVS ADuersus testamenta: & primùm de ijs quæ sumuntur ex persona testatoris. Cap. VI.

REgulariter quidem ex testamẽto hæreditas competit, legataq; debentur. *quæ regula approbatur Nouell.c.22.§.atq; hoc primum, his uerbis:* Omnia quæcunq; ab hodierno die testator disponit, siue uir existat, siue mulier: ea firmitatem habeant. Sanciat enim quisq; in rebus suis ut dignum est, & pro lege uoluntas eius esto, quemadmodum nobis lex etiam omnium uetustissima, & quæ prima ferè Romanis constituit Rempub. nempe XII. Tabul. uetere & patria lingua, his penè utens uerbis, inquit: VTI LEGASSET QVISQVE DE RE SVA, ITA IVS ESTO: nemini facta potestate, ut in rebus alienis aliquid præter illius uoluntatem disponat, neque si sacram impetret formam, aut quidquam omnium. *Cõcordant ea quæ habentur ſ.lib.32.cap.3.in prin.* Planè huius regulæ *exceptiones plures sunt, quæ omnes ad tria genera redi-*

guntur. *Nam aut quia iniustum est testamentum, exceptio competit: aut quia ruptum est, aut demum quia irritum est factum. quæ tria exceptionum genera proponuntur Instit. quibus modis testamenta infirm. §. alio autem modo, in fine, his uerbis:* Quia commodius est, singulas causas singulis appellationibus distingui: ideo quædam testamenta non iure facta dicuntur, quædam iure facta rumpi, uel irrita fieri. *Concordat l. 1. ff. de iniusto, rupto, irrito facto test. his uerbis:* Testamentum aut non iure factum dicitur, ubi solennia iuris defuerunt: aut nullius est momenti, cum filius, qui fuit in patris potestate, præteritus est: aut rumpitur alio testamento, ex quo hæres existere poterit, uel adgnatione sui hæredis: aut irritum constituitur, non adita hæreditate. *Primi generis exceptiones sumuntur ex persona testatoris, ex personis testium, ex causa & adiunctis, seu actibus testamentarijs, & ex testamenti uerbis. Reliquorum generum exceptiones sumuntur ex consequentibus testamenti factionem. quorum omnium generum species ordine persequamur.*

I. Exceptio: *Nisi iniustum sit testamentum, & contra regulas iuris factum. Hæc generalis exceptio approbatur l. si quær. 4. ff. qui testamentum facere possunt, his uerbis:* Si quæramus, an ualeat testamentum, in primis animaduertere debemus, an is qui fecit testamentum, habuerit testamenti factionem: deinde, si habuerit, requiremus an secundum regulas iuris ciuilis testatus sit. *Concordat l. 1. in fine. ff. de petitione hæreditatis. cuius uerba uide §. cap. 1. qu. est. 5. in prin. Item concordat l. si quis. 8. §. illud quoq; C. de codicillis. cuius uerba uide §. cap. 25. quæst. 3. reg. 1. Huius exceptionis species sequuntur. Sed & eius replicationes uide §. cap. 17.*

II. Exceptio: *Nisi testator testamenti factionem non habuerit. Hæc exceptio approbatur uerbis l. 4. §. except. prox. propositis hisce:* Si quæramus, an ualeat testamentum, in primis animaduertere debemus, an is qui fecit testamentum, habuerit testamenti factionem. *Concordat l. si filiusfam. 19. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. prox. Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi testator tempore mortis habuerit testamenti factionem. hoc enim casu uidetur, quamuis antea non habuerit, nihilominus ualere testamentum. uerum exceptio hæc reprobatur d. l. 19. his uerbis:* Si filiusfamiliâs, aut pupillus, aut seruus tabulas testamenti fecerit, signauerit: secundum eas bonorum possessio dari non potest, licet filiusfamiliâs sui iuris, aut pupillus pubes, aut seruus liber factus decesserit: quia nullæ sunt tabulæ testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuit. *Concordat l. 1. §. exigit. ff. de bonor. possess. secundum tabulas, his uerbis:* Exigit prætor, ut is cuius bonorum possessio datur, utroq; tempore ius testamenti faciendi habuerit, & cum faciet testamentum, & cum moritur. Proinde si impubes uel furiosus, uel quis alius ex his qui testamentum facere non possunt, testamentum fecerit, deinde habens testamenti factionem decesserit: peti bonorum possessio non poterit. Sed & si filiusfamiliâs, putans se patrem familiâs, testamẽtum fecerit, deinde mortis tempore paterfamiliâs inueniatur: non potest bonorum possessio peti. *Secunda replicatio est: Nisi utroque tempore, tam testamenti faciendi, quàm mortis, testator testamenti factionẽ habuerit: hoc enim casu, quamuis medio tempore non habuerit, nihilominus ualet testamentum. Quæ replicatio approbatur d. l. 1. §. sed etsi utroq;, his uerbis:* Si utroq; tempore testamenti factionem habuerit, medio tempore non habuerit: bonorum possessio secundum tabulas peti poterit. *Tertia replicatio est: Nisi testamenti faciendi tempore testamenti factionem habuerit: tunc enim, quamuis eam postea amiserit, nihilominus testamentum ualet. quæ replicatio approbatur d. l. 1. §. si quis autem, his uerbis:* Si quis testamentum fecerit, deinde amiserit testamenti factionem uel furore, uel quòd ei bonis interdictum est: potest eius peti bonorum possessio: quia iure testamẽtum eius ualet. Et hoc generaliter de omnibus huiusmodi dicitur, qui amittunt mortis tempore testamenti factionem: sed antè factum eorum testamentum ualet. *Hæc de secunda exceptione, eiusq; replicationibus sunt dicta: sed & eius species sunt exceptiones proximè sequentes, ubi plures huiusmodi replicationes proponentur.*

III. Exceptio: *Nisi impubes sit testator. Hæc exceptio approbatur Instit. quibus non est permissum facere test. §. præterea, his uerbis:* Testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum eorum animi iudicium est: item furiosi, quia mẽte carent. Nec ad rem pertinet, si impubes postea pubes, aut furiosus postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. *Concordat l. si filiusfam. 19. ff. qui test. facere poss. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 1. Concordat item l. si frater. 4. C. eod. tt. his uerbis:* Si frater patruelis tuus ante quartum decimum ætatis suæ annum decesserit, cum facere testamentum non potuit: nihil rectè ex eius postremo iudicio postulatur. Nam si hanc ætatem egressus, licet uigoris necdum emersissent uestigia, suum ordinauit solenniter iudicium: hoc euellere frustra conaris. *Concordat item l. 1. §. exigit. ff. de bonor. possess. secundum tabulas. cuius uerba uide §. except. prox. replic. 1. Declaratur exceptio proposita definitione impuberis, l. qua ætate. 5. ff. qui test. facere poss. his uerbis:* Qua ætate testamentum uel masculi uel fœminæ facere possint, uideamus? Et uerius est, in masculis quidẽ quartum decimum annum spectandum, in fœminis minus uerò duodecimum completum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ultimo die anni decimiquarti testamentum fecerit. quæ replicatio approbatur d. l. 5. his uerbis:* Vtrum autẽ excessisse debeat quis decimumquartum annum, ut testamentum facere possit: an sufficiat complesse? propone aliquem calendis Ianuarijs natum, testamẽtum ipso natali suo fecisse decimoquarto anno: an ualeat testamentum? dico ualere. Plus arbitror, etiamsi pridie calendarum fecerit post sextã horam noctis, ualetè testamentum. Iam enim complesse uidetur annum quartumdecimum, ut Martiano uidetur. *Altera replicatio uidetur: Nisi testator postea pubes factus, mortuus sit. Hæc replicatio reprobatur d. §. præterea. d. l. 19. & d. §. exigit. Tertia replicatio uidetur: Nisi miles impubes testetur. Hæc replicatio reprobatur l. ult. C. de test. militis. cuius uerba uide §. cap. 18. dupl. 1.*

IIII. Exceptio: *Nisi senex sit testator. Hæc exceptio reprobatur l. senium. 3. C. qui test. facere poß. his uerbis:* Senium quidem ætatis, uel ægritudinẽ corporis, syncëritatem mentis tenentibus testamenti factionem certum est non auferre.

V. Exceptio: *Nisi ualetudinarius fuerit testator. Et hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Vel ægritudinem corporis, &c. *Concordat l. 2. ff. eod. tt. his uerbis:* In eo qui testatur, eius temporis, quo testamẽtum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est. *Plane admittitur exceptio proposita, si in aduersa ualetudine mente quoq; fuerit captus. quæ distinctio approbatur l. in aduersa. 17. ff. eod. tt. his uerbis:* In aduersã corporis ualetudine mente captus, eo tempore testamentum facere non potest.

VI. Exceptio: *Nisi testator fuerit furiosus. Hæc exceptio approbatur Instit. quibus non est permissum facere testam. §. præterea. cuius uerba uide §. except. 3. in prin. Concordat l. 1. §. exigit. ff. de bonorum possess. secund. tabulas. cuius uerba uide §. except. 2. repl. 1. Concordat item l. filiusfam. 16. ibi: furiosus quoq; ff. qui test. facere poß. cuius uerba uide §. except. 82. Huius exceptionis replicatio prima uidetur esse talis: Nisi compos mentis decesserit, uerum replicatio hæc reprobatur d. §. præterea. & d. §. exigit. Secunda replicatio est: Nisi furor post factum demum testamentum interuenerit. quæ replicatio approbatur l. qui testamento. 20. §. nec furiosus, in fine. ff. qui test. facere possunt, his uerbis:* Testamentum quod ante furorem consummauit, ualebit: & bonorum possessio ex eo testamento competet. *Concordat Instit. eod. tt. §. furiosi autem, in fine. cuius uerba uide §. replic. prox. Tertia replicatio est: Nisi dum furor intermisit, testamentum fecit. Hæc replicatio approbatur d. §. furiosi, his uerbis:* Furiosi, si per id tempus fecerint testamẽtum, quo furor eorum intermissus est, iure testati esse uidentur: certè eo quod ante furorem fecerint, testamento ualente. Nam neque testamentum rectè factum, neque ullum aliud negocium rectè gestum, postea furor interueniens perimit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cum cœpto testamento furor interuenisset, illud postea furore intermittente consummauerit: hoc enim non ualet. quæ duplicatio approbatur l. furiosum. 9. C. qui test. facere possunt, his uerbis:* Furiosum in suis iudicijs ultimum condere elogium posse, licet ab antiquis dubitabatur, tamen & retrò principibus & nobis placuit. Nunc autem hoc decidendum est, quòd simili modo antiquos animos motus, si cœpto testamento furor eum inuasit. Sancimus itaq;, tale testamentum hominis, qui in ipso actu testamenti aduersa ualetudine tentus est, pro nihilo esse. Sin uerò uoluerit in dilucidis interuallis aliquod condere testamẽtum, uel ultimam uoluntatem, & hoc sana mente & cœperit facere & consummauerit, nullo tali morbo interuenientẽ: stare testamentum, siue quamcunque ultimam uoluntatem censemus, si & omnia alia accesserint, quæ in huiusmodi actibus legitima obseruatio sequitur.

VII. Exceptio: *Nisi mente captus fuerit testator. Hæc exceptio approbatur l. 2. & l. in aduersa. 17. ff. qui test. facere poß. quarum legum uerba uide §. except. 5.*

VIII. Exceptio: *Nisi mutus uel surdus fuerit testator. Hæc exceptio approbatur l. qui in. 6. §. fin. ff. qui test. facere possunt, his uerbis:* Surdus & mutus testamentum facere non possunt. *Concordat l. iubemus. 29. §. 1. ibi: si enim talis. C. de testamentis. cuius uerba uide §. cap. 9. except. 53. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tardè audiat, uel tardè loquatur, non omnino nihil. Hæc replicatio approbatur Instit. quibus non est permiß. §. item surdus, his uerbis:* Surdus & mutus non semper testamentum facere possunt. Vtique autem de eo surdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tardè exaudit: nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur. Sæpe enim etiam literati & eruditi homines uarijs casibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt. Vnde nostra constitutio etiam his subuenit, ut certis casibus & modis secundum normam eius possint testari, aliaque facere quæ eis permissa sunt. *Ait Imper.* Nostra constitutio. *De qua uide §. replic. proxim. cum sequenti. Secunda replicatio est: Nisi non à natura, sed ex accidenti surdus & mutus sit, sciatq; scribere, & manu sua testamentum scribat. quæ replicatio approbatur l. discretis. 10. C. qui test. facere possunt, his uerbis:* Discretis muto & surdo, quia non semper huiusmodi uicia sibi concurrunt: sancimus, si quis utroque morbo simul laboret, id est, ut neque audire neque loqui possit, & hoc ex ipsa natura habeat: neque testamentum facere, neque codicillos, neque

fideicõmissum relinquere, nec mortis causa donationem celebrare concedatur, nec libertatem siue uindicta, siue alio modo imponere: eidem legi tam masculos, quàm fœminas obedire imperantes. Vbi autem & huiusmodi uicij non naturalis siue masculo siue fœminæ accidit calamitas, sed morbus postea superueniens & uocem abstulit, & aures conclusit: si ponamus huiusmodi personam literas scientem, omnia quæ priori interdiximus, hoc ei sua manu conscribenti permittimus. *Tertia replicatio est: Nisi surdus tantùm, non etiã mutus fuerit testator. Hæc replicatio approbatur d.l.10. §.sin autem, his uerbis* Sin autem infortunio discretum est, quod ita rarò contingit: & surdis, licet naturaliter huiusmodi sensus uariatus est, tamen omnia facere & in testamentis, & in codicillis, & in mortis causa donationibus, & in libertatibus, & in alijs omnib. permittimus. Si enim uox articulata ei à natura concessa est, nihil prohibet eum omnia quæ uoluerit, facere: quia scimus quosdam iurisperitos & hoc subtilius cogitasse, & nullum esse exposuisse, qui penitùs non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur, secundum quod Iubentio Celso placuit. In eo autem, cui morbus postea superueniens, auditum tantummodò abstulit: nec dubitari potest, quin possit omnia sine aliquo obstaculo facere. *Quarta replicatio est: Nisi mutus tantùm, non etiam surdus sua manu testamentum scripserit: hoc enim ualet, quamuis natura mutus sit. quæ replicatio approbatur d.l.10.§.fin.his uerbis:* Sin uerò aures quidem apertæ sunt, & uocem recipientes, lingua autem eius penitùs prepedita: licet à ueteribus authoribus sæpius de hoc uariatum est: attamen si hunc peritum literarum esse proponamus, nihil prohibet eum scribẽtem omnia facere, siue naturaliter, siue per interuentum morbi huiusmodi infortunium ei accesit: nullo discrimine neque in masculis, neq; in fœminis in omni ista constitutione seruando. *Quinta replicatio est: Nisi post factum testamentum testator surdus uel mutus sit effectus. Hæc replicatio approbatur instit. quibus non est permiß. §.item surdus, in fine, his uerbis:* Si quis post testamentum factum aduersa ualetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit: ratum nihilominus manet eius testamẽtum. *Concordat ipsdem uerbis l.qui in.6. in fine. ff.qui testam.facere poß. Concordat item l.conficiuntur.8.§.si poß. ff.de iure codicillor. cuius uerba uide §.capite 25. quæst.4. except.4. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi post cœptum, non etiam absolutum testamentum mutus sit factus. Hæc duplicatio approbatur l.si quis.25.ff.qui test.facere poß. his uerbis:* Si quis, cum testamentum faceret, hæredibus prius nuncupatis, priusquam secundos hæredes exprimeret, obmutuisset: magis cœpisse eum testamentum facere, quàm fecisse, Varus Digest. libro primo Seruium respondisse scripsit. Itaque primos hæredes ex eo testamento non futuros. Labeo tunc hoc uerum esse existimat, si constaret, noluisse plures eum qui testamentum fecisset, hæredes pronunciare. Ego nec Seruium puto aliud sensisse. *Sexta replicatio est: Nisi mutus & surdus ius testamenti faciendi à Principe impetrauerit. Hæc replicatio approbatur l.si mutus.7. ff. d.th. his uerbis:* Si mutus aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, à Principe impetrauerit, ualet eius testamentum. *Septima replicatio est: Nisi mutus & surdus miles testamentum fecerit. Hæc replicatio approbatur instit. de militari testam.§.quinimò, his uerbis:* Et mutus & surdus miles testamentum facere potest. *Concordat l.iure.4.ff.eod.tt. his uerbis:* Iure militari surdum & mutum testamentum facere posse, antè causariam missionem in numeris manentem, placet.

IX. *Exceptio: Nisi cæcus fuerit testator. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur instit. quibus non est permissum.§.cæcus, his uerbis:* Cæcus non potest facere testamentum, nisi per obseruationem, quam lex diui Iustini patris nostri introduxit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi secundum constitutionem Imp. Iustini sit testatus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi per obseruationem, quam lex diui Iustini patris nostri introduxit. *Hæc lex seu constitutio habetur l.hac conf.8. C. qui testamenta facere possunt, his uerbis:* Hac consultissima lege iubemus, ut carentes oculis, seu morbo, uel ita nati, per nuncupationem suæ condant moderamina uoluntatis: scilicet præsentibus septem testibus, quos alijs quoq; testamentis interesse iuris est, tabulario etiam, ut cunctis ibidem collectis, primùm ad se omnes conuocatos, ut sine scriptis testetur, edoceat: deinde exprimat nomina specialiter hæredum, & dignitates singulorum, & indicia, ne sola nominum commemoratio quidquam ambiguitatis pariat: & ex quanta parte, uel ex quot uncijs in successionem admitti debeant, & quid unumquenq; legatarium seu fideicommissarium adsequi uelit: omnia denique palàm edicat, quæ ultimarum capit dispositionũ series lege concessa. Quibus omnibus ex ordine peroratis, uno eodemque loco & tempore, sed & tabularij manu conscriptis, sub obtentu septem (ut dictum est) testium, & eorundem testium manu subscriptis, dehinc consignatis tam ab iisdem testibus, quàm à tabulario: plenum obtinebit robur testantis arbitrium. Quæ in eundem modum erunt obseruanda,

seruanda, quamuis non hęredes instituere, sed legata solùm & fideicõmissa, & in summa, quæ in codicillis habeantur congrua, duxerit ordinanda. At cùm humana fragilitas, mortis præcipuè cogitatione turbata, minus memoria posit res plures consequi: patebit eis licentia uoluntatem suam siue in testamento, siue codicilli tenore compositam, cui uelit scribendam credere: ut in eodem postea collectis testibus & tabulario, re etiam (ut dictum est) patefacta, cuius causa conuocati sunt, etiam chartula promatur, quam susceptam testatori recitabit tabularius, simul & testibus: ut ubi tenor eorum cunctis innotuerit, elogium ipse suum profiteatur agnoscere, & ex animi sui quæ lecta sunt dispositione sententia, & in fine subscriptio sequatur testium, necnon omnium signatula, tam testium (prout dictum est) quàm tabularij. Sed quia tabularium copia nõ in omnibus locis datur quærentibus, iubemus, ubi tabularius reperiri non possit, octauum adhiberi testem: ut quod tabulario pro supradicto modo commisimus, per octauum testem effectum capiat: libera potestate concedenda uoluntates suas in prædictum modum ordinantibus, chartulam ita subscriptam, ita denique consignatam, ut antelatæ formæ declarant, cui uelint è testibus custodiendam mandare. Sic fieri nanq; cõsidimus, ut non recipiat se tantùm in cæcis testãdi licentia: sed ne locum quidem relinquat ullum insidijs totoculis spectata, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto locata manibus.

X. *Exceptio: Nisi testator manus amiserit. Hæc exceptio reprobatur l.qui manus.10. ff.qui testam.facere possunt, his uerbis:* Qui manus amisit, testamentum facere potest, quamuis scribere non possit.

XI. *Exceptio: Nisi eunuchus sit testator. Hæc exceptio reprobatur l.eunuchis.5.C.eod.tt. his uerbis:* Eunuchis liceat facere testamentum, componere postremas exemplo omnium uoluntates, cõscribere codicillos, salua testamentorum obseruantia.

XII. *Exceptio: Nisi prodigus, cui bonis interdictum est, testamentum fecerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur instit. quibus non est permissum.§.item prodigus, his uerbis:* Prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest: sed id quod antè fecerit, quàm interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est. *Concordat l.is cui.18.in prin.ff.qui testam.facere poß. his uerbis:* Is cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest: & si fecerit, ipso iure non ualet. Quod tamen interdictione uetustius habuerit testamentum, hoc ualebit. Meritò ergo nec testis ad testamentum adhiberi poterit, cum neq; testamenti factionem habeat.

XIII. *Exceptio: Nisi publico iudicio seu capitali pœna damnatus testamentum fecerit. Hæc exceptio approbatur l.eius qui.8. ff.qui test.facere poß. his uerbis:* Si cui aqua & igni interdictum sit, eius nec illud testamentum ualet, quod ante fecit, nec id quod postea. Bona quoque quæ tunc habuit, cum damnaretur, publicabuntur: aut si non uideantur lucrosa, creditoribus concedentur. In insulam deportati in eadem causa sunt. Sed relegati in insulam, & quibus terra Italica & sua prouincia interdicitur: testamenti faciendi ius retinent. Hi uerò qui ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnantur: libertatem perdunt, bonaq; eorum publicantur. Vnde apparet, amittere eos testamenti factionem. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi relegatus tantùm sit in insulam. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed relegati in insulam, & quibus terra Italica & sua prouincia interdicitur: testamenti faciendi ius retinent. *Secunda replicatio est: Nisi damnati bona non publicentur. Hæc replicatio elici potest ex uerbis iam propositis hisce:* Bonaq; eorum publicantur. Vnde apparet, amittere eos testamenti factionem. Ergo *contrà, si bona eorum non publicantur, apparet eos testamenti factionem non amittere.* Quo posito, *exceptio proposita hodie uidetur mutata & sublata esse: quoniam publicatio bonorum est sublata. de qua re uide 8.lib.3.cap.13. Tertia replicatio est: Nisi sententia damnationis appellatione sit suspensa. Hæc replicatio approbatur l.qui à latrohibus. 13.§.fin. ff.qui testam. facere possunt, his uerbis:* Si quis in capitali crimine damnatus appellauerit, & medio tempore, pendente appellatione, fecerit testamentum, & ita decesserit: ualet eius testamentum. *Concordat l.si quis. 6.§.hi autem omnes. ff.de iniusto testamento, his uerbis:* Hi omnes, quorum testamenta irrita damnatione fieri diximus, si prouocauerint, capite non minuuntur. Atq; ideo neq; testamenta quæ antea fecerunt, irrita fient: & tunc testari potuerunt (hoc enim sæpissime est constitutum) nec uidebuntur quasi de statu suo dubitantes non habere testamenti factionem. sunt enim certi statûs, nec ipsi de se interim incerti. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi appellatio non fuerit recepta, quæ duplicatio ipso quidem iure subsistit: uerum eius triplicatio hæc est: Nisi cùm eo nomine Principi scriptum esset, Princeps nondum rescripserit. quæ triplicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Quid tamen, si appellationem eius Præses non recepit, sed Imperatori scribendo pœnã remoratus est? puto hunc quoq; suum statum interim retinere, nec testamentum irritum fieri. Nam

(ut est oratione diui Marci expressum) tametsi prouocantis,uel eius pro quo prouocatur, appellatio non fuerit recepta: pœna tamen sustinenda est, quoad Princeps rescripserit ad literas Præsidis & libellum rei cum literis missum: nisi forte latro manifestus sit,uel seditio prærupta,factioq; cruenta,uel alia iusta causa,quam mox præses literis excusauerit,moram non recipiat, non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi causa. tàc enim punire permittitur,deinde scribere. *Quarta replicatio est: Nisi illicitè fuerit damnatus, pœna non sumpta. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Quid si quis fuerit damnatus illicitè,pœna non sumpta? an testamentum eius irritum fiat, uideamus: utputa decurio ad bestias:an capite minuatur,testamentumq; eius irritum fiat? & non puto,cùm sententia eum non tenuerit. Ergo etsi quis eum qui non erat iurisdictionis suæ,damnauerit: testamentum eius non erit irritum, quemadmodum est constitutum. *Quinta replicatio est: Nisi cum de sententia Principi scribendum esset, Princeps sententiam nondum comprobauerit. quæ replicatio approbatur d.l. 6. §.eius qui. ff.de iniusto test. his uerbis*: Eius qui deportatur, non statim fiet irritum testamentum,sed cum Princeps factum comprobauerit: tunc enim & capite minuitur. Sed & si de decurione puniendo, uel filio neporéue, Præses scribendum Principi interlocutus est: non puto statim seruum pœnæ factum, licet in carcere soleant diligentioris custodiæ causa recipi. Nec huius igitur testamentum fiet irritum, priusquam Princeps de eo supplicium sumendum rescripserit. Proinde si antè decesserit,utique testamentum eius ualebit: nisi mortem sibi consciuit. Nam eorum qui mori magis quàm damnari maluerint ob consciẽtiam criminis, testamenta irrita constitutiones faciunt,licet in ciuitate decedant. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi damnatus ante rescriptum principis mortem sibi consciuerit.quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nisi mortem sibi consciuit,&c. *de qua re plura uide ĵ.except.prox. Sexta replicatio est: Nisi ex militari delicto sit damnatus. quæ replicatio approbatur d.l.6. §.irritum. ibi: nisi fortè miles fuit. cuius uerba uide ĵ. cap.19.except.1. Concordant ea quæ habentur ĵ. cap. 18.duplic.3. ubi etiam uide propositæ replicationis duplicationes. Septima replicatio est: Nisi capite damnatus indulgentia principis sit restitutus. quæ replicatio approbatur l.si quis.6.§.quatenus,in fine. ff.de iniusto test.his uerbis*: Et si quis damnatus capite in integrum indulgentia Principis sit restitutus,testamentum eius conualescit.

XIII. Exceptio: *Nisi publico iudicio accusatus testator mortuus sit. Hæc exceptio reprobatur l.si quis, 9.ff.qui test.facere poss.his uerbis*: Si quis post accusationem in custodia fuerit defunctus indemnatus, testamentum eius ualebit. *Planè admittitur exceptio proposita, si accusatus sibi ipsi mortem consciuerit. quæ distinctio approbatur d.l.6. §.eius qui.ibi:nisi mortem.ff.de iniusto testamento. cuius uerba ℈.except.prox.repl.5.propositæ sunt,hæc scilicet*: Eorum qui mori magis quàm damnari maluerint ob consciẽtiam criminis, testamenta irrita constitutiones faciunt, licet in ciuitate decedant. *Huius exceptionis in casu proposito replicatio hæc est: Nisi non ob consciẽtiam criminis, sed ex alia causa sibi mortem consciuit accusatus. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Quòd si qui tædio uitæ, uel ualetudinis aduersæ impatientia,uel iactatione(ut quidam philosophi)mortem sibi consciuerint: in ea causa sunt, ut testamenta eorum ualeant. Quam distinctionem in militis quoq; testamento diuus Hadrianus dedit epistola ad Pomponium Falconem: ut siquidem ob consciẽtiam delicti militaris mori maluit, irritum sit eius testamentum: quòd si tædio uitæ,uel dolore,ualeat. At si intestatò decesserit,cognatis:aut si non sint,legioni ista sint uindicanda. *Concordat l.2.C.qui test. facere possunt,his uerbis*: Si is qui te cum uxore tua hęredem scripsit,quando testamentum ordinauit,sanæ mentis fuit: nec postea alicuius sceleris consciẽtia obstrictus,sed aut impatiens doloris, aut aliqua furoris rabie constrictus se præcipitem dedit, eiusq; innocentia liquidis probationibus commendari potest à te: adsciæ mortis obtentu postremum eius iudicium conuelli non debet. quòd si futuræ pœnæ metu uoluntaria morte supplicium anteuertit, ratam uoluntatem eius conseruari leges uetant. *Concordat item l.eius.34.in prin. ff.de militari test.his uerbis*: Eius militis, qui doloris impatientia uel tædio nitæ mori maluit,testamentum ualere, uel intestati bona ab his qui lege uocantur, uindicari diuus, &c.

XV. Exceptio: *Nisi testator ob carmen famosum sit damnatus. Hæc exceptio approbatur l.si cui.18. §. fin.ff.qui test.facere poss.his uerbis*: Si quis ob carmen famosum damnetur, senatusconsulto expressum est, ut intestabilis sit. Ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi testis.

XVI. Exceptio: *Nisi testator incestas uetitasq; nuptias contraxerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.si quis.6.C.de incestis & inutilibus nupt. cuius uerba uide alibi.*

XVII. Exceptio: *Nisi testator seruus sit. Hæc exceptio approbatur l.liber.8.C.de petitione hæreditatis, hisce uerbis*: Liber nẽcne fuerit testator,ante omnia disquiri debet, cum hæreditas petitur. *Concordat l.seruum.4. C.communia de successionibus,*

nibus,his uerbis: Seruus successores habere nõ potest. *Concordat item l.filiusfam.16. ibi:licet enim. ff.qui testam.facere poß.cuius uerba uide ĵ.except.82. Item concordat l.si filiusfam.19. ff. eod.tt. cuius uerba uide ℈.except.2.repl.1.*

XVIII. Exceptio: *Nisi testator de statu suo incertus sit. Hæc exceptio approbatur l.de statu.15.ff.qui testam.facere possunt, his uerbis*: De statu suo dubitantes uel errantes testamentum facere non possunt, ut diuus Pius rescripsit. *Concordat l.qui test.14.ff.eod.tt.his uerbis*: Qui testamento domini manumissus est, si ignoret dominum decessisse,aditamq; esse eius hæreditatem,testamentum facere non potest, licet iam paterfamiliàs & sui iuris est: nam qui incertus de statu suo est, certam legem testamento dicere non potest. *Concordat item l.1.in princ.ff.de leg.3. cuius uerba uide ĵ.libro 32. cap.3. except.4. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi miles sit testator.quæ replicatio approbatur l. ex militari.11.§.penult.ff.de test.militari,his uerbis*: Si miles incertus, an sui iuris sit, testamentum fecerit,in ea conditione est testamentum eius, ut ualeat. nam & si incertus, an pater suus uiuat, testamentum fecerit, testamentum eius ualebit. *Concordat l.Aristo.9. in fine. ff.de iure codicill. cuius uerba uide ĵ.cap.25. quæst.4. exceptione 2.*

XIX. Exceptio: *Nisi testator apud hostes captiuus sit. Hæc exceptio approbatur Institut.quibus non est permissum.§.fin.his uerbis*: Eius qui apud hostes est, testamentum quod ibi fecit, non ualet, quamuis redierit. sed quod dum in ciuitate fuerat fecit, siue redierit, ualet iure postliminij: siue illic decesserit, ualet ex lege Cornelia. *Concordat l.eius qui.8. in prin. ff. qui testam.facere possunt,his uerbis*: Eius qui apud hostes est,testamentum quod ibi fecit, non ualet,quamuis redierit. *Huius exceptionis replicatio prima uidetur esse: Nisi testator ab hostibus redierit. Quæ tamen replicatio reprobatur uerbis d. §.fin. & d.l.8.iam propositis hisce*: Quamuis redierit. *Altera replicatio est:Nisi antequam ad hostes perueniret, testamentum fecerit. Hæc replicatio approbatur uerbis d.§.fin. iam propositis hisce*: Sed quod dum in ciuitate fuerat fecit,siue redierit,ualet iure postliminij: siue illic decesserit,ualet ex lege Cornelia. *Concordat l.bona.2. §.dari.ff.de bonor.possess.his uerbis*: Et eius qui apud hostes decesit, bonorum possessione admitti posse (quamuis in seruitute decedat (nulla dubitatio est. *Concordat item l.lege Corn.11.ff.qui test.facere poß.his uerbis*: Lege Cornelia testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserunt, perinde confirmantur, ac si hi qui ea fecissent, in hostium potestatem non peruenissent, & hæreditas ex his eodem modo ad unumquenque pertinet. Quare seruus hæres scriptus ab eo qui in hostium potestate decesserit,& liber & hæres erit,seu uelit,seu nolit: licet minus propriè necessarius hæres dicatur. Nam & filius eius qui in hostium potestate decesit, inuitus hæreditati obligatur:quamuis suus hæres dici non possit, qui in potestate morientis non fuit. *Concordat item l.lex Cornelia. 26.in prin.ff.de uulgari substit. cuius uerba uide ĵ.capite 14.except.169. Item concordat l.si pater.9. ff.de iniusto test. his uerbis*: Si pater ab hostibus capiatur,filio manente in ciuitate:reuerso eo, non rumpitur testamentum. *Tertia replicatio uidetur esse: Nisi obsidis loco apud hostes sit. Hæc replicatio reprobatur l.obsides.11.ff.qui test.facere possunt, his uerbis*: Obsides testari non possunt, nisi eis permittatur. *Quarta replicatio est:Nisi à latronibus,non hostibus,captus sit testator. Hæc replicatio approbatur l.qui à lat.13.in prin.ff.qui testam. facere possunt,his uerbis*: Qui à latronibus captũ sunt, cum liberi manent, possunt facere testamentum. *Quinta replicatio est:Nisi non tanquam captiuus, sed in legatione apud hostes uersetur. Hæc replicatio approbatur d.l. 13. in princ. his uerbis*: Qui apud exteros legatione funguntur, possunt facere testamentum. *Sexta replicatio est:Nisi miles captiuus testetur. Hæc replicatio reprobatur l.facere.10.ff.de militari test. cuius uerba uide ĵ.cap.18.dupl.2.*

XX. Exceptio: *Nisi socius omnium bonorum solus testamentum fecerit. Hæc exceptio reprobatur l.1. C.qui testam. facere poß. his uerbis*: Quanquam omnium bonorum socer tuus, itemq; frater eius socij fuerint: tamen non eo minus frater eius, cum fari munus impleret, testamento suo potuit sibi hæredem instituere quem uellet. Item non idcirco minus is testamenti factionem habet, quòd indiuisam successionem cum sorore sua dicatur habuisse.

XXI. Exceptio: *Nisi Imperator uel Augusta testamentum fecerit. Hæc exceptio reprobatur l.cum hæredes.7.in fine.C.eod.tt. cuius uerba uide ĵ. capite 17. replicat.5.*

Hactenus de exceptionibus aduersus testamenta, desumptis ex persona ipsius testatoris, sit dictum. Sed & plures huiusmodi exceptiones, ex consequentibus tamen testamenti factionem desumptas, uide ĵ.cap.19. Sed & una restat primi generis exceptio, de qua ĵ. cap.prox.

DE TESTAMENTO FILIIFAMILIÀS. CAP. VII.

XXII. Exceptio: *Nisi filiusfamiliàs testamentum fecerit. Hæc exceptio approbatur l.qui in.6. in prin. ff.qui testam.facere possunt, his uerbis*: Qui in potestate parentis est, testamenti faciendi ius non habet: adeò,ut quamuis pater ei permittat, nihilomagis tamen iure testari possit. *Concordat l.filiusfam.16. ibi: licet enim. ff.eod.tt.*

cuius uerba uide ſ. except. 82. Concordat item l.ſenium.3. ſ. fin. C.qui teſtament.facere poſſ. his uerbis: Filiam, quæ in poteſtate eſt, teſtamentum facere non poſſe, indubitati iuris eſt. *Concordat item Inſtit.quib.non eſt permiſſum, in prin. his uerbis:* Non omnibus licet facere teſtamentum. Statim enim ij qui alieno iuri ſubiecti ſunt, teſtamenti faciendi ius non habent: adeò quidem, ut quamuis parentes eis permiſerint, nihilomagis iure teſtari poſſint: exceptis ijs quos antea enumerauimus, & præcipuè militibus, qui in poteſtate parentum ſunt, quibus de eo quod in caſtris adquiſierunt, permiſſum eſt ex conſtitutionibus Principum teſtamentum facere. Quod quidem ius ab initio tantùm militantibus datum eſt tam ex authoritate diui Auguſti, quàm Neruæ, necnon optimi Imp. Traiani: poſtea uerò ſubſcriptione diui Hadriani etiam dimiſsis à militia, id eſt, ueteranis, conceſſum eſt. Itaq; ſi quidem fecerint de caſtrenſi peculio teſtamentum: pertinebit hoc ad eum, quem hæredem reliquerunt. Si uerò inteſtati deceſſerint, nullis liberis uel fratribus ſuperſtitibus: ad parentes iure communi pertinebit. *Ait Imperator:* Quamuis parentes eis permiſerint. *Hiſce uerbis reprobatur prima propoſitæ exceptionis replicatio hæc: Niſi parens filiofamiliâs teſtamentum facere permiſerit. Cui concordat l.qui in poteſtate.6. in prin. ibi quamuis pater.ff.qui teſtament.facere poſſ. cuius uerba uide §.ead.except. in prin. Secunda replicatio eſt: Niſi filiusfamiliâs miles de caſtrenſi peculio teſtamentum fecerit. Hæc replicatio approbatur uerbis §.propoſitis hiſce:* Exceptis ijs, quos antea enumerauimus, & præcipuè militibus, qui in poteſtate parentum ſunt, quibus de eo quod in caſtris adquiſierunt, permiſſum eſt ex cõſtitutionibus Principum teſtamentum facere. *Ait Imperator:* Quos antea enumerauimus. *ſcilicet titulo prox. de militari teſtamento. ſ.1. ibi: etſi filiifamiliarum. cuius uerba uide ſ. cap.18.duplic.20. item eod.tt. ſ. fin. cuius uerba uide ſ. replic. prox. Concordat propoſitæ replicationi l.filiifam.34.in prin.ff.de petit.hæred. his uerbis:* Filiifamiliâs militis puto peti poſſe hæreditatem ex teſtamento nobis obuenientem. *Item concordat l.bona.3. ſ.dari. ff.de bonorum poſſeſſ. his uerbis:* Dari bonorum poſſeſsio poteſt tam patrisfamiliâs, quàm filiifamiliâs, ſi modò ius teſtandi habuit de peculio caſtrenſi, uel quaſi caſtrenſi. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi dimiſſus à militia filiusfamiliâs de peculio caſtrenſi ſit teſtatus. Hæc duplicatio reprobatur uerbis Inſtit. quibus non eſt permiſſum, §.ead.except.in princ. propoſitis hiſce:* Quod quidem ius ab initio tantùm militantibus datum eſt tam ex authoritate diui Auguſti, quàm Neruæ, necnon optimi Imp. Traiani: poſtea uerò ſubſcriptioni diui Hadriani etiam dimiſsis à militia, id eſt, ueteranis, conceſſum eſt. *Concordat l.ult.ſ.ſed & ueterani. C.de inofficioſo teſt. cuius uerba uide ſ. lib.31. cap.4.quæſt.2.except.2. Secunda duplicatio eſt: Niſi ignominiæ cauſa filiusfamiliâs miles dimiſſus ſit. Hæc duplicatio approbatur l.teſtamenta.26.ſ.fin. ff.de militari teſtamento, his uerbis:* Ius teſtandi de caſtrenſi peculio, quod filiisfamiliâs militantibus conceſſum eſt, ad eos qui ignominiæ cauſa ſunt miſsi, non pertinet: quòd hoc præmij loco merentibus tributum eſt. *Tertia duplicatio eſt: Niſi nondum miles factus filiusfamiliâs, teſtatus ſit. Hæc duplicatio ipſo quidem iure ſubſiſtit: uerùm eius triplicatio hæc eſt: Niſi confeſtim cingi militiæ cingulo iuſſus ſit teſtatus. Hæc triplicatio approbatur l.penult.ff.eod.tt. his uerbis:* Filiusfamiliâs equeſtri militia exornatus, & in cõmitatu Principum retentus, cingi cõfeſtim iuſſus, teſtamentum de caſtrenſi peculio facere poteſt. *Quarta duplicatio eſt: Niſi filiusfamiliâs miles captus, apud hoſtes moriatur. Hæc duplicatio reprobatur l.filiusfam.14.in prin.ff.de caſtrenſi peculio, his uerbis:* Filiusfamiliâs miles ſi captus apud hoſtes uita fungatur, lex Cornelia ſubuenit ſcriptis hæredibus: quibus ceſſantibus, iure priſtinò peculium pater habebit. *Concordat l.ſi filius.39.ff.de militari teſt.his uerbis:* Si filiusfamiliâs miles apud hoſtes deceſſerit, dicemus legem Corneliam etiam ad eius teſtamentum pertinere. Sed quæramus, ſi pater eius prius in ciuitate deceſſerit, relicto nepote ex filio, an ſimiliter teſtamentum patris rumpatur? Et dicendum eſt, non rumpi teſtamentum: quia ex eo tempore, quo captus eſt, uidetur deceſsiſſe. *De hac re plura uide §.cap.prox.excep.19.repl.2. Quinta duplicatio eſt: Niſi filiusfamiliâs teſtator poſtea capite minutus fuerit, uel ſui iuris factus. Hæc duplicatio reprobatur l.miles.22.ff.de militari teſt.his uerbis:* Miles filiusfamiliâs ſi capite minutus fuerit, uel emancipatus, uel in adoptionem datus à patre ſuo: teſtamentum eius ualet, quaſi ex noua uoluntate. *Concordat l.ſi quis.6.ſ.fin. ff.de inuſto teſt.his uerbis:* Filiifamiliâs ueteráni, ſui iuris morte patris facti, teſtamentum irritum non fieri conſtat: nam quantum ad teſtandum de caſtrenſi peculio, pro patrefamiliâs habendus eſt. Et ideo nec emancipatione irritum fieri militis uel ueterani teſtamentum, uerum eſt. *Concordat item Inſt.de militari teſt.ſ.denique, etſi in adrogationem. cuius uerba uide ſ.cap.19.except.1.repl.2. Sexta duplicatio eſt: Niſi hæres ſcriptus etiam paterna bona petat. Hæc duplicatio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ habentur ſ.cap.18.dupl.27. Hæc de ſecũda replicatione eiuſq; duplicationib.ſunt dicta. Tertia replicatio eſt: Niſi filiusfamiliâs de quaſi caſtrenſi peculio ſit teſtatus. Hæc replicatio approbatur Inſtitut.eod.tt. ſ. fin. his uerbis:*

Sciendum

Sciendum eſt, quòd cum ad exemplum caſtrenſis peculij, tam anteriores leges, quàm principales conſtitutiones quibuſdã quaſi caſtrenſia dederant peculia, & horum quibuſdam permiſſum fuerat etiam in poteſtate degentibus teſtari: noſtra id conſtitutio latius extẽdens, permiſerit omnibus in huiuſmodi peculijs teſtari quidem, ſed iure communi. Cuius cõſtitutionis tenore perſpecto, licentia eſt nihil eorum, quæ ad præfatum ius pertinent, ignorare. *Conſtitutio, cuius hic fit mentio, habetur l.ult.C.de inoff.teſt.cuius uerba uide ſ.lib.31.cap.4.quæſt.2.except.2. Concordat item l.ult.C.qui teſt.facere poſſ.his uerbis:* Omnes omnino, quibus quaſi caſtrenſia peculia habere ex legibus conceſſum eſt, habeant licentiam in ea tantummodò ultimas uoluntates condere ſecũdum noſtræ conſtitutionis tenorem, quæ tálibus teſtamẽtis de inofficioſi querela immunitatẽ præſtitit. *Ait Imp.* Secundum noſtræ conſtitutionis tenorem. *Quæ eſt in d.l.ult.C.de inoff.teſt. Concordat item l.bona.3.ſ.dari.ff.de bonor.poſſeſſ.cuius uerba uide §.replic.prox in prin. Quarta replicatio eſt: Niſi de ijs rebus, quæ patri non adquirũtur, filiusfamiliâs teſtamentum fecerit. Hæc replicatio reprobatur l.nemo.11.C.qui teſt.facere non poſſunt, his uerbis:* Nemo ex lege quã nuper promulgauimus, in rebus quæ à parentibus adquiri non poſſunt, exiſtimet aliquid eſſe innouandum, & permiſſum fuiſſe filijsfamiliarum cuiuſcunq; gradus uel ſexus teſtamenta facere, ſiue ſine patris conſenſu bona poſſideant ſecundum noſtræ legis diſtinctionem, ſiue cum eorum uoluntate. Nullo etenim modo hoc eis permittimus: ſed antiqua lex per omnia conſeruetur, quæ filijsfamiliarũ, niſi in certis caſibus, tèſtamenta facere nullo modo concedit, & in huiuſmodi perſonis, quæ huiuſmodi facultatem habere iam conceſſæ ſunt. *Ait Imp.* Ex lege quam nuper promulgauimus. *Scilicet l.cum oportet.6. C.de bonis quæ liberis. cuius uerba uide §.lib.16.capite 2.quæſt.1. poſt except.15. Concordat l.cum non ſolùm.8. ſ. filijs autem familiarum. C.eod.tt. cuius uerba uide §.lib.16. cap.2.quæſt.4.reg.9. Quinta replicatio uidetur eſſe: Niſi filiusfamiliâs teſtator poſtea ſui iuris factus deceſſerit. Hæc replicatio reprobatur l.ſi filiusfam.19. ff.qui teſt.facere poſſ. cuius uerba uide §.cap.prox.except.2. repl.2. Concordat l.1.ſ.exigit.ibi: ſed etſi filius. ff.de bonor.poſſeſſ.ſecundum tabulas. cuius uerba uide §.d.replic.1. Concordat item Inſt.quib.non eſt permiſſum.ſ. præter hos igitur, his uerbis:* Præter hos igitur, qui caſtrenſe peculium, uel quaſi caſtrenſe habent, ſi quis alius filiusfamiliâs teſtamẽtum fecerit, inutile eſt, licet ſuæ poteſtatis factus deceſſerit. *Sexta replicatio eſt: Niſi filiusfamiliâs, deportato patre, teſtamentum fecerit. quæ replicatio approbatur l.in quæſtione.13.in prin.C.de ſententiã paſſis & reſtitutis. cuius uerba uide §.lib.3.cap.15.quæſt.2. reg.6. Hactenus de teſtamento filiifamiliâs, necnon de exceptionibus aliis aduerſus teſtamenta, ex perſona teſtatoris deſumptis, ſit dictum. Sequitur ſecundum genus exceptionum contra teſtamẽta, earum ſcilicet quæ ſumuntur ex perſonis teſtium.*

DE TESTIBVS TESTAMENTI. Cap. VIII.

XXIII. *Exceptio: Niſi non ſeptem teſtes teſtamenti factioni interfuerint. Hæc exceptio approbatur l.ſi unus.11.in prin.C.de teſtamentis, hiſce uerbis:* Si unus de ſeptem teſtibus defuerit, uel coram teſtatore omnes eodem loco teſtes ſuo uel alieno annulo non ſignauerint: iure deficiet teſtamentum. *Concordat Inſtit.de teſtamẽtis ordinãdis. ſ. ſed quum paulatim, hiſce uerbis:* Quum paulatim tam ex uſu hominum, quàm ex conſtitutionum emendationibus cœpit in unam conſonantiá ius ciuile & prætorium iungi: conſtitutum eſt, ut uno eodemq; tempore (quod ius ciuile quodammodò exigebat) ſeptẽ teſtibus adhibitis, & ſubſcriptione teſtium (quod ex cõſtitutionibus inuentum eſt, & ex edicto Prætoris) ſignacula teſtamentis imponerentur: ita ut hoc ius tripartitum eſſe uideatur. Et teſtes quidem, & eorum præſentia uno cõtextu teſtamenti celebrandi gratia, à iure ciuili deſcendãt: ſubſcriptiones autem teſtatoris & teſtium ex ſacrarum conſtitutionum obſeruatione adhibeantur: ſignacula autem & teſtium numerus ex edicto Prætoris. Sed his omnibus à noſtra conſtitutione propter teſtamentorum ſynceritatem, ut nulla fraus adhibeatur, hoc additum eſt, ut per manus teſtatoris uel teſtium nomen hæredis exprimatur, & omnia ſecundum illius conſtitutionis tenorem procedant. *Concordat item l.2. C.de bonor.poſſeſſ.ſecundum tabulas, his uerbis:* Bonorum quidem poſſeſſionẽ ex edicto Prætoris non niſi ſecũdum eas tabulas, quæ ſeptem teſtium ſignis ſignatæ ſint, peti poſſe, in dubitum non uenit. Verùm ſi eundem numerum adfuiſſe ſine ſcriptis teſtamẽto condito doceri poteſt: iure ciuili teſtamẽtũ factum uideri, ac ſecundum nuncupationem bonorũ poſſeſsionẽ deferri, explorati iuris eſt. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi morbo contagioſo teſtator laborauerit. Hæc exceptio tractatur l.caſus.8. C.de teſtamentis, hiſce uerbis:* Caſus maioris ac noui contingẽtis ratione aduerſus timorem contagionis, quæ teſtes deterret, licet aliquid de iure laxatum eſt: non tamen prorſus reliqua teſtamentorum ſolẽnitas petempta eſt. Teſtes enim huiuſmodi morbo oppreſſos, eo tempore iungi atq; ſociari remiſſum eſt, non etiam conueniendi numeri eorũ obſeruatio ſublata eſt.

Secunda

XLI. Exceptio: *Nisi is qui est in potestate testatoris, testamento testis sit adhibitus. Hæc exceptio approbatur d.l.20. in princ. ibi: si in potestate sit testatoris. Concordat Instit. de test. ordin. §. in testibus, his uerbis:* In testibus non debet esse is, qui in potestate testatoris est.

XLII. Exceptio: *Nisi is quem testator ab hostibus redemit, testis sit adhibitus. Hæc exceptio approbatur d.l.20. §.1. his uerbis:* Potestatis autem uerbum non solùm ad liberos qui sunt in potestate, referēdum est: uerùm etiam ad eum quem redemit ab hostibus: quamuis placeat hūc seruum non esse, sed uinculo quodam retineri, donec precium soluat.

XLIII. Exceptio: *Nisi pater uel frater testatoris testis sit adhibitus. Hæc exceptio approbatur Instit. de test. ord. §. sed si filiusfam. his uerbis:* Si filiusfamiliās de castrensi peculio post missionem faciat testamentum, nec pater eius rectè adhibetur testis, nec is qui in potestate eiusdē patris est: reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ante missionem filiusfamiliās miles de castrensi peculio testamentum fecerit. quæ replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Post missionem. *Concordat l. qui testamento. 20. §. per contrarium. ff. qui test. facere poss. his uerbis:* Quæri potest, an pater eius qui de castrensi peculio potest testari, adhiberi ab eo ad testamentū testis possit? Et Marcellus lib. X. Digest. scripsit posse. Ergo & frater poterit.

XLIIII. Exceptio: *Nisi is qui tabulas testamenti scripsit, testis quoq; in eodem testamento adhibitus sit. Hæc exceptio reprobatur l. Domit. 27. ff. qui test. facere poss. his uerbis:* Domitius Labeo Celso suo S. Quæro an in testium numero habendus sit is, qui cum rogatus est ad testamentum scribendum, idem quoq; cum tabulas scripsisset, signauerit? Iubentius Celsus Labeoni suo S. Aut non intelligo quid sit de quo me consulis, aut ualde stulta est cōsultatio tua. Plus enim quàm ridiculum est dubitare, an aliquis iure testis adhibitus sit, quoniam idem & tabulas testamenti scripserit.

XLV. Exceptio: *Nisi plures testes ex eadem domo testamento adhibiti sint. Hæc exceptio reprobatur Instit. de test. ord. his uerbis:* Pater, necnon is qui in potestate eius est, item duo fratres qui in eiusdem patris potestate sunt, utiq; testes in uno testamento fieri possunt: quia nihil nocet, ex una domo plures testes alieno negocio adhiberi. *Concordat l. ad testium. 22. in prin. ff. qui test. facere possunt, his uerbis:* Ad testium numerum simul adhiberi possumus ego & pater, & plures qui fuimus in eiusdem potestate.

XLVI. Exceptio: *Nisi testis testamento adhibitus non fuerit ad id uocatus, sed casu interuenerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. hæredes. 21. §. in testamentis. ff. d. tt. his uerbis:* In testamentis, in quibus testes rogati adesse debent, ut testamentum fiat: alterius rei causa forte rogatos, ad testandum non esse idoneos placet. Quod sic accipiendum est, ut licet ad aliam rem fint rogati, uel collecti: si tamen antè certiorentur ad testamentum se esse adhibitos, posse eos testimonium suum rectè perhibere. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi casu interuenienti testi indicetur, ad testamentum se testem adhiberi. quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Quod sic accipiendum est, &c. *Altera replicatio est: Nisi ad testamentum scribēdum sit uocatus: tunc enim, quamuis non ut testis rogatus sit, testis tamen esse potest. quæ replicatio approbatur l. Domitius. 27. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 44.*

XLVII. Exceptio: *Nisi testis inuitus detentus sit. Hæc exceptio approbatur l. qui testamento. 20. §. fin. ff. qui test. facere poss. his uerbis:* Si testes ibi detenti sint inuiti, putant non ualere testamentum.

XLVIII. Exceptio: *Nisi testis non fuerit præsens. Hæc exceptio approbatur l. si non. 9. C. de testamentis, hisce uerbis:* Si non speciali priuilegio patriæ tuæ iuris obseruatio relaxata est, & testes non in conspectu testatoris testimoniorum officio functi sunt, nullo iure testamentum ualet. *Concordat l. si unus. 12. in prin. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 23.*

XLIX. Exceptio: *Nisi testis non ab initio usq; ad finem testationis perseuerauerit. Hæc exceptio approbatur l. qui testamento. 20. §. fin. ff. qui test. facere possunt, his uerbis:* Et uetères putauerunt, eos qui propter solennia testamenti adhibeantur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi morbus contagiosus testatorem inuaserit. quæ replicatio approbatur l. casus. 8. C. de testamentis. cuius uerba uide §. except. 23. repl. 1. Secunda replicatio est: Nisi alio tempore testamentum dictatum & scriptum sit: tunc enim sufficit testes eo tempore adesse, quo audiant hoc esse testamentum, eiq; subscribant, signaculaq; sua imponant. quæ replicatio approbatur l. hac consultissima. 21. §. in omnibus. C. eod. tt. his uerbis:* In omnibus testamentis, quæ præsentibus uel absentibus testib. dictantur, superfluum est uno eodemq; tempore exigere testatorem & testes adhibere, & dictare suum arbitrium, & finire testamentum: sed licet alio tempore dictatum scriptúmue proferatur testamentū, sufficiet uno tempore, eodémque die, nullo actu interueniente, testes omnes, uidelicet simul nec diuersis temporib. subscribere, signareq; testamentum. Finem autem testamenti subscriptiones & signacula testium esse decernimus: nō subscriptum nanq; à testibus ac signatum testamentum pro infecto haberi conuenit.

DE EX-

DE EXCEPTIONIBVS ADuersus testamenta, sumptis ex causa & adiunctis seu actionibus testamentarijs, necnon ex testamenti uerbis.

Cap. IX.

HActenus de altero quoque exceptionum genere, sumptarū scilicet ex personis testiū. *Sequitur tertium genus exceptionum, ex causa & adiunctis seu actibus testamentarijs sumptum, necnon ex testamenti uerbis.*

L. Exceptio: *Nisi testator coactus testamentum fecerit. Hæc exceptio approbatur l. 1. C. si quis aliquem testari, his uerbis:* Ciuili disceptationi crimen adiungitur, si testator non sua sponte testamentum fecit: sed compulsus ab eo qui hæres est institutus, uel à quolibet alio, quos noluerit, scripsit hæredes. *Huius exceptionis replicatio hæc esse uidetur: Nisi testator non ab hærede, sed ab alio quodam coactus, testamentum fecit. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Vel à quolibet alio, &c. *Huic exceptioni adfinis est illa: Nisi testator testamentum facere uel mutare prohibitus sit. de qua uide ī. cap. 21. except. 35.*

LI. Exceptio: *Nisi hæres scriptus blando sermone testatori, ut testamentum faceret, persuaserit. Hæc exceptio reprobatur l. iudicium. 3. C. d. tt. his uerbis:* Iudicium uxoris postremum in se prouocare maritali sermone, nō est criminosum. *Concordat l. uirum. 3. ff. eod. tt. cuius uerba uide ī. cap. 21. except. 35. repl. 1. Concordat item l. captatorias. 68. ff. de hæred. instituen. cuius uerba uide infrà cap. 12. except. 107.*

LII. Exceptio: *Nisi non continuo actu testamentum factum sit, sed alieno actu interueniente. Hæc exceptio approbatur l. hæredes. 21. §. fin. ff. qui test. facere poss. his uerbis:* Vno contextu actionis testari oportet. Est autem uno contextu, nullum alienum actum testamento intermiscere. Quòd si aliquid pertinēs ad testamentū faciet, testamentū non uiciatur. *Concordat Inst. de test. ordin. §. sed quum paulatim. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 23. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi actus interuenient ad testamētum pertineat. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quòd si aliquid pertinens ad testamentū faciet, testamentū non uiciatur. *Secunda replicatio est: Nisi alienus actus necessitate naturali interuenerit. quæ replicatio approbatur l. cum antiq. 28. in prin. C. de testamētis, hisce uerbis:* Cū antiquitas testamēta fieri uoluerit, nullo actu interueniente, & huiusmodi uerborum cōpositio nō ritè interpretata, pœnè in perniciem & testantium & testamentorum processerit: sancimus, in tēpore quo testamentum conditur, uel codicillus nascitur, uel ultima quædam dispositio secundum pristinā obseruationē celebratur (nihil enim ex ea penitùs immutandum esse censemus) ea quidem quę minimè necessaria sunt, nullo pro cedere modo: quippe causa subtilissima proposita, ea quæ superflua sunt, minimè debent intercedere. Si quid aūt necessariū euenerit, & in ipsum corpus laborantis respiciens contigerit, id est, uel uictus necessarij, uel potionis oblatio, uel medicaminis datio uel impositio, quibus relictis ipsa sanitas testatoris periclitetur, uel si quis necessarius naturæ usus ad depositionem superflui pōderis immineat uel testatori uel testibus: nō esse ex hac causa testamentū subuertendum, licet morbus comitialis (quod & factū esse cōperimus) uni ex testib. cōtigerit: sed eo quod urget & imminet repleto uel deposito, iterū per testamēti factionē solita adimpleri. Et liquidē à testatore aliquid fiat, testib. paulisper separatis, cū corā his face re aliquid naturale testator erubescat: iterū introductis testibus, cōsequentia factionis testamenti procedere. Si tamen in quendā uel quosdam testiū aliquid tale contingat: siquidē ex breui tēporis interuallo necessitas potest transire: iterum eorundē testium reuersum expectari, & solennia perāgi sancimus. Sin aūt longiore spacio refectio fortuiti casus indigeat, & maximè si salus testatoris periclitantis immineat: tunc illo uel illis testibus, circa quos aliquid tale eueniet, separatis, alios subrogari, & ab eo uel ab eis tam testatorem quàm alios testes scisciari, si ea quę eorū præsentiā antecedunt, omnia coram ijs processissent. Et si hoc fuerit undiq; manifestū, tunc eos uel eum unà cū alijs testibus ea quæ oportet facere, etsi in medio subscriptiones testiū iam fuerāt subsecutæ. Sic etenim & naturæ medemur, & mortuorū elogia in suo statu facimus permanere. *Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi alio tempore testamentū dictatum atq; scriptū sit. hoc enim casu alio tempore testes licet uocare, & coram ijs testamentū proponere, subscriptionesq; & signacula eorum exigere. quæ replicatio approbatur l. hac consultissima. 21. §. in omnibus. C. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 49. repl. 2. Quarta replicatio uidetur: Nisi testamentū sit nuncupatiuum. Hæc replicatio reprobatur d. l. 21. §. per nuncupat. cuius uerba uide §. except. 15. repl. 6.*

LIII. Exceptio: *Nisi hæres non sit palàm nuncupatus. Hæc exceptio approbatur l. hæredes. 21. in prin. ff. qui test. facere poss. his uerbis:* Hæredes palàm, ita ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. licebit ergo testanti hæredes uel nuncupare, uel scribere. Sed si nuncupat, palàm debet: Quid est palàm? non utiq; in publicum, sed ut exaudiri possit. Exaudiri autem non ab omnibus, sed à testibus. Et si plures fuerint testes adhibiti, sufficit solennē numerū exaudire. *Concordat l. iubemus. 29. C. de testamentis,*

biſce uerbis: Iubemus omnino teſtatorẽ, ſi uires habeat ad ſcribendum, nomen hæredis uel hæredũ in ſua ſubſcriptione uel in quacunq; parte teſtaméti ponere: ut ſit manifeſtum, ſecundum illius uoluntatem hæreditatem eſſe tranſmiſſam. Sin autẽ forſitan ex morbi acerbitate uel literarũ imperitia hoc facere minimè potuerit, teſtibus teſtamenti præſentibus nomen uel nomina hæredis uel hæredum ab eo nuncupari: ut omnimodò ſciant teſtes qui ſint ſcripti hæredes, & ita certo hæredis nomine ſucceſsio procedat. Si enim talis eſt teſtator, qui neq; ſcribere, neq; articulatè loqui poteſt: mortuo ſimilis eſt, & falſitas in elogijs committitur: quam ut exul fiat à republica noſtra, maximè in teſtamentorum confectione, cupientes, hanc edictalem legem in orbem terrarũ ponimus. Quod ſi nõ fuerit obſeruatum, & nomen hæredes uel hæredũ non fuerit mani teſtatoris ſcriptum, uel uoce coram teſtibus nuncupatum: hoc teſtamẽtum ſtare minimè patimur, uel in totum, ſi tota hæredũ nomina fuerunt prætermiſſa: uel in eius hæredis inſtitutionem, cuius nomen neq; lingua, neq; manus teſtatoris ſignificauit. Sed ne aliqua forſitan obliuio teſtium animis incumbat, pluribus interdum nominibus hęredum expreſsis: ipſi teſtes in ſuis ſubſcriptionibus (cum teſtator hæc non ſcripſerit, ſed nuncupauerit) eorum nomina ſubſcribere nõ differant, ad æternam rei memoriam. Sin uerò ipſe teſtator in qualicũq; parte teſtamenti nomina hæredũ (ſicut dictum eſt) ſcripſerit: ſuperuacuum eſt teſtes in ſua ſubſcriptione hoc exprimere: cum forſitan nec eos ſcire teſtator ſuos hæredes uoluit, & ſemel cauſa ex ipſius teſtatoris ſcriptura appareat. Oportet enim omnimodò uel ex literis teſtatoris, uel ex uoce quidem teſtatoris, literis autem teſtium, qui ad elogium conficiendum fuerint conuocati, nomina manifeſtari hæredum. quemadmodum enim in elogio, quod ſine ſcriptura conficitur, neceſſe eſt teſtatorem uoce exprimere nomen uel nomina hæredum: ita oportet & in teſtamentis per ſcripturam conficiendis, cum ipſe teſtator manu ſua ſcribere hæredes uel noluerit, uel minimè potuerit, uoce tamen eius eos manifeſtari. Quæ in poſterum tantummodò obſeruari cenſemus: ut quæ teſtamenta poſt hanc nouellam noſtri numinis legem conficiantur, hęc cum tali obſeruatione procedant. Quid enim antiquitas peccauit, quæ præſentis legis inſcia priſtinam ſecuta eſt obſeruationẽ? Scituris etiam tabellionibus, & his qui conficienda teſtamenta procurant, quòd ſi aliter facere auſi fuerint, pœnam falſitatis non euitabunt, quaſi doloſè in tam neceſſaria cauſa uerſati. *Hactenus exceptio propoſita approbatur, cuius replicatio prima hæc eſt: Niſi teſtator hæredis nomen ſua manu ſcripſerit: tunc enim non eſt opus nuncupatione. quæ replicatio conſtat ex uerbis d.l.29.iam propoſitis. item ex uerbis d.l.21.in prin. §.propoſitis biſce*: Licebit ergo teſtanti hæredes uel nuncupare, uel ſcribere. *Altera replicatio eſt: Niſi teſtator clauſam teſtamentũ teſtibus proponat. quæ replicatio approbatur l.hac conſ.21.in prin. C.de teſtamentis, biſce uerbis*: Hac conſultiſsima lege ſancimus, licere per ſcripturam conſcientibus teſtamentum (ſi nullum ſcire uolunt ea quę in eo ſcripta ſunt) conſignatam, uel ligatã, uel tãtùm clauſam, inuolutamq; proferre ſcripturam, uel ipſius teſtatoris uel cuiuslibet alterius manu conſcriptã, eamq; rogatis teſtibus ſeptem numero ciuib. Romanis puberibus omnibus ſimul offerre ſignandam & ſubſcribendam: dum tamẽ teſtibus præſentibus teſtator ſuum eſſe teſtamentum dixerit quod offertur, eiq; ipſe coram teſtibus ſua manu in reliqua parte teſtamenti ſubſcripſerit. Quo facto, & teſtibus uno eodemq; die ac tempore ſubſcribentibus & conſignantibus, teſtamentum ualere, nec ideo infirmari, quòd teſtes neſciant quæ in eo ſcripta ſunt teſtamento. Quòd ſi literas teſtator ignoret, uel ſubſcribere nequeat: octauo ſubſcriptore pro eo adhibito, eadem ſeruari decernimus. *Concordat Inſt.de pupillari ſubſtit. §.ſin autem quis, biſce uerbis*: Si quis ita formidoloſus ſit, ut timeat, ne filius ſuus pupillus adhuc ex eo, quòd palàm ſubſtitutum acceperit, poſt obitum eius periculo inſidiarum ſubiaceat: uulgarem quidem ſubſtitutionem palàm facere, & in primis teſtamenti partibus ordinare debet. Illam autem ſubſtitutionem, per quam, ſi hæres exiterit pupillus, & intra pubertatem deceſſerit, ſubſtitutus uocatur: ſeparatim in inferioribus partibus ſcribere, eámque partem propriolino, propriaq; cera conſignare, & in priore parte teſtamenti cauere, ne inferiores tabulæ uiuo filio & adhuc impubere aperiantur. Illud palàm eſt, non ideo minus ualere ſubſtitutionem impuberis filij, quòd in eiſdem tabulis ſcripta ſit, quibus ſibi quiſque hæredem inſtituiſſet. *Propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi teſtator coram teſtibus non palàm dixerit, hoc ſuum eſſe teſtamentum. Altera duplicatio eſt: Niſi teſtator non ſua manu teſtamento ſubſcripſerit. Hæ duæ duplicationes approbãtur uerbis §.propoſitis biſce*: Dum tamen teſtibus præſentibus teſtator ſuum eſſe teſtamentum dixerit quod offertur, eiq; ipſe coram teſtibus ſua manu in reliqua parte teſtamenti ſubſcripſerit. *Huius poſterioris duplicationis triplicatio prima hæc eſt: Niſi teſtatore ſcribere non ualente, octauus aliquis pro eo ſubſcripſerit. quæ triplicatio approbatur uerbis §. propoſitis biſce*: Quòd ſi literas teſtator ignoret, &c. *Altera propoſitæ ſecundæ duplicationis triplicatio hæc eſt: Niſi teſtator ſua manu teſtamentum ſcripſerit. Quæ triplicatio approbatur l.cum antiquitas.28.§.cum autẽ.C.eod.tt.de teſtamentis. cuius uerba uide ſ.except.74.*

LIIII. *Exceptio: Niſi error interuenerit. Hæc exceptio approbatur l.quoties.9.in prin.ff.de hæred. inſt.his uerbis*: Quoties uolens alium hæredẽ ſcribere, alium ſcripſerit, in corpore hominis errans (ueluti frater meus, patronus meus) placet neq; eum hæredem eſſe qui ſcriptus eſt, quoniam uoluntate deficitur: neq; eum quem uoluit, quoniam ſcriptus nõ eſt. Et ſi in re quis errauerit (utputa dum uult lancem relinquere, ueſtem leget) neutrum debebit. Hoc ſiue ipſe ſcripſit, ſiue ſcribendum dictauit. *Concordat l.ſi pater.4.C.de hæred. inſt.his uerbis*: Si pater tuus eum quaſi filium ſuum hęredem inſtituit, quẽ falſa opinione ductus, ſuum eſſe credebat, nõ inſtituturus ſi alienum noſſet, isq; poſtea ſubditus eſſe oſtenſus eſt: auferendam ei ſucceſsionẽ, diui Seueri & Antonini placitis continetur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi non in corpore, ſed in nomine ſit erratum. Hæc replicatio approbatur l.ſi ita.8.§.ſed & cum.ff.de bonor.poſſeſs. ſecund.tabulas, his uerbis*: Cum in prænomine & cognomine erratũ eſt, is ad quem hæreditas pertinet, etiam bonorũ poſſeſsionẽ accipiet. *Concordat Inſt.de legatis, §.ſi quidẽ nomine. cuius uerba uide ſ.cap.6.except.69.repl.1. Item concordat l.ſi in.4. C.de teſtamentis, biſce uerbis*: Si in nomine, prænomine, ſeu cognomine teſtator errauerit, nec tamen de quo ſenſerit incertum ſit: error huiuſmodi nihil officit ueritati. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi in ſuo nomine teſtator erraſſe dicatur. Hæc duplicatio approbatur l.eũ in.14.C.de hæred.inſt.his uerbis*: Cũ in libris Vlpiani, quos ad Maſſurium Sabinũ ſcripſit, talis ſpecies relata eſt, hanc apertius expedire nobis uiſum eſt. Quidam teſtamẽtum faciens ita inſtituit: Sempronius Plotij hæres eſto. Veteres quidem exiſtimabant errorem nominis eſſe, & ſic inſtitutionem ualere, quaſi teſtator Plotius nominaretur, & Sempronium ſibi ſcripſiſſet hæredẽ. Sed huiuſmodi ſententiam craſsiorem eſſe exiſtimamus: neque enim ſic homo ſupinus, imò magis ſtultus inuenitur, ut ſuum nomen ignoret. Sed ſiquidem ipſe teſtator Plotio cuidam hæres extitit: manifeſtũ eſt, ſibi Sempronium hæredẽ inſtituiſſe, ut per mediam ipſius teſtatoris perſonam Plotij hæres efficiatur. Et hoc argumentamur ex antiqua regula, quæ uoluit hæredem hæredis teſtatoris eſſe hęredem. Sin autem nihil tale factum eſt, ſuperuacuam eſſe & inanẽ huiuſmodi inſtitutionem: niſi prius hęrede Plotio ſibi inſtituto, ſic adiecit, Sempronius Plotij hæres eſto: tunc etenim exiſtimandum eſt eum dixiſſe, Si non Plotius hæres ſibi fuerit, tunc Sempronium in totum partẽmue Plotij ex ſubſtitutione uocari: ita ut ex conſequentia uerborum Plotius quidẽ inſtitutus, Sempronius autem ſubſtitutus inueniatur. Sin autẽ neq; ipſe teſtator Plotio hæres extitit, neq; Plotium hęredem antea ſcripſit, & ſic Sempronium Plotio hæredem eſſe uoluit: nullius eſſe momenti talem inſtitutionem: cum non ſit uerisimile, in ſuum nomen quenquam erraſſe. *Hæc de prima replicatione, de qua plura uide ſ. except.prox. Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi in parte inſtitutionis ſit erratum. quæ replicatio approbatur l.quoties.9.§.1.ff.de hæredib.inſtit.his uerbis*: Si non in corpore errauit, ſed in parte (puta cum dictaſſet ex ſemiſſe aliquem ſcribi, ex quadrante ſit ſcriptus) Celſus libro XI. Digeſt. poſſe defendi ait, ex ſemiſſe hæredem fore: quaſi plus nuncupatũ ſit, minus ſcriptum. Quæ ſententia reſcriptis adiuuatur generalibus. Idemq; eſt, & ſi ipſe teſtator minus ſcribat, cum plus uellet adſcribere. Sed ſi maiorem partem adſcripſerit teſtamentarius, uel (quod difficilius eſt probatu) ipſe teſtator, ut pro quadrante ſemiſſem: Proculus putat, ex quadrante fore hæredẽ: quoniam inſit quadrans in ſemiſſe. Quam ſententiã & Celſus probat. Sed & ſi quis pro centum ducenta per notam ſcripſit, idem iuris eſt. Nam & ibi utrunq; ſcriptum eſt, & quod uoluit & quod adiectũ eſt. Quæ ſententia non eſt ſine ratione. *Concordat l.errore.7. C.de teſtamentis. cuius uerba uide ſ. except.59. Tertia replicatio eſt: Niſi error circa conditionem inſtitutionis interuenerit. Hæc replicatio approbatur ſimul & diſtinguitur d.l.9. §.tantundem, his uerbis*: Tantundem Marcellus tractat & in eo qui conditionem deſtinans inſerere, non addidit: nam & hũc pro non inſtituto putat. Sed ſi conditionem addidit, dum nollet: ea detracta hæredem futurum, nec nuncupatum uideri quod contra uoluntatem ſcriptum eſt. Quam ſententiam & ipſe & nos probamus. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi conditio per errorem non addita, ſed omiſſa uel mutata ſit. quæ duplicatio ex uerbis tam propoſitis conſtat. Concordat ibidem §.idem tractat, his uerbis*: Idem Marcellus tractat, etſi teſtamentarius contra uolũtatem teſtatoris conditionem detraxit, uel mutauit: hæredem non futurum, ſed pro nõ inſtituto habendum. *Quarta replicatio eſt: Niſi error in eo ſit commiſſus, quòd putauerit teſtator, eum qui iam natus eſt, adhuc in utero eſſe. Hæc replicatio approbatur l.Titius.25.§.*

Lucius. ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide ꝛ. cap.12.except.114. Quinta replicatio est: *Nisi error in eo sit commissus, quòd cum unum hæredem instituere uellet, duos instituit. Hæc replicatio approbatur d. l.9.§.sed si cum, his uerbis:* Si cum primum hæredē ex parte dimidia scribere destinasset, primum & secundum scripsit: solus primus scriptus hæres uidebitur, & solus hæres existet, quasi ex parte dimidia institutus. *Sexta replicatio uidetur: Nisi non testator, sed is qui testamentum scripsit, errorem commisit. Hæc replicatio reprobatur d.l.9.in prin.ibi: hoc siue ipse scripsit. cuius uerba uide ꝛ.ead.except.in prin. Planè approbari uidetur l.errore.7.C.de testamentis. cuius uerba uide ꝛ.except.59. item l.ambiguitates.24.C.eod.tt. cuius uerba uide ꝛ.except.61.repl.2.*

L V. *Exceptio: Nisi falsa demonstratio facta sit. Hæc exceptio reprobatur l.his uerbis.46.§.fin. ff. de hæred.inst.his uerbis:* Si in patre, uel patria, uel alia simili adsumptione falsum scriptū est, dum de eo qui demonstratus sit, constet: institutio ualet. *Concordat l.neque.5.C.de testamentis. cuius uerba uide ꝛ.lib.7.cap.2.quæst.3.de eo an filius sit, reg.2. Concordat l.1.C.de necessarijs hæredibus. cuius uerba uide ꝛ. lib.19.cap.4.causa 2. Concordat item l.nemo.56.in fine.ff.de hæredibus instit. hisce uerbis:* Qui frater non est, si fraterna charitate diligitur: rectè cum suo nomine sub appellatione fratris hæres instituitur. *Concordat item l.non ideo.5.C.de hæredib.inst.his uerbis:* Non ideo minus uxor iure hæres uidetur instituta, quòd non uxor, sed adfinis testamento nominata est.

L V I. *Exceptio: Nisi hæres proprio nomine nuncupatus uel scriptus non sit. Hæc exceptio approbatur l.ut scriptus.12.in princip. ff. de bonor.possf.secundum tabulas, his uerbis:* Vt scriptus hæres agnoscere possit bonorū possessionem, exigendum puto, ut & demonstratus sit propria demonstratione, & portio adscripta ei inueniri possit, licet sine parte institutus sit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi signo indubitabili hæres demonstratus sit. Hæc replicatio approbatur l.quoties.9.§.si quis nomen. ff.de hæred.instit. his uerbis:* Si quis nomen hæredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo eum demonstrauerit, quod penè nihil à nomine distat (non tamen eo quod contumeliæ causa solet addi) ualet institutio. Hæres enim institui, nisi certus demonstretur, non potest. *Concordat l.nemo.56.in princip.ff.eod.tt.his uerbis:* Nemo dubitat, rectè ita hæredem nūcupari posse, Hic mihi hæres esto: cum sit coràm qui ostenditur. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi contumelioso nomine hæres sit nuncupatus. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Non tamen eo quod contumeliæ causa solet addi. *Huius proponitur triplicatio l.his uerbis.46.§.1. ff. eod.tt.his uerbis:* Illa institutio ualet: Filius meus impijssimus, malè de me meritus, hæres esto. purè enim, &c.

L V I I. *Exceptio, sumpta ex uerbis testamenti, reprobatur l.quoniam.15.C.de testamentis, hisce uerbis:* Quoniam indignum est, ob inanem obseruationē irritas fieri tabulas & iudicia mortuorum: placuit, ademptis his quorum imaginarius usus est, institutioni hæredis uerborum non esse necessariam obseruantiam, utrum imperatiuis & directis uerbis fiat, aut inflexis. Nec enim interest, si dicatur, Hæredem facio, uel instituo, uel uolo, uel mando, uel cupio, uel esto, uel erit: sed quibuslibet confecta sententijs, in quolibet loquendi genere formata institutio ualeat: si modò per eam liquebit uoluntatis intentio. nec necessaria sint mométa uerborum, quæ fortè feminecis & balbutiens lingua profudit. Et in postremis ergo iudicijs ordinandis amota erit solennium sermonum necessitas: ut qui facultates proprias cupiunt ordinare, in quacunq; instrumenti materia conscribere, quibuscunque uerbis uti liberam habeant facultatem. *Concordat l.hac consultissima.21.§.fin.C.eod.tt.his uerbis:* Illud huic legi prospeximus inferendū, ut etiam Græcè omnibus liceat testari. *Concordat item l.his uerbis.46.in prin.ff.de hæred.instit. his uerbis:* His uerbis, Titius hæreditatis meæ dominus esto: rectè institutio fit.

L V I I I. *Exceptio: Nisi tribus uel quinque tantùm uerbis testamentum fit factum. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.qui neque.ff.de hæredibus instit.his uerbis:* Qui neque legaturus est quid, neque quenquam exhæredaturus, quinque uerbis potest facere testamentum: ut dicat, Lucius Titius mihi hæres esto. Hæc autē scriptura pertinet ad eum, qui non per scripturam testatur, qui poterit etiam tribus uerbis testari: ut, Lucius hæres esto: nam & mihi & Titius abundat.

L I X. *Exceptio: Nisi oratio non sit perfecta. Hæc exceptio reprobatur d.l.1.§.si ex fundo, usq; ad finem legis, hisce uerbis:* Sin autem sic scribat, Lucius hęres: licet nō adiecerit, esto: credimus plus nuncupatum, minus scriptum. Et si ita, Lucius esto: tantundem dicimus. Ergo & si ita, Lucius solummodò: Marcellus non inique non putat hodie hoc procedere. Diuus autem Pius, cum quidam portiones inter hæredes distribuisset ita, Ille ex parte tota, ille ex tota: nec adiecisset, Hæres esto: rescripsit, ualere institutionem. Quod & Iulianus scripsit. Item diuus Pius rescripsit, ibi, Vxor mea esto: institutionem ualere, licet deesset Hæres. Idem Iulianus, Illum hæredē esse, non putauit ualere: quoniā deesset aliquid. Sed & ipsa ualebit, subaudito

audito iubeo. *Concordat l.errore.7.C.de testamentis, hisce uerbis:* Errore scribentis testamentum iuris solennitas mutilari nequaquam potest, quando minus scriptum, plus nuncupatum uidetur. Et ideo rectè testamento condito, quanquam desit, Hæres esto: consequens est, existente hærede, legata siue fideicommissa iuxta uoluntatem testatoris oportere dari.

L X. *Exceptio: Nisi eadem res diuersis nominibus sit appellata. Hæc exceptio reprobatur l.testamentū. 17.C.de testamentis. cuius uerba uide ꝛ. lib.7. capite 3, quæst.5.except.14.*

L X I. *Exceptio: Nisi dubia & ambigua testatoris oratio fuerit. Hæc exceptio approbatur l.in tempus.60.§.quoties. ff.de hæred.inst. his uerbis:* Quoties nō apparet quis hæres institutus sit, institutio non ualet. Quod planè euenire potest, si testator cōplures amicos eodem nomine habeat, & ad designationem nominis singulari nomine utatur: nisi ex alijs apertissimis probationibus fuerit reuelatū, de qua persona testator senserit. *Concordat l.Quintus. 71.§.quæ in testamento. ff. de reg.iuris, hisce uerbis:* Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi nō possint, perinde sunt, ac si scripta nō essent. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi alijs apertissimis probationibus uoluntas testatoris constet. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi ex alijs apertissimis probationibus fuerit reuelatum, de qua persona testator senserit. *Altera replicatio est: Nisi ambiguitas non testatoris, sed testamentum scribētis uicio contigerit. Quæ replicatio approbatur l.ambig.24.C. de testamentis, his uerbis:* Ambiguitates quæ uel imperitia uel desidia testamenta conscribentium oriūtur, resecandas esse cēsemus: & siue institutio hæredum post legatorum dationes scripta sit, uel alia prætermissa sit obseruatio, non ex mente testatoris, sed uicio tabellionis, uel alterius qui testamentū scribit, nulli licentiam cōcedimus per eam occasionem testatoris uoluntatem subuertere uel minuere.

L X I I. *Exceptio: Nisi pugnantia in testamentō dicta uel scripta sint. Hæc exceptio approbatur l.ubi pugnantia.148.ff. de reg.iuris. cuius uerba uide ꝛ.lib.7. cap.3.quæst.5.except.15.*

DE SCRIBENDO TESTAmento, de subscriptionibus, & de signaculis imponendis. Cap. X.

Actus testamentarij sunt, nuncupare coram testibus ultimam suam uoluntatem, eamq; scribere, & scripto testamento subscribere, signacula imponere. Sed & actus testamentarij sunt, hæredum institutio, substitutio, exhæredatio, præteritio, &c. ex quibus singulis uariæ exceptiones contra testamenta sumuntur. De nuncupatione autem ultimæ uoluntatis, & exceptionibus quæ inde sumuntur, dictum ꝛ.cap. prox. Nunc de ijs exceptionibus, quæ nascūtur ex scriptura testamenti, necnon occasione subscriptionis & signaculorum, in hoc Capite est dicendum.

L X I I. *Exceptio: Nisi testamentum scriptum nō sit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.1.ff.de hæred.instit. his uerbis:* Institutum hæredem eum quoq; dicimus, qui scriptus non est, sed solummodò nuncupatus. *Plura de hac re uide ꝛ.eod.cap.in fine, repl.generali.*

L X I I I. *Exceptio: Nisi seruus testamentum scripserit. Hæc exceptio reprobatur l.seruus.28.ff.qui test. facere possunt, his uerbis:* Seruus, licet alienus, iussu testatoris testamentum scribere non prohibetur.

L X I I I I. *Exceptio: Nisi nomen hæredis per manum testatoris scriptum non sit. Hæc exceptio approbatur inst.de test.ord.§.sed his omnib. cuius uerba uide ꝛ.cap.8.except.23.in prin. Concordat l.iubemus.29.C. de testamentis. cuius uerba uide ꝛ.cap.prox.except.13. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi testator ipse scribere non posit, uel imperitia uel morbo impeditus. quæ replicatio approbatur d.l.29. Concordat l.nostrā. 30.in fine.C.eod.tt. cuius uerba uide ꝛ. cap.19. except. 24. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testes hoc casu non subscripserint sua manu hæredis nōmen. Quæ duplicatio approbatur d.l.29.§. sed ne aliqua. & d.l.30.in fine. Planè exceptio proposita mutata ac reprobata est iure nouissimo, Nouell.c.119.§.quia uerò ante, his uerbis:* Quia antehac legē in mediū produximus, ut testatores uel manu propria, uel per testes hæredū nomina in testamenti tabulis describant: cognouimus autē multa testamenta per exquisitam huiusmodi subtilitatem subuersa esse, nimirum testatoribus eiusmodi subtilitatem custodire nequeuntibus, aut etiam (quod licet conijcere) nolentibus, ut aliqui uoluntatem ipsorū cognitā haberent: iubemus ut licentia quidem sit uolentibus ista in suis obseruare testamentis. Si tamen hęc non obseruauerint, & ex uetere consuetudine testentur: sancimus, ut nihilominus testamentum sic quoque ualeat, siue per se aliquis, siue per alterā personam hæredis nomen inscribat, modò reliquam omnino legitimam obseruationē testator in testamento suo custodiat.

L X V. *Exceptio: Nisi quis sibi ipsi aliquid in testamento adscripserit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur ꝛ.lib.4.cap. 8, quæst.1.causa 17.*

L X V I. *Exceptio, sumpta ex materia in qua testamentum scriptum est, reprobatur Inst.de test.ord.§. nihil autem, his uerbis:* Nihil interest, testamentum in tabulis, an in chartis membranisue, uel in alia materia fiat. *Concordat l.1.in prin.ff. de bonor.possf.secundum tabulas, his uerbis:* Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figuram. Siue igitur tabulæ sint li-

gneæ,siue cuiuscunq; alterius materiæ,siue chartæ,siue membranę sint,uel si corium alicuius animalis:tabulæ rectè dicentur. *Concordat item l.chartæ.4.ff.eod.tt.his uerbis:* Chartæ appellatio & ad nouam chartam refertur, & ad deleticiam. Proinde etsi in opistographo quis testatus sit, hinc peti potest bonorũ possessio. *Concordat item l.quoniam.15.§.fin.C. de testamentis.cuius uerba uide ẽ.cap.prox.except.17.*

LXVII. Exceptio: *Nisi in pluribus codicibus testamentum scribatur.Hæc exceptio reprobatur inst. de test.ord.§.sed & unum,his uerbis:* Et unum testamentum pluribus codicibus conficere quis potest, secundum obtinentem tamen obseruationem omnibus factis. Quod interdum etiam necessarium est:ueluti si quis nauigaturus & secum ferre, & domi relinquere iudiciorum suorum contestationem uelit, uel propter alias innumerabiles causas,quę humanis necessitatibus imminent. *Concordat l.unum.24. ff.qui testam.facere possunt,his uerbis:* Vnum testamentum pluribus exemplis consignare quis potest, idq; interdum necessarium est: si fortè nauigaturus & secum ferre, & relinquere iudiciorum suorũ testationem uelit. *Concordat item l.1.§.sed etsi in duobus.ff.de bonor.possess.secundum tabulas,his uerbis:* Etsi in duobus codicillis simul signatis alios atq; alios hæredes scripserit,& utrunque extet,ex utroque quasi ex uno competit bonorum possessio: quia pro unis tabulis habendum est, & supremum utrunque accipiemus. *L 153 de tabul. exhib.*

LXVIII. Exceptio: *Nisi præposterο ordine testamentum sit scriptum. Hæc exceptio approbatur l.1.in prin.ff.de hæredibus instit. his uerbis:* Qui testatur,ab hæredis institutione plerunq; debet initium facere testamenti. Licet etiam ab exhæredatione, quam nominatim facit. Nam diuus Traianus rescripsit,posse nominatim etiam ante hæredis institutionem filium exhæredare. *Concordat l.2.§.prius autem. ff.de uulgari substit. his uerbis:* Prius sibi quis debet hęredem scribere, deinde filio substituere, & non conuertere ordinem scripturæ. Et hoc Iulianus quoq; putat. Cæterùm si antè filio,deinde sibi testamentum faciat:non ualere. Quæ sententia rescripto Imp.nostri ad Virium Lupum,Britaniæ præsidem,comprobata est. Et meritò. Constat enim unum esse testamentum, licet duæ sint hæreditates: usq;adeò,ut quos quis sibi facit necessarios, eosdem etiam filio faciat, & posthumum filio suo impuberi possit quis substituere. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pater filio substituens, postea filium hæredem instituerit. quæ replicatio approbatur ibid. his uerbis:* Sed si quis ita fuerit testatus, Si filius meus intra decimum quartum annum decesserit, Seius hæres esto: & deinde, Filius hæres esto: ualet substitutio,licet conuersa scriptura filij testamentum fecerit. Sed & si ita scripserit: Si filius meus mihi hæres non erit, Seius hæres esto: filius hæres esto: secundo quidem gradu Seius scriptus est hæres,& si filius hæres nõ extiterit,proculdubiò Seius ei hæres erit. Sed & si extiterit filius hæres, & intra pubertatem defunctus est,Seius admittendus rectè uidetur: utnõ ordo scripturæ, sed ordo successionis spectetur. Quod igitur dictum est, singulis liberorum substituere licere : ideo adiectum est, ut declaretur, non esse à filij impuberis testamento incipiendum. *Secunda replicatio est: Nisi substitutione prius facta, postea sequatur institutio. Hæc replicatio generalis, præcedẽtem sub se comprehendens, approbatur l.si ita.28. ff.de hæred.instit. his uerbis:* Si ita quis substitutus sit: Titius hæres esto, si Secundus hæres non erit. deinde: Secundus hæres esto. placet primo gradu Secundum esse institutũ. *Huius replicationis secundæ (ut dixi) species est supradicta prima replicatio. Tertia replicatio est: Nisi exhæredatio ante hæredis institutionem scribatur. quæ replicatio approbatur l.1.in prin.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ẽ.ead.except.in prin. Concordat l.posthumi.3.in princ.ibi:unde & ante.ff.de iniusto testam. cuius uerba uide ẽ.cap.16.except.179. Quarta replicatio est: Nisi non testatoris, sed alterius testamentum scribentis uicio præposterè scriptum sit.quæ replicatio approbatur l.ambiguitates. 24.C.de testamentis. cuius uerba uide ẽ.except.61.replic.2. Planè exceptio propositа mutatur ac reprobatur iure nouo, l.præposteri.25. C.de testamentis, his uerbis:* Præposteri reprehensionem, quam nouella constitutio diui Leonis in dotalibus instrumentis sustulisse noscitur, in alijs quoq; omnibus tam contractibus quàm testamentis tollimus : ut tali exceptione cessante, & stipulatio & alius contractus,& testatoris uolũtas indubitatè ualeat: exactione uidelicet post conditionem uel diem cõpetente. *Concordat inst.de legatis.§.ante hæredis. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.6.except.83.*

LXIX. Exceptio: *Nisi notis,non literis, testamentum sit scriptum. Hæc exceptio approbatur l. sed cum.6.§.fin.ff.de bonor.possess.his uerbis:* Notis scriptæ tabulæ nõ continentur edicto: quia notas literas non esse, Pedius lib. XXV. ad edictum scripsit.

LXX. Exceptio: *Nisi aliquid sine iussu testatoris scriptum sit in testamento. Hæc exceptio approbatur l.2.§.si cõsultò.ibi:quemad.nec. ff.de bonor.possess. secundum tabulas.cuius uerba uide ẽ.except.72. Concordat l.si unus.12.in fine.C.de testamentis.cuius uerba uide ẽ.except.72.repl.3.*

LXXI. Exceptio:*Nisi aliquid suprascriptum sit, uel adscriptũ. Hæc exceptio approbatur l.hæredes.20. §.si quid post.ff.qui test.facere possunt, his uerbis:* Si quid

quid post factũ testamentum mutari placuit,omnia ex integro faciẽda sunt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:Nisi eadem solennitate,qua testamentũ factum est,postea etiam sit adscriptum. quæ replicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Omnia ex integro faciẽda sunt. *Secunda replicatio est: Nisi nihil de uoluntate testatoris mutatum uel additum sit,sed obscurius per id quod adscriptũ est,sit declaratum,uel error cõmissus emẽdatus. quæ replicatio approbatur ibidẽ, his uerbis:* Quod uerò quis obscurius in testamẽto uel nũcupat,uel scribit,an post solẽnia explanari possit,quæritur:utputa,Stichum legauit,cũ plures haberet,nec declarauit de quo sentiret: item Titio legauit amico,cum multos Titios amicos haberet: & errauerat in nomine, uel prænomine,uel cognomine,cum in corpore non errasset: poteritne postea declarare,de quo senserit? & puto posse. nihil enim nunc dat, sed datum significat. Sed & si notam postea adiecerit legato,uel suã uoce,uel literis,uel summam,uel nomen legatarij,quod non scripserat, uel numorũ qualitatem:an rectè fecerit? & puto etiam qualitatẽ numorũ posse postea addi. Nam etsi adiecta non fuisset, utiq; placeret coniectionem fieri eius quod reliquit,uel ex uicinis scripturis,uel ex consuetudine patris familiâs,uel regionis.

LXXII. Exceptio: *Nisi aliquid in testamento interletum uel inductũ aut cancellatũ sit:hoc enim non debetur. quæ exceptio approbatur l.2.§.si consultò.ff. de bonor.possess.secundum tabulas,his uerbis:* Si consultò sit inductum nomen hæredis,inhabitanter probatur,bonorũ possessionem petere eum non posse, quemadmodum nec potest,qui hæres scriptus est non consulto testatore.nam pro nõ scripto est,quę scribi noluit. *Concordat l.si ita.8.§.is autem.ff.eod.tt.his uerbis:* Is cuius nomẽ in testamento uoluntate testatoris inductũ est,sicut ad adeundã hæreditatem,ita ad petendam bonorũ possessionẽ scriptus non intelligitur,quamuis nomen eius legatur. *Concordat item l.cum quidam. 12.ibi:quod diuus.ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ẽ.cap.21.except.33.repl.3. Declaratur uocabulum inductũ l.1.§.sed uolentib.ff.de his quæ in test.delẽtur, his uerbis:* Volentibus inducta accipiendum est, etsi perducta sint. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi id quod deletum est,adhuc legi possit. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Quamuis nomẽ eius legatur. *Concordat l.1.§.fin.ff.de his quæ in test.delentur. cuius uerba uide ẽ.repl.4. Secunda replicatio est:Nisi inconsultò sint deleta. quæ replicatio approbatur l.1.in prin. ff.de his quæ in test.delentur,his uerbis:* Quæ in testamento legi possunt,ea inconsultò deleta & inducta,nihilominus ualent:consultò,nõ ualent. *Concordat d.l.1.§.quod igitur, his uerbis:* Quod igitur incautè factum est, pro nõ facto est,si legi potuit. *Ait iurisconsultus:* Si legi potuit. *Ex his uerbis elicitur prima propositæ replicationis duplicatio hæc:* Nisi id quod deletum est,legi amplius non possit. *Concordat l.unica. ff.si tabulæ testamenti extabunt,his uerbis:* Hæredi,cuius nomen inconsultò ita deletum est, ut penitùs legi non possit, dari bonorum possessio minimè potest: quia ex coniectura nõ propriè scriptus uidetur. Quamuis si post prolatas tabulas deletum sit testamẽtum, bonorum possessio competat. Nam & si mortis tempore tabulę fuerint, licèt postea interierint, competet bonorum possessio : quia uerum fuit,tabulas extare. *Concordat l.1.§.sufficit.ff.de his quæ in test.delentur,his uerbis:* Sufficit, si legibilia sunt inconsultò deleta, siue ab ipso,siue ab alio. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi post consummationem testamenti inconsultò sint deleta : tunc enim,quamuis non legantur,nihilominus ualent. quæ triplicatio approbatur d. l.1.§.sed si legi, his uerbis:* Si legi non possunt, quæ inconsultò deleta sunt: dicendum est, non deberi. Sed hoc ita demum,si ante cõsummantionem testamenti factum est. Sed consultò quidem deleta perentes exceptione repelluntur: inconsultò uerò,non repelluntur, siue legi possunt, siue non possunt: quoniam etsi totum testamentum non extet, constat ualere omnia quæ in eo scripta sunt. *Concordat l.unica.ibi:quamuis si post.ff.si tabulæ testam.extabunt. cuius uerba uide ẽ.ead.dupl.in prin. Altera triplicatio est: Nisi extrinsecus intelligantur inconsultò deleta. Hæc triplicatio reprobatur d.l.1.§.legi autem, his uerbis:* Legi autem sic accipiendum,non intelligi, sed oculis perspici quæ scripta sunt. Cæterùm si extrinsecus intelliguntur, non uidebuntur legi posse. *Hæc de prima duplicatione. Secunda duplicatio est Nisi nouissimè in testamento posita sint hæc uerba: Lituras,inductiones,superductiones ipse feci. Hæc duplicatio reprobatur d.l.1.§.ex ideo,his uerbis:* Etsi nouissimè (ut solet) fuerit adscriptum, Lituras, inductiones, superductiones ipse feci: non uidebitur referri ad ea quæ inconsultò contigerunt. *Hæc de secunda replicatione, eiusq; duplicationibus sunt dicta. Tertia replicatio est: Nisi alius, non testator, induxerit uel deleuerit sine eius uoluntate. quæ replicatio approbatur l.1.§.1.ff.de his quæ in testam. delentur, his uerbis:* Id quod non iussu domini scriptum, inductum,deletúmue est,pro nihilo est. *Concordat d.l.1.§.ex si quidem,his uerbis:* Si quidem illum concidit testator,denegabuntur actiones. Si uerò alius inuito testatore,non bene denegabuntur. *Item concordat l.si unus.12.C.de testamentis,his uerbis:* De his quæ interleta siue suprascripta dicis, non ad iuris solennitatem,sed ad fidei pertinent quæstionem : ut appa-

reat, utrum testatoris uoluntate emendationem meruerint, uel ab altero inconsultè deleta sint, an ab aliquo falsò hæc fuerint commissa. *Quarta replicatio uidetur: Nisi codicilli testamento confirmati sint deleti. Hæc replicatio reprobatur l.1.§.fin. ff.de his quæ in test.delentur, his uerbis:* Si quis codicillos in testamento confirmauit, & codicillis aliquid adscripsit, mox deleuit, ita ut appareat: an debeatur? Et Pomponius scribit, codicillos delectos non ualere. *Quinta replicatio est, Quòd ea quæ deleta in testamento non sunt, nihilominus ualeant, nec ob id testamentum iniustum aut irritum sit effectũ. quæ replicatio approbatur l.proximè.3.in prin. ff.de his quæ in test.delentur, his uerbis:* Proximè in cognitione Principis, cum quidam hæredum nomina induxisset, & bona eius ut caduca à fisco uindicarentur: diu de legatis dubitatum est, & maximè de his quæ adscripta erant his, quorum institutio fuerat inducta. Plerique etiam legatarios excludendos existimabant. Quod sanè sequendum aiebam, si omnem scripturam testamenti cancellasset. Sed nonnullos opinari id iure ipso perimi, quod inductum sit: cætera omnia ualitura. Quid ergo? num & illud interdum credi potest, eum qui hæredum nomina induxerat, satis se consecuturum putasse, ut intestati exitum faceret? Sed in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustum est, quàm tutum. *Concordat d.l.3.§.sententia, his uerbis:* Sententia Imp. Antonini Augusti, Pudente & Pollione consulibus: Cum Valerius nepos mutata uoluntate inciderit testamentum suum, & hæredum nomina induxerit: hæreditas eius secundum diui patris mei constitutionem ad eos qui scripti fuerunt, pertinere non uidetur. Et aduocatus fisci dixit: Vos habetis iudices uestros. Viuius Zeno dixit: Rogo domine Imperator, audias me patienter. De legatis quid statues? Antoninus Cæsar dixit: Videtur tibi uoluisse testamentum ualere, qui nomina hęredum induxerit? Cornelius Priscianus aduocatus Leonis dixit: Nomina hæredum tantùm induxit. Calphurnius Longinus aduocatus fisci dixit: Non potest ullum testamentum ualere, quod hæredem non habet. Priscianus dixit: Manumisit quosdam, & legata dedit. Antoninus Cæsar, remotis omnibus, cum deliberasset, & admitti rursus eosdem iussisset, dixit: Causa præsens admittere uidetur humaniorem interpretationem, ut eà duntaxat existimemus nepotem irrita esse uoluisse, quæ induxit. *Concordat item l.2.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.replic.prox. Sexta replicatio est: Nisi testator toto testamento deleto, postea§ signato, dixerit, se id ob unius personam deleuisse: hoc enim casu nihilominus alijs relicta, quamuis deleta, debentur. quæ replicatio approbatur d.l.2. his uerbis:* Cancellauerat quis testamentum, idque se propter unum hæredem facere dixerat, postea id testamentum signatum est. quærebatur de uiribus testamenti, déque portione eius, propter quem se cancellasse dixerat? Dicebam, siquidem unius ex hæredibus nomen induxerit, sine dubio cęteram partem testamenti ualere, & ipsi soli denegari actiones. Sed & legata ab eo nominatim relicta debebuntur, si uoluntas ea fuit testatoris, ut tantùm hæredis institutio improbetur. Sed si instituti nomen induxit, & substituti nomen reliquit: institutus emolumentum hæreditatis non habebit. Sed si omnia nomina induxerit (ut proponitur) adscripserit, autem, idcirco se id feciſſe, quia unum hæredem offensum habuerit: multum interesse arbitror, utrum illum tantùm fraudare uoluerit hæreditate, an uerò causa illius totum testamentum infirmare: ut licet unus causam inductionis præbuerit, uerùm omnibus obfuerit. Et siquidem soli ei ademptam uoluit portionem, cęteris nihil nocebit inductio: non magis quàm si uolens unum inducere hæredem, inuitus & alium induxerit. Quòd si putauerit totum testamentum delendum ob unius malum meritum, omnibus denegabuntur actiones. Sed an legatarijs denegari actio debeat, quæstio est? In ambiguo tamen interpretandum erit, & legata deberi, & cohæredis institutionem non esse infirmandam. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testator ob unius personam omnibus alijs relicta uoluerit adempta. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quòd si putauerit totum testamentum delendum ob unius malum meritum, omnibus denegabũtur actiones. *Septima replicatio est: Nisi nomen serui, cui libertas relicta est, sit inductum. Hæc replicatio approbatur l.proximè.3.§.fin. ff. de his quæ in testam.delentur, his uerbis:* Nomen serui, quem liberum esse iusserat, induxit. Antoninus rescripsit, liberum eum nihilominus fore. quod uidelicet fauore constituit libertatis. *Octaua replicatio est: Nisi testamento in pluribus tabulis conscripto, quædam tabulæ, non omnes sint deletæ. Hæc replicatio approbatur l.pluribus.4. ff.d.tt. his uerbis:* Pluribus tabulis eodem exemplo scriptis, unius testamenti uoluntatem eodem tempore dominus solenniter compleuit. si quasdam tabulas in publico depositas abstulit atque deleuit: quæ iure gesta sunt (præsertim cum ex cæteris tabulis, quas non abstulit, res gesta declaretur) non constituentur irrita. *Huius replicationis duplicatio hæc est:*

Nisi contraria testatoris uoluntas poßit probari. quæ duplicatio approbatur ibidem, his uerbis: Sed si ut intestatus moreretur, tabulas incidit, & hoc adprobauerint hi qui ab intestato uenire desiderant: scriptis auocabitur hæreditas. *Nona replicatio est: Nisi hæres, cuius nomen inductum est, nec cohæredem habeat, nec substitutum: hoc enim casu inductio & ademptio hæreditatis non uidet. quæ replicatio elici uidetur ex l.1.§.& cum hæred.ff.d.tt.his uerbis:* Cum hæreditatis portio adempta est, uel tota hæreditas (si fortè sit substitutus) ademptio iure facta uidebitur, non quasi adempta (quoniam hæreditas semel data adimi facilè non potest) sed quasi nec data. *Ait iurisconsultus:* Cum hæraditatis portio adempta est, uel tota hæreditas (si fortè sit substitutus.) *Ex his uerbis è contrario licet colligere replicationem propositam, quòd si hæreditas ei qui nec cohæredem nec substitutum habet, sit adempta, nullo alio testamento perfecto, sed uel codicillis uel nominis inductione: ademptio hæc non ualeat. cui interpretationi accedunt uerba ibidem sequentia hæc:* Quoniam hæreditas semel data adimi facilè non potest. *Concordat item l.2. ibi: sed si instituti nomen induxit, & substituti reliquit, &c. ff. eod.tt. cuius reliqua uerba uide §. replic.6. Sed contradicit l.proximè.3.in prin.& §.sententia.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.replic.5. Decima replicatio est: Nisi testator suprascripsit, inconsultò induxisse se. Hæc replicatio approbatur l.1.§.& ideo. ibi: proinde etsi, his uerbis:* Si inconsultò superscripsit induxisse se, manebunt: & si ademit, non erunt adempta. *Hæc de 72.exceptione.*

LXXIII. *Exceptio: Nisi testamentum à testibus non sit subscriptum. Hæc exceptio approbatur Instit.de test.ord.§.sed quum paulatim. ibi: & subscriptione testium. cuius uerba uide supra cap.8.in princ. Concordat l.ad testium.22.§.si quis ex testibus. ff.qui testam.facere possunt, his uerbis:* Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, ueruntamen signauerit: pro eo est, atque si adhibitus non esset. Sed etsi (ut multi faciunt) adscripserit se, non tamen signauerit: adhuc idem dicemus. *Concordat item l.singulos.30. ff.eod.tt. his uerbis:* Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare conuenit, quis & cuius testamentum signauerit. *Concordat item l.hac consultißima.21.in princip.C.de testamentis. cuius uerba uide §. capite prox. except.53. replic.2. Concordat item d.l.21.§.in omnibus, in fine. cuius uerba uide suprà except.49.repl.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi quidã testium subscripserint, quidam non. Hæc replicatio reprobatur uerbis d.l.22.§.si quis ex testibus. ff. qui test.am. facere possunt, paulò superius propositis. Planè admittitur replicatio proposita, si testamentum sua manu testator scripserit: tunc enim sufficit, quinque testes subscripsisse, quæ distinctio approbatur l.cum antiquitas.28. §.fin. C.de testamẽtis. cuius uerba uide §.except.prox. Secunda replicatio uidetur: Nisi testis qui non subscripsit, signauerit saltem. Et hæc replicatio reprobatur d.§. si quis ex testibus.*

LXXIIII. *Exceptio:* Nisi testator sua manu testamento non subscripserit. *Hæc exceptio approbatur Instit.de testam.ordin. §.sed quum paulatim. ibi: subscriptiones autem testatoris. cuius uerba uide §.except.23.in princ. Concordat l.hac consultißima.21.in prin. ibi: eiq; ipse coram. C.de testamentis. cuius uerba uide §.except.53. repl.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi testator ipse sua manu testamentum scripserit. quæ replicatio approbatur l.cum antiquitas.28.§.cum autem. C.eod.tt. his uerbis:* Cùm constitutione, quæ de testamentis ordinandis processit, cauetur, quatenus septem testium præsentia in testamentis requiratur, & subscriptio à testatore fiat, uel ab aliquo pro eo, & constitutio sic edixit, octauo subscriptore adhibito: & quidam testamẽtum suum omne manu sua propria conscripsit, & post eius literas testes adhibiti, suas subscriptiones supposuerunt, aliáque omnia solenniter peracta sunt in testamento, & testamentum ex hoc dubitatur an irritum factum esset? Eandem constitutionem corrigentes, sancimus, si quis sua manu totum testamentum uel codicillum conscripserit, & hoc specialiter in scriptura reposuerit, quòd hæc manu sua confecit: sufficiat ei totius testamenti scriptura, & non alia subscriptio requiratur, neque ab eo, neque pro eo ab alio: sed sequantur huiusmodi scripturam & literæ testium, & omnis quæ expectatur obseruatio: & testamentum ualidum, & codicillus, si quinque testium literæ testatoris scripturæ coadunentur, in sua firmitate remaneat, & nemo callidus machinator huiusmodi iniquitatis in posterũ inueniatur. *Altera replicatio est: Nisi testator scribere non potuit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi octauus testis adhibitus pro eo subscripserit. quæ duplicatio approbatur d.l.21.in prin.*

LXXV. *Exceptio:* Nisi signacula testamento non sint imposita. *Hæc exceptio approbatur Inst.de test.ord.§.sed quũ paulatim. ibi: signacula. cuius uerba uide §.except.23.in prin. Concordat l.bonorum.3.ff.si tabulæ test.nullæ extabunt, his uerbis:* Bonorum possessio potest peti ab intestato, si certum sit, tabulas non extare septem testium signis signatas. *Concordat item l.2.in prin.C.de bonor.possess.§.secundum tabulas. cuius uerba uide suprà d.except.23.in prin. Concordat itẽ l.si unus.12.in prin. C.de testam. cuius uerba uide item d.except.23.in prin. Concordat item l.hac consultißima.21. §. in omnibus, in fine. C.eod.tt. cuius uerba uide §.except.49.replic.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi testamen-*

testamentum sit nuncupatiuum. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proponentur paulò ſ. repl. generali. Altera replicatio uidetur: Niſi quidam teſtium, non omnes ſignauerint. Hæc replicatio ipſo quidem iure reprobatur: admitti tamẽ uidetur, ſi teſtes qui non ſignauerunt, ſubſcripſerint. uerùm & hæc diſtinctio reprobatur l. ad teſtium. 22. ſ. ſi quis ex. ff. qui teſtam. facere poſſ. cuius uerba uide ſ. d. except. 73. in prin.

LXXVI. *Exceptio: Niſi teſtis non ſuo, ſed alieno annulo ſignauerit. Hæc exceptio reprobatur Inſt. de teſt. ordin. ſ. poſſunt, in fine, his uerbis:* Alieno quoque annulo licet ſignare teſtamentum. *Concordat d. l. 22. ſ. ſi ab ipſo. ff. qui teſt. facere poſſunt, his uerbis:* Si ab ipſo teſtatore annulum accepero, & ſignauero: teſtamentum ualet, quaſi alieno ſignauerim.

LXXVII. *Exceptio: Niſi omnes teſtes uno annulo ſignauerint. Et hæc exceptio reprobatur Inſt. d. ſ. poſſunt, his uerbis:* Poſſunt omnes teſtes & uno annulo ſignare teſtamentum. Quid enim, ſi ſeptem annuli una ſculptura fuerint, ſecundum quod Papinianus uiſum eſt?

LXXVIII. *Exceptio: Niſi non annulo, ſed alio quodam impreſſo teſtamentum ſit ſignatum. Hæc exceptio approbatur l. ad teſtium. 22. ſ. ſignum. ff. qui teſt. facere poſſ. his uerbis:* Signum utrũ tantùm annulo impreſſo adhibemus, an uerò etſi non annulo, uerùm alio quodam impreſſo? uariè enim homines ſignant. Et magis eſt, ut annulo tantùm quis poſsit ſignare, dum tamen habeat χαρακτῆρα.

LXXIX. *Exceptio: Niſi nocte ſignatum ſit teſtamentum. Hæc exceptio reprobatur d. l. 22. ſ. penult. his uerbis:* Poſſe & nocte ſignari teſtamentũ, nulla dubitatio eſt.

LXXX. *Exceptio: Niſi non tabulis, ſed linteo quo tabulæ inuolutæ ſunt, ſignũ ſit impreſſum. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 22. ſ. fin. his uerbis:* Signatas tabulas accipi oportet, etſi linteo quo tabulæ inuolutæ ſunt, ſigna impreſſa fuerint.

Replicatio præcedentium exceptionum generalis, & de teſtamento nuncupatiuo.

Hactenus de exceptionibus ſumptis ex ſcriptura teſtamẽti, ſubſcriptionibus atq; ſignaculis. quarum exceptionum replicatio generalis hæc eſt: Niſi teſtamentum ſine ſcriptis ſit factum, ſeu nuncupatiuum. quæ replicatio approbatur Inſtit. de teſtam. ordinandis. ſ. fin. his uerbis: Hæc quidem de teſtamentis, quæ ſcriptis conficiuntur, ſufficiunt. Si quis autem ſine ſcriptis uoluerit ordinare iure ciuili teſtamentum, ſeptem teſtibus adhibitis, & ſua uoluntate coram eis nuncupata, ſciat hoc perfectiſsimũ teſtamẽtum iure ciuili, firmúmque conſtitutum. *Concordat l. 2. C. de bonor. poſſeſſ. ſecundum tabulas. cuius uerba uide ſuprà except. 25. in princip. Concordat item l. in teſtamentis. 26. C. de teſtamentis. cuius uerba uide ſ. duplic. 2. Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi cæcus teſtamentum fecerit. quæ duplicatio approbatur l. hac cõſultiſsima. 8. C. qui teſtam. facere poſſ. cuius uerba uide ſ. cap. 6. except. 9. Altera duplicatio eſt: Niſi teſtator coram teſtibus non dixerit, ſe ſine ſcriptis teſtari uelle. quæ duplicatio approbatur l. hac conſultiſsima. 21. ſ. per nuncupationem, in fine. C. de teſtamentis. cuius uerba uide ſ. except. 23. replic. 6. Planè duplicatio hæc iure nouo mutatur, ac reprobatur l. in teſtam. 26. C. eod. tt. his uerbis:* In teſtamentis ſine ſcriptis faciendis omnem formalem obſeruantiam penitùs amputamus, ut poſtquam ſeptem teſtes conueniunt, ſatis ſit uoluntatem teſtatoris uel teſtatricis ſimul omnibus manifeſtari, ſignificantis ad quos ſubſtantiam ſuam peruenire uelit, uel quibus legata dari, uel fideicommiſſa, uel libertates diſponere: etiamſi non ante huiuſmodi diſpoſitionem prædixerit teſtator uel teſtatrix illa formalia uerba, Ideo eoſdem teſtes conueniſſe, quòd ſine ſcriptis ſuam uoluntatem uel teſtamentum componere cenſuit. *Tertia duplicatio eſt: Niſi alius defectus, præter teſtamenti ſcripturam, ſubſcriptiones & ſignacula teſtium, interuenerit: hoc enim caſu abſque dubio æquè nuncupatiuum ac in ſcriptis teſtamentum factum uiciatur. utputa: Si quid ambiguum dictum ſit, uel pugnantia, uel legitimus teſtium numerus defuerit, &c. de quibus exceptionibus, alijſq; ſimilibus dictum ſ. cap. prox. item dicetur ſ. capit. ſequentibus. Nunc ad exceptiones, quæ ex hæredum inſtitutione ſumuntur, nobis eſt tranſcundum.*

DE INSTITVTIONE hæredum. Cap. XI.

LXXXI. *Exceptio: Niſi hæres teſtamento inſtitutus non ſit. Hæc exceptio approbatur l. proximè. 3. ſ. ſententia. ibi: Calphurnius. ff. de his quæ in teſtam. delentur, his uerbis:* Non poteſt ullum teſtamentum ualere, quod hæredem non habet. *Concordat l. 1. ſ. fin. ff. de uulgari ſubſtit. his uerbis:* Sine hæredis inſtitutione nihil in teſtamento ſcriptum ualet. *Concordat item Inſt. de legatis. ſ. ante hæredis. cuius uerba uide ſ. cap. 3. quæſt. 5. Concordat item l. ult. ff. de iure codicill. his uerbis:* Si palàm hæres nũcupatus ſit, legata aũt in tabulas collata fuerint: Iulianus ait, tabulas teſtamenti non intelligi, quibus hæres ſcriptus non eſt: quódque magis codicilli, quàm teſtamentum exiſtimandæ ſint. Et hoc puto rectius dici. *Vide item ſ. d. quæſt. 5. Nunc exceptiones ſumptæ ex perſona hæredis inſtituti ſunt proponendæ.*

LXXXII. *Exceptio: Niſi is cum quo teſtamenti factio non eſt, hæres ſit inſtitutus. Hæc exceptio approbatur Inſtit. de hæred. qual. & differ. ſ. in extraneis, hiſce uerbis:* In extraneis hæredibus illud obſeruatur, ut ſit cum eis teſtamenti factio, ſiue

ſiue hæredes ipſi inſtituantur, ſiue hi qui in poteſtate eorum ſunt. Et id tribus temporibus inſpicitur: teſtamenti quidem facti tẽpore, ut conſtiterit inſtitutio: mortis uerò teſtatoris, ut effectum habeat. Hocamplius, & cum adit hæreditatem, eſſe debet cũ eo teſtamenti factio: ſiue purè, ſiue ſub conditione hæres inſtitutus ſit. nam ius hæredis eo maximè tempore inſpiciendum eſt, quo adquirit hæreditatem. Medio autem tempore inter factum teſtamentum, & mortem teſtatoris, uel conditionem inſtitutionis exiſtentem, mutatio iuris non nocet hæredi: quia (ut diximus) tria tempora inſpici debent. *Concordat iiſdem uerbis l. ſi alienum. 47. ſ. in extraneis. ff. de hæred. inſtit. Declaratur exceptio propoſita diſtinctione teſtamenti factionis, Inſt. d. tt. ſ. teſtamentum, his uerbis:* Teſtamenti autem factionem non ſolùm is habere uidetur, qui teſtamentum facere poteſt, ſed etiam qui ex alieno teſtamento uel ipſe capere poteſt, uel alij adquirere, licet non poſsit facere teſtamentum. Et ideo furioſus, & mutus, & poſthumus, & infans, & filiusfamiliãs, & ſeruus alienus, teſtamenti factionem habere dicuntur. Licet enim teſtamentum facere non poſsint: attamen ex teſtamento uel ſibi uel alij adquirere poſſunt. *Concordat l. filiusfam. 16. ff. qui teſt. facere poſſ. his uerbis:* Filiusfamiliãs & ſeruus alienus, & poſthumus, & ſurdus teſtamenti factionem habere dicuntur. Licet enim teſtamentum facere non poſſunt, attamen ex teſtamento ſibi uel alijs adquirere poſſunt. Marcellus notat: Furioſus quoque teſtamenti factionem habet, licet teſtamentum facere non poſsit. Ideo autem teſtamenti factionem habet: quia poteſt ſibi aquirere legatum, uel fideicommiſſum. nam etiam compotibus mentis perſonales actiones, uel ignorantibus adquiruntur. *Exempla propoſitæ exceptionis proponuntur l. ſi quis. 25. ſ. ſi quis plenè. ff. de adquir. hæred. his uerbis:* Si quis ſeruus fuerit pœnæ effectus, ad gladium, uel ad beſtias, uel in metallum damnatus, ſi fuerit hęres inſtitutus: pro non ſcripto hic habebitur. Idq; diuus Pius reſcripſit. *Sunt inſuper exempla ſeu ſpecies propoſitæ exceptionis exceptiones proximæ ſequentes. Planè huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi teſtamenti facti tempore, item mortis teſtatoris, & aditæ hæreditatis cum hærede inſtituto fuerit teſtamenti factio. hoc enim caſu, quamuis medio tempore teſtamenti factionem non habuerit, tamen exceptio propoſita non obſtat. quæ replicatio approbatur uerbis Inſtit. ſ. propoſitis hiſce:* Medio autem tempore inter factum teſtamentum & mortem teſtatoris, uel conditionem inſtitutionis exiſtentem, mutatio iuris non nocet hæredi: quia (ut diximus) tria tempora inſpici debent. *Concordat iiſdem uerbis d. l. 47. in fine. Item concordat l. ſed & ſi. 6. ſ. ſolemus. ff. de hæred. inſt. his uerbis:* Solemus dicere, media tempora non nocere: utputa cui is Romanus ſcriptus hæres uiuo teſtatore factus eſt peregrinus, mox ad ciuitatem Romanam peruenit: media tempora non nocent. *Concordat item l. ſi liber homo. 57. ſ. ſi hæres. ff. eod. tt. his uerbis:* Si hęres inſtitutus ſcribẽdi teſtamenti tempore ciuis Romanus fuit, deinde ei aqua & igni interdictum eſt: hæres ſit, ſi intra illud tempus, quo teſtator deceſsit, redierit: aut ſi ſub conditione hæres inſtitutus eſt, quo tempore conditio extitit. Idem & in legatis & in bonorum poſſeſsionibus. *Secunda replicatio eſt: Niſi is, cum quo teſtamenti factio non eſt, in tempus capiendæ hæreditatis ſit inſtitutus. Hæc replicatio approbatur l. in tempus. 60. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* In tempus capiendæ hæreditatis inſtitui hæredẽ poſſe, beneuolentiæ eſt: ueluti, Lucius Titius, cum capere potuerit, hæres eſto. Idem & in legato. *Tertia replicatio eſt: Niſi is qui ſolidum capere non poteſt, ab eo qui ſoluendo non eſt, hæres ſit inſtitutus. Hæc replicatio approbatur l. ſi quis. 70. ff. d. tt. his uerbis:* Si quis ſolidum à lege capere non poſsit, & ex aſſe ſit inſtitutus ab eo qui ſoluendo non eſt: Iulianus ex aſſe eum eſſe hæredem reſpondit. Legi enim locum non eſſe in ea hæreditate, quę ſoluendo non eſt. *Quarta replicatio eſt: Niſi is qui ſolidum à teſtatore capere non poteſt, ab eo pupillariter filio ſubſtitutus ſit. Hæc replicatio approbatur l. ſi is. 6. ff. de uulgari ſubſtit. his uerbis:* Si is qui ex bonis teſtatoris ſolidum capere non poterat, ſubſtitutus ſit ab eo impuberi filio eius: ſolidum ex ea cauſa capiet, quaſi à pupillo capiat. Sed hoc ita interpretari Iulianus noſter uidetur, ut ex bonis quæ teſtatoris fuerant, amplius capere non poſsit. Quòd ſi pupillo aliquid præterea adquiſitũ eſſet, aut ſi exhęredato eſſet ſubſtitutus: non impediri eũ capere, quaſi à pupillo capiat. *Quinta replicatio eſt: Niſi filio ſubſtitutus, tempore mortis filij capere poſsit. Hæc replicatio approbatur l. ſi is. 9. ff. d. tt. his uerbis:* Si is qui hæres inſtitutus eſt, filio ſubſtitutus ſit, nihil oberit ei in ſubſtitutione, ſi tũc capere poſsit, cum filius deceſsit. Contrà quoq; poteſt pœnas in teſtamento pupilli pati, licet in patris paſſus non ſit. *Sexta replicatio eſt: Niſi miles cum, cũ quo teſtamenti factio nõ eſt, hæredẽ inſtituerit. Hæc replicatio approbatur l. idem eſt. 13. ſ. deportati. ff. de militari teſt. his uerbis:* Deportati, & ferè omnes hi qui teſtamẽti factionẽ non habẽt, à milite hæredes inſtitui poſſunt. Sed ſi ſeruum pœnæ hæredem ſcribat, inſtitutio non ualebit: licet ſi mortis tempore in ciuitate inueniatur, inſtitutio incipiat conualeſcere, quaſi nunc data hæreditate. Et generaliter

Pupillo heredem
instit.
ergo capere hæ

liter in omnibus id poterit dici, quos miles scribit hæredes, ut institutio incipiat uires habere, si mortis tempore talis inueniatur, utà milite institui potuerit. *Concordat l.ex testam.5.C.eod.tt.his uerbis:* Ex testaméto militis, siue adhuc in militia, siue intra annum missus honestè decesserit, hæreditas & legata omnibus quibus relicta sunt, debentur: quia inter cætera quæ militibus concessa sunt, liberum arbitrium quibus uelint relinquendi supremis suis iudicijs concessum est: nisi lex specialiter eos prohibuerit. *Cõcordat item l.milites.15.ibi:nec uxorũ.C.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.18.in prin.* Ait Imp. Nisi lex specialiter prohibuerit. *Hisce uerbis propositæ replicationis duplicatio continetur. cuius primũ exemplũ est in seruo pœna affecto à milite hærede instituto. quod exemplum proponitur uerbis d.§.deportati, paulò superius propositis. Alterum exemplum est in hæreticis. quod proponitur l.ult,C.de hæreticis. cuius uerba uide ẽ.lib.10. cap.12.quæst.3.reg.10.*

LXXXIII. *Exceptio:* Nisi deportatus hæres sit institutus. *Hæc exceptio species seu exemplũ est superioris proximæ exceptionis, approbaturq; l.x.C.de hæredib.inst.his uerbis:* Qui deportantur, si hæredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt: sed hereditas in ea causa est, in qua esset, si scripti non fuissent.

LXXXIIII. *Exceptio:* Nisi filius naturalis, uel spurius, hæres sit institutus. *Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur suprà lib.16.cap.4.quæst.4.reg.1. Planè notanda hic & alia replicatio ibi omissa, hæc scilicet:* Nisi filius spurius uel naturalis non à patre, sed à matre hæres sit institutus: *hoc enim casu ualet institutio. quæ replicatio approbatur argumento l.si suspecta.29.§.1. ff.de inoff. test.cuius uerba uide ẽ. lib.31.cap.4. quæst.2. except.11. item argumento Inst.de senatusc.Orficiano. §.nouissimè.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.3.except.4. Huius replicationis duplicatio hæc est:* Nisi mater sit illustris. *quæ duplicatio approbatur l.si quâ.5.C.ad S.C. Orficianum, his uerbis:* Si qua illustris mulier filium ex iustis nuptijs procreauerit, & alterum spurium habuerit, cui pater incertus sit: quemadmodũ res maternæ ad eos perueniant, siue tantummodò ad liberos iustos, siue etiam ad spurios, dubitabatur. Sanc imus itaque, ut neque ex testamento, neque ab intestato, neq; ex liberalitate interuiuos habita, iustis liberis existentibus aliquid penitus ab illustribus matribus ad spurios perueniat: cùm in mulieribus ingenuis & illustribus, quibus castitatis obseruatio præcipuum debitum est, nominari spurios satis iniuriosum, satisq; acerbum, & nostris temporibus esse indignum iudicemus: & hanc legem ipsi pudicitiæ, quam semper colendam censemus, meritò dedicamus. Sin autem consubina liberæ conditionis constituta, filium uel filiam ex licita consuetudine ad hominem liberum habita procreauerit: eos etiam cum legitimis liberis ad materna uenire bona, quæ iure legitimo in suo patrimonio possidet, nulla inuidia est. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est:* Nisi mater illustris legitimos liberos non habeat. *quæ triplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Iustis liberis existentibus. *Altera triplicatio est:* Nisi ex cõcubinatu legitimo liberi naturales sint. *Hæc triplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sin autẽ concubina liberæ conditionis constituta, &c.

LXXXV. *Exceptio:* Nisi coniunx coniugem, *cum quo quáue matrimonium esse non potest, hæredẽ instituerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur ẽ.lib.32.cap.3.except.20.*

LXXXVI. *Exceptio:* Nisi posthumus hæres sit institutus. *Hæc exceptio reprobatur l.placet.4. ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Placet omnem masculum posse posthumum hæredem scribere, siue iam maritus sit, siue nondum uxorem duxerit. Nam & maritus repudiare uxorem potest: & qui non duxit uxorem, postea maritus effici potest. Nam & cum maritus posthumum hæredem scribit: non utique is solus posthumus scriptus uidetur, qui ex ea quam habet uxorem, ei natus est, uel qui tunc in utero est: uerùm is quoq;, qui ex quacunq; uxore nascatur. *Concordat l.uerum.9.ff.de bonor.possess.secund.tabulas, his uerbis:* Verum est, omnem posthumũ, qui moriente testatore in utero fuerit, si natus sit, bonorum possessionem petere posse. *Concordat item Inst.de hæred.qualitate.§.testamenti.ibi:& ideo.cuius uerba uide ẽ.except.82. Concordat item l.filiusfam.16. ff. qui test.facere poss. cuius uerba uide d.except.82. Planè admitti uidetur exceptio proposita, primùm, si is qui nondum uxorem duxit, posthumum hæredem instituat. Hæc distinctio reprobatur uerbis d.l.4.ẽ.propositis. Concordat l.posthumum.27. ff.eod.tt. his uerbis:* Posthumum ex qualibet uidua natum, sibi filium hæredem instituere potest. *Deinde admitti uidetur, si is qui generare facilè non potest, uel spado, posthumum hæredem instituat. Sed & hæc distinctio reprobatur l.sed est.6.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Sed est quæsitum, an is qui generare facilè non possit, posthumum hæredem possit facere? Et scribũt Cassius & Iabolenus, posse. Nam & uxorem ducere, & adoptare potest. Spadonem quoq; posse posthumum hæredem scribere, & Labeo & Cassius scribunt: quoniam nec ætas, nec sterilitas ei rei impedimẽto est. *Tertiò admittitur exceptio proposita, si castratus posthumum hæredẽ instituat. Hæc distinctio approbatur d.l.6.§.sed si castratus, his uerbis:* Si castratus sit, Iulianus Proculi opinionẽ secutus, non putat posthumum hæredẽ posse instituere. *Concordat item Inst.de hæred.qualitate.§.testamenti.ibi:& ideo.cuius uerba uide ẽ.except.82. Concordat item l.filiusfam.16. ff. qui test.facere poss. cuius uerba uide d.except.82. Planè admitti uidetur exceptio proposita, primùm, si is qui nondum uxorem duxit, posthumum hæredem instituat. Hæc distinctio reprobatur uerbis d.l.4.ẽ.propositis. Concordat l.posthumum.27. ff.eod.tt. his uerbis:* Posthumum ex qualibet uidua natum, sibi filium hæredem instituere potest. *Deinde admitti uidetur, si is qui generare facilè non potest, uel spado, posthumum hæredem instituat. Sed & hæc distinctio reprobatur l.sed est.6.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Sed est quæsitum, an is qui generare facilè non possit, posthumum hæredem possit facere? Et scribũt Cassius & Iabolenus, posse. Nam & uxorem ducere, & adoptare potest. Spadonem quoq; posse posthumum hæredem scribere, & Labeo & Cassius scribunt: quoniam nec ætas, nec sterilitas ei rei impedimẽto est. *Tertiò admittitur exceptio proposita, si castratus posthumum hæredẽ instituat. Hæc distinctio approbatur d.l.6.§.sed si castratus, his uerbis:* Si castratus sit, Iulianus Proculi opinionẽ secutus, non putat posthumum hæredẽ posse instituere. quo iure utimur. *Quartò admitti uidetur exceptio, si hermaphroditus posthumũ instituerit. Sed hæc distinctio reprobatur d.l.6. §.fin. his uerbis:* Hermaphroditus planè, si in eo uirilia prævalebunt, posthumum hæredẽ instituere poterit. Ait Iurisconsultus: Si in eo uirilia prævalebunt. *Ex his uerbis elicitur quinta distinctio hæc: Si mulier posthumum instituerit. Nam hoc casu, quia non nisi ex uiua muliere partus edi potest, posthumi institutio uidetur inutilis, quasi post mortem matris nascendi, quod est contra rerum naturam: quanquam interdum execto uentre mulieris mortuæ, partus edatur. Sextò admitti uidetur, si is qui per ætatem aut ualetudinem posthumum habere non potest, posthumum hæredem instituerit. Sed hæc distinctio reprobatur l.si quis.9.in prin.ff.de liberis et posthum. cuius uerba uide ẽ.ca.21.except.31.repl.4. Septimò admittitur exceptio proposita, si quis ex ea quæ alij nupta est, posthumum hæredem instituat. quæ distinctio approbatur d.l.9.§.1. his uerbis:* Si ex ea quæ alij nupta sit, posthumum quis hæredem instituerit: ipso iure non ualet, quòd turpis sit institutio. *Octauò admittitur exceptio proposita, si quis ex ea quam uxorem iure habere non potest, posthumum hæredem instituerit. quæ distinctio approbatur d.l.9.§.fin.his uerbis:* Si ex ea quam nefas sit ducere, posthumum hæredem instituero: nõ putat rumpi prius testamentum Pomponius. *Huius distinctionis replicatio hæc est:* Nisi ex ea quam aliquando uxorem *habere iure possit, posthumum hæredem instituerit: tunc enim, quamuis testamenti facti tempore eam iure habere non possit, tamen ualet institutio. quæ replicatio approbatur l.filius.28. §.si quis ea.ff.de liberis & posthumis, his uerbis:* Si quis eo tempore, quo nondum uxor eius esse posset, testator natum ex ea scripsit hæredem: an postea contracto licito matrimonio natus, hæres ex testamento esse possit, quæritur? Veluti si scribas hodie hæredẽ, qui tibi ex Titia natus erit, quando Titia uel ancilla, uel minor annis uigintiquinque est, cuius pater tuus tutelam administrauit, aut tutor tu ipse fuisti: posteaq; uxor tibi iusta fuerit, uel libertatem adepta, aut tempore elapso annorũ uigintiquinq; & utilis anni, & rationum allegatione edita, an natus hæres esse possit? nemo certè dubitabit, ex Titia, quæ tunc propter tenorem ætatis uxor dici non potuit, quando testamentum fiebat, natũ postea, ea uxore ducta, hæredem esse posse. Et generaliter, nato post testamentum hærede scripto, aditus est ad hæreditatẽ, in qualicunq; statu testamenti faciendi tempore fuit, quę postea testatori ciuiliter nupta est. *Concordat l.si quis.9.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si per adoptionem sororem factam habeam, potero posthumum ex ea hæredem instituere: quia adoptione soluta, possum eam postea uxorem ducere. *Hæc de octaua distinctione eiusq; replicatione sunt dicta.* Nonò *admittitur exceptio proposita, si quis posthumum alienum hæredẽ instituat. quæ distinctio approbatur quidem iure antiquo, reprobatur uerò iure nouo, Inst.de bonor.possessionib. in prin. ibi:nam si alienus. cuius uerba uide ẽ. cap.2.quæst.3. Concordat Inst.de legatis.§.posthumo quoq;, in fine. cuius uerba uide ẽ.lib.32.ca.3.except.23. Item concordat l.penult.ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ. lib.33.cap.10.reg.8. Declaratur distinctio proposita definitione posthumi alieni, Inst. de legatis. §. posthumo. cuius uerba uide ẽ.lib.32. cap.3. except.23. repl.1. dupl.1. Planè propositæ distinctionis, iure antiquo approbatæ, replicationes uide ẽ.cap.20.except.1.repl.2. dupl.4.*

LXXXVII. *Exceptio:* Nisi is qui testamentũ facere non potest, hæres sit institutus. *Hæc exceptio reprobatur Inst.de hæred.qualit.& diff.§.testamenti. item l.filiusfam.16. ff.qui test.facere possunt. quarum legum uerba uide ẽ.except.82. Concordat l.1.§.mutus. ff.de hæred.inst.his uerbis:* Mutus & surdus rectè hæres instituí potest.

LXXXVIII. *Exceptio:* Nisi is qui apud hostes est, hæres sit institutus. *Et hæc exceptio reprobatur l. illa.32. §.is qui. ff.de hæred.institit. his uerbis:* Is qui apud hostes est, rectè hæres instituitur: quia iure postliminij omnia iura ciuitatis in personam eius in suspenso retinentur, uel non abrumpuntur. Itaq; si reuersus fuerit ab hostibus, poterit hæreditatem adire. Seruus quoque eius rectè hæres instituitur: & si reuersus fit ab hostibus, potest eum iubere adire hæreditatem: si uerò ibi decesserit, qui ei hæres existet, potest per seruum hæres fieri. *Concordat l.qui ex.11.§.filius.ff.de bonor. possess.secund.tabulas, his uerbis:* Filius hæres institutus, post mortem patris ab hostibus redijt, bonorum possessionem accipiet: & anni tempus, à quo redijt, ei computabitur.

LXXXIX. *Exceptio:* Nisi extraneus, & testatori ignotus, hæres sit institutus. *Hæc exceptio reprobatur Institut.de hæred.institut.§.fin. his uerbis:* Ij quos nunquam testator uidit, hæredes instituí possunt: ueluti si fratris filios peregrinantes, ignorans qui essent, hæredes instituerit. Ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit. *Concordat item l.extran. 11. C. eod. tt. his uerbis:* Extraneum etiam penitùs ignotum hæredem quis instituere potest.

XC. *Exceptio:* Nisi incertus hæres sit institutus. *Hæc exceptio approbatur l. quoties. 9. §. si quis nomen, in fine. ff.de hæred.institut. his uerbis:* Hæres instituí, nisi certus demonstretur, nemo potest. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi ex certis unus incertus hæres sit institutus. *quæ replicatio approbatur d.l.9. §.si quis tamen, his uerbis:* Si quis tamen ita dixerit: Vter ex fratribus meis Titio & Mæuio Seiam uxorem

duxerit, ex dodrante: uter non duxerit, ex quadrante hæres esto. rectè factam institutionem certum est, licet ex qua quis parte, incertum est. Planè erit similis institutio, si ita facta fuerit: Vter ex suprà scriptis fratribus meis Seiam uxorem duxerit, hæres esto. Sed & hanc puto institutionem ualere, quasi sub conditione factam. *Concordat l. Titius. 24. ff. eod. tt. cuius uerba uide ȝ. lib. 33. cap. 1. q. 3. reg. 17.* *Altera replicatio est: Nisi duo certi alternatiuè, puta ille aut ille, hæredes sint instituti. Hæc replicatio approbatur l. cum quidam. 4. C. de uerb. signif. cuius uerba uide ȝ. d. quæst. 3 reg. 6. except. 1. Tertia repli catio est: Nisi ita, Quem codicillis hæredem scripsero: hæres sit institutus. quæ replicatio approbatur l. asse toto. 75. ff. de hæred. inst. cuius uerba uide ȝ. cap. 23. reg. 4.* *Quarta replicatio est: Nisi generaliter captiuos uel pauperes hæredes instituit. Hæc replicatio approbatur l. si quis. 37. C. de episcopis & clericis, hisce uerbis:* Si quis ad declinandam legem Falcidiam, cum desiderat totam suam substantiam pro redemptione captiuorum relinquere, eos ipsos captiuos scripserit hæredes: ne uideatur quasi incertis personis hæredibus institutis, iudicium suum oppugnandum reliquisse: sancimus, eiusmodi & talem institutionem pietatis intuitu ualere, & non esse respuendam. Sed & si pauperes quidé scripserit hæredes, & non inueniatur certũ ptochium, uel certæ ecclesiæ pauperes, de quibus testator cogitauerit, sed sub incerto uocabulo pauperes fuerint hæredes instituti: simili modo & huiusmodi institutionem ualere decernimus. Et si quidem captiuos scripserit hæredes, ciuitatis in qua testator larem fouere ac degere noscitur, episcopus & œconomus hæreditatem suscipiant, & omni modo in redemptionem captiuorum procedat hæreditas, siue per annuos reditus, siue uenditionem mobilium siue se mouentiũ rerũ fit: nullo penitùs ex hoc lucro uel œconomo, uel episcopo, uel sacrosanctæ ecclesiæ relinquendo. Si enim propter hoc à speciali hærede recessum est, ut non Falcidiæ ratio inducatur: quomodo ferendum est, hoc quod in sacro uenerit, per Falcidiam uel aliam occasionem minui? Vbi autem indiscretè pauperes scripti sunt hæredes: ibi xenonem eius ciuitatis omnimodò hæreditatem nancisci, & per xenodochum in ægrotantes fieri patrimonij distributionem, secundum quod in captiuis constituimus, uel per redituum annalium erogationem, uel per uenditionem rerum mobilium uel sese mouentium, ut ex his res immobiles comparentur, & annuus uictus ægrotantibus accedat. Quis enim pauperior est hominibus, qui & inopia tenti sunt, & in xenone repositi, & suis corporibus laborantes, necessarium uictũ sibi non possunt adferre? Licentia omnimodò danda & in priore & secunda specie, & actionem mouere, & debita exigere, ut in captiuos & in ægrotantes consumantur. Si enim hæredum eis & ius & nomen dedimus, sine Falcidiæ tamen legis emolumento: necesse est eos debita exigere, & creditoribus respondere. Sin autem ampliores in ciuitate xenones uel ptochia sunt: ne incerta uideatur pecuniarum datio, tunc ei xenoni uel ptochio, qui pauperior esse dignoscitur, easdem res uel pecunias adsignari: hoc uidelicet discutiendo à uiro uenerandissimo locorum antistite, & sub eo constitutis clericis. Sin autem nullus xenon in ciuitate inueniatur: tunc secundum de captiuis sanctionem pro tempore œconomus sacrosanctæ ecclesiæ, uel episcopus hæreditatem accipiat, & sine Falcidiæ ratione pauperibus qui in ciuitate sunt, uel penitùs mendicantes, uel alia sustentatione egentes, eædem pecuniæ distribuantur. Hæc tamen omnia locum habere sancimus, quando non certi xenonis, uel certi ptochij, uel certæ ecclesiæ nominatio à testatore subsecuta est, sed incertus est eius sensus. Sin autem in personam certam, uenerabilémue certam domum respexerit: ei tantummodò hæreditatem uel legatum competere sancimus, nulla Falcidia necin hac parte intercedente. In omnibus autem huiusmodi casibus cœlestes iracundias sacrosanctarum rerum administratores expectent, si qualecunque lucrum ex huiusmodi gubernationibus sibi adquisierint: uel si hoc committi ab alio consenserint, & non grauissima pœna & interminatione, quod perperam factum est, studeant corrigere. *Concordat Nouell. c. 131. §. sed & si quis, cum sequentibus, his uerbis:* Si quis pro redemptione captiuorum, aut alimonia pauperũ, hæreditatem uel legatum in rebus mobilibus aut immobilibus, siue semel, siue annuum reliquerit, & hoc modis omnibus secundum testatoris uoluntatem per eos qui id exequi iusti sunt, præstator. Si specialiter non dixerit, cuius loci pauperibus hæc reliquerit: iubemus, ut religiosiss. ciuitatis episcopus, in qua testator domicilium habuit, eas res ad se recipiat, & inter pauperes eius ciuitatis distribuat. Item si pro redemptione captiuorum aliquid relictum sit, neque testator nominatim dixerit, per quem redemptionem fieri oporteat: itidem iubemus, ut res in hoc relictas locorum episcopus & huius œconomus capiat, & huiusmodi pium opus impleat. In omnibus enim istis pijs uoluntatibus uolumus etiam ipsos religio-

religiosiss. locorum episcopos prouidentiam accommodare, ut omnia secundum testatoris uoluntatem procedant, etsi maximè à testatoribus aut donatoribus interdictum ipsis sit, ne quid in ijs habeant commercij. Certè si illi, qui hæc exequi iussi sunt, semel atq; iterum à beatiss. locorum episcopo, & eius œconomis, per publicas personas admoniti, ea quæ dispositа sunt, implere distulerint: iubemus, ut ij omne lucrum, quod ab eo qui ista iussit, ipsis relicta sunt, amittant: religiosiss. uerò locorum episcopi omnes res, quæ quibuscunq; (ut dictũ est) pijs caussis deputatæ sunt, cum fructibus & medij temporis accessionibus atq; item memorato lucro uindicent, & quę testator disposuit adimpleant: scituri quòd si & ipsi negligentius egerint, pro omnibus his Deo rationem reddituri sint. Sanè si religiosiss. locorum episcopus aliquid eorum quæ à nobis dicta sunt, prætermiserit: licitũ esto religiosiss. eius metropolitano hæc exigere atq; implere. Sed & cuiuis alij licẽtia erit ea de re quęstionem mouere, dareq; operam, ut omnibus modis id genus piæ causæ exequantur. Si uerò hæres ea quæ in pias causas relicta sunt, non impleat, dicens non sufficere ad has relictum sibi patrimonium: iubemus ut omni lucro, quod ex Falcidia prouenit, uacante, quidquid in eius facultatibus inuentum fuerit, pro iden tia sanctissimi locorum episcopi totum in caussas, ad quas relictũ est, procedat. Quòd si legatum ab aliquo ad pias causas relictũ fuerit: iubemus ut intra sex menses, ab insinuatione testamenti numerándos, omnibus hoc modis præstetur his quibus relictũ est. Sin autem qui hoc grauati sunt, huiusmodi legatum præstare distulerint: & fructus, & usuræ, & omnis legitima accessio ab ipsis iam inde à tẽpore mortis eius qui reliquit, exigentur. *Hæc de quarta replicatione.* *Quinta replicatio est: Nisi generaliter, quidquid liberorum sibi natum erit, hæredes instituat. Hæc replicatio approbatur l. Gallus. 29. §. melius ergo est. ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide ȝ. cap. 20. except. 28. repl. 2. dupl. 4. tripl. 6.*

XCI. *Exceptio: Nisi is hæres institutus sit, quem Titius uoluerit. Hæc exceptio approbatur l. illa. 32. in prin. ff. de hæred. instit. his uerbis:* Illa institutio, Quos Titius uoluerit: ideo uiciosa est, quòd alieno arbitrio permissa est. Nam satis constanter ueteres decreuerunt, testamentorum iura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendẽre. *Plura de hac re uide ȝ. lib. 32. cap. 6. except. 80.*

XCII. *Exceptio: Nisi collegiũ uel ciuitas hæres sit instituta. Hæc exceptio reprobatur l. hæreditatis. 12. C. de hær. inst. his uerbis:* Hęreditatis uel legati seu fideicõmissi aut donationis titulo domus, aut annonæ ciuiles, aut quælibet ædificia uel mancipia ad ius inclytæ urbis, uel alterius cuiuslibet ciuitatis peruenire possunt.

XCIII. *Exceptio: Nisi collegium illegitimum hæres instituatur. Hæc exceptio approbatur l. colleg. 8. C. d. tt. his uerbis:* Collegium, si nullo speciali priuilegio subnixum sit, hæreditatem capere non posse, dubium non est.

XCIIII. *Exceptio: Nisi plures hæredes instituti sint. Hæc exceptio reprobatur Inst. de hæred. inst. §. & unum hominem, his uerbis:* Et unum hominem & plures usq; in infinitum, quot quis hęredes uelit facere, licet.

XCV. *Exceptio: Nisi in duobus testamentis simul signatis, diuersi hæredes sint scripti. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. si quis in duobus. ibi: sed etsi in. ff. de bonor. possess. secund. tabulas. cuius uerba uide ȝ. cap. proxim. except. 67.*

XCVI. *Exceptio: Nisi antea exhæredatum hæredem instituerit. Hæc exceptio reprobatur l. si filium. 21. ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide ȝ. lib. prox. cap. 7. except. 3. distinct. 1. repl. 1.*

XCVII. *Exceptio: Nisi Imperator, uel alius in dignitate positus, hæres sit scriptus. Hæc exceptio reprobatur l. non dubium. 16. in prin. C. de testamentis, his uerbis:* Non dubium nec incertum est, sicut Imperatoribus, ita qualibet dignitate uel potestate decoratis uiris tã hęreditatem quàm legatũ seu fideicommissum relinqui posse.

XCVIII. *Exceptio: Nisi seruum proprium quis hæredem instituerit. Hæc exceptio iure quidẽ antiquo approbatur Inst. de hæred. instit. in princip. his uerbis:* Proprios seruos olim quidem secundum plurium sententias non aliter quàm cum libertate rectè instituere licebat. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum libertate seruum proprium quis hæredem instituerit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Non aliter quàm cum libertate. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi hæreditas purè, libertas sub conditione seruo sit relicta, conditio; defecerit, uel nondum extiterit. Hæc duplicatio approbatur l. seruus. 3. §. 1. ff. de hæred. instit. his uerbis:* Si seruum meum purè hæredem scripsero, sub conditione liberum: differtur institutio in id tempus, quo libertas data est. *Concordat l. qui filio. 38. §. si quis seruũ. ibi: quòd si post. ff. eod. tt. cuius uerba uide ȝ. cap. 22. reg. 3. exc. 3. repl. 1. dupl. 1.* *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi uiuo testatore seruus liber sit factus. Hæc triplicatio approbatur l. si seruus. 7. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si seruus cõmunis sub conditione hæres institutus, uiuo testatore libertatem consecutus sit: etiam pendente conditione testamentariæ libertatis adire hæreditatem potest. *Secunda triplicatio est: Nisi codicillis postea purè libertas sit data. Hæc triplicatio approbatur l. qui filio. 38. §. 1. ff. eod. tt.*

bis uerbis: Seruus testamento hæres purè scriptus, liber autem iussus esse, si intra calendas Decembres decem dedisset: si codicillis purè libertatem acceperit, intra calẽdas quidem neq; liber neq; hæres erit, nisi decem dederit: si intra calendas non dederit, liber ex codicillis erit. *Tertia triplicatio est: Nisi conditio sit casualis, non potestatiua. Hæc triplicatio approbatur l. ult. C. de necessarijs hæred. cuius uerba uide §. lib. 19. cap. 4. causa 2. exc. 1. Secunda duplicatio est: Nisi in diem seruo libertas sit relicta, hæreditas purè. Hæc duplicatio reprobatur l. quoties. 9. §. si seruus. ff. de hæred. instit. his uerbis*: Si seruus ex die, &c. *Tertia duplicatio est: Nisi libertas purè, hæreditas sub conditione sit relicta. Hæc duplicatio reprobatur l. Trebatius. 21. in fine, cum lege sequente. ff. eod. tt. his uerbis*: Seruo libertatem purè, hæreditatem sub conditione dari posse, uerissimum puto: ut tamen utrunq; ex conditione pendeat. Et expleta quidem conditione, liber hæresq; erit, quocunque loco libertas data fuerit: deficiente autem conditione, perinde habebitur, ac si libertas sine hæreditate data fuerit. *Quarta duplicatio est: Nisi libertas serui legib. impediatur. Hæc duplicatio approbatur l. si non. 81. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide §. lib. 19. cap. 5. except. 6. repl. 2. dupl. 1. Quinta duplicatio uidetur: Nisi libertas postea seruo sit adempta. Hæc duplicatio reprobatur l. si ita. 13. §. regula. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis*: Regula est iuris ciuilis, qua constitutum est, hæreditatem seruo adimi non posse, propter quam liber & hæres esse iussus sit. Itaq; & quamuis dominus ademerit eodem testamento libertatem: nihilominus & libertatem & hæreditatem habebit. *Concordat l. sed & si. 6. §. fin. ff. de hær. instit. his uerbis*: Si seruus cum libertate sit institutus: an ei libertatis datio codicillis adimi possit, apud Iulianum quæritur? Et putat in eũ casum, quo necessarius fieret, ademptionẽ non ualere: ne à semetipso ei libertas adimatur. Seruus enim hæres institutus, à semetipso libertatẽ accipit. quæ sententia habet rationẽ. Nã sicut legari sibi nõ potest, ita nec à se adimi. *Sexta duplicatio est: Nisi seruus postea à testatore fuerit alienatus. Hæc duplicatio reprobatur l. quoties. 9. §. seruus. ff. de hæred. instit. his uerbis*: Seruus cum libertate hæres institutus, si sit alienatus: iuberi adire ab eo potest, cui alienatus est. Sed si redemptus sit à testatore: institutio ualet, & necessarius hæres erit. *Concordat l. si seruus. 7. in fine. ff. eod. tt. his uerbis*: Sive testator seruum alienauerit, siue hæres: post mortem testatoris iussu domini hæreditatem adibit. *Plura de hoc casu uide ĩ. lib. 30. capi 3. reg. 2. except. 1. replicat. 5. Septima duplicatio est: Nisi ita seruus sit institutus: Quisquis mihi hæres erit, Stichus liber & hæres esto. Hæc duplicatio reprobatur l. Trebalius, 21. in prin. ff. de hæred. instit. his uerbis*: Trebatius ait, si non rectè scribi: Quisquis mihi hæres erit, Stichus liber & hæres esto. Liberum tamen eum Labeo, & hæredem futurum rectè putat. *Octaua duplicatio est: Nisi hæredi instituto libertas in codicillis sit adscripta. Hæc duplicatio reprobatur l. quidam. 5. §. sed cum ueteres. C. de necessarijs hæred. cuius uerba uide infrà eod. except. in fine, distinct. 1. Nona duplicatio est: Nisi seruus adulter à domina adultera hæres instituatur. De hac duplicatione uide ĩ. eod. except. distinct. 5. Hæc de prima replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta: de qua plura uide ĩ. lib. 30. cap. 3. reg. 2. except. 1. Altera propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi seruus hæres sine libertate institutus, postea liber sit factus. quæ replicatio approbatur l. si seruus. 7. in princip. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide §. repl. proxim. dupl. 1. tripl. 1. Tertia replicatio est: Nisi seruus hæres à domino institutus, postea sit alienatus. Hæc replicatio approbatur d. l. 7. in fine. cuius uerba uide §. d. repl. prox. dupl. 6. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi seruus sub conditione liber, & purè hæres esse iussus, alienatus sit eo tempore, quo conditio libertatis defecit: hoc enim casu etiam institutionis conditione defecta uidetur alienatus. quæ duplicatio approbatur l. qui filio. 38. §. si quis seruum. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide ĩ. cap. 22. reg. 3. except. 3. repl. 1. dupl. 1. Quarta replicatio est: Nisi seruus sine libertate hæres institutus, alij sit legatus. Hæc replicatio approbatur d. l. 38. in principio. his uerbis*: Qui filio impuberi exhæredato Pamphylum legat, eundem post mortem filij ex parte hæredem instituere eodem modo potest, quo is qui seruum Sempronio legatum, eundem post mortem Sempronij ex parte hæredem instituit. *Concordat l. quidam. 5. C. de necessarijs hæred. cuius uerba uide supra lib. 19. cap. 4. causa 2. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi seruus solus hæres institutus, alij sit legatus: hoc enim casu, quia non ualet legatum, alio hærede nullo existente, nec institutio tanquam proprij serui ualebit. quæ duplicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce*: Ex parte hæredem, &c. *Quinta replicatio est: Nisi ita, Cum liber erit: seruus hæres sit institutus. Hæc replicatio reprobatur l. seruus. 21. cum lege sequente. ff. de condit. instit. his uerbis*: Seruus alienus ita hæres institui potest, Cum liber erit: proprius autem ita institui non potest. Quia ratio suadet, eum qui libertatem dare potest, ipsum debere aut præsenti die, aut in diem, aut sub conditione dare libertatem: nec habere facultatem in casum à quolibet obuenientis libertatis hæredem instituere. *Planè admittitur replicatio proposita in casu l. quoties. 9. §. si quis ita. ff. de hæred. instituend. his uerbis*: Si quis ita scripserit; Stichus liber esto, & posteaquam liber erit, hæres esto. Labeo, Neratius, Aristo opinantur, detracto uerbo medio Postea, simul ei libertatem & hæreditatem competere. quæ sententia mihi quoque uera uidetur. *Concordat l. talem.*

l. talem. 49. in princip. ff. eod. tt. his uerbis: Talem institutionem quidam ualere non putabant: Stichus liber esto, & si liber erit, hæres esto. Sed diuus Marcus rescripsit, hanc institutionem ualere, perinde ac si non esset adiectũ, Si liber erit. *Sexta replicatio est: Nisi testator usumfructum tantùm in seruo habuerit. Hæc replicatio approbatur inst. de hæred. instit. §. alienus, his uerbis*: Alienus seruus etiam is intelligitur, in quo usumfructum testator habet. *Septima replicatio uidetur: Nisi testator nudam tantùm proprietatem serui habuerit. Hæc replicatio reprobatur Instit. eod. titul. §. proprius. cuius uerba uide ĩ. distinct. 4. Octaua replicatio est: Nisi seruus communis cum socio hæres sit institutus. Hæc replicatio approbatur l. si socius. 87. in fine. ff. de hæred. inst. his uerbis*: Seruus communis hæres institui sine libertate, ut alienus, socio hæredi scripto, potest: quia & proprius cum domino hæres institui potest. *Nona replicatio est: Nisi miles seruum suum sine libertate hæredem instituit. Hæc replicatio approbatur l. Lucius. 40. §. item Lucius. ff. de militari test. his uerbis*: Lucius Titius miles testamentum ita fecit: Pamphila serua mea ex asse mihi hęres esto. alio deinde capite Sempronio commilitoni suo tandem Pamphilam reliquit, cuius fidei commisit, ut eam manumitteret. quæro, an hæres esset Pamphila, atq; si directò accepisset libertatem? Paulus respondit, intelligendum militem, qui ancillam suam hæredem instituerat, ignorasse, posse ex ea institutione etiam libertatem ei competere: & ideo sine causa postea à commilitone petijsse, ut eandẽ manumitteret. Igitur cum ex priore scriptura libera & hæres effecta est, postea nullo præiudicio uoluntati facto frustra legata est. *Decima replicatio uidetur: Nisi emptor seruum nondum sibi traditum hæredem instituerit. Hæc replicatio approbatur l. qui filio. 38. §. cum uenditor. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide ĩ. cap. 22. reg. 3. except. 1. replic. 1. Planè hoc casu uenditor hæredi emptoris hæreditatem, per seruum sibi adquisitam, empti iudicio tenetur restituere: ut ex dicto §. patet. Hæc de iure antiquo.*

Mutatio iuris.

Planè iure nouo exceptio proposita tollitur ac reprobatur Inst. de hæred. inst. in princ. his uerbis: Hæredes instituere permissum est tam liberos homines quàm seruos, & tam proprios quàm alienos. Proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter quàm cum libertate rectè instituere licebat: hodie uerò etiam sine libertate ex nostra constitutione hæredes eos instituere permissum est. Quod non per innouationem induximus, sed quoniam æquius erat, & Atilicino placuisse Paulus suis libris, quos tam ad Masurium Sabinũ, quàm ad Plautium scripsit, refert. *Ait Imp.* Ex nostra constitutione. *Hæc constitutio proponitur l. quidam. 5. in prin. usq; ad. §. sed cum ueteres. C. de necessarijs hæredib. cuius uerba uide §. lib. 19. cap. 4. causa 2. Huius noui iuris, quo exceptio proposita reprobatur, distinctio prima hæc est: Nisi libertas seruo hæredi instituto postea in codicillis sit relicta. Hæc distinctio reprobatur d. §. sed cum ueteres, his uerbis*: Cum ueteres & aliam proposuerint ambiguitatẽ, dicentes: Si quis seruum suum in testamento quidem hæredem ex parte sine libertate scripserit, in codicillis autem libertatem ei reliquerit: si posit institutio ualere, & ille tam hæres quàm liber fieri: ne uideatur per codicillos hęreditas confirmari, in quibus hæreditas dari secundum ueteres regulas non potest. Nos itaque in tali dispositione, licet in codicillis fuerit scripta, & libertatem & hæreditatem simul seruis per nostram liberalitatem, & benignam interpretationem indulgemus: ut gratulentur, cum non serui remaneant, sed etiam liberi & hęredes efficiantur: cùm tanta in eos nostri numinis beneuolentia effusa est, ut si libertas eis neque in testamento, neque in codicillis data est, tamen hæreditate seruis relicta, quasi iniunctam & libertatem esse uideri. Illo uidelicet obseruando, ut si legatum uel fideicommissum eis sine libertate relinquatur, maneant in seruitute: non tamen ita impij hæredes existant, ut liberalitate testatoris seruiles labores debita remuneratione defraudare conentur, & non derelictum, licet adhuc seruis constitutis, donent. *Altera distinctio uidetur: Nisi seruus antea alij legatus, hæres sine libertate sit institutus. Et hæc distinctio reprobatur d. l. 5. §. quæ iuris, his uerbis*: Hæc iuris nostri definitio etiam ad aliam speciem dubitatam benignè extendatur. Si quis etenim testamento principali seruum suum cuidam legauerit, in pupillari autem substitutione eundem seruum filio suo sine libertate substituerit: quærebatur, siue utilis esset talis substitutio, & per seruum legatum substitutio post mortem pupilli legatario adquiratur: siue inutilis esset huiusmodi substitutio, quia sine libertate in seruum proprium facta est? Melius itaque nobis uidetur, legatario eum non statim adquiri sancire, sed expectandum esse substitutionis euentum: & siquidem pupillo mortuo locus fuerit substitutioni, & liber & hæres efficiatur. Sin autem & substitutio locum minimè habuerit, forsitan pupillo iam in pubertatem peruenienti: tunc ad legatarij dominium transeat. Quemadmodum enim ueteres, si cum libertate substitutio fuisset, hoc inducebant, quatenus in suspenso fiat libertas, & statuliber in-

telligatur: ita & ex nostra interpretatione & sine adiectione libertatis in substitutione & liber & hæres pupillo existat. *Tertia distinctio est: Nisi seruo purè hærede scripto, libertas sub conditione relicta sit, eaq; conditio defecerit: tunc enim etiam hæredis institutio non ualet. quæ distinctio approbatur simul & distinguitur l.ultim. C. eod.tit. cuius uerba uide §.lib.19. cap.4. causa 2.exception.1.* Quarta distinctio uidetur: *Nisi ususfructus serui alienus sit. Hæc distinctio reprobatur Instit. de hæred.instit.§.proprius, his uerbis:* Proprius autem seruus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio usumfructum habente. *Quinta distinctio est: Nisi seruus adulter à domina adultera hæres sit institutus. Hæc distinctio approbatur Instit.d.tit. §.est tamen, his uerbis:* Est casus, in quo nec cum libertate utiliter seruus à domina hæres instituitur, ut constitutione diuorum Seueri & Antonini cauetur, cuius uerba hæc sunt: Seruum adulterio maculatum, non iure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere uideri, quæ rea fuerat eiusdem criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, ut in eundem à domina collata hæredis institutio nullius momenti habeatur. *Concordat iisdem propè uerbis l. his uerbis. 46. §.interdum. ff.de hæred. instit. nisi quòd pro uocabulo Maculatum ponitur Accusatum. Sexta distinctio est: Nisi seruus alij pignori obligatus, hæres sit institutus. Hæc distinctio approbatur simul & distinguitur §.lib.30.capite 3.reg.2.except.1.repl.8. Hæc de 98 exceptione.*

XCIX. *Exceptio: Nisi seruus hæreditarius, hæres instituatur. Hæc exceptio reprobatur Instit. de hæred. instit. §. seruus etiam, his uerbis:* Seruus alienus post domini mortem rectè hæres instituitur: quia & cum hæreditarijs seruis est testamenti factio. Nondum enim adita hæreditas personæ uicem sustinet, non hæredis futuri, sed defuncti: cum etiam eius qui in utero est, seruus rectè hæres instituatur. *Concordat l.non minus.31. §.fin. ff.eod.tit. his uerbis:* Hæreditarium seruum ante aditam hæreditatem ideo placuit institui hæredem posse: quia creditum est, hæreditatem dominam esse, & defuncti locum obtinere. *Concordat item l. seruus. 50. ff.cod.tit. cuius uerba uide §. except.102.repl.2. Concordat item l.eius.62.ff.eod.tit. cuius uerba uide §.except.104.*

C. *Exceptio: Nisi hæredis scripti seruus hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l. si socius. 87. in fine. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide §. except.98.repl.8.*

CI. *Exceptio: Nisi seruus alienus hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l.seruus.3. in princ. ff. de hæred.instit, his uerbis:* Seruus alienus uel totus uel pro parte sine libertate hæres instituti potest. *Concordat l.non minus.31. in prin. ff.eod. tit.his uerbis:* Non minus seruos quàm liberos hæredes instituere possumus, si modò eorum scilicet serui sint, quos ipsos hęredes instituere possumus: cum testamenti factio cum seruis ex persona dominorum introducta est. *Concordat Inst.eod.tt.in prin. cuius uerba uide §.except.98. in fine.* Planè admittitur *exceptio proposita, si seruus alienus hæres institutus, testatoris uel hæreditarius sit factus. cuius distinctionis replicatio hæc est: Nisi sub conditione institutus, pendente conditione hæreditarius factus sit, & postea rursus alienatus. quæ replicatio approbatur l. sed & si.6. §.seruus. ff.d.tt.his uerbis:* Seruus alienus sub conditione hæres scriptus, traditus est seruo hæreditario, mox usucaptus ab extraneo: non est uiciata institutio. *Huius replicationis ratio proposita est §.except.82.repl.1.*

CII. *Exceptio: Nisi seruus eius, cum quo non est testamenti factio, hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur Inst. de hæred.qual.& differ. §.in extraneis. cuius uerba uide §.except.82. Concordat iisdem uerbis l.si alienum.47.§.in extraneis.ff.de hær.inst. Item concordat l.non minus.31.in prin.ff.d.tit. cuius uerba uide §.except.prox. Concordat item l.neq;.10.C.eod.tt.his uerbis:* Neq; per se hæredes institutos, quib. hoc concessum non est, neq; per seruos proprios hæreditatem posse quærere, iuris dictat ratio. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum testator seruum ei qui capere non potest, alienasset, eum postea redemerit. Hæc replicatio approbatur l.seruũ.48.in prin.ff.de hær.inst.his uerbis:* Seruum meum hæredem instituũ cum libertate, si uiuus uendidero ei cum quo testamẽti factio non est, posteaq; eum redemero, ex testamẽto mihi hæres esse poterit: nec medium tẽpus, quo apud eum fuerit, uiciauit institutionẽ: quia uerum est utroq; tempore, tam testamẽti faciẽdi, quàm mortis, meũ fuisse. Vnde si apud eum remanserit, uiciatur institutio: uel si cũ eo testamenti factio est, iussu eius adeundo adquiret ei hæreditatem. *Secunda replicatio est: Nisi hæreditario seruo hærede instituto, cũ defuncto testamenti factio fuerit: hoc enim casu, quamuis cũ hærede non sit, nihilominus institutio ualet. Quæ replicatio approbatur l. seruus.50.ff.d.tt.his uerbis:* Seruus hæreditarius hęres institui potest, si modò testamẽti factio fuit cum defuncto, licet cũ hęrede instituto non sit. *Tertia replicatio est: Nisi seruus hæres institutus, ante aditã hæreditatem manumissus uel alienatus sit. Hæc replicatio approbatur l.si seruus.81. ff.de adq.hær.his uerbis:* Si seruus eius qui capere nõ pot, hæres instituatur, & antequã iussu domini adeat hæreditatem, manumissus alienatúsue sit, & nihil in fraudẽ legis factũ sit: ipse admittitur ad hæreditatẽ. Sed etsi partẽ capere tantũ possit dominus eius: eadẽ dicẽda sunt de parte, quã ille capere nõ potest. nihil enim interest, de uniuerso quæratur,

tur, quod capere nõ possit, an de portione.

CIII. *Exceptio: Nisi seruus eius qui apud hostes est, hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l.illa.32.in fine.ff.de hæredib.instit. cuius uerba uide §. except.88.*

CIIII. *Exceptio: Nisi seruus eius qui post mortem testatoris natus erit, hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l.eius seruum.62.ff.d.tt.his uerbis:* Eius seruum, qui post mortem meam natus erit, hęredem institui posse, Labeo frequenter scribit. idq; uerum esse, manifesto argumento comprobatur: quia seruus hæreditarius, priusquam adeatur hæreditas, institui hæres potest, quamuis iste testamenti facti tempore nullius sit.

CV. *Exceptio: Nisi seruus municipij uel alicuius collegij hæres sit institutus. reprobatur hæc exceptio l.si quis.25.§.1.ff.de adq.hær. his uerbis:* Seruus municipij, uel collegij, uel decuriæ, hæres institutus, manumissus uel alienatus adibit hæreditatem.

DE RELIQVIS INSTITVtionis circumstantijs. Cap. XII.

HActenus exceptiones ex persona hæredis instituti desumptæ, propositæ sunt: nunc exceptiones ex reliquis institutionis circumstantijs proponendæ, & primùm eæ quæ sumuntur ex re, ex qua quis hæres est institutus.

CV. *Exceptio: Nisi ex certa re uel parte hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. si ex fundo. ff.de hæred.instit. his uerbis:* Si ex fundo fuisset aliquis solus institutus, ualet institutio, detracta fundi mentione. *Concordat l. quoties.9.§.si duo.ff.eod.tit.his uerbis:* Si duo sint hæredes instituti, unus ex parte tertia fundi Corneliani, alter ex besse eiusdem fundi: Celsus expeditissimam Sabini sententiam sequitur, ut detracta fundi mentione, quasi sine partibus hæredes scripti hæreditate potiantur, si modò uoluntas patrisfamiliâs manifestissimè non refragetur. *Concordat item l.si alterius.10.ff.eodem tit. his uerbis:* Si alterius atque alterius fundi pro æquis partibus hæredes quis instituerit, perinde habebitur, quasi non adiectis partibus hæredes scripti essent. Nec enim facilè ex diuersitate prædiorum portiones inueniuntur. Ergo expeditius est quod Sabinus scribit, perinde habendum, ac si nec fundum, nec partes nominasset. *Concordat l.Attius. 11. ff.eod. tit.cuius uerba uide §.capit.23. reg.2. except.1. item l.si quis.29.ff.ad S.C.Trebellia. cuius uerba uide §.cap.21. except.33. repl.7. Concordat item iisdem uerbis Instit. quibus mod.test.infirm. Item concordat l. ex facto. 35. in princip.usque ad §.rerum. ff.de hæred.instituendis, his uerbis:* Ex facto proponebatur, quendam duos hæredes scripsisse, unum rerum prouincialium, Italicarum rerum alterum: & cum merces in Italiam deuehere soleret, & pecuniam demisisset in prouinciã ad merces comparandas, eæq; comparatæ essent, uel uiuo eo, uel post mortem, nondum tamen in Italiam deuectæ: quærebatur, merces utrum ad eum pertinerent, qui rerum Italicarum hæres scriptus erat, an uerò ad eum qui prouincialium? Dicebam, receptum esse, rerum hæredem institui posse, nec esse inutilem institutionem: sed ita, ut officio iudicis familiæ ercisc undæ cognoscentis contineatur, ut amplius nihil is qui ex re institutus est, quàm rem ex qua hæres scriptus est, consequatur. Ita igitur res accipitur: (uerbi gratia) pone duos esse hæredes institutos, unum ex fundo Corneliano, alterum ex fundo Liboniano: & fundorum quidem alterum facere dodrantem bonorum, alterum quadrantem. erunt quidem hæredes ex æquis partibus, quasi sine partibus instituti: ueruntamen officio iudicis continebitur, ut unicuique eorum fundus qui relictus est, adiudicetur uel attribuatur. Vnde scio quæsitum, æris alieni onus pro qua parte agnosci debeat? Et refert Papinianus (cuius sententiam ipse quoque probaui) prò hæreditarijs partibus eos agnoscere æs alienum debere (hoc est, pro semisse) fundos etenim uice præceptionis accipiendos. Quare si fortè tantum sit æs alienum, ut nihil detracto eo superesse possit: consequenter dicemus, institutiones istas ex re factas, nullius esse momenti: & si fortè Falcidia interueniens rescissionem esset legatorum factura, hic officium iudicis recidit præceptiones istas, ut non plus quisquam eorum habeat, quàm esset habiturus, si legatum accepisset, uel aliud (uel etiam præceptiones.) Quòd si fuerit incertum, an Falcidia interuentura sit: rectissimè probatur, officio iudicis cautiones esse interponendas. Cum hæc ita sint (hæc enim institutio, de qua quæritur, non est repellenda) etsi alius rerum prouincialium, alius rerum Italicarum hæres scriptus fuerit, officioque iudicis attribuentur singulis res quæ adscriptæ sunt: tamen erunt hæredes ex æquis partibus, quia nulla pars adscripta est. Quæ res facit, ut si fortè in alijs facultatibus plus sit (in Italicis fortè quàm in prouincialibus) in alijs minus, & æris alieni ratio urgeat: dici oporteat, imminutionem eandem fieri quam suprà ostendimus. Proinde & si alijs fuerint legata relicta, contributio admittenda erit. *Concordat item l. qui non. 76. in principio. ff. cod. tit. his uerbis:* Qui non militabat, bonorum maternorum, quæ in Pannonia possidebat, libertum hæredem instituit: pater-

norum, quæ habebat in Syria, Titium. iure semisses ambos habere constitit. Sed arbitrum diuidendæ hæreditatis supremam uoluntatem (factis adiudicationibus, & interpositis propter actiones cautionibus) sequi, soluta Falcidia, scilicet ut quod uice mutua præstatur, doli ratione quadranti retinendo compensetur. *Item concordat l. cohæredi. 39. §. final. ff. de uulgari substit. his uerbis*: Qui certæ rei hæres instituitur, cohærede non dato, bonorum omnium hæreditatem obtinet. *Plura de except. proposita uide ĩ. cap. 23. reg. 2.*

CVI. Exceptio: *Nisi hærede ex parte scripto, non inueniatur ex quota parte sit scriptus. Hæc exceptio approbatur l. ult. ff. de bonor. possess. secund. tabul. his uerbis*: Vt scriptus hæres agnoscere possit bonorum possessionem, exigendum puto, ut & demonstratus sit propria demonstratione, & portio adscripta ei inueniri possit, licet sine parte institutus sit. Nam qui sine parte hæres est, uacantem portionem, uel alium assem occupat. Quòd si ita hæres scriptus sit, ut interdum excludatur testamento, eo quòd non inuenitur portio, ex qua institutus est: nec bonorum possessionem petere potest. Id euenit, si quis ita hæredem instituat: Titius, quanta ex parte priore testamẽto eum hæredem scriptum habeo, hæres esto: uel, quanta ex parte codicillis scriptum eum habeo, hæres esto: si scriptus non inueniatur. Quòd si ita scripsero: Titius, si eum priore testamento ex semisse scriptum hæredem habeo: uel, si eum codicillis ex semisse hæredem scripsero, ex semisse hæres esto. tunc accipiet bonorum possessionem, quasi sub conditione hæres scriptus. *Concordat l. Clemens. 79. §. fin. ff. de hæred. inst. his uerbis*: Si ita scripserit testator, Quanta ex parte à me Titium hæredem instituram recitassem, ex ea parte Sempronius mihi hæres esto: non est captatoria institutio. Planè nullo recitato testamento ab ipso testatore, inanis uidebitur institutio, & remota suspicione captatoriæ institutionis. *Ait iurisconsultus*: Quanta ex parte à mẽ Titium. *Alij legunt*: *Quanta ex parte me à Titio. cui lectioni consonant uerba sequentia hæc*: Non est captatoria institutio. *De qua ĩ. except. prox. Concordat item l. item ut Sabinus. 17. §. sed si asse. ibi: aliter atq; si ita. ff. eod. tit. cuius uerba uide ĩ. cap. 23. reg. 4. except. 1. Item concordat l. ex facto. 19. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. d. reg. 4. except. 3.* Huius exceptionis replicatio hæc est: *Nisi de futuro, non de præterito tempore concepta sit oratio. quæ replicatio approbatur l. 2. ff. de hæred. inst. his uerbis*: Circa eos qui ita hæredes instituti sunt, Ex partibus quas adscripsero: non putat Marcellus eos hęredes nullis adscriptis partibus, quẽ admodum si ita essent hæredes instituti: Si eis partes adscripsero. Sed magis est, ut fic utraq; institutio accipiatur (si uoluntas defuncti non refragatur) Ex quibus partibus adscripsero: si minus, ex æquis, quasi duplici facta institutione. Quam sententiam Celsus lib. XVI. Digest. probat: aliter atque in illa institutione, Ex qua parte me Titius hę redem scripsit, Seius hæres esto. tunc enim, si non est à Titio scriptus, nec Seius ab eo. Nec immeritò: hic enim creditur inesse conditio. sed Marcellus hæc similia, licet non rectè, putat. Potest autem interesse, utrum ita quis scribat, Ex his partibus quas adscripsi, an Adscripsero: ut superiore modo dicas, nullis adscriptis partibus, nullam esse institutionem: quomodo in illo Marcellus, Ex his partibus, ex quibus testamento matris scripti fuerunt, hæredes sunto: si intestata mater decesserit, hos non esse institutos. *Concordat l. si quis. 36. ff. eod. tit. his uerbis*: Si quis ita scripserit hæredem, Ex qua parte codicillis Titium hæredem scripsero, hæres esto: etiamsi pars in codicillis non fuerit adscripta, erit tamen hæres, quasi sine parte institutus.

CVII. Exceptio: *Nisi quis ita scripserit hæredem: Ex qua parte Titius me scripserit hæredem, ex ea parte hæres mihi esto. Hæc exceptio approbatur l. 1. in fine. ff. de his quæ pro non scriptis. cuius uerba uide ĩ. lib. 32. cap. 9. causa 38. in prin. Concordat l. captatorias. 68. ff. de hæred. instit. his uerbis*: Captatorias institutiones non eas senatus improbauit, quæ mutuis affectionib. iudicia prouo cauerunt: sed quarum conditio confertur ad secretũ alienæ uoluntatis. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi de præterito, non de futuro tempore oratio sit concepta. quæ replicatio approbatur l. illæ autem. 69. ff. eod. tit. his uerbis*: Illæ institutiones captatoriæ non sunt, ueluti si quis ita hæredem instituat: Qua ex parte Titius me hæredem instituit, ex ea parte Mæuius hæres esto. quia in præteritum, non in futurũ institutio collata est. *Concordat item l. hoc articulo. 29. ff. eod. tit. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 5. q. 3. except. 5. repl. 1. Concordat item l. Clemens. 79. §. fin. ff. eod. tit. cuius uerba uide ẽ. except. prox. Concordat itẽ l. 2. §. aliter atque. ff. eod. tit. cuius uerba uide ẽ. except. prox. repl. 1. Altera replicatio uidetur*: *Nisi non in suam, sed in aliam personam captionem testator direxerit. quæ replicatio reprobatur d. l. 69. §. sed illud, his uerbis*: Illud quæri potest, an quod senatus censuit, idem seruãdum sit, etiamsi in aliam personam captionem direxerit? Veluti si ita scripserit: Si Titius Mæuium tabulis testamenti sui hæredem à se scriptum ostenderit probaueritq;, hæres esto. Quod in sententiam senatusconsulti incidere nõ est dubium. *Tertia replicatio est*: *Nisi miles ita hæredem instituerit. Hæc replicatio reprobatur l. captatorias. 11. C. de test. militis. cuius uerba uide ĩ. cap. 18. dupl. 5.*

CVIII.

CVIII. Exceptio: *Nisi ex maiore parte quàm ca pere potest, hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur ẽ. cap. prox. except. 82.*

CIX. Exceptio: *Nisi de re aliena hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 22. §. atq; hoc primum. cuius uerba uide ẽ. cap. 6. in prin. Hactenus ex re & parte, ex qua hæres institutus est, exceptiones desumptæ propositæ sunt. Nunc sumptæ ex causa institutionis proponendæ sunt.*

CIX. Exceptio: *Nisi error interuenerit. Hæc exceptio approbatur exemplo l. nec apud. 7. C. de hæred. instit. his uerbis*: Nec apud peregrinos fratrem sibi quisquam per adoptionem facere poterat. Cum igitur, quod patrem tuum uoluisse facere dicis, irritum sit: portionem hæreditatis, quam is aduersus quẽ supplicas, uelut adoptatus frater hæres institutus tenet, restitui tibi Præses prouinciæ curæ habebit. *Concordat l. aufertur. 46. in prin. ff. de iure fisci, his uerbis*: Aufertur ei quasi indigno successio, qui cum hæres institutus esset ut filius, post mortem eius qui pater dicebatur, suppositus declaratus est. *Concordat item l. cum proponas. 3. C. de hæred. inst. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. except. 134. repl. 2. ubi etiam propositæ exceptionis replicatio notanda in dupl. ibidem proposita.*

CX. Exceptio: *Nisi pœnæ nomine hæres sit institutus. Hæc exceptio iure antiquo approbata, reprobatur iure nouo, inst. de legatis. §. fin. cuius uerba uide ĩ. lib. 32. cap. 6. in prin.*

CXI. Exceptio: *Nisi litis causa Imperator uel quis alius hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur l. penult. ff. de hæred. inst. his uerbis*: Imperatorem litis causa hæredem instituì, inuidiosum est: nec enim calumniæ facultatem ex principali maiestate capi oportet. *Concordat Institut. quib. mod. test. infir. §. fin. cuius uerba uide ĩ. cap. 17. repl. 5.*

CXII. Exceptio: *Nisi fraudandorum creditorum causa quis seruos suos hæredes instituerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur §. lib. 19. cap. 5. except. 6. Hæc de exceptionibus sumptis ex causa institutionis: cuiusmodi exceptiones plures uide ẽ. cap. 9. in prin. Sequuntur nunc exceptiones sumptæ ex antecedentibus institutionem.*

CXIII. Exceptio: *Nisi hæres institutus antea fuerit exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur l. si filium. 21. ff. de liberis & posthum. cuius uerba uide ĩ. lib. proxim. cap. 7. except. 3. distinct. 1. repl. 1.*

CXIIII. Exceptio: *Nisi posthumo, uel eo qui in utero est, hærede instituto, ante institutionem is de quo sensit testator, sit natus. Hæc exceptio reprobatur l. Titius. 25. §. Lucius. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis*: Lucius Titius, cùm suprema sua ordinaret in ciuitate, & haberet neptem ex filia pregnantem, ruri agentem: scripsit id quod in utero haberet, ex parte hæredem. quæro, cùm ipsa die, qua Titius ordinaret testamentum in ciuitate, hora diei sexta, albescẽte cœlo, ruri sit enixa Mæuia masculum: an institutio hæredis ualeat, cùm quo tempore scriberetur testamentum, iam editus esset partus? Paulus, uerba quidem testamenti ad eum pronepotem directa uideri, qui post testamentum factum nasceretur: sed si (ut proponitur) eadem die, qua testamentum factum est, neptis testatoris, antequam testamentum scriberetur, enixa esset: licet ignorante testatore, tamen institutionem iure factam uideri, respondit. *Nunc de exceptionib. sumptis ex tempore, ex quo & ad quod, item ex conditione sub qua institutio facta est.*

CXV. Exceptio: *Nisi ex die uel ad diem institutio sit facta. Hæc exceptio approbatur inst. de hæred. inst. §. hæres, his uerbis*: Hæres & purè & sub conditione institui potest: ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest: ueluti, Post quinquennium quàm moriar, uel ex calendis illis, uel usque ad calendas illas hæres esto. Denique diem adiectum haberi pro superuacuo placet, & perinde esse, ac si purè hæres institutus esset. *Concordat l. hereditas. 34. ff. de hæred. instit. his uerbis*: Hæreditas ex die uel ad diem non rectè datur, sed uicio temporis sublato manet institutio. *Hæc exceptio, ut ex iam dictis constat, non uiciat institutionem, sed tantùm tempori adiecto obstat. de qua re uide item ĩ. cap. 19. except. 21.*

CXVI. Exceptio: *Nisi hæres post mortem suam, uel seruus post domini sui mortem sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l. extran. 9. C. de hæred. instit. his uerbis*: Extraneum etiam, cum morietur, sibi hæredem scribi placuit. *Cõcordat Inst. eod. tt. §. seruus etiã. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. exc. 99. Cõcordat item l. qui filio. 38. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. cap. proxim. except. 98. replic. 4. uide item ĩ. lib. 32. cap. 6. except. 75.*

CXVII. Exceptio: *Nisi sub conditione institutio sit facta. Hæc exceptio reprobatur Instit. de hæred. inst. §. hæres. cuius uerba uide ẽ. exc. 115. Plane exceptio proposita admittitur in suo hærede sub cõditione instituto. quæ distinctio approbatur l. si pater. 4. C. de inst. uel substit. his uerbis*: Si pater filium, quem in potestate habebat, sub conditione, quę in ipsius potestate non erat, hæredem scripsit, nec in defectum eius exhæredauit: iure testatus nõ uidetur. Cum autem trans mare & longè te agentem sub hac conditione hæredem scriptum esse dicas, si in patriam, quæ in prouincia Mauritaniæ erat, regressus fuisses, nec exhæredatum te alleges, si in eum locum non redijsses: manifestum est, multis casibus non uoluntarijs, sed fortuitis euenire potuisse, ut eam implere non posses. Et ideo adire hæreditatem non prohiberis. *Concordat l. Lucius. 81. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis*: Lucius Titius ita testamentum fecit: Aurelius Claudius natus ex illa mu-

liere

batur ibidem, his uerbis: Hærede autem scripto ex parte filio, cohæres post mortem filij institui potest. *Decima replicatio est: Nisi filius emancipatus, non is qui in potestate patris existit, hæres sub conditione sit institutus. quæ replicatio reprobatur d.§.si libertinus, ibi: si uerò deficiente. Vndecima replicatio est: Nisi filius conditioni paruerit, & ex testamento hæreditatem agnouerit. Hæc replicatio approbatur l.2.§.si sub condit.ff.de bonor.possess.secundum tabulas. cuius uerba uide ĩ.lib.34. cap.6.exc.33. Duodecima replicatio est: Nisi mater filium sub conditione hæredem instituerit. quæ replicatio approbatur l.si mater.31.in prin.ff.de uulgari substit. cuius uerba uide ĩ.cap.14.except.148.repl.1.*

CXVIII. *Exceptio: Nisi sub conditione captatoria hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt* ℨ.*except.107.*

CXIX. *Exceptio: Nisi institutio sit facta sub hac conditione, Si te codicillis hæredem scripsero. Hæc exceptio reprobatur l.institit.10. in prin. ff.de condit. institit. his uerbis:* Institutio talis, Si codicillis Seium hæredem scripsero, hæres esto: non est inutilis in quouis hærede instituto, præter filium. Est enim conditionalis institutio: nec uidetur hęreditas codicillis data, quod interdictũ est: uerùm conditionalis est hæc institutio, quasi testamento data esset. Proinde etsi ita scripserit, Cuius nomen codicillis scripsero, ille mihi hæres esto: pari ratione dicendum erit, institutionem ualere, nullo iure impediente.

CXX. *Exceptio: Nisi sub hac conditione, Si Titius uolet: hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur l.si quis.66. ibi: atquin si quis. ff.de hæred. instit. his uerbis:* Si quis ita scripserit, Si Titius uoluerit, Sempronius hæres esto: non ualet institutio. *Concordant ea quæ proposita sunt* ℨ.*cap.prox. except.91.*

CXXI. *Exceptio: Nisi quis sub hac conditione, Si Titius Capitolium ascenderit: hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur d.l.66. cuius uerba uide* ĩ.*lib.32.cap.6.except.81.*

CXXII. *Exceptio: Nisi ita facta sit institutio: Si Titius hæres erit, Seius hæres esto. Si Seius hæres erit, Titius hæres esto. Hæc exceptio approbatur l.si Titius. 16.ff.de condit.institit.his uerbis:* Si Titius hæres erit, Seius hæres esto. Si Seius hæres erit, Titius hæres esto. Iulianus inutilem esse institutionem scribit, cum conditio existere non possit.

CXXIII. *Exceptio: Nisi sub hac conditione, Si intra septuagesimum annum decessero: quis sibi hæredem instituerit. Hæc exceptio reprobatur l.potest.54. ff.de hæred.instit.his uerbis:* Potest quis ita hæredem instituere: Si intra annum septuagesimum decessero, ille mihi hæres esto. Non enim pro parte testatus intelligi debet, sed sub conditione instituisse.

CXXIIII. *Exceptio: Nisi ita facta sit institutio, Si unà socij bonorum meorum permanserint usq; ad annos sedecim, hæredes sunto. Hæc exceptio reprobatur l.si qui.4. in prin.ff.de condit.instit.his uerbis:* Si qui ita sint instituti, Si unà socij bonorum meorum permanserint usq; ad annos sedecim, hęredes sunto: inutilem esse institutionem secundum uerborum significationem, Marcellus ait. Iulianus aũt (quoniã & ante aditã hæreditatẽ iniri societas potest, quasi rei futuræ) ualere institutionẽ. quod est uerũ. *Hactenus exceptiones ex conditione institutionis desumptæ. Sed & plures huiusmodi institutiones uide* ĩ. *lib.32.cap.6.except.75.cum sequentibus.*

CXXV. *Exceptio: Nisi institutus postea rursus sit exhæredatus. De hac exceptione uide infrà cap.21. in princip.*

DE SVBSTITVTIONE uulgari. Cap. XIII.

EXpositis exceptionibus ex circumstantijs institutionum desumptis, nunc exceptiones ex substitutionibus desumptæ, sunt exponendæ. Quid autem & quotuplex sit substitutio, definitur l.1. in prin. ff.de uulgari substit.his uerbis: Hæredes aut instituti dicuntur, aut substituti. Instituti primo gradu, substituti secundo uel tertio. Hæredis institutio aut duplex est, aut simplex. Simplex, ueluti: Lucius Titius hæres esto. Si mihi Lucius Titius hæres non erit, tunc Caius Seius hæres esto. Duplex, ueluti: Filius mihi hæres esto. Si hæres non erit, siue erit, & intra pubertatem decesserit, tunc Caius Seius hæres esto. *Simplicem institutionem, seu potius substitutionem, iurisconsultus hic uocat uulgarem uel pupillarem tantùm: duplicem, uulgarem & pupillarem coniunctam. De illa in hoc capite, de hac* ĩ.*cap.prox.dicetur. Regulariter autem utraq; substitutio utilis est. quæ regula approbatur l.potest.34. ff.d.tit. his uerbis:* Potest quis in testamento plures gradus hæredum facere: utputa, Si ille hæres non erit, ille esto: & deinceps plures, ut nouissimo loco in subsidium uel seruum necessarium hæredem instituat. *Concordat ijsdem uerbis Inst.eod.tt.in prin. Planè huius regulæ exceptiones plures sunt in hoc & sequenti capite proponendæ: primùm quidem eæ quæ aduersus uulgarem, deinde quæ aduersus pupillarem institutionem competunt: sumptæ uel ex persona substituti, uel eius cui substitutio facta est, uel ex modo, uel ex alijs huiusmodi circumstantijs. Aduersus uulgarem igitur substitutionem ex persona quidem substituti exceptiones sumuntur hæ.*

CXXV. *Exceptio: Nisi plures in unius, uel unus in plurium locum substituantur, uel singuli in locum singulorum. Hæc exceptio reprobatur Inst.de uulgar.subst. §.& plures, his uerbis:* Et plures in unius locum possunt substitui, uel unus in plurium, uel singuli in singulorum, uel inuicem

uicem ipsi qui hæredes instituti sunt. *Concordat l.potest.34.§.fin. cum lege sequente. ff.eod.tt. his uerbis:* Vel plures in unius locum possunt substitui, uel unus in plurium, uel singulis singuli, uel inuicem ipsi qui hæredes instituti sunt, uel singulis liberis, uel ei qui eorum nouissimus morietur, hæres substitui potest. Singulis, si neminem eorum intestatò decedere uelit: nouissimo, si ius legitimarum hæreditatum integrum inter eos custodiri uelit.

CXXVI. *Exceptio: Nisi hæres institutus, instituto substituatur. Et hæc exceptio reprobatur uerbis Inst.d.§.& plures. & d.l.34.§.fin.iam propositis hisce:* Vel inuicem ipsi qui hæredes instituti sunt. *Concordat l.1.§.penult.ff.de uulgari substit.his uerbis:* Substituere liberis tam hæredibus institutis, quàm exhæredatis possumus: & tam eum quem hæredem nobis instituimus, quàm alterum.

CXXVII. *Exceptio: Nisi seruum proprium testator substituerit. Hæc exceptio reprobatur l.potest. 34.in prin.ff.de uulgari substitut. ibi: ut nouissimo. cuius uerba uide* ℨ.*cod.cap.in prin. Concordat iisdem uerbis Instit. eod.tt.in prin. Planè admitti uidetur exceptio proposita, si seruus alij legatus fuerit substitutus. uerùm distinctio hæc æquè reprobatur l.si seruus.16.§. fin.cum l.sequente.ff.d.tt. his uerbis:* Si Titio fuerit legatus seruus, poterit impuberi substitui cum libertate, quemadmodum institui potuit legatarius, & euanescet legatum exi stente conditione substitutionis. Idem est, etsi post mortem legatarij seruus sit substitutus. *Concordat l.quidam.5.§.quæ iuris.C.de necessarijs hæred. cuius uerba uide* ℨ.*cap.11.except.98. in fine, distinct.2.*

CXXVIII. *Exceptio: Nisi quis sibi ipsi substitutus sit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.qui liberis.8.§.nemo. ff.de uulgari substit. his uerbis:* Nemo institutus, & sibi substitutus, sine cau sæ mutatione quidquam proficit. Sed hoc in uno gradu. Cæterùm si duo sunt gradus, potest dici, ualere substitutionem. Et Iulianus lib.XXX. Digest. putat, siquidem sibi substitutus sit, cum haberet cohæredem Titium, Si Stichus hæres non erit, liber & hæres esto: non ualere substitutionem. Quòd si ita, Si Titius hæres non erit, tunc Stichus liber & hæres in eius partem esto: duos gradus esse. Atq; ideo repudiante Titio, Stichum liberum & hæredem fore. *Concordat l.ult.§.Titius.ff.eod.tt.his uerbis:* Titius hæres esto. Stichum Mæuio do lego. Stichus hæres esto. Si Stichus hæres non erit, Stichus liber hæresque esto. In hac quæstione in primis quærendum est, utrum unus gradus sit, an duo: & an causa mutata sit substitutionis, an eadem permaneat? Et quidem in plerisq; casibus quæritur, an ipse sibi substitui possit? Et respondetur, causa institutionis mutata, substitui posse. Igitur, si Titius hæres scriptus sit, & si hæres non sit, idem hæres iussus sit: substitutio nullius momenti erit. Sed si sub cõditione quis hæres scriptus sit, purè autem substitutus, causa immutatur: quoniã potest ex institutione deficere conditio, & substitutio aliquid adferre. Sed si extiterit conditio, duæ puræ sunt, & ideo nullius momenti erit substitutio. Contrà si purè quis instituatur, deinde sub conditione sibi substituatur: nihil faciet substitutio cõditionalis, nec mutata causa intelligetur: quippe cum si extiterit conditio, duæ puræ sint institutiones. Secundum hæc proposita quæstio manifestetur: Titius hæres esto. Stichum Mæuio do lego. Stichus hæres esto. Si Stichus hæres non erit, Stichus liber hæresq; esto. Nos didicimus, quando eodem testamento & legatus sit Stichus, & libertatem accipiat: pręualere libertatem. Et si prævaleat libertas, non deberi legatum. Et ideo iussu legatarij non posse adiri hæreditatem. Ac per hoc uerum est, Stichum hæredem non esse: & ex sequentibus uerbis libertatem illi competere, cum unus gradus uideatur. Quid ergo, si non adierit Titius? incipiet substitutione Stichus liber & hæres esse. Porrò quamdiu non adit iussu legatarij, nec ex causa legati intelligitur legatarij esse effectus: & ideo certum est, illum hæredem non esse, ac per hoc ex his uerbis, Si hæres non erit Stichus, liber hæresq; esto: liber & hæres existet. Et hoc autem quod sentimus, Iulianus quoque in libris suis probat.

CXXIX. *Exceptio: Nisi institutione non facta, substitutio facta sit. Hæc exceptio reprobatur l.cohæredi.39.§.fin.ff.de uulgari substit.his uerbis:* Non uideri cum uicio factam substitutionem his uerbis, placuit, Ille filius meus, si (quod abominor) intra pubertatis annos decesserit, tunc in locum partémue eius Titius hæres esto: non magis quàm si post demõstratam cõditionem sibi hæredem esse substitutum iussisset. Nam & qui certæ rei hæres instituitur, cohærede non dato, bonorum omnium hæreditatem obtinet. *Concordat l.cum in testamento.37.§.hæc uerba.ff.de hæred.instit.his uerbis:* Hæc uerba, Publius, Mæuius, Caius inuicem substituti hæredes mihi sunto: sic interpretanda sunt, ut bretiter uideatur testator tres instituisse hæredes, & inuicem eos substituisse, perinde ac si ita scripsisset: Ille, & ille, & ille instituti hæredes & substituti sunto. *Concordat item l.ei cui.10. ff.de mortis causa donat.his uerbis:* Ei cui mortis causa donatum est, posse substitui constat in hunc modum: ut promittat alicui, si ipse capere nõ possit,

uel ſub alia conditione. *Concordat l.unica. §. ſin autem aliquid,in fine.C.de caducis toll. cuius uerba uide ff.lib.32.cap.13.quæſt.1.reg.4.*

CXXX. *Exceptio, ſumpta ex gradu, quo ſubſtitutio facta eſt, reprobatur l.quo gradu.11.ff.de uulgari ſubſtit.his uerbis:* Quo gradu hæres liberis ſubſtituatur,nihil intereſt. *Concordat l.poteſt.34.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.eod.cap.in prin.*

CXXXI. *Exceptio: Niſi in codicillis ſubſtitutio ſit facta. Hæc exceptio approbatur quidem ipſo iure, ſed æquitatis ratione reprobatur l.Scæuola.76.ff.ad ſenatuſc.Trebell.his uerbis:* Scæuola reſpondit, Si pater filium ſuum impuberem ex aſſe ſcripſerit hæredem, eiq; codicillis ſubſtituerit, deinde filius impubes deceſſerit: licet ſubſtitutio inutilis ſit (quia codicillis hæreditas neq; dari,neq; adimi poteſt) tamen benigna interpretatione placet, ut mater quæ ab inteſtato pupillo ſucceſſit, ſubſtitutis fideicommiſſo obligetur. Quòd ſi inuicem fuerint ſubſtituti: & in fideicommiſſo ſubſtitutionem ualere. Vno quoq; eorum mortuo, qui ſuperſunt totum accipiunt.

CXXXII. *Exceptio: Niſi inſtitutus hæres exiſtat. Hæc exceptio approbatur l.quamdiu.3.ff.de adq. hæred.his uerbis:* Quamdiu prior hæres inſtitutus hæreditatem adire poteſt, ſubſtitutus non poteſt. *Concordat l.cum in teſtamento.37. in prin.ff.de hæred.inſtitut. cuius uerba uide §. capite 22. reg.12. Concordat item l.poſt aditam.5.C.de impuberum & aliis ſubſtit.his uerbis:* Poſt aditam hæreditatem directæ ſubſtitutiones non impuberibus filijs factæ,expirare ſolent. *Concordat item l.in conditionibus.19.§.ſed ſi ſic. ff.de condit. & demonſtrat. cuius uerba cum huius exceptionis replicationibus uide ff.lib.34.cap.7. condit.7.reg.2. Sed & huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi inſtitutus non ex teſtamento,ſed ab inteſtato hæres exiſtat. Hæc replicatio approbatur l.hæres,3. C.de impuber.& aliis ſubſtit.his uerbis:* Hæres inſtituta matris teſtamento, ſi ſucceſsionem ex teſtamento omiſiſti, & ab inteſtato bonorum poſſeſsionis ius habere uoluiſti: ſubſtituto locum quin feceris,in dubium nõ uenit. Proinde ſi ſubſtitutus hæreditatem amplexus eſt: actionibus quę aduerſus matrem competebant, ipſum conuenire, non ſucceſsionem ab inteſtato potes uindicare. *Concordat l.filium.60. ff.de adq.hæred.his uerbis:* Filium emancipatum pater ſolum hæredem inſtituerat: & ſi is hæres non eſſet, ſeruum liberum & hæredem eſſe iuſſerat. filius, tanquam pater demens fuiſſet,eius bonorum poſſeſsionem ab inteſtato petijt,& ita hæreditatem poſſedit. Labeo ait,ſi probaretur ſana mente patrem teſtamentum feciſſe,filium ex teſtamento patri hæredem eſſe. hoc falſum puto. nam filius,&c. *Plura de hac exceptione uide ff.lib.34.cap. 7.condit.7.reg.2.*

CXXXIII. *Exceptio: Niſi filio,& ex eo nepote poſthumo hærede inſtituto, Titius nepoti ſubſtitutus ſit.hoc enim caſu filio hærede exiſtente,Titius ſubſtitutus repellitur, quamuis is cui ſubſtitutus eſt, hæres non exiſtat. quæ exceptio approbatur l.ſi mater.31. §.ſi filius. ff.de uulgari ſubſtit. his uerbis:* Si filius, & ex eo nepos poſthumus ita hæredes inſtituantur, ut Gallo Aquilio placuit, & nepoti, ſi is hæres non erit, Titius ſubſtituatur: filio hærede exiſtente, Titium omnimodò, id eſt, etiamſi nepos natus non fuerit,excludi, Africanus reſpondit.

CXXXIIII. *Exceptio: Niſi alius per inſtitutum hæres exiſtat, puta pater uel dominus: hoc enim caſu, quamuis inſtitutus ipſe hæres non exiſtat, non tamen ſubſtitutus admittitur. quæ exceptio approbatur l.qui filio.38.§.fin. ibi: nam qui ſcit. ff.de hæred.inſtit. cuius uerba uide §.eod.except.repl.2.dupl.1. Concordat l.ſi quis.7.in prin.ff.de adquir.hæred.his uerbis:* Si quis filiumfamiliâs hæredẽ inſtituerit,& ita ſcripſerit: Si mihi Titius iſte filiusfamiliâs hæres non erit,Sempronius hæres eſto.filio adeunte iuſſu patris, ſubſtitutus excluditur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi ſeruus duorum hæres inſtitutus, unius tantùm domini iuſſu adierit:hoc enim caſu in alteram partem,quæ iubenti domino non adquiritur,ſubſtitutus admittitur.quæ replicatio approbatur l.ult.in prin. ff.de uulgari ſubſtit. his uerbis:* Seruum cõmunem habemus,hic hæres ſcriptus eſt: & ſi hæres non ſit, Mæuius illi ſubſtitutus eſt: alterius iuſſu dominorũ adijt hæreditatem, alterius nom. quæritur, an ſubſtituto locus ſit,an non? & uerius eſt, ſubſtituto locum eſſe. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi ſeruus poſtea manumiſſus, ſuo arbitrio adierit. quæ duplicatio approbatur l.ſeruus.63. cum lege ſequente.ff.de adq.hæred.his uerbis:* Seruus duorum hæres inſtitutus, & adire iuſſus, ſi alterius domini iuſſu adierit, deinde manumiſſus fuerit: poterit ipſe adeundo ex parte dimidia hæres eſſe. Et ſi ſubſtitutum haberet idem ſeruus ita; Si hæres non erit,ille hæres eſto: ſubſtitutus locum non habet. *Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi teſtator ſeruum exiſtimans liberum, hæredem inſtituerit. quæ replicatio approbatur l.cum proponas.3.C.de hæred.inſtit.his uerbis:* Cum proponas Alexandrũ equitem teſtamento primo loco Iulianum, ut libertum ſuum, hæredem inſtituiſſe,eiq; ſubſtituiſſe his uerbis, Quòd ſi ex aliqua cauſa primus hæreditatem meam adire nõ luerit,uel non potuerit:tũc in locum ſecundum hæredem ſubſtituo Vitalem: poſt mortem autem teſtatoris Iulianũ ſeruum communem fuiſſe defuncti militis & Zoili fratris eius,apparuerit: an tu ex ſubſtitutione admittaris, uoluntatis eſt quæſtio. Nam ſi credens eum proprium & ſuum libertũ,hæredem inſtituit, nec per eum ad aliũ quenquam

quam hęreditatem pertinere uoluit: extitit conditio ſubſtitutionis,tibiq; hęreditas delata eſt. Quòd ſi uerba ſubſtitutionis ſubſcriptæ ad ius retulit, ut ſi nec per ſemetipſum alium feciſſet hæredẽ (potuit enim, quamuis iubẽte domino,nolle adire) ita demum ſubſtitutus uocaretur,ſi tamen paruit domino,& adijt: ſubſtitutioni locus non eſt. *Concordant ea quæ habentur §.dupl.prox. Eſt autẽ propoſitæ replicationis duplicatio hæc, Quòd in caſu propoſito ſubſtitutus non in totum, ſed in quartam tantùm partem admittatur. quæ duplicatio approbatur l.qui filio.38.§.fin.cum lege ſequente. ff.de hær.inſtit.his uerbis:* Si paterfamiliâs Titiũ,quem ingenuum eſſe credebat,hæredem ſcripſerit, eiq; ſi hæres non eſſet,Sempronium ſubſtituerit: deinde Titius,quia ſeruus fuerat, iuſſu domini adierit hæreditatem: poteſt dici,Sempronium in partem hæreditatis admitti. Nam qui ſcit aliquem ſeruum eſſe, & eum hæredem ſcribit,& ita ſubſtituit,Si Stichus hęres non erit,Sępronius hæres eſto: intelligitur tale quid dicere, Si Stichus neq; ipſe hæres erit,neq; alium fecerit. Atqui ſi eum quem liberum putabat, hæredẽ ſcripſerit hoc ſermone,Si hæres non erit: nihil aliud intelligitur ſignificare, quàm ſi hæreditatem uel ſibi non adquiſierit, uel mutata conditione alium hæredem non fecerit. Quæ adiectio ad eos pertinet, qui patresfamiliarum hæredes ſcripti, poſtea in ſeruitutem deducti fuerint. Igitur in hoc caſu duo ſemiſſes fiẽt: ita ut alter ſemis inter eũ qui dominus hæredis inſtituti fuit, & ſubſtitutum ęquis portionibus diuidatur. Et hoc Tyberius Cæſar conſtituit in perſona Parthẽmij, qui tanquã ingenuus hæres ſcriptus, adierat hæreditatem, cum eſſet Cæſaris ſeruus. Nam diuiſa hæreditas eſt inter Tyberiũ & eum qui Parthemio ſubſtitutus erat, ut refert Sextus Põpeius. *Concordat Inſt.de uulgari ſubſt.§.fin.his uerbis:* Si ſeruum alienum quis patremfamiliâs arbitratus,hæredẽ ſcripſerit,& ſi hæres non eſſet, Mæuium ei ſubſtituerit; iſque ſeruus iuſſu domini adierit hæreditatem: Mæuius ſubſtitutus in partem admittitur. Illa enim uerba,Si hæres non erit: in eo quidẽ quem alieno iuri ſubiectum eſſe teſtator ſcit, ſic accipiuntur, Si neq; ipſe hæres erit, neque alium hæredem effecerit. In eo uerò quem patremfamiliâs eſſe arbitratur,illud ſignificant, Si hæreditatem ſibi, uel ei cuius iuri poſtea ſubiectus eſſe cœperit,non adquiſierit. Idq; Tyberius Cæſar in perſona Parthẽmij ſerui ſui conſtituit.

CXXXV. *Exceptio: Niſi cum quis duob.ſubſtitutus eſſet, unus ex illis hæres exiſtat: hoc enim caſu, quamuis alter hæres non exiſtat, ſubſtitutus tamẽ non admittitur. Quæ exceptio approbatur l.cum quidam duobus impuberib.filijs ſuis hæredibus inſtitutis, adiecit:* Si uterq; impubes deceſſerit,illum ſibi eſſe hæredem. dubitabatur apud antiquos legum authores, utrúmne tunc uoluerit ſubſtitutum admitti tantummodò,cum uterq; filius eius in prima ætate deceſſerit: an alterutro decedente, illico ſubſtitutum in eius partẽ ſuccedere? Et placuit Sabino, ſubſtitutionem tunc locum habere,cum uterq; deceſſerit. Cogitaſſe enim patrẽ,primo decedente, fratrem ſuum in eius portione ſuccedere. Nos eiuſdem Sabini ueriorem ſentẽtiam exiſtimantes, non aliter ſubſtitutionem admittẽdam eſſe cenſemus, niſi uterq; eorum in prima ætate deceſſerit. *Concordat l.ſi pater.23.ff.de uulgari ſubſtit.his uerbis:* Si pater impubes filios inuicem ſubſtituerit, & ei qui nouiſsimus mortuus fuerit,Titium: reſpondendum eſt, ſolos fratres bonorum poſſeſsionem accepturos, & quodammodò duos gradus huius inſtitutionis factos, ut primò fratres inuicem ſubſtituerẽtur: ſi illi non eſſent, tunc Titius uocaretur. *Planè propoſitæ exceptionis replicatio uidetur eſſe talis: Niſi alternatiuè,puta,Si ille aut ille hæres non erit:ſubſtitutio ſit facta. Verum replicatio hæc reprobatur l.ſi is.14.§.fin.ff.de rebus dubijs. cuius uerba uide §.lib.34.cap.5.quæſt.3.except.11. repl.1.dupl.3.*

CXXXVI. *Exceptio: Niſi inſtitutus adhuc hæres exiſtere poſſit. Hæc exceptio approbatur l.quamdiu.3. ff.de adq.hæred.cuius uerba uide §.except.132. Concordat l.ſuus.4.§.fin.ff.de hæred.inſtit.cuius uerba uide §. cap.prox.except.117.repl.1.item concordat l.ult.§.fin. ff.de condit.inſtit.cuius uerbà uide §.d.repl.1.dupl.1.*

CXXXVII. *Exceptio: Niſi ſubſtitutus conditionem inſtitutioni adiectam non impleuit. Hæc exceptio reprobatur l.ſub cond.71. ff. de hæred.inſtit.his uerbis:* Sub conditione hærede inſtituto, ſi ſubſtituamus,niſi eãdem conditionẽ repetemus, purè eum hęredẽ ſubſtituere intelligemur.

CXXXVIII. *Exceptio: Niſi conditio ſubſtitutionis non exiſtat. Hæc exceptio approbatur l.qui liberis.8.in prin.ff.de uulgari ſubſt.his uerbis:* Qui liberis impuberibus ſubſtituit, aut purè aut ſub conditione ſolet ſubſtituere. Purè ſic,Si filius meus intra pubertatẽ deceſſerit, Seius hæres eſto. Siue enim Seius iſte hæres inſtitutus ſit, & impuberi ſubſtitutus, ſiue ſolum ſubſtitutus, nullam habet conditionem. Sub conditione autem inſtitutum ſi ſubſtituat,id eſt,Si mihi hæres erit: nõ aliàs exiſtet hæres ex ſubſtitutione, niſi ex inſtitutione hæres fuerit. Cui ſimilis eſt & hæc ſubſtitutio: Quiſquis mihi ex ſupraſcriptis hæres erit,habet enim in ſe eandem conditionem. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt:Niſi ſubſtituto ſub hac conditione,Si ex inſtitutione*

hæres esset, hæreditas tanquam indigno sit ablata: hoc enim casu nihilominus ex substitutione tanquam impleta conditione admittitur. quæ replicatio approbatur l. ex facto. 41. §. Iulius. ff. eod. tt. his uerbis: Iulius Longinus pater eos quos sibi hæredes instituerat, filijs ita substituit, Quisquis mihi hæres erit, unus ex hæredibus institutis, qui tacitam fidem accommodauerat, ut non capienti partem ex eo quod acceperat daret, ad substitutionem impuberis admissus, utrum pro ea parte, pro qua scriptus fuit, ueniat: an uerò pro ea quam cepit, ita ut augeatur eius pars in substitutione? Paulus respondit: Qui in fraudem legum fidem accommodat, adeundo hęres efficitur: nec desinet hæres esse, licet res quæ ita relictæ sunt, auferantur. Vnde & ex secundis tabulis in tantum hæres esse potest, in quantum scriptus est. Satis enim punitus est in eo, in quo fecit contra leges. Quinimò etsi desineret hæres esse, idem dicerem: quemadmodum intelligendum est in eo, qui cum scriptus esset hæres, postquam adijt hæreditatem, in seruitutem redactus est, & postea libertate donatus: cui permissum est ad substitutionem uenire, quæ ei in testamento fuerat relicta. Licet enim hæreditatem ex institutione amisit: tamen ex substitutione istam portionem, quam tum amisit, percepturũ.

Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi sub hac conditione, Si ex institutione hæres erit: substitutus hæres extiterit. tunc enim, quamuis postea hæres existere desierit, nihilominus ex substitutione admittitur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce: Quinimò etsi desineret hæres esse, idem dicerem, &c.

CXXXIX. *Exceptio: Nisi ita substitutus, Si hæres erit: non ex testamento, sed ab intestato uel alio modo hæres existat. Hæc exceptio approbatur l. qui liberis. 8. §. 1. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Hæc uerba, Quisquis mihi hæres erit, idem impuberi filio hæres esto: hunc habent sensum, ut ei non omnis qui patri hæres extiterit, sed qui ex testamento hæres extiterit, substitutus uideatur. Et ideo neque pater qui per filium, neque dominus qui per seruum hæres extitit, ad substitutionem admittetur. Sed neq; hæredis hæres: quia non ex iudicio ueniunt.

CXL. *Exceptio: Nisi cum ex duobus ei quis substitutus esset, qui posterior mortuus fuerit, ambo simul decesserint: uel incertum sit, uter prior uel posterior mortuus esset. Hæc exceptio reprobatur l. ex duob. 34. in prin. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Ex duobus impuberibus ei qui supremus moreretur, hæredem substituit. Si simul morerentur, utrique hæredem esse Africanus respondit: quia supremus non is demum qui post aliquem, sed etiam post quem nemo sit, intelligitur. Sicut & econtrariò proximus non solùm is qui ante aliquem, sed etiam is ante quem nemo sit, intelligitur. *Concordat l. qui duos. 40. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. capite 2. quæst. 5. reg. 22. except. 6. Item concordat l. qui duos. 10. in prin. ff. de rebus dubijs. cuius uerba uide ẽ. lib. 7. cap. 9. reg. 13. in fine. Concordat item l. qui ex. 11. in prin. ff. de bonor. possess. secund. tabulas, his uerbis:* Qui ex liberis meis impubes supremus morietur, ei Titius hæres esto: ambobus peregrè defunctis, si substitutus ignoret uter nouissimus decesserit: admittenda est Iuliani sententia, qui propter incertum conditionis, etiam prioris posse peti bonorum possessionem respondit.

CXLI. *Exceptio: Nisi cum quis in eam partẽ substitutus esset, quam Mæuius capere non posset, Mæuius solidum capere posit. Hæc exceptio approbatur l. qui non. 76. §. fin. ff. de hæred. instit. his uerbis:* Seius Mæuium ex parte, quã per leges capere potuit, hæredẽ instituit, ex reliqua Titium. Si Mæuius solidum capere poterit, Titius adiectus aut substitutus, hæres non erit.

CXLII. *Exceptio: Nisi ei cui substitutio facta est, postea nascantur liberi. Hæc exceptio approbatur l. ex facto. 41. in prin. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Ex facto quæritur, Qui filium habebat mutũ puberem, impetrauit à Principe, ut muto substituere ei liceret, & substituit Titium. Mutus duxit uxorem post mortem patris, & nascitur ei filius: quæro, an rũpatur testamentum? Paulus respondit: Beneficia quidem principalia ipsi Principes solent interpretari: uerùm uoluntatem Principis inspicientibus potest dici, eatenus id eum tribuere uoluisse, quatenus filius eius in eadem ualetudine perseuerasset: ut quemadmodum iure ciuili pubertate finitur pupillare testamentum, ita Princeps imitatus sit ius in eo, qui propter infirmitatẽ non potest testari. Nam & si furioso filio substituisset, diceremus desinere ualere testamentum, cum resipuisset: quia iam posset sibi testamentum facere. Etenim iniquum incipit fieri beneficiũ Principis, si adhuc hic ualere dicamus. Auferetur enim testamenti factio homini sanę mentis. Igitur etiam adgnatione sui hæredis dicendum est rumpi substitutionẽ: quia nihil interest, alium hæredẽ instituerit ipse filius postea, an iure habere cœperit suum hæredem. nec enim aut patrem aut principem de hoc casu cogitasse uerisimile est, ut eũ qui postea nasceretur, exhæredaret. Nec interest, quemadmodum beneficium principale intercedat circa testamenti factionẽ, utrum in persona unius, an complurium. *Concordat l. cum auus. 100. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Cum auus filium ac nepotem ex altero filio hęredes instituisset, à nepote petijt, ut

tijt, ut si intra annum triceſimũ moreretur, hæreditatem patruo suo restitueret: nepos liberis relictis, intra ætatem suprascriptam uita decesit: fideicommissi conditionem coniectura pietatis defecisse, Papinianus respõdit: quòd minus scriptum, quàm dictum fuerat, inueniretur. *Concordat item l. generaliter. 6. §. cum autẽ. C. de inst. uel substit. his uerbis:* Cum inuenimus excelsi ingenij Papinianum in huiusmodi casu, in quo pater filio suo substituit, nulla liberorum ex his procreãdorum adiectione habita, ex optimo intellectu disposuisse, euanescere substitutionẽ, si is qui substitutione prægrauatus est, pater efficiatur, & liberos sustulerit: & intelligentẽ, non esse uerisimile, patrem, si de nepotibus cogitauerit, talem fecisse substitutionem: humanitatis intuitu hoc & latius & pinguius interpretandum esse credidimus, ut si quis naturales filios habeat, & partem eis reliquerit uel dederit usq; ad modũ quem nos statuimus, & substitutioni eos subiugauerit, nulla liberorum eorum mentione facta: & hic intelligi euanescere substitutionẽ, liberis eam excludẽtibus, & intellectu optimo his qui ad substitutionẽ uocantur, obsistente, & non cõcedente ad eos eam partem uenire, sed ad filios uel filias, nepotes uel neptes, pronepotes uel proneptes morientis transmittẽte, & non aliter substitutione locum accipiente, nisi ipsi liberi sine iusta sobole decesserint: ut quod inter iustos liberos sancitum est, hoc & in naturales filios extendatur. Quæ omnia & in legatis & in fideicommissis specialibus locum habere sancimus. *Concordat denique l. cum acutiſs. 30. C. de fideicommiſſis, hiſce uerbis:* Cum acutissimi ingenij uir, & meritò ante alios excellens, Papinianus in suis statuit respõsis, Si quis filium suum instituit hæredẽ, & restitutionis post mortem oneri subegit: non aliter hoc uideri disposuisse, nisi cum filius eius sine sobole uitam suã reliquerit: nos huius sensum meritò mirati, plenissimum ei donamus euentum: ut si quis hæc disposuerit, non tantùm filium hæredem instituens, sed etiã filiam, uel ab initio nepotem uel neptem, pronepotem uel proneptem, uel aliam deinceps posteritatem, & eam restitutionis post obitum grauamini subiugauerit: nõ aliter hoc sensisse uideatur, nisi hi qui restitutione onerati sunt, sine filijs uel filiabus, nepotibus uel neptibus, pronepotib. uel proneptibus fuerint defuncti: ne uideatur testator alienas successiones proprijs anteponere. *Plane propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi testator alij quàm liberis suis substituerit. hoc enim casu propositæ exceptioni locus non est, ut patet ex legibus iam propositis, quæ omnes loquuntur in casu, quo parentes liberis substituerunt, non alio. Altera replicatio est: Nisi liberis naturalibus, non legitimis substitutio sit facta. Hæc replicatio reprobatur uerbis d. l. 6. §. cum autem, paulò superius propositis. Tertia replicatio est: Nisi is cui substitutio facta est, non legitimos, sed naturales liberos reliquerit. quæ replicatio elicitur ex uerbis d. §. cum autem, ẽ. propositis hisce:* Nisi ipsi liberi sine iusta sobole decesserint. *Quarta replicatio est: Nisi is cui substitutio facta est, non filium, sed alios liberos reliquerit. Hæc replicatio reprobatur uerbis d. l. 30. ẽ. propositis. Hactenus exceptiones aduersus uulgarem substitutionem sunt enumeratæ: quarum plures uide ĩ. ubi de legatis & fideicommissis tractabitur. Sanè cui substitutio sit utilis, uide ĩ. capite 22. reg. 13. cum sequentibus. item quid & quantum ex ea debeatur, dicetur ĩ. cap. 23. Nunc de pupillari substitutione differendum.*

DE SVBSTITVTIONE pupillari. Cap. XIIII.

Quid pupillaris substitutio sit, & quòd regulariter quidem ea sit utilis, definitur inst. de pupillari substitut. in prin. his uerbis: Liberis suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solùm ita, ut suprà diximus, substituere potest: id est, ut si hæredes ei non extiterint, alius sit ei hæres. Sed eo amplius, ut si hæredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, sit eis aliquis hæres: ueluti si quis dicat hoc modo: Titius filius meus hæres mihi esto: & si filius meus hæres mihi nõ erit, siue hæres erit, & prius moriatur, quàm in suam tutelam uenerit: tunc Seius hæres esto. Quo casu, si quidem non extiterit hæres filius: tunc substitutus patri sit hęres. Si uerò extiterit hæres filius, & ante pubertatem decesserit: ipsi filio sit hæres substitutus. Nam moribus institutum est, ut cum eius ætatis filij sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt: parentes eis faciant. *Concordat l. 2. in prin. ff. de uulgari substit. cuius uerba uide ĩ. except. prox. Concordat item l. si testam. 7. C. de impuberum & aliis substit. his uerbis:* Si testamento facto, intra pupillarem ætatem & in sua potestate cõstitutæ filiæ, si intra pubertatem decesserit, directis uerbis pater substituit: hæredem te factum ex testamento post euentum conditionis intestati successionem excluſisse constitit. *Planè propositæ regulæ seu substitutionis exceptiones speciales hæ sunt quæ sequuntur.*

CXLIII. *Exceptio: Nisi ei qui non est in potestate testatoris, pupillariter sit substitutum. Hæc exceptio approbatur instit. de pupill. substit. §. fin. cuius uerba uide ĩ. repl. 2. Concordat l. 2. in prin. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Moribus introductum est, ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos perueniant, fœminæ ad duodecim.

cim. Quod sic erit accipiendum, si sint in potestate. Cæterùm emancipatis non possumus. Planè posthumis possumus, nepotib. etiam possumus, & deinceps, si qui non recasuri sunt in patris potestatem. Sed si eos pater præcedat, ita demum substitui eis potest, si hæredes instituti sint, uel exhæredati. Ita enim post legem Velleam succedendo non rumpunt testamentũ. Nam si principale testamentum ruptum sit, & pupillare euanuit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi posthumo pupillariter substitutum sit. hic enim, quamuis in potestate testatoris non sit, puta quia nondum exiſtit: tamen ualet substitutio, si in potestate testatoris natus sit futurus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Planè posthumis possumus. *Concordat Institut. de pupillari substit. §. quæcunq;, his uerbis:* Quæcunque diximus de substitutione impuberum liberorum, uel hæredem institutorum, uel exhæredatorum: eadem etiam de posthumis intelligimus. *Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi testator impuberem, cui pupillariter substituit, postea adrogauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.2. in princ. ibi: sed etsi, his uerbis:* Si extraneum quis impuberem hæredem scripserit, poterit ei substituere, si modò eum in locum nepotis adoptauerit uel adrogauerit, filio præcedente. *Tertia replicatio est: Nisi quis non directis uerbis extraneo substituat, sed per fideicommissum. Hæc replicatio approbatur Inst. de pupill. substit. §. fin. his uerbis:* Extraneo uel filio puberi hæredi instituto, ita substituere nemo potest, ut si hæres extiterit, & intra aliquod tẽpus decesserit, alius ei sit hæres. Sed hoc solum permissum est, ut eum per fideicommissum testator obliget, alij hæreditatem eius, uel totam, uel pro parte restituere. Quod ius quale sit, suo loco trademus. *Quartæ replicationis loco notandum est aliud remedium, quod proponitur l. cum ex 37. in princ. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Cum ex filio quis duos nepotes impuberes haberet, sed alterum eorum in potestate, alterum non, & uellet utrunq; ex æquis partibus hęredem habere, & si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre: ex cõsilio Labeonis, Ofilij, Cascellij, Trebatij, eum quem in potestate habebat, solum hæredem fecit: & ab eo alteri dimidiam partem hæreditatis, cum in suam tutelam ueniſſet, legauit. Quòd si is qui in potestate sua esset, impubes decessisset, alterum hæredem ei substituit. *Quinta replicatio est: Nisi miles extraneo pupillariter substituerit. quæ replicatio approbatur l. in testamento. 6. in fine. C. de test. militis. cuius uerba uide §. excepti. 160. Concordat l. miles. 41. §. exhæredato. ff. de militari test. his uerbis:* Exhæredato miles & emancipato filio substituere potest. Verùm hoc ius in his exercebitur, quæ ab ipso ad eũ cui substituit, peruenerint: non etiam in his quæ habuerit, uel etiam postea adquisierit. nam etsi filio suo, uiuo adhuc auo, substituit, pòst adquisitam ei aui hæreditatem nemo diceret ad substitutum pertinere. *Concordat l. milites. 5. ff. eod. tt. his uerbis:* Milites etiam his qui hæredes eis extiterint, possunt substituere, in his duntaxat quæ sunt in testamento eorum consecuti. *Concordat item l. cum filiusfam. 28. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 18. dupl. 9.*

CXLIIII. *Exceptio: Nisi posthumo pupillariter sit substitutum. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt §. except. prox. repl. 1.*

CXLV. *Exceptio: Nisi nepoti uel pronepoti suo, qui post mortem testatoris in patris potestatem recasurus est, pupillariter substituit. Hæc exceptio approbatur l. 2. in prin. ibi: si qui non. ff. de uulgari substit. cuius uerba uide §. except. 143. in prin.*

CXLVI. *Exceptio: Nisi is cui pupillariter substitutum est, sit exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur Instit. de pupill. substit. §. non solùm, his uerbis:* Non solùm hæredibus institutis impuberibus liberis ita substituere parentes possunt, ut si hæredes eis extiterint, & ante pubertatem mortui fuerint, sit eis hæres is quem ipsi uoluerint: sed etiam exhæredatis. Itaq; eo casu, si quid exhæredato pupillo ex hæreditatibus, legatisúe, aut donationibus propinquorum atque amicorum adquisitum fuerit, id omne ad substitutum pertinebit. *Concordat l. 1. §. penult. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 126.*

CXLVII. *Exceptio: Nisi præterito pupillariter sit substitutum. Hæc exceptio approbatur l. 2. in princ. ibi: sed si eos. ff. d. tt. cuius uerba uide §. except. 143. in princ.*

CXLVIII. *Exceptio: Nisi ei qui sub conditione hæres institutus est, pupillariter substituatur. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §. cap. 11. except. 117. Sed & eius replicatio hæc est: Nisi mater filium sub conditione hæredem instituerit, & pupillariter ei substituerit. quæ replicatio approbatur l. si mater. 31. in princ. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Si mater ita testetur, ut filium impuberem, cum erit annorum quatuordecim, hæredem instituat, eiq; in pupillaribus tabulis, si sibi hæres non erit, alium substituat: ualet substitutio.

CXLIX. *Exceptio: Nisi filio naturali quis pupillariter substituat. Hæc exceptio species est superadictæ 143. exceptionis, approbaturq; l. Lucius. 43. in prin. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Lucius Titius legitimum filium & alterum naturalem hęredes instituit, eosq; inuicem substituit. Titius legitimus filius, quem pater anniculum reliquit, post patris mortem impubes decessit, superstite matre & fratre naturali, quem etiam cohæredem habebat. quæro, hæreditas eius

tas eius ad Titium naturalẽ fratrem ex causa substitutionis pertineat, an uerò ad matrem? Paulus respondit, ad primum casum non existẽtium hæredum substitutionem, de qua quæritur, pertinere, non ad sequentem, si quis eorum postea decessisset intra pubertatem: cum naturalis filij duplex substitutio locum habere non possit. Et ideo ad matrem legitimi filij hæreditas ab intestato pertinet. aliter si eiusdem ætatis liberi instituti, inuicemq; substituti fuissent: tunc enim altero defuncto intra pubertatem, eius successio non ad matrem, sed ad substitutum fratrem eius deuoluitur.

CL. *Exceptio: Nisi puberi pupillariter, uel alio simili modo sit substitutum. Hæc exceptio approbatur Instit. de pupill. substit. §. fin. cuius uerba uide §. except. 142. repl. 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi furioso uel mẽte capto puberi pupillariter substituatur. quæ replicatio approbatur Inst. eod. tt. §. qua ratione, his uerbis:* Constitutionem posuimus in nostro codice, qua prospectum est, ut si qui mente captos habeant filios, uel nepotes, uel pronepotes cuiuscunque sexus uel gradus: liceat eis, etsi puberes sint, ad exemplum pupillaris substitutionis certas personas substituere. Sin autem resipuerint, eandem substitutionem infirmari. Et hoc ad exemplũ pupillaris substitutionis, quæ postquam pupillus adoleuerit, infirmatur. *Ait Imper.* Constitutionem posuimus. *Scilicet l. humanitatis. 9. C. de impuberum & aliis substit. his uerbis:* Humanitatis intuitu parentibus indulgemus, ut si filium, nepotem, uel pronepotem cuiuscunq; sexus habeant, nec alia proles descendentium eis sit: iste tamen filius uel filia, nepos uel neptis, pronepos uel proneptis mente captus uel mente capta perpetuò sit, uel si duo uel plures isti fuerint, nullus uerò eorum sapiat: liceat ij sdem parentibus, legitima portione ei uel eis relicta, quos uoluerint his substituere: ut occasione huiusmodi substitutionis ad exemplum pupillaris querela nulla contra testamentum eorum oriatur. Ita tamen, ut si postea resipuerit, uel resipuerint, talis substitutio cesset: uel si filia aut alij descendentes ex huiusmodi mente capta persona sapientes sint, non liceat parenti, qui uel quæ testatur, alios quàm ex eo descendentes unum, uel certos, uel omnes substituere. Sin uerò etiam liberi testatori uel testatrici sint sapientes, ex his uerò personis quæ mente captæ sunt, nullus descendat: ad fratres eorum unum, uel certos, uel omnes, eandem fieri substitutionem oportet. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi furiosus, cui substituitur, fratres habeat non furiosos. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nec alia proles descendentium eis sit. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi testator fratres furiosi ei substituat. quæ triplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Sin uerò etiam liberi testatori uel testatrici sint sapientes, &c. *Altera duplicatio est: Nisi furiosus cui substituitur, descendentes habeat non furiosos. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vel si filia aut alij descendentes ex huiusmodi, &c. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi hi, non alij substituantur. quæ triplicatio ex ijsdem uerbis constat. Tertia duplicatio est: Nisi non sit perpetuò furiosus. Quæ duplicatio approbatur uerbis §. propositis hisce:* Mente captus uel mente capta perpetuò sit, &c. *Quarta duplicatio est: Nisi is cui substitutio facta est, resipuerit. Hæc duplicatio approbatur §. except. 175. Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione sint dicta. Altera eius replicatio est: Nisi muto pupillariter substituatur. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l. ex facto. 41. in prin. ff. de uulgari substit. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 142. Plures huiusmodi replicationes uide §. except. 143.*

CLI. *Exceptio: Nisi non omnibus liberis pupillariter sit substitutum. Hæc exceptio reprobatur l. qui plures. 36. in prin. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Qui plures liberos habet, potest quibusdã substituere: neq; utiq; necesse habet omnibus: sicuti potest nulli substituere. *Concordat Instit. de pupill. substit. his uerbis:* Vel singulis liberis, uel ei qui eorum nouissimus impubes morietur, substitui potest. Singulis quidem, si neminem eorum intestatum decedere uoluerit: nouissimo, si ius legitimarum hæreditatum integrum inter eos custodiri uelit. *Concordat item l. uel singulis. 35. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 125.*

CLII. *Exceptio: Nisi posthumus liberis sit substitutus. Hæc exceptio reprobatur l. 2. §. prius autem, in fin. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Et posthumũ suum filio impuberi potest quis substituere.

CLIII. *Exceptio: Nisi is qui post mortem pupilli natus fuerit, pupillariter fuerit substitutus. Et hæc exceptio reprobatur l. substitui. 15. ff. eod. tt. his uerbis:* Substitui liberis is etiam potest, qui post mortẽ eius natus fuerit, cui substitutus hæres fuerit. *Planè admittitur exceptio propositæ, si uiuo pupillo fuerit natus. quæ distinctio approbatur l. si pater. 24. ff. eod. tt. his uerbis:* Si pater filium impuberem hæredem scripserit, & ei substituerit, si quis sibi post mortem natus fuerit, deinde uiuo fratre posthumus natus erit: testamentum rumpetur. Post mortem autem fratris, uiuo patre natus, solus hæres patri suo existet.

CLIIII. *Exceptio: Nisi non nominatim, sed generaliter substitutum sit. Hæc exceptio reprobatur Instit. de pupill. substit. §. substituitur, his uerbis:* Substituitur impuberi aut nominatim, ueluti Titius: aut generaliter: ut, Quisquis mihi hęres

inuicem substituerit. Hæc triplicatio reprobatur l.in testamento.6.C.de testamento militis. cuius uerba uide §.d.except.160. Altera propositæ replicationis duplicatio est: *Nisi impubes & alius hæres sit institutus, & ambobus substitutum sub hac conditione, Si hæredes non erunt: hoc enim casu conditio hæc etiam, quoad impuberem, non extenditur ad utrunq; casum. quæ duplicatio approbatur l.quamuis.4. C.de impuberum & aliis substit. bis uerbis:* Quãuis placuerit substitutionem impuberi, qui in potestate testatoris fuerit, à parente factam ita, Si hæres non erit: porrigi ad eum casum, quo posteaquàm hæres extitit, impubes decesserit, si modò non contraria defuncti uoluntatem extitisse probetur: cum tamen proponas, ita substitutionem factam esse, Si mihi Firmianus filius & Ælia uxor mea (quod abominor) hæredes non erunt, in locum eorum Publius Firmianus hæres esto: manifestum est, in eum casum factam substitutionem, quo utriq; hæredum substitui potuit. *Tertia duplicatio est: Nisi miles filio in unũ casum substituerit. quæ duplicatio approbatur l.precibus.8. C. eod.tt. bis uerbis:* Precibus tuis manifestius exprimere debueras, maritus quondam tuus miles defunctus, quem testamẽto facto hæredem cõmunem filium uestrum instituisse proponis, & secundum hæredem scripsisse: utrumne in primum casum filio suo, quem habuit in potestate mortis tẽpore, an si intra quartum decimũ suæ ætatis annum, aut postea decesserit, substituerit. Nam non est incerti iuris, quòd si quidem in patris militis positus potestate, primo tantum casu habuit substitutum, & patri hæres extitit: eo defuncto ad te omnimodò eius pertineat successio. Si uerò substitutio & in secundum casum, uel expressa, uel cõpendio non usq; ad certam ætatem facta reperiatur: si quidem intra pubertatem decessit, eos habeat hæredes, quos pater ei constituit, & adierunt hæreditatem. Sin uerò post pubertatem, tunc eius te successionem obtinẽte, ueluti ex causa fideicommissi bona, quæ cũ moreretur, patris eius fuerunt, à te peti possunt. *Concordat l.in testamento.6.C.de testam.militis.cuius uerba uide §.except.160.* *Quarta duplicatio est: Nisi posthumo hærede instituto, substitutio facta sit sub hac conditione, Si posthumus non nascatur: nascatur posthumus, & impubes decedat, matre superstite. quæ duplicatio approbatur l.ult. C.de institut. uel substit. bis uerbis:* Cum quidam prægnantem habens coniugem, scripsit hæredem ipsam quidem suam uxorem ex parte, uentre uerò ex alia parte, & adiecit, Si nõ posthumus natus fuerit, alium sibi hæredem esse: posthumus autem natus impubes decessit: dubitabatur quid iuris sit, tam Vlpiano quàm Papiniano uiris disertissimis, uolũtatis esse quæstionem scribentibus: cum opinabatur Papinianus, ideo testatorem uoluisse posthumo nato & impubere defuncto, matrem magis ad eius uenire successionem, quàm substitutum. Si enim & suæ substantiæ partẽ uxori dereliquit: multò magis & luctuosam hæreditatem ad matrem uenire curauit. Nos itaq; in hac specie Papiniani dubitationem resecantes, substitutionẽ quidem in huiusmodi casu, ubi posthumus natus adhuc impubes uiua matre decesserit, respuendam esse censemus: tunc autem omnino substitutionẽ admittimus, cum posthumus minimè editus fuerit, uel post eius partum mater prior decesserit. *Quinta duplicatio est: Nisi contraria uoluntas testatoris probetur. quæ duplicatio approbatur l.quamuis.4.in prin. ibi: si modò. C.de impub.& aliis substit. cuius uerba uide §. dupl.2. Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione.* Altera replicatio est: *Nisi substitutione facta sub hac conditione, Si mihi filius nascatur, isq; intra pubertatem decedat: filius natus non sit. substitutus tamen uidetur admitti. quæ replicatio probabilis quidem uidetur: sed quia lege destituor, sine lege eam affirmare erubesco. De qua tamen re uide Franciscum Vlutum lib.1.com.opin. in uerbo Casus, num.3. & Aerodium in titulo de substitutione.* Tertia replicatio uidetur esse: *Nisi substitutione facta sub hac conditione, Si filius intra decimum annum decesserit: filius post decimum, intra decimumquartum annum decesserit. Hæc replicatio reprobatur l.si ita.19. ff.de uulgari substit. bis uerbis:* Si ita quis substituerit, Si filius meus intra decimum annum decesserit, Seius hæres esto: deinde hic ante quartum decimũ annum, post decimum decesserit: magis est, ut non possit bonorum possessionem substiturus petere. non enim uidetur in hunc casum substitutus. *Plures propositæ exceptionis replicationes uide §.except.138.*

CLXVI. *Exceptio: Nisi pupillus, cui substitutio facta est, adoleuerit. Hæc exceptio approbatur Inst.de pupill.substit. §.masculo, bis uerbis:* Masculo usq; ad quatuordecim annos substitui potest, fœminæ usque ad duodecim annos: & si hoc tempus excesserint, substitutio euanescit. *Concordat Inst.eod.tt.§.qua ratione. ibi: & hoc ad exẽplum. cuius uerba uide §.except.150.repl.3. Item cõcordat l.cohæredi.39.§.cum pater.ff.de uulg.substit. bis uerbis:* Cũ pater impuberi filiæ, quæ nouissima die suũ obijsset, tabulas secundas fecisset, & impubes filia superstite sorore pubere uita decessisset: irrita esse facta substitutione placuit. In persona quidẽ prioris, quia non nouissima decessit: in alterius uerò, quia pubere ætatem cõpleuit. *Concordat item l.ex facto.41. §.item quæro. ibi: sed finis. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. cap.22.reg.18. Cõcordat itẽ d.l.41.in prin. ibi: ut quemadmodũ. cuius uerba uide §.cap.prox.except.142. Concordat item l.si frater.5. C.de fideicomiss. bis uerbis:* Si frater

Si frater tuus, posteaquam patri hæres extitit, pubes iam sine liberis decessit: ex pupillari substitutione tibi hæreditas eius delata non est. Sed si uerbis fideicommissi aliqua parte testamenti cõfirmata est: fideicommissum ab hæredibus petere non prohiberis. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non directis, sed fideicommissi uerbis substitutio sit facta. quæ replicatio constat ex uerbis d.l.5. iam propositis. Concordat Inst.de pupill.substit.§.fin. cuius uerba uide §.except.143.repl.3. Concordat item l. cohæredi.39. §.cum filiæ. ibi: nec aliud. ff.de uulgari substit. cuius uerba uide §. except. prox.* Altera replicatio uidetur: *Nisi testator ultra pubertatis tempus pupillo substituerit. quæ replicatio reprobatur l.in pupill.12. ff.de uulgari substit. bis uerbis:* In pupillari substitutione licet longius tempus comprehensum fuerit: tamen finietur substitutio pubertate. *Concordant ea quæ proposita sunt §.except.156.*

CLXVII. *Exceptio: Nisi pupillus, cui substitutum est, mortis testatoris tempore in eius potestate non fuerit. Hæc exceptio approbatur l.cohæredi.39.§.cum filiæ. ff.de uulgari substit. bis uerbis:* Cum filiæ uel nepoti, qui locum filij tenuit, aut post testamentum cœpit tenere, parens substituit: si quis ex his mortis quoq; tempore non fuit in familia, substitutio pupillaris sit irrita. Quòd si hæredem filium pater rogauerit, si impubes diem suum obierit, Titio hæreditatem suam restituere: legitimum hæredem filij salua Falcidia cogendum patris hæreditatem, ut ab impubere fideicommisso post mortem eius dato, restituere placuit: nec aliud seruandum, cùm substitutionis conditio puberem ætatem uerbis precarijs egreditur. Quæ ita locum habebunt, si patris testamentum iure ualuit. Alioquin si non ualuit ea scriptura, quam testamentum esse uoluit: eodicillos non faciet, nisi hoc expressum est: nec fideicommisso propriæ facultates filij tenebuntur. Et ideo si pater filium exhæredauerit, & ei nihil reliquerit: nullum fideicommissum erit. Alioquin si legata uel fideicõmissa filius acceperit: intra modum eorum fideicommissum hæreditatis à filio datũ, citra Falcidiæ rationem debebitur. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ob captiuitatem patris filius sui iuris sit effectus. quæ replicatio approbatur l.pater.10.in prin. ff.de captiuis. cuius uerba uide §.except.170.*

CLXVIII. *Exceptio: Nisi is cui pupillariter substitutum est, uiuo testatore decesserit. Hæc exceptio reprobatur l.si pater.24.in fine. ff.de uulgari substit. cuius uerba uide §.except.153.* Planè admittitur exceptio proposita *in casu, de quo §.except.170. distinct.1.*

CLXIX. *Exceptio: Nisi is cui pupillariter substitutum est, in hostium potestate decesserit. Hæc exceptio approbatur l.lex Corn.26.ff.de uulgari substit. bis uerbis:* Lex Cornelia, quæ testamenta eorum qui in hostium potestate decesserunt, confirmat, nõ solùm ad hæreditatem ipsorum, qui testamenta fecerunt, pertinet: sed ad omnes hæreditates, quæ ad quenq; ex eorum testamento pertinere potuissent, si in hostium potestatem nõ peruenissent. Quapropter cum pater in hostium potestate decesserit, filio impubere relicto in ciuitate, & is intra tempus pubertatis decesserit: hæreditas ad substitutum pertinet, perinde ac si pater in hostium potestatem non peruenisset. Sed si pater in ciuitate decesserit, filius impubes apud hostes: siquidem mortuo patre filius in hostium potestatem peruenerit, non incommodè dicitur, hæreditatem eius & ea lege ad substitutos pertinere. Si uerò uiuo patre filius in hostium potestatem peruenerit, non existimo legi Corneliæ locum esse. Quia non efficitur per eam, ut is qui nulla bona in ciuitate reliquit, hæredes habeat. Quare etiamsi pubes filius uiuo patre captus fuerit, deinde mortuo in ciuitate patre, in hostium potestate decesserit: patris hæreditas ex lege XII. Tabul. nõ filij ex lege Cornelia ad adgnatum proximum pertinet. *Ait Iurisconsultus:* Si uerò uiuo patre filius in hostium potestatem peruenerit, non existimo legi Corneliæ locum esse, &c. *Huius uerbis exceptio proposita approbatur. Cuius replicatio prima hæc est: Nisi mortuo patre filius apud hostes decesserit. quæ replicatio approbatur uerbis iam dictis huius:* Sed si pater in ciuitate decesserit, filius impubes apud hostes: siquidem mortuo patre filius in hostium potestatem peruenerit, non incommodè dicitur, &c. *Concordat l.pater.10.§.fin. ff. de captiuis, huius uerbis:* Si mortuo patre capiatur impubes institutus, uel exhæredatus: in promptu est dicere, legem Corneliam de tabulis secundis nihil locutam esse: & eius duntaxat personam demonstrasse, qui testamenti factionem habuisset. Planè captiui etiam impuberis legitimã hæreditatem per legem Corneliam deferri: quod uerum est, nec impuberem quidem factionem testamenti habuisse. Et ideo non esse alienum, Prætorem subsequi non minus patris quàm legis uoluntatem, & utiles actiones in hæreditatem substituto dare. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi uiuo patre impubes captus sit: tunc enim, quamuis mortuo patre apud hostes decesserit, substitutio tamen euanescit. quæ duplicatio uidetur approbari uerbis d.l.26.§.fin.§.propositis hisce:* Quare etiamsi pubes, &c. Altera propositæ exceptionis replicatio uidetur esse: *Nisi ambo, id est pater quàm filius, apud hostes decesserint. Hæc replicatio reprobatur l.si pater.27.ff.de uulg.substit. bis uerbis:* Si pater captus sit ab hostibus, mox filius,

& ibi ambo decedant: quamuis prior pater decedat, lex Cornelia ad pupilli substitutionem non pertinebit, nisi reuersus in ciuitate impubes decedat: quoniam etsi ambo in ciuitate decessissent, ueniret substitutus. *Tertia replicatio est: Nisi impubes ab hostibus reuersus, in ciuitate decesserit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi reuersus in ciuitate impubes decedat. *Concordat l. quòd si. 11. in fine. ff. de captiuis, hisce uerbis:* Sed si ambo apud hostes sunt, & prior pater decedat: sufficiat lex Cornelia substituto, non aliàs quàm si apud hostes patre defuncto, postea filius in ciuitate decessisset. *Ait iurisconsultus:* Non aliàs. *quædam exemplaria habent:* Non aliter. *Quæ lectio uidetur probabilior: sed tunc contradiceret uerbis ẽ. replic. prox. propositis. Hæc de 169. exceptione.*

CLXX. *Exceptio: Nisi testator qui pupillariter substituit, apud hostes decesserit. Hæc exceptio reprobatur l. lex Cornelia. 26. in prin. ff. de uulgari substitut. cuius uerba uide ẽ. except. prox. in prin. Concordat l. pater. 10. in prin. ff. de captiuis, hisce uerbis:* Pater instituto impuberi filio substituerat, & ab hostibus captus ibidem decesserat: postea defuncto impubere, legitimum admitti quibusdam uidebatur, neq; tabulas secundas in eius persona locum habere, quòd uiuo patre sui iuris effectus fuisset. Verùm huic sententiæ refragatur iuris ratio: quoniam si pater qui non redijt, iam tum decessisse intelligitur, ex quo captus est: substitutio suas uires necessariò tenet. *Concordant item ea quæ proposita sunt ẽ. cap. 6. except. 29. replic. 2. Plane admittitur exceptio proposita, si filius uiuo patre in ciuitate moriatur. quæ distinctio approbatur l. quòd si. 11. in princ. ff. d. tt. his uerbis:* Quòd si filius antè moriatur in ciuitate, nihil est quod de secundis tabulis tractari possit: siue quoniam uiuo patre filius familiàs mori intelligitur, siue quoniam non reuerso eo, exinde sui iuris non uidetur fuisse, ex quo pater hostium potitus est.

CLXXI. *Exceptio: Nisi testatoris hæreditas ex testamento adita non sit. Hæc exceptio approbatur l. qui liberis. 8. §. si ex asse. ff. de uulgari substitut. his uerbis:* Si ex asse hæres institutus, filio exhæredato, substitutus repudiauerit patris hæreditatem, cum non haberet substitutum, nõ poterit filij adire: nec enim ualet filij testamentum, nisi patris fuerit adita hæreditas: nec sufficit ad secundarum tabularum uim sic esse factum testamentum, ut ex eo adiri hæreditas possit. *Concordat l. 2. §. quisquis. ibi: adeò autem. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. exception. 161. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi omissa causa testamenti, ab intestato patris adeatur hæreditas. Hæc replicatio approbatur d. §. quisquis. ibi: plane si omissa, his uerbis:* Plane si omissa causa principalis testamenti, ab intestato possideatur hæreditas: dicendum est, & pupillo substituti seruandum. *Altera replicatio est: Nisi is cui fideicommissum relictum est, desideret ut institutus hæreditatem adeat, conseruandi fideicommissi causa. Hæc replicatio approbatur d. l. 2. §. interdum, his uerbis:* Interdum etiam pupillaris testamenti causa compellendum hæredem institutum adire hæreditatem, ut ex secundis tabulis fideicommissum conualescat: utputa si iam pupillus decessit. Cæterùm si adhuc uiuat: im probum esse Iulianus existimat eum, qui solicitus sit de uiui hæreditate. *Concordat l. qui plures. 36. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 3. de cogendo hæred. quæst. 8. reg. 1. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi impubes, cui substitutio facta est, adhuc uiuat. hoc enim casu institutus propter fideicommissum à substituto relictum adire compellendus non est. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Cæterùm si adhuc uiuat, &c. *Tertia replicatio est: Nisi hæres institutus, quæ non adijt hæreditatem, tanquam minor uigintiquinq; annis in integrum sit restitutus. Hæc replicatio approbatur d. §. interdum, in fine, his uerbis:* Si minor uigintiquinque annis adeundæ hæreditatis causa fuerit restitutus: puto proficere secundis tabulis, ut Prætor utiles actiones decernat substituto. *Quarta replicatio est: Nisi militis, qui pupillo substituit, hæreditas non sit adita. Hæc replicatio approbatur l. miles. 41. §. fin. ff. de militari testam. his uerbis:* Si militis hæreditas adita non fuerit: an substitutio, quam pupillo fecit, ualeat, quæritur? Et consequens erit hoc dicere: quia permittitur filio facere testamentum, quamuis sibi non fecerit.

CLXXII. *Exceptio: Nisi contra tabulas testatoris bonorum possessio sit petita. Hæc exceptio reprobatur l. ex duob. 32. §. fin. ff. de uulgari substitut. his uerbis:* Etiamsi contra tabulas patris bonorum possessio petita sit: substitutio tamen pupillaris ualet, & legata omnibus præstanda sunt, quæ à substituto data sunt. *Concordat l. etsi. 33. ff. d. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. 31. cap. 7. reg. 20.*

CLXXIII. *Exceptio: Nisi pupillariter substitutus patris testamentum impugnauit. Hæc exceptio approbatur l. is qui. 20. ff. de uulgari substitut. his uerbis:* Is qui contra tabulas testamẽti patris bonorum possessionem petierit, si fratri impuberi substitutus sit, repellitur à substitutione.

CLXXIIII. *Exceptio: Nisi pupillariter substitutus patris hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio approbatur l. qui liberis. 8. §. filio. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Filio impuberi hæredi ex asse instituto substitutus quis est, extitit patri filius hæres: an possit substitutus separare hæreditates, ut filij habeat, patris nõ habeat? non potest, sed aut utriusq; debet hæreditatem habere, aut neutrius: iuncta enim hæreditas cœpit esse. Idemq; est, & si pater me hæredem scripserit ex parte, filium ex parte, & ego

ego patris hæreditatem repudiauero: nam neq; filij hæreditatem habere possum. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi filius testatoris, frater impuberis, pupillariter substitutus, patris hæreditatem recuset. Hic enim nihilominus ex substitutione adire potest. quæ replicatio approbatur l. si filius. 10. ff. eod. tt. his uerbis:* Si filius qui patri, ac postea fratri ex secundis tabulis hæres extitit, hæreditatem patris recuset, fraternam autem retinere malit: audiri debet. Iustius enim Prætorem facturum existimo, si fratri separationem bonorum patris concesserit. Etenim ius dicenti propositum est, liberos oneribus hæreditarijs non sponte susceptis liberare, non inuitos ab hæreditate remouere: præsertim cùm remotis secundis tabulis, legitimam haberet fratris hæreditatem. Itaq; legata duntaxat ex secundis tabulis præstari debent, habita ratione facultatum in Falcidia, non patris (ut aliàs solet) sed impuberis.

CLXXV. *Exceptio: Nisi furiosus, cui ad similitudinem pupillaris substitutionis substitutum est, resipuerit. Hæc exceptio approbatur Instit. de pupill. substit. §. qua ratione. ibi: sin autem resipuerint. cuius uerba uide ẽ. except. 150. replic. 1. Concordat l. humanitatis. 9. ibi: ita tamen. C. de impub. & aliis substitut. cuius uerba uide d. repl. 1. Concordat item l. ex facto. 41. in prin. ibi: nam etsi. ff. de uulgari substitut. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. except. 142.*

CLXXVI. *Exceptio: Nisi is cui pupillariter substitutum est, postea se dederit adrogandum. quæ exceptio approbatur l. 2. §. impuberem. ff. ad S. C. Tertyllian. his uerbis:* Impuberem, cui pater secundas tabulas fecit, tũc certum est intestatum decessisse, cum omiserint substituti hæreditatem eius. Quare etsi impubes sit adrogatus: dicendum est, matrem ad bona eius admitti, quæ haberet, si intestatus decessisset. *Hactenus exceptiones aduersus pupillarem substitutionem speciales enumeratæ sunt. Quibus autem ex pupillari substitutione cõpetat hæreditas, item quid & quantum, dicetur ĩ. cap. 22. reg. 13. cum sequentibus, item cap. 23. Sanè de pupillari substitutione notandæ sunt & regulæ sequentes. Prima quidem, quòd patris & filij testamentum duo, non unum sint. quæ regula approbatur Institut. de pupill. substit. §. igitur in pupillari, his uerbis:* In pupillari substitutione secundum præfatum modum ordinata, duo quodammodò sunt testamenta: alterum patris, alterum filij, tanquam si ipse filius sibi hæredem instituisset: aut certè unum testamentum est duarum causarũ, id est, duarum hæreditatum. *Concordat l. 1. in prin. ibi: etiamsi duplex. ff. si cui plus quàm per legem Falcid. cuius uerba uide ĩ. Ait imperat.* Aut certè unum testamentum est duarum causarum. *Huic concordat l. 2. §. prius autem. ibi: constat enim. ff. de uulgari substit. cuius uerba uide ẽ. cap. 10. except. 68. Concordat item l. patris. 18. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. 163. Concordat item l. qui plures. 36. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 3. de cog. hæred. quæst. 8. reg. 1.*

II. *Regula: Ex pupillari testamento principale confirmari non potest. Quæ regula approbatur l. ex pupillari. 42. ff. de uulgari substit. his uerbis:* Ex pupillari testamento superius principale neque ex parte, neque in totum confirmari posse, Mæcianus scripsit.

III. *Regula: Substitutus pupillariter patris, non filij fit hæres. quæ regula approbatur simul & distinguitur Instit. de pupill. substit. in princ. ibi: quo casu, his uerbis:* Si quidem non extiterit hæres filius, tunc substitutus patri fit hæres. Si uerò extiterit hæres filius, & ante pubertatem decesserit: ipsi filio fit hæres substitutus. *Huius regulæ exceptio est: Nisi ex secundo casu substitutus hæres extiterit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si uerò extiterit hæres filius, &c. *Planè hæc conditio, Si testatori hæres exiit impletur nihilominus, quamuis secundo casu substitutus hæres existat. quæ distinctio approbatur l. pater. 44. ff. de uulgari substitut. cuius uerba uide ĩ. libro 34. cap. 7. condit. 6. reg. 2. except. 5.*

IIII. *Regula: Necessarius patri hæres, etiam filij hæres necessarius ex substitutione existit. quæ regula approbatur l. 2. §. priùs autem, in fine. ff. de uulgari substitut. cuius uerba uide ẽ. cap. 10. except. 68. Concordat l. qui liberis. 8. §. quos possum. ff. eod. tt. his uerbis:* Quos possum hæredes mihi facere necessarios, possum & filio: ut seruum meum & fratrum suum, quamuis in rebus humanis nondum sit. Igitur posthumus erit fratri hæres necessarius. *Plura de hac re uide ĩ. lib. 30. cap. 3. reg. 2. except. 1.*

V. *Regula, De cautione substituto ab adrogatore impuberis præstanda, proponitur l. causa. 38. ff. de uulgari substitut. his uerbis:* Causa cognita impubes adrogatus decesserat. quemadmodum legitimis hæredibus authoritate principali prospicitur uinculo cautionis: ita si fortè substituit naturalis pater impuberi, succurrendum erit substituto. Nam & legitimis hæredibus futuris non aliæ, quàm utiles actiones, præstari possunt.

VI. *Regula: Pupillaris substitutionis adfine remedium est fideicommissum. de qua re uide ẽ. except. 143. replic. 3. item except. 166. replic. 1. Hactenus de substitutione tam uulgari quàm pupillari sit dictum.*

DE PRAETERITIONE liberorum & parentum.
Cap. XV.

CLXXVII. *Exceptio: Nisi testator suos liberos uel parentes neq; hæredes instituerit, neq; exhæredauerit, sed prætererit in testamento. Hæc exceptio approbatur Institut. de exhæred. liberorum, in princ. his uerbis:* Non tamen, ut omnino ualeat testa-

mentum,sufficit hæc obseruatio, quam suprà exposuimus:sed qui filium in potestate habet,curare debet,ut eum hæredem instituat, uel exhæredem eum nominatim faciat: alio qui si eum silentio præterierit,inutiliter testabitur: adeò quidem, ut etsi uiuo patre filius mortuus sit, nemo hæres ex eo testamento existere possit: quia scilicet ab initio non constiterit testamentum. *Concordat l.inter.30.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis*: Inter cætera quæ ad ordinanda testamenta necessariò desiderantur, principale ius est de liberis hæredibus instituendis & exhæredandis: ne præteritis istis rumpatur testamentum. Nanque filio, qui in potestate est, præterito, inutile est testamentum. *Concordat item Nouell.c.115.§.ad hæc aliud.& §.atque hæc quidem. quorum uerba uide ȝ.cap.prox. except.185. in princ. Concordat item l.1. ibi: aut nullius momenti. ff.de iniusto testam. cuius uerba uide ē. cap.6.in prin. Concordat item l.posthumi.3. §.ex his. ff.eod.tt. cuius uerba uide ȝ.cap.20.except.28.in prin. Planè propositæ exceptionis replicationes plures sunt, sumptæ tum ex persona præteriti, tum ex persona testatoris prætereuntis, tum ex alijs circumstantijs, quas ordine proponemus,orsi ab ijs replicationibus, quæ ex persona præteriti sumuntur. Prima igitur replicatio est: Nisi filius uel nepos emancipatus, non is qui in potestate testatoris est,sit præteritus. Hæc replicatio approbatur quidem iure ciuili, reprobatur uerò iure prætorio, Instit. de exhæred. liberorum. §.emancipatos, his uerbis*: Emancipatos liberos iure ciuili neque hæredes instituere, neque exhæredare necesse est: quia non sunt sui hæredes. Sed Prætor omnes tam fœminini sexus, quàm masculini, si hæredes non instituantur,exhæredari iubet: uirilis sexus nominatim,fœminini uerò inter cæteros.quia si neque hæredes instituti fuerint, neq; ita (ut diximus) exhæredati,permittit eis Prætor contra tabulas testaméti bonorum possessionem. *Ait Imperator*: Iure ciuili neque hæredes instituere, neque exhæredare necesse est. *Hisce uerbis proposita replicatio approbatur. Cui concordat l.posthumorum.13.in prin.ibi:& ex eo. ff.de iniusto test. cuius uerba uide ȝ.replic.5. duplic.1. Concordat ijsdem uerbis Instit.de exhæredat.liberor.§.posthumorum. ibi:& ex eo. Item concordat l.2.ibi:cum te quoq;. C.de liberis præteritis. cuius uerba uide ȝ.d.dupl.1. Ait insuper Imperator*: Sed Prætor omnes tam fœminini sexus, quàm masculini, si hæredes non instituantur, exhæredari iubet, &c. Ex *his uerbis constat, replicationem propositam iure nouo prætorio mutatam ac reprobatam esse. Cui concordat l.1. §.& sui iuris. ff.de bonor.possess.contra tabulas.cuius uerba cum alijs huc pertinentibus uide ȝ. lib.31. capite 8. quæst.1. except.5. Sed & concordat Instit. d.tt. de exhæredat.liberor. §. sed hæc quidem.ibi:ut omnes siue sui. cuius uerba uide ȝ.repl.4. Planè replicatio proposita iure nouo reprobata, admittitur in emancipatis à patre adoptiuo. quæ distinctio approbatur Instit.d.tt. §.emancipati,his uerbis*: Emancipati à patre adoptiuo neq; iure ciuili,neque eo iure,quod ad edictum Prætoris attinet, inter liberos connumerantur. Qua ratione accidit,ut ex diuerso(quod ad naturalem parẽtem attinet) quamdiu quidem sunt in adoptiua familia, extraneorum numero habeantur: ut eos neq; hæredes instituere, neque exhæredare necesse sit. Cum uerò emancipati fuerint ab adoptiuo patre: tunc incipiant in ea causa esse, in qua futuri essent,si à naturali patre emancipati fuissent. *Hæc de prima replicatione. Altera replicatio est: Nisi filius alij in adoptionem datus, præteritus sit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Qua ratione accidit,&c. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est*: Nisi *in adoptionem datus,à patre adoptiuo rursus fuerit emancipatus.quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Cum uerò emancipati fuerint ab adoptiuo patre,&c. *Altera duplicatio est*: Nisi *extraneo, non auo uel proauo filius in adoptionem sit datus. quæ duplicatio approbatur Instit.d.tt.§.circa adoptiuos,hisce uerbis*:Circa adoptiuos filios certam induximus diuisionem, quæ in nostra constitutione, quam super adoptiuis tulimus, continetur. *Hæc constitutio habetur l.cum in.10. C.de adoptionibus. cuius uerba uide ē. libro 16. cap.8. quæst.3. reg.1. except.1. Plura de replicatione proposita uide ȝ.lib.31.cap.8.quæst.1.except.6. Tertia replicatio est: Nisi non naturalis, sed adoptiuus filius sit præteritus. Hæc replicatio iure quidem antiquo reprobatur Instit. de exhæred.liberorum. §.adoptiui, his uerbis*: Adoptiui liberi, quamdiu sunt in potestate patris adoptiui,eiusdem iuris habentur, cuius sunt iustis nuptijs quæsiti. Itaque hæredes instituendi uel exhæredandi sunt secundum ea quæ de naturalibus exposuimus. *Iure autem nouo replicatio proposita approbatur d.l.10. §.sed ne articulum. Concordat Instit. de hæred. quæ ab intestato. §.sed ea omnia. ibi: testamento autem. cuius uerba uide ȝ.lib.prox. cap.2. except.3.in fine. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi non ab extraneo, sed ab auo uel proauo filius sit adoptatus. quæ duplicatio approbatur d. l.10.in prin. Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi filius adoptiuus à testatore rursus fuerit emancipatus. quæ triplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt ē.replic.1. distinct.1. Quarta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi fœminini sexus liberi uel nepotes & cæteri descendentes præteriti sint. Hæc replicatio approbatur quidem iure antiquo Instit.de exhæredat.liberorum.§.1. his uerbis*: Sed non ita de filiabus, & alijs per uirilem sexum descendentibus liberis utriusque sexus antiquitati fuerat obseruatum:sed si non fuerant scripti hæredes scriptæ, uel exhæredati exhæredatę:testamentum quidem non infirmabatur,ius tamen adcrescẽdi eis ad certam portionem præstabatur. Sed nec nominatim eas personas exhæredare parentibus necesse erat, sed licebat inter cæteros hoc facere. *Hæc replicatio iure nouo mutata & reprobata est, Instit.cod.tt. §.emancipatos. ibi:sed Prætor.cuius uerba uide ē.repl.1. Concordat Instit.eod.tt. §.sed hæc quidem,his uerbis*: Hæc quidem uetustas introducebat: nostra uerò constitutio inter masculos & fœminas in hoc iure nihil interesse existimans: quia utraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur, & lege antiqua XII. Tabul.omnes similiter ad successionem ab intestato uocabantur,quod & Prætores postea secuti esse uidentur: ideo simplex ac similе ius & in filijs, & in filiabus, & in cæteris descendentibus per uirilẽ sexum personis non solùm iam natis, sed etiam posthumis introduxit: ut omnes,siue sui,siue emancipati sint, uel hæredes instituantur, uel nominatim exhæredentur, & eundem habeant effectum circa testamenta parentum suorum infirmanda, & hæreditatem auferendam, quem filij sui uel emancipati habent,siue iam nati sint, siue adhuc in utero constituti,postea nati sint. *Ait Imper.* Nostra uerò constitutio. *Hæc constitutio habetur l. ult.C.de liberis præteritis,hisce uerbis*: Maximum uicium antiquæ subtilitatis præsenti lege corrigimus, quæ putauit alia iura esse obseruanda in successione parentum, si ex testamento ueniant,in masculis, & alia in fœminis: cum ab intestato simile ius utrique sexui seruauerit: & alijs uerbis exhæredari debere filium sanxit, alijs filiam. & inter nepotes exhæredandos alia iura ciuilia, alia Prætores introduxerunt. Et si præteritus fuerat filius, uel ipso iure testamentum euertebat,uel contra tabulas bonorum possessionem in totum accipiebat: filia autem præterita ius adcrescendi ex iure uetere accipiebat, ut eodem momento & testamentum patris quodammodò ex parte iure adcrescendi euerteret, & ipsa quasi scripta legatis supponeretur: ex Prætore autem habebat contra tabulas bonorum possessionem in totum. Constitutio autem Magni Antonini eam in tantum coartabat,in quantum ius adcrescendi competebat. Qui enim tales differentias inducunt, quasi naturæ accusatores existũt,cur non totos masculos generarit, ut unde generentur,non fiant. Nam hoc corrigentes, & maiorum nostrorum sequimur uestigia, qui eandem obseruationem colere manifestissimi sunt. Scimus etenim antea simili modo filium & filiam omnes inter cæteros exhæredatos scribere esse concessum : tametsi centumuiri aliam differẽtiam introduxerunt, & ex hac iniquitate uitium emersit, quale ex libris Vlpiani,quod ad edictũ fecit Prætoris, inuentum à Triboniano uiro gloriosissimo nostro quæstore, cæterisq; uiris facundissimis compositoribus iuris enucleati, ad nostras aures relatum est. Nam cum ultimum adiutorium de inofficioſi querela positum esset,& nemo ex alio ortus præsidio ad hanc decurrere posset:inuenta fuerat filia præterita minus habens, quàm filia exhæredata:cùm enim per contra tabulas bonorum possessionem, uel ius adcrescendi, semissem substantiæ filia præterita accipiebat,& omnibus legata præstare compellebatur, scilicet usq; ad dodrantem suæ portionis: remanebat ei sescuncia tantummodò in sua successione. Quòd si fuisset exhæredata, quarta pars omnimodò totius substãtiæ ei relinqui debebat: & quam iniuria dignam pater existimabat, amplius habebat ea quam taciturnitate in institutione præterijt. Et si secundum nostræ constitutionis definitionem, quam de supplemento quadrantis posuimus, repletio fuerat introducta: simili modo exhæredatæ in quartam partem repletio accedebat: & ita uicium permansit, ut nec ex nostra constitutione emendationem aliquam sentiret. Sancimus itaque, quemadmodum in successionibus parentum,quę ab intestato deferuntur, æqua lance mares & fœminæ uocantur: ita & in scriptura testamentorum eas honorari, & similibus uerbis exhæredationes nominatim procedere, & contra tabulas possessionem talem habere, qualem filius uel suus uel emancipatus: ut & ipsa, si fuerit præterita,ad instar filij emancipati uel sui, uel testamentum ipso iure euertat,uel per contra tabulas bonorum possessionem stare hoc non patiatur. Et hæc non solùm in filiabus obtinere, sed etiam in nepotibus & neptibus, & deinceps obseruari censemus,si tamen ex masculis progeniti sunt. *Concordat item Nouell.c.115. §.ad hæc aliud. cuius uerba uide ȝ.cap.prox.except.185.in prin. Quinta replicatio est: Nisi nepotes,patre adhuc uiuente,præteriti sint. Hæc replicatio approbatur l.si quis. 9.§.si filium. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis*: Si filium exhæredauero, nepotemque ex eo præteriero, & alium hæredem instituero, & superuixerit filius post mortem meam: licet ante aditam hæreditatem decesserit, non tamen nepotem rupturum testamentum, Iulianus, & Pomponius, & Marcellus aiunt. Diuersumq; est, si in hostium potestate filius sit, & decesserit in eodem statu. Rumpit enim his casibus nepos testamen-

ſtamentum: quòd moriente auo filius pependerit, nec abſciſſum teſtamentum (ut ſuperiore caſu) fuerit. Sed etſi hæres inſtitutus omiſerit hæreditatem, erit legitimus hæres: quoniam hæc uerba, Si inteſtatus moritur: ad id tempus referuntur, quo teſtamentum deſtituitur, non quo moritur. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi filius uiuo teſtatore moriatur. hoc enim caſu nepos in locum filij præmortui ſuccedens, ſi ab auo teſtatore præteritus ſit, rumpit eius teſtamentum. quæ duplicatio approbatur l. poſth. 13. ff. de iniuſto teſt. his uerbis*: Poſthumorum loco ſunt & hi, qui in ſui hæredis loco ſuccedendo quaſi agnaſcédo fiunt parentibus ſui hæredes. Vt ecce, ſi filium & ex eo nepotem neptémue in poteſtate habeam: quia filius gradu præcedit, is ſolus iura ſui hæredis habet: quamuis nepos quoque & neptis ex eo in eadem poteſtate ſint. Sed ſi filius meus me uiuo moriatur, aut qualibet ratione exeat de poteſtate mea: incipit nepos neptisúe in eius loco ſuccedere, & eo modo iura ſuorum hæredum quaſi agnatione nancíſci. Ne ergo eo modo rumpat mihi teſtamentum, ſicut ipſum filium uel hæredem inſtituere, uel exhæredare nominatim debeo, ne non iure faciam teſtamentum: ita & nepotem neptémue ex eo neceſſe eſt mihi uel hæredé inſtituere, uel exhæredare: ne fortè me uiuo mortuo filio, ſuccedendo in locum eius nepos neptisúe quaſi agnatione rumpant teſtamentum. Idque lege Iunia Vellea prouiſum eſt. *Ait Iuriſconſultus*: Poſthumorum loco. *De poſthumis præteritis uide ff. cap. 20. except. 28. Concordat iiſdem propè uerbis Inſtit. de exhæredat. liberor. §. poſthumorum. ubi poſt Prouiſum eſt, adijciuntur hæc uerba*: In qua ſimilis exhæredationis modus ad ſimilitudinem poſthumorum demonſtratur. *Item concordat l. 2. C. de liberis præteritis, hiſce uerbis*: Si auus tuus, qui patrem tuum & nouercam æquis portionibus hæredes inſtituit, cùm te quoque haberet in poteſtate, teſtamento nominatim non exhæredauit: mortuo patre tuo, uiuo auo, ſine impedimento legis Velleæ ſuccedendo in patris tui locum, rupiſti aui teſtamentum, & ad te hæreditas eius tota pertinuit. *Altera propoſitæ replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi filius ante aditam hæreditatem, uel conditione inſtitutionis pendente mortuus ſit: hoc enim caſu nepos ex eo præteritus rumpere uidetur aui teſtamentum. Sed hæc duplicatio reprobatur l. ſi quis. 6. in princ. ff. de iniuſto teſt. his uerbis*: Si quis filio exhæredato, nuru prægnante relicta, deceſſerit, & extraneum ſub conditione inſtituerit, & pendente conditione poſt mortem patris, uel deliberante hærede inſtituto de adeunda hæreditate, exhæredatus filius deceſſerit, & nepos fuerit natus: an rumpat teſtamentum? Et dicemus, teſtamentum non rumpi, cum nec exhæredari huiuſmodi nepos debuerit ab auo, quem pater præcedebat. Planè ſi fortè inſtitutus omiſerit hæreditatem: hunc auo ſuo futurum hæredem ab inteſtato, non dubitatur. Vtrunque proprijs rationibus. Nam agnaſcédo quidem is rumpit, quem nemo præcedebat mortis tempore: ab inteſtato uerò ſuccedit is, ante quem alij non eſt delata hæreditas. Non fuiſſe autem filio delatam hæreditatem apparet, cùm deliberante inſtituto deceſſerit. Sed hæc ita, ſi aui mortis tempore in utero nepos fuit. Cæterùm ſi poſtea conceptus fuerit, Marcellus ſcribit, neque ut ſuum, neque ut nepotem aut cognatum ad hæreditatem, uel ad bonorum poſſeſsionem poſſe admitti. *Concordat l. ſi quis. 9. §. ſi filium. ff. de liberis & poſthumis. cuius uerba uide §. ead. replic. 5. in princ. Concordat item l. ſcripto. 7. in prin. ibi: cæterùm etſi. ff. ſi tabulæ teſt. extabunt. cuius uerba uide ff. lib. prox. capite 2. except. 10. repl. 2. Tertia propoſitæ replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi filius uiuo patre ad hoſtes peruenerit, ibiq; eo mortuo deceſſerit: hoc enim caſu ob nepotem ex eo aui teſtamentum rumpitur. quæ duplicatio approbatur d. l. 6. §. ſed ſi pater, his uerbis*: Sed ſi pater eius qui mortis aui tempore in utero fuit, apud hoſtes erat: nepos iſte, patre in eadem causa decedente, poſt mortem aui ſuccedendo teſtamentum rumpet: quia ſuprà ſcripta perſona ei non obſtat. nec enim creditur in rebus humanis fuiſſe, cum in ea causa decedit: quanquam captiuus reuerſus patris ſui iniuſtum faceret teſtamétum, in eo præteritus. *Concordat l. ſi quis. 9. §. ſi filium. ibi: diuerſumq;. ff. de liberis & poſthumis. cuius uerba uide §. ead. repl. in prin.* Quarta duplicatio eſt: *Niſi filius uiuo teſtatore ab eius poteſtate fuerit liberatus: hoc enim caſu nepos ex eo præteritus aui rumpit teſtamentum. quæ duplicatio approbatur l. poſthumorum. 13. ibi: aut qualibet ratione exeat. ff. de iniuſto teſt. cuius uerba uide §. duplic. 1. Concordat iiſdem uerbis Inſtit. de exhæredat. liberorum. §. poſthumorum. ibi: aut qualibet. Hæc de quinta replicatione ſint dicta. de qua uide etiam plura ff. cap. 20. except. 29.* Sexta replicatio eſt: *Niſi nepotes uel pronepotes præteriti non ex maſculis, ſed ex fœminis ſiterint geniti. Hæc replicatio approbatur l. ult. §. ſancimus, in fine. C. de liberis præteritis. cuius uerba uide §. replic. prox. 4. Concordat ff. replic. 13.* Septima replicatio eſt: *Niſi nepos præteritus, poſt mortem aui teſtatoris ſit conceptus. Hæc replicatio approbatur l. ſi quis. 6. §. cæterùm ſi poſtea. ff. de iniuſto teſt. cuius uerba uide §. duplic. 2.* Octaua replicatio uidetur: *Niſi nepos præteritus apud hoſtes ſit conceptus. Hæc replicatio reprobatur d. l. 6. §. ſiue autem, his uerbis*: Siue in ciuitate nepos fuit conceptus, ſiue apud hoſtes (quoniam datur &

tur & partui poſthumium) ſuccedendo teſtamentum rumpit. Nona replicatio eſt: *Niſi nepos præteritus, ex patre in adoptiua familia conſtituto ſit progenitus. Hæc replicatio approbatur ſimul & diſtinguitur l. emancipatus. 6. §. ſi filius. ff. de bonor. poſſeſs. contra tabulas. cuius uerba cum alijs huc pertinentibus uide ff. lib. proxim. cap. 4. except. 8. in prin.* Decima propoſitæ exceptionis replicatio uidetur eſſe: *Niſi poſthumi liberi ſint præteriti. Hæc replicatio reprobatur per ea quæ proponentur ff. capite 20. except. 28.* Vndecima replicatio eſt: *Niſi filius qui eſt apud hoſtes, præteritus ſit. Hæc replicatio approbatur l. penult. ff. de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Cum apud hoſtes eſt filius, pater iure facit teſtamentum, & rectè eum præterit: cum ſi in poteſtate eſſet filius, nihil ualiturum eſſet teſtamentum. *Huius replicationis duplicatio hæc eſſe uidetur: Niſi filius ab hoſtibus fuerit reuerſus. Hæc duplicatio reprobatur l. ſed nec fil. 10. ff. de iniuſto teſt. his uerbis*: Nec filius poſtliminio rediens rumpit patris teſtamentum, ut Sabinus exiſtimauit. Duodecima replicatio uidetur: *Niſi filius miles ſit præteritus. Hæc replicatio reprobatur l. filiusfam. 26. ff. de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Filiusfamiliâs miles, ſimiliter ut paganus, nominatim à patre aut hæres ſcribi, aut exhæredari debet: iam ſublato edicto diui Auguſti, quo cautum fuerat, ne pater filium militem exhæredaret. Decimatertia replicatio eſt: *Niſi mater, auus maternus, uel cæteri per matrem aſcendentes, liberos ſuos præterierint. Hæc replicatio approbatur Inſtit. de exhæred. liberor. §. mater, his uerbis*: Mater uel auus maternus neceſſe non habent liberos ſuos aut hæredes inſtituere, aut exhæredare: ſed poſſunt eos ſilentio omittere. Nam ſilentium matris aut aui materni & cæterorum per matrem aſcendentium tantum facit, quantum exhæredatio patris. Neque enim matri filium filiámue, neque auo materno nepotem neptémue ex filia, ſi eum eámue hæredem non inſtituat, exhæredare neceſſe eſt: ſiue de iure ciuili quæramus, ſiue de edicto Prætoris, quo Prætor præteritis liberis contra tabulas bonorum poſſeſsionem permittit: ſed aliud eis adminiculum ſeruatur, quod paulo pòſt uobis manifeſtum fiet. Decimaquarta replicatio eſt: *Niſi miles teſtator liberos ſuos præterierit. Hæc replicatio approbatur Inſt. d. tt. §. ſed ſi in expedit. his uerbis*: Si in expeditione occupatus miles teſtamentum faciat, & liberos ſuos iam natos, uel poſthumos nominatim non exhæredauerit, ſed ſilentio præterierit, non ignorans an habeat liberos: ſilentium eius pro exhæredatione nominatim facta ualere, conſtitutionib. Principum cautum eſt. *Ait Imp.* Non ignorans an habeat liberos. *Ex his uerbis elicitur prima propoſitæ replicationis duplicatio hæc: Niſi mil. s igno rauerit ſe liberos habere. Cui concordat l. ſicut. 9. C. de teſtamento militis, hiſce uerbis*: Sicut certi iuris eſt, militem, qui ſcit ſe filium habere, aliosque ſcripſit hæredes, tacitè eum exhæredare intelligi: ita ſi ignorans ſe filium habere alios ſcribat hæredes, nõ obeſſe filio ademptam hęreditatem, ſed minimè ualente teſtamento (ſi ſit in poteſtate) eum ad ſucceſsionem uenire, in dubijs non habetur. *Concordat l. ſi cum. 10. C. eod. tt. his uerbis*: Si cum uel in utero haberetur filia, inſcio patre milite, ab eo præterita ſit: uel cùm in rebus humanis eam non eſſe falſo rumore perlato pater putauit, nullam eius in teſtamento fecit mentionem: ſilétium huiuſmodi exhęredationis notam nequaquam infligit. Is autem miles, qui teſtamento filiam ſuam appellauit, eique legatum dedit: non inſtituendo eam hæredem, exhæredauit. *Concordat item l. militis. 36. §. miles. m. ff. de militari teſt. his uerbis*: Miles in ſupremis ordinandis, ignarus uxorem eſſe prægnantem, uentris non habuit mentionem: poſt mortem patris filia nata, ruptum eſſe teſtamentum apparuit, neque legata deberi. Si qua uerò medio tempore ſcriptus hæres legata ſoluiſſet, utilibus actionibus filiæ datis ob improuiſum caſum eſſe reuocanda: nec inſtitutum (cum bonæ fidei poſſeſſor fuerit) quod inde ſeruari potuiſſet præſtare. *Planè duplicationis propoſitæ triplicatio hæc eſt: Niſi miles poſtea certior factus ſe liberos habere, nihilominus teſtamentũ ualere uelit. quæ triplicatio approbatur l. qui iure. 7. cum duab. legibus ſequentibus. ff. eod. tt. his uerbis*: Qui iure militari teſtatur, etſi ignorauerit prægnantem uxorem, uel cum prægnãtem ſcierit, hoc tamen animo ſit, ut uelit, quiſquis ſibi naſceretur, exhæredem eſſe: teſtamentum non rumpitur. Idem eſt, & ſi adrogauerit filiũ, nepótue ſuo ſucceſſerit in locum filij. Idemq; erit dicendum, & ſi nato filio uiuo ſe, maluit eodem teſtamento durante decedere. Nam uidetur iure militari refeciſſe teſtamétum: ut eſt reſcriptum à diuo Pio, in eo qui cum eſſet paganus, fecit teſtamentum, mox militare cœpit. nam hoc quoq; iure militari incipiet ualere, ſi hoc maluit miles. *Concordat l. ſi filiusfam. 33. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ff. cap. 20. except. 28. repl. 12.* Altera propoſitæ replicationis duplicatio hæc eſt: *Niſi miles patrem ſuum, à quo emancipatus eſt, præterierit. quæ duplicatio approbatur ſimul & diſtinguitur l. ſi à milite. 29. §. fin. cum lege ſequente. ff. d. tt. his uerbis*: Patri, qui in emancipatione ipſe manumiſſor extitiſſet, contra tabulas teſtaméti dandam bonorum poſſeſsionem partis debitæ placet: exceptis his rebus, quas in caſtris adquiſiſſet, quarum liberam teſtamenti factionem habet. Nam in bona caſtrenſia non eſſe dandam contra tabulas

filij militis bonorum possessionem, diuus Pius Antoninus rescripsit. *Hæc de decimaquarta replicatione.* *Decimaquinta replicatio est: Nisi ab uno gradu præteritus, ab alio gradu institutus uel exhæredatus sit. hoc enim casu nihilominus ualet testamentum, eo tantùm gradu, à quo præteritus est, uiciato. quæ replicatio approbatur l.posthumi.3.§.fin. cum legib.sequentibus. ff.de iniusto test. his uerbis:* Licet posthumus præteritus adgnascendo rumpat, tamen interdum euenit, ut pars testamenti rumpatur: utputa si proponas, à primo gradu posthumum exhæredatum, à secundo præteritum. nam hic primus gradus ualet, secundus ruptus est. Deniq; & deliberãtibus primo gradu scriptis hæredibus, qui secundo gradu scripti sunt hęredes, obtinere hæreditatem non possunt. gradu enim rupto & infirmato, amplius hæreditas inde obtineri non potest. Nam & si sub conditione sit hęres institutus quis, à quo posthumus non est exhæredatus: tamen pendente conditione rumpitur gradus, ut & Iulianus scripsit. Sed etsi sit ei substitutus quis, tamen deficiente cõditione primi gradus, non admittetur substitutus, à quo scilicet posthumus exhæredatus non est. Puto igitur existente quidem conditione primi gradus, posthumo potius locum fore. Post defectum autem cõditionis natus posthumus gradum non rumpit, quia nullus est. *Concordat item l.& si.3.§.fin.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si ita testatus sit paterfamiliâs, ut à primo quidem gradu filiũ præteriret, à secundo solo exhæredaret: Sabinus & Cassius & Iulianus putant, perempto primo gradu testamentum ab eo gradu exordium capere, unde filius exhęredatus est. Quæ sententia comprobata est. *Concordat l.si filius.73.ff.de hæred.instit. his uerbis:* Si filius substituatur ei, à quo præteritus est, non ut intestati patris, sed ex testamento habebit hæreditatem: quoniam & quolibet alio substituto, si fuisset ab eo exhæredatus, inde testamentum inciperet, ubi filius esset exhæredatus. *Concordat item l.ex facto.41.§.Lucius.ff.de uulgari subst. his uerbis:* Lucius Titius, cum haberet filios in potestate, uxorem hæredem scripsit, & ei substituit filios: quæsitum est, an institutio uxoris nullius momenti sit, eo quòd ab eo gradu filij non essent exhæredati? Paulus respondit, eum gradum à quo filij præteriti sint, nullius esse momenti. Et ideo, cum ijdé substituti proponantur, ex testamento eos hæredes extitisse uideri, scilicet quia non in totum testamẽtum infirmant filij, sed tantùm eum gradum, qui ab initio non ualuit: sicut responsum est, si à primo sit filius præteritus, à secũdo exhæredatus. Nihil autem interest, qua ratione secundi hæredis institutio ualeat, utrum quia ab eo filius exhæredatus est, an quia ipse filius substitutus est. *Hisce uerbis replicatio proposita approbatur simul & distinguitur. Approbatur quidem, quòd non in totum infirmari testamentum ob præteritionem dicatur: distinguitur autem, quòd is gradus, à quo præteritio facta est, uiciatus dicatur esse.* Quod primæ duplicationis loco notandum. *Is igitur gradus, à quo præteritio facta est, nullius erit momenti, quamuis cæteri gradus ualeant: ut ex ijs quæ hactenus proposita sunt, constat. Cuius duplicationis triplicatio prima hæc esse uidetur: Nisi cum à primo gradu filius exhæredatus esset, à secundo præteritus: primi gradus hærede deliberante, filius decesserit. quæ tamen triplicatio reprobatur l.si à primo.8. ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si à primo hærede instituto filium exhæredauero, à secundo autem substituto non exhæredauero, & dum id pendet, an prior aditurus sit, filius decesserit: secundum Iuliani sentẽtiam, qua utimur, non erit secundus hæres, quasi ab initio inutiliter institutus, cum ab eo filius exhæredatus non sit. Sed & si in posthumo filio idem acciderit, ut natus uiuo patre, à quo exhæredatus sit, moriatur, eadem dicenda erunt in substituto: quoniam cum filius natus est, loco eius est qui superstes est. *Concordat l.si posthumus. 14.in prin.ibi: imò & si defuncto eo.ff.cod.tt. cuius uerba uide ĩ.tripl.proxima. Altera triplicatio uidetur: Nisi posthumus à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus, eo tempore quo ad primi gradus hæreditas pertinet, natus sit. hæc triplicatio reprobatur d.l.14.in princ. his uerbis:* Si posthumus à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus sit: quamuis eo tempore nascatur, quo ad hæredes primo gradu scriptos pertineat hæreditas: secũdum tamen gradum uiciari placet, ad hoc ut prætermittentibus institutis, ipse hæres existat. Imò etsi defuncto eo hæredes instituti omiserint hæreditatem, non posse substitutos adire. *Tertia triplicatio est: Nisi filius primo gradu hæres sit institutus: hoc enim casu, quamuis à secundo gradu præteritus sit, nihilominus secundus gradus ualet. quæ triplicatio approbatur d.l.14.§.quod uulgò, his uerbis:* Quod uulgò dicitur, eum gradũ, à quo filius præteritus sit, non ualere: non usquequaq; uerum est. nam si primo gradu hæres institutus sit filius, non debere eum à substitutis exhæredari. Ideoq; si filio & Titio hæredibus institutis, Titio Mæuius substitutus sit: omittente Titio hæreditaté, Mæuium eam adire posse, quamuis filius ex secundo gradu exhæredatus non sit. *Hæc de prima duplicatione. Altera propositæ replicationis duplicatio est: Nisi à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus, & à tertio exhæredatus, uiuentibus primis & deliberantibus decedat. hoc enim casu nec tertius gradus, à quo præteritus non est, ualet. quæ duplicatio approbatur*

probatur l.si posthumus.14.§.itaque & si. ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis: Si à primo gradu exhæredatus, à secũdo præteritus, à tertio exhæredatus sit, & uiuentibus primis & deliberantibus decedat: quæri solet, omittentibus primis aditionem, utrum ad eos qui tertio gradu scripti sunt, an potius ad legitimos hæredes pertineat hæreditas? quo & ipso casu rectius existimari putauit Africanus, ad legitimos eam pertinere. Nam & cùm duobus hæredibus institutis, & in singulorum locum facta substitutione, à primis exhæredatus posthumus, à secundis præteritus fuerit: si alter ex institutis omiserit, quamuis posthumus excludatur, non tamen magis substitutum admitti. *Tertia propositæ replicationis duplicatio est: Nisi duobus institutis, & filio exhæredato, postea substitutione facta, filius præteritus sit, & unus ex institutis hæreditatem omiserit, uel antè decesserit. hoc enim casu nec alter institutus ex eo gradu admittitur, quamuis præteritus ex eo gradu filius non sit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nam & cùm duobus hæredibus institutis, &c. *Cui concordat l.si ego.19. in princ.ff.de iniusto test. his uerbis:* Si ego & Titius instituti sumus, & à nobis posthumus exhæredatus sit, à substitutis nostris non sit exhæredatus: Titio defuncto, nec ego quidem adire potero. iam enim propter instituti personam, à quo posthumus exhæredatus est, in cuius locum substitutus uocatur, à quo posthumus exhęredatus non est: ruptum est testamentum. *Concordat d.l.19. in fine. cuius uerba uide ĩ.tripl.prox. Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi duobus hæredibus institutis, illi inuicem sint substituti. hoc enim casu, quamuis unus ex hæredibus institutis hæres non existat, alter tamen admittitur. quæ triplicatio approbatur d.l.19.§.sed si ego, his uerbis:* Sed si ego & Titius inuicem substituti simus, quamuis quasi in partem substitutionis exhæredatus non sit: mortuo uel repudiante Titio me posse adire puto, & ex asse hæredem esse. In prima tamen specie, etsi uiuat Titius, neque ego sine illo, neque ipse sine me adire poterit: quia incertum est, an adhuc altero omittente, rumpatur testamentum. Itaque simul adire possumus. *Quarta duplicatio est: Nisi non filius, sed posthumus ab institutis præteritus, à substitutis exhæredatus sit. hic enim natus totum testamentum rumpit. Hæc duplicatio approbatur l.nam & si.5.§.fin.ff.de iniusto test.his uerbis:* Rumpendo testamentum sibi locum facere posthumus solet: quamuis filius sequentem gradum, à quo exhæredatus est, patiatur ualere. Sed si à primo gradu præteritus, à secundo exhæredatus sit: si eo tempore nascatur posthumus, quo aliquis ex institutis uixit: totum testamentum ruptum est. Nam tollendo primum gradum, sibi locum faciet. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi omnibus hæredibus primi gradus mortuis, posthumus sit natus. quæ triplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Si eo tempore nascatur posthumus, quo aliquis ex institutis uixit. *Hæc de decimaquinta replicatione. Decimasexta replicatio est: Nisi filius præteritus, postea fuerit emancipatus. Hæc replicatio approbatur l. uerum est.8. in fine.ff.de iniusto test.his uerbis:* Filia cum emancipatur, uel nepos (quia unà cum emancipatione exeunt de potestate) testamentum non rumpunt. *Planè replicatio hæc iure nouo mutata & sublata est per ea quæ proposita sunt §.replic.1. Decimaseptima replicatio est: Nisi pater testator ignorauit se filium habere. Hæc replicatio reprobatur l.uxorem.29. ff.de manumissis test. cuius uerba uide §.lib.19.cap.7.except.56.replic.3. Concordat l.Titius.25.§.fin.ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide ĩ.except.191.replic.3. Decimaoctaua replicatio est: Nisi præteritus bonis patris se abstineat, nec contra tabulas bonorum possessionem petat. Hæc replicatio approbatur l.filio.17. ff. de iniusto test. his uerbis:* Filio præterito, qui fuit in patris potestate, neque libertates competunt, neque legata præstantur, si præteritus fratribus partem hæreditatis auocauit. Quòd si bonis se patris abstinuit: licet subtilitas iuris refragari uidetur, attamen uoluntas testatoris ex bono & æquo tuebitur. *Concordat l.2. ff.de except.rei iudicatæ. cuius uerba uide ĩ.de liberationibus, cap.39. except.16. Concordat item l.2. ff.si tabulæ test.nullæ extab.his uerbis:* Emancipatus præteritus, si contra tabulas bonorum possessionem non acceperit, & scripti hæredes adierint hæreditatem: sua culpa amittit paternam hæreditatem. Nam quamuis secundum tabulas bonorum possessio petita non fuit: non tamen Prætor eum tuetur, ut bonorum possessionem accipiat. Vnde liberi. Nam & patronum præteritum, si non petat contra tabulas bonorum possessionem, ex illa parte edicti, unde legitimi uocantur, non solet tueri Prætor aduersus scriptos hæredes. *Decimanona replicatio est: Nisi præteritus uiuo testatore mortuus sit. Hæc replicatio reprobatur l.si filius.7 ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si filius qui in potestate est, præteritus sit, & uiuo patre decedat: testamentum non ualet, nec superius rumpetur. Et eo iure utimur. *Concordat Instit.de exhæredat.liberor.in prin. ibi: adeò quidem. cuius uerba uide §.cæd.except.in prin. Concordant itẽ ea quæ proposita sunt §.repl.11.dupl.2. tripl.1. Planè admittitur replicatio proposita, si præteriti filius hæres sit institutus. quæ distinctio approbatur per ea quæ proposita sunt ĩ.cap.20.except.28.replic.2. dupl.6.tripl.2. Item admittitur replicatio proposita, si ij qui etiam ab intestato hæredes esse possunt, sint instituti. quæ distinctio approbatur l.posthumus.12.in prin.*

filij militis bonorum possessionem, diuus Pius Antoninus rescripsit. *Hæc de decimaquarta replicatione.* *Decimaquinta replicatio est: Nisi ab uno gradu præteritus, ab alio gradu institutus uel exhæredatus sit. hoc enim casu nihilominus ualet testamentum, eo tantùm gradu, à quo præteritus est, uiciato. quæ replicatio approbatur l.posthumi.3.§.fin. cum legib.sequentibus. ff.de iniusto test. his uerbis:* Licet posthumus præteritus adgnascendo rumpat, tamen interdum euenit, ut pars testamenti rumpatur: utputa si proponas, à primo gradu posthumum exhæredatum, à secundo præteritum. nam hic primus gradus ualet, secundus ruptus est. Deniq; & deliberãtibus primo gradu scriptis hæredibus, qui secundo gradu scripti sunt hęredes, obtinere hæreditatem non possunt. gradu enim rupto & infirmato, amplius hæreditas inde obtineri non potest. Nam & si sub conditione sit hęres institutus quis, à quo posthumus non est exhæredatus: tamen pendente conditione rumpitur gradus, ut & Iulianus scripsit. Sed etsi sit ei substitutus quis, tamen deficiente cõditione primi gradus, non admittetur substitutus, à quo scilicet posthumus exhæredatus non est. Puto igitur existente quidem conditione primi gradus, posthumo potius locum fore. Post defectum autem cõditionis natus posthumus gradum non rumpit, quia nullus est. *Concordat item l.& si.3.§.fin.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si ita testatus sit paterfamiliâs, ut à primo quidem gradu filiũ præteriret, à secundo solo exhæredaret: Sabinus & Cassius & Iulianus putant, perempto primo gradu testamentum ab eo gradu exordium capere, unde filius exhęredatus est. Quæ sententia comprobata est. *Concordat l.si filius.73.ff.de hæred.instit. his uerbis:* Si filius substituatur ei, à quo præteritus est, non ut intestati patris, sed ex testamento habebit hæreditatem: quoniam & quolibet alio substituto, si fuisset ab eo exhæredatus, inde testamentum inciperet, ubi filius esset exhæredatus. *Concordat item l.ex facto.41.§.Lucius.ff.de uulgari subst. his uerbis:* Lucius Titius, cum haberet filios in potestate, uxorem hæredem scripsit, & ei substituit filios: quæritum est, an institutio uxoris nullius momenti sit, eo quòd ab eo gradu filij non essent exhæredati? Paulus respondit, eum gradum à quo filij præteriti sint, nullius esse momenti. Et ideo, cum ij dé substituti proponantur, ex testamento eos hæredes extitisse uideri, scilicet quia non in totum testamẽtum infirmant filij, sed tantùm eum gradum, qui ab initio non ualuit: sicut responsum est, si à primo sit filius præteritus, à secũdo exhæredatus. Nihil autem interest, qua ratione secundi hæredis institutio ualeat, utrum quia ab eo filius exhæredatus est, an quia ipse filius substitutus est. *Hisce uerbis replicatio proposita approbatur simul & distinguitur. Approbatur quidem, quòd non in totum infirmari testamentum ob præteritionem dicatur: distinguitur autem, quòd is gradus, à quo præteritio facta est, uiciatus dicatur esse.* Quod primæ duplicationis loco notandum. *Is igitur gradus, à quo præteritio facta est, nullius erit momenti, quamuis cæteri gradus ualeant: ut ex ijs quæ hactenus proposita sunt, constat.* *Cuius duplicationis triplicatio prima hæc esse uidetur: Nisi cum à primo gradu filius exhæredatus esset, à secundo præteritus: primi gradus hærede deliberante, filius decesserit. quæ tamen triplicatio reprobatur l.si à primo.8. ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si à primo hærede instituto filium exhæredauero, à secundo autem substituto non exhæredauero, & dum id pendet, an prior aditurus sit, filius decesserit: secundum Iuliani sententiam, qua utimur, non erit secundus hæres, quasi ab initio inutiliter institutus, cum ab eo filius exhæredatus non sit. Sed & si in posthumo filio idem acciderit, ut natus uiuo patre, à quo exhæredatus sit, moriatur, eadem dicenda erunt in substituto: quoniam cum filius natus est, loco eius est qui superstes est. *Concordat l.si posthumus. 14.in prin.ibi: imò & si defuncto eo.ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.tripl.proxima.* *Altera triplicatio uidetur: Nisi posthumus à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus, eo tempore quo ad primi gradus hæredes hæreditas pertinet, natus sit. hæc triplicatio reprobatur d.l.14.in princ. his uerbis:* Si posthumus à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus sit: quamuis eo tempore nascatur, quo ad hæredes primo gradu scriptos pertineat hæreditas: secũdum tamen gradum uiciari placet, ad hoc ut prætermittentibus institutis, ipse hæres existat. Imò etsi defuncto eo hæredes instituti omiserint hæreditatem, non posse substitutos adire. *Tertia triplicatio est: Nisi filius primo gradu hæres sit institutus: hoc enim casu, quamuis à secundo gradu præteritus sit, nihilominus secundus gradus ualet. quæ triplicatio approbatur d.l.14. §.quod uulgò, his uerbis:* Quod uulgò dicitur, eum gradũ, à quo filius præteritus sit, non ualere: non usquequaq; uerum est. nam si primo gradu hæres institutus sit filius, non debere eum à substitutis exhæredari. Ideoq; si filio & Titio hæredibus institutis, Titio Mæuius substitutus sit: omittente Titio hæreditate, Mæuium eam adire posse, quamuis filius ex secundo gradu exhæredatus non sit. *Hæc de prima duplicatione.* *Altera propositæ replicationis duplicatio est: Nisi à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus, & à tertio exhæredatus, uiuentibus primis & deliberantibus decedat. hoc enim casu nec tertius gradus, à quo præteritus non est, ualet. quæ duplicatio approbatur*

probatur l.si posthumus.14.§.itaque & si. ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis: Si à primo gradu exhæredatus, à secũdo præteritus, à tertio exhæredatus sit, & uiuentibus primis & deliberantibus decedat: quæri solet, omittentibus primis aditionem, utrum ad eos qui tertio gradu scripti sunt, an potius ad legitimos hæredes pertineat hæreditas? quo & ipso casu rectius existimari putauit Africanus, ad legitimos eam pertinere. Nam & cùm duobus hæredibus institutis, & in singulorum locum facta substitutione, à primis exhæredatus posthumus, à secundis præteritus fuerit: si alter ex institutis omiserit, quamuis posthumus excludatur, non tamen magis substitutum admitti. *Tertia propositæ replicationis duplicatio est: Nisi duobus institutis, & filio exhæredato, postea substitutione facta, filius præteritus sit, & unus ex institutis hæreditatem omiserit, uel antè decesserit. hoc enim casu nec alter institutus ex eo gradu admittitur, quamuis præteritus ex eo gradu filius non sit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nam & cùm duobus hæredibus institutis, &c. *Cui concordat l.si ego.19. in princ.ff.de iniusto test. his uerbis:* Si ego & Titius instituti sumus, & à nobis posthumus exhæredatus sit, à substitutis nostris non sit exhæredatus: Titio defuncto, nec ego quidem adire potero. iam enim propter instituti personam, à quo posthumus exhæredatus est, in cuius locum substitutus uocatur, à quo posthumus exhęredatus non est: ruptum est testamentum. *Concordat d.l.19. in fine. cuius uerba uide ĩ.tripl.prox.* *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi duobus hæredibus institutis, illi inuicem sint substituti. hoc enim casu, quamuis unus ex hæredibus institutis hæres non existat, alter tamen admittitur. quæ triplicatio approbatur d.l. 19. §.sed si ego, his uerbis:* Sed si ego & Titius inuicem substituti simus, quamuis quasi in partem substitutionis exhæredatus non sit: mortuo uel repudiante Titio me posse adire puto, & ex asse hæredem esse. In prima tamen specie, etsi uiuat Titius, neque ego sine illo, neque ipse sine me adire poterit: quia incertum est, an adhuc altero omittente, rumpatur testamentum. Itaque simul adire possumus. *Quarta duplicatio est: Nisi non filius, sed posthumus ab institutis præteritus, à substitutis exhæredatus sit. hic enim natus totum testamentum rumpit. Hæc duplicatio approbatur l.nam & si.5.§.fin.ff.de iniusto test.his uerbis:* Rumpendo testamentum sibi locum facere posthumus solet: quamuis filius sequentem gradum, à quo exhæredatus est, patiatur nalere. Sed si à primo gradu præteritus, à secundo exhæredatus sit: si eo tempore nascatur posthumus, quo aliquis ex institutis uixit: totum testamentum ruptum est. Nam tollendo primum gradum, sibi locum facit. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi omnibus hæredibus primi gradus mortuis, posthumus sit natus. quæ triplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Si eo tempore nascatur posthumus, quo aliquis ex institutis uixit. *Hæc de decimaquinta replicatione.* *Decimasexta replicatio est: Nisi filius præteritus, postea fuerit emancipatus. Hæc replicatio approbatur l. uerum est.8. in fine.ff.de iniusto test.his uerbis:* Filia cum emancipatur, uel nepos (quia unà cum emancipatione exeunt de potestate) testamentum non rumpunt. *Planè replicatio hæc iure nouo mutata & sublata est per ea quæ proposita sunt §.replic.1.* *Decimaseptima replicatio est: Nisi pater testator ignorauit se filium habere. Hæc replicatio reprobatur l.uxorem.29. ff.de manumissis test. cuius uerba uide §.lib.19.cap.7.except.56.replic.3. Concordat l.Titius.25.§.fin.ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide ĩ.except.191.replic.3.* *Decimaoctaua replicatio est: Nisi præteritus bonis patris se abstineat, nec contra tabulas bonorum possessionem petat. Hæc replicatio approbatur l.filio.17.ff. de iniusto test. his uerbis:* Filio præterito, qui fuit in patris potestate, neque libertates competunt, neque legata præstantur, si præteritus fratribus partem hæreditatis auocauit. Quòd si bonis se patris abstinuit: licet subtilitas iuris refragari uidetur, attamen uoluntas testatoris ex bono & æquo tuebitur. *Concordat l.2. ff.de except.rei iudicatæ. cuius uerba uide ĩ.de liberationibus, cap.19. except.16. Concordat item l.2. ff.si tabulæ test.nullæ extab.his uerbis:* Emancipatus præteritus, si contra tabulas bonorum possessionem non acceperit, & scripti hæredes adierint hæreditatem: sua culpa amittit paternam hæreditatem. Nam quamuis secundum tabulas bonorum possessio petita non fuit: non tamen Prætor eum tuetur, ut bonorum possessionem accipiat. Vnde liberi. Nam & patronum præteritum, si non petat contra tabulas bonorum possessionem, ex illa parte edicti, unde legitimi uocantur, non solet tueri Prætor aduersus scriptos hæredes. *Decimanona replicatio est: Nisi præteritus uiuo testatore mortuus sit. Hæc replicatio reprobatur l.si filius.7 ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si filius qui in potestate est, præteritus sit, & uiuo patre decedat: testamentum non ualet, nec superius rumpetur. Et eo iure utimur. *Concordat Instit.de exhæredat.liberor.in prin. ibi: adeò quidem. cuius uerba uide §.cæd.excep.in prin. Concordant itẽ ea quæ proposita sunt §.repl.11.dupl.1. tripl.1. Planè admittitur replicatio proposita, si præteriti filius hæres sit institutus. quæ distinctio approbatur per ea quæ proposita sunt ĩ.cap.20.except.28.replic.2. dupl.6.tripl.2. Item admittitur replicatio proposita, si ij qui etiam ab intestato hæredes esse possunt, sint instituti. quæ distinctio approbatur l.posthumus.12.in prin.*

ibi:idem & circa.ff.de iniusto test. cuius uerba uide ẽ. cap.20. except.28. replic.9. Vicesima replicatio est: Nisi posthumus præteritus non nascatur. Hæc replicatio approbatur instit.de exhæred.liberorum.§.posthumi,in fin. cuius uerba uide ẽ.cap.20.except.28.in prin. Concordat l.posthumi.3.§.ex his. ff.de iniusto test. cuius uerba uide d.except.28. in princ. & ibidem plures eiusmodi replicationes. Vicesimaprima replicatio est: Nisi liberi eius qui præteritus est,hæredes sint instituti. Hæc replicatio reprobatur l.Gallus.29.§.in omnibus. ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide ẽ.cap. 20.except.28.repl.2.dupl.6. Hæc de præteritione liberorum:de qua uide plura ẽ.lib.31.cap.8.

DE EXHAEREDATIONE liberorum & parentum.
Cap. XVI.

HActenus de exceptione, sumpta ex præteritione liberorum & parentum (hoc est, si liberos uel parentes suos testator prætermerit, neque exhæredauerit uel instituerit) sit dictum: nunc de ijs quæ sumuntur ex circumstantijs exhæredationis, est differendum.

CLXXVII. *Exceptio: Nisi liberi uel parentes inutiliter exhæredati uel hæredes instituti sint.Hæc exceptio approbatur l.non putauit.8.§.non quæuis. ff.de bonor.possess.contra tabul.his uerbis:* Non quæuis exhæredatio submouet filium à contra tabulas bonorum possessione,sed quæ ritè facta est.

CLXXVIII.*Exceptio:Nisi ab unius persona filius sit exhæredatus: uel ita, Quisquis mihi hæres erit, filius exhæres esto. Hæc exceptio approbatur l.& si.3. §.filius.ff.de liberis & posthumis,hisce uerbis:* Filius inter medias quoq; hęredum institutiones rectè exhæredatur,& erit à toto gradu submotus, nisi fortè ab unius persona eũ testator exhæredauerit.Nam si hoc fecit,uiciosa erit exhæredatio, quemadmodũ si ita eum exhæredauerit: Quisquis mihi hæres erit, filius exhæres esto. Nam (ut Iulianus scribit) huiusmodi exhæredatio uiciosa est: quoniam post aditam hæreditatem uoluit eum submoueri,quod est impossibile.

CLXXIX. *Exceptio: Nisi ante hæredis institutionem exhæredatio facta sit. Hæc exceptio reprobatur d.l.3.§.antè,his uerbis:* Ante hæredis institutionem exhęredatus,ab omnibus gradibus submotus est. *Concordat l.posthumi.2.§.unde & ante.ff.de iniusto test. his uerbis:* Et ante hæredis institutionem, uel inter medias hæredum institutiones, uel inter gradus posthumi exhæredari possunt. Nam diuus Marcus decreuit,idem in posthumo, quod & in filio seruandum: nec ratio diuersitatis reddi potest. *Concordat item l.1.in prin.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ẽ.cap.11.except.68.in prin.*

CLXXX. *Exceptio: Nisi inter medias hæredum institutiones exhæredatio fiat. Hæc exceptio reprobatur uerbis d.§.unde, iam propositis hisce:* Vel inter medias hæredum institutiones. *Cui concordat l. & si.3.§.filius.ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide ẽ.except.178.*

CLXXXI.*Exceptio: Nisi inter gradus exhæredatio facta sit. Et hæc exceptio reprobatur uerbis d.§. unde,ẽ.propositis hisce:* Vel inter gradus exhæredari possunt. *Concordat d.l.3.§.sed etiam.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Sed etiam inter duos gradus exhæredatus, ab utroque remotus est,secundum Scæuolæ sententiam, quam puto ueram. *Concordat d.l.3.§.in eo, his uerbis:* In eo qui immiscuit duos gradus,exhæredationem ualere,Martianus rectè putat:ueluti,Primus hæres esto ex semisse. Si primus hæres non erit, secundus hæres esto. Tertius ex alia semisse hæres esto,& filius exhæres esto. Si tertius hæres non erit, quartus hæres esto. Nam ab utroq; gradu submotus est.

CLXXXII. *Exceptio: Nisi ab uno gradu,non omnibus facta sit exhæredatio.hoc enim casu is gradus, à quo exhæredatio facta non est,uiciatur.quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ẽ.cap.prox.repl.15.dupl.1. Sed & eius replicatio hæc est: Nisi post omnes hæredum institutiones exhæredatio sit facta. quæ replicatio approbatur l.1.C. de liberis præteritis,hisce uerbis:* Cum post omnes hæredum gradus exhæredatio scribitur, si adijciat testator, ab omnibus se gradib. exhæredare: non dubitatur iuri satisfactum. Et ideo etiamsi id non adijciatur, appareat tamen eo consilio scripsisse, ut ab omnibus exhęredaretur:rectè factum testamentum uidetur. Proinde cum paterfamiliâs,filijs institutis,& inuicem substitutis, filiam exhæredauerit: intelligendus est exhæredationem ab utroq; gradu fecisse. Nam cum ijdem hæredes instituti sunt,nulla ratio reddi potest,quare uideatur in posteriore tantùm casu exhæredare uoluisse.

CLXXXIII. *Exceptio: Nisi à re exhæredatio sit facta. Hæc exceptio approbatur l.cum quidam.19. ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Cum quidam filiam ex asse hæredem scripsisset, filioq; quem in potestate habebat,decem legasset,& adiecisset, In cætera parte exhęres mihi erit: & quæreretur,an rectè exhæredatus uideretur? Scæuola respondebat,non uideri: & in disputando adijciebat,ideo non ualere,quoniam nec fundi exhæres esse iussus,rectè exhęredaretur:aliamq; causam esse institutionis, quæ benignè acciperetur: exhæredationes aũt non esse adiuuandas.

CLXXXIIII. *Exceptio: Nisi filius miles sit exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur l.filiusfam.26. ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide ẽ. capite prox.except.176.replic.12.*

CLXXXV. *Exceptio: Nisi sine iusta causa quis filium*

filium uel parentem exhæredauerit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.115.§.cæterùm si hæc. cuius uerba uide paulò inferius. Declaratur hæc exceptio definitione & enumeratione iustarum causarum exhæredationis, d.c.115.§.ad hæc aliud, usque ad §.memoria, his uerbis: Sancimus, ne qua ratione patri aut matri,auo aut auiæ, proauo aut proauiæ filium suum aut filiam, aut reliquos liberos in testamento suo liceat silentio præterire, aut exhæredes facere, etsi per quamlibet donationem,aut legatum,aut fideicommissum, aut alium quemcunq; modum debitam ipsis portionem legibus contulerint: nisi fortè ingrati comprobentur, & eas ingratitudinis causas parentes nominatim in suo descripserint testamento.Sed quia causas, ex quibus filij ingrati iudicari debent, in diuersis hinc inde legibus dispersas, neque manifestè proditas inuenimus, quarũ pleræque nec dignæ nobis ad ingerendam ingratitudinem sunt uisæ,aliæ uerò,tametsi dignæ, prætermissæ sunt: propterea necessarium nobis esse uisum est,præsenti eas lege nominatim complecti, ut præter hasce nemini liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere,nisi quæ cõtextu præsentis constitutionis continentur. Iustas uerò causas ingratitudinis has esse decernimus: Si quis parentibus suis manus intulerit,aut atrocem & indecentem contumeliam ingesserit, aut de criminibus publico ipsos iudicio postulauerit, quæ contra Principem aut Rempub.non sint. Si cum ueneficis ut ueneficus conuersetur, aut uitæ parentum suorum uel ueneficio uel alio modo insidiari conatus fuerit. Si cum nouerca sua, aut patris concubina filius rem habuerit. Si calumniator filius contra parentes extiterit, & delatione sua grauia eos sustinere dispendia fecerit. Si quem suorum parentum carcere inclusum esse contigerit, & liberi qui ab intestato ad eius uenire possunt hæreditatem, precibus ab eo petiti, siue etiam unus ex ijs,in fidem suam recipere eum noluerint,aut pro persona,próue ære alieno fideiubere,in quantum qui precibus petitur, idoneus esse comprobatur. Hoc uerò quod de fideiusione sanximus, ad liberos masculos, & solos quidem pertinere uolumus.Si de eo liberorum aliquis conuincatur, quòd parentes suos testamentum facere prohibuerit: siquidem postea testamentum facere potuerint, licentia ipsis sit ea de causa filium exhæredem facere. Si uerò in ipsa prohibitione parentum aliquis sine testamento decesserit, & alij, siue qui ab intestato cum ipso filio, qui testamenti factionem prohibuit, aut post ipsum ad eius uocantur hæreditatem, siue quos sibi hæredes aut legatarios esse uoluit, siue qui læsionem aliquam ex prohibita testamenti factione sustinuerint, hoc ipsum comprobauerint:secundum alias de hoc latas leges istiusmodi negocia terminentur. Si præter uoluntatem parentum inter arenarios, uenatores, aut mimos seipsum filius recenseat,& in ea professione perseueret: nisi forte & parẽtes eiusdem professionis fuerint. Si cui ex prædictis parentibus filiæ neptiue suæ maritum dare, & secundum uires patrimonij sui dotem pro ea offerre uolenti, illa non consenserit, sed turpem uitam delegerit. Sed si filia legitimum annorum modum atque ætatem habeat,& parentes differant eam marito coniungere, & ex hoc contingat ut in corpus forte suum peccet, aut sine consensu parentum marito se (libero tamen) coniungat: hoc ad ingratitudinem imputari filiæ nolumus. quandoquidem non sua,sed parentum culpa hoc deliquisse dignoscitur.Si quis de prædictis parentibus furiosus fuerit, & liberi eius, uel quidam ex eis, aut liberis illi non existentibus, alij eius cognati, qui ab intestato ad eius hæreditatem uocantur, ministerium illi & conuenientem solicitudinem non exhibuerint: siquidem huiusmodi morbo liberatus fuerit, licentia ei erit,utrum filium, aut filios,aut cognatos, qui eius curam non gesserunt,in testamento suo uelit ingratum seu ingratos scribere. Quòd si extraneus aliquis ipsum, cùm eo furoris morbo detineretur,à filijs suis aut cognatis,aut alijs ab eo scriptis hæredibus negligi uideat,& misericordia ductus curam eius gerere uoluerit: damus ei licentiam, ut his qui ab intestato aut ex testamento iam facto ad furiosi hæreditatem uocantur,attestationem scripto comprehensam mittat, quo magis operam dent,ut curam eius suscipiãt. Ac si post eiusmodi attestationem quoque negligentes sint, & extraneus furiosum in domum suam receptum proprijs sumptibus usque ad mortem curam eius gessisse comprobatus fuerit: eum qui ministerium & diligentiã furioso adhibuit, ut maximè extraneus sit, ad huius uenire hæreditatem sancimus, subuersa illorum institutione, ut qui, quòd furioso (ut diximus) solicitudinẽ adhibere neglexerint, successione eius indigni sint. Ita tamen, ut reliqua testamenti capitula in sua firmitate permaneãt. Si unum aliquem de prædictis parentibus in captiuitate detineri contigerit, & liberi eius, siue omnes, siue unus, non festinauerint hunc redimere: siquidem captiuitatis calamitatem possit effugere,in eius potestate sit,utrum hanc ingratitudinis causam in suo describere uelit testa-

litteſtamento. At ſi per liberorum negligentiam & cõtemptum liberatus non fuerit,ſed in captiuitate uitam finierit: non ſuſtinemus illos ad eius uenire ſucceſsionem,qui quidem redemptionem eius procurare non feſtinauerint. Sed omnibus liberis negligenter in hoc agentibus, omnes res quæ ab ipſo relinquuntur, Eccleſiæ eius ciuitatis,unde originem traxit,addicuntor, inuentario uidelicet ſub publica atteſtatione faciendo, ne quid ex patrimonio eius depereat: ea conditione, ut quidquid exinde peruenturum ſit ad Eccleſiam, id in redemptionem captiuorum procedat. Verùm hæc quidem dicta ſunt, quantum ad perſonas, quas exhæredes facere non licet,niſi ingratitudinis cauſas adſcribi & approbari contigerit. Ad generalem uerò legem ferendam præſens nobis controuerſia occaſionem dedit. Et propterea generaliter iubemus, ut ſi ille in captiuitate detentus fuerit, neque liberos habuerit, & alijs qui ad huius hæreditatem uocantur ab inteſtato, redimere ipſum non feſtinantibus, in captiuitate uitam finierit: nemo ex ijs qui ſe in ea re negligentes præbuerint, hæreditatem eius adeat, quamuis ante captiuitatem teſtamentum fortè ab eo conditum fuit,in quo memoratas perſonas hæredes ſcripſerit. Sed & hic hæredum inſtitutione ad irritum recidente,& reliquis teſtamenti capitulis in ſua firmitate manentibus, conſimili modo huiuſmodi perſonarum facultates Eccleſijs earum urbium,unde duxerunt originem, addicuntor, neque in alias cauſas quàm captiuorum redemptiones inſumuntor, ut unde illi à ſuis redempti non ſunt, exinde aliorum redemptiones procurentur,& ſimiliter ex hoc pio actu illorum animæ releuẽtur. Eodem hoc obſeruando, etſi aliam extraneam perſonam ante captiuitatem hæredem ſcripſerit,& illa cognitum habens,quòd hæres ab illo ſcripta ſit, ex captiuitate hunc redimere neglexerit. Hanc autem pœnam contra illos ualere ſancimus, qui decimum octauũ ætatis ſuæ annum impleuerunt. Cæterùm in eiuſmodi cauſis, cum pro redemptione captiuorum pecunias dari neceſſarium fuerit,ſi quis proprias pecunias non habeat, licentiam habeto, ſi prædictæ ætatis ſit, mutuam pecuniam deſumere, & res mobiles & immobiles pignori opponere, ſiue proprias,ſiue eius qui in captiuitate detinetur: quia in omnibus prædictis, quæ pro captiuorum redemptione dari inſumiũe probãtur, perinde huiuſmodi contractus firmos ac ſtabiles eſſe iubemus,ac ſi à perſona quæ ſui iuris & perfectæ ætatis foret, celebrati eſſent,nullo præiudicio generando his qui in memoratis cauſis,quo dictum eſt modo, cum talibus perſonis contrahunt: neceſsitatem uidelicet habente eo, qui à captiuitate poſtliminio reuertitur, ut huiuſmodi contractus ratos habeat,& his tanquã proprijs debitis teneatur obnoxius. Si quis ex memoratis parentibus, cum ipſe orthodoxus ſit,ſentiat filium ſuum aut filios non eſſe catholicæ fidei, neque in ſacroſancta Eccleſia communicare, in qua omnes beatiſs. patriarchæ una conſpiratione & concordia rectam fidem prædicant, & ſancta quatuor concilia,Nicænum, Conſtãtinopolitanum, Epheſinum primum,& Chalcedonẽſe,amplecti ſeu recitare noſcuntur, talesq; liberi in ea infidelitate permaneant: damus eorum parentibus licentiam, ut hac maximè de cauſa ingratos eos & exhæredes in ſuo teſtamento deſcribant. Atq; hoc quidem de cauſa ingratitudinis diſpoſuimus. Enimuerò generalem,&c. *Reliqua uerba uſq; ad §. ſiue igitur,digreſsionem continentia,uide §. libro 10. cap.12.quæſt.3.reg.9. Iſta digreſsione finita,ſubijciuntur ad propoſitum pertinentia hæc uerba*: Siue igitur omnes prædictas ingratitudinis cauſas, ſiue certas ex ijs,ſiue quamcunq; unam parentes in ſuo deſcripſerint teſtamento,& ſcripti hæredes nominatam aut nominatas cauſas, uel unam ex ijs ueram eſſe monſtrauerint: ut teſtamẽtum firmitatem ſuam obtineat,iubemus. Cæterùm ſi hæc obſeruata non fuerint, nullum liberis præiudicium fiat,qui hæredes ſcripti non ſunt: ſed quantum ad hæredum inſtitutionem attinet, ad irritum recidente teſtamento, liberi ad parentum hæreditatem ab inteſtato æquis portionibus perueniant: ne liberi falſis condemnentur accuſationibus, & in parentum facultatibus aliquam ſuſtineant circumſcriptionem.Sanè ſi uſueniat,ut in talibus quibuſdam teſtamẽtis legata aliqua, aut fideicommiſſa, aut libertates, aut tutorum dationes relinquantur, aut quæcunq; alia legibus cognita capitula nominentur: hæc omnia impleri iubemus,& illis preſtari quibus relicta ſunt, perinde quaſi ea parte teſtamentũ non ſubuerſum reſciſſumq; ualeret. ATQVAE hæc quidẽ de teſtamentis parẽtum diſpoſuimus.Iuſtum autem nobis uiſum eſt,econtrariò cum quadã diſtinctione eadem hæc & de teſtamentis liberorũ diſponere. Sancimus igitur,ne liberis parentes ſuos ſilentio preterire,aut quocunq; modo à rebus ſuis, in quib.teſtandi habent poteſtatẽ,omnino eos alienos facere liceat: niſi cauſas quas enumeraſsimus,ſpecialiter in ſuis teſtamẽtis deſcripſerint. Eas autem has eſſe iubemus. Si parẽtes liberos ſuos ad interitum

interitum tradiderint, excepta tamen cauſa, quæ ad crimen perduellionis tendit. Si ueneficijs aut magicis artibus,aut alio modo parentes liberorum uitæ inſidias poſuiſſe comprobati fuerint. Si pater cum nurua ſua aut concubina filij ſui rem habuit.Si parentes liberos ſuos teſtamenti tabulas conficere prohibuerint in his rebus, in quibus teſtandi poteſtatem habent: omnibus uidelicet in huiuſmodi teſtamentorum prohibitione conſeruandis, quæ in perſona parentum diſtinctione notauimus. Si maritum uxori, aut uxorem marito uenenum dare uel ad interitum, uel ut emotæ mentis fieret,uel alio modo alterum alterius uitæ inſidias poſuiſſe contigerit: quamuis eiuſmodi crimen tanquam publicum ſecundum leges examinatur, & legitimam promeretur uindictam: ſancimus tamen, ut liberis licentia ſit uel nihil de facultatibus ſuis in teſtamentis ſuis illo modo ei qui tale facinus admiſiſſe dinoſcitur, relinquere. Si liberis aut uni ex ijs in furore conſtituto, curam adhibere neglexerint: omnia & hic conſeruari præcipimus, quæ de prædictorum parentibus ſuperius ſanciuimus. His factorum ſpeciebus calamitatem etiam captiuitatis apponimus,in qua ſi liberos detineri,& per contemptum parentum aut negligentia non redemptos mori contigerit: neutiquam ad liberorum facultates,in quibus liberi teſtamentum condere poterant, horum parentes perueniant: ſed omnia & in hoc capitulo cuſtodiantur, quæ de parentibus & cognatis atq; adgnatis, qui ab inteſtato ad ipſorum iura uocantur, & extraneis hæredibus ſcriptis ſuperius diſpoſuimus. Si quis de memoratis liberis,cum orthodoxus ſit,ſentiat parentem ſuum aut parentes non eſſe catholicos: eadem & in illis perſonis obtineant, quæ ſuperius de parentibus diſpoſuimus. Si huiuſmodi igitur cauſas,aut certas ex ijs, aut unam liberi in ſuis deſcripſerint teſtamentis, & ſcripti ab ipſis hæredes uel omnes, uel certas, uel unam ex his comprobauerint:ut teſtamentum in firmitate ſua permaneat, præcipimus.Si hæc ita obſeruata non ſint:ne quem uigorem huiuſmodi teſtamentum (quantum ad inſtitutionem hæredum) habeat, ſancimus. Quin ſubuerſo teſtamento, his qui ab inteſtato ad defuncti hæreditatem uocantur, illius res aſſignari diſponimus: legatis uidelicet ſiue fideicommiſsis, & libertatibus, & tutorum dationibus, & alijs capitulis (ut ſuperius dictum eſt) propriam firmitatem obtinentibus. Porrò ſi quid uel de legatis,uel fideicommiſsis,uel libertatibus,uel alijs quibuſcunque tandem capitulis in alijs legibus huic conſtitutioni inuentum fuerit contrarium,id nullo obtinere modo uolumus. Atque hæ quidem exhæredationis aut præteritionis pœnæ, quantum ad cauſas ingratitudinis,contra prædictas perſonas ita expreſſæ & ueluti in formulam coactæ ſunto. Si quæ uerò ex ijs reputantur inter crimina, talium patratores alias etiam pœnas determinatas legibus ſuſtinento. Hæc autem ita hac forma propoſuimus, ut tam parentes quàm liberos teſtamentaria contumelia liberemus. Cæterùm ſi qui hæredes nominati ſunt, etſi ut certis rebus contenti eſſent, iuſſi fuerint: nihilominus teſtamẽtum hoc quidem caſu non ſubuerti: ſed quidquid minus legitima ipſis portione relictum erit,id ſecundum alias noſtras leges ab hæredibus ſupleri præcipimus. Vna enim hæc ſerenitati noſtræ cura eſt, ut præteritionis & exhæredationis contra parentes & liberos contumeliam perimamus. Conſiderare autem parentes debent, quia & ipſi liberi fuerint, & eadem à proprijs obtinuerint parentibus. Conſimiliter & qui nunc ſunt filij,ſtudeant parentum ſuorum animos demereri officijs: quandoquidem & ipſi parentes fieri cupiunt, & à ſuis honorari filijs præoptant. Vnde manifeſtum extitit,quòd ad utrorumque utilitatem & ſecuritatem præſens lex reſpiciat, quam non ſine cauſa, ſed ſubſiſtente occaſione proferre nobis uiſum eſt. Deprehendimus enim in quodam negocio diſceptantes, quòd cùm Polyſceria à matre ſua grata filia diceretur, exhæres poſtea in teſtamẽto tam in paternis quàm maternis bonis nominata ſit:& quia iſtiuſmodi chartam dolo & machinatione compoſitam cognouimus, nullo eam modo ualere conceſsimus:filiam autem patri ſimul & matri hæredem fieri iuſsimus, quemadmodum ſcripto comprehenſa noſtra ſententia de eo negocio prolata manifeſtat. Plane *replicatio huius exceptionis hæc eſt*: *Niſi non ut obſit, ſed ut proſit filio,cum exhæredauit. quæ replicatio approbatur l. multi. 18. ff. de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*:Multi non notæ cauſa exhæredant filios, nec ut eis obſint, ſed ut eis conſulant (utputa impuberibus) eisq; fideicommiſſariam hæreditatem dant. *Plura de exceptione propoſita uide §. de inofficioſo teſtamento, libro 31. cap.4.quæſt.2.except.18.cum ſequentibus.*

CLXXXVI.*Exceptio*:*Niſi cauſa exhæredationis in teſtamento ſpecialiter non ſit appoſita. Hæc exceptio approbatur* Nouell.c.115.§.ad hæc aliud. ibi:*niſi fortè ingrati.item §. uerùm hæc quidem. item §. ſiue igitur omnes,& §. ſancimus igitur.quorum omnium uerba uide §. except.prox.*

CLXXXVII.*Exceptio*:*Niſi hæres ſcriptus cauſam*

ſam

ſum exhæredationis in teſtamento adiectam non probauerit ueram eſſe. Hæc exceptio ex locis iam propoſitis conſtat.

CLXXXVIII. Exceptio: *Niſi cauſa exhæredationis non reperiatur Nouell.c.115.approbata. Hæc exceptio approbatur d.Nouell.c.115.§.ad hæc aliud.ibi: ut præter haſce.cuius uerba uide ſ.except.185.in prin.*

CLXXXIX. Exceptio: *Niſi cauſa exhæredationis ſit falſa. Hæc exceptio approbatur l.ſi poſthumus.14.§.fin.cum lege ſequente. ff.de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Si quis ita ſcripſerit, Ille quem ſcio ex me natum non eſſe, exhæres eſto: hanc exhæredationem ita nullius momenti eſſe Africanus ait, ſi probetur ex eo natus. Nõ enim uideri quaſi filium exhæredatum eſſe: quandoquidem elogium pater, cum filium exhæredare propoſuiſſet, adiecerit, propter quam cauſam eum exhæredaret: probeturque patrem circa cauſam exhæredationis erraſſe. Idem eſt, & ſi ita dixerit, Ille illius filius exhæres eſto: patrem ei adulterum per errorem adſignans.

CXC. Exceptio, *ſumpta ex uerbis exhæredationis, reprobatur l.ſi quis.3.C.de liberis præteritis, hiſce uerbis*: Si quis filium proprium ita exhæredauerit, Ille filius meus alienus meæ ſubſtantiæ ſiat: talis filius ex huiuſmodi uerborum conceptione non præteritus, ſed exhæredatus intelligatur. Cum enim manifeſtiſsimus eſt ſenſus teſtatoris, uerborum interpretatio nunquam tãtum ualeat, ut melior ſenſu exiſtat. *Concordat l.qui uolebat.59.ff.de hæred.inſtit. his uerbis*: Qui uolebat filiam exhæredare, ſic teſtamento comprehẽdit: Te autem filiam ideo exhæredaui, quoniam contentam te eſſe dote uolui. quæro, an efficaciter exhæredata ſit? Modeſtinus reſpondit, nihil proponi, cur non eſſet uoluntate teſtatoris exhæredata. *Concordat item l.filij.17. ff.de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Filij etiam hoc modo exhæredantur: Filius exhæres ſit: Filius exhæres erit.

CXCI. Exceptio: *Niſi non nominatim exhæredatio ſit facta. Hæc exceptio approbatur l.poſthumi.3.in prin.ff.de iniuſto teſt.his uerbis*: Poſthumi per uirilem ſexum deſcendentes, ad ſimilitudinẽ filiorum nominatim exhæredandi ſunt, ne teſtamentum adgnaſcendo rumpant. *Concordat Inſtit.de exhæredat.liberor.in prin. cuius uerba uide ſ.cap.prox. except.176. in prin.* Declaratur exceptio propoſita definitione uocabuli Nominatim, *l.1. ff.de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Quid ſit nominatim exhęredare, uideamus. nomen & prænomen & cognomen eius dicẽdum eſt. An ſufficiat uel unum ex his? Et conſtat ſufficere. *Concordat Inſtit.de exhæredat.liber. §.nominatim, his uerbis*: Nominatim quis exhæredari uidetur, ſiue ita exhæredetur, Titius filius meus exhæres eſto: ſiue ita, Filius meus exhæres eſto: non adiecto proprio nomine, ſcilicet ſi alius filius non extet. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi unum tantùm filium habens exhæredationem ſcripſerit, non expreſſo nomine proprio. tunc enim, quamuis nomen filij non ſit adiectum, ualet tamen exhæredatio, quæ replicatio conſtat ex uerbis iam propoſitis hiſce*: Siue ita, Filius meus exhæres eſto: non adiecto proprio nomine, ſcilicet ſi alius filius non extet. *Concordat l.2. ff.de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Nominatim exhæredatus filius & ita uidetur, Filius meus exhæres eſto: etſi nec nomen eius expreſſum ſit, ſi modò unicus ſit. Nam ſi plures ſint filij, benigna interpretatione potius à pleriſque reſpondetur, nullum exhæredatum eſſe. *Concordat l.& ſi.3.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Et ſi pepercerit filium dicere, ex Seia autem natũ dixerit: rectè exhæredat. Et ſi cum conuicio dixerit, Non nominandus, uel non filius meus, latro, gladiator: magis eſt, ut rectè exhæredatus ſit. Sed & ſi ex adulterio natum dixerit. *Altera replicatio eſt: Niſi alia demonſtratione uſus ſit teſtator, ut euidenter conſtet de quo ſenſerit: tunc etiam nomine eius non expreſſo, ualet exhæredatio. quæ replicatio conſtat exemplis d.l.2. in prin. iam propoſitis hiſce*: Et ſi pepercerit filium dicere, ex Seia autem natum dixerit, &c. *Tertia replicatio eſt: Niſi ita exhæredauit, Cæteri omnes filij filiæq; meæ exhæredes ſunto. Hæc replicatio approbatur l.Titius.25. in princ. ff.de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Titius teſtamento hæredem inſtituit, & filium habens ſic exhæredationem poſuit: Cæteri omnes filij filiæq; meæ exhæredes ſunto. Paulus reſpondit, filium rectè exhæredatum uideri. Poſtea conſultus, an uideretur exhæredatus, quem pater putaſſet deceſsiſſe? reſpondit, filios & filias nominatim exhæredatos proponi: de errore autem patris, qui interceſsiſſe proponeretur, apud iudicem agi oportere. *Quarta replicatio eſt: Niſi fœminini ſexus liberi & nepotes, per uirilem ſexum deſcendentes, exhæredati ſint. Hæc replicatio approbatur quidem iure antiquo Inſtit. de exhæred.liberorum. §.1. ibi: ſed nec nominatim. cuius uerb uide ſ.except.176.repl.4.. Concordat Inſt. eod. tt.§.ſed Prætor. cuius uerba uide ſ.d.repl.4. Planè iure nouo replicatio propoſita mutata ac reprobata eſt Inſtit.d.tt.§.ſed hæc quidẽ. cuius uerba uide ſ.d.repl.4. Concordat l.ult.§.ſancimus itaq;. C.de liberis præteritis. cuius uerba uide d.repl.4. Quinta replicatio eſt: Niſi poſthumi ſint exhæredati. Hæc replicatio in fœminis quidem poſthumis approbatur, in maſculis autem poſthumis reprobatur Inſtit.de exhæredat.liberorum.§.ſed fœminini, his uerbis*: Sed fœminini quidem ſexus perſonæ (de poſthumis loquitur) uel nominatim, uel inter cæteros exhæredari ſolebant: dum tamen, ſi inter cæteros exhæredarentur, aliquid eis legaretur, ne uide-

ne uiderentur præteritę eſſe per obliuionẽ. Maſculos uerò poſthumos, id eſt, filios, & deinceps, placuit non aliter rectè exhæredari, niſi nominatim exhæredarentur, hoc ſcilicet modo: Quicunque mihi filius genitus fuerit, exhæres eſto. *Concordat, quoad maſculos poſthumos, l.poſthumi.3.in princ. ff. de iniuſto teſt.cuius uerba uide ſ.cad.except.in prin. Planè iure nouo, quoad fœminini ſexus poſthumos, replicatio propoſita mutatur & reprobatur d.l.4.§.fin.C.de liberis præteritis, hiſce uerbis*: Quia & aliud uicium fuerat ſub obtentu differentię introductum, & alia iura exhæredationis in poſthumis, alia in iam natis obſeruabantur: cũ neceſſe fuerat poſthumam inter cæteros exhæredatã etiam legato honorari, filiam autẽ iam progenitam & ſine donatione: & hoc breuiſsimo incremẽto uerborum ad pleniſsimam definitionem deduximus, ſanciẽtes eadem iura obtinere & in poſthumis exhæredandis, ſiue maſculini, ſiue fœminini ſexus ſint, quæ in filijs & filiabus iam ſtatuimus: ut etiam ipſi uel ipſæ nominatim exhæredentur, id eſt, poſthumi uel poſthumæ facta mẽtione.

CXCII. Exceptio: *Niſi ſub conditione exhæredatio ſit facta. Hæc exceptio approbatur l.& ſi.3.§. purè.ff.de liberis & poſthumis, hiſce uerbis*: Purè filium exhæredari Iulianus putat. qua ſententia utimur. *Concordat l.ſi quis.66.in fine.ff.de hæred.inſtit.cuius uerba uide ſ.lib.32.cap.6.except.81.*

CXCIII. Exceptio: *Niſi quis poſt mortem ſuam exhæredetur. Hæc exceptio approbatur l.ſi ita.13.§. fin.ff.de liberis & poſthumis, his uerbis*: Teſtamẽtum, quod hoc modo ſcribitur, Titius poſt mortem filij mei hæres eſto, filius exhæres eſto: nullius momenti eſt. Quia filius poſt mortem ſuam exhæredatus eſt. Quare & contra tabulas paternorum libertorum huiuſmodi filius bonorum poſſeſsionem acci pere poterit. *Concordat l.Gallus.29.§.in omnibus. ibi: nam fruſtra.ff.eod.tt.cuius uerba uide ſ.cap.20.except.28.replic.2. dupl.6. Item concordat l.ſuus quoq;. 4.§.fin.ibi: cum etſi fuerit. ff.de hæredibus inſtit. cuius uerba uide ſ.cap.13.except.136.*

CXCIIII. Exceptio: *Niſi omnes filios filiasq; exhæredans, habeat filium, quẽ putauit mortuum. Hæc exceptio approbatur l.Titius.25.§.1.ff.de liberis & poſthumis. cuius uerba uide ſ.except.191.repl.3. Hæc de exceptionib.aduerſus exhæredationem, quatenus teſtamẽtum ratione exhæredationis iniuſtè eſt, ſint dicta: quatenus autẽ exhæredatio obſtat uel nõ obſtat exhæredato, ſaluo teſtamento, dicetur ſ.lib.prox.cap.7.except.3.*

DE REPLICATIONIBVS aduerſus hactenus enumeratas exceptiones generalibus. Cap. XVII.

Omnis exceptio aduerſus teſtamenta ſumitur aut ex ijs quæ teſtamenti factioni inſunt, aut ex ijs quæ teſtamenti factionem ſequuntur: ut ſ.cap.6. in prin.eſt oſtenſum. Prioris generis exceptiones hactenus ſunt enumeratæ atq; deſcriptæ. *Antequam autem poſterioris generis exceptiones proponamus, diſpiciendæ ſunt aliquot replicationes, quæ hactenus enumeratis exceptionibus, ſi non omnibus, at pleriſque ſaltem obijci poſſunt. Eiuſmodi replicationes generales hæ ſunt.*

I. Replicatio: *Niſi parentes inter liberos teſtamentũ fecerunt. Hæc replicatio approbatur l.filij.16.C.familiæ erciſcundæ, his uerbis*: Filij patris teſtamentum reſcindendi, ſi hoc inofficioſum probare non poſſunt, nullam habent facultatem. Sed etſi tam circa teſtamentum, quàm etiã codicillos iudiciũ eius deficiat, uerùm quibuſcunque uerbis uoluntas eius declarata ſit (licet ab inteſtato ei fuerit ſucceſſum) ex ſenatuſconſulto, retẽtionis modo ſeruato, familiæ erciſcundæ iudicio aditum iudicẽ ſequi uoluntatẽ patris oportere, iuris authoritate ſignificatur. *Concordat l.ſi cogit.11.C.eod. tt.his uerbis*: Si cogitatione futuræ ſucceſsionis, officium arbitri diuidendæ hæreditatis præueniendo, pater communis ſuo uel qualicũque iudicio ſuam declarauit uoluntatẽ: inter eos qui ei ſucceſſerunt, exemplo Falcidiæ, retentionis habita ratione, familiæ diuidendæ cauſa datus arbiter, pro uirili præterea portione eorum quæ nulli generaliter uel ſpecialiter adſignauit, facta diuiſione, in adiudicando patris ſequetur uoluntatem. *Concordat item l.ult.C.eod.tt.his uerbis*: Inter omnes duntaxat hæredes ſuos, qui ex quolibet uenientes gradu, tamen pares uidentur eſſe, uel emancipatos, quos Prætor ad ſucceſsionem uocat, ſiue cœptum neque impletum teſtamẽtum, uel codicillus, ſeu epiſtola parentis eſſe memoretur, ſiue quocunque alio modo ſcripturæ quibuſcunque uerbis uel indicijs inueniantur relictæ: iudicio familiæ erciſcundæ (licet inteſtatò ad ſucceſsionem liberi uocentur) ſeruato ſenatuſconſulti auxilio, defuncti diſpoſitio cuſtodiatur, etſi ſolennitate legum huiuſmodi diſpoſitio fuerit deſtituta. Si uerò in huiuſmodi uoluntate deſignatis liberis alia ſit miſta perſona: certum eſt, eam uoluntatem, quantum ad illam duntaxat perſonam permiſtam, pro nullo haberi. *Concordat item l.hac conſultiſsima.21.§.ex imperfecto.C. de teſtamentis. cuius uerba uide ſ.dupl.1.* Eſt autem propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc: *Niſi extranea perſona in teſtamento patris ſit miſta. quoad hanc enim perſonam, id quod ei in teſtamento imperfecto & non ſolenni relictum eſt, non ualet. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Si uerò in huiuſmodi uoluntate deſignatis liberis alia ſit miſta perſona: certum eſt, eam uoluntatem, quantum ad illam duntaxat perſonam

sortiam permistam,pro nullo haberi. *Concordat d.§.ex imperfecto, his uerbis:* Ex imperfecto testamento uoluntatem tenere defuncti,nisi inter solos liberos à parentibus utriusque sexus habeatur, non uolumus. Si uerò in huiusmodi uoluntate liberis alia sit extranea mista persona: certum est,eam uoluntatem, quantùm ad illam duntaxat permistam personam, pro nullo haberi, sed liberis adcrescere. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi testator sua subscriptione declaret tempus, liberorum nomina, & unciarum quantitatem. ejus triplicatio approbatur Nouell.c.107.§.cæterùm si uel uxori. cuius uerba uide §.duplic.4. Altera propositæ replicationis duplicatio est: Nisi parens legitimam uni ex liberis non relinquat. quæ duplicatio approbatur l.parentib.8. C. de inoff. testam. his uerbis:* Parentibus arbitrium diuidendæ hæreditatis inter liberos adimendũ non est, dummodò non minus,qui pietatis sibi conscius est, partis quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex iudicio parentis obtineat. Qui autem agnouit iudicium defuncti, eo quòd debitum paternum pro hæreditaria parte persoluit, uel alio legitimo modo satisfecit: etiamsi minus quàm ei debebatur,relictum est: si is maior uiginti quinque annis est, accusare ut inofficiosam uoluntatem patris, quam probauit, nõ potest. *Concordat l.filij.16.in princ.C.familiæ erciscundæ.cuius uerba uide §.ead.replic.in prin. Huius duplicationis triplicatio hæc est:Nisi is cui legitima relicta nõ est,uoluntatem patris agnouit. quæ triplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Qui autem agnouit,&c. *Sed plura de duplicatione proposita dicentur §. in testamento inofficioso. Tertia duplicatio est: Nisi parens uel liberi non subscripserint. Hæc duplicatio approbatur Nouell.c.18.§.& quod sæpenumerò, his uerbis:* Quod sæpenumerò nobis iudicantib.placuit,id nostro nunc more in parte præsentis legis assumere penè necessarium fuerit. Plerique enim plurium filiorum parentes constituti, dum uidentur bona diuidere, ut eue stigiò fraterna illos cõtentione liberent, in maiores insuper & difficiliores eos cõtrouersias inducunt. Nam cũ eos omnia oportuerit expressè in suis diuidere testamentis, siquidem hoc essent animo: aut si minus, saltem portiones codicillis facere, ijsque subscribere, & ita ab omni remotam cõtrouersia diuisionem suis tradere filijs, ipsi hoc facere negligunt: & tametsi partem ipsi per se conscribunt, eamque nec continuè, sed alicuius fortè alterius literis interscriptam, & in schedula aliqua reiecticia, neque ulla custodia digna repositam: reliqua tamen pars amplius illorum præ se manum non fert, sed amanuensis alicuius fortè corrupti, aut etiam cuiuscunque: indeque litium illis plus mille occasiones, utrum uoluntate hæc patris cõfecta sint, an uerò alicuius sint, qui contentiones & controuersias subdolè ciere studuerit, quiue in gratiam alicuius partium scripserit. Hæc nos decæterò subditos nostros inquietare nolentes, sancimus, si quis bona sua inter liberos uelit uel omnia diuidere, uel quædam etiam quasi exempla relinquere, ut ea præcipuè (modò si fieri possit) in testamento dicat, & inde filijs extra controuersiam positam utilitate præbeat. Si uerò propter aliquas occasiones, quales multæ homines circumsistunt,testamentum non faciat: nihilominus ei bonorum, quæ diuidi uult, diuisiones licebit in codicillos conijcere, & omnibus subscribere, uel procurare ut omnes filij subscribant, inter quos bona diuidit, exindéque negocio irrefragabilem fidem addere. Et quod isto modo ac forma factum fuerit, id ratum ac firmum sit,neque alia cautione indigeat. Quod si minus agat, sed tantùm rudem quandam in charta designationem faciat, neque ulla ex parte cohærentem, & plerunque omni destitutam testimonio: sciat nullam se filijs ea re utilitatem allaturum, & perinde quasi nihil factum sit, filios patrimonium diuisuros,obscurarum illarum, & magna ex parte testibus carentium scripturarum nulla ratione habita, neque his qui eam controuersiam disceptant, quos leges familiæ erciscundæ arbitros uocare solent, cogendis utistas sequantur. Oportet enim filiorum securitati ad plenum prospicere, non cum partem ad securitatem redegerint, partem erroribus implicitam relinquere, quæ difficilioribus adhuc, & insolubilibus, & nonnunquam ad magnitudinem criminum surgentibus controuersijs materiam præbitura sit. *Concordat Nouell.c.107.§.quia uerò scimus. cuius uerba uide infrà duplic.prox. Sed & propositæ duplicationis triplicationes uide ibidem. Quarta duplicatio est: Nisi parens tempus, liberorum nomina, & unciarum quantitatem sua manu non scripserit. Hæc duplicatio approbatur Nouell.constit.107. his uerbis:* Descripta quidem à Constantino sacratiss.principe lex est, rectè ad ueterem collineata simplicitatem: sed rerum uarietas & crebrò hæc commutans natura, ut lex illa nostra correctione indigeret, effecit. Siquidem lex dicit, defunctorum uoluntates,cũ parentes sunt, omnibus modis inter filios ualere debere, & in tantum erga ipsos (si parentes sint) uerecunda est, ut obscuram etiam rerum designationem eis concedat, dicens: Etsi euidentes dispositiones eorum non sint, elici autem possint ex coniecturis,

cturis, & nominibus, & qualicunq; scriptura, ut sic quoque hæc ualeant. atque hoc de suis pariter & emancipatis inquit. Insuper etiam Theodosij constitutio ueluti per appendicem disponens definit, non tantùm ut hæc in patribus ualeant, sed etiam in matribus, & in ascendentibus utriusque sexus. Hac apprehensa licentia ad tantam homines obscuritatem deuenerunt, ut diuinationibus potius quàm interpretibus indigeant. Inde adeò,cum neque personas adscribant, neque rerum indicia proferant,& forte ne quantitatem quidem: tamẽ coniecturis talia & probabilium commentatione diagnantur permittere.Nos autem omnia perspicua & aperta uolentes existere (nihil enim tam proprium est legum, quàm perspicuitas,præsertim in extremis defunctorum uoluntatibus) decernimus,ut si quis literarum peritus inter filios nouissimam uelit conficere uolũtatem, primùm quidem quo tempore ea conficiatur adscribat:deinde etiam manu propria filiorum nomina, & insuper unciarum quantitatem, in quas ipsos scribat hæredes, non notis numerorum designatas,sed integris declaratas literis,ut ex omni parte perspicuæ, & extra controuersiam sint positæ. Si uerò bonorum uelit diuisionẽ facere, aut certis rebus uel omnes, uel aliquas institutiones complecti, adscribito earũ etiam rerũ indicia, per quæ internosci queant: ut omnia eius declarata literis, nullam præterea contentionem relinquant filijs. Cæterùm si uel uxori, uel extraneis quibusdam personis uelit legata, aut fideicommissa, aut etiam libertates relinquere,& hęc propria descripta manu testatoris dicant coram testibus, quòd omnia quæ ea dispositione uoluntatéque extrema continẽtur, & ipsi ordine scripserint, & ualere uelint: sunto & ipsa firma, neutiquam ex hoc infirmanda, quòd in chartam descripta uideantur, quæ reliquam testamentorum obseruationem non susceperit: sed hoc solo controuersia liberantor, quòd dexteram & linguam habeant,quæ summã chartæ firmitatem præbeat. Et siquidem ea forma ad mortem usque permanserit: nemo postmodum testimonia perhibebit, quasi huiusmodi sententiam mutare fortè, uel interuertere, uel tale quid facere uoluerit: cui utique licuit quod factum erat rumpere,& aliud testamentum facere,ultimam eius uoluntatem declarans, quod ualere conueniat. Nam id ei facere permittimus, modò expressis uerbis idipsum in præsentia septem aut etiam quinque testium designet,quòd tametsi huiusmodi nouissimam uoluntatem confecerit,non eam tamen uelit amplius ualere, sed aliam facere. Atque hæc aut in absoluto testamento, quod omnes in testamentis requisitas notas habeat, facito:aut in absoluta nouissima uoluntate scripto non comprehensa uitam finijsse uidetor:prioribus ex secunda eius dispositione ex absoluto testamento aut uoluntate iritandis. Quia uerò scimus, quòd aliqui inter filios suos bonorum suorum diuisiones celebrant,efficiuntq; ut ipsi his subscribant, admittimus & eam formam. Nam si quis distribuat bona sua,& accersitis filijs efficiat,ut ijs diuisionibus subscribant, & has per se ratas futuras profiteantur, arbitrenturq; ad eum illa se modum habere: erit & hoc in tali bonorum diuisione ratum secũdum constitutionem nostram, quam de hoc proposuimus, quam etiam ratam esse in omnibus inibi comprehensis & per hanc legem sancimus. Porrò etsi ipse diuisionibus subscripserit, & per subscriptionem suam omnia manifesta reddiderit, erit & hoc ratum: quandoquidem & hoc iam legislatione nostra comprehenditur. Illud uerò constat, quòd in illis casibus hæc lex ualebit, quæ post eam moueri contigerit. *Hactenus duplicatio proposita approbata est. Cuius prima replicatio hæc est: Nisi pater ipse scribere nesciat. quæ triplicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Si quis literarum peritus, &c. *Altera triplicatio est: Nisi filij dispositioni parentis subscripserint. quæ triplicatio approbatur uerbis §.dictis hisce:* Quia uerò scimus, &c. *Tertia propositæ & superioris proximæ duplicationis triplicatio uidetur esse: Nisi sine scriptis pater inter liberos sit testatus. de qua triplicatione inter doctores contentio est. Hæc de quarta duplicatione. Quinta duplicatio est: Nisi parens nouissimam uoluntatem mutauerit.quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur uerbis §.propositis hisce:* Et siquidem ea forma usque ad mortem, &c. *De qua re uide plura §. cap.21.excepti.33. replic.1.duplic.5. Sexta duplicatio est: Nisi parens à priore dispositione recedens, aliam faciat. Hæc enim posterior dispositio in perfecto testamento uel in scriptis, uel nuncupatiue fieri debet. quæ duplicatio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Et siquidem ea forma,&c. *Septima duplicatio uidetur: Nisi non pater, sed mater, uel alius ex ascendentib.inter liberos testatus sit. Hæc duplicatio reprobatur l.hac cõsultissima.21.§.ex imperfecto.C.de testamentis. cuius uerba uide §.dupl.1. Concordat Nouell.c.107.in prin.ibi:insuper etiã.cuius uerba uide §. dupl.4. Octaua duplicatio est: Nisi non inter liberos, quos habet in potestate, sed emancipatos pater testamentum fecerit. Et hæc duplicatio reprobatur l.ult. C.familiæ erciscundæ. cuius uerba uide §. ead.repl.in prin. Concordat d.Nouell.c.107.in princ. ibi:atque hoc de suis pariter.*

Il. Replicatio est: Nisi rusticus uel alius imperitus, qui prudentiores cõsulere non potest, testamen-

fortiam permiſtam,pro nullo haberi. *Concordat d.§.ex imperfecto, his uerbis:* Ex imperfecto teſtamento uoluntatem tenere defuncti,niſi inter ſolos liberos à parentibus utriuſque ſexus habeatur, non uolumus. Si uerò in huiuſmodi uoluntate liberis alia ſit extranea miſta perſona: certum eſt,eam uoluntatem, quantùm ad illam duntaxat permiſtam perſonam, pro nullo haberi, ſed liberis adcreſcere. *Huius duplicationis triplicatio hæc eſt: Niſi teſtator ſua ſubſcriptione declaret tempus, liberorum nomina, & unciarum quantitatem. quæ triplicatio approbatur Nouell.c.107.§.cæterùm ſi uel uxori. cuius uerba uide §.duplic.4. Altera propoſitæ replicationis duplicatio eſt: Niſi parens legitimam uni ex liberis non relinquat. quæ duplicatio approbatur l.parentib.8. C. de inoff. teſtam. his uerbis:* Parentibus arbitrium diuidendæ hæreditatis inter liberos adimendũ non eſt, dummodò non minus,qui pietatis ſibi conſcius eſt, partis quæ inteſtato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex iudicio parentis obtineat. Qui autem agnouit iudicium defuncti, eo quòd debitum paternum pro hæreditaria parte perſoluit, uel alio legitimo modo ſatisfecit: etiamſi minus quàm ei debebatur,relictum eſt: ſi is maior uiginti quinque annis eſt, accuſare ut inofficioſam uoluntatem patris, quam probauit, nõ poteſt. *Concordat l.filij.16.in princ.C.familiæ erciſcundæ.cuius uerba uide §.ead.replic.in prin. Huius duplicationis triplicatio hæc eſt: Niſi is cui legitima relicta nõ eſt, uoluntatem patris agnouit. quæ triplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Qui autem agnouit,&c. *Sed plura de duplicatione propoſita dicentur §. in teſtamento inofficioſo. Tertia duplicatio eſt: Niſi parens uel liberi non ſubſcripſerint. Hæc duplicatio approbatur Nouell.c.18.§.& quod ſæpenumerò, his uerbis:* Quod ſæpenumerò nobis iudicantib.placuit,id noſtro nunc more in parte præſentis legis aſſumere penè neceſſarium fuerit. Plerique enim plurium filiorum parentes conſtituti, dum uidentur bona diuidere, ut eueſtigiò fraterna illos cõtentione liberent, in maiores inſuper & difficiliores eos cõtrouerſias inducunt. Nam cũ eos omnia oportuerit expreſsè in ſuis diuidere teſtamentis, ſiquidem hoc eſſent animo: aut ſi minus, ſaltem portiones codicillis facere, ijsque ſubſcribere, & ita ab omni remotam cõtrouerſia diuiſionem ſuis tradere filijs, ipſi hoc facere negligunt: & tametſi partem ipſi per ſe conſcribunt, eamque nec continuè, ſed alicuius fortè alterius literis interſcriptam, & in ſchedula aliqua reiecticia, neque ulla cuſtodia digna repoſitam: reliqua tamen pars amplius illorum præſe manum non fert, ſed amanuenſis alicuius fortè corrupti, aut etiam cuiuſcunque: indeque litium illis plus mille occaſiones, utrum uoluntate hæc patris cõfecta ſint, an uerò alicuius ſint, qui contentiones & controuerſias ſubdolè ciere ſtuduerit, quiue in gratiam alicuius partium ſcripſerit. Hæc nos decæterò ſubditos noſtros inquietare nolentes, ſancimus, ſi quis bona ſua inter liberos uelit uel omnia diuidere, uel quædam etiam quaſi exempla relinquere, ut ea præcipuè (modò ſi fieri poſsit) in teſtamento dicat, & inde filijs extra controuerſiam poſitam utilitatẽ præbeat. Si uerò propter aliquas occaſiones, quales multæ homines circumſiſtunt,teſtamentum non faciat: nihilominus ei bonorum, quæ diuidi uult, diuiſiones licebit in codicillos conijcere, & omnibus ſubſcribere, uel procurare ut omnes filij ſubſcribant, inter quos bona diuidit, exindéque negocio irrefragabilem fidem addere. Et quod iſto modo ac forma factum fuerit, id ratum ac firmum ſit,neque alia cautione indigeat. Quod ſi minus agat, ſed tantùm rudem quandam in charta deſignationem faciat, neque ulla ex parte cohærentem, & plerunque omni deſtitutam teſtimonio: ſciat nullam ſe filijs ea re utilitatem allaturum, & perinde quaſi nihil factum ſit, filios patrimonium diuiſuros,obſcurarum illarum, & magna ex parte teſtibus carentium ſcripturarum nulla ratione habita, neque his qui eam controuerſiam diſceptant, quos leges familiæ erciſcundæ arbitros uocare ſolent, cogendis utiſtas ſequantur. Oportet enim filiorum ſecuritati ad plenum proſpicere, non cum partem ad ſecuritatem redegerint, partem erroribus implicitam relinquere, quæ difficilioribus adhuc, & inſolubilibus, & nonnunquam ad magnitudinem criminum ſurgentibus controuerſijs materiam præbitura ſit. *Concordat Nouell.c.107.§.quia uerò ſcimus. cuius uerba uide infrà duplic.prox. Sed & propoſitæ duplicationis triplicationes uide ibidem. Quarta duplicatio eſt: Niſi parens tempus, liberorum nomina, & unciarum quantitatem ſua manu non ſcripſerit. Hæc duplicatio approbatur Nouell.conſtit.107. his uerbis:* Deſcripta quidem à Conſtantino ſacratiſs.principe lex eſt, rectè ad ueterem collineata ſimplicitatem: ſed rerum uarietas & crebrò hæc commutans natura, ut lex illa noſtra correctione indigeret, effecit. Siquidem lex dicit, defunctorum uoluntates,cũ parentes ſunt, omnibus modis inter filios ualere debere, & in tantum erga ipſos (ſi parentes ſint) uerecunda eſt, ut obſcuram etiam rerum deſignationem eis concedat, dicens: Etſi euidentes diſpoſitiones eorum non ſint, elici autem poſſint ex coniecturis,

cturis, & nominibus, & qualicunq; ſcriptura, ut ſic quoque hæc ualeant. atque hoc de ſuis pariter & emancipatis inquit. Inſuper etiam Theodoſij conſtitutio ueluti per appendicem diſponens definit, non tantùm ut hæc in patribus ualeant, ſed etiam in matribus, & in aſcendentibus utriuſque ſexus. Hac apprehenſa licentia ad tantam homines obſcuritatem deuenerunt, ut diuinationibus potius quàm interpretibus indigeant. Inde adeò,cum neque perſonas adſcribant, neque rerum indicia proferant,& forte ne quantitatem quidem: tamẽ coniecturis talia & probabilium commentatione dignantur permittere.Nos autem omnia perſpicua & aperta uolentes exiſtere (nihil enim tam proprium eſt legum, quàm perſpicuitas,præſertim in extremis defunctorum uoluntatibus) decernimus,ut ſi quis literarum peritus inter filios nouiſsimam uelit conficere uolũtatem, primùm quidem quo tempore ea conficiatur adſcribat:deinde etiam manu propria filiorum nomina, & inſuper unciarum quantitatem, in quas ipſos ſcribat hæredes, non notis numerorum deſignatas,ſed integris declaratas literis,ut ex omni parte perſpicuæ, & extra controuerſiam ſint poſitæ. Si uerò bonorum uelit diuiſionẽ facere, aut certis rebus uel omnes, uel aliquas inſtitutiones complecti, adſcribito earũ etiam rerũ indicia, per quæ internoſci queant: ut omnia eius declarata literis, nullam præterea contentionem relinquant filijs. Cæterùm ſi uel uxori, uel extraneis quibuſdam perſonis uelit legata, aut fideicommiſſa, aut etiam libertates relinquere,& hęc propria deſcripta manu teſtatores dicant coram teſtibus, quòd omnia quæ ea diſpoſitione uoluntatéque extrema continẽtur, & ipſi ordine ſcripſerint, & ualere uelint: ſunto & ipſa firma, neutiquam ex hoc infirmanda, quòd in chartam deſcripta uideantur, quæ reliquam teſtamentorum obſeruationem non ſuſceperit: ſed hoc ſolo controuerſia liberantor, quòd dexteram & linguam habeant,quæ ſummã chartæ firmitatem præbeat. Et ſiquidem ea forma ad mortem uſque permanſerit: nemo poſtmodum teſtimonia perhibebit, quaſi huiuſmodi ſententiam mutare fortè, uel interuertere, uel tale quid facere uoluerit: cui utique licuit quod factum erat rumpere,& aliud teſtamentum facere,ultimam eius uoluntatem declarans, quod ualere conueniat. Nam id ei facere permittimus, modò expreſsis uerbis idipſum in præſentia ſeptem aut etiam quinque teſtium deſignet,quòd tametſi huiuſmodi nouiſsimam uoluntatem confecerit,non eam tamen uelit amplius ualere, ſed aliam facere. Atque hæc aut in abſoluto teſtamento, quod omnes in teſtamentis requiſitas notas habeat, facito:aut in abſoluta nouiſsima uoluntate ſcripto non comprehenſa uitam finiſſe uidetor:prioribus ex ſecunda eius diſpoſitione ex abſoluto teſtamento aut uoluntate iritandis. Quia uerò ſcimus,quòd aliqui inter filios ſuos bonorum ſuorum diuiſiones celebrant,efficiuntq; ut ipſi his ſubſcribant, admittimus & eam formam. Nam ſi quis diſtribuat bona ſua,& accerſitis filijs efficiat,ut ijs diuiſionibus ſubſcribant, & has per ſe ratas futuras profiteantur, arbitrenturq; ad eum illa ſe modum habere: erit & hoc in tali bonorum diuiſione ratum ſecũdum conſtitutionem noſtram, quam de hoc poſuimus, quam etiam ratam eſſe in omnibus inibi comprehenſis & per hanc legem ſancimus. Porrò etſi ipſe diuiſionibus ſubſcripſerit, & per ſubſcriptionem ſuam omnia manifeſta reddiderit, erit & hoc ratum: quandoquidem & hoc iam legislatione noſtra comprehenditur. Illud uerò conſtat, quòd in illis caſibus hæc lex ualebit, quæ poſt eam moueri contigerit. *Hactenus duplicatio propoſita approbata eſt. Cuius prima replicatio hæc eſt: Niſi pater ipſe ſcribere neſciat. quæ triplicatio elicitur ex uerbis iam propoſitis hiſce:* Si quis literarum peritus, &c. *Altera triplicatio eſt: Niſi filij diſpoſitioni parentis ſubſcripſerint. quæ triplicatio approbatur uerbis §.dictis hiſce:* Quia uerò ſcimus, &c. *Tertia propoſitæ & ſuperioris proximæ duplicationis triplicatio uidetur eſſe: Niſi ſine ſcriptis pater inter liberos ſit teſtatus. de qua triplicatione inter doctores contentio eſt. Hæc de quarta duplicatione. Quinta duplicatio eſt: Niſi parens nominatim mutauerit.quæ duplicatio approbatur ſimul & diſtinguitur uerbis §.propoſitis hiſce:* Et ſiquidem ea forma uſque ad mortem, &c. *De qua re uide plura §. cap.21.except.33. replic.1.duplic.5. Sexta duplicatio eſt: Niſi parens à priore diſpoſitione recedens, aliam faciat. Hæc enim poſterior diſpoſitio in perfecto teſtamento uel in ſcriptis, uel nuncupatiue fieri debet. quæ duplicatio approbatur uerbis iam dictis hiſce:* Et ſiquidem ea forma,&c. *Septima duplicatio uidetur: Niſi non pater, ſed mater, uel alius ex aſcendentib.inter liberos teſtatus ſit. Hæc duplicatio reprobatur l.hac cõſultiſſima.21.§.ex imperfecto.C.de teſtamentis. cuius uerba uide §.dupl.1. Concordat Nouell.c.107.in prin.ibi:inſuper etiã.cuius uerba uide §. dupl.4. Octaua duplicatio eſt: Niſi non inter liberos, quos habet in poteſtate, ſed emancipatos pater teſtamentum fecerit. Et hæc duplicatio reprobatur l.ult. C.familiæ erciſcundæ. cuius uerba uide §. ead.repl.in prin. Concordat d.Nouell.c.107.in princ. ibi:atque hoc de ſuis pariter.*

I I. Replicatio eſt: *Niſi ruſticus uel alius imperitus, qui prudentiores cõſulere non poteſt, teſtamen-*

tum fecerit. Hæc replicatio approbatur, certo tamen modo, l. & ab antiq.31. C.de testamentis, hisce uerbis: Et ab antiquis legibus, & à diuersis retrò principibus semper rusticitati cõsultum est, & in multis legum subtilitatibus stricta obseruatio eis remissa est: quod ex ipsis rerum inuenimus documentis. Cum enim testamentorum ordinatio sub certa definitione legum instituta sit: homines rusticani, & quibus non est literarum scientia, quomodo possunt tantam legis subtilitatem custodire in ultimis suis uoluntatibus? Ideoq; ad Dei humanitatem respicientes, necessarium duximus, per hanc legem eorum simplicitati subuenire. Sancimus itaque, in omnibus quidem ciuitatibus, & in castris orbis Romani, ubi & leges nostræ manifestæ sunt, & literarum uiget scientia, omnia quæ & libris nostrorum Digestorum seu Institutionum, & Imperialibus sanctionibus, nostrisque dispositionibus in condendis testamentis cauta sunt, obseruari, nullamque ex præsenti lege fieri innouationẽ. In illis uerò locis, in quibus rarò inueniuntur homines literati: per præsentem legem rusticanis concedimus, antiquam eorum consuetudinem legis uicem obtinere: ita tamen, ut ubi scientes literas inuenti fuerint, septem testes, quos ad testimonium cõ uocari necesse est, adhibeantur, & unusquisque pro sua persona subscribat. Vbi autem non inueniuntur literati: septem testes etiam sine scriptura testimonium adhibentes admitti. Sin autem in illo loco minimè inuenti fuerint septem testes, usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi iubemus: minus autem nullo modo concedimus. Si uerò unus aut duo uel plures scierint literas: liceat his pro ignorantibus literas, præsentibus tamen, subscriptionem suam imponere: sic tamen, ut ipsi testes cognoscant testatoris uoluntatem, maximè quem uel quos hæredes sibi relinquere uoluerit, & hoc post mortem testatoris iurati deponant. Quodigitur quisque rusticorum (sicut prædictum est) pro suis rebus disposuerit: hoc omnimodò, legum subtilitate remissa, firmum ualidúmque consistat. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi iuris peritos consulendi testator rusticus facultatem habuit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* In illis uerò locis, in quibus rarò inueniuntur homines literati, &c. *Altera duplicatio est: Nisi septem testes testamento sint adhibiti. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Ita tamen, ut ubi scientes, &c. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi septem testes eo loci inueniri non potuerunt. quæ triplicatio approbatur simul & distinguitur uerbis suprà propositis hisce:* Sin autem in illo loco minimè, &c. *Tertia duplicatio est: Nisi testes testamento non subscripserint. Hæc duplicatio approbatur uerbis §. propositis hisce:* Et unusquisq; pro sua persona subscribat. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi testes scribere nesciant, nec qui scribere sciant, inuentri possint. Hæc triplicatio approbatur uerbis suprà propositis hisce:* Vbi autem non inueniuntur, &c. *Huius triplicationis quadruplicatio hæc est: Nisi testes non cognoscant testatoris uoluntatem, uel eam post mortem testatoris iurati non deponant. Quæ quadruplicatio approbatur uerbis §. propositis hisce:* Sic tamen, ut ipsi testes cognoscant testatoris uoluntatem, &c.

III. Replicatio: *Nisi speciali priuilegio loci iuris obseruatio sit remissa. Hæc replicatio approbatur l.si non.9.C.de testamentis. cuius uerba uide §.cap.8.except.48.*

IIII. Replicatio: *Nisi princeps alicui liberam testamenti factionem concesserit. Hæc replicatio reprobatur l.si quando.35.in prin.C.de inofficioso testam. his uerbis:* Si quando talis concessio Imperialis processerit, per quam libera testamenti factio concedatur: nihil aliud uidori Principem concedere, nisi ut habeat legitimam & consuetam testamenti factionem. Neque enim credendum est, Romanum principem, qui iura tuetur, huiusmodi uerbo totam obseruationem testamentorum, multis uigilijs excogitatam atq; inuentam, uelle euerti.

V. Replicatio: *Nisi Princeps in iniusto testamento hæres institutus sit. Hæc replicatio reprobatur Instit. quibus modis testam. infir. §. fin. his uerbis:* Diuus Pertinax oratione expressit, non admissurum se hæreditatem eius, qui litis causa Principem reliquerit hæredem: neque tabulas non legitimè factas, in quibus ipse ob eam causam hæres institutus erat, probaturum: neque ex nuda uoce hæredis nomen admissurum: neque ex ulla scriptura, cui iuris authoritas desit, aliquid adepturum. Secundum hoc diui Seuerus & Antoninus sæpissimè rescripserunt. Licet enim (inquiunt) legibus soluti simus, attamen legibus uiuimus. *Concordat l.cum hæred. 7.C.qui testam.facere poss. his uerbis:* Cum hæredes instituuntur Imperator seu Augusta, ius commune cum cæteris habeant. Quod & in codicillis uel fideicõmissarijs epistolis iure scriptis obseruandum erit. Et (sicuti priscis legibus cautum est) Imperatori quoq; & Augustæ testamẽtum facere liceat, & mutare. *Concordat item l.ex imperfecto.3.C.de testamentis. cuius uerba uide §.lib.1.cap.7.except.1. & Concordat item l.nolumus.20.C.cod.tt. cuius uerba uide §. cap.21.except.33.repl.1.dupl.3.*

VI. Replicatio: *Nisi testator cauerit, ne leges in suo*

suo testamento locum habeant. Hæc replicatio reprobatur l.nemo.51.ff.de leg.1. his uerbis: Nemo potest in testamento suo cauere, ne leges in suo testamento locum habeant: quia nec tempore, aut loco, aut conditione finiri obligatio hæredis legatorum nomine potest. *Concordat l.testandi.13.C.de testamentis, hisce uerbis:* Testandi causa de pecunia sua legibus certis facultas est. Non autẽ iurisdictionis mutare formam, uel iuri publico derogare cuiquã permissum est. *Planè hoc casu testamentum nim habet codicillorum. quæ distinctio approbatur l.pen.§.fin.ff. de leg.2. cuius uerba uide §.lib.32.except.84.repl.1.*

VII. Replicatio: *Nisi testator in testamento adiecerit, se uelle hoc ualere iure codicillorum, uel quacunque posit ratione: hoc enim casu ualet iure quidem codicillorum, non testamenti. quæ replicatio approbatur per ea quæ habentur §. lib.32.cap.6. except.84. replic.1.& 2.*

VIII. Replicatio: *Nisi in eum casum deuenerit testamentum, quo ab initio potuit subsistere. Hæc replicatio reprobatur l.penult. ff. de regulis iuris, hisce uerbis:* Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex pòst facto conualescere non potest. *Concordat l.omnia.201.ff.eod.tt. his uerbis:* Omnia quę ex testamento proficiscuntur, ita statum euentus capiunt, si initium quidem sine uicio cœperint.

IX. Replicatio: *Nisi is qui propositarum exceptionum aliqua utitur, uoluntatem defuncti agnouerit. quæ replicatio approbatur l.parentib.8.in fine.C.de inofficioso test. cuius uerba uide §.repl.1.dupl.2. Plura de hac re uide §.lib.prox.cap.13.except.8.*

X. Replicatio: *Nisi is qui propositarum exceptionum aliqua utitur, testamento subscripserit. Hæc replicatio approbatur Nouell.c.107.§.quia uerò scimus. cuius uerba uide §.repl.1.dupl.4.*

XI. Replicatio: *Nisi nauarchi uel trierarchi testati sint. Hæc replicatio approbatur l.unica.§.item nauarchos. ff.de bonor.possess.ex testam.militis, hisce uerbis:* Nauarchos & trierarchos classium iure militari posse testari, nulla dubitatio est. In classibus omnes remiges & nautæ milites sunt. *Quid sit iure militari testari, dicetur §.cap.prox.*

XII. Replicatio: *Nisi testator in hostico deprehensus, ibi testatus & mortuus sit. Hæc replicatio approbatur d.l.unica, in priu. his uerbis:* Non dubium est, quin debeant uoluntates ratæ esse eorum, qui in hostico iudicia sua quoquo modo ordinassent, ibidémque diem suum obijssent. Quanquam enim distet conditio militum ab his personis, quas constitutiones principales separant: tamen qui in procinctu uersantur, cùm eadem pericula experiantur, iura quoq; eadem meritò sibi uindicant. Omnes igitur omnino qui eius sunt conditionis, ut iure militari testari non possint, si in hostico deprehendãtur, & illic decedant: quomodo uelint & quomodo possint testabuntur: siue præses quis sit prouinciæ, siue legatus, siue quis alius, qui iure militari testari non potest. *Concordat l.ult. ff.de militari testam. his uerbis:* Rescripta Principũ ostendunt, omnes omnino qui eius sunt gradus, ut iure militari testari non possint, si in hostico deprehendantur, & illic decedant: quomodo uelint & quomodo possint testari: siue præses sit prouinciæ, siue quis alius, qui iure militari testari non potest.

XIII. Replicatio: *Nisi testamenti nomine semel actum sit, & pro testamento iudicatum. Hæc replicatio ipso quidem iure, quo etiam rei iudicatæ exceptio generalis, subsistit: uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi antea falsum dictum sit testamentum, nunc dicatur iniustum. quæ duplicatio approbatur l.Lucius. 47.ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §.lib.4.cap.8. quæst.8.reg.4.*

XIIII. Replicatio: *Nisi in iniusto testamento is hæres scriptus sit, qui etiam ab intestato hæres esse potest. Hæc replicatio approbatur l.posthumus.12.§. idem & circa.ff.de iniusto testam. cuius uerba uide §. cap.20.except.28.repl.9. Concordat item §.cap.21.except.33.repl.1.dupl.2.*

XV. Replicatio: *Nisi uicium in tali actu sit, sine quo testamentum etiam potuit subsistere. hoc enim casu non totum testamentum uiciatur, sed ille solus actus, cui uicium inest. Hæc replicatio est omnium exceptionum de uulgari & pupillari substitutione §.capite 13.& cap.14.propositarum: item exceptionum aduersus legata & fideicommissa: quia etiam sine substitutione, item sine legatis & fideicommissis testamentum ualere non dubitatur. Sed & earum exceptionum, quæ ex scriptura testamenti, item ex subscriptione & signaculis sumuntur, de quibus §.cap.10.est dictum, replicatio communis hæc est: Nisi testamentum sit nuncupatiuum. quæ replicatio tractata est §.d.cap.10.in fine. Speciales sanè replicationes singularum exceptionum propositæ sunt §.sub suis exceptionibus. Planè superest adhuc una replicatio generalis, de qua sequitur.*

DE MILITARI TESTAmento. Cap. XVIII.

XVI. *Replicatio generalis est: Nisi miles testamentum fecerit. quæ replicatio approbatur Instit. de militari testam. in prin. his uerbis:* Supradicta diligẽs obseruatio in ordinandis testamentis militibus propter nimiam imperitiam eorum constitutionibus principalibus remissa est. Nam quamuis ij neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque aliam testamẽtorum solennitatem obseruauerint: rectè nihilominus testantur, uidelicet cùm in expeditionibus occupati sunt: quod meritò nostra constitutio introduxit. Quoquo enim modo uoluntas eius suprema inueniatur, siue scripta, siue sine scriptura: ualet testamentum ex uoluntate eius. *Concordat*

l.1.in prin.ff.eod.tt.his uerbis: Militibus liberam testamenti factionem primus quidem diuus Iulius Cæsar concessit: sed ea concessio temporalis erat. Postea uerò primus diuus Titus dedit. Post hoc Domitianus. Postea diuus Nerua plenissimam indulgentiam in milites contulit: eamq; & Traianus secutus est, & exinde mandatis inseri cœpit caput tale: Cum in noticiam meam prolatum sit, subinde testamento commilitonibus relicta proferri, quæ possint in controuersiam deduci, si ad diligentiam legum & obseruantiam reuocentur: secutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimosq; comilitones, simplicitati eorum consulendum existimaui: ut quoquo modo testati fuissent, rata esset eorum uoluntas. Faciant igitur testamenta quomodo uolent, faciátq; quomodo poterint, sufficiatq; ad bonorum suorum diuisionem faciendam nuda uoluntas testatoris. *Concordat item l.2.ff. eod.tt. his uerbis:* De militis testamento ideo separatim proconsul edicit, quòd optimè nouit, ex constitutionibus principalib. propria atq; singularia iura in testamento eorũ obseruari. *Concordat item l.in fraudem.15.§.1.ff. eod.tt.his uerbis:* Sicut hæreditatem miles nuda uoluntate dare potest, ita & adimere potest. Deniq; si cancellauerit testamentũ suũ, uel inciderit: nullius erit momenti. Si tamẽ testamentũ cancellauerit, & mox ualere uoluerit: ualebit ex suprema uolũtate. Et ideo cum miles induxisset testamẽtum suũ, mox annulo suo signasset: qui super ea re cognituras erit, considerabit quo proposito id fecerit. Nam si mutatæ uoluntatis eum pœnituisse probabitur, reuocatum testamentum intelligetur. Quòd si ideo, ne ea quę scripta fuerant, legi possint: causa irriti facti iudicij potior existimabitur. *Concordat item l.miles.35.ff.eod.tt. his uerbis:* Miles si testamentum imperfectum relinquat, scriptura quæ profertur, perfecti testamenti potestatem obtinet. Nam militis testamentum sola perficitur uoluntate: quiq; plura per dies uarios scribit, sæpe testamentum facere uidetur. *Concordat item l.1.in fine. C.de testamento militis, hisce uerbis:* Voluntas militis in expeditione occupati pro iure seruatur. *Concordat item l.ex testamento.5.C.eod.tt.cuius uerba uide ẽ. cap.11.except.82. repl.6. Item concordat l.si à fratre. 14.C.eod.tt. his uerbis:* Si à fratre suo militante mater uestra scripta hæres, successionem eius sibi quæsijt: quamuis testamenti scriptura non continet iuris obseruationem: hanc hæreditatem fratrem testatoris, uel eius filios ab intestato euincere non potuisse, iure constitit. *Concordat item l.milites.15. C.eod.tt. his uerbis:* Milites in expeditione degentes, si uxores, aut filios, aut amicos, aut commilitones suos, postremò cuiuslibet generis homines amplecti uoluerint suprema uoluntatis affectu: quomodo possint ac uelint, testentur: nec uxorum, aut filiorum eorum, cum uoluntatem patris reportauerint, meritum aut libertas dignitásue quæratur. Proinde sicut iuris rationibus licuit, ac semper licebit, si quid in uagina aut clypeo liberis sanguine suo rutilátibus adnotauerint, aut in puluere inscripserint gladio sub ipso tempore, quo in prælio uitæ fortem derelinquunt: huiusmodi uoluntatem stabilem esse oportet. *Hactenus replicatio proposita approbata est. Declaratur autem etymologia militis l.1. §.fin.ff.de militari test. his uerbis:* Miles autẽ appellatur uel à malicia, id est duritia, quam pro nobis sustinet: aut à multidine: aut à malo, quod arcere milites solent: aut à Græco uerbo χίλιοι, unde χιλιαρχὸς tractum est. Nam ita Græci τάγμα, & mille hominum numerum appellant, quasi millesimum quenque dicas. Vnde ipsum quoque ducem χιλίαρχον appellant. Exercitus autem nomẽ ab exercitatione traxit. *Planè replicatio proposita plures recipit duplicationes nunc enumerandas, & primùm quidem eas quæ sumuntur ex iure seu regula, cõtra quam miles est testatus.*

I. *Duplicatio:* Nisi pupillus miles testatus sit. *Hæc duplicatio approbatur l.ult.C.de test.militis, hisce uerbis:* Licet antiquis legibus permittebatur pupillis, si tribunatum numerorum merebantur, ultimum elogium conficere posse: attamen indignum nostris temporibus esse uidetur, tum qui stabilem mentem nondum adeptus est, propter priuilegium militum sapientum hominum iura pertractare, & in tenera ætate ex licentia parentibus foræ suis uel alijs propinquis nocere, propriam substantiam extraneis relinquentem. Ideoq; hoc fieri nullo modo concedimus.

II. *Duplicatio:* Nisi *in hostium potestate positus miles, testamentum fecerit. Hæc duplicatio approbatur l.facere.10. ff.de militari test. his uerbis:* Facere testamẽtum miles in hostium potestate positus, nec iure militari potest.

III. *Duplicatio:* Nisi *ex militari delicto damnatus testamentum fecerit. Hæc duplicatio reprobatur l.ex milit.11.in prin. ff.de militari test. his uerbis:* Ex militari delicto capite damnatis testamentum facere licet super bonis duntaxat castrensibus. Sed utrum iure militari, an iure communi, quæritur? Magis autẽ est, ut iure militari ei testandum sit. Nam cum ei quasi militi tribuatur ius testandi, consequens erit dicere, iure militari ei testandũ. Quod ita intelligi oportet, si non sacramenti fides rupta sit. *Concordat l.si quis.6.§.irritum.ibi: nisi forte miles.ff.de iniusto test. cuius uerba uide ĩ.cap.prox. except.*

except.1. Concordat item l.1.ff.de ueteranorum & militum successi. his uerbis: Militi qui capite puniri meruit, testamentum facere cõcedendum, Paulus & Menander scribunt: eiusq; bona intestati, si punitus sit, ad cognatos eius pertinere, si tamen ex militari delicto, non ex communi punitus sit. *Planè admittitur duplicatio proposita primum, si de alijs quàm castrensibus bonis testatus sit. quæ distinctio approbatur uerbis d.l.11.§.proposítis hisce:* Super bonis duntaxat castrensibus. *Cui concordat l.& militib.15.C. de test.militis, hisce uerbis:* Et militibus nostris, centurionibus quoq; ob flagitium militare damnatis, non aliarum quàm castrensium rerum testamentum facere permittitur, & intestatis iure proprio succeditur à fisco. *Deinde admittitur duplicatio proposita, si sacramenti fides rupta sit. quæ distinctio approbatur uerbis d.l.11. §.propositis hisce:* Quod ita intelligi oportet, si non sacramenti fides rupta sit. *Tertiò admittitur duplicatio proposita, si ex communi, non militari delicto sit punitus. quæ distinctio approbatur uerbis d.l.1.§.propositis hisce:* Si tamen ex militari delicto, non ex cõmuni punitus sit. *Quarta distinctio uidetur esse, si non iure communi sit testatus. Sed hæc distinctio reprobatur uerbis d.l.11.§.propositis hisce:* Sed utrum iure militari, &c. *Cui concordat d.§.irritum. ibi: nisi forte miles. Planè duplicatio proposita replicatio est eius exceptionis, de qua §.cap.6.except.13. actum est.*

IIII. *Duplicatio:* Nisi *plures quàm unum hæredem necessarium in fraudem creditorum miles instituerit. Hæc duplicatio approbatur l.in fraudem.15.in prin. ff.de militari test. cuius uerba uide §. lib.19. cap.5.except.6.repl.2.dupl.2.tripl.5.*

V. *Duplicatio:* Nisi *captatoria sit militis institutio. Hæc duplicatio approbatur l.captatorias.11.C.de test.militis, hisce uerbis:* Captatorias institutiones etiam in militis testamento nullius esse momenti, manifestum est. *De hisce captatorijs institutionibus ui de ẽ. cap.12.except.107.repl.3.*

VI. *Duplicatio:* Nisi *seruum pœnæ miles hæredem scripserit. Hæc duplicatio approbatur simul & distinguitur l.idem est.13.§.deportati.ff.de militari test. cuius uerba uide ẽ.cap.11.except.82.repl.6.*

VII. *Duplicatio:* Nisi *erret miles in testando. Hæc duplicatio approbatur d.l.13.§.si seruum, his uerbis:* Si seruum proprium, quem liberum esse credidit, miles hæredem sine libertate instituit: in ea conditione est, ut institutio non ualeat.

VIII. *Duplicatio:* Nisi *miles mulieri, in quam turpis suspicio cadit, aliquid suo testamento reliquerit. Hæc duplicatio approbatur l.miles.41.§.mulier. ff.de militari test.his uerbis:* Mulier, in quam turpis suspicio cadere potest, nec ex testamento militis aliquid capere potest, ut diuus Hadrianus rescripsit. Nec tutorem ei qui in aliena potestate est, miles dare potest. *Concordat l.mulierẽ.14.ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ĩ.lib.32.cap.1.except.20.repl.4.*

IX. *Duplicatio:* Nisi *miles ei qui in aliena potestate est, tutorem testamento suo dederit. Hæc duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nec tutorem ei qui in aliena potestate est, miles dare potest. *Concordat l.cum filiusfam.28.ff.de militari test.his uerbis:* Cum filiusfamilias miles decessisset, filio impubere hærede instituto, eiq; substituisset in aui potestate manenti, tutoresq; dedisset: diui fratres rescripserunt, substitutionem quidem ualere, tutoris autem dationem non ualere: quia hæreditati quidem suæ miles qualem uelit substitutionem facere potest, uerumtamen alienæ ius minuere no potest. *Concordat item l.impuberi.39. ff.de admin.tutor. cuius uerba uide §. lib.17. cap.2.quæst.1.in fine, repl.gener.3.*

X. *Duplicatio:* Nisi *fundum dotalem miles in testamento suo legauerit. Hæc duplicatio approbatur l.dotalem.16.ff.de militari testam. his uerbis:* Dotalem fundum si legauerit miles, nõ erit ratum lẽgatum propter legem Iuliam.

XI. *Duplicatio:* Nisi *miles testamento manumiserit eum, cuius libertas lege impeditur. Hæc duplicatio approbatur l.si à milite.29.§.1.ff.d.tt.bis uerbis:* Miles testamento suo manumittendo nihil efficit in eo, cuius libertas lege Aelia Santia uél alia impediatur.

XII. *Duplicatio:* Nisi *miles minor annis seruo libertatem reliquerit. Hæc duplicatio approbatur l.si Rufinus.4.C.de test.militis. cuius uerba uide §. lib.19. cap.5.except.5.repl.21.*

XIII. *Duplicatio: Nisi nondum sit perfectum testamentũ militis. Hæc duplicatio reprobatur l.Lucius. 40.in prin.ff.de milit.test.his uerbis:* Lucius Titius miles notario testamentum scribendum dictauit, & antequam literis perscriberetur, uita defunctus est. quæro, an hæc dictatio ualere possit? Paulus respondit, militibus quo modo uolunt, & quomodo possunt, testamentum facere concessum esse: ita tamen, ut hoc ita subsecutum esse legitimis probationibus ostendatur. *Concordat l.miles.35.ff.eod. tt.cuius uerba uide ẽ.eod.cap.in prin. Concordat item l.si miles.3.ff.eod.tt.cuius uerba uide ĩ.dupl.16.*

XIIII. *Duplicatio: Nisi quis se in testamento militis hæredem scribat. Hæc duplicatio approbatur l.in fraudem.15.§.si quis se.ff.d.tt.his uerbis:* Si quis se scribat hęredem in testamento militis, non remittitur ei senatusconsulti pœna. *Hactenus propositæ replicationis duplicationes, sumptæ ex regulis, contra quam miles testamentum fecit, enumeratæ sunt. sed & alias huiusmodi duplicationes uide in singulis regulis seu exceptionib. ẽ. propositis, & ĩ. cap.prox. proponendis. Sequuntur nunc reliquæ duplicationes, & primùm eæ quæ sumuntur ex persona militis testatoris: quanquam eiusmodi quædam propositæ sunt ẽ. dupl.1.cum duab. sequentib.*

militis testes existerent, qui affirmarent, se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona, cui uisum sit: & per hoc uera iudicia subuerterentur. *Concordat ijsdem uerbis l. diuus Traianus. 24. ff. eod. tt.*

XXVI. *Duplicatio*: *Nisi miles iure communi testari uoluit. Hæc duplicatio reprobatur l. si miles. 1. ff. de militari testam. his uerbis*: Si miles qui destinauerat communi iure testari, antè defecerit quàm testaretur: Pomponius dubitat. Sed cur non in milite diuersum probet? Neque enim qui uoluit iure communi testari, statim beneficio militari renunciauit: nec credendus est quisquam genus testandi eligere ad impugnanda sua iudicia, sed magis utroque genere uoluisse propter fortuitos casus: quemadmodum pletique pagani solent, cum testamentum faciunt, per scripturam adijcere, uelle hoc etiam uice codicillorum ualere. Nec quisquam dixerit, si imperfectum sit testamentum, codicillos non esse. Nam secundum nostram sententiam & diuus Marcus rescripsit.

XXVII. *Duplicatio*: *Nisi ex certa re uel parte in testamento militis hæres institutus, totam hæreditatem petat. Hæc duplicatio approbatur l. si miles. 6. ff. de militari testam. his uerbis*: Si miles unũ ex fundo hæredem scripserit: creditur, quantum ad residuum patrimonium, intestatus decessisse. Miles enim pro parte testatus potest decedere, & pro parte intestatus. *Concordat l. quærebatur. 19. in princ. ibi: cum & ex ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap. 21. except. 33. replicat. 15. Concordat item l. 1. C. de testam. militis, hisce uerbis*: Frater tuus miles, si te specialiter de bonis, quæ in paganico habebat, hæredem fecit: bona quæ in castris reliquit, petere non potes, etiamsi is, qui eorum hæres institutus est, adire ea noluerit. Sed ab intestato succedentes ueniunt: modò si in eius locum substitutus non es, & liquidò probatur, fratrem tuum castrensia bona ad te pertinere noluisse. Nam uoluntas militis in expeditione occupati pro iure seruatur. *Concordat l. 2. C. eod. tt. his uerbis*: Miles si castrensium tantummodò bonorum commilitonem suum instituit hæredem: cætera bona, ut intestatò defuncti, mater eius iure possedit. Quòd si extraneum scripsit hæredem, isque adijt hæreditatem: bona eius in te transferri nõ iure desideras. *Concordat item l. ex militari. 11. §. fin. cum duabus legibus sequentibus. ff. de militari test. his uerbis*: Si filiusfamiliâs ignorans patrem suum decessisse, de castrensi peculio in militia testatus sit: non pertinebunt ad hæredem eius, patris bona, sed sola castrensia. Milites enim ea duntaxat quæ habent, scriptis relinquunt. Idem est, & si de testamento mutando cogitauerit: non quia adimere uolebat castrensia bona hæredi scripto, sed quia de paternis testari uolebat, & alium hæredem scribere. *Planè propositæ duplicationis triplicatio prima hæc est*: *Nisi filiusfamiliâs miles de castrensibus bonis testatus, iam ueteranus decessit: hoc enim casu & paterna bona hæredi scripto debentur. quæ triplicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Sed si iam ueteranus decessit, uniuersa bona, etiam paterna, ad hæredem pertinere castrensium, Marcellus lib. X. Digest. scribit. Neque enim iam potuit de parte bonorum testari. *Altera triplicatio est*: *Nisi filiusfamiliâs paganus, non miles, de castrensi peculio sit testatus. Hæc triplicatio approbatur l. de hæreditate. 19. §. filiusfamiliâs. ff. de castrensi peculio, his uerbis*: Filiusfamiliâs paganus de castrensi peculio fecit testamentum, & dum ignorat patri se suum hæredem extitisse, decessit. non potest uideri pro castrensibus bonis testatus, pro paternis intestatus decessisse: quamuis id in milite etiam nunc rescriptum sit: quia miles ab initio pro parte testatus, & pro parte intestatus potuerat mori. Quod ius iste non habuit: non magis quàm si sine obseruatione legum faceret testamentum. Necessariò ergo castrensis peculij hæres scriptus, uniuersa bona habebit: perinde ac si pauperrimus facto testamento decessisset, ignorans se locupletatum per seruos alio loco agentes. *Tertia triplicatio est*: *Nisi pluribus hæredibus institutis ex certis partibus, quædam partes superfint: hoc enim casu institutio trahitur ad ius commune. quæ triplicatio approbatur l. quanquam. 3. C. de testam. militis, hisce uerbis*: Quanquam militum testamẽta iuris uinculis non subijciantur, cum propter simplicitatem militarem quomodo uelint & quomodo possint, ea facere his concedatur: tamen in Valeriani quondam centurionis testamento institutio etiam communi iure accepit authoritatem. Nam cum paterfamiliâs filium ex duabus uncijs, uxorem ex uncia hæredem scripserit, nec de residuis portionibus quidquam significauerit: in tres partes diuisisse eum apparet hæreditatem: ut duas habeat quæ sextantem accepit, tertiam quæ ex uncia hæres est instituta. *Hæc de 27. duplicatione, de qua uide item ĩ. cap. 23. reg. 3. except. 1. repl. 1.*

XXVIII. *Duplicatio*: *Nisi codicillis in militia factis, testamentum ante militiam iure communi sit factum. Hæc duplicatio reprobatur l. conficiuntur. 8. §. si miles. ff. de iure codicill. his uerbis*: Si miles testamentum quidem ante militiam, sed codicillos in militia fecerit: an iure militari uale ant codicilli, quæritur? quoniam testamentum iure communi ualet, nisi militiæ tempore resignauerit, uel quædam adiecerit: certè codicilli militiæ tempore facti, non debent referri ad testamentum, sed iure militari

tari ualent. *Hactenus duplicationes aduersus propositam replicationem testamenti militaris enumeratæ sunt. Sed & speciales huiusmodi duplicationes uide in singulis regulis, contra quas miles testamentum fecit: utputa, Si liberos suos præteriit, supra cap. 15. except. 176. replic. 10. Item si filiusfamiliâs de castrensi peculio testatus est, ĩ. cap. 7. replic. 2. Si testamentum posterius contra regulas iuris fecit, ĩ. cap. 21. except. 33. replic. 1. duplic. 1. Si capite fuerit deminutus miles testator, ĩ. cap. prox. except. 1. repl. 2. & sic deinceps. Sed & alia militaris testamenti propria uide passim in suis locis: utputa, quòd inter hæredes à milite institutos non sit ius adcrescendi, ĩ. cap. 24. item quòd contra testamentum militare non admittatur inofficiosi querela, ĩ. de inofficioso testamento. item quòd Falcidia in legatis à milite relictis, non habeat locum, ĩ. de Falcidia. & sic deinceps.*

DE EXCEPTIONIBVS Aduersus testamenta, sumptis ex consequentibus testamenti factionem. Cap. XIX.

HVcusque prioris generis exceptiones contra testamenta, hoc est, quæ sumuntur ex ijs quæ testamenti factioni insunt, cum suis replicationibus & duplicationibus tam generalibus quàm specialibus expositæ sunt: sequuntur nunc posteriores generis exceptiones, quando scilicet testamentum ab initio iure factum, ex post facto infirmatur, cuius generis exceptiones (ut ĩ. cap. 6. in prin. ostensum est) duplices sunt. Nam aut ruptum aut irritum fieri dicitur hoc casu testamentum: sumũtur ĩ. huiusmodi exceptiones similiter ac superiores uel ex persona testatoris, uel ex personis testium, uel ex persona hæredis instituti, uel ex alijs huiusmodi circumstantijs, ut ex sequentibus patebit. Sit autem huius generis exceptio prima hæc: Nisi testator postea capite sit deminutus. Hæc exceptio approbatur instit. quibus modis testam. infir. §. alio autem, his uerbis: Alio modo testamenta iure facta infirmantur: ueluti cum is qui fecit testamentum, capite deminutus sit. Quod quibus modis accidat, primo Libro retulimus. Hoc autem casu irrita fieri testamenta dicuntur, cum alioqui & quę rum puntur, irrita fiant, & ea quæ statim ab initio non iure fiunt, irrita sint. Sed & ea quæ iure facta sunt, & postea per capitis deminutionem irrita fiunt, possumus nihilominus rupta dicere. Sed quia sanè commodius erat singulas causas singulis appellationibus distingui: ideo quædam non iure facta dicuntur, quædam iure facta rumpi, uel irrita fieri. Ait *Imper.* Sed quia sanè commodius, &c. *De hac triplici inutilium testamentorum distinctione dictum supra cap. 6. in princ. Quid autem, & quotuplex sit capitis deminutio, definitur inst. de capitis deminutione: de qua re uide ĩ. lib. 50. cap. 1. Concordat propositæ exceptioni l. si quis. 6. §. irritum. ff. de iniusto testam. his uerbis*: Irritum sit testamentum, quoties ipsi testatori aliquid contingit: utputa, si ciuitatem amittat per subitam seruitutem, ab hostibus (uerbi gratia) captus, uel si maior annis uiginti uenundari se passus sit ad precium participandum. Sed & si quis fuerit capite damnatus, uel ad bestias, uel ad gladiũ, uel alia pœna, quæ uitam adimat: testamentum eius irritum fiet, non tunc, cum consumptus est, sed cum sententiam passus est. Nam pœnæ seruus efficitur, nisi fortè miles fuit ex militari delicto damnatus. Nam huic permitti solet testari, ut diuus Hadrianus rescripsit. Et credo quòd iure militari testabitur. Qua ratione igitur damnato ei testari permittitur? nunquid, & si quod antè habuerit factum testamentum, si ei permissum sit testari, ualeat; An uerò postea irritum factum reijciendum est? Et si militari iure ei testandum sit: dubitari non oportet, quin si uoluerit id ualere, fecisse id credatur. *Concordat item l. conficiuntur. 8. §. si post. ff. de iure codicill. cuius uerba uide infrà cap. 25. except. 4. Planè propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi mortis tempore pristinum statum testator receperit. Hæc replicatio approbatur instit. quibus modis testam. infir. §. non tamen, his uerbis*: Non tamen per omnia inutilia sunt ea testamenta, quæ ab initio iure facta, per capitis deminutionem irrita facta sunt. Nam si septem testium signis signata sunt: potest scriptus hæres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere: si modò defunctus, & ciuis Romanus, & suæ potestatis mortis tempore fuerit. Nam si ideo irritum factum sit testamentum, quia ciuitatem, uel etiam libertatem testator amisit, aut quia in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptiui patris potestate sit: non potest scriptus hæres secundum tabulas bonorum possessionem petere. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est*: *Nisi testamenti facti tempore etiam capite fuerit deminutus, non solùm postea. quæ duplicatio approbatur l. 1. §. exigit. ff. de bonorum possess. secund. tabulas. cuius uerba uide suprà capite 6. except. 2. replic. 1. Altera duplicatio est*: *Nisi nullo actu declarauerit testator, se eodem testamento mori uelle. de qua uide ĩ. except. 3. replic. 1. duplic. 1. Altera propositæ exceptionis replicatio est*: *Nisi miles testator capite fuerit deminutus. Hæc replicatio approbatur l. miles. 22. ff. de militari testam. cuius uerba uide ĩ. cap. 7. replicat. 2. dupl. 5. Concordat l. idem & si. 23. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. except. 3. Concordat item l. si quis. 6. §. fin. ff. de iniusto test. cuius uerba uide ĩ. d. dupl. 5. Concordat item inst. de militari test. §. denique, his uerbis*: Etsi in adrogationẽ datus fuerit miles, uel filiusfamiliâs emancipatus est: testamentũ eius quasi

ex noua militis uoluntate ualet, nec uidetur capitis deminutione irritum fieri. *Sanè propositæ exceptionis species sunt exceptiones proximè sequentes: in quibus uide plures huius exceptionis replicationes.*

II. Exceptio: *Nisi testator postea capitali sententia fuerit damnatus. De hac exceptione eiusq; replicationibus uide* ꝫ. *cap.6.except.13.*

III. Exceptio: *Nisi testator postea se dederit adrogandum. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt* ꝫ. *except.1. in prin. Eius autem replicatio prima hæc est: Nisi tempore mortis sui iuris fuerit testator. Et hæc replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt* ꝫ. *d. except.1.repl.1. Præter autem duplicationem* ꝫ. *d.repl.propositam, & alia eius duplicatio hæc est: Nisi testator nullo actu declarauerit, se eodem testamento mori uelle. Quæ duplicatio approbatur l.qui ex liberis.11.§.testamento. ff. de bonor. possess. secundum tabulas, his uerbis:* Testamento facto Titius adrogandum se præbuit, ac postea sui iuris effectus uita decessit. Scriptus hæres si possessionem petat, exceptione doli mali submouebitur. Quia dando se adrogandum testator, cum capite fortunas quoque suas in familiam & domum alienam transfert. Planè si sui iuris effectus, codicillis aut alijs literis eodem testamento se mori uelle declarauerit: uoluntas quæ defecerat, recenti iudicio redijsse intelligetur: non secus ac si quis aliud testamentum fecisset, ac supremas tabulas incidisset, ut priores supremas relinqueret. Nec putauerit quisquam, nuda uoluntate constitui testamentum. Non enim de iure testamenti maximè quæritur, sed de uiribus exceptionis, quæ in hoc iudicio, quanquam actori opponatur, ex persona tamen eius qui opponit, æstimatur. *Altera replicatio est: Nisi miles testator se adrogandum dederit. Hæc replicatio approbatur l.idem.23. ff. de militari testam. his uerbis:* Valet testamentum, etsi paterfamiliâs miles de castrensibus rebus duntaxat testatus, adrogandum se dederit. *Concordat l.miles.22. ff. eod. tit. cuius uerba uide suprà cap.7.repl.2.duplic.5. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi postquam militia dimissus est miles, adrogandum se dederit. quæ duplicatio approbatur d.l.23. his uerbis:* Si uerò missus iam hoc fecerit, non ualet testamentum.

IIII. Exceptio: *Nisi testator ad hostes peruenerit. Hæc exceptio approbatur l.si quis.6.§.irritum. ff. de iniusto testam. cuius uerba uide* ꝫ. *except.1. in prin. Concordat l.itineri.2.§.fin. ff. de uerb. signif. his uerbis:* Eius qui apud hostes decessit, dici hæreditas non potest: quia seruus decesit. *Planè ipso quidem iure testamentum eius qui ab hostibus captus est, irritum fit: sed uires suas recipit uel iure postliminij, uel ex lege Cornelia: quod replicationis loco notandum. Quæ replicatio approbatur d.l.6.§.quatenus, his uerbis:* Quatenus tamen diximus, ab hostibus capti testamentum irritum fieri: adijciẽdum est, postliminio reuersi uires suas recipere iure postliminij: aut si ibi decedat, lege Cornelia confirmari. *Concordat l.bona.22. in prin. ff. de captiuis, hisce uerbis:* Bona eorũ qui in hostium potestatem peruenerint, atque ibi decesserint, siue testamenti factionẽ habuerint, siue non habuerint, ad eos pertinent, ad quos pertinerent, si in potestatem hostium non peruenissent. Idemq; ius in eadem causa omnium rerum iubetur esse lege Cornelia, quæ futura esset, si hi, de quorũ hæreditatibus & tutelis constituebatur, in hostium potestatem non peruenissent. Apparet ergo, eadem omnia pertinere ad hæredem eius, quæ ipse qui hostium potitus est, habiturus esset, si postliminio reuertisset. *Concordant item ea quæ habentur* ꝫ. *cap.6.except.19.repl.2.*

V. Exceptio: *Nisi memoria testatoris sit damnata. Hæc exceptio approbatur l.si quis.6.§.quid si quis, in fine. ff. de iniusto test. his uerbis:* Ne eorum quidẽ testamẽta rata sunt, quorum memoria post mortẽ damnata est: utputa est ex causa maiestatis, uel ex alia tali.

VI. Exceptio: *Nisi testator postea in eum casum inciderit, quo ab initio testari non potuit: puta furiosus, surdus, uel mutus factus. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt* ꝫ. *cap.6.except.6.repl.2. item except.8.repl.5.*

VII. Exceptio: *Nisi testator sibi ipsi mortem consciuerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt suprà cap.6.except.14. distinct.1.*

VIII. Exceptio: *Nisi testator post factum testamentum decem annos uixerit. Hæc exceptio reprobatur l.sancimus.27. C. de testamẽtis, hisce uerbis:* Sancimus, si quis legitimo modo condidit testamentum, & post confectionem eius decennium profluxerit: siquidem nulla innouatio uel cõtraria uoluntas testatoris apparuerit, hoc esse firmum. Quod enim non mutatur, cur stare prohibeatur? Quemadmodum enim qui testamentum fecit, & nihil uoluit contrarium, intestatus efficiatur? Sin autem in medio tempore contraria uoluntas ostenditur: siquidem perfectissima est secunda testamenti confectio, ipso iure prius tollitur testamentum. Sin autem testator tantummodò dixerit, non uoluisse prius stare testamentum, uel alijs uerbis utendo contrariam aperuerit uoluntatem, & hoc uel per testes idoneos non minus tres, uel inter acta manifestauerit, & decennium fuerit elapsum: tunc irritum esse testamentum, tam ex contraria uoluntate, quàm ex causa temporali. Aliter autem testamenta mortuorum per decẽnij transcursionem euanesce-

uanescere nullo patimur modo: prioribus constitutionibus, quæ super huiusmodi testamentis uacuandis fuerunt latæ, penitùs antiquatis.

IX. Exceptio: *Nisi testium conditio postea sit mutata, ut testes in testamento amplius esse non possint. Hæc exceptio reprobatur l.ad testium.22.§.conditionem. ff. qui testam. facere poss. his uerbis:* Conditionem testium tunc inspicere debemus, cum signarent, non mortis tẽpore. Si igitur tunc cum signarẽt, tales fuerunt, ut adhiberi possent: nihil nocet, si quid postea eis contigerit. *Concordat l.1. C. de testamentis. cuius uerba uide* ꝫ. *cap.8.except.29.repl.1.*

X. Exceptio: *Nisi hæredis instituti conditio mutata sit, ut non sit amplius cum eo testamenti factio. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt* ꝫ. *cap.11.except.82.repl.1.*

XI. Exceptio: *Nisi hæres ingratus sit, & officium hæredis non fecerit. Hæc exceptio approbatur* ꝫ. *lib.prox.cap.13.except.1. cum sequentib. item lib.30.*

XII. Exceptio: *Nisi hæres iussa testatoris non fecerit. Hæc exceptio approbatur l.ult.§.fin. C. de fideicommiss. cuius uerba uide* ꝫ. *lib.33.cap.10.reg.1. de probationibus. Concordat Nouell.c.1.§.si quis autem quod. item §.si uerò nulla, cum alijs eiusdem constitutionis uerbis, quæ uide* ꝫ. *lib.32.cap.9.causa 15. Concordat item Nouell.c.48.§.atque esto sanè. cuius uerba uide* ꝫ. *lib.7.cap.2.quæst.3.reg.4. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi in sepultura iussui testatoris non obtemperauerit. quæ replicatio approbatur l. non oportet.5. C. de his quibus ut indignis, hisce uerbis:* Non oportet ut indignis hæredibus successiones auferri, prætextu, quòd in sepultura supremis defunctorum obtemperatum nõ fuisset. *Altera replicatio est: Nisi aliquid amplius quàm testator iusserit, hæres fecit. Hæc replicatio approbatur l.cum in.202. ff. de uerbor. significat. his uerbis:* Cum in testamento scriptum esset, ut hæres in funere aut in monumento duntaxat aureos centum consumeret, non licet minus consumere. Si amplius uellet, licet: neque ob eam rem contra testamentum facere uidetur. *Plures huiusmodi replicationes uide* ꝫ. *d.causa 15.*

XIII. Exceptio: *Nisi hæres codicillos intercidit. Hæc exceptio approbatur l.diuus.4. ff. ad l. Cornel. de falsis, his uerbis:* Diuus Marcus rescripsit, cum quidam à patre hæres institutus, codicillos intercidisset, & decesisset: fisco tantum putauit esse uindicandum, quantum per codicillos erogari potuisset, id est, usque ad dodrantem.

XIIII. Exceptio: *Nisi hæres non adquiescat ijs, quæ testator de modo substantiæ suæ iussit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.48. cuius uerba uide* ꝫ. *lib.7.cap.2.quæst.3.reg.4.*

XV. Exceptio: *Nisi hæres testamentum falsum dixit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur infrà libro 32. capite 9. causa 17.*

XVI. Exceptio: *Nisi hæres testamentum aboleuit. Hæc exceptio approbatur l.si quis.26. ff. ad l. Cornel. de falsis, hisce uerbis:* Si quis patris sui testamentum aboleuerit, & quasi intestatus decesisset, pro hærede gesserit, atque ita diem suum obierit: iustissimè tota hæreditas paterna hæredibus eius eripietur.

XVII. Exceptio: *Nisi successionem futuram, eiúsue partem uiuente adhuc testatore alienauit. Hæc exceptio approbatur l.quidam.30.§.fin. cum lege sequente. ff. de donationibus. cuius uerba uide* ꝫ. *lib.32.capite 9. causa 25.*

XVIII. Exceptio: *Nisi impuberi defuncto pupillariter substitutus, tutorem non petierit. Hæc exceptio approbatur l.sciant.10. C. de legitimis hæredibus, his uerbis:* Sciant qui ad successionem uocantur pupilli mortui, si defuncto eius patre tutorem ei secundum legem non petierint intra annum: omnem eis sue ab intestato, siue iure substitutionis successionem eius (si impubes moritur) denegandam esse.

XIX. Exceptio: *Nisi hæreditas adita non sit. Hæc exceptio approbatur l.1. in fine. ff. de iniusto testam. cuius uerba uide* ꝫ. *cap.6. in prin. Concordant eæ quæ habentur infrà de legatis, cap.8. causa 42. except.1. replicat.6. Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur:* Nisi ex militari testamento hæreditas non sit adita. *Hæc replicatio reprobatur l.si secundum.32. ff. de militari testam. his uerbis:* Si secundum probabilem uoluntatem militis, hæreditas eius non adeatur: nec castrẽses res hæredibus competunt. *Plures propositæ exceptionis replicationes uide* ꝫ. *d.repl.6. item lib.30.cap.8. regula 2.*

XX. Exceptio: *Nisi hæres uiuo testatore, uel ante aditam hæreditatem decesserit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur* ꝫ. *cap.22.regula 1.*

XXI. Exceptio: *Nisi tempus ex quo hæres institutus est, nondum uenerit: uel tempus ad quod, sit finitum. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt* ꝫ. *cap.12.except.115. Planè admittitur exceptio proposita primum, si miles ex tempore uel ad tempus hæredem instituerit: quæ distinctio approbatur l. in fraudem.15.§.miles. ff. de militari testam. his uerbis:* Miles & ad tempus hæredem facere potest, & alium post tempus, uel ex conditione, uel in conditionem. *Concordat l.miles.41. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Miles ita hæredem scribere potest, Quoad uiuit Titius, hæres esto: post mortem eius, Septicius. Sed si ita scripserit, Titius usque ad annos decem hæres esto: nemine substituto, intestati causa post decem annos locum habebit. Et quia diximus, ex certo tempore, & usque ad certum tempus milites posse instituere hæredem: his consequens est, ut antequam

dies ueniat, quo admittatur institurus, intestati hæreditas deferatur: & quod in bonorum portione ei licet, hoc etiam in temporis spacio (licet non modicum sit) ex eodem priuilegio competat. *Concordat item l.cerei.8. C.de testam.militis, hisce uerbis*: Certi iuris est, militem ad tempus etiam hæredem instituere posse. *Secundò admittitur exceptio proposita, si ex die incerto hæres sit institutus. quæ distinctio approbatur l.hæreditas.34.ff.de hæred. instit.his uerbis*: Hæreditas ex die, uel ad diem non rectè datur: sed uitio temporis sublato, manet institutio.

XXII. *Exceptio: Nisi conditio institutionis defecerit, uel non rectè sit impleta. De hac exceptione eiusq; specieb⁹ uide ff.lib.34.cap.5.& 6.*

XXIII. *Exceptio: Nisi post testamentum perfectũ testator aliquid interleuerit uel suprascripserit. De hac re uide ff.cap.10.except.71.& except.72.*

XXIIII. *Exceptio: Nisi signa uel linum fuerint turbata, incisa uel resignata. Hæc exceptio approbatur l.1.§.penult. ff. si tabule testam. nullæ extab. his uerbis*: Si hæres institutus non habeat uoluntatem, uel quia incisæ sunt tabulæ, uel quia cancellatæ, uel qua alia ratione uoluntatem testator mutauit, uoluitq; intestatò decedere: dicendum est, ab intestato rem habituros eos, qui bonorum possessionem acceperunt. *Concordat l.ad testium.22.§.si signa. ff.qui test.facere possunt, his uerbis*: Si signa turbata sunt ab ipso testatore, non uidetur signatum. *Concordat l.1.§.si linum.ff.de bonor.possess.secund.tabul.his uerbis*: Si linum, quo ligatæ sunt tabulæ, incisum sit: siquidem alius contra uoluntatem testatoris inciderit, bonorum possessio peti potest. Quòd si ipse testator id fecerit, non uidentur signatæ. Et ideo bonorum possessio peti non potest. *Concordat item l.nostram.30. C.de testamentis, hisce uerbis*: Nostram prouisionem maximè circa ultima elogia defunctorum nunc etiam extendi properamus. Vnde cum inuenimus quasdam controuersias ueteribus iuris interpretatorib.exortas propter testamẽtum, quod legitimo modo conditum, septémque testium signa habens, postea fortuito casu, uel per ipsius testatoris operam lino toto, uel plurima eius parte incisa, in ambiguitatem incidit: solitum ei præbemus remedium, sancientes, siquidem testator linum uel signacula inciderit: utputa eius uoluntate mutata, testamentum non ualere. Sin autem ex alia quacunque causa hoc contigerit, durante testamento, scriptos ad hæreditatem uocari: maximè cum nostra constitutio, quam pro tuitione testamentorum promulgauimus, testatorem disposuit uel sua manu nomen hæredis scribere: uel si imperitia literarum, uel aduersa ualetudine, seu alio modo hoc facere non potest: testes ipsos audito nomine hæredis, sub præsentia ipsius testatoris nomen hæredis suis subscriptionibus declarare. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non à testatore, sed ab alio, uel casu fortuito signa uel linum fuerint turbata. quæ replicatio approbatur uerbis d.l.30.iam propositis hisce*: Sin autem ex alia quacunque causa hoc contigerit, &c. *Concordat d.l. 1.§.si linum, uerbis suprà propositis hisce*: Siquidẽ alius contra uoluntatem testatoris, &c. *Concordat d.l.1.§.fin.his uerbis*: Si rosæ sint à muribus rabulæ, uel linum, uel aliter ruptum, uetustate (puta) uel situ, uel casu putrefactum: & sic uidentur tabulæ signatæ, maximè si proponas uel unum linum tenere. Si ter fortè uel quater linum sit circumductum: dicendum est, signatas tabulas eius extare, quamuis uel incisa uel rosa sit pars lini. *Altera replicatio est: Nisi cum plurium quàm opus erat, signis testamentum signatum esset, legitimus signorum numerus adhuc compareat. Hæc replicatio approbatur l.cum tab.7. ff.de bonor.possess.secundum tabulas, his uerbis*: Cum tabulæ testamenti plurium signis signatæ sunt, & quædam ex his non comparent, septem tamen signa manent: sufficit ad bonorum possessionem dandam septem testium signa comparere, licet non omnium qui signauerunt, signa maneant. *Tertia replicatio est: Nisi pupillare tantùm testamentum resignatum sit, principali saluo. Hæc replicatio approbatur l.ut bonorum.9.ff.d.tt.cuius uerba uide ff.cap.14.except.163. Concordat l.patris.18.ff.de uulgari substit. cuius uerba uide d.except. 163. Quarta replicatio est: Nisi testator dementis signa turbauerit. Hæc replicatio approbatur l.ult.ff.de iniusto testam. his uerbis*: Lucius Titius integra mente & ualetudine testamentum fecit, uti oportet: postea cum in ualetudinem aduersam incidisset, mente captus tabulas easdem incidit. Quæro, an hæredes his tabulis instituti adire possint hæreditatem? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non ideo minus adire posse. *Quinta replicatio est: Nisi testamentum postea denuò fuerit signatum. Hæc replicatio approbatur l.si testam.23.ff.qui testamentum facere poss.his uerbis*: Si testamentum quod resignauerit testator, iterum signatum fuerit septem testium signis: non erit imperfectum, sed utroque iure ualebit, tam ciuili quàm prætorio.

XXV. *Exceptio: Nisi tabulæ testamenti amissæ sint. Hæc exceptio reprobatur l.unica, in fine.ff.si tabulæ testamenti extabunt, his uerbis*: Si mortis tempore tabulæ fuerint, licet postea interierint, competet bonorũ possessio: quia uerum fuit, tabulas extare. *Concordat l.1.§. sed consulto, in fine. ff. de his quæ in testam. delen-*

tur. cuius uerba uide ff. cap.10. except.72.replic.2.duplic.1.triplic.1. Concordat item l.si in duob.10.§.fin. ff.testament.quemad.aperian. his uerbis: Si tabulæ non compareant, uel exustæ sint: futurum est, ut subueniri legatarijs debeat. Idem est, & si suppressæ uel occultæ sint. *Concordat item l.2.C.de testamentis, hisce uerbis*: Publicati semel testamenti fides, quamuis ipsa materia, in qua primùm à testatore scriptum relictũ fuit, casu qui probatur interciderit: nihilominus ualet. *Concordat item l.non idcirco.11.C.eod. tt.his uerbis*: Non idcirco minus iure factum testamentum, & suas obtinet uires, quòd post testatoris mortem subtractum probatur. *Planè admittitur exceptio proposita, si mortis tempore non extiterint tabulæ. quæ distinctio approbatur l.1.§.semel. ff.de bonorum possess.secundum tabulas, his uerbis*: Semel extitisse tabulas mortuo testatore desideratur, tametsi extare defierunt. Quare etsi postea interciderunt, bonorum possessio peti poterit. Scientiam tamen exigemus, ut sciat hæres extare tabulas, certusque sit delatam sibi bonorum possessionem. *Huius exceptionis in proposita distinctione replicatio prima hæc est: Nisi cum in duobus exemplaribus testamentum factum esset, unum exemplar extet: tunc enim, quamuis alterum non extet mortis tempore, nihilominus testamentum ualet. quæ replicatio approbatur d.l.1.§.si quis in duobus, his uerbis*: Si quis in duobus exemplaribus fecerit testamentum, & aliud extet, aliud non extet: tabulæ extare uidentur, petíque potest bonorum possessio. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi unum quasi testamentum, aliud quasi exemplum sit factum: & exemplum quidem extet, testamentum uerò non extet. quæ duplicatio approbatur d.l.1.§.sed si unum, his uerbis*: Sed si unum fecerit quasi testamentum, aliud quasi exemplum: siquidem id extat, quod uoluit esse testamentum, bonorum possessio petetur. Si uerò id quod exemplum erat: bonorum possessio peti non poterit, ut Pomponius scripsit.

XXVI. *Exceptio: Nisi testamenti tabulæ non fuerint prolatæ nec apertæ. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.sufficit.ff.de bonorum possess.secundum tabul. his uerbis*: Sufficit extare tabulas, etsi non proferantur, si certum sit eas extare. Igitur etsi apud furem sint, uel apud eum, apud quem depositæ sunt: dubitari non oportet, admitti posse bonorum possessionem. Nec enim opus est aperire eas, ut bonorum possessio secundum tabulas agnoscatur.

XXVII. *Exceptio: Nisi testamentum imperiali rescripto sit rescissum. Hæc exceptio reprobatur l. si testam.10.C.de testam.hisce uerbis*: Si testamentum iure factũ sit, & hæres sit capax: authoritate rescripti nostri rescindi non oportet.

DE ADGNATIONE posthumi & quasi posthumi. Cap. XX.

XXVIII. *Exceptio: Nisi testatori adgnascatur posthumus. Hæc exceptio approbatur Inst.de exhæredat.liberorum.§.posthumi, his uerbis*: Posthumi quoque liberi uel hæredes institui debent, uel exhæredari. Et in eo par omnium conditio est, quòd & filio posthumo, & quolibet ex cæteris liberis, siue fœmini sexus, siue masculini, præterito, ualet quidem testamentum: sed postea adgnatione posthumi siue posthumæ rumpitur, & ea ratione totum infirmatur. *Concordat l.1.ibi: uel adgnatione.ff.de iniusto testam.cuius uerba uide ff.cap.6. in prin. Item concordat l.posthumi.5.§.ex his.ff.eod. tt.his uerbis*: Apparet, aliam causam esse filiorum superstitum, aliam posthumorum: illi iniustum faciunt, hi rumpunt: illi semper, hi si nascantur, nec inueniant se exhæredatos. *Concordat item l.1.C.de posthumis, hisce uerbis*: Si post testamentum factum, quo posthumorum suorum nullam mentionem testator fecit, filiam suscepit: intestatò uita functus est, cùm adgnatione posthumæ, cuius non meminit, testamentum ruptum sit. Ex rupto autem testamento nihil deberi, neque peti posse, explorati iuris est. *Concordat item l.2.C.de bonorum possess.contra tabulas, his uerbis*: Posthumo nato, qui neque hæres institutus à patre, neque nominatim exhæredatus est, testamentum rumpitur: & si contra tabulas bonorum possessio infantis nomine à matre petita est, secundum tabulas possessio locum habere non potest. *Declaratur exceptio proposita definitione Posthumi l. posthumi.5. §.1.ff.de iniusto test.his uerbis*: Posthumos dicimus eos, qui post mortem parentis nascuntur. Sed & hi qui post testamentum factum in uita nascuntur, ita demum per legem Velleam rumpere testamentum prohibentur, si nominatim sint exhæredati. *Planè propositæ exceptionis replicationes plures sunt, quarum prima hæc est: Nisi posthumus in testamento sit exhæredatus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Ita demum per legem Velleam rumpere testamentum prohibentur, si nominatim sint exhæredati. *Concordat d.l.5. in princ. cuius uerba uide ff.cap.16.except.191.in prin. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi non nominatim, sed inter cæteros posthumus sit exhæredatus. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Si nominatim sint exhæredati. *Declaratur hæc duplicatio d.l.5.§.penult. his uerbis*: Nominatim exhæredatus posthumus uidetur, siue ita dixerit, Quicunque mihi nascetur: siue ita, Ex Seia: siue ita, Venter exhæres esto. Sed & si dixerit, Posthumus exhæres

esto: natus uel post mortem, uel uiuo testatore, non rumpit. *Plura de duplicatione proposita uide §. cap. 16. except. 191.* *Altera duplicatio est: Nisi in priore quidem testamento exhæredatus sit posthumus, in posteriore uerò non sit. Hæc duplicatio approbatur l. posthumi. 3. §. sed etsi stante. ff. de iniusto testam. his uerbis:* Et si stante hoc aliud testamentum, à quo posthumus exhæredatus non sit, factum sit: placet, siue post mortem testatoris nascatur, siue uiuo testatore, utrunque ruptum esse, & superius per inferius, & inferius per posthumum. *Ait Iurisconsultus:* Stante hoc, *scilicet testamento, quo posthumus est exhæredatus nominatim: ut in principio legis fieri præcepit.* *Tertia duplicatio est: Nisi ita exhæredatione posthumi facta, Si filius natus natáue erit, exhæres esto; & filius & filia nascatur. Hæc duplicatio approbatur l. si ita. 14. ff. de iniusto testam. his uerbis:* Si ita facta sit exhæredatio, Si filius natus natáue erit, exhæres esto: utrisque natis, rumpitur testamentum. *Plures propositæ replicationis duplicationes uide §. cap. 16.* *Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi posthumus hæres sit institutus. Hæc replicatio approbabatur per ea quæ proposita sunt suprà ead. except. in prin.* *Eius autem duplicatio prima hæc est: Nisi sub conditione posthumus hæres sit institutus. Hæc duplicatio approbatur l. posthuma. 24. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Posthuma sub conditione hæres instituta, si pendente conditione uiuo patre nascatur: rumpit testamentum. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi antequam posthumus nascatur, conditio institutionis extiterit. quæ triplicatio approbatur l. cum posthum. 22. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum posthumus sub conditione instituitur, si priusquam nascatur, conditio extiterit: non rumpitur testamentum posthumi adgnatione. *Plura de proposita duplicatione eiusq; triplicationibus uide §. cap. 12. except. 117.* *Altera duplicatio est: Nisi in eum casum nascatur, qui institutione comprehensus non est. Hæc duplicatio approbatur l. commodissimè. 10. in fine. ff. de liberis & posthumis, cuius uerba uide §. d. except. 117. replic. 4.* *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi ita institutione facta, Si mihi filius natus fuerit, ex besse: si filia, ex triente hæres esto. & filius & filia nascatur. Hæc triplicatio approbatur l. si ita. 13. in prin. ibi: licet enim. ff. de liberis & posthumis, cuius uerba uide §. cap. 23. reg. 10.* *Secus in exhæredatione, ut §. repl. proxim. dupl. 3.* *Tertia duplicatio est: Nisi posthumus inutiliter sit institutus. Hæc duplicatio approbatur exemplo præcedentium & sequentium duplicationum. cuius uerba uide §. cap. 11. & cap. 12.* *Quarta duplicatio est: Nisi nepos uel pronepos, cuius pater adhuc uiuit, hæres sit institutus. hoc enim casu inutilis est institutio, iure scilicet antiquo: ut §. cap. 11. except. 86. distinct. 9. est ostensum. Inutiliter autem institutus habetur pro præterito, ut ex supradictis patet.* Ergo nepos uel pronepos testatori adgnatus, quamuis institutus sit, tamen testamentum eius rumpit: quòd pater eius institutionis tempore uiuit, & ob id alienus posthumus est institutus. *Cuius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi nepos institutus, mortuo patre, uiuo testatore nascatur. quæ triplicatio approbatur l. Gallus. 29. §. nunc de lege. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Nunc de lege Vellea uideamus, quæ uoluit, uiuis nobis natos similiter non rumpere testamentum. Et uidetur primum caput ad eos spectare, qui cum nascerentur, sui hæredes futuri essent. Ergo etsi filium habeas, & nepotem (nondum natum tamen) ex eo hæredem instituas: si filius decedat, mox uiuo te nepos nascatur: ex uerbis dicendum est, non rumpi testamentum: ut non solùm illud primo capite notauerit, si nepos eo tempore instituatur, quo filius non sit; uerùm etiamsi uiuo patre. Quid enim necesse est, tempus testamenti faciendi respici: cum satis sit obseruari id tempus, quo nascitur? Nam ita uerba sunt: Qui testamentum faciet, is omnis uirilis sexus, qui ei sui hæredes futuri erunt, &c. etiamsi parente uiuo nascantur. *Altera triplicatio est: Nisi pater uiuo testatore, quamuis nato posthumo nepote, decesserit. Hæc triplicatio approbatur d. l. 29. §. ille casus, his uerbis:* Ille casus in difficili est, si filium habeas, & nepotem nondum natũ instituas, isque nascatur uiuo patre suo, ac mox pater decedat. Non enim suus hæres est tempore quo nascitur: nec posteriore alius succedendo prohiberi uidetur rumpere, quàm qui iam natus erat. Denique & superiore capite, ut liceat instituí nondum natos, qui cum nascerentur sui erunt, permittit: posteriore non permittit instituí, sed uetat rumpi: néue ob eam rem minus ratum sit, quod succedit. Porrò procedere debet, ut utiliter sit institutus: quod nullo iure potuit, qui nondum natus erat. Iuliano tamen uideatur, duobus quasi capitibus legis commistis, in hoc quoque inducere legem, ne rumpantur testamenta. Quæremus tamen (cùm recepta est Iuliani sententia) an si nascatur nepos uiuo patre suo, qui deinde emancipetur, sponte adire possit hæreditatẽ? Quod magis probandũ est: nam emancipatione suus hæres fieri non potuit. *Ait Iurisconsultus:* Nec posteriore. *Item:* Posteriore uerò. *Scilicet capite legis Velleæ, de quo d. l. 29. §. sequente parte. & §. uidendum. cuius uerba uide §. except. prox.* *Tertia triplicatio est: Nisi pater nepotis à testatore fuerit emancipatus: hoc enim casu nepos etiam utiliter institutus erit, quamuis testatori suus hæres futurus nõ sit. quæ triplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quæremus tamen (cùm recepta est Iuliani sententia) an si nascatur, &c. *Quarta triplicatio est: Nisi posthumus nepos uel pronepos, cuius pater uel auus adhuc uiuit, sub hac conditione institutus sit, Si uiuo testatore parens posthumi mortuus fuerit.* *Hæc triplicatio approbatur d. l. 29. in prin. usque ad §. & quid si, his uerbis:* Gallus sic posse institui posthumos nepotes induxit: Si filius meus uiuo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, siue quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus natáue erit: hæredes sunto. Quidam rectè admittendum credunt, etiamsi non exprimat de morte filij, sed simpliciter instituat, ut eo casu ualeat, qui ex uerbis concipi possit. Idem credendum est, Gallum existimasse & de pronepote, ut dicat testator: Si me uiuo nepos decedet, tunc qui ex eo pronepos, &c. Sed & si uiuo filio, iam mortuo nepote, cuius uxor prægnans esset, testamentum faceret: possit dicere, Si me uiuo filius meus deceder, tunc qui pronepos, &c. Num, si & filius & nepos uiuant, concipere, utrisque se uiuo mortuis, tunc qui pronepos nasceretur, poterit? Quod similiter admittendum est: ita sanè, si prius nepos, deinde filius decederet: ne successione testamentum rumperetur. *Quinta triplicatio est: Nisi pater nepotis iam nati uiuo testatore à potestate eius quolibet casu sit liberatus. Hæc triplicatio approbatur d. l. 29. §. & quid si, his uerbis:* Quid si tantùm in mortis filij casum conciperet, qui deinde aquæ & igni interdictionem pateretur? quid si nepos, ex quo pronepos institueretur (ut ostendimus) emancipatus esset? Hi enim casus, & omnes ex quibus suus hæres (post mortem scilicet aui) nasceretur, non pertinent ad legem Velleam. Sed ex sententia legis Velleæ (ut hæc omnia admittenda sint) ad similitudinem mortis & cæteri casus admittendi sunt. *Sexta triplicatio est: Nisi nepos ex filio qui apud hostes est, hæres sit institutus. nam & hoc casu, quamuis pater eius uiuat, utiliter est institutus, etiam patre post mortem aui defuncto apud hostes. quæ triplicatio approbatur d. l. 29. §. quid si is, hisce uerbis:* Quid si is, qui filium apud hostes habebat, testaretur? quare Gallus non induxit, ut si filius, antequam ab hostibus rediret (quamuis post mortem patris) decederet: tunc deinde nepos, uel etiam adhuc illis uiuis, post mortem scilicet aui, nasceretur, non rumperet? nam hic casus ad legem Velleam non pertinet. Melius ergo est, ut in eiusmodi utilitate (præsertim post legem Velleam, quæ multos casus rumpendi abstulit) interpretatio admittatur, ut instituens nepotem, qui sibi post mortem suus nasceretur, rectè instituisse uideatur, quibuscunque casibus

nepos post mortem natus suus esset, rumperétque præteritus: atque etiamsi generaliter, Quidquid sibi liberorum natum erit post mortem: aut, Quicunque natus fuerit: instituit. *Septima triplicatio est: Nisi nepos testatori suus hæres aliquo casu fiat. tunc enim, quamuis uiuo patre suo institutus sit, nihilominus rectè institutus uidetur. quæ triplicatio generalis, præcedentes sub se comprehendens, approbatur uerbis iam propositis hisce:* Melius ergo est, ut in eiusmodi utilitate, &c. *Octaua triplicatio est: Nisi posthumus nepos hæres institutus, apud hostes nascatur, & post mortem patris auíq; testatoris redeat: hic enim posthumus, quamuis nec testamenti facti, nec natiuitatis, nec etiam mortis testatoris tempore in eius fuerit potestate, utputa apud hostes constitutus: tamen propter ius postliminij mortis testatoris tempore in eius potestate fuisse fingitur, & ob id utiliter est institutus. quæ triplicatio approbatur d. l. 29. §. si eius qui, his uerbis:* Si eius qui filium habebat, & neporem ex eo instituerat, nurus prægnans ab hostibus capta sit, ibique uiuo auo & eius filio pariat: mox ille post mortem patris atque aui redeat: utrum hic casus ad legem Velleam respiciat, an ad ius antiquum aptandus sit, possitque uel ex iure antiquo, uel ex lege Vellea institutus non rumpere? Quod quærendum est, etsi iam mortuo filio pronepotẽ instituat, qui redeat eo mortuo. Sed cum testamentum ab eo nõ rumpatur, nihil refert, utrum ex iure antiquo, an ex lege Vellea excludatur. *Hactenus quartæ duplicationis triplicationes sunt enumeratæque replicationum quoq; loco possunt annotari aduersus exceptionem institutionis de posthumo alieno hærede inutiliter instituendo, de qua suprà capite 11. exception. 86. distinct. 9. est dictum.* *Nam iure quidem antiquo posthumus alienus, hoc est, is qui tempore testamenti facti natus testatori suus hæres futurus non erat, inutiliter hæres instituebatur.* *Cuius exceptionis replicatio à lege Vellea introducta erat hæc: Nisi natus uel mortis testatoris tempore ei suus hæres futurus est, uel iure postliminij esse fingatur. hoc enim casu nihilominus ualebat institutio: quãuis nec testamenti facti, nec natiuitatis tempore testatori suus esset hæres: seu (ut uerba legis Velleæ habent) etiamsi parente uiuo nascatur.* *Huius replicationis species sunt casus in supradictis triplicationibus propositi.* *Cum autem iam dicta exceptio iure nouo sit sublata, secundum ea quæ proposita sunt suprà d. distinct. 9. eius replicationibus hodie non egemus.* *Quinta propositæ replicationis duplicatio uidetur esse: Nisi posthumus alienus, qui testatori aliquando suus hæres futurus est, non sub formula à Gallo Aquilio tradita, sed generaliter hæres sit institutus. Hæc duplicatio declaratur, simul & reprobatur l. Gallus. 29. in princip. usque ad §. si eius. ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide §. duplic. proxim. tripl. 4. cum tribus sequentibus.* Ibi enim Scæuola Galli formu-

Iam proponit, & eam aliquot casibus propositis, non sufficientem ostendit: tandemq; ea reprobata, generalem formulam substituit, hisce uerbis: Melius ergo est, ut in eiusmodi utilitate, &c. *Reliqua uerba uide §. dupl. prox. tripl. 6. Concordat d.l. 29. §. 1. cuius uerba uide §. dupl. prox. tripl. 4. Sexta duplicatio est: Nisi nepote uel pronepote posthumo hærede instituto, pater eius sit præteritus, uel inutiliter institutus aut exhæredatus. hoc enim casu non prodest posthumum hæredem esse institutum. quæ duplicatio approbatur d.l. 29. §. in omnibus, his uerbis:* In omnibus his speciebus illud obseruandum est, ut filius duntaxat qui est in potestate, ex aliqua parte sit hæres institutus. Nam frustra exhæredabitur post mortem suam. Quod non est necesse in eo filio, qui apud hostes est, si ibi decedat. Et certè nec in nepote & pronepote: quorum (si liberi hæredes instituantur) institutionem nunquam exigimus: quia possunt præteriri. *Propositæ duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi pater posit præteriri. Hæc triplicatio exemplis iam propositis approbatur. Nam pater nepotis apud hostes constituti, potest præteriri: ut ostensum §. cap. 15. except. 176. repl. 11. Item nepos & pronepos, cuius pater est in testatoris potestate, & hæres institutus, potest præteriri, secundum ea quæ dicta sunt §. d. except. 176. replicat. 5. Altera triplicatio est: Nisi pater posthumi instituti præteritus, uel inutiliter institutus, uiuo suo patre decesserit. Hæc triplicatio approbatur d.l. 29. §. sed his uerbis:* Forsitan addubitet quis, an istis casibus, si nepos post testamentum nascatur uiuo patre suo, deinde ex eo concipiatur is, qui mortuo patre, deinde auo nascatur: an non potuerit hæres institui, quia pater ipsius non rectè institutus esset? Quod minimè est expauescendum. Hic enim suus hæres & post mortem nascitur. Ergo & sic pronepos admittetur, quia natus erit ex nepote postea uiuo filio, atque si ex eo natus esset adoptatus. *Concordat d.l. 29. §. num si & filius, in fine. cuius uerba uide §. dupl. 4. tripl. 4. Septima duplicatio est: Nisi posthumo ex certa uxore hærede instituto, postea ex alia uxore posthumus sit natus. Hæc duplicatio approbatur l. filius. 28. §. si quis ex certa. ff. de liberis & posthumis, his uerbis:* Si quis ex certa uxore natum scribit hæredem, in periculum rumpendi testamentum deducit, ex alia susceptis liberis. *Hactenus de secunda propositæ exceptionis replicatione, cuius; duplicationibus sit dictum. Tertia replicatio est: Nisi mulier abortum fecerit. Hæc replicatio approbatur l. 2. C. de posthumis, hisce uerbis:* Vxoris abortu testamentum mariti non solui: posthumo uerò præterito, quamuis natus illico decesserit, non restitui ruptum, iuris euidentissimi est. *Concordat Instit. de exhæred. liberorum. §. posthumi, in fine. cuius uerba uide §. ead. except. in prin. Quarta replicatio est; Nisi posthumus exacto uentre editus sit. Hæc replicatio reprobatur l. quod dicitur. 12. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Quod dicitur, filium natum rumpere testamentum: natũ accipe, etsi exacto uentre editus sit. Nam & hic rumpit testamentum, scilicet si nascatur in potestate. *Quinta replicatio est: Nisi non integrum animal editum sit. Et hæc replicatio reprobatur d.l. 12. bis uerbis:* Quid tamen, si non integrum animal editum sit, cum spiritu tamẽ? an adhuc testamentum rumpat? & hoc etiã rumpit. *Contradicere uidetur l. quod certatũ. 3. in fine. C. de posthumis. cuius uerba uide §. repl. 7. Sexta replicatio est: Nisi monstrum uel prodigium natum sit. Hæc replicatio approbatur d.l. 3. in fine. Septima replicatio est: Nisi natus posthumus illico decesserit. Hæc replicatio reprobatur d.l. 3. his uerbis:* Quod certatum est apud ueteres, nos decidimus. Cum igitur is qui in uẽtre portabatur, præteritus fuerat: qui si ad lucem fuisset redactus, suus hæres patri existeret, si non alius eum antecederet, & nascendo ruptum testamentum faceret: si posthumus in hunc quidem orbẽ deuolutus est, uoce autem nõ emissa ab hac luce subtractus est: dubitabatur, si is posthumus ruptum facere testamentum posset: & ueterum animi turbati sunt, quid de paterno elogio statuendum sit. Cumq; Sabiniani existimabant, si uiuus natus esset, etsi uocem non emisit, rumpi testamentum: apparetq;, quòd etsi mutus fuerat, hoc ipsum faciebat: eorum etiam nos laudamus sententiam, & sancimus, si uiuus perfectè natus est, licet illico postquam in terram cecidit, uel in manibus obstetricis decesserit, nihilominus testamentum rumpi: hoc tantummodò requirendo, si uiuus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum uel prodigium. *Concordat l. 2. C. eod. tt. cuius uerba uide §. repl. 3. Octaua replicatio est: Nisi uiuo testatore posthumus nascatur. Hæc replicatio reprobatur l. posthumi. 2. §. sed & si stante. ff. de iniusto test. cuius uerba uide §. repl. 1. dupl. 2. Concordat d.l. 3. §. 2. cuius uerba uide §. ead. except. in prin. Nona replicatio est: Nisi uiuo testatore posthumus & natus & mortuus sit. Hæc replicatio approbatur l. posthumus. 11. in prin. ff. de iniusto test. his uerbis:* Posthumus præteritus uiuo testatore natus, decesserit: licet iuris scrupulositate, nimiaq; subtilitate testamentũ ruptũ uideatur: attamen si signatum fuerit testamentũ, bonorum possessionem secũdum tabulas accipere hæres scriptus poterit, remq; obtinebit, ut Imperator noster & diuus Hadrianus rescripserũt. Idcirco legatarij & fideicommissarij habebũt ea quæ sibi relicta sunt securi. Idem & circa iniustum & irritum testamentum erit dicendum, si bonorũ possessio data fuerit ei qui rem ab intestato auferre possit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testatore apud hostes existente,*

existente, posthumus natus mortuus sit. quæ duplicatio approbatur l. qui ux. 15. ff. eod. tt. bis uerbis: Qui uxorem prægnantem habebat, in hostium potestatem peruenit. quæro, an nato filio, quo tempore testamentum in ciuitate factum rumpatur? Et si filius antè moriatur, quàm pater: quæro, an scripti hæredes hæreditatem habituri sint? Iabolenus respõdit: Non puto dubium esse, quin per legem Corneliam, quæ de confirmandis eorum testamentis, qui in hostium potestate decessissent, lata est: nato filio, continuò eius testamẽtum, qui in hostium potestate sit, rumpatur. Sequitur ergo, ut ex eo testamento hæreditas ad neminem pertineat. *Concordat l. bona eorũ. 22. §. fin. ff. de captiuis, hisce uerbis:* Si quis, cũ prægnantem uxorem haberet, in hostium potestatem peruenerit, natoq; deinde filio, & mortuo, ibi decesserit: eius testamẽtum nullum est. Quia & eorum qui in ciuitate remanserunt, hoc casu testamẽta rumpuntur. *Decima replicatio est: Nisi posthumus natus non sit in potestate testatoris. Hæc replicatio approbatur l. quod certatum. 3. in prin. C. de posthumis, cuius uerba uide §. repl. 7. Concordat l. quod dicitur. 12. ibi: si nascatur in potestate. ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide §. repl. 4. Concordat item l. si filius. f. 33. §. sed si filius familiãs. ff. de militari testam. cuius uerba uide §. repl. 12. Vndecima replicatio est: Nisi nepos uel pronepos posthumus natus habeat patrem adhuc antecedẽtem in potestate testatoris. Hæc replicatio approbatur d.l. 33. §. ac ne auo quidem suo. cuius uerba uide §. repl. proxim. Concordat l. quod certatum. 3. in prin. C. de posthumis. cuius uerba uide §. repl. 7. Duodecima replicatio est: Nisi militi testatori adgnatus sit posthumus. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §. cap. 15. except. 176. repl. 14. Planè propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi miles testamentum faciens, ignorauerit se posthumum habiturum: tunc enim adgnatione posthumi eius testamentum, quamuis militari iure factam, rumpitur. quæ duplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt d. repl. 14. duplic. 1. Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi miles de posthumo certior factus, nihilominus testamentum ualere uelit. quæ triplicatio approbatur simul & distinguitur l. si filius. f. 33 ff. de militari test. bis uerbis:* Si filius familiãs miles fecisset testamentum more militiq, deinde post mortem patris posthumus ei nasceretur: utiq; rumpitur eius testamentum. Verùm si perseueraſſet in ea uoluntate, ut uellet adhuc illud testamentum ualere, ualiturum illud quasi rursum aliud factum: si modò militaret adhuc eo tempore, quo nasceretur illi posthumus. Sed si filius familiãs miles fecisset testamẽtum, deinde postea uiuo eo, & adhuc auo quoque superstite, nasceretur ei posthumus, non rumpitur eius testamentum: quia cum id quod nasceretur, in potestatem eius non peruenireſt, non uidetur suus hæres adgnasci. Ac ne auo quidem suo hunc neporem posthumum, cùm uiuo filio nasceretur, suum hæredem protinus adgnasci: & ideo nec aui testamẽtum rumpi. Quoniam licet in potestate aui protinus esse inciperet: tamen antecederet eum filius. Secundum quæ, si filius familiãs miles testamentum fecerit, & omiserit posthumum per errorem, quem non uolebat exhæredatum: deinde posthumus post mortem aui, uiuo adhuc filio, id est, patre suo, natus fuerit: omnimodò rumpet illius testamentum. Sed si quidem pagano iam illo facto natus sit: nec conualescet ruptum. Si uerò militante adhuc natus fuerit, rumpetur: deinde si uoluerit ratum illud esse pater, conualescet sic, quasi denuò factum. Sed etsi uiuo auo nascatur posthumus: hic nõ rumpet continuò patris testamentum. Si supernixerit post mortẽ aui, uiuo adhuc patre: rumpet, quòd nouus illi nunc primùm hæres adgnascitur: ita tamen, ut nunquam possit duorum simul testamenta rumpere, & aui & patris. *Ait Iurisconsultus:* Sed si filius familiãs miles. *De hoc dictum supra repl. 10. Ait insuper:* Ac ne auo quidem suo, &c. *De hoc dictum §. replicat. prox. Concordat propositæ triplicationi §. d. repl. 14. dupl. 1. triplic. 1. Planè propositæ triplicationis quæ duplicatio hæc est: Nisi miles, cum militare desisset, testamentum ruptum rursus ualere uoluerit. quæ quæ duplicatiõ approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si modò militaret adhuc eo tempore, quo nasceretur illi posthumus. *Item hisce:* Sed si quidem pagano iam illo facto natus sit, nec conualescet ruptũ. *Decimatertia replicatio est: Nisi non testamentum, sed codicilli facti sint: hi enim adgnatione posthumi non rumpuntur. quæ replicatio approbatur ff. cap. 25. quæst. 4. except. 26. Hæc de 28. exceptione eiusq; replicationibus sint dicta: de qua re uide plura §. cap. 15.*

XXIX. *Exceptio: Nisi mortuo uel alia ratione patria potestate liberato filio testatoris, nepos ex eo in sui hæredis locum successerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §. cap. 15. except. 176. repl. 5. dupl. 1. Eius autem replicatio prima hæc est: Nisi filius, ex quo nepos auo succedit, patri testatori superuixerit. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §. d. replic. 5. in princip. Sed & distinguitur per ea quæ proposita sunt d. repl. 5. dupl. 2, 3 & 4. Altera replicatio est: Nisi nepos, qui auo testatori succedit, ab eo hæres institutus sit, uel exhæredatus. Hæc replicatio approbatur l. si quis. 6. §. succedendo itaq; ff. de iniusto test. bis uerbis:* Succedendo sui non rumpunt, si uel instituti fuerint, uel exhæredati ab eo gradu, ad quẽ hæreditas defertur, scilicet si gradus ille ualeat. Quocunq; autem modo parentes præcedentes in potestate esse desierint: succe-

dentes liberi, si fuerint instituti uel exhæredati, non rumpent testamentum, siue per captiuitatem, siue per mortem, uel pœnam. *Concordat l.filio.29.§.fin.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si Titius hæres institutus loco nepotis adoptetur: defuncto postea filio, qui pater uidebatur, nepotis successione non rumpitur testamentum ab eo qui hæres inuenitur. *Concordat item posterior pars legis Velleæ l.Gallus.29.§.sequente.ff.eod.tt.his uerbis:* Sequente parte succedentes in locum liberorum, non uult lex rumpere testamentum. Etita interpretandum est, ut etiamsi & filium, & nepotem, & pronepotem habeas: mortuis utrisque, pronepos institutus succedens in sui hæredis locum, non rumpat. Et bene uerba se habent, Si quis ex suis hæredibus suus hæres esse desierit: ad omnes casus pertinentia, quos supplendos in Galli Aquilij sententia diximus. Nec solùm si nepos uiuo patre decedat, non succedens pronepos auo mortuo rumpat: sed & si superuixerit patri, ac decedat: dummodò hæres institutus sit, aut exhæredatus. *Ait Iurisconsultus:* Diximus. *scilicet d.l.29.§.& quid si tantum. cuius uerba uide §.except.prox.replic.2.dupl.4. tripl.5. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi filius post mortem testatoris decesserit. quæ duplicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius triplicatio hæc est: Nisi auo testatore captus filius, post mortem testatoris apud hostes decesserit. Hæc triplicatio approbatur d.l.29.§.uidendum, his uerbis:* Videndum, num posteriore parte, Si quis ex suis hæredibus suus hæres esse desierit, liberi eius, & cæteri in locum suorum sui hæredes succedunto: posit interpretatione induci, ut si filium apud hostes habens, nepotem ex eo hæredem instituas, non tantùm si uiuo te filius decedat, sed etiam post mortem, antequam ab hostibus reuersus fuerit, succedendo non rumpat? nihil enim addidit, quo significaret tempus: nisi (quod audacter licet) possis dicere, uiuo patre hunc suum hæredem esse desijsse, licet post mortem decedat: quia nec redit, nec potest redire. *Altera duplicatio hæc esse uidetur: Nisi is qui in locum sui hæredis succedit, hæres institutus, tempore testamenti nondum fuit natus. Hæc duplicatio reprobatur d.l.29.§.ille casus. cuius uerba uide §. except.prox.repl.2. dupl.4.tripl.2.*

XXX. *Exceptio: Nisi mortuo auo, nepos in patris testatoris potestatem recidat. Hæc exceptio approbatur l.filius.28.§.filiusfamilias.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Filiusfamilias miles de castrensi peculio fecit testamentum, habens filium in eiusdem potestate. cum militare desijsset, patre eodémque auo defuncto, quæsitum est, an rumperetur eius testamentum? Non quidem adoptauit, nec hodie ei natus est filius, nec priore subducto de potestate suo hærede, ulterior successit in proximum locum: sed tamen in potestate sua habere cœpit, quem non habebat, simúlque paterfamilias factus est, & filius sub eius recidit potestate. Ergo rumpetur testamentum. Sed si hæres sit institutus, uel exhæredatus iste eius filius, non rumpetur: quia nullo circa eum nouo facto, sed ordine quodam naturali nactus est potestatem. *Concordat l.si filiusfamil.33.in fine.ff.de militari testam. cuius uerba uide §. except.28.replic.12. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nepos à patre suo hæres institutus sit, uel exhæredatus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed si hæres sit institutus, uel exhæredatus, &c. *Altera replicatio est: Nisi auus, filio testatore apud hostes captiuo existente, mortuus sit, posteáq; filius. quæ replicatio approbatur l.si filiusfam.39.ff.d.tt. cuius uerba uide §. capite 7.repl.2.dupl.4.*

XXXI. *Exceptio: Nisi testator filium postea adoptauerit. Hæc exceptio approbatur Instit.quibus modis testam.infir. in princip. his uerbis:* Testamentum iure factum usque eò ualet, donec rumpatur, irritúmue fiat. Rumpitur autem testamentum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius uiciatur. Si quis enim post factum testamentum adoptauerit sibi filium per Imperatorem, eum qui est sui iuris: aut per prætorem secundum nostram constitutionem, eum qui in potestate parentis fuerit: testamentum eius rumpitur, quasi adgnatione sui hæredis. *Concordat l.uerum est.8.in prim.ff.de iniusto testamento, his uerbis:* Verum est, adoptione uel adrogatione filij filiæúe testamentum rumpi, quoniam sui hæredis adgnatione solet rumpi. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi hæres institutus adrogetur. quæ replicatio approbatur l.si qui.18.ff.eod.tt. his uerbis:* Si qui hæres institutus est, à testatore adrogetur: potest dici, satis ei factum: quia & antequam adoptetur, institutio ut in extraneo locum habebat. *Concordat l.filio.23.§.fin.ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide §. except.29. replicat.2. Altera replicatio est: Nisi filius antea exhæredatus & emancipatus, rursus adoptetur. Hæc replicatio approbatur d.l.23.in prim. his uerbis:* Filio quem pater post emancipationem à se factam, iterum adrogauit, exhæredationem antè scriptam nocere, Papinianus dixit. Nam in omni ferè iure sic obseruari conuenit, ut ueri patris adoptiuus filius nunquam intelligatur, ne imagine naturæ ueritas adumbretur: uidelicet quòd non translatus, sed redditus

tus uideretur. Nec multum puto referre (quod ad propositum attinet) quòd loco nepotis filium exhæredatum pater adrogauit.

DE MVTATA TESTAtoris uoluntate, & testamento posteriore. Cap. XXI.

XXXII. *Exceptio:* Nisi *hæres institutus, postea rursus sit exhæredatus. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit per ea quæ dicentur §. except.prox. uerùm eius replicatio hæc est: Nisi in eodem testamento idem institutus, postea exhæredatus sit. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l.si certarum.17.§.si eodem.ff.de militari testament. his uerbis:* Si eodem testamento miles eundem hæredem, deinde exhæredem scripserit: adempta uidetur hæreditas, cum in paganorum testamento sola exhæredatione hæreditas adimi non possit. *Concordat l.1.§.& cum hæreditatis. ibi: quoniam hæreditas. ff.de bis quæ in testam.delentur. cuius uerba uide supra cap.20.except.72.repl.9. Concordat item l.si ita.23.§.regula.ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide § capite 11. except.98.repl.1. dupl.5. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi miles in testamento militari hæredem instituat, in eodem eum exhæredauerit. quæ duplicatio approbatur uerbis d.§.si eodem, iam propositis. Altera duplicatio est: Nisi generaliter quis hæres institutus, specialiter sit exhæredatus. quæ duplicatio approbatur l.cum in testamento.37.§.fin.ff. de hæredit.instit. his uerbis:* Qui tres filios habebat, & ita scripserat, Filij mei hæredes sunto, Publius filius meus exhæres esto: uideri potest prima parte duos duntaxat filios hæredes instituisse. *Tertia duplicatio est: Nisi ita hæres sit institutus, Titius, imò Seius hæres esto. quæ duplicatio approbatur l.si ita.45.in princip.ff. de hæred.instit. his uerbis:* Si ita scriptum fuerit, Titius, imò Seius hæres esto: Seium solum hæredem fore, Africanus respondit. Sed etsi ita, Titius hæres esto, imò Seius hæres esto: idem erit dicendum. *Planè exceptio proposita cum tam dictis suis duplicationibus solam institutionem hæredis, non totum testamentum infirmat.*

XXXIII. *Exceptio: Nisi testator aliud testamentum fecerit. Hæc exceptio approbatur Instit. quibus modis testam.infirmentur.§ posteriore, his uerbis:* Posteriore quoque testamento, quod iure perfectum est, superius rumpitur: nec interest, exiterit aliquis hæres ex eo, an non. hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideóque si quis aut noluerit hæres esse, aut uiuo testatore, aut post mortem eius, antequam hæreditatem adiret, decesserit: aut conditione, sub qua hæres institutus est, defectus sit: in his casibus paterfamiliàs intestatus moritur. Nã & prius testamentum non ualet, ruptum à posteriore: & posterius æquè nullas habet uires, cum ex eo nemo hæres exiterit. *Concordat l.1.ibi: aut rumpitur.ff.de iniusto testam. cuius uerba uide §. cap.6.in prin. Concordat item l.1.§. 1.ff.de bonorum possess.secund.tabul. his uerbis:* Non omnes tabulas Prætor sequitur hac parte edicti, sed supremas: hoc est, eas quæ nouissimæ ita sunt factæ, ut post eas nullæ factæ sint. supremæ enim hæ sunt, non quæ sub ipso tempore mortis factę sunt, sed post quas nullæ factę sunt, licet hæ ueteres sint. *Concordat item l.quod si.4.in fine.ff.de adimendis legatis, hisce uerbis:* Ambulatoria est uoluntas defuncti usque ad uitæ supremum exitum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi posterius testamentum non sit perfectum. Hæc replicatio approbatur uerbis d.§.posteriore, suprà propositis hisce:* Quod iure perfectum est, &c. *Concordat Institut.eod.tt.§.ex eo autem, his uerbis:* Ex eo solo non potest infirmari testamentum, quòd postea testator id noluerit ualere: usqueadeò, ut etsi quis post factum prius testamentum posterius facere cœperit, & aut mortalitate præuentus, aut quia eum eius rei pœnituit, id non perfecerit: diui Pertinacis oratione cautum sit, ne aliàs tabulæ priores iure factæ irritæ fiant, nisi sequentes iure ordinatæ & perfectæ fuerint: nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est. *Concordat l.hæredes.21.§.si quid post.ff. qui testam.facere possunt. cuius uerba uide §. cap.19. except.71. Item concordat l.2.ff.de iniusto testam. his uerbis:* Tunc prius testamentum rumpitur, cum posterius ritè perfectum est: nisi fortè posterius uel iure militari sit factum, &c. *Concordat l.in fraudem.15.§.1.ff.eod.tt. cuius uerba uide §. cap.18.in prin. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi dimissus à militia aliud testamentum fecit minus perfectum. quæ triplicatio approbatur l.eius militis.34.ff. de militari testam. his uerbis:* Militia missus intra annum testamentum facere cœpit, neq; perficere potuit: potest dici solutum ita esse testamentum, quod in militia fecit, si iuré militiæ fuit scriptum: alioqui si iure communi ualuit, non esse iure rescissum. Neć tamen circa militem eadem adhibebitur distinctio. Nam quocunque modo testamentum fecerit, nouissima uoluntate rescinditur: quoniam uoluntas quoque militis, testamentum est. *Huius triplicationis prima quæ duplicatio hæc est: Nisi iure militari prius testamentũ sit fa-*

sit factum. tunc enim, quamuis militia dimissus aliud fecerit minus perfectum, nihilominus prius est sublatum. quæ quadruplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce: Potest dici solutum ita esse testamentum, quod in militia fecit, si iure militiæ fuit scriptum. *Altera quadruplicatio est, quoad legata in priore testamento relicta. quæ quadruplicatio approbatur l.militis.36.§.penult.ff.de militari testam. his uerbis:* Veteranus moriens, testamentum iure communi tempore militiæ factum, irritum esse uoluit, & intestatus esse maluit. hæredum institutiones in eodem statu mansisse placuit: legata uerò petentes, exceptione doli mali secundum ius commune submoueri placuit: cuius exceptionis uires ex persona petentis æstimantur. Alioquin potior est in re pari causa possessoris. *Altera propositæ duplicationis triplicatio hæc esse uidetur: Nisi prius testamentum iure communi sit factum. quæ triplicatio reprobatur uerbis d.l.34.in fine,§.triplicat.prox. propositis hisce:* Nec tamen circa militem eadem adhibebitur distinctio, &c. *Tertia triplicatio est: Nisi miles, qui iure militiæ aliud fecit testamentum, post annum militiæ sit mortuus. quæ triplicatio reprobatur l.militis.36.§.fin.ff.de militari test. his uerbis:* Miles iure communi testatus, postea testamento iure militiæ super bonis omnibus facto, post annum militiæ uita decesserat. Prioris testaméti, quod ruptum esse constabat, non redintegrari uires constitit. *Hæc de prima duplicatione eiusq; triplicationibus sint dicta. Altera duplicatio est: Nisi in posteriore testamento hæredes scripti sint, qui etiam ab intestato hæredes esse possunt. tunc enim prius testamentum rumpitur, quamuis posterius minus solenniter sit factum. quæ duplicatio approbatur l.hac consultissima.21.§.si quis autem.C.de testamentis, hisce uerbis:* Si quis testamento iure perfecto, postea ad aliud uenerit testamentum: non aliàs quod antè factum est, testamentum infirmari decernimus, quàm si quod secundum facere testamentum testator instituit, iure fuerit consummatum: nisi fortè in priore testamento scriptis his qui ab intestato ad testatoris hæreditatem uel successionem uenire non poterant, in secunda uoluntate testator eos inscribere instituit, qui ab intestato ad eius hæreditatem uocantur. Eo enim casu, licet imperfecta uideatur scriptura posterior, infirmato priore testamento, secundam eius uoluntatem non quasi testamentum, sed quasi uoluntatem intestati ualere sancimus. In qua uoluntate quinque testium iuratorum depositiones sufficiunt. Quo non facto, ualebit primum testamentum, licet in eo scripti uideantur extranei. *Concordat l.2.ff.de inusto testamento. cuius uerba uide §. cad.replicat.in prin. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi in priore quoque ij qui ab intestato hæredes esse possunt, scripti sint. quæ triplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi fortè in priore testamento scriptis his qui ab intestato, &c. *Altera triplicatio est: Nisi posterius testamentum per quinque testes iuratos non probetur. quæ triplicatio approbatur uerbis suprà propositis hisce:* In qua uoluntate quinque testium iuratorum depositiones sufficiùt. Quo non facto, &c. *Tertia duplicatio est: Nisi imperator postea hæres nuncupatus dicatur. Hæc duplicatio reprobatur l.nolumus.20.C.de testamentis, hisce uerbis:* Nolumus conuelli deficientium scriptas iure ac solenniter uoluntates, dum quoddam morientis supremum, & non scriptum processisse confirmatur arbitrium, tanquam patrimonium suum ad nos deficiens maluerit pertinere. Omnibus etenim priuatis & militantibus interdicimus, ne huiusmodi perhibeant testimonia: & falsi crimine reos teneri præcipimus, si cum scriptæ iure ac solenniter deficientium extiterint uoluntates, non scriptum aliquid sub nostrorum nominum mentione falsò adstruere moliantur. Nemo itaque relictus hæres, uel legibus ad successionem uocatus, nostrum uel potentum nomen horrescat: nemo ferre testimonium in hunc modum, uel suscipere gestis uoces huiusmodi audeat, nostro uel etiam priuatorum potentum nomine. *Quarta duplicatio est: Nisi decem annos post prius factum testamentum testator uixerit. hoc enim casu per posterius etiam non perfectum rumpitur. quæ duplicatio approbatur l.sancimus.27.C.de testamentis. cuius uerba uide suprà cap.19.except.8. Quinta duplicatio est: Nisi pater inter liberos testatus, illud suum testamentum mutauerit. Hæc duplicatio reprobatur Nouell.c.107.§.& siquidem. cuius uerba uide §.cap.17.replic.1.duplic.4. Sexta duplicatio est: Nisi testator testamentum mutare prohibitus sit. Hæc duplicatio approbatur per ea quæ proponentur §. except.35. Septima duplicatio est: Nisi unius ex hæredibus uel eius qui substitutum habet, portio sit adempta uel interleta. hoc enim casu, quamuis aliud testamentum perfectum factum non sit, ualet tamen ademptio hæreditatis, sed saluo testamento. quæ duplicatio approbatur l.1.§.& cum hæreditatis. ff.de his quæ in testam.delentur. cuius uerba uide §. cap.10.except.72.replic.9. Octaua duplicatio est: Nisi testator signa turbauerit, uel testamenti tabulas inciderit. hoc enim casu, quamuis aliud perfectum non sit, nihilominus testamentum non ualet. de qua re uide suprà cap.19.except.24. Nona duplicatio est: Nisi quoad prælegata hæredi scripto in priore testamento relicta. Hæc enim nihilominus magis illi debentur, quamuis testamentum posterius perfectum non sit. Hæc duplicatio approbatur l.ex parte.22.ff.de adimendis legatis. cuius uerba uide §. Hæc de prima propositæ exceptionis replica-*

tione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Secunda replicatio est: Nisi posterius testamentum inuisum sit, ex quo hæres existere nõ possit. Hæc replicatio approbatur Instit. quibus modis testam. infir. §. posteriore. ibi: hoc enim solum. cuius uerba uide §. cad. except. in prin. Huius replicationis species sunt replicationes proximè sequentes, quemadmodum & præcedens. Sed & eius duplicationes sunt replicationes sequentes reprobatæ. Tertia replicatio est: Nisi in posteriore testamento is hæres institutus sit, cum quo non est testamenti factio. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l.cum quidam.11. ff.de his quæ ut indignis, hisce uerbis: Cum quidam scripsisset hæredes, quos instituere non poterat: quâuis institutio non ualeret, neque superius testamentum ruptum esset: hæredibus tamen ut indignis, qui non habuerunt supremam uoluntatem, abstulit iam pridem Senatus hæreditatem. Quod diuus Marcus in eius persona iudicauit, cuius nomẽ pacto testamento testator induxerat. Causam enim ad præfectos ærarij misit. Verùm ab eo legata relicta salua manserunt. De præceptionibus eidem datis uoluntatis erit quæstio, & legatum ei non denegabimus: nisi hoc euidenter testatorem uoluisse appareat. *Quarta replicatio est: Nisi in testamento posteriore testator, qui generare non potest, posthumos suos hæredes scripsit. Hæc replicatio reprobatur l.si quis.9.in prin.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si quis posthumos, quos per ætatem aut ualetudinem fortè habere non potest, hæredes instituit: superius testamentum rumpit: quòd natura magis in homine & generandi consuetudo spectanda est, quàm temporale uicium, aut ualetudo, propter quam abdicatur homo à generandi facultate. *Plura de replicatione proposita uide §. cap.11.except.36. Quinta replicatio est: Nisi in posteriore testamento testator seruum proprium hæredem instituerit, antea à priore domino cum libertate hæredem instituendum. Hæc replicatio reprobatur l.paver.22.ff.de hæredibus instituendis, hisce uerbis:* Pater filio impuberi seruum hæredem substituit, liberumque esse iussit: cum pupillus uendidit Titio: Titius eum iam primo testamento facto, in secundo testamento liberum hæredemque esse iussit: superius testamentum Titij ruptum est: quia is seruus ei hæres esse potest. Et ut superius testamentum rumpatur, sufficit ita posterius factum esse, ut aliquo casu potuerit ex eo hæres existere. Quod ad uim autem eius institutionis pertinet, ita se res habet: ut quâdiu pupillo ex ea substitutione hæres esse potest, ex Titij testamento libertatem hæreditatémque consequi non possit. si uerò pupillus in suam tutelam peruenerit: perinde ex Titij testamento liber hæresq; sit, ac si pupillo substitutus non fuisset. Sed si pupillo hæres extitit: propius est, ut Titio quoque (si uelit) hæres esse possit. *Sexta replicatio est: Nisi testator in posteriore testamento filium præterijt. Hæc replicatio approbatur l.si filius.7.ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide §. capite 15. except.176.replic.19. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi posthumus præteritus sit. hic enim siue nascatur, siue non nascatur, prius testamentum rumpit est. quæ duplicatio approbatur l.posthumi.2.§. sed etsi stante. ff. de iniusto testam. cuius uerba uide §. cap.prox.except.28.replic.1.duplic.2. Septima replicatio est: Nisi in posteriore testamento ex certis rebus hæres scriptus sit. Hæc replicatio reprobatur l.si quis. 29 ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Si quis priore facto testamento, posterius fecerit testamentum: etiamsi ex certis rebus in posteriores tabulas hæredes instituit: superius tamen testamentum sublatum est, ut diui quoque Seuerus & Antoninus rescripserunt: cuius constitutionis uerba retuli, cùm alia quoque præterea in constitutione expressa sint. Impp.Seuerus & Antoninus Cocceio Campano. Testamentum secundo loco factum, licet in eo certarum rerum hæres scriptus sit, perinde iure ualere, ac si rerum mentio facta non esset: sed & teneri hæredem scriptum, ut contentus sibi rebus datis, aut suppleta quarta ex lege Falcidia, hæreditatem restituat his, qui priore testamẽto scripti fuerant, propter inserta fideicommissi uerba, quibus ut ualeret prius testamentum, expressum est: dubitari non oportet. Et hoc ita intelligendum est, si non aliquid specialiter contrarium in secundo testamento fuerit scriptum. *Concordat ijsdem propè uerbis Instit. quibus mod. testam. infir. §. sed etsi quis. Octaua replicatio est: Nisi cum miles alium castrensium, alium cæterorum bonorum hæredem scripsisset, postea castrensium bonorum alios instituit hæredes. hoc enim casu, quod ad cæterorum bonorum hæredes attinet, prius testamentum ruptum non est. quæ replicatio approbatur l.militis.36.§.1.ff.de militari testam. his uerbis:* Miles castrensium bonorum & non castrensium diuersis hæredibus institutis, postea castrensium bonorum alios hæredes instituit. prioribus tabulis tantum abstulisse uidetur, quâtum in posteriores contulerit: nec uidetur mutare, etsi prioribus tabulis unus hæres scriptus fuisset. *Nona replicatio est: Nisi testator posteà non sibi, sed filio hæredem instituit. Hæc replicatio approbatur l.si quis.14.§.si suo.ff.de uulgari substitut. cuius uerba uide §. cap.14. except.158. Decima replicatio est: Nisi eodem tempore utrunque testamentum sit factum. Hæc replicatio approbatur l.1.§.sed etsi in duob.ff.de bonor.possess.secund.tabul. cuius uerba uide §.cap.10. except.67. Vndecima replicatio est: Nisi testator falsò putans, priore testamento scriptum hæredem*

hæredem deceſſiſſe, aliud fecit. Hæc replicatio approbatur l.ultim. ff.de hæred.inſtit. bis uerbis: Tactumeius Androſthenes Tactumeiam Magnã filiam Tactumeij Magni ex aſſe hæredem inſtituerat, eique patrem eius ſubſtituerat. Tactumeio Magno occiſo, & rumore perlato quaſi filia quoque eius mortua, mutauit teſtamentum, Nouiúmque Rufum hæredem inſtituit, hac præfatione: Quia hæredes, quos uolui mihi contingere, habere non potui, Nouius Rufus hæres eſto. Tactumeia magna ſupplicauit Impp. noſtros: & cognitione ſuſcepta (licet modus inſtitutionibus contineretur) quia tamen falſus rumor non ſolet obeſſe, ex uoluntate teſtatoris putauit Imperator ei ſubueniendum. Igitur pronunciauit hæreditatem ad Tactumeiam Magnam pertinere. Sed legata ex poſteriore teſtamento eam præſtare debere, perinde ac ſi in poſterioribus tabulis ipſa fuiſſet hæres ſcripta. *Concordat l.cum mater.28.ff.de inoff.teſtam. cuius uerba uide ſ. lib.31.cap.4.quæſt.2.except.17. Duodecima replicatio eſt: Niſi poſterius teſtamentum uacuum ſit. Hæc replicatio approbatur l.ſi binæ.11.ff.de iniuſto teſtam. bis uerbis:* Si binæ tabulæ proferantur, diuerſis temporibus factæ, unæ prius, alteræ poſtea, utræque tamen ſeptem teſtium ſignis ſignatæ, & apertæ poſteriores uacuæ inuentæ ſint: ſuperius teſtamentum non eſt ruptum, quia ſequens nullum eſt. *Decimatertia replicatio eſt: Niſi teſtator poſterius teſtamentum poſtea inciderit. Hæc replicatio approbatur l.qui ex liberis.11. ſ.teſtamento. ibi non ſecus ac ſi. ff. de bonor.poſſeſſ.ſecund.tabulas, cuius uerba uide ſuprà cap.19.except.3. replica.1.duplicat.1. Decimaquarta replicatio eſt: Niſi miles alio teſtamento facto, priore mori ſe uelle declarauerit. Hæc replicatio approbatur l.in fraudem.25.ſ.1. ff. de militari teſt. cuius uerba uide ſ. cap.18.in prin. Concordant etiam ea quæ habentur ſ.replic.prox.ſ.planè ſi miles. Decimaquinta replicatio eſt: Niſi teſtator in poſteriore teſtamento iuſſerit prius ualere. hoc enim caſu, quamuis ipſo iure ruptum ſit, ui tamen fideicommiſſi ualet. quæ replicatio approbatur l.poſthumus.12.ſ.fin.ff.de iniuſto teſtam. bis uerbis:* Si paganus qui habebat iam factum teſtamentum, aliud feciſſet, & in eo comprehendiſſet ſidei hæredis ſe committere, ut priores tabulæ ualerent: omnimodò prius teſtamentum ruptum eſt. Quo rupto, quæri poterit, an uice codicillorum id ualere debeat, cum & hæc uerba ſint fideicommiſſi? Et ſine dubio uniuerſa, quæ illic ſcripta ſunt, in cauſa fideicommiſſi erunt: non ſolùm legata & fideicommiſſa, ſed & libertates & hæredis inſtitutio. *Concordat l.ſi quis.29.in fine. ff. ad S. C.Trebell. cuius uerba uide ſ. replic.7. Concordat eiſdem uerbis inſt.quibus mod.infir.teſt.ſ.ſed etſi quis. Planè ſi miles, poſteriore facto teſtamento, prius nihilominus ualere uoluerit: etiam ipſo iure prius non erit ruptum per poſterius. quod approbatur l.quærebatur. 19.ff.de militari teſt. bis uerbis:* Quærebatur, ſi miles qui habebat iam factum teſtamentum, aliud feciſſet, & in eo comprehendiſſet, ſe fidei hæredis committere, ut priores tabulæ ualerent: quid iuris eſſet? Vlpianus dicebat: Militi licet plura teſtamenta facere. Sed ſiue ſemel fecerit, ſiue ſeparatim: utique ualebunt, ſi hoc ſpecialiter expreſſerit, nec ſuperius per inferius rumpetur: cum & ex parte hæredem inſtituere poſſit, hoc eſt, ex parte teſtatò, & ex parte inteſtatò decedere. Quinimò etſi codicillos antè fecerat, poterit eos per teſtamentum ſequens cauendo in poteſtatem inſtitutionis redigere, & efficere directam inſtitutionem, quæ erat precaria. Secundum hæc in propoſito referebat Vlpianus, ſi hoc animo fuerit miles, ut ualeret prius factum teſtamentum: id quod cauit, ualere oportere: ac per hoc effici, ut duo teſtamenta ſint. Sed in propoſito, cum fidei hæredis committatur, ut ualeat prius teſtamentum: apparet eum non ipſo iure ualere uoluiſſe, ſed magis per fideicommiſſum: id eſt, in cauſam fideicommiſſi & codicillorum uim prius teſtamentum conuertiſſe. Vtrum autem totum teſtamentum in eam cauſam conuerſum ſit, hoc eſt, & hæredis inſtitutio: an uerò legata tantùm & fideicommiſſa, & libertates, quæritur? Sed mihi uidetur non ſolùm cætera præter inſtitutionem hæredis, ſed & ipſam inſtitutionem in cauſam fideicommiſſi uertiſſe: niſi aliud teſtatorem ſcripſiſſe probetur. *Concordat l.Centurio.27.ff. eod.tt. bis uerbis:* Centurio ſecundo teſtamento poſthumos hæredes inſtituit, neque ſubſtitutos dedit: quibus non editis, ad ſuperius teſtamentum ſe redire teſtatus eſt. Cætera quæ in ſecundo teſtamento ſcripſit, irrita eſſe placuit: niſi nominatim ea confirmaſſet ad priorem uoluntatem reuerſus. *Concordat item l.miles.35.in fine. ff. eod.tt. cuius uerba uide ſuprà capite 18.in princip. Decimaſexta replicatio uidetur: Niſi conditio poſterioris inſtitutionis defecerit. Hæc replicatio reprobatur l.cum in.16.in prin. ff.de iniuſto teſtam. bis uerbis:* Cum in ſecundo teſtamento hæredem eũ qui uiuit inſtituimus, ſiue purè, ſiue ſub conditione: ſi tamen conditio exiſtere poterit, licet non extiterit, ſuperius teſtamẽtum erit ruptum. *Concordat Inſtit.quibus modis teſt.infir.ſ.poſteriore. ibi: aut conditione. cuius uerba uide ſ.ead.except.in prin. Planè admittitur replicatio propoſita, ſi conditio in præteritum uel præſens, non in futurum ſit concepta. quæ diſtinctio approbatur d.l.16. his uerbis:* Multum autem intereſt, qualis

qualis conditio poſita fuerit: nã aut in præteritum cõcepta ponitur, aut in præſens, aut in futurum. In præteritũ concepta ponitur: ueluti, Si Titius conſul fuit. Quæ conditio ſi uera eſt, ita eſt inſtitutus hæres, ut ſuperius teſtamentum rumpatur: tunc enim ex hoc hæres eſt. Si uerò Titius conſul nõ fuit, ſuperius teſtamentum non eſt ruptũ. Quòd ſi ad præſens tempus cõditio adſcripta eſt, hærede inſtituto: ueluti, Si Titius conſul eſt: eundem exitum habet, ut ſi ſit, poſſit hæres eſſe, & ſuperius teſtamentum rumpatur: ſi non ſit, nec poſſit hæres eſſe, nec ſuperius teſtamentum rumpatur. In futurum autem collatæ conditiones, ſi poſſibiles ſunt & exiſtere poterunt, efficiunt ut ſuperius teſtamentum rumpatur, etiamſi non exiterint. Si uerò impoſſibiles ſunt: ueluti, Si Titius digito cœlum tetigerit, hæres eſto: placet perinde eſſe, quaſi conditio, quæ eſt impoſſibilis, adſcripta non ſit. *Decimaſeptima replicatio eſt: Niſi ex poſteriore teſtamento adita hæreditas non ſit. Hæc replicatio reprobatur inſt.d.ſ.poſteriore. Concordat d.l.16. Decimaoctaua replicatio eſt: Niſi imperator in priore teſtamento hæres ſcriptus ſit. Hæc replicatio reprobatur l.ſi quis.6.C.qui teſt.facere poſſ.bis uerbis:* Si quis Imperatorem fortè hæredem inſtituerit: habeat mutandi iudicij facultatem, & quemcunque uoluerit ſecundum leges in teſtamento ſuo hęredem ſcribendi. *Hæc de 33.exceptione.*

XXXIIII. *Exceptio: Niſi teſtator teſtamentum ualere noluerit. Hæc exceptio ipſo quidem iure reprobatur, admittitur tamen certis quibuſdã caſibus. de qua re dictum ſ.except.prox.repl.1.*

XXXV. *Exceptio: Niſi teſtator teſtamentum mutare ſit prohibitus uel impeditus. Hæc exceptio approbatur l.ſi ſcriptus.19.ff.de his quib.ut indignis, biſce uerbis:* Si ſcriptis hæredibus ideo hęreditas ablata eſſet, quòd teſtator aliud teſtamentum mutata uoluntate facere uoluiſſet, & impeditus ab ipſis eſſet: ab uniuerſo iudicio prior receſsiſſe eum uideri, Paulus reſpondit. *Concordat l.2.C.ſi quis aliquem teſtari prohibuerit, bis uerbis:* Eos qui ne teſtamẽtum ordinaretur, impedimento fuiſſe monſtrantur, uelut indignas perſonas à ſucceſsionis compendio remoueri, celeberrimi iuris eſt. *Concordat item l.1.in prin.ff.eod.tt. bis uerbis:* Qui dum captat hęreditatem legitimam, uel ex teſtamento, prohibuit teſtamentarium introire, uolente eo facere teſtamẽtum, uel mutare: diuus Hadrianus conſtituit, denegari ei debere actiones: denegatisq; ei actionibus, fiſco locum fore. *Concordat item l.1.in princ.ff.eod.tt. bis uerbis:* Si quis dolo malo fecerit ut teſtes nõ ueniant, & per hoc deficiat facultas teſtamenti faciendi: denegandę ſunt actiones ei qui dolo fecit, ſiue legitimus hæres ſit, ſiue priore teſtamento ſcriptus. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi non ui nec dolo, ſed blandis uerbis quis offenſam teſtatoris placauit, ne teſtamentum mutaret. Hæc replicatio approbatur l.uirum.3.ff.ſi quis aliquem teſtari prohib. bis uerbis:* Virum qui non per uim nec dolum, quo minus uxor contra eum mutata uoluntate codicillos faceret, interceſſerat, ſed (ut fieri adſolet) offenſam ægræ mulieris maritali ſermone placauerat: in crimẽ non incidiſſe Papinianus reſpõdit, nec ei quod teſtamento fuerat datum, auferendum. *Concordat l.iudicium.3.C.eod.tt. cuius uerba uide ſ.cap.9.except.31. Altera replicatio eſt: Niſi non ab hærede ſcripto, ſed ab alio teſtator teſtamentum mutare ſit prohibitus uel impeditus. Hæc replicatio approbatur l.2.ſ.fratris. ff.d. tt.bis uerbis:* Fratris factum fratri non nocet. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi ſeruo uel filio hærede inſtituto, per dominum uel patrem ſtetit, quo minus teſtamentum mutaretur. Hæc duplicatio approbatur l.1.ſ.ſi dominus. ff.ſi quis aliquem teſtari prohib.bis uerbis:* Si dominus dolo fecerit, ne teſtamentũ mutaretur, in quo ſeruus eius ſcriptus erat: quamuis manumiſſus adierit hæreditatem, actiones ei denegantur: cum & liberis eius, ſi quid fuerit datum, denegari debeat, etſi non fuerint in poteſtate. Sed ſi legatum ei relictum ſit, idq; reſtituere ſit rogatus: conſequens erit dicere, admitti eum ad legatum, quod non ipſe habitutus eſſet, ſed ad alium ſit translaturus. *Concordat l.unica.ff.quib.non competit bonor.poſſeſſ.bis uerbis:* Seruo meo hærede inſtituto, dolo feci, ne teſtamentum mutaretur, cumq; poſtea manumiſi. quæſitum eſt, an actiones ei denegandæ eſſent? Iulianus reſpondit: Hic caſus uerbis edicti non continetur. Sed eſt æquum, ſi dominus dolo fecerit ne teſtamentum mutaretur, quo ſeruus eius hæres ſcriptus erat (quamuis manumiſſus adierit hæreditatẽ) ei denegari: cum etiam emancipato filio denegentur, ſi pater dolo fecerit, ne teſtamentum mutaretur. *Tertia replicatio uidetur: Niſi non ab uno, ſed plurib. teſtator ſit prohibitus. Hæc replicatio reprobatur l.1.ſ.fin. ff.ſi quis aliquem teſtari, bis uerbis:* Si plures hæredes inſtituti ſint, & omnes dolo fecerint, quo minus teſtamentum mutaretur: dicendum eſt, actiones omnib. denegari: quia omnes dolo fecerunt. *Quarta replicatio eſt: Niſi is qui teſtamentum mutare prohibuit, rogatus ſit hæreditatem, uel partem eius, aut rem aliquam alij reſtituere: hoc enim caſu fideicommiſſario qui nihil commiſit, exceptio propoſita nõ obſtat. quæ replicatio approbatur d.l.1.ſ.ſi dominus. ibi: ſed ſi legatum. cuius uerba uide ſ.repl.2. dupl.1. Concordat l.2.ſ.fin.ff.eod.tt. bis uerbis:* Si fidei eius, qui dolum admiſit, cõmiſſum eſt, ut hæreditatem reſtitueret: ea hęreditas caduca cum ſuis oneribus fiet: ut commodum legis Falcidiæ

fiscus sentiat, dodrantis autem fideicommissarius. *Ait iurisconsultus*: Vt commodum legis Falcidiæ fiscus sentiat. *Hic notandũ, quòd rupto per causam propositam testamento, non successioni ab intestato, sed fisco fit locus. Cui concordat d.l. 1.in prin. cuius uerba uide §. ead. except. in prin.*

QVIBVS EX TESTAmento competit hæreditas? Cap. XXII.

HActenus, *an ex testamento hæreditas competat, uarijs casibus per exceptiones propositis discussum est. Nunc reliquæ huiusmodi quæstiones discutiendæ, hoc est, Quibus ex testamento competat hæreditas? item, Quid quantumq; hæreditatis ex testamento cuiq; competat? Prioris igitur quæstionis regulæ sunt hæ.*

I. *Regula, De hæredibus hæredis instituti defuncti. His regulariter eadem hæreditas debetur, quæ debebatur defuncto. quæ regula approbatur l. si quis. 7. §. fin. ff. de adq. hæred. his uerbis*: In omni successione, qui eius hæres extitit, qui Titio hæres fuit, Titio quoq; hæres uidetur esse, nec potest Titij omittere hæreditatem. *Concordat l. uelut. 3. §. 1. ff. de petit. hæred. his uerbis*: Si Titio, qui Seio hæres extitit, nos hęredes facti sumus: sicuti Titij hæreditatem nostram intendere possumus, ita & Seij. *Concordat item l. ult. §. sed siquidem ipse. C. de hæred. instit. cuius uerba uide §. cap. 9. except. 54. repl. 1. dupl. 1.* Planè *regulæ propositæ exceptio prima hæc est: Nisi hæres institutus ante aditam hæreditatem decesserit. quæ exceptio approbatur l. item prætor. 8. §. fin. ff. de suis & legitimis hæredibus, his uerbis*: Si quis prægnantem, &c. *Concordat l. quoniam. 7. C. de iure delib. his uerbis*: Quoniam sororem tuam prius defunctam esse proponis, quàm cognosceret, an à fratre sibi aliquid hæreditatis fuisset relictum: manifestum atque euidens est, antequam pro hærede gereret, uel bonorũ possessionem admitteret, defunctam successionem eam non potuisse ad hęredes suos transmittere. *Concordat l. unica. §. in nouissimo. C. de caducis tollendis, hisce uerbis*: Hæreditatem, nisi fuerit adita, transmitti nec ueteres cõcedebant, nec nos patimur: exceptis uidelicet liberorum personis, de quib. Theodosiana lex super huiusmodi casibus introducta loquitur: ijs nihilominus, quæ super his personis, quæ deliberantes ab hac luce migrant, à nobis constituta sunt, in suo robore mansuris. *Concordat item d. l. unica. §. cum autem. cuius uerba uide §. lib. 32. cap. 13. quæst. 1. reg. 5. Concordat item l. 2. C. ad S.C. Orphic. cuius uerba uide §. cap. 24. reg. 1. in prin.* Propositæ *exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi liberi testatoris hæredes instituti, ante aditam hæreditatẽ decesserint: bi enim nihilominus hæreditatem ad suos hæredes trãsmittunt. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Exceptis uidelicet liberorum personis, &c. *Ait Imp.* De quibus Theodosiana lex. *Hæc lex habetur l. 1. C. de his qui ante apertas tabulas, his uerbis*: Per hanc sanctionem iubemus in posterum filios seu filias, nepotes aut neptes, pronepotes aut proneptes, à patre uel matre, auo uel auia, proauo uel proauia scriptos hæredes, licet non sint inuicem substituti, seu cum extraneis, seu soli sint instituti, & ante apertas tabulas defuncti, siue se nouerint scriptos hæredes, siue ignorauerint: in liberos suos, cuiuscunq; sexus sint uel gradus, derelictam sibi hæreditariam portionem posse transmittere, memoratasq; personas (si tamen hæreditatem non recusant) nulla huiusmodi præscriptione obstante, sibi tanquam debitam uindicare. Quod scilicet etiam super legatis seu fideicommissis à patre uel à matre, auo uel auia, proauo uel proauia derelictis, locum habet. Siquidem perindignũ est, fortuitas ob causas, uel casus humanos, nepotes aut neptes, pronepotes aut proneptes, auita uel proauita successione fraudari, aliosq; aduersus auitum uel proauitum desideriũ uel institutum insperato legati commodo uel hæreditatis gaudere. Habeant uerò solatiũ tristitiæ suę, quibus est meritò consulendũ. *Concordat l. 1. §. quòd si ante. ff. de collatione bonorum. cuius uerba uide §. lib. 30. cap. 4. quæst. 4. except. 1. repl. 1. duplic. 2. Concordat item l. si filius. 16. ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide §. dupl. 2. item concordat l. filius. 28. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 117. repl. 9. dupl. 1. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi filius hæres institutus, in potestate testatoris non fuit. hic enim non nisi adita hæreditate eam ad suos hæredes transmittit. quæ duplicatio approbatur l. si fratris. 3. C. de iure deliberandi, his uerbis*: Si fratris tui filius mortis tẽpore in patris sui fuit potestate, siue ex asse hæres institutus est, etiã clausis tabulis hæres potuit existere: siue ex parte, nihilominus statim suus ei hæres extitit: nec eapropter, quòd intra paucos dies mortis patris sui concesit in fatum, tu ad eiusdẽ fratris tui potes accedere successionem. Quòd si, cum sui iuris esset, ante aditã hæreditatem decesit, tuq; fratri tuo legitimus hæres extitisti, seu intra tempora edicto præfinita bonorum possessionem agnouisti: quæ facultatum hæreditariarum sunt, uel quæ ab alio iniuria detinentur, præsidis diligentia tibi restituẽtur. *Concordat l. emancipata. 4. C. qui ad bon. possess. his uerbis*: Emãcipata, si non agnouit intra annum Vnde liberi bonorum possessionẽ: nullam ad hæredes uindicationẽ successionis transmittere potuit. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi iure testamenti pendente, filius emancipatus & hæres institutus decesserit. Quæ triplicatio approbatur per ea quæ habentur §. repl. 3. Altera triplicatio hæc est:* Nisi

Nisi filius hæres institutus liberos suos, testatoris nepotes uel pronepotes, hæredes relinquat. hoc enim casu, quamuis emancipatus sit, & ante aditam hæreditatem decesserit: nihilominus ad suos hæredes hæreditatem transmittit. quæ triplicatio approbatur l. unica. C. de his qui ante apertas tabulas. cuius uerba uide paulò superius ead. replic. in prin. Altera duplicatio est: Nisi filius testatoris hæres institutus, substitutum habeat: tũc enim eo ante aditam hæreditatem mortuo, substitutus uocatur. quæ duplicatio approbatur l. si filius. 16. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis: Si filius hæres institutus sit omisso posthumo, filioq; substitutus nepos ex eo sit: si interim moriatur filius posthumo non nato, nepotem tam patri quàm auo suum hęredem futurũ. Quòd si nemo filio substitutus sit, & solus ipse institutus sit: tunc quia eo tempore quo is moriatur, certum esse incipit, neminem ex eo testamento hæredem fore: ipse filius intestato patri hæres existet: sicut euenire solet, cum sub ea conditione, quæ in ipsius potestate erit, filius hæres institutus, priusquam ei parẽret, moriatur. *Tertia duplicatio est: Nisi uno testatore filius hæres institutus decesserit. quæ duplicatio elicitur ex uerbis l. fratris. 3. C. de iure deliberandi, §. propositis hisce*: Si fratris tui filius mortis tempore in patris sui fuit potestate. Ergo *requiritur, ut filius tempore mortis testatoris adhuc uixerit: quo non facto, propositæ replicationi locus non est.* Planè *si una cum testatore filius perierit, præsumitur filius patri superuixisse. quod approbatur simul & distinguitur l. qui duos. 10. §. fin. ff. de rebus dubijs. cuius uerba uide §. lib. 7. cap. 9. reg. 13. except. 3. Hæc de prima replicatione, eiusq; duplicationibus sunt dicta. Altera replicatio est: Nisi intra tempus deliberandi hæres institutus decesserit. Hæc replicatio approbatur l. cum antiq. 19. C. de iure deliberandi, his uerbis*: Cùm antiquioribus legibus, & præcipuè in quæstionibus Iulij Pauli inuenimus, filios familiarum paternam hæreditatem deliberantes posse & in suam posteritatem hanc trãsmittere, & alijs quibusdam adiectis, quæ in huiusmodi personis præcipua sunt: eam deliberationem & in omnes successores, siue cognatos, siue extraneos, duximus esse protelandam. Ideoq; sancimus, si quis uel ex testamento, uel ab intestato uocatus, deliberationem meruit, uel hoc quidem non fecerit, non tamen successioni renunciauit, ut ex hac causa deliberare uideatur: sed nec aliquid gesserit, quod additionẽ, uel pro hærede gestionem inducat: prædictum arbitrium in successionem suam transmittat: ita tamen, ut unius anni spacio eadem transmisio fuerit conclusa. Et siquidem is qui sciens hęreditatem sibi esse ab intestato uel ex testamento delatam, deliberatione minimè petita, intra annale tempus decesserit: hoc ius ad suam successionem intra annale tempus extendat. Si enim ipse, postquam testamentum fuerit insinuatum, uel ab intestato, uel ex testamento, uel aliter ei cognitum sit hæredem uocatum fuisse, annali tempore trãslapso nihil fecerit, ex quo uel adeundam uel renunciandam hæreditatem manifestauerit: is cum successione sua ab huiusmodi beneficio excludatur. Sin autem instante annali tempore decesserit: reliquum tempus pro adeunda hæreditate suis successoribus sine aliqua dubietate relinquat. Quo completo, nec hæredibus eius alius regressus in hæreditatem habendam seruabitur. *Concordat l. unica. §. in nouissimo. ibi ijs nihilominus. C. de caducis tollendis. cuius uerba uide §. ead. except. in prin. Concordat item Nouell. c. 158. his uerbis*: Oblatæ nobis à Thecla, quæ & Manno appellatur, preces sunt, quæ declarant, Theclam quandam, &c. *Tertia replicatio est*: Nisi *iure testamenti pendente, hæres institutus, qui etiam ab intestato hæres esse potuit, decesserit. hic enim nihilominus hæreditatem ad suos hæredes transmittit. Hæc replicatio approbatur l. illud notandum. 4. §. fin. cum lege sequente. ff. de bonor. possess. contra tabulas, his uerbis*: Si quis eum qui in uetero est, prætermiserit: etiam nondum nato eo, alius qui hæres institutus est, bonorum possessionem contra tabulas admittere potest: quia iniquum est, neq; quasi scriptum posse petere bonorum possessionẽ, quamdiu contra tabulas peti potest: nec contra tabulas, quamdiu non nascitur præteritus, ut & si antè moriatur, bonorum possessionis beneficium ad hæredem transmittat. Quod maximè necessariũ est in filio emancipato scripto hærede, quia nec hæreditatem interim adire potest. Sed & si decesserit, antequam peteret bonorum possessionem: non est iniquum, Prætorem decernere, hæredibus eorum saluum fore commodum bonorum possessionis secundum tabulas, uel contra tabulas. *Concordat l. intestato. 3. §. est autem, in fine. ff. de suis & legitimis hered. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. except. 9. Item concordat l. uentre. 83. ff. de adqu. hæred. his uerbis*: Ventre præterito, si filius qui fuit emancipatus, aut exterus, hæres institutus sit: quamdiu rumpi testamẽtum potest, non defertur ex testamento hæreditas. Sed si uacuo uentre mulier fuerit, & incerto eo filius in familia retentus uita decesit: hæres fulsse intelligitur. Emancipatus uerò aut exterus non aliter possunt hæreditatem quærere, quàm si non esse prægnantem sciant. Ergo si uentre pleno sit mulier: nónne iniquum erit dicere, interea defunctum filium hæredi suo nihil relinquere? Et ideo decreto filio succurrendum est: quia siue frater ei nascatur, siue non nascatur: patri hæres futurus est.

hæreditatis, cuius hæres filiusfamiliás institutus est, usus fructus tantùm, non etiam proprietas patri competat. quæ exceptio approbatur l. cum oportet. 6. C. de bonis quæ liberis. cuius uerba cum alijs huc pertinentib. uide §. lib. 16. cap. 2. quæst. 1. post except. 15. Huius exceptionis replicatio hæc est: *Nisi filius hæreditatẽ adire recuset, pater agnoscat. quæ replicatio approbatur l. cum non. 8. in prin. usq; ad §. ubi autẽ uolunt. 15. C. eod. tit. his uerbis:* Cum non solùm in maternis rebus, quę filijs familiarum deferuntur, sed etiam de alijs omnibus quæ adquisitionem effugiunt (& maximè post nouellam nostri numinis legem, quæ omnia quæ extrinsecus ad filios familiarum perueniunt, & non ex paterna substantia sunt, non esse adquirenda patribus statuit, nisi tantummodò ad usumfructum) uariæ altercationes sint exortæ, & uarius euentus uariusque contineturtractatus, & semper in iudicijs uersantur: necesse est utiliter apertisimeq; omnia dirimere. Sancimus itaque, in omnibus rebus quæ effugiunt quidem dominij adquisitionem, sed usus fructus tantùm patri offertur, uel alijs parentibus à filio familiâs cuiuscunque gradus uel sexus, siue pater adire filiũfamiliâs integrę ætatis compellit, & ille reclamandum existimat: siue filius familiâs adire cupit, & pater in contrarium inclinat: liberam habere licentiam patrem & ipsum sibi adire hæreditatem recusante filio, & omne siue damnum, siue lucrum, in suam habere fortunam, nullo ex hoc præiudicio filio generando. Siue econtrariò patre recusante filius adire hæreditatem uoluerit, nullam adquisitionem nec usumfructum patri offerri, sed ipsum filium sibi imputare, si quid ex hoc contigerit: nulla actione neq; contra patrem danda, ubi aduersus eius uoluntatem filius hæreditatem, uel legatum, uel fideicommissum, uel aliud quidquam ex quocunque titulo siue donationis, siue contractus alterius sibi adquirere maluerit: neq; aduersus filium simili modo actione extendenda, ubi recusante eo sua pater authoritate hoc sibi uindicet, huiusmodi additionis tramite ex præsenti lege patri competente. sed habeat pater omnem licẽtiam & actiones mouere, & ab alijs pulsari, ubi ad eum totum commodum aduenit: & filius simili modo in agendo & pulsando solus habeat detrimentum & commodum: necessitate per officium iudicis patri imponenda tantummodò filio consentire uel agenti, uel fugienti, ne iudicium sine patris uoluntate uideatur consistere. Et hæc quidem, si plenæ ætatis filius est, qui paternam uoluntatem sequi non patitur. Sin autem in secunda ætate adhuc filius est, & hæreditate ei delata pater consentire adeunti hæreditatem noluerit, uel patre uolente ipse reclamauerit: siquidem recusauerit filius, licentiam damus patri simili modo hæreditatem adire, & eam pleno iure habere: his omnibus quæ superius diximus, locum habentibus. Sin autem patre recusante, filius adire maluerit: damus quidem licentiam ei hoc facere. nolente autem patre res filij gubernare propter causæ necessitatem: habeat facultatem filius adire competentem iudicem, & ab eo petere curatorem hæreditati dari, per quem gubernatio rerum in eum delatarum procedat: in utroq; casu in integrum restitutionis auxilio minimè ei denegando. Similiq; modo & in milite filiofamiliâs, qui recusauerit additionem hæreditatis, quæ ei ex castrensibus actionibus proueniat, patri danda licentia adire hæreditatem, ut ad ipsum perueniat pleno iure tam per usumfructum, quàm per dominiũ eandem hæreditatem possessurum, quasi ipse pater ab initio hæres fuisset institutus: eo uidelicet subiacente omnibus oneribus hæreditarijs, & omnia commoda habituro, & ad filium nullo periculo redundante. Et hæc quidem in his casibus obseruanda sunt, quibus discordia inter patrem & filium uertitur. Hactenus *replicatio proposita approbata est, cuius duplicatio hæc est: Nisi filius qui adire recusauit, postea in integrum sit restitutus. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* In utroq; casu in integrum restitutionis auxilio minimè ei denegando. *Plura de exceptione proposita eiusq; replicationibus uide (ut dixi) §. lib. 16. cap. 2. quæst. 1. post except. 15. Sed & plura de regula proposita eiusq; exceptionibus uide §. lib. 30. cap. 2. reg. 1. except. 6.*

III. *Regula: Seruo hærede instituto, domino eius debetur hæreditas.* Quæ *regula approbatur l. uoluti. 3. in prin. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. capite 1. quæst. 5. in prin. Concordant ea quæ proposita sunt §. lib. 21. cap. 2. reg. 1. & reg. 3. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi seruus tempore adeundæ hereditatis fuerit alienatus: tunc enim non ueteri, sed nouo domino debetur hæreditas. quæ exceptio approbatur l. 2. §. fin. ff. de bonor. possess. secundum tabulas, his uerbis:* Si seruus hæres scriptus sit, ei domino defertur bonorum possessio, ad quem hæreditas pertinebit. Ambulat enim cum domino bonorum possessio. Quare si mortis tempore Stichus hæres institutus, seruus fuit Sempronij, nec Sempronius eum iussit adire, sed uel decesit, uel etiam eum alienauit, & cœpit esse Septicij: euenit, ut si Septicius eum iusserit, Septicio deferatur bonorum possessio: ad hunc enim hæreditas pertinet. Vnde si per multos dominos transierit seruus, tres forte uel plures: nouissimo dabimus bonorum possessionem.

Concordat

Concordat Instit. de hæred. instit. §. alienus, his uerbis: Alienus seruus hæres institutus, si in eadem causa durauerit: iussu eius domini adire hæreditatem debet. Si uerò alienatus fuerit ab eo, aut uiuo testatore, aut post mortem eius, antequam adeat: debet iussu noui domini adire. *Huius exceptionis replicatio uidetur esse talis: Nisi seruus ab eo cui postea alienatur, hæres sit institutus. quæ replicatio reprobatur l. qui filio. 38. §. cum uenditor. ff. de hæred. instit. his uerbis:* Cum uenditor seruum ante traditionem ab emptore pro parte hæredem scriptum adire iubet, restituere cohæredi serui necesse habet: quia lucrum facere eius serui quem iure uendidit, non debet. Planè non totum quod adquisierit restituet, sed pro ea duntaxat parte qua seruus cohæredem habuerit, id est, partem dimidiam serui, & quartam hæreditatis. Marcellus lib. XXX. Digestor. notat: Imò id debet præstari, quod consequi uenditor non potuisset, si priusquam adierit seruus partem hæreditatis, distractus esset. Quod est uerum. *Altera exceptio est: Nisi seruus quem testator liberum putat, hæres sit institutus: & si hæres non esset, alius ei substitutus sit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §. cap. 13. except. 134. replic. 2. Tertia exceptio est: Nisi seruus à domino hæres sit institutus. tunc enim neque domino, neque eius hæredibus hæreditas competit, sed ipse seruus liber hæresq; efficitur. de qua re uide §. libro 19. cap. 4. causa 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi seruus à domino hæres institutus, postea ab eodem domino & testatore sit alienatus. tunc enim non seruo, sed nouo domino hæreditas competit. quæ replicatio approbatur Instit. de hæred. instit. §. seruus autem, his uerbis:* Seruus à domino suo hæres institutus, siquidem in eadem causa manserit: fit ex testamento liber, hæresq; ei necessarius. Si uerò à uiuo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio hereditatem adire potest: quia non fit hæres necessarius, cum utrunque ex domini testamento non consequatur. Quòd si alienatus fuerit, iussu noui domini adire hæreditatem debet, & ea ratione dominus per eum fit hæres. Nam ipse alienatus neque liber, neque hæres esse potest, etiamsi cum libertate hæres institutus fuerit: desitisse enim à libertatis datione dominus uidetur, qui eum alienauit. *Concordat l. qui filio. 38. §. si quis seruum. ff. de hæred. institut. his uerbis:* Si quis seruum suum liberum sub conditione hæredem purè scripsisset, eumq; uendidisset pendente conditione: iussu emptoris seruus adire hæreditatem potest: quia & constitit institutio, & est qui ius imperandi habet. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi cum seruus sub conditione liber & hæres purè institutus esset, postquam conditio libertatis defecit, fuerit alienatus: hoc enim casu nec seruo, nec nouo domino hæreditas competit. quæ duplicatio approbatur d. §. si quis seruum, his uerbis:* Quòd si post defectam conditionem alienatus fuisset, non potest iussu emptoris hæreditatem adire: quia eo tempore ad eum peruenisset, quo iam extincta institutio & inutilis fuerat. *Altera duplicatio est: Nisi usus fructus tantùm in seruo sit alienatus. quæ duplicatio approbatur l. quoties. 9. §. fin. in fine. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide §. lib. eod. cap. 11. except. 98. replic. 1. dupl. 2. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi seruus à tutore domini sit hæres institutus. tunc enim, quamuis tutor domini loco habeatur, tamen seruus neque liber, neque hæres efficitur, sed eius dominus pupillus. quæ replicatio approbatur l. si tutor. 3. C. de necessarijs hæredibus, his uerbis:* Si tutor ancillam tuam contubernio suo coniunxit, ac pòst hæredem instituit: neque dominium ex huiusmodi facto tibi auferri potuit, & ut eius additione iussu tuo tibi per hanc successio quæratur, iure concessam habes facultatem. *Quarta propositæ regulæ exceptio est: Nisi seruus ante aditam hæreditatem fuerit manumissus. tunc enim non ueteri domino, sed sibi adquirit hæreditatem. quæ exceptio approbatur Instit. de hæred. institut. §. alienus quoque, in fine, his uerbis:* Si manumissus est uiuo testatore, uel mortuo antequam adeat: suo arbitrio adire potest hæreditatem. *Huius replicatio prima hæc est: Nisi seruus municipij, uel alterius collegij hæres sit institutus. Hæc replicatio reprobatur l. si quis. 25. §. 1. ff. de adquir. hæred. cuius uerba uide §. cap. 11. except. ultim. Altera replicatio est: Nisi seruus duorum, hæres institutus, antequam manumitteretur, ab uno dominorum adire hæreditatem iussus sit. Hæc replicatio reprobatur l. seruus. 63. ff. eod. tit. cuius uerba uide §. capite 13. except. 134. replic. 1. duplic. 1. Planè hoc casu manumissus non nisi pro parte alterius domini iubentis, hæres efficitur: ut ex d. l. 63. constat. Tertia replicatio est: Nisi seruus ex una parte purè, ex altera sub conditione hæres institutus, unam partem iussu domini adierit. Hæc replicatio quoad reliquam partem reprobatur l. si solus. 79. §. item si seruus. ff. eod. tit. his uerbis:* Si seruus meus ex parte hæres institutus sit purè, ex parte sub conditione, dato scilicet cohærede, & iussu meo adierit, deinde eo manumisso, conditio alterius portionis extiterit: uerius est, non mihi esse adquisitam illam portionem, sed ipsum comitari. Omnia enim paria permanere debent in id tempus, quo alterius portionis conditio extet, ut adquiratur ei cui prior portio adquisita est. Ego quidem puto, etsi adhuc in potestate sit, iterum adeundum esse, si cõditio extiterit: & illud quod dicimus semel adeundum, in eiusdem persona locum habet, non cùm per alium adquirenda est hæreditas. *Quarta replicatio uidetur esse:* Nisi

seruus eius qui capere non potest, hæres institutus sit, & postea manumissus. Hæc replicatio reprobatur l. si seruus. 81. ff. de adqu. hæred. cuius uerba uide §. cap. 11. except. 102. replic. 3. Hæc de quarta exceptione eiusq; replicationibus. Quinta exceptio est: Nisi seruus hæres institutus sit sub hac conditione, Si liber fiat. hoc enim casu, quamdiu seruus manet, nec domini iussi adire potest: utputa conditione deficiente. liber autem factus, & ita conditione impleta, sibi adquirit: ut dictum §. except. prox. Sexta exceptio est: Nisi seruo fideicommissum sub conditione libertatis relictum sit, & purè substitutus. hoc enim casu fideicommissi cõditio in substitutione repetita uidetur: & ob id non domino, sed sibi ex substitutione seruus liber factus adquiret. quæ exceptio approbatur l. Latinus Largus. 85. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. lib. 32. cap. 9. causa 37. Septima exceptio est: Nisi cum statuliber hæres institutus esset, post conditionem libertatis existentem adeatur hæreditas. hoc enim casu non domino, sed sibi adquirit seruus hæreditatem. quæ exceptio approbatur ipso iure. Si autem ignorans iussu domini adiuit, non obligatur. quod approbatur l. qui putat. 73. §. qui bona. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide ĩ. lib. 30. cap. 2. reg. 1. except. 17. Octaua exceptio est: Nisi seruus dotalis hæres sit institutus: hoc enim casu, quamuis maritus dominus dotis dicatur, hæreditas tamen non marito debetur, sed uxori. quæ exceptio approbatur l. aditio. 45. in princ. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide §. lib. 15. cap. 8. reg. 6. Nona exceptio est: Nisi seruus cum alio sit communis. hoc enim casu non nisi pro parte uni ex dominis adquirit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. seruus. 66. ff. d. tt. his uerbis: Seruus communis ab extero hæres institutus, si iussu unius adierit hæreditatem: non pro maiore parte interim hæredem eum facit, quàm pro dominica: deinde cæteris socijs non iubentibus, tacito iure partes ei adcrescunt. *Concordat Instit. de hæred. instit. §. seruus autem, his uerbis:* Seruus plurium, cum quibus testamenti factio est, ab extraneo institutus hæres, unicuique dominorum, cuius iussu adierit, pro portione dominij adquirit hæreditatem. *Decima exceptio est: Nisi hæres institutus de conditione sua in iudicio contendat. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. cum aliquis. 22. C. de iure deliberandi, his uerbis:* Cum aliquis scripsit hæredem eum, qui de sua conditione ei qui dominium eius uindicabat, in iudicio aduersabatur: is autem qui dominum se esse dicebat, adire eum hæreditatem imperabat, ut adquisitio hæreditatis per eum celebraretur, indignatus est quasi domino parère ei: dubitatio ueteribus exorta est, si qua pœna imponitur huiusmodi insolentiæ. Veteres in multas retrahuntur sententias. Sed nos eorum discordiam sic esse decidendam censemus, ut distinctio subtilis causæ imponatur. Et si quidem ita scripta est institutio, Illum seruum illius hæredem instituo: quia apertissimum est, intuitu domini institutionem esse conscriptam, necesse est omnimodò per competentem iudicem eum compelli adire quidem hæreditatem, & eam adquirere: nulli autem ex pòst facto subijci grauamini, si liber pronuncietur: sed omne siue lucrum, siue damnum, ad eum redundare, qui in seruitutem eum trahebat, & denegari ei & aduersus eum omnes hæreditarias actiones, nullo ex hoc ei præiudicio generando. Sin autem quasi liber institutus est, nulla domini uel serui mentione in institutione habita: tunc nullo compelli modo eum adire hæreditatem, nec denegari ei liberale iudicium: sed & hæreditatem per suum ius decurrere, & liberale iudicium suam expectare sententiam, siue agente eo, siue pulsato: ut siquidem seruus pronuncietur, tunc domino suo hæreditatem adquirat: sin autem liber, eam adipiscatur, si adire maluerit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ita institutio facta sit, illum illius seruum hæredem instituo. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Et si quidem ita scripta est institutio, &c. *Altera replicatio est: Nisi postea seruus fuerit pronunciatus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vt si quidem seruus pronuncietur, &c. *Vndecima exceptio est: Nisi liber homo, qui alteri bona fide seruit, hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. si liber. 57. in princ. ff. de hæred. instit. his uerbis:* Si liber homo, cum tibi seruiret, hæres institutus, iussu tuo adijt: Trebatius ait, esse eum hæredem: Labeo, tunc non esse hæredem, si necessitate id fecit, non quòd alioquin uellet obligari. *Concordat l. homo liber. 54. in prin. ff. de adquir. rerum dominio. cuius uerba uide §. lib. 21. cap. 3. reg. 6. except. 1. replic. 4. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi iussu bonæ fidei possessoris, non sibi adquirendi animo hæreditatem adijt. quæ replicatio constat ex legibus iam allegatis. Altera replicatio est: Nisi propter bonæ fidei possessorem liber homo hæres sit institutus. quæ replicatio approbatur l. aditio. 45. §. fin. ff. de adquir. hæreditate, his uerbis:* Ne fructuarius quidem seruus iussu eius qui usumfructum in eo habet, adire hæreditatem poterit. Et quod à quibusdam respondetur, si liber homo, qui bona fide mihi seruiebat, propter me hæres institutus erit, posse eum iussu meo adire hæreditatem: potest uerum esse, ut intelligatur non opera sua mihi adquirere, sed ex re mea, sicut in stipulando & per traditionem accipiendo ex re mea mihi adquirit. *Plura de exceptione propositæ eiusq; replicationibus uide §. lib. 21. cap. 2. reg. 6. except. 1. item cap. 3. reg. 6. except. 1. Duodecima exceptio est: Nisi serui hæredis instituti ususfructus alterius sit. Hæc exceptio reprobatur*

reprobatur l. aditio. 45. §. fin. ff. de adq. hæreditate. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 2. Sed & de hac exceptione uide §. d. cap. 2. reg. 5. except. 1. Sed & de regula propositæ eiusq; exceptionibus uide ĩ. lib. 30. cap. 2. reg. 1. except. 6. repl. 1.

IIII. Regula, De socio bonorum. Si quæstus & compendij societas inita sit: uno ex socijs hærede instituto, alteri ex hæreditate nihil debetur. quæ regula approbatur d. l. 45. §. 1. ff. de adqu. hæred. his uerbis: Cum quæstus & compẽdij societas initur: quidquid ex operis suis socius adquisierit, in medium confert. Sibi autem quisq; hæreditatem adquirit.

V. Regula: Posthumo hærede instituto, ex quacunque uxore natus hæres erit. quæ regula approbatur l. ideoq;. 5. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis: Qui posthumum hæredem instituit, si post testamentum factum mutauit matrimonium, is institutus uidetur, qui ex posteriore matrimonio natus est. *Concordat l. placet. 4. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 11. except. 86.*

VI. Regula: Si is qui soluendo non est, plures seruos hæredes scripsit, tunc uti quisq; primus est scriptus, hæres erit. quæ regula approbatur l. qui soluendo. 58. ff. de hæred. instit. cuius uerba cum concordantibus uide §. lib. 19. cap. 5. except. 6. repl. 2. dupl. 2. tripl. 3.

VII. Regula: Si ita institutio sit facta, Titius, imò Seius hæres erit: solus Seius hæres erit. quæ regula approbatur l. si ita. 45. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 32. repl. 1. dupl. 3.

VIII. Regula: Si ita institutio facta sit, ille aut ille hæres esto: uterq; hæres erit. quæ regula approbatur l. eum quidam. 4. C. de uerb. significe. cuius uerba uide ĩ. lib. 33. cap. 1. quæst. 3. reg. 6. except. 1.

IX. Regula: Si ita hæredibus institutis, Titius & Seius, uter eorum uiuet, hæres esto: uterq; uiuat. tunc enim uterq; hæres erit. quæ regula approbatur l. Titius. 24. cum duab. ll. sequentibus. ff. de hæredibus instit. cuius uerba uide ĩ. lib. 33. cap. 1. quæst. 3. reg. 17.

X. Regula: Si captiui uel pauperes generaliter instituti sint hæredes, quibus tunc debeatur hæreditas, definitur per ea quæ proposita sunt §. capite 11. except. 90. replic. 4.

XI. Regula: Si ita institutio facta sit, Primus ex parte hæres esto. Si Primus hæres non erit, Secundus hæres esto. Tertius ex alia parte dimidia hæres esto. Si non erit, Quartus hæres esto. Primus & Tertius priore loco instituti habentur. quæ regula approbatur l. 2. §. si quis ita. ff. de bonorum possess. secundum tabulas, his uerbis: Si quis ita scripserit, Primus ex parte hæres esto. Si Primus hæres non erit, Secundus hæres esto. Tertius ex alia parte dimidia hæres esto. Si non erit, Quartus hæres esto. Primus & Tertius priores ad bonorum possessionem inuitantur.

XII. Regula: institutus & substitutus simul hæredes esse non possunt. quæ regula approbatur l. cum in. 37. in prin. ff. de hæred. instit. his uerbis: Cum in testamento ita scribitur, Si filius me uiuo mortuus fuerit, nepos ex eo post mortem meam natus, hæres esto: duo gradus hæredum sunt. Nullo enim casu uterque ad hæreditatem admittitur. Ex quo apparet, si nepoti Titius substitutus fuerit, & filius patri hæres extiterit: non posse Titiũ unà cum filio hæredem esse: quia non in primum, sed in secundum gradum substituitur.

XIII. Regula: Si quibusdam coniunctim, quibusdam separatim hæredibus institutis, postea omnes inuicem substituerit: uno ex coniunctis hærede non existente, soli coniuncti ex substitutione uocantur, non etiam alij separatim instituti. quæ regula approbatur l. cohæredi. 39. §. qui discretas. ff. de uulgari substit. his uerbis: Qui discretas portiones coniunctis plurib. separatim dedit, ac post omnem institutionis ordinẽ ita scripsit, Quos hæredes meos inuicem substituo: coniunctos primo loco uice mutua substituere uidetur. quibus institutionum partes non agnoscentibus, cæteros omnes cohæredes admitti.

XIIII. Regula: Si prius quidam ex hæredibus inuicem substituti sunt, deinde omnes hæredes inuicem substituti: specialiter substituti ex generali substitutione non admittuntur, cæteri hæredibus existentibus. quæ regula approbatur d. l. 39. §. qui patrem, his uerbis: Qui patrem & filium pro parte hæredes instituerat, & inuicem substituerat, reliquis cohæredibus datis: post completum assem ita scripsit, Hos omnes inuicem substituo: uoluntatis fuit quæstio, an commemoratione omnium patrem & filium substitutioni cohæredum immiscuisset, an eam scripturam ad cæteros tantùm transtulisset? Quod magis uerisimile uidetur, propter specialem inter patrem & filium substitutionem.

XV. Regula: Duobus hæredibus institutis substitutus ita, si uterq; hæres non extiterit, uel intra pubertatem decesserit, uel ei qui nouissimus mortuus fuerit: uno ex institutis hærede non existente, cohæredi potius quàm substituto eius portio defertur. quæ regula approbatur l. si pater. 23. ff. de uulgari substitut. & l. cum quidam. 10. C. de impuberum & alijs substit. quarum legum uerba uide §. cap. 13. except. 135.

XVI. Regula: Ita substitutione facta, Quisquis mihi hæres erit: solus ex testamento, non ab intestato hæres substitutus uidetur: nec is qui per alium hæres efficitur, ut dominus uel pater. quæ regula approbatur l. qui liberis. 8. §. hæc uerba. ff. de uulgari substit. cuius uerba uide §. cap. 13. except. 139. Concordat l. cùm filio. 3. ff. eod. tt. his uerbis: Cùm filio impuberi ita pater substituerit, Quisquis mihi hæres erit, idem filio impuberi hæres esto: placuit ad hanc substitutionem scriptos tantummodò admitti. Itaque dominus, cui per seruum hæreditatis portio quæsita fuit, ex substitutione impuberis hæres effici non poterit, si seruus ab eius exierit potestate.

Concordat

Concordat item Inſt. de pupillari ſubſtit. §. ſubſtituitur. cuius uerba uide §. cap. 14. except. 154.

XVII. *Regula: Ita ſubſtitutione facta, Quiſquis mihi hæres erit: non tam hæres inſtitutus, quàm qui ex inſtitutione hæres extitit, ſubſtitutus uidetur. quæ regula approbatur Inſtit. d. §. ſubſtituitur. Concordat l. qui plures. 21. in fine. ff. de uulgari ſubſtit. cuius uerba uide §. reg. 1. except. 1. replic. 9. dupl. 1. Concordat item l. ex duob. 32. §. 1. ff. d. tt. bis uerbis:* Filium impuberem & Titium hæredes inſtituit, Titio Mœuium ſubſtituit. Filio, quiſquis ſibi hæres eſſet ex ſupraſcriptis, ſubſtituit. Titius omiſit hæreditatem, Mæuius adijt. Mortuo deinde filio, putat Africanus, magis ei ſoli ex ſubſtitutione deferri pupilli hæreditatem, qui patris quoq; hæreditatem adierat. *Plures regulas de ſubſtitutione hac, Quiſquis mihi hæres erit: uide §. lib. 34. cap. 7. condit. 6.*

XVIII. *Regula: Duobus impuberi ſubſtitutis, uno ſi impubes intra decimum, altero ſi intra decimumquartum annum deceßiſſet: ſi impubes octo annorum deceſſerit, prior ſolus hæres erit. quæ regula approbatur l. ex facto. 41. §. item quæro. ff. de uulgari ſubſtit. his uerbis:* Quæro, ſi ita facta proponatur ſubſtitutio, Filius meus ſi intra decimum annum deceſſerit, Titius hæres eſto: ſi intra decimumquartum, Mæuius: filiusq; octo annorum deceſſerit, utrum Titius ſolus ex ſubſtitutione ei hæres erit, an & Mæuius: quia certum eſt, & intra decem, & intra quatuordecim annos filium deceſsiſſe? Paulus reſpondit: Omne quidem ſpacium, quod eſt intra pubertatem, liberum eſſe patri ad ſubſtituendum filio: ſed finis huius pubertas eſt. Magis autem eſt, in utroq; eorum tempus ſuum ſeparatim ſeruari: niſi contraria uoluntas teſtatoris apertè oſtendatur. *Concordat l. 2. §. ſi primus. ff. de bonorum poſſeß. ſecund. tabul. his uerbis:* Si primus quidem ita ſubſtitutus ſit, Si intra decem: ſecundus, Si poſt decem intra decimumquartum annum: ſi quidem intra decem deceſſerit, primus ſolus hæres erit, & accipiet bonorum poſſeſsionem. Si uerò poſt decem intra quatuordecim, ſecundus ſolus hæres erit, & accipiet bonorum poſſeſsionem: nec ſibi iungentur, cum ad ſuam quiſq; cauſam ſubſtitutus ſit.

XIX. *Regula: Procuratore hærede inſtituto, dominus per eum hæres non efficitur. quæ regula approbatur l. per procu. 89. in prin. ff. de adqu. hæred. his uerbis:* Per procuratorem hæreditate adquiri non poſſe, conſtat. *Concordat l. homo liber. 54. in prin. ff. de adq. rer. dominio. cuius uerba uide §. lib. 21. cap. 3. quæſt. 3. reg. 6. except. 1. repl. 4.*

QVID ET QVANTVM HAEreditatis cuiq; ex teſtamento competat? Cap. XXIII.

PRima regula, De hæreditate in partes diſtribuenda, proponitur inſtit. de hæredibus inſtit. §. hæreditas, *his uerbis:* Hæreditas plerunq; diuiditur in duodecim uncias, quę aſsis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia uſque ad aſſem hæc: Sextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptũx, bes, dodrás, dextans, deunx. Non autem utiq; ſemper duodecim uncias eſſe oportet. Nam tot unciæ aſſem efficiũt, quot teſtator uoluerit: & ſi unum tantùm quis ex ſemiſſe (uerbi gratia) hæredem ſcripſerit, totus as in ſemiſſe erit. Neq; enim idem ex parte teſtatus, & ex parte inteſtatus decedere poteſt: niſi ſit miles, cuius ſola uoluntas in teſtando ſpectatur. Et econtrariò poteſt quis in quotcunq; uoluerit plurimas uncias ſuam hæreditatem diuidere. *Concordat l. interdum. 13. §. 1. ff. de hæred. inſtit. his uerbis:* Paterfamiliàs diſtribuere hæreditatem in tot partes poteſt, quot uoluerit: ſed ſolemnis aſsis diſtributio in duodecim uncias ſit. *Item concordat l. ſeruum. 48. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Hæreditas plerunque diuiditur in duodecim uncias, quæ aſsis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia uſq; ad aſſem hæc: ſextãs, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes, dodrans, dextans, deunx.

II. *Regula: Nullis partibus nominatis, ex æquis partibus hæredes ſunt. quæ regula approbatur Inſt. de hæred. inſtit. §. ſi plures, his uerbis:* Si plures inſtituantur hæredes, ita demum in hoc caſu partiũ diſtributio neceſſaria eſt, ſi nolit teſtator eos ex æquis partibus hæredes eſſe. Satis enim conſtat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus eos hæredes eſſe. *Concordat l. quoties. 9. §. hæredes. ff. eod. tt. his uerbis:* Hæredes iuris ſucceſſores ſunt: & ſi plures inſtituantur, diuidi inter eos à teſtatore ius oportet. Quod ſi non fiat, omnes æqualiter hęredes ſunt. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi alij coniunctim, alij diſiunctim hæredes ſint inſtituti. hoc enim caſu non æquas habent partes. quæ exceptio approbatur l. ſi liber homo. 57. §. Titius. ff. de hæred. inſtit. his uerbis:* Titius hæres eſto, Seius & Mæuius hęredes ſunto: uerum eſt quod Proculo placet, duos ſemiſſes eſſe, quorum alter cõiunctim duobus datur. *Concordat l. idem ut Sabinus. 17. §. ſed ſi aſſe, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. 4. except. 1. Item concordat l. qui liberis. 8. §. Labeo quoq; ff. de uulgari ſubſtit. his uerbis:* Labeo ſcribit, Si pater filio. *Item concordat l. Attius. 11. ff. de hæred. inſtit. his uerbis:* Attius fundi Corneliani hæres eſto, duo Titij illius inſulæ hæredes ſunto: duo Titij ſemiſſem habebunt, Attius item ſemiſſem: idq; Proculo placet. Quid tibi uidetur? Iabolenus reſpondit: Vera eſt Proculi opinio. *Similem exceptionem, eiuſq; replicationes uide §. lib. 33. cap. 7. reg. 25. except. 4. Concordat l. ult. §. alia adplicata. C. de impub. & alijs ſubſtit. cuius*

cuius uerba uide §. reg. 14. except. 2. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi teſtator adiecerit, Aeque hæredes ſunto. quæ replicatio approbatur l. interdum. 13. in prin. ff. de hæredib. inſtit. his uerbis: Interdũ hæc adiectio, Æquè hęredes ſunto: teſtatoris uoluntatem exprimit: utputa, Primus & fratris mei filij æquè hæredes ſunto. Nam hæc adiectio declarat, omnes ex uirilibus partibus inſtitutos, ut & Labeo ſcripſit: qua detracta, ſemiſſem fratris filij, ſemiſſem Primus haberet. *Altera propoſitæ regulæ exceptio hæc eſt: Niſi diuerſarũ rerum hæredes ſint ſcripti. Quæ exceptio reprobatur l. ex facto. 35. ff. de hæredib. inſtit. cuius uerba uide §. cap. 12. except. 105. Concordat l. qui non. 76. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide d. except. 105. Item concordat l. Attius. 11. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. prox. Planè admittitur exceptio propoſita in teſtamento militis. quæ diſtinctio approbatur l. ſi certarum. 17. in princ. ff. de militari teſtam. his uerbis:* Si certarum rerum hæredes inſtituerit miles, ueluti alium urbanorum prędiorum, alium ruſticorum, alium cæterarum rerum: ualebit inſtitutio, perindeq; habebitur, atq; ſi ſine partibus hæredes eos inſtituiſſet, resque omnes ſuas per præceptionem cuiq; legando diſtribuiſſet.

III. *Regula: Partibus nominatis, pro ea parte quiſq; hæres erit, ex qua eſt inſtitutus. quæ regula approbatur l. 2. §. pro qua. ff. de bonor. poſſeß. ſecund. tabulas, his uerbis:* Pro qua quiſque parte hæres ſcriptus eſt, pro ea accipiet bonorum poſſeſsionem: ſic tamen, ut ſi non ſit qui ei concurrat, habeat ſolus poſſeſsionem. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi unus tantùm hæres ſit ſcriptus, hic enim, quamuis pro parte ſcriptus ſit, in ſolidum tamen hæres ſit. quæ exceptio approbatur uerbis iã propoſitis hiſce:* Sic tamen, &c. *Concordat l. uirilis. 145. ff. de uerb. ſignif. his uerbis:* Virilis appellatione interdum etiam totam hæreditatem contineri, dicendum eſt. *Concordat item Inſt. de hæred. inſtit. §. non autem utiq;, ibi: & ſi unum. cuius uerba uide §. reg. 1. Concordat item l. cohæredi. 39. §. fin. ff. de uulgari ſubſtit. cuius uerba uide §. cap. 13. except. 129. Concordat item l. filius. 28. §. fin. ff. de liberis & poſthumis. cuius uerba uide §. cap. prox. reg. 1. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi miles unum tantùm hæredem pro parte inſtituerit. quæ replicatio approbatur Inſtit. d. uerſ. & ſi unum. Concordant ea quæ propoſita ſunt §. cap. 18. dupl. 27. Altera replicatio eſt:* Niſi idem pro parte purè, pro parte ſub conditione hæres ſit inſtitutus. *Hæc replicatio reprobatur l. cum hæres. 52. §. fin. ff. de adqu. hæred. his uerbis:* Qui ex parte hæres inſtitutus eſt purè, ex parte ſub conditione ſolus: etiam pendente conditione, ſi adierit hæreditatem, ex aſſe hæres erit: quia ſolus hęres futurus eſt omnimodò, niſi habeat in cõditionalem partem ſubſtitutum. *Tertia replicatio eſt:* Niſi in reliquam partem *ſubſtitutum habeat. Approbatur uer-*

bis iam dictis. Secunda exceptio eſt: Niſi error in partibus adijciendis fuerit commiſſus. Hæc exceptio approbatur l. quoties. 9. in prin. ibi: ſed ſi non. ff. de hæred. inſtit. cuius uerba uide §. cap. 9. except. 54. replic. 2. Tertia exceptio eſt: Niſi ita inſtitutio ſit facta, Titius ex parte prima, Seius ex parte ſecũda, Mæuius ex parte tertia. quæ exceptio approbatur l. ſi quis. 14. ff. de hæred. inſtit. his uerbis: Si quis hæredes ita inſtituit, Titius ex parte prima, Seius ex parte ſecunda, Mæuius ex parte tertia, Sulpitius ex parte quarta hæredes ſunto: æquæ partes hæreditatis ad inſtitutos pertinebunt: quia teſtator appellatione numeri, ſcripturæ magis ordinem, quàm modum partibus impoſuiſſe uidetur. *Quarta exceptio eſt: Niſi non hæreditatis, ſed certæ alicuius rei partes ſint diſtributæ. hoc enim caſu nihilominus pro æquis partibus cenſentur eſſe hæredes. quæ exceptio approbatur l. quoties. 9. §. ſi duo. ff. de hæred. inſtit. cuius uerba uide §. cap. 12. except. 105. Concordat l. ſi alterius. 10. ff. eod. tt. cuius uerba uide d. except. 105. Concordat item l. ex facto. 35. in prin. ibi: erunt quidem. & §. unde. item §. cum hæc ita. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. d. except. 105. Quinta exceptio eſt: Niſi certa pars non ſit expreſſa. Hæc exceptio approbatur l. ſi ita. 45. §. fin. ff. de hæred. inſtit. his uerbis:* In teſtamento ita ſcriptum eſt: Lucius Titius ex duabus uncijs, Caius Attius ex parte una, Mæuius ex parte una, Seius ex partibus duabus hæredes mihi ſunto. conſulebatur quid iuris eſſet? Africanus reſpondit, Hanc ſcripturam illam interpretationẽ accipere poſſe, ut Lucius Titius duas uncias habeat, cæteri autem quaſi ſine partibus inſtituti, ex reliquo dextante hæredes ſint: quem dextantem ita diuidi oporteat, ut Seius quincuncem, Attius & Mæuius alterum quincuncem habeãt. *Concordat l. ſi quis. 36. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 12. except. 106. repl. 1. Concordant item ea quæ habentur §. reg. 7. Sexta exceptio eſt: Niſi inæqualibus partibus diſtributis, poſtea adijciantur hæc uerba: Quos ex diſparibus partibus hæredes inſtitui, æquè hæredes ſunto. Hæc exceptio approbatur l. ſi inæqu. 12. ff. de hæred. inſtitut. his uerbis:* Si inæqualibus partibus datis ita adijciatur, Quos ex diſparibus partibus hæredes inſtitui, æquè hæredes ſunto: exiſtimandum eſt exæquari eos, ſcilicet ſi hoc ante peractum teſtamentum ſcriptum ſit. *Septima exceptio eſt: Niſi expleto aſſe, aliquis ſine parte ſcriptus ſit. hoc enim caſu ſingulis aliquid ex ſua parte decedit. de qua §. reg. proxim. except. 1. Octaua exceptio eſt: Niſi aſſe expleto, aliquis ultrà ex parte ſit inſtitutus. de qua uide §. reg. 5. Nona exceptio eſt: Niſi non omnes partes ſint diſtributæ: hoc enim caſu partes uacantes accedunt. de qua §. reg. 6. Decima exceptio: Niſi poſtea aliqua pars uacare cœperit. de qua re uide §. cap. prox. Vndecima exceptio eſt: Niſi duobus ex diuerſis partibus inſtitutis ita: Vter Seiam duxerit, ex dodrante; qui non*

qui non duxerit,ex quadrante sit hæres. neuter duxerit.De hac uide ƒ.reg.9.

IIII.Regula: *Si in quorundam personis partes sint adiectæ,in quorundã uerò personis partes adiectæ non sint:tunc hi ex parte uacante sunt hæredes. quæ regula approbatur inst.de hæred.inst.ƒ.si plures.ibi:partibus, his uerbis*: Partibus in quorundam personis expressis,si quis alius sine parte nominatus erit, si quidem aliqua pars ab eo deerit, ex ea parte hæres sit. Et si plures sine parte scripti sunt: omnes in eandem partem concurrũt. Si uerò totus as completus sit: ij qui nominatim expressas partes habẽt,in dimidiam partem uocantur: & ille uel illi omnes in alteram dimidiam. *Sed plura de hac exceptione uide ƒ.reg.prox.* *Altera exceptio est*: *Nisi ex ea parte quæ uacat, alius quamuis inutiliter hæres fuit institutus:tunc enim is qui sine parte scriptus est, in eam partem tanquam uacantem non uocatur, sed in alterum assem. quæ exceptio approbatur l.quo loco.20.ƒ.1. ff.de hæredib.instit. his uerbis*: Si iam mortuo quadrans,alij dodrãs datus sit,& alius sine parte scriptus sit: Labeo ait,eum qui sine parte hæres institutus sit,alterum assem habiturum: & hanc mentem esse testantis.Quod & Iulianus probat, & uerum est. Quòd si uiuus & mortuus ex parte dimidia coniunctim hæredes instituti sunt,ex altera alius:æquas partes eos habituros ait: quia mortui pars pro non scripta habetur. *Tertia exceptio est*: *Nisi quis hæres scriptus non sit, sed alius ei quasi scripto sit substitutus. hoc enim casu qui scriptus non est,quasi sine parte scriptus non habetur,ut in uacantem partem uocetur.quæ exceptio approbatur l.ex facto.19.ff.de hæredib.instit. his uerbis*: Ex facto agitatum Pomponius & Arrianus referunt, si quis uacua parte relicta, ita instituisset, Si mihi Seius hæres non erit(quem non instituerat)Sempronius hæres esto:an hic Seius occupare posset uacantem portionem? Et Pegasus quidem existimat,ad eam partem admitti. Aristo contrà putat: quia huic pars esset data, quæ nulla esset. Quam sententiam & Iabolenus probat,& Pomponius,& Arrianus: & hoc iure utimur. *Quarta exceptio, sumpta ex loco, quo quis sine parte scriptus est,reprobatur l.quo loco.20.in prin.ff.d.tt.his uerbis*:Quo loco scribatur hæres sine parte, utrum primo, an medio, uel nouissimo,nihil interest. *Concordat l.qui non. 76. ƒ.penult.ff.eod.tt. his uerbis*: Nihil interest, quo loco sine portione quis hæres instituatur, quo magis asses residuum accepisse uideatur. *Concordat instit.eod.tt.ƒ.si uerò totus.ibi:nec interest. cuius uerba uide ƒ.ead.reg. in princ.*. *Quinta exceptio est*: *Nisi filia simpliciter hærede instituta, posthumi ex partibus adiiciantur hæredes. hoc enim casu filia non in uacantem partem uocatur, sed ex asse instituta censetur.quæ exceptio approbatur l.si ita.45. ƒ.1.ff.de hæred.instit.his uerbis*: Quidã testamento ita hæredes instituit: Titia filia mea hæres esto. Si quid liberorum me uiuo mortuóue nascetur, tunc qui uirilis sexus unus pluréue nascẽtur, ex parte dimidia & quarta: quæ fœminini sexus una pluréue natæ erunt, ex quarta parte mihi hæredes sunto. Posthumus ei natus est. Consulebatur, ex quota parte posthumus hæres esset? Africanus respondit,eam hæreditatem in septem partes distribuendã: ex his filiam quatuor, posthumum tres habiturum: quia filiæ totus as, posthumo dodrans datus esset: ut quartam portionẽ amplius filia quàm posthumus ferre debeat.Ideo si posthuma quoque nata esset, tantundem sola filia, quantum uterq; posthumorum habiturus esset. Itaq; in proposito,cũ as filiæ,dodrans posthumo sit datus:uiginti unam partes fieri,ut filia duodecim,nouem filius habeat.

V.Regula: *Asse expleto,si alius uel alij hæredes adijciantur: hi hæredes adiecti in alium assem, quem dupondium uocant,seu dimidiam hæreditatis partem uocantur. quæ regula approbatur l.item ut Sabinus.17.ƒ. sed si asse.ff.de hæredib.instit.his uerbis*: Si asse expleto, alium sine parte hæredem scripserit, is in alium assem ueniet:aliter atq; si ita scripsisset,expleto asse: Ex reliqua parte hæres esto. Quoniam, cum nihil reliquum sit, ex nulla parte hæres institutus est. Sed si expleto asse duo sine partibus scribantur: utrum in singulos asses isti duo, an in unum assem coniungantur,quæritur? Et putat Labeo,& uerius est,in unũ assem uenire. Nam si unus sine parte, duo coniunctim sine parte instituãtur: non tres trientes fieri, Celsus libro

libro XVI.scripsit,sed duos semisses. *Concordat l.Lucius.51.ff.eod.tt.his uerbis*: Lucius Titius, Seio & Sempronio ex semisibus hæredib. institutis, & cæteris exhæredatis, inuicem hæredes substituit: deinde legata & libertates dedit.Postea ita subiecit:Cornelius & Salustius & Varro æquis partibus hæredes sunto,quos inuicẽ substituo. Quæro,quantum uel priores duo ex semisibus instituti,uel posteriores habere debeant? Marcellus respõdit, in obscuro esse, Cornelium & Salustium & Varronem primo,an secundo, uel tertio gradu hæredes instituere uoluerit. Sed secundum scripturam testamenti, quæ proponeretur, alterum assem eis datũ uideri. *Item concordat l.qui non militabat.76.ƒ.fin. cum duabus legibus sequentibus. ff.eod.tt. his uerbis*: Seius Mæuium ex parte, quam per leges capere potuit,hæredẽ instituit,ex reliqua Titium. Si Mæuius solidum capere poterit, Titius adiectus aut substitutus hæres non erit. Quòd si non sit reliqui facta mentio: tantundem in altero asse habebit Titius, quantum Mæuius in primo. Quòd si Mæuius nullius capax sit,in totum substitutus admittitur. *Concordat item instit.eod.tt. ƒ.si uerò totus. cuius uerba uide ƒ.reg.prox.in prin. Concordat item l.ultim. ibi:nam qui sine.ff.de bonor.possess.secundum tabulas. cuius uerba uide ƒ.capite 22. except.106. Huius regulæ exceptio prima hæc est*:*Nisi asse expleto, alius uel alij ex certa parte,non sine parte hæredes sint scripti: tunc enim non in dimidiam hæreditatis partem uocantur, sed singulis primo loco scriptis aliquid decedit,& hæreditas diuiditur in tot partes,quot fecit testator. quæ exceptio approbatur l.interdum.13. ƒ.1. ibi: sed etsi excesserit,cum sequentibus. ff.de hæredibus instituendis.de qua re uide ƒ.reg.prox. Secunda exceptio est*: *Nisi ultra assem hæreditate distributa,alius sine parte hæres sit institutus. hic enim non in aliũ assem uenit, sed id quod ex dupondio deest,habebit. quæ exceptio approbatur l.Vitellius.18.ff.de hæredibus instit. his uerbis*: Vitellius Sabinus: Quæsitum est,si plus asse paterfamiliãs distribuisset, & aliquem sine parte fecisset hæredẽ: utrúmne is assem habiturus foret, an id duntaxat, quod ex dupondio deesset? Et hanc esse tolerabilissimam sententiam puto, ut eadem ratio in dupondio,omniq; re deinceps,quę in asse seruetur. Paulus: Eadem ratio est in secundo asse, quæ in primo. *Concordat l.ex uncijs.85.ff.eod.tt.his uerbis*: Ex uncijs sex primo hærede instituto,secundo ex octo,si tertius ex residua parte, uel nulla portionis facta mentione hæres instituatur: quinq; uncias hæreditatis tertius habebit. In uiginti quatuor etenim partes hæreditate distributa, tertio ratio calculi(ueluti ex decem partib. instituto)quinq; uncias adsignauit. *Concordat item instit.eod.tt.ƒ.& si plures,his uerbis*:Si plures unciæ quàm duodecim distributæ sint: is qui sine parte institutus est,quod dupondio deest, habebit. Idemq; erit, si dupondius expletus sit: quæ omnes partes ad assem postea reuocantur, quamuis sint plurium unciarum. *Tertia exceptio est*:*Nisi dupondio expleto,alius sine parte hæres scriptus sit. hic enim non in alium dupondium uocabitur,sed in trientem hæreditatis. quæ exceptio approbatur l.item ut.17. ƒ.fin. ff.de hæred.instit.his uerbis*:Quòd si quis dupondium distribuit, & tertium sine parte instituit: hic non in alium dupondium, sed in trientem uenit, ut Labeo libro quarto Posteriorum scripsit. Sed & Aristo & Paulus scripta Labeonis probauerunt,proq; probabilibus accepit Vlpianus,quæ ab eis notata non sunt. *Quarta exceptio est*: *Nisi asse expleto, alius ex reliqua parte hæres sit institutus. hic enim nihil habebit.quæ exceptio approbatur d.l.17.ƒ.sed si asse.ibi:aliter atq; cuius uerba uide ƒ.eadem reg.in prin. Concordat l.qui non.76. ƒ.fin. cum duabus legibus sequentibus.ff.eod.tit.cuius uerba uide ƒ.ead.reg.in prin. Concordant item ea quæ proposita sunt ƒ.cap.12. except.106. Huius exceptionis replicatio hæc est*: *Nisi ultra assem hæreditate distributa, alius postea ex reliqua parte hæres sit institutus: hic enim id quod ex dupondio deest, habebit. quæ replicatio approbatur l.ex uncijs.85.ff.eod.tit.cuius uerba uide ƒ.excep.2. Quinta exceptio uidetur esse*: *Nisi asse expleto, pars eius in aliquo hærede defecerit. hoc enim casu uidetur is, quę sine parte hæres scriptus est, in eam partem uocandus. Sed exceptio hæc reprobatur l.quo loco. 20. ƒ.1. ff.de hæred.instit.cuius uerba uide ƒ.reg.prox.except.2.*

VI.Regula: *Asse expleto, si alius postea ex certa parte hæres institutus sit, singulis primo loco scriptis aliquid decedit, & hæreditas in tot uncias dinidenda, quot fecit testator. quæ regula approbatur l.interdum. 13.ƒ.sed & si excesserit, cum sequentibus. ff.de hæred. instit.his uerbis*: Si excesserit in diuisione duodecim uncias testator,æquè pro rata decrescet: utputa,me ex duodecim uncijs hæredem,te ex sex scripsit. Ego hæreditatis habebo bessem,tu triẽtem. Sed si duos ex asse hæredes scripserit,alios duos ex duodecim uncijs: an æquè distributio fiat, apud Labeonem libro quarto Posteriorum quæritur? Et putat Labeo, & illos ex semisse,& hos qui ex duodecim uncijs scripti sunt,ex semisse hæredes fore. Cui sententiæ adsentiendum puto. Sed & si duos hæredes ex asse instituerit, tertium autem ex dimidia & sexta: eodem libro Labeo ait, in uiginti uncias assem diuidendum, octoq; laturum ex dimidia & sexta scriptũ,illos duos duodecim. Apud eundẽ refertur,Titius ex parte tertia,deinde asse expleto,idem ex parte sexta:in quatuordecim uncias hereditatem diuidendam, Trebatius ait. *Concordat l.cum quæstio.23. ƒ.cum enim manifestum.C.de legatis. cuius*

uerba uide ȝ.lib.33.cap.7.reg.25.except.7. Concordat item l.militis.36.in prin.ff.de militari testam.his uerbis: Militis codicillis ad testamentum factis, etiam hæreditas iure uidebitur dari. Quare si partem dimidiam hæreditatis codicillis dederit, testamento scriptus ex asse hæres partem dimidiam habebit. Legata autem testamento data cõmuniter debentur. *Concordat item Instit.de hæred.inst. §.uideamus. ibi: & ex diuerso. cuius uerba uide ȝ. reg.9. Item concordat l.si ita.45.§.1.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide §.reg.4. except.5. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi asse expleto, postea alius ex reliqua parte sit institutus. hoc enim casu ex asse scriptis hæredibus nihil decedit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per eã quæ proposita sunt §.reg.prox.except.4. Secunda exceptio uidetur esse: Nisi expleto asse, alius ita sit institutus, Qua ex parte mihi socius est in uectigali salinarum, pro ea parte mihi hæres esto. Hæc exceptio reprobatur l.si liber homo.57. §.1. ff.de hæred. instit. his uerbis:* Si quis ita hæredem instituerit, Titius qua ex parte mihi socius est in uectigali salinarum, pro ea parte mihi hæres esto. Quidam putant, si asse descripto id adiectum sit, ut maximè socius fuerit, Titium non esse hæredem: sed si qua pars uacua relicta fuerit, ex ea hæredem eum esse. Quod totum & ineptum & uiciosum est. Quid enim ȝetat, asse descripto utiliter Titium ex parte fortè quarta, ex qua socius erat, hæredem institutum esse? *Tertia exceptio est:* Nisi Titio ex dimidia, & Seio ex dimidia parte hæredibus institutis, ita adiecerit: Ex qua parte Seium institui, ex eadem parte Sempronius hæres esto. *hoc enim casu Titio nihil decedit, nec ultra assem hæreditas diuiditur, sed Sempronius & Seius in eandem partem concurrunt. quæ exceptio approbatur l.Iulianus.15.in prin.ff.de hæredibus instit.his uerbis:* Iulianus lib. XXX. refert, Si quis ita hæredes scripserit: Titius ex parte dimidia hæres esto, Seius ex parte dimidia. Ex qua parte Seium instituit, ex eadem parte Sempronius hæres esto. dubitari posse, utrum in tres semisses diuidere uoluerit hæreditatem, an uerò in unum semissem Seium & Sẽpronium coniungere? Quod est uerius. Et ideo coniunctim eos uideri institutos. Sic fiet, ut Titius semissem, hi duo quadrantes ferant. *Concordat l.triplici modo.142. §.fin. ff.de uerborum significat. his uerbis:* Lucius Titius ex parte dimidia hæres esto: Seius ex parte qua Lucium Titium hæredem instituit, hæres esto: Sempronius ex parte dimidia hæres esto. Iulianus dubitari posse ait, tres semisses facti sint, an Titius in eundem semissem cum Caio Seio institutus sit? Sed eo quòd Sempronius quoq; ex parte dimidia scriptus est, uerisimilius esse in eundem semissem duos coactos, & coniunctim hæredes scriptos esse.

Quarta exceptio est: Nisi duobus ex asse hæredibus institutis, tertius alterutri eorum in certa parte sit substitutus. hoc enim casu institutis nihil decedit, nec in plures quàm duodecim uncias hæreditas diuiditur. Cuius exceptionis replicatio hæc est: Nisi substitutus ex maiore parte, quàm is cui substitutus est, scriptus sit. hoc enim casu, eo ex substitutione adeunte, ultra assem fit distributio. quæ replicatio approbatur d.l.15. §.fin.cum lege sequente, his uerbis: Iulianus libro XXX. scripsit, si primus ex semisse, secundus ex semisse: si primus hæres non erit, tertius ex dodrante substitutus sit: facti quidem quæstionem esse: uerùm rectè dici, si quidem primus adierit, æquales partes habituros. Si repudiauerit, quindecim partes futuras: ex quibus nouem quidem laturus sit tertius, sex secundus. Nam tertium & instituti & substituti personam sustinere, & in tres partes institutum uideri, in sex substitutum. *Concordat l.quoties.9.§.si quis primum. ff.eod.tit.his uerbis:* Si quis primum ex triente, secundum ex triente hæredem instituerit: & si secundus hæres non erit, tertium ex besse hæredem scribat: hic secundo repudiante, bessem habebit non solùm iure substitutionis, sed etiam institutionis: id est, trientem iure substitutionis, trientem iure institutionis.

VII. *Regula: Si uno ex certa parte, puta ex quadrante, hærede instituto, alij ex æquis uel duabus partibus hæredes sint instituti: perinde est, ac si hi sine parte instituti essent. Ideoq; in uacantem partem ueniunt. quæ regula approbatur l.qui non.76.§.filijs.ff. de hæredibus instit. his uerbis:* Filijs hæredibus ex æquis partibus institutis, ac postea fratris filio ex duabus uncijs: unum assem inter omnes uideri factum placuit, & ex eo decem uncias filios accepisse. tunc enim ex altero asse portionem intelligi relictã, cùm asse nominatim dato, uel duodecim uncijs distributis, residua portio non inuenitur. *Concordat l.si ita.45.§.fin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.1.except.5.*

VIII. *Regula: Si uno ex certa parte, puta ex quadrante, hærede instituto, alij ex duabus partibus sint instituti: as in dodrantem erit diuidendus. quæ regula approbatur d.l.76.§.Lucio. ff.de hæred.instit.his uerbis:* Lucio Titio ex duabus partibus, Publio Mæuio ex quadrante scriptis hæredibus: assem in dodrantem esse diuisum, Papinianus respondit. Modum enim duarum partium ex quadrante declarari. Quod ueteres, numis Titio legatis, numorum specie non demonstrata, cæterorum legatorũ contemplatione receperunt.

IX. *Regula: Si pluribus ex certa parte hæredibus institutis, aliqua pars ex esse uacat: hæc pars uacans singulis pro hæreditaria parte accedit. quæ regula approbatur Instit. de hæredibus instit. §. uideamus, his uerbis:*

Videamus, si pars aliqua uacet, nec tamen quisquam sine parte sit hæres institutus, quid iuris sit? ueluti si tres ex quartis partibus hæredes scripti sunt. Et constat, uacantem partem singulis tacitè pro hæreditaria parte accedere, ac perinde haberi, ac si ex tertijs partibus hæredes scripti essent. Et ex diuerso, si plures hæredes scripti in portionibus sint, tacitè singulis decrescere: ut si (uerbi gratia) quatuor ex tertijs partibus hæredes scripti sint, perinde habeantur, ac si unusquisq; ex quarta parte hæres scriptus fuisset. *Concordat l.interdum.13. §.1.ff.eod.tt.his uerbis:* Si minus distribuit, potestate iuris in hæc reuoluitur: utputa si duos hæredes ex quadrante scripserit. Nam hæreditas eius residua accedit, ut ex semissibus uideantur scripti. Sed & si alter ex quadrante, alter ex semisse hæredes scripti sunt: qui accedit quadrans, pro partibus hæreditarijs eis adcrescit. *Item concordat l.si ita.8. in princ. ff.de bonorum possess. secundum tabulas, his uerbis:* Si ita scriptum sit, Sempronius ex parte dimidia hæres esto. Titius, si nauis ex Asia uenerit, ex parte tertia hæres esto. Idem Titius, si nauis ex Asia non uenerit, ex parte sexta hæres esto. Titius non ex duabus partibus hæres scriptus, sed ipse sibi substitutus intelligi debet. Ideoque non ex maiore parte, quàm tertia, scriptus uidetur. Secundum hanc rationem (cum sextans uacuus relinquatur) bonorum possessionem Titius accipiet, non solùm tertiæ partis, sed eius quoque quę ex sextante eidem adcrescit.

X. *Regula: Si, cum ita institutio facta esset: Si mihi filius natus fuerit, ex besse, & uxor ex reliqua parte hæres esto. Si uerò filia mihi nata fuerit, ex triente, & uxor ex reliqua parte hæres esto. filius & filia nascantur: as in septem partes distribuendus, ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat. quæ regula approbatur l.si ita.13.in prin.ff.liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si ita scriptum sit: Si mihi filius natus fuerit, ex besse hæres esto, ex reliqua parte uxor mea hæres esto. Si uerò mihi filia nata fuerit, ex triente hæres esto, ex reliqua parte uxor hæres esto. & filius & filia nati essent: dicendum est, assem distribuendum in septem partes: ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat. Ita enim secundum uoluntatem testatoris filius altero tanto amplius habebit, quàm uxor: item uxor altero tanto amplius habebit, quàm filia. Licet enim subtili iuris regulæ conueniat ruptum fieri testamentum: attamen cum & utroque nato testator uoluerit uxorem aliquid habere, ideo ad huiusmodi sententiam, humanitate suggerente, decursum est. quod etiam lu bentio Celso apertissimè placuit. *Concordat l.si ita.45.§.1. ff.de hæred.instit. cuius uerba uide §. reg.4.except.5.*

XI. *Regula, De posthumis hæredibus pro parte institutis, proponitur l.Clemens.79.in princ. ff.de hæred.instit. his uerbis:* Clemens patronus testamento cauerat, ut si sibi natus filius fuisset, hæres esset: si duo filij, ex æquis partibus hæredes essent: & si duæ filiæ, similiter: si filius & filia, filio duas partes, filiæ tertiam dederat. Duobus filijs & filia natis, quærebatur quemadmodum in proposita specie partes faciemus? Cum filij debeant pares esse, uel etiam singuli duplo plus quàm soror accipere: quinque partes fieri oportet, ut ex his binas masculi, unam fœmina accipiat.

XII. *Regula: Titio & Seio ita hæredibus institutis: Vter ex ijs Seiam uxorem duxerit, ex dodrante: qui non duxerit, ex quadrante hæres esto. si neuter duxerit, nec per eos stet, quo minus ducant: ambo in æquales partes admittuntur. quæ regula approbatur l.2. §.si quis ita.ff.de bonor.possess.secund.tabulas, his uerbis:* Si quis ita instituerit hæredes: Vter ex fratribus meis Seiam uxorem duxerit, ex dodrante mihi hæres esto: uter non duxerit, ex quadrante hæres esto. siquidem mortua fuerit Seia, æquas partes habituros hæredes constat. Quòd si ab altero uxor ducta fuerit, dodrantem & quadrantem eis competere: bonorũ autem possessionem, antequam existat conditio, neutrum petere. *Concordat l.uter.23.cum lege sequente. ff.de condit.instit. cuius uerba uide ȝ.lib.34.cap.6.except.20.in prin.item repl.2.dupl.1.item repl.4.*

XIII. *Regula: Titio & posthumis pro uirilibus partibus hæredibus institutis, quantum Titio muliere adhuc prægnante debeatur, uide ȝ.lib.30.cap.2.reg.4.*

XIIII. *Regula: Si instituti hæredes inuicem substituti sunt, eæ in substitutione partes datæ uidentur, quæ in institutione. Hæc regula approbatur Instit. de uulgari substit. §. & si ex dispar. his uerbis:* Si ex disparibus partibus hæredes scriptos inuicem substituerit, & nullam mentionem in substitutione partium habuerit: eas uideri in substitutione partes dedisse, quas institutione expressit. Et ita diuus Pius rescripsit. *Concordat Instit. de pupill.substit. §.substituitur, in fine. cuius uerba uide §.cap.14. except.154. Concordat item l.si in testam.5.ff.de uulgari substit.his uerbis:* Si in testamento hæredes scripti ita alicui substituti fuerint, ut si is hæres non esset, quisquis sibi hæres esset, is in partem quoq; deficientis esset hæres: pro qua parte quisq; hæres extitisset, pro ea parte eum in portionem quoq; deficientis uocari placet: neque interesse, iure institutionis quisque ex maiore parte hæres factus esset, an uerò per legem alteram alicuius partem

uindicaſſet. *Concordat item l.qui liberis.8. §.hæc uerba. ibi: partes. ff.eod.tt. his uerbis*: Partes eædem ad ſubſtitutos pertinent, quas in ipſius patrisfamiliâs habuerunt hæreditate. *Concordat item d.l.8.§.ſed ſi plures. cuius uerba uide §.cap.prox. reg.1. except.1. repl.9. dupl.1. Concordat item l.ſi plures.12.ff.eod.tt.his uerbis*: Si plures ſint inſtituti ex diuerſis partibus, & omnes inuicem ſubſtituti: plerunque credendum eſt ex ijſdem partibus ſubſtitutos, ex quibus inuicem inſtituti ſunt. Vt ſi fortè unus ex uncia, ſecundus ex octo, tertius ex quadrante ſit inſtitutus: repudiante tertio, in nouem partes diuidatur quadrans, feratque octo partes qui ex beſſe inſtitutus fuerat, unam partem qui ex uncia: niſi alia fortè mens fuerit teſtatoris, quod uix credendum eſt, niſi euidenter fuerit expreſſum. *Concordat item l.cohæredi.39. §.1. ff.eod.tt. his uerbis*: Ex his uerbis, Eosque inuicem ſubſtituo: non adeuntis portio ſcriptis hæredibus pro modo ſibi uel alij quæſitæ portionis defertur. *Concordat item l.1.C.de impub.& alijs ſubſtit.his uerbis*: Cum hæredes ex diſparibus partibus inſtituti, & inuicem ſubſtituti ſunt, nec in ſubſtitutione facta eſt ullarum partiũ mentio: uerum eſt, non alias partes teſtatorem ſubſtitutioni tacitè inſeruiſſe, quàm quæ inſtitutione manifeſtè expreſſæ ſunt. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi teſtator aliter diſpoſuerit uel ſenſerit. Hæc exceptio approbatur uerbis d.l.22.§.propoſitis hiſce*: Niſi alia fortè mens fuerit teſtatoris, &c. *Altera exceptio eſt*: *Niſi inſtitutis hæredibus alij in ſubſtitutione mixti ſint. tunc enim non in hæreditarias, ſed in uiriles partes diuiſio facienda. Hæc exceptio approbatur l.ultim. C. de impuber.& alijs ſubſtit.his uerbis*: Si quis duobus hæredibus inſtitutis, filio ſuo impuberi eos unà cum alio tertio ſubſtituerit, & uerba teſtamenti ita compoſuerit, Quiſquis mihi hæres erit, & Titius filio meo hæres eſto: ſecundum quod apud Vlpianum inuenimus: impubere mortuo filio, quærebatur, quomodo ad ſubſtitutionem uocentur tres ſubſtituti: utrúmne duo priores, qui patri hæredes fuerant ſcripti, in dimidiam uocentur, & Titius in reliquam dimidiam: an tres ſubſtituti unuſquiſq; ex triente ad ſubſtitutionem uocarentur? Alia adplicata dubitatione, ſi quis ita hæredem ſcripſerit, Titius unà cum filijs ſuis, & Sempronius hæredes mihi ſunto: & in præſenti etiam ſpecie quærebatur, ſecundum Vlpianum, uoluntas teſtantis, utrúmne Titium unà cum filijs ſuis in dimidiam uocet, & Sempronium in aliam dimidiam, an omnes in uiriles portionem? Nobis autem in prima quidem ſpecie uidetur, tres ſubſtitutos unumquenque in trientem uocari: in ſecunda autem ſpecie, cum & natura pater & filius eadem eſſe perſona penè intelliguntur: dimidiam partem Titio cum filijs, alteram uerò partem Sempronio aſſignari. *Contradicit l.qui liberis.8. §.Labeo quoque. ff.de uulgari ſubſtit.cuius uerba uide §.reg.1.except.1. Planè propoſitæ exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi teſtator expreſſè pro hæreditarijs partibus inſtitutos ſubſtituerit. quæ replicatio approbatur l.qui cum.30.ff.de uulgari ſubſtit. his uerbis*: Qui cum plures hæredes ex diſparibus partibus inſtituerat, & in his Attium: ſi Attius non adiret, cæteros ex ijſdem partibus, quibus inſtituerat hæredes, ei ſubſtituerat: deinde ſi Attius non adijſſet, Titium cohæredem his qui ſubſtituti ſunt, adiecit. quæſitum eſt, quam partem is, & quam cæteri habituri eſſent? Iulianus reſpondit, Titium uirilem, cæteros hæreditarias: ueluti ſi tres fuiſſent, Titium quartam partem Attianę partis habiturum: reliquarum partium hæreditarias partes, ex quibus inſtituti erant, reliquos habituros eſſe. Quòd ſi non ſolum Titium, ſed etiam alios adieciſſet hæredes: hos quidem uiriles partes habituros: ueluti ſi tres (puta) cohæredes fuiſſent ſubſtituti, extranei duo adiecti: hos quintas partes Attianæ partis, reliquos autem cohæredes hæreditarias partes habituros eſſe. *Tertia exceptio uidetur: Niſi cohæres ſubſtitutus ſuam partem non ſolùm in ipſa inſtitutione, ſed poſtea iure adcreſcendi acceperit. Hæc exceptio reprobatur l.ſi in teſtamento.5.in fine. ff.de uulgari ſubſtit. cuius uerba uide §.cod. reg.in princip.*

XV. *Regula: Cohæredi ſubſtituto ſubſtitutus, ad utrunque partem tam inſtitutionis quàm ſubſtitutionis admittitur. quæ regula approbatur Inſtit. de uulgari ſubſtit.§.ſed ſi inſtituto, his uerbis*: Si inſtituto hæredi cohærede ſubſtituto dato, alius ei ſubſtitutus fuerit: diui Seuerus & Antoninus ſine diſtinctione reſcripſerunt, ad utranq; partem ſubſtitutum admitti. *Concordat l.ſi Titius.25.ff.eod.tit. his uerbis*: Si Titius cohæredi ſuo ſubſtitutus fuerit, deinde ei Sempronius: uerius puto in utranque partem Sempronium ſubſtitutum eſſe. *Concordat item l. cohæredi.39.in prin.ff.eod.tit.his uerbis*: Cohæredi ſubſtitutus, priuſquam hæreditatem adiret, aut conditio ſubſtitutionis exiſteret, uita deceſſit: ad ſubſtitutum eius (ſiue ante ſubſtitutionem, ſiue poſtea ſubſtitutus ſit) utraque portio pertinebit: nec intererit, prior ſubſtitutus poſt inſtitutum, an antè decedat. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi prior ſubſtitutus ante inſtitutum deceſſerit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Nec intererit, prior ſubſtitutus, &c. *Planè exceptio hæc locum habet, quoad bona inſtituti, cui pupillariter eſt ſubſtitutum. quæ diſtinctio approbatur lege penult. ff. de uulgari*

de uulgari ſubſtit. cuius uerba uide §.cap.prox.reg.1. except.1.replic.9.duplic.1.

XVI. *Regula: De parte eius cui ſubſtitutus non eſt. Hæc quoque pars debetur ſubſtituto alterius, ad quem iure adcreſcendi pertinere potuit. quæ regula approbatur l.cum ex filio.37.§.fin.ff.de uulgari ſubſt. his uerbis*: Quidam quatuor hæredes fecerat, & omnibus hæredibus præter unum ſubſtituerat: unus ille, cui non erat quiſquam ſubſtitutus, & ex cæteris alter uiuo patrefamiliâs deceſſerat. partem eius, cui nemo erat ſubſtitutus, ad ſubſtitutum quoque pertinere, Ofilius & Caſcellius reſponderunt. Quorum ſententia eſt uera. *Concordat l.qui duos.40.ff.eod.tt. cuius uerba uide §. lib.34. cap.2. quæſt.5. reg.22.except.6. Item concordat l.qui duos.10.in prin.ff.de rebus dubijs. cuius uerba uide §. lib.7.cap.9.reg.13.in fine.*

XVII. *Regula: In eam partem ſubſtitutus, quam inſtitutus capere non poteſt, admittitur. Ergo, ſi inſtitutus totum capit, ſubſtitutus nihil: ſi inſtitutus nihil, ſubſtitutus totum habebit. quæ regula approbatur l. qui non.76.§.fin.cum duabus legibus ſequent.ff.de hæred.inſtit.cuius uerba uide §.reg.4.except.1. Concordat l.2.C.de hæred.inſtit.his uerbis*: Pater tuus, ſi ex reſidua parte hæres inſtitutus eſt, quam alter hæres ſcriptus capere non poterat, isq; ad nullam partem hæreditatis per conditionem ſuam admitti potuit: ex aſſe hæres extitit. Nam reſidui commemoratio etiam totum admittit. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi ſeruus, quem teſtator liberum credidit, hæres ſit inſtitutus, aliusq; ei ſubſtitutus, poſteaq; ſeruus iuſſu domini adierit hæreditatem. hoc enim caſu portio ſerui, qui cohæredem habebat, inter ſubſtitutum & dominum ſerui diuidenda. l.qui filio.38. §.fin. cum l.ſequente. ff.de hæredib.inſtit. cuius uerba cum concordantib. uide §.cap.13.except.134.repl.2.dupl.1.*

XVIII. *Regula: Subſtitutus ad prælegata inſtituto relicta non admittitur. quæ regula approbatur l. Sextiam.31. ff.de leg.2. his uerbis*: Sextiam filiam ex quadrante, ex reliquis Seium & Marium ſororis filios ſcripſit hæredes: Sextiam ſubſtituit Mario, & Marium Sextiæ. dedit autem per præceptionem Mario certas ſpecies. Marius partem hæreditatis, ex qua ſcriptus erat, omiſit: & eo inteſtato defuncto, bona eius ad fratrem legitimũ Seium deuoluta ſunt. Quæſitum eſt, an Sextia ex ſubſtitutione etiam hæc quæ prælegata Mario erant, iure ſubſtitutionis à legitimo hærede defuncti ſibi uindicare poſſit? Scæuola reſpondit, ſecundam ea quę proponerentur, Sextiam in legatis quæ Mario data eſſent, ſubſtitutam non eſſe.

XIX. *Regula*: *Pupillariter ſubſtituto debentur non ſolùm ea, quæ pupillus à teſtatore adquiſiuit, ſed etiam aliunde. quæ regula approbatur Inſtit.de pupill. ſubſtit. §.non ſolùm, in fine, his uerbis*: Eo caſu, ſi quid exhæredato pupillo ex hæreditatib. legatisúe, aut donationibus propinquorũ atque amicorum adquiſitum fuerit: id omne ad ſubſtitutum pertinebit. *Concordat l.qui liberis.8.§.ad ſubſtitutos. ff.de uulgari ſubſtit. his uerbis*: Ad ſubſtitutos pupillares pertinent, etſi quæ poſtea pupillis obuenerint. Neque enim ſuis bonis teſtator ſubſtituit, ſed impuberis: cum & exhæredato ſubſtituere quis poſſit. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi miles pupillariter ſubſtituit, ita ut ſola ſua bona ad ſubſtitutum perueniant. quæ exceptio approbatur d. §.ad ſubſtitutos, his uerbis*: Niſi mihi proponas, militem eſſe qui ſubſtituit hæredem, hac mente, ut ea ſola uelit ad ſubſtitutum pertinere, quæ à ſe ad inſtitutum peruenerunt. *Secunda exceptio eſt: Niſi ab adrogatore pupillo ſit ſubſtitutum. hoc enim caſu ſola ea quæ pupillus occaſione adrogationis adquiſiuit, ad ſubſtitutum pertinent. quæ exceptio approbatur d.l.8. §.in adrogato, his uerbis*: In adrogato impubere dicemus, ad ſubſtitutum eius ab adrogatore datum non debere pertinere ea quæ haberet, ſi adrogatus non eſſet, ſed ea ſola quæ ei ipſe dedit adrogator: niſi fortè diſtinguamus, ut quartam quidem, quam omnimodò ex reſcripto diui Pij debuit ei relinquere, ſubſtitutus habere non poſſit: at ſuperfluum habeat. Scæuola tamen libro 10. Quæſtionum putat, uel hoc adrogatori permittendum. quæ ſententia habet rationem. Ego etiam amplius puto, & ſi quid beneficio adrogatoris adquiſiuit, & hæc ſubſtitutum poſſe habere: utputa adrogatoris amicus uel cognatus ei aliquid reliquit. *Tertia exceptio uidetur eſſe: Niſi ita ſubſtitutio facta ſit, Si intra pubertatem deceſſerit, tunc ille mihi hæres eſto. Hæc exceptio reprobatur l.ſi ita.8. §.qui filio. ff.de bonor. poſſeſſ.ſecund.tabul.his uerbis*: Qui filio impuberi ſubſtituitur ita, Si filius meus morietur, priuſquam in tutelam ueniat, tunc Titius mihi hæres eſto: ſicut hæreditatem uindicat, perinde ac ſi uerbũ hoc Mihi adiectum non eſſet: ita bonorum eius quoq; poſſeſſionem accipere poteſt.

XX. *Regula: Patrono ſubſtitutus id, cuius nomine patronus contra tabulas bonorum poſſeſſionem petere potuiſſet, non habebit. quæ regula approbatur l.in ſeruitutem.16. §.ei qui. ff.de bonis liberorum, his uerbis*: Ei qui ſubſtitutus erit patrono, qui contra tabulas bonorum poſſeſſionem petierit: actio eius partis, cuius patrono poſſeſſio data erit, non datur.

XXI. *Regula*: De *bonis paternis, ſi filiusfamiliâs de bonis caſtrenſibus teſtatus eſt, uide §. capite 18. duplic.27.*

XXII. *Regula: Si mulier nuptias itterans, ſecundum maritum hæredem inſtituit: non plus ei debetur, quàm alicui ex liberis prioris matrimonij relictum eſt.*

quæ regulæ approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §.lib.14.cap.5.quæst.3.reg.5.

XXIII. Regula: *Si unus hæres tantùm ex certa re uel parte institutus est, in solidum fit hæres. de qua regula cum sua exceptione uide §.reg.3.except.1.*

DE IVRE ADCRESCENDI. Cap. XXIIII.

PRima regula: *Pluribus hæredibus institutis, uel ab intestato uenientibus, uno deficiente, portio eius cæteris cohæredibus adcrescit. quæ regula approbatur l.bona.3. §.fin. cum duabus legibus sequentibus. ff.de bonor. possess. his uerbis*: In bonorum possessione sciendum est ius esse adcrescendi. Proinde si plures sint, quibus bonorum possessio competat, quorum unus admiserit bonorum possessionem, cæteri non admiserunt: ueluti quòd præuerunt ius suum, aut tempore bonorum possessionis finito excluſi sunt, aut antè mortui sunt, quàm petierint bonorum possessionem: ei qui admisit, adcrescunt etiam hæ portiones, quæ cæteris competerent, si petijssent bonorum possessionem. *Concordat l.unica.§.his ita definitis. C.de caducis toll. cuius uerba uide ȝ.reg.prox. in prin. Item concordat l.1.§.si nemo.ff.ad senatusc.Tertyll. cuius uerba uide §.lib.20.cap.7. quæst.2.except.1. replic.9. Concordat item l.unica. C.quando non petentium partes, his uerbis*: Quoties pluribus liberis, cessante legitima successione, bonorum possessio defertur: beneficium edicti perpetui quibusdam omittentibus, his qui soli bonorum possessionem agnouerunt, portionem non petentium adcrescere, in dubium non uenit. *Item concordat l.2.C.ad senatusc.Orfitianum, his uerbis*: Non pro numero superstitum mortis matris tempore, sed succedentium materna scinditur hæreditas. Quapropter si mater uestra, te & uno fratre emancipatis, duobus autem alijs in patria positis potestate superstitibus, die functa est, & hi qui in potestate patris fuerant, priusquam maternam hæreditatẽ sibi quærerent, rebus humanis exempti sunt: inter duos uiriles tantùm portiones factas non ambigitur. *Concordat item l.si cohæredi.4.in prin. ff.quis ordo in bonor. possess. his uerbis*: Si cohæredi tuo substitutus fueris, & bonorum possessionem acceperis: quandocunq; cohæres tuus constituerit nolle petere bonorum possessionem, tibi tota delata intelligetur, & cohæres tuus amplius petẽdæ bonorum possessionis facultatem non habebit. *Concordat item l.ult. ff.de adq.hæred. cuius uerba uide ȝ. lib.36.cap.5.reg.7.except.2. Exemplum huius regulæ proponitur l.ſerum.66.in fine.ff.de adqu.hæred. cuius uerba uide §.cap.22.reg.3.except.9. Aliud exemplum proponitur l.hæredi.31.ff.eod.tit.his uerbis*: Hæredi cum posthumo instituto reliquę partes adcrescũt, quæ posthumo datæ sunt, si certum sit non esse prægnantem, licet hæres ignoret. *Aliud exemplum proponitur l.filius.28.§.fin.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis*: Si filium post testamentum natum ex besse, filiam autem post testamentum natam ex triente scripsit hæredem, nec ullum cohęredem dedit, nec substituit inuicem, nec alium: unus natus solus ex testamento sit hæres. *Nunc propositæ regulæ exceptiones proponendæ sunt.*

I. *Exceptio: Nisi in militis testamento hæredes scripti sint. Hæc exceptio approbatur l.si duob.37. ff.de militari test.his uerbis*: Si duobus à milite liberto scriptis hæredibus, alter omiserit hæreditatem: pro ea parte intestatus uidebitur defunctus decessisse: quia miles & pro parte testari potest, & competit patrono ab intestato bonorum possessio: nisi hæc uoluntas defuncti probata fuerit, ut omittente altero, ad alterum uellet totam hæreditatem redire. *Concordat l.1. C.de test.militis. cuius uerba uide §.cap.18.dupl.27.*

II. *Exceptio: Nisi non partium, sed rerum distributio inter hæredes sit facta. Hæc exceptio approbatur l.si filius.42.§.Papinianus. ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide §.lib.20.capite 8. quæst.4. except.3. replic.1. Concordat l.1. C.de test.militis. cuius uerba uide d.duplic.27.*

III. *Exceptio: Nisi non ex testamento, sed ab intestato sint hæredes. Hæc exceptio reprobatur Instit. de senatusc.Orphiciano. §.fin. his uerbis*: Si ex pluribus legitimis hæredibus quidam omiserint hæreditatem, uel morte, uel alia causa impediti fuerint, quo minus adeant: reliquis, qui adierint, adcrescit illorum portio: & licet antè decesserint, ad hæredes tamen eorum pertinet. *Concordat l.si ex plurib.9. ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide §.cap.22.reg.1. except.1.replic.9.*

IIII. *Exceptio: Nisi unus ex testamento, alter per contra tabulas bonorum possessionem fiat hæres. Hæc exceptio approbatur l.sed cùm patr.6. in princ. ff.de bonorum possess. his uerbis*: Cùm patrono quidem contra tabulas certæ partis bonorum possessionem Prætor polliceatur, scripto autem hæredi secundum tabulas alterius partis: conuenit non esse ius adcrescendi. Igitur non petente scripto hærede secundum tabulas, alterius quoque partis & nominatim patrono possessionem pollicetur: cum cæteri quibus adcrescendi ius est, semel debeant agnoscere bonorum possessionem.

V. *Exceptio: Nisi non hæredes, sed bonorum possessores sint. Hæc exceptio reprobatur l.2.§.si duo, in fine. ff.de bonor.possess. secund.tabul. cuius uerba uide ȝ.except.7.*

VI. *Exceptio: Nisi is cui adcrescit, non ex institutione, sed ex substitutione sit hæres. Hæc exceptio reprobatur*

probatur l.si liber homo.57. §.cum quis. ff.de hæred. instit. his uerbis: Cum quis ex institutis, qui cum aliquo coniunctim institutus sit, hæres non est: pars eius omnibus pro portionibus hæreditarijs adcrescit: neque refert, primo loco quis institutus, an alicui substitutus hæres sit.

VII. *Exceptio: Nisi substitutum habeat is, cuius portio deficit. Hæc exceptio approbatur l.2. §.si duo sint.ff.de bonor.possess.secundum tabul. his uerbis*: Si duo sint hæredes instituti, Primus & Secundus, & Secundo Tertius substitutus: omittente Secundo bonorum possessionem, Tertius succedit. Quòd si Tertius noluerit hæreditatem adire, uel bonorum possessionem accipere, recidit bonorum possessio ad Primum: nec erit necesse petere bonorum possessionem, sed ipso iure ei adcrescet. Hæredi autem scripto sicut portio hæreditatis, ita & bonorum possessio adcrescit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi substitutione tertio gradu facta, primi gradus hæres adhuc supersit. hoc enim casu cohærede eiusq; substituto deficiente, tertio gradu substitutus primi gradus hæredem non excludit. quæ replicatio approbatur l.quidam.28.ff.de uulgari substit.his uerbis*: Quidam testamento Proculũ ex parte quarta, & Quietum ex parte dimidia & quarta hæredem instituit, deinde Quieto Florum, Proculo Sosiam substituit: deinde si neque Florus, neque Sosia hæredes essent, tertio gradu ex parte dimidia & quarta coloniam Leptitanorum, ex quarta complures hæredes substituit in plures quàm tres uncias. Quietus hæreditatem adijt. Proculus & Sosia uiuo testatore decesserunt. quæritur, quadrans Proculo datus ad Quietum, an ad substitutos tertio gradu pertineat? Iulianus respondit, eam uideri uoluntatem patrisfamiliâs fuisse, ut in tertio gradu scriptos hæredes ita demum substitueret, si tota hæreditas uacasset. Idque apparere euidenter ex eo, quòd plures quàm duodecim uncias inter eos distribuisset. Et idcirco partem quartam hæreditatis, de qua quæritur, ad Quietum pertinere.

VIII. *Exceptio: Nisi is cui adcrescere debet, antequam adcreuerit, mortuus sit. Hæc exceptio reprobatur l.unica. §.his ita definitis. ibi: alijs cohæredib. C.de cad.toll. cuius uerba uide ȝ.reg.prox. Concordant ea quæ proposita sunt §.cap.22.reg.1.except.1.repl.9.*

IX. *Exceptio: Nisi is cui adcrescit, ignoret portionem in cohæredis persona defecisse. Hæc exceptio reprobatur l.hæredi.31.ff.de adq.hæred. cuius uerba uide §.cad.reg.in prin.*

X. *Exceptio: Nisi is cui adcrescit, eam habere nolit. Hæc exceptio reprobatur l.qui ex duab.53. §.fin. ff.de adq.hæred.his uerbis*: Qui semel ex aliqua parte hæres extitit, deficientium partes etiam inuitus accipit. *Concordat l.si quis.55.in principio ibi: quoniam inuito.ff.eod.tit. cuius uerba uide ȝ.lib.30. cap.2. reg.1.except.24. replic.3. Concordat item l.qui patri.59.in fine.ff.eod.tit. cuius uerba uide ȝ.d.replic.3. Item concordat l.unica. §.his ita definitis. ibi: & hoc nolentibus. C.de caducis tollen. cuius uerba uide ȝ.reg. proxim. Planè admittitur exceptio proposita, si is cui portio cohæredis adcreuit, in totum hæreditati renunciet. quæ distinctio approbatur l.cùm hæredit.55. ff.de adquir.hæred. his uerbis*: Cùm hæreditate patris necessarius hæres se abstinet: conditio cohæredi, siue suo, siue extraneo defertur, ut aut totam agnoscat, aut à toto recedat: & ita se abstinere potest propter alium, qui per suam personam non poterat. Si tamen creditores dicant, se contentos esse eius portione: quia non potest exonerari, nisi deferatur conditio: & alterius parte abstinere se creditores debent, ut eius actiones ei qui conuenitur, dentur. *Concordat l.si is. 56.ff.eod.tit.his uerbis*: Si is qui immiscuit se hæreditati, decessisset, deinde alter se abstineret: eadem conditio deferenda est hæredi eius, quæ & ipsi. Quod Marcellus ait. *Huius distinctionis replicatio hæc est: Nisi creditores contenti sint eius parte qui adijt: tunc enim proposita distinctione seu exceptione nõ adiuuatur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Si tamen creditores, &c. *Plura de exceptione proposita uide ȝ.lib.30.cap.5.reg.2.except.4.*

XI. *Exceptio: Nisi pendeat adhuc, non in totum defecerit portio in alterius persona. hoc enim casu iure adcrescendi nondum est locus. quæ exceptio approbatur l.2. §.pro qua. ibi: quamdiu. ff.de bonor.possess.secund.tabul. his uerbis*: Quamdiu unus ex hæredibus deliberat, utrum admittat bonorum possessionem, an non: portio bonorum possessionis eius cohæredi non defertur. *Concordant ea quæ habentur ȝ.lib.32.cap.7.except.17.replic.3.*

XII. *Exceptio: Nisi uni portio sua tanquam indigno sit ablata. hoc enim casu fisco locus est, & ob id ius adcrescendi cessat. Hæc exceptio approbatur l.hæreditas.4. C.de his quibus ut indignis. cuius uerba uide ȝ. cap.prox.quæst.4.except.22.replic.6. Sed & de hac re uide in singulis causis, ex quibus tanquam indigno hæreditas auferetur.*

XIII. *Exceptio: Nisi is quoq; cui adcrescere posset, suam partem repudiauerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §.eod.cap.in prin.*

QVIBVS ADCRESCAT portio deficiens?

II. *Regula: Si alij coniunctim, alij disiunctim hæredes instituti sunt: uno ex coniunctis deficiente, solis illis qui coniunctim hæredes instituti sunt, pars eius adcrescit. Sin autem aliquis, qui disiunctim hæres institutus est, deficit, portio eius omnibus sine discrimine adcrescit. Quæ regula approbatur l.unica. §.his ita*

definitis. C.de caducis toll.hisce uerbis: In hæredibus,siquidem cohæredes sunt omnes coniunctim,uel omnes disiunctim uel instituti, uel substituti:hoc quod fuerit quoquo modo uacuatũ,si in parte hæreditatis uel partibus consistat,alijs cohæredibus cum suo grauamine pro hæreditaria parte,etiamsi iam defuncti sint,adquiratur,& hoc nolentibus ipso iure adcrescat,si suas portiones iam agnouerunt: quum sit absurdum,eiusdem hæreditatis partem quidem agnoscere, partem uerò respuere, secundum quod & in diuinis nostri numinis decisionib.statutum est. Sin uerò quidam ex hæredibus institutis uel substitutis permisti sunt, & alij coniunctim, alij disiunctim nuncupati: tunc siquidem ex coniunctis aliquid deficiat, hoc omnimodò ad suos coniunctos cum suo ueniat onere,id est, pro parte hæreditaria, quæ ad eos peruenit. Sin autem ex his qui disiunctim scripti sunt,aliquid euanescat: hoc non ad solos disiunctos, sed ad omnes tam coniunctos,quàm etiam disiunctos similiter cum suo onere pro portione hæreditatis perueniat. Hæc ita tam uariè: quia coniuncti quidem propter unitatem sermonis quasi in unum corpus redacti sunt,& partem coniunctorum sibi hæredum quasi suam prœoccupant:disiuncti uerò ab ipso testatoris sermone apertissimè sunt discreti: & suum quidem habent, alienum autem non soli appetunt, sed cum omnibus suis cohæredibus accipiunt. Et hæc in hæreditatibus tantummodò statuenda sunt. *Concordat l.hæredes.61. ff.de hæred.instit. his uerbis*:Hæredes sine partibus utrum coniunctim,an separatim scribantur, hoc interest, quòd si quis ex coniunctis decesserit, hoc non ad omnes,sed ad reliquos,qui coniuncti erant, pertinet. Sin autem ex separatis, ad omnes qui testamento eodẽ scripti sunt hæredes, portio eius pertinet. *Concordat item l.si quis.5.§.fin.ff.si tabulæ test.nullæ extab. cuius uerba uide ĩ.lib.prox. cap.4. except.6. Concordat item l.1.§.si quis ex nepotib. ff.de coniung. cum emancip. liberis, hisce uerbis*: Si quis ex nepotibus portionem suam omiserit, eueniet ut non ad patrem eius, sed magis ad fratrem pertineat. Sed & si omnes nepotes omittent, patruo nihil adcrescet,sed soli patri. Quòd si & pater omiserit, tunc patruo adcrescet. Declaratur regula proposita definitione coniunctorum l.triplici.142.ff.de uerb.signif.his uerbis:Triplici modo coniũctos intelligimus. Aut enim re per se coniunctio contingit,aut re & uerbis,aut uerbis tãtùm. Nec dubium est,quin coniũcti sint,quos & nominum & rei complexus iungit: ueluti, Titius & Mæuius ex parte dimidia hæredes sunto: uel, Titius Mæuiusque hæredes sunto:uel,Titius cum Mæuio ex parte dimidia hęredes sunto. Videamus autẽ, ne etiamsi hos articulos detrahas,Et,Que,Cum,interdum tamen coniunctos accipi oporteat. Veluti, Lucius Titius,Publius Mæuius hęredes sunto ex parte dimidia. Vel ita:Publius Mæuius,Lucius Titius hæredes sunto, Sempronius ex parte dimidia hæres esto. ut & Titius & Mæuius ueniant in partem dimidiam, & re & uerbis coniuncti uideantur. *Sanè species coniunctorum est & hæc,si ita scriptum sit: Lucius Titius ex parte dimidia hæres esto. Seius ex parte qua Lucium Titium hæredem instituit, hæres esto. quæ species approbatur d.l.142. §.fin. de qua re uide ĩ.cap.prox. reg.6. except.3. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi re tantùm uel uerbis tãtùm sint coniuncti.quæ exceptio approbatur l.si ita.64. ff.de hæred.instit. his uerbis*: Si ita quis hæredes instituerit,Titius hæres esto, Caius & Mæuius ex æquis partibus hæredes sunto:quãuis Et syllaba coniunctionem faciat, si quis tamen ex his decedat, non alteri soli pars adcrescit, sed omnibus hæredibus pro hęreditarijs portionibus:quia non tam coniunxisse, quàm celerius dixisse uidetur. *Concordat l.item ut Sabinus.17.§.1.ff.eod.tt.cuius uide ĩ.reg.prox. Altera exceptio est: Nisi ipso iure in coniuncti persona institutio non ualeat. tunc enim omnibus sine discrimine portio eius adcrescit.quæ exceptio reprobatur exemplo l.quoloco.20. in fine. ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ĩ. cap.prox.reg.4.except.1.repl.2.*

III.Regula:*Si quibusdam cum partibus,quibusdam sine partibus hæredibus institutis: unus horum repudiauerit,omnibus adcrescit. quæ regula approbatur l. item ut Sabinus.17. §.1. ff.de hæred. instit. his uerbis*: Labeo tractat,si duos ex undecim, duos sine parte scripsit: mox unus ex his qui sine parte fuerũt,repudiauerit: utrum omnibus semuncia, an ad solum sine parte scriptum pertineat? & uariat. Sed Seruius,omnibus adcrescere ait. Quam sententiam ueriorem puto. Nam (quantum ad ius adcrescendi) non sunt coniuncti, qui sine parte instituuntur. Quod & Celsus libro XVI.Digest.probat. Idem quoque putat, etsi expleto asse duos sine parte hæredes scripserit,neq; hos neq; illos coniunctos.

IIII. Regula: *Duobus filijs,& ex altero filio duobus nepotibus hæredibus institutis: uno nepotum non petente,portio eius soli fratri adcrescit. Secus, si unus ex filijs sit defunctus. quæ regula approbatur l.si duobus.12.in princ. ff.de bonorum possess. contra tabulas, his uerbis*: Si duobus filijs, & ex altero filio duobus nepotib.possessio bonorum competat,& alter ex nepotibus non petat: pars eius fratri adcrescit. Si uerò ex filijs alter non petat, tam fratri quàm nepotibus id prodest. Nanque tunc duo semisses fiunt, ex quibus

ex quibus alterum filius, alterum nepotes consequuntur. *Concordat l.1.§.si quis ex nepotibus.ff.de coniung.cum emancip.liberis,cuius uerba uide ĩ.reg.1.*

V.Regula: *Si quis ex hæredibus hæreditatem restituere iussus est, non ei qui restituere, sed ei cui restitui debet,portio deficiens adcrescit. quæ regula approbatur l.si totam.82.ff.de adq.hæred.his uerbis*:Si totam hæreditatem, aut partem, ex qua quis hæres institutus est, tacitè rogatus sit restituere: apparet nihil ei debere adcrescere, quia rem non uidetur habere.

VI.Regula:*Si unus ex duobus uel pluribus hæredibus pro parte purè, pro parte sub conditione hæres sit institutus: conditione deficiente, nihilominus ei quoq; pars deficientis partis adcrescit. quæ regula approbatur l.si liber homo.57.§.si ita scriptum. ff.de hæred.instit. his uerbis*: Si ita scriptum fuerit,Titius ex parte tertia,Mæuius ex parte tertia hęredes sunto. Titius,si intra tertias calendas nauis ex Asia uenerit,ex reliqua parte hęres esto: uideamus, ne Titius statim ex semisse hæres sit.Nam duo hæredes instituti sunt. Sed Titius aut ex semisse,aut ex besse.ita sextãs utiq; erit in pendenti: & si conditio extiterit, ex besse hæres erit: si non extiterit, ille sextans Mæuio adcrescet. Sed si decesserit Titius antequam conditio existat, deinde conditio extiterit: tum ille sextans non Titij hæredi,sed Mæuio adcrescet. Nam cum adhuc dubium esset,Titio an Mæuio is sextans datus esset, Titius decesit: nec potest intelligi datus ei, qui tempore dandi in rerum natura non fuit. *Concordat l. qui fundum. 86.§.si tu ex parte.ff.ad legem Falcid.cuius uerba uide ĩ.lib.33.cap.8.reg.1.except.16.*

VII.Regula:*Etiam ei qui suam partem repudiauit, sed alteri qui suam partem agnouit,hæres existit,repudiata propria portio adcrescit. quæ regula approbatur l.si liber homo.57. §.fin. ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ĩ.lib.30.cap.3.reg.1.except.4.replic.5.*

QVANTVM CVIQVE adcrescat.

VIII. Regula: *Si plures sint hæredes,quibus quid adcrescit, ex disparibus partibus instituti: singulis non pro uirili,sed pro hæreditaria parte adcrescit. quæ regula approbatur d.l.57.§.cum quis. ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ĩ.reg.1.except.6. Concordat l.unica. §.his ita definitis,ibi:alijs cohæredibus. item ibi:id est, pro parte hæred.C.de caducis toll. cuius uerba uide ĩ. reg.2. Hæc de iure adcrescendi, de quo uide plura ĩ. lib.33.cap.7.reg.25.except.17.*

DE CODICILLIS.
Cap. XXV.

HActenus,an & quibus ex testamento competat hæreditas, item quid & quantum competat, expositum est. Quando autem ex testamento hæreditas competat, seu deferatur, dicetur ĩ.lib.prox. cap.15. Nunc restat,ut de codicillis tanquam testamentorum partib.dicamus: qua parte absoluta, Libro huic de testamentis finem imponemus.

I. PROPRIA CODICILLORUM.

I.Regula:*Codicillorum ius singulare est.quæ regula approbatur l.2. §.codicillorum. ff.de iure codicill. his uerbis*: Codicillorum ius singulare est. Vnde quæcunq; in his scribentur, perinde habentur,ac si in testamento scripta essent.

II.Regula: *Codicilli nullam solẽnitatem desiderant. quæ regula approbatur inst.de codicillis.§.fin.his uerbis*: Codicillos etiam plures quis facere potest, & nullam solennitatem ordinationis desiderant.

II. TOTVM.

Codicilli testamenti partes sunt. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt ĩ. capite 3. quæst.4. regula 3.

III. SPECIES.

I.Regula, *De testamento iniusto. Inutile testamentum uim codicillorum regulariter non habet. quæ regula approbatur l.1. ff.de iure codicillorum, his uerbis*: Sæpissimè rescriptum & constitutum est, eum qui testamentum facere opinatus est,nec uoluit quasi codicillos id ualere:uideri nec codicillos fecisse. Ideoq; quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit ualere, tamen non debetur. *Concordat l.ex ea.29. in princ. ff.qui test.facere poss.his uerbis*: Ex ea scriptura, quæ ad testamentum faciendum parabatur, si nullo iure testamẽtum perfectum esset: nec ea quæ fideicommissorum uerba haberẽt,peti posse, Paulus respondit. *Concordat item l.si quis.8. §.illud quoq;.C. de codicillis,hisce uerbis*: Illud seruandum est, ut testator, qui decreuit facere testamentum,si id adimplere non quiuerit: intestatò uideatur esse defunctus, nec transducere liceat ad fideicommissi interpretationem,ueluti ex codicillis,ultimam uoluntatem: nisi id ille complexus sit, ut uim etiam codicillorum scriptura debeat obtinere: illo electionis uidelicet iure perdurante, ut qui ex testamento agere uoluerit, ad fideicommissum migrare non possit. *Concordat item l.illud.13. §.1. ff.de iure codicill. cuius uerba uide ĩ.quæst.prox. except.12. Planè propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi testator uoluerit testamentum uim codicillorum habere. tunc enim codicilli speciem continet testamentum iniustum. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nisi id ille complexus sit, ut uim etiam codicillorum scriptura debeat obtinere. *Concordat l.si milites.3.§.fin.ff.de militari test. cuius uerba uide ĩ.cap.18. duplic.13. Concordat item l.posthumus.12. §.fin. ff.de iniusto test. cuius uerba uide ĩ.capite 21.except.33. replicat.15. Plures propositæ regulæ exceptiones uide ĩ.lib.32. cap.6. except.84. replicat.2. cum sequentibus.*

Planè

Planè propositæ exceptionis similiumq; replicatio generalis hæc est: Nisi actor ex testamento directam petierit hæreditatem. tunc enim postea tanquam fideicommissariam ex codicillis petens, non est audiendus. quæ replicatio approbatur uerbis l.si quis.8. C.de codicillis,ſ.propositis hisce: Illo electionis uidelicet iure perdurante, ut qui ex testamento agere uoluerit, ad fideicommissum migrare non possit. *Concordat d.l.8.in prin. his uerbis:* Si quis agere ex testamento quolibet modo,siue scripto,siue sine scriptura confecto, de hæreditate uoluerit: ad fideicommissi persecutionem adspirare cupiens, minimè permittatur. Tantum enim abest, ut aditum cuiquam pro suo migrandi desiderio concedamus: ut etiam illud sanciamus, si testator faciens testamẽtum, in eodem pro codicillis etiam id ualere cõplexus sit: qui hereditatem petit, ab ipsis intentionis exordijs, utrum uelit, eligendi habeat potestatem, sciens se unius electione alterius sibi aditum præclusisse:ita ut,siue bonorum possessionem secundum tabulas, aut secũdum nuncupationem, cæterasq; similes postulauerit, aut certè mitti se in possessionem ex more petierit: statim inter ipsa huius iuris auspicia propositum suæ intentionis explanet. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi quis ex parentibus, liberis uel cognatis defuncti hæreditatem ex testamento petierit. hic enim, quamuis succubuerit, nihilominus tanquam ex codicillis fideicommissariam hæreditatem pétere potest. quæ duplicatio approbatur d.l.8.ſ.si quis, hisce uerbis:* Si quis uerò ex parentibus utriusque sexus, ac liberis usque ad quartum gradum adgnationis uinculis alligatus, uel cognationis nexu constrictus usque ad tertium, scriptus hæres fuerit,uel nuncupatus, in eo uidelicet testamento, quod testator uicem quoq; codicillorum uoluit obtinere: licebit ei, si de hæreditate ex testamento secundum mortui uoluntatem agens fuerit superatus,uel certè ipse sponte uoluerit, ad fideicommissi subsidium conuolare. Non enim par eademque ratio uidetur, amittere debita,& lucra non capere. *Hæc de iniusto testamento.*

II. *Regula, De tabulis,in quibus legata tantùm relicta sunt,non etiam hæres institutus. Hæ codicilli sunt. quæ regula seu ſpecies approbatur l.si palàm. 20. ff.de iure codicill.cuius uerba uide ſ.cap.11.except.81.*

III. *Regula, De literis, quibus hæreditas promittitur, aut animi affectus exprimitur. Hæ codicillorum ſpeciem non continent. quæ regula approbatur l.literæ.17.ff.d.tt.bis uerbis:* Literæ, quibus hæreditas promittitur,uel animi affectus exprimitur:codicillorum uim non obtinent.

IIII. EXCEPTIONES ADVERSUS codicillos,& ea quæ in codicillis sunt relicta.

Regulariter quidem quod codicillis relictum est, perinde debetur, ac si in testamento solenni relictum esſet. quæ regula approbatur Inſt.de codicillis,in prin. his uerbis: Ante Augusti tempora constat codicillorum ius in usu non fuisse. Sed primus Lucius Lentulus (ex cuius persona etiam fideicommissa esse cœperunt) codicillos introduxit. Nam cum decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos: quibus ab Augusto petijt per fideicommissum,ut faceret aliquid. Et cum diuus Augustus uoluntatem eius impleſſet, deinceps reliqui eius authoritatem secuti, fideicommissa præstabant: & filia Lentuli legata, quæ iure non debebat, soluit. Dicitur autem Augustus conuocasse sapientes uiros,interque eos Trebatium quoque, cuius tunc authoritas maxima erat:& quæsisse, an posset recipi hoc, nec absonans à iuris ratione codicillorum usus esset: & Trebatium suasisse Augusto, quòd diceret, utilissimum & necessarium hoc ciuibus esse, propter magnas & longas peregrinationes, quæ apud ueteres fuissent: ubi si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quæ tempora, cum & Labeo codicillos fecisset: iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur. *Concordat l.2.ſ.codicillorum.ff.eod.tt.cuius uerba uide ſ.quæſt.1.reg.1. Verùm huius regulæ plures sunt exceptiones, desumptæ ex personæ partim eius qui codicillos facit, partim eius cui codicillis quid relinquitur, partim ex aliis huiusmodi circumstantijs:de quibus sequitur.*

I. *Exceptio: Nisi is qui testamentum facere non potest,codicillos fecerit. Hæc exceptio approbatur l.diuus.6.ſ.codicillos. ff.de iure codicill. his uerbis:* Codicillos is demum facere potest, qui & testamentum facere potest. *Concordat l. conficiuntur.8. ſ.codicilli. ff.eod.tt. his uerbis:* Codicilli toties ualent, quoties quis testamentum quoque facere potuit. Non tamen hoc ita intelligemus,ut exigamus, potuisse eum eo tempore, quo scribit eos codicillos, testamentum facere (quid enim, si sufficientium testium facultatem non habuit) sed si iure testamenti factionem habuit. *Huius exceptionis replicatio uidetur esse: Nisi antè, cum testamenti factionem haberet, codicillos confirmauerit. hoc enim casu uidetur dicendum, quamuis eo tempore, quo codicillos facit, testamenti factionem habere desierit, nihilominus codicillos ualere. Sed hæc replicatio reprobatur l. quædam.7. in princ. ff.d.tt. his uerbis:* Quædam non referuntur ad confirmationem codicillorum: ueluti si ante captiuitatem quis codicillos confirmauerit, & in

& in captiuitate codicillos scribat.nam non ualent. Idem est,si aliquo modo ius testamenti faciendi habere desierit. *Propositæ exceptionis ſpecies sunt exceptiones proximè sequentes.*

II. *Exceptio: Nisi is qui apud hostes est, codicillos fecerit. Hæc exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* In captiuitate codicillos scribat: nam non ualent. *Huius exceptionis replicatio hæc est:Nisi codicillis ante captiuitatem testamento confirmatis, is qui eos fecit, postea postliminio sit reuersus. quæ replicatio approbatur l.in bello.12. ſ.codicilli. ff. de captiuis,hisce uerbis:*Codicilli,si quos in tempore captiuitatis scripserit, non creduntur iure subtili confirmati testamento, quod in ciuitate fecerat. Sed nec fideicommissum ex his peti potest: quia non sunt ab eo facti, qui testamenti factionem habuit. Sed quia merum principium eorum, in ciuitate constituto captiuo, factum est, id est, in testamento confirmatio codicillorum, & is postea reuersus est,& postliminio ius suum recepit: humanitatis rationi congruum est, eos codicillos ita suum effectum habere, quasi in medio nulla captiuitas intercessisset. Cætera quæ in iure sunt, posteaquam postliminio redijt,pro eo habẽtur, ac si nunquam iste hostium potitus fuisset.

III. *Exceptio: Nisi is qui codicillos fecit, dubitauit an sui iuris esset. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.Aristo.9.ff.de iure codicillorum,his uerbis:* Aristo negauit, ualere codicillos ab eo factos, qui paterfamiliàs nécne esset,ignorasset. Vlpianus notat: Nisi ueteranus fuit. tunc enim & testamentum ualebit.

IIII. *Exceptio: Nisi is qui se adrogandum dederit, codicillos fecerit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: quia testamenti factionem non habet, secundum ea quæ dicta sunt ſ.cap.7.in prin. Eius autem replicatio hæc est: Nisi cum codicilli antea in testamento, ab eo qui sui iuris erat facto,confirmati essent,postea rursus emancipatus decesserit. Hæc replicatio approbatur l.conficiuntur.8.ſ.si post. ff.de iure codicill.his uerbis:* Si post factum testamentum codicillos quis confirmauerit, deinde adrogandum se præbuerit,& ibi codicillos fecerit,atque ita emancipatus decesserit: quæritur,an ex codicillis legata debeantur? nam nec testamentum ualet,& eo tempore eos fecit,quo testamenti factionem non habuit: nec similis est muto, qui rectè codicillos confirmauerit. Licet enim is testamentum facere non possit, tamen testamentum, quod antè fecerat,in eodem statu est. Huius autem testamentum sublatum est, & de alienis quodammodò rebus testatur. Sed dicemus,codicillos ualere. Nam & si posthumus natus ruperit testamentum, & decesserit:nihilominus codicilli ualent.

V. *Exceptio: Nisi mutus codicillos fecerit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, per ea quæ dicta sunt ſ.cap.6.except.8. in princ. uerùm eius replicatio hæc est: Nisi antequam mutus fieret, testamento facto codicillos confirmaſſit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nec similis est muto, &c. *Sed de hac exceptione cum suis replicationibus uide ſ. d.except.8.*

VI. *Exceptio: Nisi furiosus codicillos fecerit. Hæc exceptio approbatur l.2. ſ.penult. ff.de iure codicill. his uerbis:* Furiosus non intelligitur codicillos facere: quia nec aliud quidquam agere intelligitur, cùm per omnia & in omnibus absentis uel quiescentis loco habeatur. *Concordat l.nè cod.5.C.de codicillis,hisce uerbis:* Ne codicillos quidem furentem posse facere, certissimi iuris est. Si igitur scriptura uelut codicillorum patris tui fuit prolata,ut aliquid ex hoc peti possit: adfeuerationi tuæ,mentis eum compotem fuisse negantis, fidem adesse probari conuenit.

VII. *Exceptio:Nisi non testamentum fecerit is,qui fecit codicillos. Hæc exceptio reprobatur Inſtit.de codicillis.ſ.non tantùm, his uerbis:* Non tantùm testamento facto potest quis codicillos facere,sed & intestatus quis decedẽs,fideicommittere codicillis potest. *Concordat l.si quis.5. in prin. ff.de iure codicill. cuius uerba uide ſ. libro 32. cap.10. causa 42. except.1.replic.6. duplic.1. Concordat item l.conficiuntur.8.in princ.ff.eod.tt. his uerbis:* Conficiuntur codicilli quatuor modis: aut enim in futurum confirmantur, aut in præteritum,aut per fideicommissum, testamento facto, aut sine testamento. Sed ideo fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus: quoniam creditur paterfamiliàs sponte sua his relinquere legitimam hæreditatem. *Concordat item l.ab intestato.16. ibi:& ut manifestius.ff.d.tt.his uerbis:* Intestato patrefamiliàs mortuo, nihil desiderant codicilli, sed uicem testamenti exhibent. Testamento autem facto, ius eius sequuntur. *Concordat item l.non idcirco.4. C.de codicillis, hisce uerbis:* Non idcirco minus, quòd intestatò absente te codicillos mater tua fecit,hi quibus precarijs uerbis adscripta sunt, relicta capiunt. *Concordat item l.1.C.eod.tt.cuius uerba uide ſ.except.26.*

VIII. *Exceptio: Nisi ei qui in rerum natura non est,codicillis quid sit relictum. Hæc exceptio approbatur l.diuus.6. ſ.fin. ff.de iure codicill. his uerbis:* Si post testamẽtum factum mortuo codicillis quis legauerit, licet testamento confirmatis:pro non scripto legatum est. *Concordat l. 2.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si ei qui post testamentum factum,& ante codicillos scriptos natus esset, codicillis per fideicommissum aliquid daretur:utile est. Quòd si ei qui post testamentum factum,& antequam codicilli scriberentur, mortuus esset, datum esset:

pro

pro non scripto habetur. *Concordat item l.quidam.14.§.ego quidem. ibiint enim.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.4.except.39.replic.2.* Huius exceptionis replicatio hæc uidetur esse: *Nisi tempore testamenti,quo codicilli confirmati sunt,in rerum natura fuerit. Hæc replicatio reprobatur uerbis d.l.6.§.fin. iam propositis hisce:* Si post testamentum mortuo,&c. *Concordat d.uers.ut enim. Plura de exceptione proposita uide ẽ.lib.32.cap.3.except.23.*

IX.Exceptio: *Nisi seruo alieno libertas in codicillis sit relicta. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.2.§.ideoq;.ff.de iure codicill. his uerbis:* Seruo, qui testamenti facti tempore testatoris fuit, & codicillorum tempore alienus, non rectè libertas directa datur. Et cõtrà,si cùm testamentum fiebat, alienus esset, codicillorum tempore testatoris: intelligitur alieno seruo libertas data.Et ideo,licet directæ libertates deficiunt, attamen ad fideicommissarias eundum est. *Plura de except.proposita uide ẽ.lib.19.cap.6.except.11.*

X. Exceptio: *Nisi generaliter ab eo, Quisquis hæres erit,in codicillis quid sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l.si quis.3. in princ. ff. de iure codicill. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.10. causa 42,except.1. replic.6. duplic.1.*

XI.Exceptio:*Nisi ab hæredibus ante codicillos defunctis quid sit relictum. Hæc exceptio approbatur l. quidam.14.ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.4.except.39.repl.2.*

XII. Exceptio:*Nisi hæreditas codicillis sit data uel adempta. Hæc exceptio approbatur Instit. de codicillis.§.codicillis,hisce uerbis:* Codicillis hæreditas neq; dari neq; adimi potest: ne confundantur ius testamentorum & codicillorum. Et ideo nec exhæredatio scribi. *Concordat l.quod per.10.ff.eod.tt.his uerbis:* Quod per manus traditum est, codicillis hæreditatem dari non posse:rationem illam habet,ne per codicillos, qui ex testamento ualent, ipsum testamentum, quod uires per institutionem hæredum accipit,confirmari uideretur. *Concordat item l.illud.13.§.1.ff.eod.tt.his uerbis:* Tractari solet de eo, qui cùm tabellas testamenti non feciſſet,codicillis ita scripsit: Titium hæredem esse uolo. Sed multum interest,utrum fideicommissariam hæreditatem à legitimo per hãc scripturam,quam codicillorum instar habere uoluit,reliquerit: an uerò testamentũ facere se existimauerit. Nam hoc casu nihil à legitimo peti poterit. Voluntatis autẽ quæstio,&c. *Reliqua uerba uide ẽ.cap.3. quæst.5. Concordat item l.idem.7.C.de codicillis, hisce uerbis:*Si idem codicilli quod testamẽta possent:cur diuersum his in instrumentis uocabulum mandaretur, quæ uis ac potestas una sociaſſet? Igitur specialiter codicillis instituendi ac substituendi potestas iuris authoritate data non est. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non directis uerbis,sed per fideicommissum hæreditas codicillis sit data. Hæc replicatio approbatur Instit.de codicillis.§.directò,his uerbis:* Directò autem hæreditas codicillis neque dari,neq; adimi potest: nam per fideicommissum hæreditas codicillis iure relinquitur. *Concordat l.2.§.fin. ff.de iure codicill. cuius uerba uide ẽ.repl.prox. Concordat item l.illud.13.§.1. ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius. Concordat item l.2.C.de codicillis,hisce uerbis:* Hæreditatem quidem neq; dari, neque adimi codicillis posse,manifestum est. Verbis tamen precarijs per huiusmodi nouissimi iudicij ordinationem iura non faciunt irritas uoluntates. Vnde inefficaciter codicillis te rogatã esse, ut quibusdam rebus contenta, portionem quam testamento fueras consecuta,alijs restitueres,falsò tibi persuasum est. *Altera replicatio uidetur: Nisi hæreditas testamento inutiliter data,codicillis sit confirmata. Hæc replicatio reprobatur l.2.§.fin.ff.de iure codicill.his uerbis:* Hæreditas testamento inutiliter data, non potest codicillis quasi hæreditas confirmari: sed ex fideicommisso petitur, salua ratione legis Falcidiæ. *Tertia replicatio est: Nisi in testamento hærede instituto eo, quem in codicillis hæredem scripsisset uel nominasset:in codicillis hæredẽ certum scripserit uel nominauerit. Hæc replicatio approbatur l.asse toto.75.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ẽ.cap.23.reg.4.in princ. Concordat l.institutio.10. in prin.ibi:proinde & si ita.ff.de condit.inst. cuius uerba uide ẽ.cap.12.except.119. Quarta replicatio est:Nisi in testamento hærede instituto sub hac conditione, Si eum in codicillis hæredem scripserit. Hæc replicatio approbatur d.l.10.in prin. Concordat d.l.10.§.fin.cuius uerba uide ẽ.cap.12.except.117.replic.3. Quinta replicatio est: Nisi miles codicillis hæreditatem dederit uel ademerit.Hæc replicatio approbatur l.militis.36.in prin.ff.de militari test.cuius uerba uide ẽ.cap.23.reg.6. in princ. Concordat l.quærebatur.19. ibi:quintimò etsi codicillis.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.21.except.33. repl.15. Sexta replicatio est:Quòd si hæreditas in codicillis alicui tanquam indigno sit adempta, & ad alium translata, ademptio ualeat,quamuis trãslatio non ualeat. quæ replicatio approbatur l.hæreditas.4.C.de his quib.ut indignis,his uerbis:* Hæreditas in testamento data,per epistolam uel codicillos adimi uerbis directis non potuit: quia tamẽ testatrix uoluntatem suam non mereri unũ ex hęredibus suis declarauerat,meritò eius portio non iure ad alium translata fisco uindicata est. Libertates autem in eadem epistola datæ,peti poterunt.

XIII.Exceptio: *Nisi conditio institutioni hæredis in codicillis sit adiecta,uel substitutio facta. Hæc exceptio approbatur Instit.de codicillis. §.penult. his uerbis:* Nec conditionem hæredi instituto codicillis adijcere, neque substituere directò quis potest. *Concordat l.diuus.6.in princ.ff.eod.tt. his uerbis*: Diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt, nihil egisse matrem, quæ cum purè liberos suos hæredes instituerit, conditionem emancipationis codicillis adiecit: quia neque conditionem hæredi instituto codicillis adijcere, neque substituere directò potest. *Concordat item l.quidam.27.§.fin. ff.de condit.inst.cuius uerba cum propositæ exceptionis replicatione uide ẽ.*

XIIII. Exceptio: *Nisi solennitas testamentorum in codicillis non interuenerit. Hæc exceptio reprobatur Instit.de codicillis.§.fin. cuius uerba uide ẽ. quæst.1.reg.2.*

XV. Exceptio: *Nisi codicilli neq; scripti, neq; signati sint manu testatoris. Hæc exceptio reprobatur l.diuus.6.§.codicillos.ff.de iure codicill.his uerbis:* Codicillos etiam plures quis facere potest: & ipsius manu neque scribi, neque signari necesse est. *Plane uidetur exceptio proposita admitti, si testator in testamento adiecerit, non aliàs codicillos ualere se uelle,quàm sua manu fuerint subscripti atque signati. Sed hæc distinctio reprobatur d.l.6.§.licet,his uerbis:* Licet in confirmatione codicillorum paterfamiliàs adiecerit, ut non aliàs ualere uelit, quàm sua manu signatos & subscriptos:tamen ualent facti ab eo codicilli,licet neque ab eo signati, neque manu eius scripti fuerint: nam ea quæ postea geruntur, prioribus derogant.

XVI. Exceptio: *Nisi quinque testes codicillis nõ interuenerint. Hæc exceptio approbatur l.ult.§.fin. C.de codicillis. cuius uerba uide ẽ. capite 8.except.23. replic.5.*

XVII. Exceptio: *Nisi testes codicillis non subscripserint. Hæc exceptio approbatur d.§.fin.*

XVIII. Exceptio: *Nisi testamentum iniustum, irritum aut ruptum sit. hoc enim casu nec codicilli ualent. quæ exceptio approbatur l.ab intestato.16.§.fin. ff.de iure codicill. cuius uerba uide ẽ. except.7. Concordat l.quod per manus.10.ibi:qui ex testamento. ff. eod.tt. cuius uerba uide ẽ. except.12.in prin.* Huius exceptionis replicatio hæc est: *Nisi miles iure communi extra tempus expeditionis testamento facto, postea in expeditione codicillos iure militiæ fecerit. hoc enim casu,quamuis testamentum non ualeat,ualent tamen codicilli. Quæ replicatio approbatur l.conficiuntur.8. §.si miles. ff.de iure codicillorum. cuius uerba uide ẽ. cap.18.dupl.28.*

XIX. Exceptio: *Nisi absente filio mater codicillos fecit. Hæc exceptio reprobatur l.cum proponatis.4.C.de codicillis.cuius uerba uide ẽ.except.7.*

XX. Exceptio: *Nisi alij quoque codicilli sint facti. Hæc exceptio reprobatur Instit.de codicillis.§.fin. cuius uerba uide ẽ.quæst.1.reg.2. Concordat l.diuus.6. §.codicillos.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.except.15. Planè admittitur exceptio proposita,si posteriores codicilli prioribus contraria disponant:de quare uide ẽ.except.25.*

XXI. Exceptio: *Nisi codicilli testamento non*

sint confirmati. Hæc exceptio approbatur l.ante.5.ff. de iure codicill.his uerbis: Ante tabulas testamenti codicilli facti nõ aliter ualent, quàm si testamento, quod postea factum est, uel codicillis confirmentur, aut uoluntas eorum quocunque indicio retineatur. Sed non seruabuntur ea, de quibus aliter defunctus nonsimè iudicauit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi alio indicio appareat, testatorem à uoluntate codicillorum non recessisse. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Aut uoluntas eorum quocunque indicio retineatur. *Concordat Instit.eod.tt.§.sed cum ante,his uerbis:* Cum ante testamentum factum codicilli facti erant:Papinianus ait,nõ aliter uires habere, quàm si speciali postea uoluntate confirmentur. Sed diui Seuerus & Antoninus rescripserũt, ex ijs codicillis, qui testamentum præcedunt,posse fideicõmissum peti: si appareat, eum qui testamẽtum fecit,à uolũtate,quam in codicillis expresserat, non recessisse. *Altera replicatio est: Nisi testamentum ante codicillos sit factum. Quæ replicatio approbatur l.si quis.3. §.penultim. ff. de iure codicill.his uerbis:* Testamento facto, etiamsi codicilli in eo confirmati non essent, uires tamen ex eo capient. *Tertia replicatio est:Nisi testamentum nullum sit factum. Hæc replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ.except.7.*

XXII. Exceptio: *Nisi non specialiter,sed generaliter codicilli sint cõfirmati, uel autequã essent facti. Hæc exceptio reprobatur l.fine.6.C.de codicillis, hisce uerbis:* Siue initio, quæ fuerat codicillis relicturus, generaliter, siue nouissimè relicta seruari mandauerat: confirmatione munitus,nullam iustam gerere solicitudinem potes. *Concordat l.conficiuntur.8.in prin ff.de iure codicill.cuius uerba uide ẽ.except.7.*

XXIII. Exceptio: *Nisi codicillis certi generis confirmatis,codicilli,de quibus agitur, non sint eius generis. Hæc exceptio approbatur d.l.8.§.fin.his uerbis:* Si quis certi generis codicillos cõfirmauerit, puta, Quos nouissimos fecero: non utique statim quæ codicillis dantur, consistere uidebuntur,quamdiu alij quoque fieri possint. Et ideo si alij postea fiant, legata in prioribus data non ualebunt. *Planè si quis ita codicillos confirmauerit, Si quid ad hoc testamentum pertinens reliquero, ualere uolo: etiam codicilli ante testamentum facti hisce uerbis continentur, nec propter uerbum futuri temporis Reliquero, diuersus generis sunt censendi. quod approbatur l.Plotiana. 18. ff.de iure codicill. his uerbis:* Plotiana Celso suo salutem. Lucius Titius his uerbis ita cauit: Si quid tabularum, aliúdue eius generis ad hoc testamentum pertinens reliquero,ita ualere uolo. Quæro,an codicilli,qui ante hoc testamentum scripti sunt,debeant rati esse?Iubentius Celsus Plotianæ salutẽ.

Hæc uerba, Si quid ad hoc testamentũ pertinens reliquero, ualere uolo: etiam ea quæ ante testamentum scripta sunt, comprehendere uidentur. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi testator postea ab ista priore uoluntate recesserit, & codicillos, quamuis alterius generis, ualere uoluerit. Hæc replicatio approbatur exemplo l. diuus. 6. §. licet. ff. de iure codicill. cuius uerba uide ẽ. except. 15. Concordat l. ult. in prin. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 6. except. 84. replic. 11. Concordat item l. si quis. 22. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 6. except. 96.*

XXIIII. *Exceptio: Nisi ueste sua in codicillis legata, uestis ipsius testatoris non fit: uel ita legato in codicillis relicto, Si Titius uiuus est: uel, Si tot annorũ est: hæc conditio deficiat. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio uidetur esse talis: Nisi tempore quo codicilli antea confirmati sunt, conditio uera fuerit. Hæc replicatio reprobatur l. quædam. 7. §. prætered. ff. de iure codicill. his uerbis:* In illis quæ non iuris, sed facti sunt, non est perinde habendum, quod codicillis scribitur, atque si ubi confirmantur, scriptum fuisset. Veluti si ita in codicillis scriptum erit, Vestem quę mea est: codicillorum tempus spectandum, non quo confirmantur. Item si ita, Si Titius uiuus est: uel, Si tot annorum est: codicillis legauit Seio, tempus codicillorum, non quo tempore fit testamentum, spectandum. *Alia huius replicationis reprobatæ exempla proponuntur d. l 27. in prin. cuius uerba uide ẽ. except. 1. repl. 1. item l. diuus. 6. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. 8. item l. consiciuntur. 8. §. si post. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. 4. repl. 1.*

XXV. *Exceptio: Nisi is qui codicillos fecit, postea mutauerit uoluntatem. Hæc exceptio approbatur l. ante tabulas. 5. in fine. ff. de iure codicill. his uerbis:* Non seruabuntur ea, de quibus aliter defunctus nouissimè iudicauit. *Concordat l. cum propon. 3. C. eod. tt. his uerbis:* Cum proponatis, pupillorum uestrorum matrem diuersis temporibus ac dissonis uoluntatibus duos codicillos ordinasse: in dubium non uenit, id quod priori codicillo inscripserat, per eum in quem postea secreta uoluntatis suæ contulerat, si à prioris tenore discrepat, & contrariam uoluntatẽ continet, reuocatũ esse.

XXVI. *Exceptio: Nisi ei qui codicillos fecit, adgnascatur posthumus, uel quasi posthumus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. 1. C. de codicillis, hisce uerbis:* Rupto quidem testamento adgnatione posthumi, codicillos quoque ad testamentum pertinentes non ualere, in dubium non uenit. Sed cum post ruptum testamentum patrem pupillorum uestrorũ literas emisisse proponatis, quibus præcedens iudicium confirmauit: Prætor nihil contra ius fecit, si nouissimam eius uoluntatem secutus, relictum testamento reipublicæ fideicommissum, ut ex codicillis relictum, præstandum esse pronunciauit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi testator nihilominus post ruptum adgnatione posthumi testamentum, codicillos ualere uoluerit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis. Altera replicatio est: Nisi adgnatus posthumus mortuus sit. Hæc replicatio approbatur l. conficiuntur. 8. §. si post, in fine. ff. de iure codicill. cuius uerba uide ẽ. except. 4. repl. 1. Tertia replicatio est: Nisi nullo testamento facto, codicilli facti sint, hi enim adgnatione posthumi non rumpuntur. quæ replicatio approbatur l. si quis. 3. §. sed etsi post. ff. de iure codicillorum. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 10. causa 42. except. 1. replic. 6. dupl. 1. Concordat item l. qui grauiu. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. 39. cap. 2. reg. 1. except. 1. repl. 9. dupl. 1. Item concordat l. ab intestato. 16. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Ab intestato factis codicillis, relicta etiam postea natus intestati successor debebit. Quicunque enim ab intestato successerit, locum habent codicilli. Nam unus casus est, nec interest qui succedat, dum intestato succedat. *Item cõcordat l. is qui. 19. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. 33. cap. 2. reg. 1. except. 1. repl. 9. dupl. 2.*

XXVII. *Exceptio: Nisi hæreditas ex testamento adita non sit. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 3. §. fin. ff. de iure codicill. his uerbis:* Si hæreditas ex testamento adita non fuisset, fideicommissum ex huiusmodi codicillis nullius erit momenti. *Hæc de exceptionibus aduersus codicillos. Sed & plures huiusmodi exceptiones, item Quibus ex codicillis actio competat? Aduersus quos? Quid in ea ueniat petendum? & cætera uide ẽ. ubi de legatis & fideicommissis tractabitur.*

Nunc de hæreditatibus ab intestato competentibus dicendum.

DIGESTORVM LIBER VICESIMVSNONVS:

DE HAEREDITATIBVS ET BONORUM POSSESSIONIBUS AB INTESTATO.

TRansitio huius loci proponitur *l. 1. in prin. ff. si tabulæ test. nullæ extabunt, his uerbis:* Posteaquam Prætor locutus est de bonorum possessione eius qui testatus est, transitum fecit ad intestatos, eum ordinem secutus, quem & lex XII. Tabul. secuta est. Fuit enim ordinarium, antè de iudicijs testantium, sic dein de successione ab intestato loqui. Sed successionem etiam ab intestato in plures partes diuisit. fecit enim gradus uarios: primum liberorum, secundũ legitimorum, tertium cognatorum, deinde uiri & uxoris.

DE SVCCESSIONIBVS ab intestato in genere. Cap. I.

I. CAVSAE, EX QVIBVS successio ab intestato competit.

I. *Causa: Si defunctus non fecit testamentum. Hæc causa cum alijs cognatis approbatur Inst. de hæreditat. quæ ab intest. in prin. his uerbis:* Intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non iure fecit: aut id quod fecerat, ruptum irritúmue factum est: aut si ex eo nemo hæres extiterit. *Concordat l. 1. in prin. ff. de suis & legitimis hæred. his uerbis:* Intestati propriè appellantur, qui cum possent testamentum facere, testati non sunt. Sed & is qui testamentum fecit, si eius hæreditas non est adita, uel ruptum uel irritum est testamentum: intestatus non impropriè dicetur decessisse. Planè qui testari non potuit, propriè non est intestatus: puta impubes, furiosus, uel cui bonis interdictum est. Sed hos quoque pro intestatis accipere debemus. Eum quoq; qui ab hostibus captus est: quoniam per legem Corneliam successio his defertur, quibus deferretur, si in ciuitate decessisset. Nam & eius hæreditas fuisse creditur. *Concordat item l. si aut. 4. C. de legitimis hæredibus. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 2. quæst. 5.*

II. *Causa: Si defunctus non iure fecit testamentum. Hæc causa approbatur Inst. de hæred. quæ ab intest. in prin. cuius uerba uide ẽ. causa prox. Concordat d. l. 4.. Concordat item l. bonorum. 3. ff. si tabulæ testam. nullæ extab. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 10. except. 75. Huius causæ species, & singularum specierum exceptiones uide ẽ. lib. prox. cap. 6. usq; ad cap. 19.*

III. *Causa: Si testamentum defuncti ruptum aut irritum sit factum. Hæc causa approbatur Inst. de hæred. quæ ab intestat. in prin. ibi: aut id quod fecerat. cuius uerba uide ẽ. causa 1. Concordat l. 1. §. si hæres. ff. si tabulæ testam. nullæ extab. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 19. except. 23. Concordat item l. 1. in prin. ff. de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide ẽ. causa 1. Huius causæ species & singularum specierum exceptiones uide ẽ. lib. prox. cap. 19. cum duobus capitibus sequentib.*

IIII. *Causa: Si nemo ex testamento defuncti hæres extiterit. Hæc causa approbatur Instit. de hæred. quæ ab intest. in prin. ibi: aut si ex eo. cuius uerba uide ẽ. causa 1. Concordat l. 1. in princ. ibi: si eius hæreditas. ff. de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide ẽ. d. causa 1. Concordat item l. 1. §. 1. ff. si tabulæ test. nullæ extab. his uerbis:* Ita ab intestato potest competere bonorum possessio, si neque secundum tabulas, neque cõtra tabulas bonorum possessio agnita sit. Planè si tempora quidem petendæ bonorum possessionis ex testamẽto largiebantur, ueruntamen repudiata est bonorum possessio: dicendum est, ab intestato bonorum possessionem iam incipere. cum enim is qui repudiauit bonorum possessionem, petere non potest post repudiationem: consequens erit, ut ab intestato possessor peti incipiat. Sed etsi ex Carboniano edicto bonorum possessio data sit: magis est ut dicere debeamus, ab intestato nihilominus posse peti. Vt enim suo loco ostendimus, non impedit bonorum possessionem edictalem Carboniana bonorum possessio. *Concordat item l. 1. §. 1. ff. quis ordo in bonor. possess. his uerbis:* Siue tabulæ testamẽti extent, siue nõ extent: si secundũ eas, uel cõtra eas bonorũ possessionem nemo accepit, intestati datur bonorum possessio. *Concordat item l. si quis. 9. §. sed & si hæres. ff. de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si hæres institutus omiserit hæreditatem, erit legitimus hæres: quoniam hæc uerba, Si intestatus moritur: ad id tempus referuntur, quo testamentum destituitur, non quo moritur. *Concordat item l. si scripti. 9. C. de petit. hæred. his uerbis:* Si scripti hęredes delatam sibi successionem cognati repudiauerunt, & hanc honorario uel ciuili iure quæsitas hæreditarias, quæ in eadem causa durant, hęreditatis petitione uindicare potes. *Concordat item l. intestatus. 64. ff. de uerb. signific. his uerbis:* Intestatus est non tantùm qui testamentum

mentum non fecit,sed etiam cuius ex testamento hęreditas ądita non est. *Concordat denique l.si nemo.141.ff.de reg.iuris,hisce uerbis*: Si nemo subijc hæreditatem,omnis uis testamẽti soluitur.

De exceptionibus præcedentium causarum generalibus.

Ex causis iam enumeratis hæreditas ab intestato competit ijs personis, quæ proponentur ȝ. capitibus proximis. Verùm illarum causarum exceptiones generales hæ sunt.

I. Exceptio: *Nisi defunctus seruus fuerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §. libro prox.cap.6.except.17. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi defunctus ante mortem liber fuerit effectus. hoc enim casu liberos ex se natos, modò sint manumissi, hæredes ab intestato relinquit. Hæc replicatio approbatur Instit.de seruili cognatione, in prin. his uerbis*: Illud certum est, ad seruiles cognationes illam partem edicti, qua proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinere. Nam nec ulla antiqua lege talis cognatio computabatur. Sed nostra constitutione, quam pro iure patronatus fecimus (quod ius usque ad nostra tempora satis obscurum, atque nube plenum & undique confusum fuerat) & hoc humanitate suggerente concessimus,ut si quis in seruili constitutus consortio, liberum uel liberos habuerit, siue ex libera, siue ex seruilis conditionis muliere: uel cõtrà serua mulier ex libero uel seruo habuerit liberos cuiuscunque sexus: & ad libertatem ijs peruenientibus, ij qui ex seruili uentre nati sunt, libertatem meruerint: uel dum mulieres liberæ erant,ipsi in seruitute eos habuerint, & postea ad libertatem peruenerint: ut hi omnes ad successionem patris uel matris ueniant, patronatus iure in hac parte sopito. Hos enim liberos non solùm in suorum parentum successionem,sed etiam alterum in alterius successionẽ mutuam uocauimus. Ex illa lege specialiter eos uocãtes: siue soli inueniantur, qui in seruitute nati, & postea manumissi sunt: siue unà cum alijs, qui post libertatem parentum concepti sunt: siue ex eodem patre, siue ex eadem matre, siue ex alijs nuptijs, ad similitudinem eorum qui ex iustis nuptijs procreati sunt. Ait *Imperat.* Sed nostra constitutione. *Huius constitutionis etiam fit mentio Instit.de successione libertorum. §.sed nostra constitutio. cuius uerba uide §. lib.10.cap.7. quæst.2. except.1. repl.13. Planè replicatio proposita ad liberos tantùm, non etiam ad alios cognatos pertinet. quod duplicationis loco notandum. quæ duplicatio approbatur l.1.§.1. ff.unde cognati,his uerbis*: Pertinet lex hæc ad cognationes non seruiles: nec enim facilè ulla seruilis uidetur esse cognatio. *Altera replicatio est: Nisi liber ab hostibus captus, ibi decesserit. hic enim quamuis seruus hostium fuerit effectus, tamen lex Cornelia fingit eum in ciuitate decessisse. quæ replicatio approbatur l.bona.3. §.dari.ibi:sed & eius.ff.de bonor.possess.cuius uerba uide §. libro prox. cap.6.except.19.repl.2. Concordat l.1.in prin.ibi:eum quoque.ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide §.causa 1. Concordat item l.apud.8.C.de legitimis liberis,hisce uerbis*: Apud hostes patre defuncto, filia communis uobis,quo casu sciẽtia mortis non postulatur, extitit hæres sua, & ad te transmisit successionem. *Concordat item l. si his.8.C.de legitimis hæredibus, his uerbis*: Si his, de quorum successione agitur, apud hostes defunctis, secundum legis Corneliæ beneficium iure adgnationis adita hæreditate, uel petita bonorum possessione successisti: eorũ substantiam uindicare nõ prohiberis. *Concordat item l.bona.22.in princip.ff.de captiuis. cuius uerba uide §. lib.prox. cap.19.except.4. Contradicit propositæ replicationi l.itineri.3.§.fin.ff.de uerb. significe. de qua re uide d.except.4. Planè replicationis huius duplicatio hæc est: Nisi filius apud hostes conceptus, patris apud hostes defuncti hæreditatem sibi uendicet. huic enim replicatio proposita non prodest. Quæ duplicatio approbatur l.1.in fine.C.de postliminio. cuius uerba uide §.lib.19.cap.3.causa 1.except. 8. Planè duplicatio hæc iure nouo uidetur sublata per ea quæ dicta sunt suprà replic.1. Tertia replicatio est: Nisi captus ab hostibus redemptus decesserit: hoc enim casu, quamuis redemptionis precium redemptori solutum non fuerit,non tamen seruus, sed liber uidetur decessisse. quæ replicatio approbatur l.si patre.35. ff.de captiuis, hisce uerbis*: Si patre redempto, & ante uitionem defuncto, filius post mortem eius redemptionis quantitatem offerat: dicendum est, suum ei posse existere. nisi fortè quis subtilius dicat: hũc,dum moritur,quasi iure pignoris finito,nactum postliminium,& sine obligatione debiti obijsse, ut possit suum habere. Quod non sine ratione dicetur.

II. Exceptio: *Nisi defunctus fuerit filiusfamiliâs. Hæc exceptio iure quidem antiquo, quo filij nihil proprium habebant, approbatur: unde nec testari poterant,secundum ea quæ proposita sunt §.cap.7.in prin. uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi filiusfamiliâs, patre eius apud hostes existente, mortuus sit. hoc enim casu legitimum habet hæredem. quæ replicatio approbatur l.si pater.15.ff.de suis & legitimis hæred. his uerbis*: Si pater apud hostes moriatur,defuncto iam in ciuitate filio: credimus patremfamiliâs decessisse,quamuis patria potestate,quamdiu uixerit, nõ fuerit in plenũ liberatus. Itaque hæredem habiturus est iste, non reuerso patre. Sed si postliminio redierit pater iam defuncto filio: quidquid medio tempore per eum quæsitum est, habebit. Et non est mirum,si peculium quoque

que defuncti pridem filij defertur patri: cũ ex eo natus potestatis ipsius fiat per suspensi iuris constitutionem. *Concordat l.proponebatur.9.§.fin.ff.de castrensi peculio, his uerbis*: Si filius eius qui ab hostibus captus est, decesserit,patre captiuo uiuo: siquidem pater regrederetur,quasi filiusfamiliâs peculiũ habebit.Enimuerò si ibidem pater decesserit: quasi paterfamiliâs legitimũ habebit successorẽ,& retrò habuisse credetur eius successor. ea quoque quæ medio tempore filiusfamiliâs iste quæsijt, non hæredi patris, sed ipsi filio quæsita uidebuntur. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi pater post mortem filij ab hostibus fuerit reuersus.quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Siquidem pater regrederetur,quasi filiusfamiliâs peculium habebit. *Approbatur item uerbis d.l.15.§.propositis hisce*: Sed si postliminio redierit pater iam defuncto filio,&c. *Altera replicatio uidetur:Nisi filiusfamiliâs miles decesserit, relictis bonis castrensis peculij. Hæc replicatio reprobatur l.ult.in prin.ff.ad S.C.Tertyllianum,his uerbis*: Si filiusfamiliâs miles non sit testatus de his quæ in castris adquisierit:an ea ad matrem pertineant,uidẽdum est? Sed non puto. Magis enim iudicio militum hoc beneficium concessum est, non ut omnimodò quasi patresfamiliarum in ea re sint. *Tertia replicatio est: Nisi defunctus sui iuris existens, se dederit adrogandum: hoc enim casu hæres legitimus nihilominus admittitur. quæ replicatio approbatur l.nec ei.17.§.fin.cum duabus legibus sequentib.ff.de adopt. cuius uerba uide §.libro 16.cap.8. quæst.3.reg.10. Concordat l.2.§.impuberem.ff.ad S.C. Tertyll.cuius uerba uide §.lib.prox.cap.14.except.176. Concordat item l.non tantùm.3.§.si pater.ff.de bonor. possess. contra tabul. his uerbis*: Si pater alicuius peruenerit in adoptiuam familiã, filius nõ: an patris sui,in adoptiua familia mortui,bonorum possessionem accipere possit? & arbitror humaniorem esse hanc sententiam, ut filius hic (quamuis non sit in eadem familia, qua pater) ad bonorum possessionẽ tamen eius admittatur.

De iure nouo.

Hæc quidem iure antiquo recepta fuêre. Iure autem nouo exceptio proposita reprobatur: quoniam iure nouo pater non nisi usumfructum in bonis filij habet,ut ostensum §. lib.16.cap.2.quæst.1. post except.15. Filius ergo familiâs proprietatis legitimum hæredem iure nouo habet. Cui concordat l.ult.C.communia de successionibus, his uerbis: Sancimus, quemadmodum de his rebus, quæ liberis in sacris constitutis ex occasione maritali adquisitæ sunt,certus destinatus est ordo,ut si quis ex his ab hac luce fuerit subtractus, pars eius quam lucratus fuerat,ad liberos eius uel nepotes concedatur: quibus non existentibus, ad fratres suos ex eodem matrimonio progenitos: uel si etiam non supersint, ad fratres ex alijs nuptijs procreatos: cumq; nemo eorum fuerit relictus, tunc ad patrem perueniat. ita & de his quæ materna linea per quamcunque occasionem uel inter uiuos, uel per ultimas dispositiones, uel ab intestato descendunt, similis ordo seruetur: primò in filij uel filiæ successionẽ posteritate eius uocanda: eaq; non inuenta, fraterno cõsortio eiusdem uel alieni matrimonij secundum prædictum ordinem accersito: tunc ad ultimum locum pater àlegibus conclametur, & sui filij non gratam hæreditatem relictam,sed iustè lucrum sibi lugeat adquisitum. In omnibus uidelicet casibus in superstite sobole liberorum & fratribus adhuc uiuentibus, qui ad hæreditatem defuncti patrem antecedunt, usufructu rerum, quarum dominium ad eos peruenit,apud parentes remansuro. *Quod hic de bonis maternis & materni generis cauetur, hodie de omnibus bonis filij, ex substantia patris non adquisitis, intelligendum est,secundum ea quæ proposita sunt §.d. quæst.1.post except.15. Concordat item Nouell.c.118. §.si quis igitur.ibi:tametsi enim.cuius uerba uide ȝ.capite 5.reg.1.except.1. Concordat item l.ult.§.fin.C.ad S.C.Tertyll. cuius uerba uide ȝ.cap.5.reg.5.except.14. in fine.*

III. Exceptio: *Nisi defunctus testamenti factionem non habuerit: puta impubes,furiosus,uel is cui bonis interdictũ est.Hæc exceptio reprobatur l.1.in prin. ibi:planè qui testari.ff.de suis & legitimis hæred.cuius uerba uide §.causa 1.*

IIII. Exceptio: *Nisi defunctus capitali iudicio fuerit damnatus. Hæc exceptio iure quidem antiquo approbatur, per ea quæ proposita sunt §.lib.3.cap.13. Planè eius replicatio prima hæc est: Nisi miles ex militari delicto capite sit damnatus. quæ replicatio approbatur l.1.ff. de ueteranorum & militum successi. cuius uerba uide §. cap.18.dupl.3. Contradicit l.& militib. 13.C.de test.militis. cuius uerba uide d.dupl.3. Secunda replicatio est: Nisi damnatus pœna rursus sit liberatus. Hæc replicatio approbatur l.1.§.fin. cum lege sequente.ff.de bonor.possess.contra tab. his uerbis*: Si pater & filius deportati sunt, & ambo restituti: dicemus, ad bonorum possessionem admitti filium. Sed etsi filius in metallum damnatus, uel alia pœna quæ seruum efficit, & restitutus sit: nihilominus admittetur.Idemq; est,etsi pater pœnę seruus efficiatur,& postea restituatur.

V. Exceptio: *Nisi memoria defuncti fuerit damnata. Hæc exceptio approbatur Inst.de hæred.quæ ab intest.defer.§.interdum,his uerbis*: Euenit,ut licet quis in familia defuncti sit mortis tempore, tamen suus hæres nõ fiat: ueluti,si post mortem suam pater iudicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria eius damnata fuerit. suum enim hæredem habere non

poteſt, cum fiſcus ei ſuccedat. Sed poteſt dici, ipſo quidem iure ſuum hęredem eſſe, ſed deſinere. *Concordat l.1.§.interdum.ff.de ſuis & legitimis hæred. his uerbis:* Interdum etiam filius ſuus hæres excluditur, fiſco prælato: puta, ſi perduellionis fuerit damnatus pater poſt mortem ſuam: hoc quoque, ut nec iura ſepulchrorum hic filius habeat.

V I. Exceptio: *Niſi defunctus miles fuerit. Hæc exceptio reprobatur l.2. ff.de ueteranor. & militum ſucceſſ. his uerbis:* Bona militis inteſtatò defuncti caſtrenſia fiſco non uindicantur, cum hæres legitimus ad finem quinti gradus extitit, aut proximus cognatus eiuſdem gradus infra tempus poſſeſſionem accepit.

V I I. Exceptio: *Niſi defunctus naturalis, non legitimus fuerit filius. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.ſi ſpurius.4. ff.unde cognati, his uerbis:* Si ſpurius inteſtatò deceſſerit, iure conſanguinitatis aut adgnationis hæreditas eius ad nullum pertinet: quia cõſanguinitatis, itemq; adgnationis iura à patre oriũtur. Proximitatis autem nomine mater eius, aut frater eadem matre natus, bonorum poſſeſſionem eius ex edicto petere poteſt. *Concordat Inſtit.ut.de ſucceſſione cognatorum. §.uulgò quæſitos, his uerbis:* Vulgò quæſitos nullos habere adgnatos, manifeſtum eſt: cum adgnatio à patre ſit, cognatio à matre. Hi autem nullum patrem habere intelliguntur. Eadem ratione neinter ſe quidem poſſunt uideri conſanguinei eſſe: quia conſanguinitatis ius ſpecies eſt adgnationis. Tantum ergo cognati ſunt ſibi, ſicut & matri cognati ſunt. Itaq; omnibus iſtis ex ea parte competit bonorum poſſeſsio, qua proximitatis nomine cognati uocantur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi mater, aut frater ex eadem matre natus, defuncti hæreditatem petat. his enim propoſita exceptio non obſtat. Quæ replicatio approbatur uerbis d.l.4.ſ.propoſitis hiſce:* Proximitatis aũt nomine mater eius aut frater, &c. Itẽ *uerbis d.§.uulgò, iam propoſitis hiſce:* Tantùm ergo cognati ſunt ſibi, &c. *Concordant ea quæ habentur ĩ.cap.5.reg.5.except.8. Altera replicatio uidetur: Niſi defunctus per oblationem curiæ fuerit legitimatus. Hæc replicatio reprobatur l.communium.9. in prin.ibi: eodem ſcilicet modo. C.de naturalibus liberis, cuius uerba uide ſ̃.lib.16.cap.4.quæſt.3.cauſa 1.except.6. Concordat Nouell.c.89.§.eum autem filium. ibi: conſimile priuilegium. cuius uerba uide ſ̃.d.except. 6. Planè replicatio propoſita prodeſt liberis defuncti, item matri & cognatis maternis. quæ diſtinctio approbatur d.l.9.§.ſed ſiquidem, uſq; ad §.fin. his uerbis:* Siquidem iſte naturalis filius, ſiue poſteaquã legitimus ſucceſſor patri factus fuit, ſiue in antecedẽte tempore filios ex legitimo matrimonio, uel alios deſcendentes liberos habeat eos modis omnibus ad eius ſucceſsionem ſine teſtamento morientis uocari, nec curiæ locum eſſe: præterquam ſi quarta portio bonorum eius eidem curię debeatur, eo quòd nullus fortè ex mortui liberis curialia munera peragere cogitur: illo uidelicet obſeruando, ut hi quos iſte naturalis filius, poſteaquam fortunæ curiali datus eſt, procreauerit, & decuriones ſine dubio ſint, & curialia peragere munia compellantur. Si uerò ſine liberis cuiuſcunq; gradus inteſtatus deceſſerit, ſiquidem matre ſuperſtite: tertiam quidem partem bonorum eius matrem habere, duas uerò alias partes curiam, cui à patre datus eſt. Sin autem mater quidem defuncti non ſupereſt, alij uerò cognati ex materna linea deſcendentes, uel aſcendentes, uel ex latere uenientes, ad eius uocentur ſucceſsionem: tunc ea quidem quæ à patre naturali ad eum peruenerunt, eidem curię cõpetere. Si quid uerò filio quocunque legitimo modo ſucceſſori effecto uel à matre ſua, uel aliunde quocunque modo adquiſitum ſit: hoc ad proximos maternos eius cognatos peruenire. Illo uidelicet obſeruando, ut ſiue matre eius ſuperſtite, ſiue ea ante filium mortua, aliquis ex eius genere eiuſdem curiæ fortunam ſubire paratus ſit: liceat ſe offerenti eidem curiæ bona mortui, quæ de ſubſtantia patris ad eum peruenerunt, capere, omniaq; peragere curialia. Quo accidente, mater defuncti (ſi adhuc ſuperſit) nõ ſolùm tertiam partem eorum quæ extra paternam ſubſtantiam filius eius aliunde adquiſiuerit, ſed omnia ea uel ipſa ſola, uel cum cohæredibus ſuis capiet. Ea uerò quæ de ſucceſsione naturalis filij poſt curialem conditionem morientis conſtituimus, non tantùm in ijs locum habere debent, qui poſtea à patre ſuo naturali curiæ dati fuerint: ſed etiam in illis quĩ iam dati ſunt, ſi tamen adhuc ſuperſunt. Quòd ſi ante præſentem legẽ mortui ſunt, minimè ad eorum ſucceſsionem eandem noſtram ſanctionem extendimus. *Hæc quodammodò mutantur Nouell.c.89.§.ſanciendum, uſque ad §.ac cum tres aliæ, his uerbis:* Sanciendum eſt, quinam his ipſis, ad ius legitimorum redactis, ſucceſſores efficiantur. Et quidem ſi talis filios habeat, &c.

V I I I. Exceptio: *Niſi defunctus ex naturali, non legitimo filio natus ſit. Hæc exceptio approbatur l.cõmunium.9. in prin.ibi: eodem ſcilicet modo. C.de naturalibus liberis. cuius uerba uide ſ̃. lib.16.cap.4.quæſt. 3.cauſa 1.except.6.*

I X. Exceptio: *Niſi fœmina deceſſerit. Hæc exceptio reprobatur l.2.§.1. ff. unde legitimi, his uerbis:* Hæc bonorum poſſeſsio non tantùm maſculorum defertur, uerùm etiam fœminarum: nec tãtùm ingenuorum, uerùm etiam libertinorum. Communis eſt igitur pluribus. Nam & fœminæ poſſunt uel conſanguineos uel adgnatos habere. Item libertini poſſunt patronos patronasque habere. Nec tantùm maſculi hanc bonorum poſſeſſionem accipere poſſunt, uerùm etiam fœminæ. *Planè admittitur exceptio propoſita quo ad ſuos hæredes: hos enim fœmina defuncta habere nõ poteſt. Quæ diſtinctio approbatur l.nulla.13.ff.de ſuis & legitimis hæred. his uerbis:* Nulla fœmina aut ſuos habet hæredes, aut deſinere habere poteſt propter capitis deminutionem.

X. Exceptio: *Niſi libertinus deceſſerit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Nec tantùm ingenuorum, &c. *Vide item de hac exceptione ſ̃.lib.20.cap.7.*

X I. Exceptio: *Niſi defunctus teſtamentũ fecerit, & hæredes ſcripſerit. Hæc exceptio conſtat ex ijs quæ dicta ſunt ſ̃.cauſa 1. Eius replicatio prima hæc eſt: Niſi teſtamentum iniuſtum ſit, aut ruptum, irritúmue factum. Hæc replicatio approbatur per ea quæ propoſita ſunt ſ̃.cauſa.2.& 3. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi is in teſtamẽto hæres ſcriptus ſit, qui etiam ab inteſtato hæres eſſe poſſit, bonorumq; poſſeſsionem ſecundum tabulas petierit: hoc enim caſu, quamuis poſtea deficiat teſtamentum, nihilominus in ſua bonorum poſſeſsione, quam petijt, defenditur, l.ſi ſub.5.in prin. ff.de bonor.poſſeſs.ſecundum tabulas. cuius uerba uide ĩ.lib.34.cap.6. except.33. Ideoq; uidetur obſtare cæteris ab inteſtato cohæredibus. Sed hæc duplicatio reprobatur l.1.§.ſed ſi mater. ff. ad S.C. Tertyll. his uerbis:* Si mater teſtamento facto filium hæredem unum ſcripſerit ſub conditione, cum plures haberet: ſi conditione pendente bonorum poſſeſsionẽ petierit, &c. *Altera replicatio eſt: Niſi hæreditas ex teſtamento adita non ſit. Hæc replicatio approbatur per ea quæ propoſita ſunt ſuprà cauſa 4. Tertia replicatio uidetur: Niſi pro parte inteſtatus deceſſerit. Hæc replicatio reprobatur l.ius noſtrum.7. ff. de reg.iuris, hiſce uerbis:* Ius noſtrum non patitur eundem in paganis & teſtatò & inteſtatò deceſsiſſe: earúmque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt. *Concordant ea quæ propoſita ſunt ſ̃. libro proxim.capite 22. reg.3. except.1. Admittitur hæc replicatio primùm in milite: ut oſtenſum ſuprà d.except. 1.replic.1. item ſ̃.lib.prox.cap.18.dupl.27. Deinde admittitur, ſi per inofficioſi querelam teſtamentum pro parte reſcindatur. l.nam etſi.15.§.fin.l.mater.19.§.prætereà dicendũ. & l.circa.24.ff.de inoffic.teſt. de qua re ĩ.ſuo loco dicetur.*

X I I. Exceptio: *Niſi de hæreditate tranſactum ſit. De hac & alijs ſimilibus exceptionibus uide ĩ.in petitione hæreditatis, lib.31.cap.1.quæſt.4.* Hactenus ergo *de cauſis hæreditatis ab inteſtato, earumq; exceptionibus ſit dictum.*

II. QVIBVS HAEREDITAS ab inteſtato competit?

De huius quæſtionis regulis, & ſingularum regularum exceptionibus, dicetur ĩ. cap. prox. cum aliquot capitibus ſequentibus.

III. QVID ET QVANtum hæreditatis cuiq; ab inteſtato competat?

De hac re uide ĩ.c ap.14.

IIII. QVANDO hæreditas ab inteſtato deferatur, uel competat? dicetur ĩ.cap.ult.

V. EVENTVS *hæreditatis delatæ tractabuntur ĩ.lib.prox.*

DE SVCCESSIONE LIberorum. Cap. II.

PRimo loco liberis defuncti hæreditas *ab inteſtato defertur. Quæ regula approbatur Nouell.c. 118.§.1.his uerbis:* Cum omnis ab inteſtato generis ſucceſsio tribus internoſcatur ordinibus, hoc eſt, aſcendentium, deſcendentium, & ex tranſuerſo conſiſtẽtium, qui in adgnatos & cognatos diuiduntur: ut prima ſucceſsio penes deſcendentes ſit, decernimus. *Concordat Inſtit.de hæred. quæ ab inteſtato.§.1.his uerbis:* Inteſtatorum hæreditates ex lege XII. Tabularum primùm ad ſuos hæredes pertinent. Sui autem hæredes exiſtimantur (ut ſ̃.diximus) qui in poteſtate morientis fuerint: ueluti filius filiáue, nepos neptíſue ex filio, pronepos proneptíſue ex nepote ex filio nato prognatus prognatáue. *Concordat l.1.in princip.ibi: ſed ſucceſsionem. ff.ſ̃ tabulæ teſtam.nullæ extab. cuius uerba uide ſ̃.lib.eod. in prin. Concordat item d.l.1.§.rectè, his uerbis:* Rectè Prætor à liberis initium fecit ab inteſtato ſucceſsionis: ut ſicut contra tabulas ipſis defert, ita ab inteſtato ipſos uocet. *Concordat item l.1.in prin.ff.quis ordo in bonorum poſſeſſ. ſeruetur, his uerbis:* Inteſtati hi gradus uocantur: primùm ſui hæredes, ſecundò legitimi, tertiò proximi cognati, deinde uir & uxor. *Concordat item Inſtit.de hæred.qual.& differ. §.ſed ſui quidem. cuius uerba uide infrà lib.prox.cap.3.reg. 2.except.2. Item concordat l.in ſuis.11. ff.de liberis & poſthumis, hiſce uerbis:* In ſuis hæredibus euidentius apparet, continuationem dominij eò rem perducere, ut nulla uideatur hæreditas fuiſſe: quaſi olim hi domini eſſent, qui etiam uiuo patre quodammodò domini exiſtimabantur. Vnde etiam filius familiâs appellatur, ſicut paterfamiliâs: ſola nota hac adiecta, per quam diſtinguitur genitor ab eo qui genitus ſit. Itaque poſt mortem patris nõ hæreditatem percipere uidentur, ſed magis liberam bonorum adminiſtrationem conſequi. Hac ex cauſa, licet non ſint hæredes inſtituti, tamen domini ſunt. Nec obſtat, quòd liceat eos exhæredare, quos & occidere licebat. *Concordat item l.filius.12.ff.de ſuis & legitimis hæred. his uerbis:* Filius patri adgnatus proximus eſt. *Ratio huius regu-*

læ ac succeſsionis proponitur l.ſcripto.7.§.fin.ff.ſi tabulæ teſt.nullæ extab. his uerbis: Non ſic parentibus liberorum, utliberis parentum debetur hæreditas: quoniam parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit,liberos naturæ ſimul & parentum cõmune uotum. *Planè habet propoſita quoque regula ſuas exceptiones, quarum prima hæc eſt: Niſi liberi ſint adoptiui. Hæc exceptio reprobatur inſt.d.§.1.his uerbis*: Nec intereſt,utrum naturales ſint liberi, an adoptiui. *Concordat Inſtitut.eod.tt.§.ſed ea omnia.ibi:niſi in hoc tantummodò. cuius uerba uide ȝ. except.3.in fine. Concordat item l.1.§.ſuos. ff.de ſuis & legitimis,hiſce uerbis*: Suos hæredes accipere debemus filios, filias, ſiue naturales,ſiue adoptiuos. *Concordat item l.ſi te.5.C.de legitimis liberis, hiſce uerbis*: Si te parens, in cuius fuiſti poteſtate, ſolenniter in adoptionem dedit: cum filijs naturalibus adoptiui patris antè uel pòſt quæſitis defuncto inteſtato ſuccedere potes. *Concordat item l.1.§.liberos.ff. ſi tabulæ teſt.nullæ extab. his uerbis*: Liberos accipere debemus,quos ad contra tabulas bonorum poſſeſsionem admittẽdos diximus, tam naturales quàm adoptiuos. *Planè admittitur exceptio propoſita, ſi adoptiui rurſus fuerint emancipati. quæ diſtinctio approbatur d.§.liberos, his uerbis*: Sed adoptiuos hactenus admittimus, ſi fuerint in poteſtate. Cæterùm ſi ſui iuris fuerint, ad bonorum poſſeſsionem nõ inuitantur: quia adoptionis iura diſſoluta ſunt emancipatione. *Plura de hac diſtinctione uide ȝ.except.prox.*

II. *Exceptio: Niſi liberi ſint emancipati, non in poteſtate morientis. Hæc exceptio approbatur Inſtitut.de hæred. quæ ab inteſt. §.emancipati, his uerbis*: Emancipati liberi, iure ciuili nihil iuris habent (neque enim ſui hæredes ſunt, qui in poteſtate parentis eſſe deſierunt) neque ullo alio iure per legem XII. Tabularum uocantur. Sed Prætor naturali æquitate motus, dat eis bonorum poſſeſsionem Vnde liberi, perinde ac ſi in poteſtate parentis tẽpore mortis fuiſſent: ſiue ſoli ſint, ſiue cum ſuis hæredibus concurrant. Itaque duobus liberis exiſtentibus, emancipato uno, & eo qui tempore mortis in poteſtate fuerit: ſanè quidem is qui in poteſtate fuit, ſolus iure ciuili hæres eſt, & ſolus ſuus hæres. Sed cum emancipatus beneficio Prætoris in partem admittitur: euenit, ut ſuus hæres pro parte hæres fiat. *Ex his uerbis conſtat, exceptionem propoſitam iure quidem antiquo ciuili approbari,reprobari uerò iure nouo prætorio: cui iuri prætorio concordat Inſtitut.de ſeruili cognat.§.repetitis.ibi:nec intereſt. cuius uerba uide ȝ. cap.7.except.1.replicat.1. Item concordat l.1.§.fin. ff. quis ordo in bonorum poſſeſs.ſeruetur,his uerbis*: Inteſtati patris liberis bonorum poſſeſsio datur,non tantùm his qui in poteſtate parentis uſque in mortis tempus fuerunt, ſed & emancipatis. *Item concordat l.ſed cum.6.§.bonorum,in fine.ff.de bonorum poſſeſs. cuius uerba uide ȝ.lib.prox. cap.2. quæſt.4. Concordat item l.1.C.unde liberi, his uerbis*: Si auus tuus, relictis tribus emancipatis filijs, deceſſerit, hiq; bonorum poſſeſsionem Vnde liberi acceperint:pro rata portione hæredes eos extitiſſe, palàm eſt. *Concordat item l.meminimus.15.§.cum igitur.C.de legitimis hæred. cuius uerba uide ȝ.cap.7.except.6.replic.6. Concordat item Nouell.c.118.§.ſi quis igitur.cuius uerba uide ȝ. cap.5.reg.1.except.1. Item concordat d.c.118.§.ita tamen ut ſi. cuius uerba uide infrà except.11. Planè dicti iuris prætorij, quo exceptio propoſita reprobatur, diſtinctio hæc eſt: Niſi adoptiui liberi rurſus ſint emancipati: his enim parentis adoptiui hæreditatem ab inteſtato petentibus propoſita exceptio nocebit. quæ diſtinctio ſeu exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.liberi.4. ff.ſi tabulæ teſt.nullæ extab. his uerbis*: Liberi & capite minuti per edictum Prætoris ad bonorum poſſeſsionem uocantur parentum, niſi adoptiui fuerint: hi enim & liberorum nomen amittunt poſt emancipationem. Sed ſi naturales emancipati & adoptati,iterum emancipati ſint:habent ius naturalium liberorum. *Concordat Inſtit.de hæred. quæ ab inteſt.defer.§.at hi qui.ibi: & conuenienter. cuius uerba uide ȝ. except.prox. Concordat item Inſtit.eod.tt.§.minus ergo,his uerbis*: Minus iuris habent adoptiui filij, quàm naturales. Nanque naturales emancipati,beneficio Prætoris gradum liberorum retinent, licetiure ciuili perdãt. Adoptiui uerò emãcipati,& iure ciuili perdunt gradum liberorum,& à Prætore nõ admittuntur. Et rectè. Naturalia enim iura ciuilis ratio perimere non poteſt: nec quia deſinunt ſui hæredes eſſe, poſſunt deſinere filij filiæue,aut neptes neptésue eſſe, Adoptiui uerò emancipati, extraneorum loco incipiunt eſſe:quia ius nomenq; filij filiæue, quod per adoptionem conſecuti ſunt,alij ciuili ratione,id eſt, emancipatione perdunt. *Concordat item l.1.§. liberos.ibi:ſed adoptiuos. ff.ſi tabulæ teſtam.nullæ extab. cuius uerba uide ȝ.except.prox. Huius diſtinctionis ſeu exceptionis in caſu propoſito replicatio hæc eſt: Niſi à parente naturali adoptati rurſus ſint emãcipati.hoc enim caſu propoſita diſtinctio ſeu exceptio illis nõ obſtat. Quæ replicatio approbatur uerbis d.l.4.ȝ.propoſitis hiſce*: Sed ſi naturales emancipati & adoptati, iterum emancipati ſint: habent ius naturalium liberorum. *Concordat l.2. §.liberi. ibi:adoptiui. ff. ad S.C Tertyll. cuius uerba uide infrà cap.5.reg.5.except.13.replicat.2. Item concordat Inſtitut. de hæred. quæ ab inteſt. §.noſtra autem. cuius uerba uide ȝ. except.prox.in fine. Concordat item l.1.§.qui habebat.ff.de bonor.poſſeſs.contra tabulas.cuius uerba uide ȝ.cap.4.except.3. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi nepos in locum filij adoptatus,rurſus ſit emancipatus.hic enim locum filij non retinet,ſed nepotis. quæ duplicatio approbatur l.non tantùm.3.§.1.ibi: ſed ſi ſit. & §.ſi filium. ff.de bonor.poſſeſs.contra tab. cuius uerba uide ȝ.d.cap.4.except.2.repl.1.dupl.1. & repl.2.*

III. *Exceptio: Niſi liberi in alterius ſint familia. hoc enim caſu parenti naturali ab inteſtato non ſuccedunt. Quæ exceptio approbatur Inſtit.de hæred.quæ ab inteſt.defer.§.at hi qui,his uerbis*: Hi qui emancipati à parẽte in adoptionem ſe dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris quaſi liberi: ſi modò, cum is moreretur, in adoptiua familia fuerint. Nam uiuo eo emancipati ab adoptiuo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac ſi emancipati ab ipſo eſſent, nec unquam in adoptiua familia fuiſſent. Et conuenienter, quod ad adoptiuum patrem pertinet, extraneorum loco eſſe incipiunt. Poſt mortem uerò naturalis patris emancipati ab adoptiuo patre, & quantum ad hunc adoptiuum patrem pertinet, æquè extraneorum loco fiunt: & quantum ad naturalis patris bona pertinet, nihilomagis liberorum gradum nanciſcuntur. Quod ideo ſic placuit, quia iniquum èrat, eſſe in poteſtate patris adoptiui,ad quos bona naturalis patris pertineãt,utrũ ad liberos eius,an ad adgnatos. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi ab adoptiuo patre fuerint emancipati. tunc enim ad naturalium parentum ſucceſsionem admittuntur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Nam uiuo eo emancipati ab adoptiuo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac ſi emancipati ab ipſo eſſent, nec unquam in adoptiua familia fuiſſent. *Concordat l.ſi emancipatus.6.§.fin. ff.de bonor.poſſeſs.contra tabulas. cuius uerba uide ȝ.cap.4.except.8. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi poſt mortem demum parentis naturalis ab adoptiuo patre fuerint emancipati. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Poſt mortem uerò naturalis patris emancipati ab adoptiuo patre, &c. *Concordat d.l.6.§.fin. Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi poſt petitionẽ bonorũ poſſeſsionis parentis naturalis,liberi in alienam poteſtatẽ ſeu familiã peruenerint. quæ replicatio approbatur l.ultim. ff. ſi tabulæ teſtam.nullæ extab.his uerbis*: Si posteaquam filius emancipatus, bonorum poſſeſsionem patris petijt, ſtatum ſuum mutauitq; nihil obeſt ei, quo minus id quod adquiſiuit retineat. Quòd ſi prius conditionem ſuam mutauerit, bonorum poſſeſsionem petere non poteſt. *Tertia replicatio eſt: Niſi in poteſtate aui ſit nepos, filio mortuo. hoc enim caſu nepos patri ſuo defuncto ab inteſtato ſuccedit, propoſita exceptione non obſtante. quæ replicatio approbatur l.ſi quis.5.§.quintò. ff.d.tt.his uerbis*: Hi quoque qui in poteſtate nunquam fuerint, nec ſui hæredis locum obtinuerint,uocantur ad bonorum poſſeſsionem parentum. Nam ſi filius emancipatus reliqueritin poteſtate aui nepotem: dabitur ei qui in poteſtate relictus eſt, patris emancipati bonorum poſſeſsio. *Concordat l.ſi pater.6.ff.eod.tt. his uerbis*: Si pater filium emancipauerit,nepotem retinuerit, deinde filius deceſſerit: & rei æquitas & cauſa edicti, quod de bonorum poſſeſsione liberis danda cauetur,efficit ut eius ratio habeatur, & bonorum poſſeſsio inteſtati patris detur: ut tamen bona ſorori, quæ neceſſaria hæres patri extitit, conferre cogatur auus, qui per eum bonorum poſſeſsionis emolumentum adquiſiturus eſt: niſi fortè auus iſte nullum ex his fructum adquirere uult, paratusq; eſt de poteſtate nepotem dimittere,ut ad emancipatũ emolumentum omne bonorum poſſeſsionis perueniat. Nec idcirco ſoror, quæ patri hæres extitit,iuſtè queri poterit,quòd eo facto à collationis cõmodo excludatur: cùm auo quandoque inteſtato defuncto,ad bona eius ſimul cum fratre poſsit uenire. *Concordant item ea quæ habentur ȝ.lib.prox.cap.4.quæſt. 3.reg.1. Quarta replicatio eſt: Niſi alij liberi uel legitimi hæredes defuncto non ſint: tunc enim liberi in aliena familia exiſtentes admittuntur. quæ replicatio approbatur Inſtit.de hæred.quæ ab inteſt.defer. §.admonendi, his uerbis*: Admonendi ſumus, eos qui in adoptiua familia ſunt, quiue poſt mortem naturalis parentis ab adoptiuo patre emancipati fuerint,inteſtato parente naturali mortuo, licet ea parte edicti, qua liberi ad bonorum poſſeſsionem uocantur, non admittantur: alia tamen parte uocari, ſcilicet qua cognati defuncti uocantur. Ex qua parte ita admittuntur, ſi neque ſui hæredes liberi,neque emancipati obſtent,neque adgnatus quidem ullus interueniat. Antè enim Prætor liberos uocat tam ſuos hæredes, quàm emancipatos, deinde legitimos hæredes, deinde proximos cognatos. *Concordat Inſtitut.de ſucceſsione cognatorum.§.liberi quoque, his uerbis*: Liberi quoque, qui in adoptiua familia ſunt,ad naturalium parentum hæreditatem hoc eodem gradu uocantur. *Quinta replicatio eſt: Niſi filij filiæq; matri defunctæ ſuccedant. his enim propoſita exceptio non obſtat. Quæ replicatio approbatur Inſtitut.de ſenatuſc.Orphit.in princip.cuius uerba cum alijs huc pertinentibus uide infrà cap.prox. Sexta replicatio eſt: Niſi filius in adoptionem datus, hæres inſtitutus ſit: tunc enim alio edictum commitente ab inteſtato ſuccedit. quæ replicatio approbatur l.1.§. & in adoptionem. & §.iungitur autem.ff.de coniung.cum emancip.liberis.cuius uerba uide ȝ.capite 4. except.4.*

Dein-

De iure nouo.

Hactenus de iure antiquo, quo exceptio proposita approbatur simul & distinguitur, est dictum. Iure autem nouo exceptio proposita reprobatur Inst. de hæred. quæ ab intest. defer. §. sed ea omnia, his uerbis: Sed ea omnia antiquitati quidē placuerunt: aliquam autem emendationem à nostra constitutione acceperunt, quam super ijs personis composuimus, quæ à patribus suis naturalibus in adoptionem alijs dantur. Inuenimus etenim nonnullos casus, in quibus filij & naturalium parētum successionem propter adoptionem amittebant, & adoptione facilè per emācipationem soluta, ad neutrius patris successionem uocabantur. Hoc solito more corrigentes, constitutionem scripsimus, per quam definimus, quando parēs naturalis filium suum adoptandum alij dederit, integra omnia iura ita seruari, atq; si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitùs adoptio fuisset subsecuta: nisi in hoc tantummodò casu, ut possit ab intestato ad patris adoptiui uenire successionem. Testamento autem ab eo facto, neque iure ciuili, neq; prætorio ex hæreditate eius aliquid persequi potest, neq; cōtra tabulas bonorum possessione agnita, neq; inofficiosi querela instituta: cum nec necessitas patri adoptiuo imponatur, uel hęredem eum instituere, uel exhæredatum eum facere: utpote nullo uinculo naturali copulatum, neq; si ex Sabiniano senatusconsulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam & in eiusmodi casu neque quarta ei seruatur, neque ulla actio ad eius persecutionem ei competit. *Ait Imperator:* Constitutionem scripsimus, *scilicet l. penult. C. de adoptionibus. cuius uerba uide §. lib. 16. cap. 8. quæst. 3. reg. 1. except. 1. Concordat Nouell. c. 118. §. si quis igitur. ibi: & siue alterius. cuius uerba uide j. cap. 5. reg. 1. except. 1. Item concordat d. c. 118. §. consequens, in fine. cuius uerba uide d. reg. 1. in prin. Planè exceptio proposita etiam iure nouo admittitur, primùm si parenti naturali, non extraneo, quis in adoptionem sit datus. quæ distinctio approbatur Instit. d. §. sed ea omnia, in fine, his uerbis:* Nostra autem constitutione exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum susceperit. Vtroque enim iure, tam naturali, quàm legitimo, in hanc personam concurrente: pristina iura tali adoptioni seruamus, quemadmodum si paterfamiliâs sese dederit adrogandum. quæ specialiter & singulatim ex præfatæ constitutionis tenore possunt colligi. *Deinde exceptio proposita iure nouo reprobata admittitur, si is qui sui iuris est, se alij dederit adrogandum. quæ distinctio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quemadmodum si paterfamiliâs sese dederit adrogandum. *In duobus ergo casibus tam propositis exceptioni propositæ etiam iure nouo locus est, & replicationes supradictæ utiles esse possunt. Hæc de tertia exceptione.*

IIII. *Exceptio: Nisi naturales, non legitimi sint liberi. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §. libro 16. cap. 4. quæst. 4. regula 2.*

V. *Exceptio: Nisi liberi ex eo matrimonio nati sint, quod sola affectione maritali sine dote & dotalibus instrumentis est contractum, uel quod diuortio sit solutum. Hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 117. §. quia uerò, his uerbis:* Quia pridem legem posuimus, quæ præcipiat, si quis uxorem aliquam sine dotalibus instrumentis solo affectu nuptiali acceperit, & hanc sine causa legibus cognita proiecerit, ut ipsa quartam substantiæ eius partem percipiat: & post hanc aliam legem fecimus, quæ decernat, si quis indotatam uxorem sola affectione maritali duxerit, & ad mortem usque cum ea uiuens, pręmoriatur, ut similiter ea quartam substantiæ illius portionem desumat, quæ tamen centum librarum auri quantitatem non transcendat: in præsenti melius utranque legem disponentes, sancimus, ut in utroque casu ex talibus matrimonijs nati filij legitimi sint, & ad paternam uocentur hęreditatem. *Concordat d. c. 117. §. sed & hoc. cuius uerba uide §. lib. 16. cap. 4. quæst. 2. reg. 2.*

VI. *Exceptio: Nisi post decem menses à tempore mortis parentis filius sit natus. Hæc exceptio approbatur l. intestato. 3. §. fin. ff. de suis & legitimis hæred. his uerbis:* Post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam hæreditatē. De eo autem qui centesimo octogesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & diuus Pius pontificibus rescripsit, iusto tempore uideri natum: nec uideri in seruitute conceptum, cum mater ipsius ante cētesimum octogesimum secundum diem esset manumissa.

VII. *Exceptio: Nisi ex muliere quinquagenaria liberi nati sint. Hæc exceptio reprobatur l. si maior. 12. C. de legitimis hæred. his uerbis:* Si maior quinquagenaria partum ediderit, si debet huiusmodi soboles suo patri sua constitui, & hæreditatem eius nanciscī, à Cæsariana aduocatione interrogati sumus? Et sancimus, licet mirabilis huiusmodi partus inuenitur, & rarò contingit: tamen nihil eorum quæ probabiliter à natura noscuntur esse producta, respui: sed omne ius, quod ex quacunque lege liberis præstitutum est, hoc merū atque immutilatum huiusmodi filijs uel filiabus seruari in omnibus successionibus, siue ex testamento, siue ab intestato. Et summatim, nō absimiles alijs fiant, quos natura effecit similes: maximè cū & anteriore nostra lege huiusmodi nuptias permisimus, impares eas uideri minimè concedentes.

VIII. Ex-

VIII. *Exceptio: Nisi liberi ex seruis concepti & nati sint. Hæc exceptio approbatur quidem ipso iure: quia ex seruis non nisi serui nascuntur, qui hæredes ab intestato existere non possunt. Cuius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi dum mulier uel uir in libertate moram patitur, conceptus sit uel natus. Hæc replicatio approbatur l. 1. §. quæri. ff. de suis & legitimis hæred. his uerbis:* Quæri poterit, si ex ea quæ in fideicommissaria libertate moram passa est, conceptus & natus sit: an suus patri existat? Et cum placeat eum ingenuum nasci (ut est à diuis Marco & Vero, & Imperatore nostro Antonino Augusto rescriptū) eur non in totum pro manumissa hæc habeatur, ux uxor ducta suum pariat? Nec mirum sit ex serua ingenuum nasci, cum ex captiua rescriptum sit ingenuū nasci. Quare ausim dicere, etsi pater huius pueri eiusdem sortis fuerit, cuius & mater moram passa in libertate fideicommissaria, ipseque moram passus sit: suum eum patri nasci, exemplo captiuorum parentum, cum quibus redijt. Ergo siue postea pater eius post moram manumittatur, recipiet eum in potestatem: siue antè decesserit, definiendum erit suum existere. *Concordat l. 1. §. interdum. ff. ad S. C. Tertyll. his uerbis:* Interdum & in seruitute quæsito erit concedenda hæreditas legitima: ueluti si post moram fideicommissariæ libertatis matri suæ factam natus sit. *Concordat item l. ultim. C. ad S. C. Orphitianum, his uerbis:* Quidam ancillæ suæ libertatem per fideicommissum reliquit. Eo autem à quo libertas relicta est, moram in libertate præstanda faciente, peperit ancilla. Et esse eum quidem ingenuum, &c. *Altera replicatio est: Nisi post centesimum octogesimumsecundum diem, quàm mater manumissa est, natus sit. hic enim in seruitute conceptus non uidetur. quæ replicatio approbatur l. intestato. 3. §. fin. ff. cod. tt. cuius uerba uide §. except. 6. Tertia replicatio est: Nisi parentes simul & partus postea fuerint manumissi. Hæc replicatio approbatur Instit. de seruili cognat. in princip. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 1. repl. 1. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ex libera muliere & seruo conceptus sit. hoc enim casu, quamuis postea pater & partus manumittatur, tamen propositæ replicationi locus non est. quæ duplicatio approbatur l. ex libera. 6. C. de legitimis liberis. cuius uerba uide §. libro 12. cap. 2. quæst. 2. reg. 22. except. 6. Quarta replicatio uidetur: Nisi ab ijs qui apud hostes captiui detinentur, conceptus sit, posteaq; ad suos reuertatur. Hæc replicatio reprobatur l. 1. in fine. C. de postliminio. cuius uerba uide §. lib. 19. cap. 3. causa 1. except. 8. Planè admittitur replicatio proposita, si de hæreditate matris quæratur. quæ distinctio approbatur l. 1. §. interdum, in fine. ff. ad S. C. Tertyll. his uerbis:* Si apud hostes conceptus, ex captiua procreatus, eum ea redijt: secundum rescriptum Imp. nostri & diui patris eius ad Quinium Tertyllum poterit ex hoc senatusconsulto admitti, quasi uulgò quæsitus filius. *Quinta replicatio est: Nisi in seruitute conceptus, post manumissionem natus sit. Hæc replicatio approbatur d. §. interdum, his uerbis:* Si post manumissionem matris fuerit natus, licet in seruitute conceptus, ad legitimam eius hæreditatem admittetur.

IX. *Exceptio: Nisi posthumi liberi sint. Hæc exceptio reprobatur Institut. de hæreditat. quæ ab intest. deferuntur. §. posthumi, his uerbis:* Posthumi quoque, qui si uiuo parente nati essent, in potestate eius futuri forent, sui hæredes sunt. *Concordat l. intestato. 3. §. utique. ff. de suis & legitimis hæredib. his uerbis:* Vtique & ex lege XII. Tabularum ad legitimam hæreditatem is qui in utero fuit, admittitur, si fuerit editus. Inde soler remorarii insequentes sibi adgnatos, quibus præfertur, si fuerit editus. Inde & partem facit his qui pari gradu sunt: utputa frater unus est, & uterus, uel patrui filius unus natus, & qui in utero est. Est autem tractatum, pro qua parte faciat: quia ex uno utero plures nasci possunt. Et placuit, si in rerum natura certum sit, hanc quæ se dicit prægnantem, non esse: ex asse iam esse hæredem hunc qui natus est: quoniam & ignorans hæres fit: & si medio tempore decesserit, integram hæreditatem ad hæredem suum transmittit. *Concordat item l. intestato. 4. C. de legitimis liberis, hisce uerbis:* Intestato defuncto posthumum suum hæredem, quàm sororem, licet consanguineam, haberi potiorem, ordo successionum lege XII. Tabul. factus, nimis euidenter demonstrat. *Planè admittitur exceptio proposita primùm, si mulier ex defuncto prægnans esse negetur, nec denunciauerit secundum formam edicti ijs, quorum interest, ut uentrem inspiciant, partumq; custodiant. hoc enim casu partui edito actio denegabitur. quæ distinctio approbatur l. 1. §. de inspiciendo, in fine. ff. de inspiciendo uentre. cuius uerba uide §. lib. 16. capite 7. quæst. 2. regul. 2. Concordat d. l. 1. §. quamuis, hisce uerbis:* Quamuis sit manifestissimum edictum Prætoris: attamen non est negligenda eius interpretatio. Denunciare igitur mulierē oportet, his scilicet, quorum interest partum non edi, uel totam habituris hæreditatem, uel partem eius, siue ab intestato, siue ex testamēto. *Huius distinctionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi seruus hæres futurus sit, nō nato posthumo. Hæc replicatio reprobatur d. l. 1. §. sed etsi seruus, his uerbis:* Etsi seruus hæres institutus fuerit, si nemo natus sit: Aristo scribit, huic quoq; seruo (quāuis non omnia) quædam tamen circa partum custodiendum arbitrio Prætoris esse concedenda, Quam sententiam puto ueram.

Publicę

Publicè enim interest partus non subijci, ut ordinum dignitas, familiarúmque salua sit. Ideoq; etiam seruus iste, cum sit in spe constitutus successionis (qualis qualis sit) debet audiri & rem publicã & suam gerés. *Altera replicatio est: Nisi propter rusticitatem non denunciauerit. quæ replicatio approbatur d.l.1.§.fin.cuius uerba uide ẽ.lib.16.cap.5.quæst.1.reg.1. except.3.replic.2. Concordat l.2.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.d.replic.2. Tertia replicatio est: Nisi denunciatum sit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicatio prima hæc est: Nisi nõ proximiori hæredi futuro, sed ulteriori sit denunciatum. Hæc duplicatio approbatur d.l.1.§.denũciari, his uerbis:* Denunciari oportet ijs quos proxima spes successionis contingit: utputa primo gradu hæredi instituto, non etiam substituto. Et si intestatus sit paterfamiliãs, qui primum locum ab intestato tenent. *Secunda duplicatio est: Nisi uni, non omnibus quorum interest, sit denunciatum. Hæc duplicatio approbatur d.§.denunciari, his uerbis:* Si plures sint simul successuri: omnibus denũciandum est. *Tertia duplicatio est: Nisi ei qui uentri substitutus est, sit denunciatum. Hæc duplicatio approbatur l.qui uentri.3. ff.de inspiciendo uentre, his uerbis:* Qui uentri substitutus est uel instítutus: si uentrem seruare uelit, audiẽdus est. *Concordat l.is à quo.4.ff.eod.tt.his uerbis:* Is à quo, si sine liberis decessisset, quidquid ad eum ex bonis peruenisset, sorori fideicommisso relictũ erat, decessit, posthumo hærede instituto, & substitutis alijs. quæsitum est, cum uxor defuncti prægnantem se dicat, an fori procuratorue eius secundum formam edicti uentrem inspicere, & partum custodire permittendum sit? Scæuola respondit, in eiusmodi specie, de qua quæreretur, posse uideri ad eius, cui fideicommissum datũ esset, solicitudinem prospiciendũ, idq; causa cognita statuendum. *Hæc de prima distinctione, qua exceptio proposita admittitur. Altera distinctio est, Si nepos post mortem aui natus sit: de qua uide ẽ.except.15.*

X. Exceptio: *Nisi nepotes uel pronepotes liberi sint, quorũ pater adhuc uiuit. Hæc exceptio approbatur Inst.de hæred.quæ ab intest.defer.§.ita demum, his uerbis:* Ita demum nepos neptisue, pronepos proneptisue suorũ hæredum numero sunt, si præcedens persona desierit in potestate parentis esse, siue morte id acciderit, siue alia ratione, uelut emancipatione. Nam si per id tempus, quo quis moritur, filius in potestate eius sit: nepos ex eo suus hæres esse non potest. Idq; & in cæteris deinceps liberorum personis dictũ esse intelligimus. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pater nepotum in potestate morientis non sit. Hæc replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Ita demum nepos, &c. *Concordat Inst.de hæred.qual. & differ.§.sed ut nepos.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.capite 3.reg.2. except.2.in prin. Concordat l.si quis.5.in prin.ff.si tabulæ test.nullæ extab. his uerbis:* Si quis ex his, quibus bonorum possessionem Prætor pollicetur, in potestate parentis, de cuius bonis agitur, cum is moritur, non fuerit: ei, liberisq; quos in eiusdem familia habebit (si ad eos hæreditas suo nomine pertinebit, neque nominatim exhæredes scripti erũt) bonorum possessio eius partis datur, quæ ad eũ pertineret, si in potestate permãsisset: ita ut ex ea parte dimidiam habeat, reliquum liberi eius, hisq; duntaxat bona sua conferat. *Concordat l.1.§.si filius.ff.de suis & legitimis hæred.his uerbis:* Si filius suus hæres patrẽ tis esse desijt: in eiusdem partem succedunt omnes nepotes neptesq; ex eo nati, qui in potestate sunt. Quod naturali æquitate cõtingit. Filius autem suus hæres esse definit, si capitis deminutione uel magna uel minore exierit de potestate. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi pater nepotum sit apud hostes. tunc enim, quamuis in potestate morientis esse dici non posit, tamen nepotibus ex se natis obstat. quæ duplicatio approbatur d.§.si filius, his uerbis:* Quòd si filius apud hostes sit, quamdiu uiuit, nepotes non succedunt. Proinde etsi fuerit redemptus, nondum succedunt ante luitionẽ. Sed si interim decesserit, cũ placeat eum statu recepto decessisse, nepotibus obstabit. Sed si quis non desijt esse in potestate, sed nunquam cœpit: utputa si filius meus uiuo patre meo ab hostibus captus est, mox ibi, patrefamiliãs facto me, decessit: nepotes in eius locum succedunt. *Altera duplicatio est: Nisi neptes sint ex filio emancipato, non nepotes. Hæc duplicatio reprobatur d.l.1.§.non minus, his uerbis:* Non minus autem neptes, quàm nepotes succedent in locum parentum. *Plura de replicatione proposita uide ẽ.cap.4. Altera propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi pater nepotum ante delatam ab intestato hæreditatem mortuus sit. hoc enim casu non obstat nepotibus, quamuis tempore mortis aui uixerit. quæ replicatio approbatur l.1.§.sciendum.ff.de suis & legitimis hæredib.his uerbis:* Sciendum est, nepotes & deinceps interdum, etiamsi parentes eos mortis tempore præcesserunt, tamen posse suos hæredes existere, quamuis successio in suis hæredibus non fit. Quod ita procedit, si paterfamiliãs testamento facto decessit, exhæredato filio, mox deliberante hærede instituto filius decessit, postea deinde repudiauit hæres institutus: poterit nepos suus hæres esse, ut & Marcellus lib.X. scripsit: quoniam nec delata est filio hæreditas. Idem erit dicendum, etsi filius ex asse sub conditione, quæ fuit in arbitrio ipsius, uel nepos sub conditione institutus, non impleta cõditione decesserit.

nam

nam dicendum erit, suos posse succedere: si modò mortis testatoris tempore uel in rebus humanis, uel saltem concepti fuerint. Idq; & Iuliano & Marcello placet. *Concordat l.scripto.7.in prin.ff.si tabulæ test.nullæ extabunt, his uerbis:* Scripto hærede deliberante, filius exhæredatus mortem obierat, atq; ita scriptus hæres omiserat hæreditatẽ: nepos ex illo filio susceptus, auo suus hæres erit, neq; pater uidebitur obstitisse, cuius post mortẽ legitima defertur hæreditas. Nec dici potest, hęredem, sed nõ suum, nepotem fore, quòd proximum gradum nunquã tenuerit: cũ & ipse fuerit in potestate, neq; pater eũ in hac successione præuenerit. Et alioquin, si non suus hęres est, quo iure hęres erit, qui sine dubio non est adgnatus? Cæterùm, etsi non sit exhæredatus nepos, adiri poterit ex testamẽto hæreditas à scripto hærede, mortuo filio. Quare qui non obstat iure intestati, iure testati uidebitur obstitisse. *Concordat item l.si quis.9.§.si filium.ibi: sed & si hæres.ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.15.replic.5.in prin. Concordat item Instit.de hæred.quæ ab intest.defer.§.cum autem, his uerbis:* Cùm quæritur, an quis suus hæres existere possit: eo tẽpore quærendum est, quo certum est aliquẽ sine testamento decessisse: quod accidit, & destituto testamento. Hac ratione, si filius exhæredatus fuerit, & extraneus hæres institutus, & filio mortuo, postea certũ fuerit, hæredem institutũ ex testamento non fieri hæredẽ, aut quia noluit esse hæres, aut quia non potuit: nepos auo suus, hæres existet: quia quo tempore certũ est, intestatum decessisse patremfamiliãs, solus inuenitur nepos. Et hoc certum est. Et licet post mortẽ aui natus sit, tamen auo uiuo cõceptus, mortuo patre eius, posteaq; deserto aui testamẽto, suus hæres efficitur. Planè si & conceptus & natus fuerit post mortem aui: mortuo patre suo, desertoq; postea aui testamẽto, suus hæres auo nõ existet: quia nullo iure cognationis patrẽ sui patris attigit. *Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi mortuo post auum patre, nepos per bonorũ possessionem patri, & ita auo successerit. Hæc replicatio approbatur l.qui se.3.C.unde liberi, his uerbis:* Qui se patris post auum intestatò defuncti negat hæredẽ, mortui aui paterni suscipere falcultates nõ potest, maximè emancipatus: nisi per bonorũ possessionẽ ad huiusmodi beneficium peruenerit. *Quarta replicatio est: Nisi filius patri hæres ab intestato esse non potuit. tunc enim nepotibus non obstat. quæ replicatio approbatur exemplo l.1.§.penult.ff.de bonor.possess.cõtra tabulas, his uerbis:* Quidam filium habuit, & ex eo nepotem: filius emancipatus, uel in potestate manens, deportatus est, quæritur, an nepoti noceat? Et uerius est, in utroq; casu nepotem admittẽdum. Deportatos enim mortuorũ loco habendos. *Aliud exemplũ proponitur l.1.§.si pater.ff.de coniung.cum emancip.liberis. cuius uerba uide ẽ.capite 4.except.1. Quinta replicatio est: Nisi filius hæreditatem repudiauerit. Hæc replicatio approbatur l.si quis.5.§.fin.ff.si tabulæ test.nullæ extab. cuius uerba uide ẽ.cap.4.except.6. Sexta replicatio est: Nisi nepos in locum filij sit adoptatus. Hæc replicatio approbatur l.nõ tantùm.3.§.si filium.ff.de contra tab.bonor. poss.cuius uerba uide ẽ. cap.4.except.2.repl.2. Concordat l.constitutione.13.§.fin.ff.eod.tt. cuius uerba cũ aliijs concordantibus uide ẽ.cap.4.except.13.*

XI. Exceptio: *Nisi nepotes uel pronepotes liberi sint, quorum patruus adhuc uiuit. Hæc exceptio reprobatur inst.de hæred.quæ ab intest.defer.§.cum filius filiáue, his uerbis:* Cum filius filiáue, & ex altero filio nepos neptisue existunt, pariter ad hæreditatem aui uocantur: nec qui gradu proximior est, ulteriorẽ excludit. Æquum enim esse uidetur, nepotes neptesq; in patris sui locum succedere. Pari ratione, etsi nepos neptisue sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptisue: simul uocantur. *Concordat l.ut intest.3.C.de legitimis liberis, hisce uerbis:* Vt intestatò defuncti filius, ac nepos ex alio, qui mortis eius tempore in rebus humanis nõ inuenitur, manẽtes in sacris pariter succedant: euidenter lege XII. Tabul. cauetur. Quod & honorarij iuris obseruatio sequitur. *Concordat item Nouell.c.118.§.si quis igitur.ibi: ita tamen, his uerbis:* Si quem ex descendentibus mori contingat, relictis filijs: illius filij, aut filiæ, aut reliqui descendentes in locum parentis sui succedant, siue sub potestate defuncti, siue eius potestate soluti inueniantur: tam magnam ex hæreditate defuncti portionem percepturi, quotcunq; tandem fuerint, quãtam eorum parens adeptus esset, si superfuisset: quod genus successionis uetustas appellauit In stirpes. Siquidem in hoc ordine gradum perquirere nolumus, sed cũ filijs & filiabus ex præmortuo etiam filio aut filia nepotes uocari sancimus: nulla differentia introducenda, marésne an fœmellę fuerint, & per masculinámne lineam aut fœmininam descendant, siue sub potestate, siue potestate liberi sint.

XII. Exceptio: *Nisi nepotes liberi sint, quorum pater in potestate morientis nunquam fuerit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.interdum.ff.de suis & legitimis hæredibus, his uerbis:* Interdum, licet parens alicuius in potestate esse nõ desierit, sed nec cœperit: tamen dicimus, succedentes ei liberos suos existere: utputa, adrogaui eum cuius filius ab hostibus erat captus, nepos autem in ciuitate: mortuo filio adrogato, mortuo & captiuo apud hostes, pronepos iste suus hęres mihi erit. *Concordat l.ubi auiarũ.*

10.C.*de legitimis liberis, hiſce uerbis*: Vbi auiarum ſucceſsio morte interueniẽte diſcutitur, capitis deminutio paterna quęrenda non eſt: tunc enim in huiuſmodi hæreditatibus filiorum ſtatus aut perſona ſpectatur, quoties de eius bonis, qui poteſtatem familię habere potuit, tractatur. *Concordat item Inſt.de ſeruili cognat.§.repetitis, in fine. cuius uerba uide* ȝ. *cap.7.except.1.repl.2.*

XIII. *Exceptio*: *Niſi nepotes liberi ſint à filio adoptati. Hæc exceptio approbatur Inſtit.de hæred. quæ ab inteſt. defer.§.cum quæritur, in fine, his uerbis*: Sed necille eſt inter liberos aui, quem filius emancipatus adoptauit. *Huius exceptionis replicatio uidetur eſſe*: *Niſi defuncto alij liberi uel hæredes legitimi non ſint. Hæc replicatio reprobatur ibidem, his uerbis*: Hi cum non ſint ſui (quantum ad hæreditatem) liberi: neque bonorum poſſeſsionem petere poſſunt, quaſi proximi cognati.

XIIII. *Exceptio*: *Niſi nepotes liberi ſint, per fœmininum ſexum deſcendentes. Hæc exceptio reprobatur Inſtit.de hæred.quæ ab inteſt.defer.§.item uetuſtas, his uerbis*: Vetuſtas ex maſculis progenitos plus diligens, ſolos nepotes uel neptes, qui qúæue ex uirili ſexu deſcẽdunt, ad ſuorum uocabat ſucceſsionem, & iure adgnatorum eos anteponebat: nepotes autẽ qui ex filiabus nati ſunt, & pronepotes ex neptibus, cognatorum loco connumerans, poſt adgnatorum lineam eos uocabat, tam in aui uel proaui materni, quàm in auiæ uel proauiæ, ſiue paternæ ſiue maternæ, ſucceſsionem. Diui autem principes non paſsi ſunt talem contra naturam iniuriam ſine cõ petenti emendatione relinquere: ſed cum nepotis & pronepotis nomẽ commune ſit utriſque, tam qui ex maſculis quàm qui ex fœminis deſcendunt: ideo eundem gradum & ordinem ſucceſsionis eis donauerunt. Sed ut amplius aliquid ſit eis, qui non ſolùm naturæ, ſed etiam ueteris iuris ſuffragijs muniuntur: portionem nepotum, uel neptum, uel deinceps (de quibus ſuprà diximus) paulò minuendam eſſe exiſtimauerunt: ut minus tertia parte acciperent, quàm mater eorum uel auia fuerat acceptura, uel pater eorum, uel auus paternus, ſiue maternus, quando fœmina mortua ſit, cuius de hęreditate agitur: ijsq; (licet ſoli ſint) adeuntibus adgnatos minimè uocabant. Et quemadmodum lex XII. Tabularum filio mortuo nepotes uel neptes, pronepotes uel proneptes in locum patris ſui ad ſucceſsionem aui ſui uocat: ita & principalis diſpoſitio in locum matris ſuæ uel auiæ eos cum iam deſignata partis tertiæ deminutione uocat. Sed nos, cùm adhuc dubitatio maneret inter adgnatos & memoratos nepotes, quartam partem ſubſtantiæ defuncti adgnatis ſibi uindicantibus ex cuiuſdam conſtitutionis authoritate: memoratam quidem conſtitutionem à noſtro Codice ſegregauimus, neque inſeri eam ex Theodoſiano Codice in eo conceſsimus. Noſtra autem conſtitutione promulgata, to ti iuri eius derogatum eſt: & ſanximus, talibus nepotibus ex filia, uel pronepotibus ex nepte, & deinceps ſuperſtitibus, adgnatos nullam partem mortui ſucceſsionis ſibi uindicare: ne hi qui ex tranſuerſa linea uenerunt, potiores ijs habeantur, quire cto iure deſcendunt. Quam conſtitutionem noſtram obtinere ſecundum ſui uigorem & tempora & nunc ſancimus: ita tamen, ut quemadmodum inter filios & nepotes ex filio antiquitas ſtatuit, non in capita, ſed in ſtirpes diuidi hæreditatem: ſimiliter nos inter filios & nepotes ex filia diſtributionem fieri iubeamus, uel inter omnes nepotes & neptes, & inter pronepotes & proneptes, & alias deinceps perſonas: ut utraque progenies, matris uel patris, auiæ uel aui, portionem ſine ulla deminutione conſequatur: ut ſi fortè unus uel duo ex una parte, ex altera tres aut quatuor extent: unus aut duo dimidiam, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hæreditatis habeant. *Ait Imperator*: Sed ut amplius, &c. *De hac re uide* ȝ. *cap.14.reg.4. except.1. Ait inſuper*: Noſtra autem conſtitutione. *Hæc conſtitutio habetur l.ultim.C.de legitimis liberis, hiſce uerbis*: Quoties aliquis uel aliqua inteſtatus uel inteſtata mortuus uel mortua fuerit, nepotibus uel pronepotibus cuiuſcũq; ſexus, uel deinceps alijs deſcendentibus derelictis, quibus Vnde liberi bonorum poſſeſsio minimè competit, & inſuper ex latere quibuſcunque adgnatis: minimè poſsint ijdem adgnati quartam partem hæreditatis perſonæ mortuæ ſibi uindicare, ſed ſoli deſcendentes ad mortui ſucceſsionem uocentur. Quod tantùm in futuris, non etiam præteritis negocijs ſeruari decernimus. *Concordat itẽ Inſt.de ſeruili cognat.§.repetitis, in fine. cuius uerba uide* ȝ. *cap.7.except.1.replicat.1. Concordat item Nouell.conſt.118.§.ſi quis igitur. cuius uerba uide* ȝ. *cap.5.reg.1.except.1. Concordat item d.c.118.§.ita tamen ut ſi quem, in fine. cuius uerba uide* ſ. *except. 11. Concordat item l.nepotib.3. C.unde legitimi, his uerbis*: Nepotibus aui materni pro uirili portione etiam iure honorario ſucceſsio defertur.

XV. *Exceptio*: *Niſi nepotes mortuo auo nati ſint. Hi enim auo non ſuccedunt. quæ exceptio approbatur l.Titius.6.cum duabus legibus ſequentibus.ff.de ſuis & legitimis hæred. his uerbis*: Titius exhæredato filio extraneum hæredem ſub conditione inſtituit.

inſtituit. quęſitum eſt, ſi poſt mortem patris pendente conditione filius uxorem duxiſſet, & filium procreaſſet, & deceſsiſſet, deinde conditio inſtituti hæredis defeciſſet: an ad hunc poſthumum nepotem legitima hęreditas aui pertineret? Iulianus reſpondit: Qui poſt mortem aui ſui concipitur, is neque legitimam hæreditatem eius tanquam ſuus hæres, neque bonorum poſſeſsionem tanquam cognatus accipere poteſt: quia lex XII. Tabularum eum uocat ad hæreditatem, qui moriẽte eo, de cuius bonis quæritur, in rerum natura fuerit, uel ſi uiuo eo conceptus eſt: quia conceptus quodammodò in rerum natura eſſe exiſtimatur. Item Prætor edicto ſuo proximitatis nomine bonorum poſſeſsionem pollicetur his, qui defuncto mortis tẽpore cognati fuerint. Nam quòd ex conſuetudine nepotes cognati appellantur etiam eorum, poſt quorum mortem concepti ſunt: non propriè, ſed per abuſionem, uel potius καταχρηστικῶς accidit. *Concordat Inſtit.de hæred.quæ ab inteſt.defer.§.cum autem quæritur, in fine. cuius uerba uide* ſ. *except.10, replic.2. Huius exceptionis replicatio hæc eſt*: *Niſi poſt mortem aui nepotes nati, uiuo eo ſint concepti. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Vel ſi uiuo eo conceptus eſt: quia conceptus quodammodò in rerũ natura eſſe exiſtimatur. *Concordat Inſt.d.§.cũ quæritur. ibi: & licet poſt mortem.*

XVI. *Exceptio*: *Niſi nepotes poſt emancipationem ſint nati. Hæc exceptio reprobatur l.ſi emancip. 6. in prin. ff. de contra tabul.bonor.poſſeſſ. his uerbis*: Si emancipatus filius nepotem procreauerit, & ita deceſſerit, deinde auus eius: nepos ad aui poſſeſsionem bonorum uenire poteſt. *Concordat l.ſi quis.5.§.ſed etſi, in fine.ff.ſi tabulæ teſt.nullæ extab. his uerbis*: Et ſi poſt emancipationem procreauerit: ita nato dabitur aui bonorum poſſeſsio, ſcilicet non obſtante ei patre ſuo.

XVII. *Exceptio*: *Niſi fœminini ſexus liberi ſint. Hæc exceptio reprobatur Nouell.c.118.§.ſi quis igitur. cuius uerba uide* ȝ. *cap.5.reg.1.except.1. Concordat d.c.118.§.ita tamen, in fine. cuius uerba uide* ſ. *except.11. Concordat item d.c.118.§.nullam uerò. cuius uerba uide* ȝ. *cap.6.reg.1.except.3.in fine.*

XVIII. *Exceptio*: *Niſi liberi tempore mortis parentis apud hoſtes fuerint. Hæc exceptio reprobatur Inſtit.de hæred.quæ ab inteſt.defer.§.interdum, his uerbis*: Interdum, licet in poteſtate parentis mortis tempore ſuus hæres non fuerit, tamen ſuus hæres parenti efficitur: ueluti ſi ab hoſtibus quis reuerſus fuerit poſt mortem patris ſui. Ius enim poſtliminij hoc facit. *Concordat l.1.§.ſi filius ſuus. ibi: quòd ſi filius. ff. de ſuis & legitimis hæred. cuius uerba uide* ſ. *except. 10. repl.1. dupl.1.*

XIX. *Exceptio*: *Niſi liberi clerici uel monachi ſint. Hæc exceptio reprobatur l.Deo nobis.42.§.hoc etiam. ibi: ſin uerò ultimam. C.de epiſcopis & clericis. cuius uerba uide* ſ. *lib.10.cap.1.quæſt.3.reg.4. Hæc de ſucceſsione liberorum eiuſq; exceptionibus in genere ſint dicta. Species eius proponitur* ȝ. *cap.prox. Sed & plures huiuſmodi exceptiones uide* ȝ. *cap.7.& 13.*

DE SENATVSCONSVLto Orphitiano. Cap. III.

MAtri inteſtatò defunctæ liberi ex Senatuſconſulto Orphitiano ſuccedunt. *quæ regula approbatur Inſtitut.de Senatuſc.Orphitiano, in prin.his uerbis*: Liberi ad bona matrum inteſtatarum admittuntur ex Senatuſconſulto Orphitiano, quod Orphitio & Rufo conſulibus effectum eſt diui Marci temporibus: & data eſt tam filio quàm filiæ legitima hæreditas, etiamſi alieno iuri ſubiecti ſint, & præferuntur conſanguineis & adgnatis defunctæ matris. *Concordat l.1. C.eod.tt. his uerbis*: Si inteſtatæ mulieris conſanguinei exiſtãt & mater & filia, ad ſolam filiam ex Senatuſconſulto Orphitiano hæreditas pertinet. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſſe uidetur*: *Niſi liberi alieno iuri ſint ſubiecti. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Etiamſi alieno iuri ſubiecti ſint. *Concordat l.ſacratiſſ.9. ff.ad S.C.Tertyll.& Orph.his uerbis*: Sacratiſsimi principis noſtri oratione cauetur, ut matris inſtatæ hæreditas ad liberos, tametſi in aliena poteſtate ſint, pertineat.

II. *Exceptio*: *Niſi alterius matrimonij liberi ſint. Et hæc exceptio reprobatur l.matris.4.ff.d.tt.his uerbis*: Matris inteſtatò defunctæ hæreditatem ad omnes eius liberos pertinere, etiãſi ex diuerſis matrimonijs nati fuerint, iuris eſt. *Concordat l.cum alijs.4.§.fin.C.de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide* ſ. *libro 14.cap.5. quæſt.3.reg.4. Concordat item Nouell.c.22.§.ſed neque illud. cuius uerba uide* ſ. *d.quæſt.3.reg.3.*

III. *Exceptio*: *Niſi non filij, ſed nepotes ſint defunctæ auiæ. Et hæc exceptio reprobatur Inſtit.de Senatuſconſult.Orphit.§.ſed cum ex, his uerbis*: Cum ex hoc Senatuſconſulto nepotes & neptes ad auiæ ſucceſsionem legitimo iure nõ uocarentur: poſtea hoc conſtitutionibus principalibus emendatum eſt, ut ad ſimilitudinem filiorum filiarúmque & nepotes & neptes uocentur.

IIII. *Exceptio*: *Niſi liberi ſint naturales, non legitimi. Hæc exceptio reprobatur Inſt.d.tt.§.nouiſſimè, his uerbis*: Sciendum eſt, etiam illos liberos, qui uulgò quæſiti ſunt, ad matris hæreditatem ex hoc Senatuſconſulto admitti. *Concordat l.1.§.ſed & uulgò. ff.ad Senatuſconſult.Tertyll. his uerbis*: Et uulgò quæſiti admittuntur ad matris legitimam hæreditatem. *Concordat item l.2.ibi: itaque etiam. ff. unde cognati. cuius uerba uide* ȝ. *cap.5.reg.5.except.8. Item cõcordat l.Modeſt.8.*

ff.eod.tt. his uerbis: Modeſtinus reſpondit, non ideo minus ad auiæ maternæ bona ab inteſtato nepotes admitti, quòd uulgò quę ſiti proponantur. *Planè exceptio propoſita admitti uidetur, ſi legitimi liberi exiſtant. Sed hæc diſtinctio in illuſtribus quidem matribus & liberis, ex illicito concubinatu natis, admittitur, in alijs non admittitur, ex l.ſi qua.5.C.ad S.C.Orphitianum. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.11.except.84.repl.1.dupl.1.*

V. Exceptio: *Niſi liberi in ſeruitute concepti & nati ſint. Hæc exceptio cum ſuis replicationibus propoſita eſt §.cap.prox.except.8.*

VI. Exceptio: *Niſi mater libertina fuerit. Hæc exceptio reprobatur l.1.in prin.ff.ad.S.C.Tertyll.his uerbis*: Siue ingenua, ſiue libertina mater eſt, admitti poſſunt liberi ad hæreditatem eius ex Senatuſconſulto Orphitiano. *Plures huiuſmodi exceptiones uide §.cap.prox. item j.capite 7. & cap.13.*

DE CONIVNGENDIS cum emancipato liberis.
Cap. IIII.

Si filio emancipato competit bonorum poſſeſſio: coniunguntur cum eo eius filij, qui in poteſtate defuncti permanſerunt. quæ regula approbatur l.1.in prin.ff.de coniungendis cum emancip.liberis, hiſce uerbis: Si quis ex his quibus bonorum poſſeſſionem Prætor pollicetur, in poteſtate parétis, cũ moritur, non fuerit: ei liberisq; quos in eiuſdẽ familia habuit, ſi ad eos hæreditas ſuo nomine pertinebit, neq; notam exhæredationis meruerunt, bonorum poſſeſſio eius partis datur, quæ ad eum pertineret, ſi in poteſtate permanſiſſet: ita ut ex ea parte dimidiam ipſe, reliquam liberi eius habeant, ijsq; duntaxat bona ſua conferat. *Concordat l.ſi quis.5.in prin.ff.ſi tabulæ teſt. nullæ extab. cuius uerba uide §.cap.2.except.10.repl.1. Concordat item l.filius.9.ff.de collat.bonor. cuius uerba uide j.lib.prox.cap.4.quæſt.2.in prin. Item concordat l.non tantùm.3.in prin.ff.de bonor.poſſeſs.contra tabulas, his uerbis*: Non tantùm ipſi emancipati admittuntur ad bonorum poſſeſſionem, uerùmetiam hi quoque qui ex his nati ſunt. *Ratio huius regulæ proponitur d.l.1.§.1.his uerbis*: Hoc edictum æquiſsimum eſt, ut neque emancipatus ſolus ueniat, & excludat nepotes in poteſtate manentes: neque nepotes iure poteſtatis obijciantur patri ſuo. *Planè propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi filius inſtitutus hæres ſit, uel exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.iungitur autem.ff.de coniungendis cum emancip.liberis, hiſce uerbis*: Iungitur nepos patri ſuo emancipato, ſiue pater prætexitus ſit, ſiue inſtitutus. Et hæc erit differentia inter in adoptionem datum, & emancipatum, quòd in adoptionem quidem dato non aliàs iungitur, niſi inſtituto, & alio cõmittente edictum: emancipato autem, ſiue ſit inſtitutus emancipatus, ſiue ſit prætexitus. *Concordat d.l.1.§.ſi pater, his uerbis*: Si pater emancipatus exhæredatus ſit, nepotibus ex eo prætexitis, qui erant in poteſtate retenti: nepotes admittuntur. Abſurdum eſt enim, cùm patri prætexito iungantur, inſtituto eo uel exhæredato non admitti. Sed & ſi patruus eorum qui erat in poteſtate, ſit prætexitus, pater exhæredatus: debent nepotes admitti: nam exhæredatus pater eorũ pro mortuo habetur. *Concordat l.qui duos.3.ff.eod.tt. cuius uerba uide j.except.8.*

II. Exceptio: *Niſi filius ſit in poteſtate morientis, hoc enim caſu non coniunguntur ex eo nepotes. quæ exceptio approbatur d.l.1.§.ſi pater, his uerbis*: Si pater in poteſtate manens, exhæredatus uel inſtitutus ſit: nepotem ex eo, ſiue in poteſtate manentem, ſiue emancipatum, ad bona aui neq; uocari, neque uocandum eſſe, Scæuola ait. Toties enim nepoti conſulendum eſt, quoties in poteſtate retentus eſt patre emancipato. *Concordant ea quæ propoſita ſunt §.cap.2.except.10.in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi filius emancipatus, poſtea in locum nepotis uel filij rurſus ſit adoptatus. tunc enim, quamuis in poteſtate morientis fuerit, non tamen nepotes defuncti liberos ſuos excludit. quæ replicatio approbatur l.1.§.ſi quis filium. ff.ſi tabulæ teſt. nullæ extab. his uerbis*: Si quis filium ſuum emancipatum in locum nepotis adoptauit & emãcipauit, cum haberet & nepotem ex eo: quæſitum eſt apud Marcellum, an adoptio reſciſſa impediat nepotem? Sed cum ſoleat emancipato patri iungi nepos: quis nõ dicat, etſi adoptatus ſit, & quaſi filius, nihilominus filio eum non obſtare: quia quaſi filius adoptiuus ſit in poteſtate, non quaſi naturalis? *Concordat l.1.§.qui habebat.ff.de bonor.poſſeſs.contra tabul. cuius uerba uide j.except.prox. Huius replicationis duplicatio hæc eſt*: *Niſi nepos in locum filij ſit adoptatus, quaſi pater alterius nepotis. hic enim alterum excludit, quamuis non naturalis, ſed adoptiuus ſit filius. quæ duplicatio approbatur l.non tantùm.3.§.ff.d.tt. his uerbis*: Si quos habens nepotes, alterum emancipatum loco filij adoptauerit: uidendum, an ſolus ille quaſi filius admittatur? quod ita ſcilicet procedit, ſi quaſi patrem eius nepotis, quem retinuerat, ſic adoptauerit. Melius eſt autem dicere, poſſe eum ſolum ad poſſeſsionem bonorum peruenire. Sed ſi ſit hic nepos emancipatus, uerum eſt dicere, non admitti eum quaſi filium: hic enim quaſi filius non eſt ex liberis, cum iura adoptionis emancipatione finita ſint. *Altera replicatio eſt: Niſi nepos in locum filij ſit adoptatus. tunc enim propoſita exceptio illi non obſtat. quæ replicatio approbatur d.l.1.§.ſi filium, his uerbis*: Si filium habens, & ex eo nepotem,

potem, in locum filij nepotem adoptauero: ambo admittentur. Planè ſi fuerit emancipatus nepos, non admittetur: quia pater eum præcedit. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi nepos ſit rurſus emancipatus. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Planè ſi fuerit, &c.

III. Exceptio: *Niſi filius emancipatus in locum nepotis adoptatus, rurſus emancipatus ſit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.qui habebat.ff.de bonor.poſſeſs. contra tabul.his uerbis*: Qui habebat filium, habebat & nepotem ex eo: filium emancipauit & adoptauit in locum nepotis, deinde emancipauit. quæritur, an nepoti obſtet? Et mihi magis uidetur, hunc nepotem non excludi, ſiue pater eius in adoptione manſiſſet quaſi nepos, ſiue emancipatus eſſet. Puto enim & emancipato patre, nepotem quoq; cum patre ſuo ex edicto admitti. *Concordat l.1.§.ſi quis filiũ.ff.ſi tabul.teſt.nullæ extab. cuius uerba uide §.except.prox.repl.1.*

IIII. Exceptio: *Niſi filius non emancipatus, ſed alij in adoptionem ſit datus. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.& in adoptionem.ff.de coniungendis cum emancip.liberis, hiſce uerbis*: Et in adoptionem datus filius, & hæres inſtitutus, ad hoc edictum pertinet, ut ei iungatur nepos, qui in aui ſui naturalis eſt poteſtate. *Planè admittitur exceptio propoſita, ſi filius in adoptionem datus, hæres inſtitutus à defuncto non ſit. quæ diſtinctio approbatur d.l.1.§.iungitur autem. cuius uerba uide §.except.1.*

V. Exceptio: *Niſi nepotes minimam partem ſint habituri. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.illud non intereſt.ff.de coniungendis cum emancip.liberis, his uerbis*: Illud non intereſt, quota portio hæreditatis ad nepotẽ pertineat, an perquàm modica. Nam etſi modica ſit, attamẽ dicemus eſſe locum huic parti edicti.

VI. Exceptio: *Niſi filius hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio reprobatur l.ſi quis.5.§.fin.ff.ſi tabulæ teſt.nullæ extab.his uerbis*: Si filius emancipatus nõ petierit bonorum poſſeſsionem: ita integra ſunt omnia nepotibus, atque ſi filius non fuiſſet: ut quod filius habiturus eſſet petita bonorũ poſſeſsione, hoc nepotibus ex eo ſolis, non etiam reliquis adcreſcat.

VII. Exceptio: *Niſi nepotes non ſint in poteſtate aui morientis. Hæc exceptio approbatur d.l.5.§. ſed etſi filium. ff.ſi tabulæ teſt.nullæ extab. his uerbis*: Si filium & nepotem ex eo pater emancipauerit: filius ſolus ueniet ad bonorum poſſeſsionem, quamuis capitis deminutio per edictum nulli obſtet. *Concordat d.l.5.in prin. cuius uerba uide §.cap.2.except.10.repl.1. Concordat item l.1.in prin.ff.de coniung.cum emancip.liberis. cuius uerba uide §.hoc cap.in prin. Item concordat d.l.1. §.ſi pater in. cuius uerba uide §.except.2. Concordat item d.l.1.§.liberos igitur, his uerbis*: Liberos in familia eſſe oportet, ut huic edicto locus ſit: eius ſcilicet familiæ, cuius bonorum poſſeſſio petitur. *Concordat item l.non tantùm.3.§.ſi filium.ff.de bonor.poſſeſs.contra tabul.his uerbis*: Si fuerit emancipatus nepos, nõ admittetur: quia pater eum præcedit. *Concordat d.l.3.§.ſi quis poſt, his uerbis*: Si quis poſt emancipationem quæſitum ſibi filium patri ſuo in adoptionem dederit in locum filij: æquiſsimum eſt ei præſtari, quod cuiuis adrogato filio. Idcircoq; patri ſuo adiungendus eſt. Sed ſi emancipatus hic nepos poſt adoptionem proponatur, æquiſsimum erit eum abſtinere: recipit enim locum ſuum, nec debet patri ſuo iungi. *Concordat d.l.3.§.1.ibi: ſed ſi ſit. cuius uerba uide §.except.2.repl.1.dupl.1. Concordat item l.ſi emancipatus.6.§.1.ff.eod.tt.his uerbis*: Si filium & nepotem emancipauerit: uiuente quidem filio, nepos non ueniet: poſt mortem autem eius ad bonorum poſſeſsionem aui ueniet.

VIII. Exceptio: *Niſi nepotes poſt emancipationem patris ſui nati ſint. Hæc exceptio approbatur l. qui duos.3.ff.de coniungendis cum emancipato liberis, hiſce uerbis*: Qui duos filios habebat, alterum ex his emancipauit, nepotem ex eo in poteſtate retinuit: emãcipatus filium ſuſtulit, & à patre exhæredatus eſt. Quæro, cum frater eius & ipſe emancipatus ſit prætexitus, & nepotes ex emancipato filio ab auo hæredes inſtituti, quid de bonorum poſſeſsione iuris ſit: & quid interſit, ſi emancipatum quoq;, ex quo nepotes erant nati, prætexitũ eſſe ponamus? Marcellus reſpondit: Si filium retento ex eo nepote emancipauit, & emancipatus procreauit filium, & hæres uterque nepos inſtitutus fuit, pater eorũ exhęredatus, alius filius prætexitus: ſolus filius prætexitus bonorum poſſeſsionem contra tabulas petere poterit. Exhæredatus enim obſtat filijs ſuis poſt emãcipationem ſuſceptis. Nepoti retento in poteſtate bonorum poſſeſsio dari debet: quoniam ſi pater eius emancipatus prætexitus eſſet, ſimul cum eo bonorum poſſeſsionẽ accipere poſſet, propter id caput edicti, quod à Iuliano introductum eſt (id eſt, ex noua clauſula.) nec debet deterioris eſſe conditionis, quia pater eius exhæredatus ſit. Ideoq; ei prætexito quoque prętari oportebit. Sed fratris eius, qui poſt emancipationem natus eſt, diuerſa conditio eſt. Conſeruanda eſt tamen & illi ad uirilem partem hæreditas, ſicut etiam Imp. Antoninus in perſona nepotis ex filia reſcripſit. *Concordat l.ſi emancipatus.6.§.ſi filius. ff.de bonor.poſſeſs.contra tabul. his uerbis*: Si filius emancipatus, in adoptiua filia nepotem ſuſtulerit: ne nepos quidem ad bonorũ poſſeſſionem aui naturalis ueniet. Sed & ſi eman

ff. eod.tt. his uerbis: Modeſtinus reſpondit, non ideo minus ad auiæ maternæ bona ab inteſtato nepotes admitti, quòd uulgò quę ſiti proponantur. *Planè exceptio propoſita admitti uidetur, ſi legitimi liberi exiſtant. Sed hæc diſtinctio in illuſtribus quidem matribus & liberis, ex illicito concubinatu natis, admittitur, in alijs non admittitur, ex l. ſi qua. 5. C. ad S. C. Orphitianum. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 11. except. 84. repl. 1. dupl. 1.*

V. Exceptio: *Niſi liberi in ſeruitute concepti & nati ſint. Hæc exceptio cum ſuis replicationibus propoſita eſt ſ. cap. prox. except. 8.*

VI. Exceptio: *Niſi mater libertina fuerit. Hæc exceptio reprobatur l. 1. in prin. ff. ad S. C. Tertyll. his uerbis*: Siue ingenua, ſiue libertina mater eſt, admitti poſſunt liberi ad hæreditatem eius ex Senatuſconſulto Orphitiano. *Plures huiuſmodi exceptiones uide ſ. cap. prox. item ſ. capite 7. & cap. 13.*

DE CONIVNGENDIS cum emancipato liberis. Cap. IIII.

SI *filio emancipato competit bonorum poſſeſſio: coniunguntur cum eo eius filij, qui in poteſtate defuncti permanſerunt. quæ regula approbatur l. 1. in prin. ff. de coniungendis cum emancip. liberis, hiſce uerbis*: Si quis ex his quibus bonorum poſſeſſionem Prætor pollicetur, in poteſtate parétis, cũ moritur, non fuerit: ei liberis; quos in eiuſdẽ familia habuit, ſi ad eos hæreditas ſuo nomine pertinebit, neq; notam exhæredationis meruerunt, bonorum poſſeſſio eius partis datur, quæ ad eum pertineret, ſi in poteſtate permanſiſſet: ita ut ex ea parte dimidiam ipſe, reliquam liberi eius habeant, ijsq; duntaxat bona ſua conferat. *Concordat l. ſi quis. 5. in prin. ff. ſi tabulæ teſt. nullæ extab. cuius uerba uide ſ. cap. 2. except. 10. repl. 1. Concordat item l. filius. 9. ff. de collat. bonor. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 4. quæſt. 2. in prin. Item concordat l. non tantùm. 3. in prin. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabulas, his uerbis*: Non tantùm ipſi emancipati admittuntur ad bonorum poſſeſſionem, uerumetiam hi quoque qui ex his nati ſunt. *Ratio huius regulæ proponitur d. l. 1. §. 1. his uerbis*: Hoc edictum æquiſsimum eſt, ut neque emancipatus ſolus ueniat, & excludat nepotes in poteſtate manentes: neque nepotes iure poteſtatis obijciantur patri ſuo. *Planè propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi filius inſtitutus hæres ſit, uel exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. iungitur autem. ff. de coniungendis cum emancip. liberis, hiſce uerbis*: Iungitur nepos patri ſuo emancipato, ſiue pater præteritus ſit, ſiue inſtitutus. Et hæc erit differentia inter in adoptionem datum, & emancipatum, quòd in adoptionem quidem dato non aliàs iungitur, niſi inſtituto, & alio cõmittente edictum: emancipato autem, ſiue ſit inſtitutus emancipatus, ſiue ſit præteritus. *Concordat d. l. 1. §. ſi pater, his uerbis*: Si pater emancipatus exhęredatus ſit, nepotibus ex eo præteritis, qui erant in poteſtate retenti: nepotes admittuntur. Abſurdum eſt enim, cùm patri præterito iungantur, inſtituto eo uel exhæredato non admitti. Sed & ſi patruus eorum qui erat in poteſtate, ſit præteritus, pater exhæredatus: debent nepotes admitti: nam exhæredatus pater eorũ pro mortuo habetur. *Concordat l. qui duos. 3. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. except. 8.*

II. Exceptio: *Niſi filius ſit in poteſtate morientis, hoc enim caſu non coniunguntur ex eo nepotes. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. ſi pater, his uerbis*: Si pater in poteſtate manens, exhæredatus uel inſtitutus ſit: nepotem ex eo, ſiue in poteſtate manentem, ſiue emancipatum, ad bona aui neq; uocari, neque uocandum eſſe, Scæuola ait. Toties enim nepoti conſulendum eſt, quoties in poteſtate retentus eſt patre emancipato. *Concordant ea quæ propoſita ſunt ſ. cap. 2. except. 10. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi filius emancipatus, poſtea in locum nepotis uel filij rurſus ſit adoptatus. tunc enim, quamuis in poteſtate morientis fuerit, non tamen nepotes defuncti liberos ſuos excludit. quæ replicatio approbatur l. 1. §. ſi quis filium. ff. ſi tabulæ teſt. nullæ extab. his uerbis*: Si quis filium ſuum emancipatum in locum nepotis adoptauit & emãcipauit, cum haberet & nepotem ex eo: quæſitum eſt apud Marcellum, an adoptio reſciſſa impediat nepotem? Sed cum ſoleat emancipato patri iungi nepos: quis nõ dicat, etſi adoptatus ſit, & quaſi filius, nihilominus filio eum non obſtare: quia quaſi filius adoptiuus ſit in poteſtate, non quaſi naturalis? *Concordat l. 1. §. qui habebat. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabul. cuius uerba uide ſ. except. prox. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi nepos in locum filij ſit adoptatus, quaſi pater alterius nepotis. hic enim alterum excludit, quamuis non naturalis, ſed adoptiuus ſit filius. quæ auplicatio approbatur l. non tantùm. 3. §. ff. d. tt. his uerbis*: Si quos habens nepotes, alterum emancipatum loco filij adoptauerit: uidendum, an ſolus ille quaſi filius admittatur? quod ita ſcilicet procedit, ſi quaſi patrem eius nepotis, quem retinuerat, ſic adoptauerit. Melius eſt autem dicere, poſſe eum ſolum ad poſſeſſionem bonorum peruenire. Sed ſi ſit hic nepos emancipatus, uerum eſt dicere, non admitti eum quaſi filium: hic enim quaſi filius non eſt ex liberis, cum iura adoptionis emancipatione finita ſint. *Altera replicatio eſt: Niſi nepos in locum filij ſit adoptatus. tunc enim propoſita exceptio illi non obſtat. quæ replicatio approbatur d. l. 1. §. ſi filium, his uerbis*: Si filium habens, & ex eo nepotem,

potem, in locum filij nepotem adoptauero: ambo admittentur. Planè ſi fuerit emancipatus nepos, non admittetur: quia pater eum præcedit. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi nepos ſit rurſus emancipatus. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*: Planè ſi fuerit, &c.

III. Exceptio: *Niſi filius emancipatus in locum nepotis adoptatus, rurſus emancipatus ſit. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. qui habebat. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabul. his uerbis*: Qui habebat filium, habebat & nepotem ex eo: filium emancipauit & adoptauit in locum nepotis, deinde emancipauit. quæritur, an nepoti obſtet? Et mihi magis uidetur, hunc nepotem non excludi, ſiue pater eius in adoptione manſiſſet quaſi nepos, ſiue emancipatus eſſet. Puto enim & emancipato patre, nepotem quoq; cum patre ſuo ex edicto admitti. *Concordat l. 1. §. ſi quis filiũ. ff. ſi tabul. teſt. nullæ extab. cuius uerba uide ſ. except. prox. repl. 1.*

IIII. Exceptio: *Niſi filius non emancipatus, ſed alij in adoptionem ſit datus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. & in adoptionem. ff. de coniungendis cum emancip. liberis, hiſce uerbis*: Et in adoptionem datus filius, & hæres inſtitutus, ad hoc edictum pertinet, ut ei iungatur nepos, qui in aui ſui naturalis eſt poteſtate. *Planè admittitur exceptio propoſita, ſi filius in adoptionem datus, hæres inſtitutus à defuncto non ſit. quæ diſtinctio approbatur d. l. 1. §. iungitur autem. cuius uerba uide ſ. except. 1.*

V. Exceptio: *Niſi nepotes minimam partem ſint habituri. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. illud non intereſt. ff. de coniungendis cum emancip. liberis, his uerbis*: Illud non intereſt, quota portio hæreditatis ad nepotẽ pertineat, an perquàm modica. Nam etſi modica ſit, attamẽ dicemus eſſe locum huic parti edicti.

VI. Exceptio: *Niſi filius hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio reprobatur l. ſi quis. 5. §. fin. ff. ſi tabulæ teſt. nullæ extab. his uerbis*: Si filius emancipatus nõ petierit bonorum poſſeſſionem: ita integra ſunt omnia nepotibus, atque ſi filius non fuiſſet: ut quod filius habiturus eſſet petita bonorũ poſſeſſione, hoc nepotibus ex eo ſolis, non etiam reliquis adcreſcat.

VII. Exceptio: *Niſi nepotes non ſint in poteſtate aui morientis. Hæc exceptio approbatur d. l. 5. §. ſed etſi filium. ff. ſi tabulæ teſt. nullæ extab. his uerbis*: Si filium & nepotem ex eo pater emancipauerit: filius ſolus ueniet ad bonorum poſſeſſionem, quamuis capitis deminutio per edictum nulli obſtet. *Concordat d. l. 5. in prin. cuius uerba uide ſ. cap. 2. except. 10. repl. 1. Concordat item l. 1. in prin. ff. de coniung. cum emancip. liberis. cuius uerba uide ſ. hoc cap. in prin. item concordat d. l. 1. §. ſi pater in. cuius uerba uide ſ. except. 2. Concordat item d. l. 1. §. liberos igitur, his uerbis*: Liberos in familia eſſe oportet, ut huic edicto locus ſit: eius ſcilicet familiæ, cuius bonorum poſſeſſio petitur. *Concordat item l. non tantùm. 3. §. ſi filium. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabul. his uerbis*: Si fuerit emancipatus nepos, nõ admittetur: quia pater eum præcedit. *Concordat d. l. 1. §. ſi quis poſt, his uerbis*: Si quis poſt emancipationem quæſitum ſibi filium patri ſuo in adoptionem dederit in locum filij: æquiſsimum eſt ei præſtari, quod cuiuis adrogato filio. Idcircoq; patri ſuo adiungendus eſt. Sed ſi emancipatus hic nepos poſt adoptionem proponatur, æquiſsimum erit eum abſtinere: recipit enim locum ſuum, nec debet patri ſuo iungi. *Concordat d. l. 2. §. 1. ibi: ſed ſi ſit. cuius uerba uide ſ. except. 2. repl. 1. dupl. 1. Concordat item l. ſi emancipatus. 6. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis*: Si filium & nepotem emancipauerit: uiuente quidem filio, nepos non ueniet: poſt mortem autem eius ad bonorum poſſeſſionem aui ueniet.

VIII. Exceptio: *Niſi nepotes poſt emancipationem patris ſui nati ſint. Hæc exceptio approbatur l. qui duos. 3. ff. de coniungendis cum emancipato liberis, hiſce uerbis*: Qui duos filios habebat, alterum ex his emancipauit, nepotem ex eo in poteſtate retinuit: emãcipatus filium ſuſtulit, & à patre exhæredatus eſt. Quæro, cum frater eius & ipſe emancipatus ſit præteritus, & nepotes ex emancipato filio ab auo hæredes inſtituti, quid de bonorum poſſeſſione iuris ſit: & quid interſit, ſi emancipatum quoq;, ex quo nepotes erant nati, præteritũ eſſe ponamus? Marcellus reſpondit: Si filium retento ex eo nepote emancipauit, & emancipatus procreauit filium, & hæres uterque nepos inſtitutus fuit, pater eorũ exhęredatus, alius filius præteritus: ſolus filius præteritus bonorum poſſeſſionem contra tabulas petere poterit. Exhæredatus enim obſtat filijs ſuis poſt emãcipationem ſuſceptis. Nepoti retento in poteſtate bonorum poſſeſſio dari debet: quoniam ſi pater eius emancipatus præteritus eſſet, ſimul cum eo bonorum poſſeſſionẽ accipere poſſet, propter id caput edicti, quod à Iuliano introductum eſt (id eſt, ex noua clauſula.) nec debet deterioris eſſe conditionis, quia pater eius exhæredatus ſit. Ideoq; ei præterito quoque præſtari oportebit. Sed fratris eius, qui poſt emancipationem natus eſt, diuerſa conditio eſt. Conferuanda eſt tamen & illi ad uirilem partem hæreditas, ſicut etiam Imp. Antoninus in perſona nepotis ex filia reſcripſit. *Concordat l. ſi emancipatus. 6. §. ſi filius. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabul. his uerbis*: Si filius emancipatus, in adoptiua filia nepotem ſuſtulerit: ne nepos quidem ad bonorũ poſſeſſionem aui naturalis ueniet. Sed & ſi eman-

cipatus filius procreatis nepotibus in adoptionem se dederit, ut eum filij sequantur: idem erit. Planè si is qui apud adoptiuum auum procreatus est, emancipatus fit: ueniet ad bonorum possessionem aui naturalis. Adoptio enim tamdiu nocet, quàdiu quis in aliena familia est. Cæterùm emancipatus ad bonorum possessionem parentum naturalium uenit. Sed emancipatus uiuis eis, non etiam post mortem. hoc enim uerius est, post mortem eorum emancipatum non admitti. *Ait Iurisconsultus*: Planè si is qui apud adoptiuũ auum procreatus est, emancipatus sit: ueniet ad bonorum possessionẽ aui naturalis. *Hæc intellige mortuo patre: de qua re dictum* ſ. *cap. 2. except. 3. repl. 1.* Propositiæ exceptionis replicatio prima hæc est: *Nisi post emancipationem natus, ante emancipationem sit conceptus. Hæc replicatio approbatur l. 1. §. si pater in potestate, in fine. ff. de coniũgendis cum emancipato liberis, hisce uerbis*: Si posthumus natus sit ex emancipato, ante emancipationem conceptus: idem erit dicendum. *Ait Iurisconsultus*: Idem erit dicendum. *Scilicet quod dictum in d. §. si pater. cuius uerba uide* ſ. *except. 2. & except. 7.* Altera replicatio est: *Nisi post emancipationem nepotem natum auus adoptauerit. Hæc replicatio approbatur l. non tantùm. 3. §. si quis post. ff. de bonor. possess. contra tabul. cuius uerba uide* ſ. *except. prox. Concordat l. prætor. 3. §. fin. ff. de collatione bonorum. cuius uerba uide* ſ. *except. 13. replic. 1.* Tertia replicatio est: *Nisi pater mortuus sit, uel aliàs hæres ab intestato esse non possit. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt* ſ. *cap. 2. except. 16.*

Mutatio iuris.

Planè quamuis stricto iure, & secundum edicti uerba exceptio proposita approbetur: tamen rescripto Imperatoris Antonini est mutata, & conseruatur nepoti post emancipationem nato pars uirilis. quæ iuris mutatio proponitur uerbis l. qui duos. 3. §. fin. ff. de coniungend. cum emancip. liberis, ſ. *ead. except. in prin. propositis hisce*: Conseruanda est tamen & illi ad uirilem partem hæreditas: sicut etiam Imp. Antoninus in persona nepotis ex filia rescripsit. *Concordat l. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si post emancipationẽ filij susceptus ex eo fuerit nepos, conseruanda illi erit portio: sed quãta, uideamus? finge enim, patruo scripto hæredi cohæredem datum hunc nepotem, patrẽ autem eiusdem præteritum accepisse contra tabulas bonorum possessionem. Quod ad edictum Prætoris attinet, semisses bonorum fient. Nunc uerò post constitutionẽ diui Pij Antonini, si cõseruatur pars nepoti, utrum uirilis, an quarta debeat seruari? nam si in aui potestate natus fuisset, coniungeretur in unã partem cum patre suo. Et proponamus, alium esse ex eodem nepotem in familia aui. Duo unam quartam habituri erant, patre eorũ accipiente contra tabulas bonorum possessionẽ, si fuissent in aui potestate. An ergo nũc in sescunciam tuẽdus sit, qui nõ in familia retentus est? Et cui abscederet pars quæ huic cessura est, patri eius tantùm, an & patruo? & puto, & patruo. Nam & legatum eidem datum præstaret.

X. *Exceptio: Nisi nepotes ab auo sint exhæredati. Hæc exceptio approbatur l. 1. in prin. ibi: neq; totam. ff. de coniung. cum emancip. liberis. cuius uerba uide* ſ. *eod. cap. in prin. Concordat l. si quis. 5. in prin. ibi: neq; nominatim. ff. si tabulæ test. nullæ extab. cuius uerba uide* ſ. *cap. 2. except. 10. repl. 1. Huius exceptionis replicatio uidetur esse: Nisi nepos exhæredatus scripto hæredi hæres extiterit. quæ replicatio reprobatur l. si nepos. 5. ff. de coniung. cum emancipat. liberis, hisce uerbis*: Si nepos exhæredatus hæres extiterit ei, quem auus hæredem fecerat: deinde pater eius emancipatus, &c.

X. *Exceptio: Nisi nepotes sint adoptiui, non naturales. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 6. ff. de coniung. cum emancip. liberis, his uerbis*: Si quis filium habens in potestate, extraneum in nepotis locum quasi ex eo filio natũ adoptet, mox filium emancipet: non iungetur hic nepos filio emancipato: quia non desijt esse emancipatus ex liberis.

XI. *Exceptio: Nisi nepos sit apud hostes. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio hæc est: Nisi postliminio redierit. quæ replicatio approbatur l. 1. §. si postliminio. ff. de coniung. cum emancip. liberis, hisce uerbis*: Si postliminio nepos redierit, dicẽdum est, eum patri emancipato coniungi.

XII. *Exceptio: Nisi non nepotes, sed pronepotes filio coniungi uelint. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d. l. 1. §. liberos autem, his uerbis*: Liberos nõ omnes simul uocat Prætor, sed gradatim, hoc est, eos qui sui sunt: scilicet nepotes, si sunt. Si minus, eos qui sunt inferioris gradus: nec eos miscebimus. Planè si sit ex emancipato nepos, & ex nepote eius alio pronepos: dicendum erit, utrunq; ei iungi: ambo enim in suorum loco successerunt.

XIII. *Exceptio: Huius exceptionis loco notandum, quòd filius cum nepotibus ex se natis non in uirilẽ partem succedit, sed filius in dimidiam eius quod habiturus esset, si emancipatus non fuisset, nepotes ex eo in reliquam dimidiam. quæ exceptio approbatur l. 1. in prin. ibi: ita ut ex ea. ff. de coniung. cum emancip. liberis. cuius uerba uide* ſ. *eod. cap. in prin. Concordat l. si quis. 5. in prin. ibi: ita ut ex ea. ff. si tabulæ test. nullæ extab. cuius uerba uide* ſ. *cap. 2. except. 10. repl. 1. Concordat item l. filius. 9. ff. de collat. bonor. cuius uerba uide* ſ. *lib. prox. cap. 4. quæst. 2. in princ. Item concordat l. 1. §. inter ipsum. ff. de coniung. cũ emancip. lib. hisce uerbis*: Inter ipsum filium & liberos eius diuiditur hæreditas, ita ut ipse dimidium, liberi dimidium habeant. Proinde pone solum

lum filium emancipatum esse, & nepotes in potestate duos: neminem præterea ex liberis. Habebit emancipatus dimidiam partem hæreditatis, & aliam dimidiam partem hærediratis duo nepotes, ut quadrantes ferant. Et si sit præterea alius filius: eueniet ut filius habeat dimidiam partem hæreditatis, ex quo nepotes non sunt, alius semisse̅m cum filijs suis, ita ut quadrantem hæreditatis ipse ferat, quadrans in liberos eius diuidatur. Sed si ambo filij emancipati sint, & habeant singuli nepotes: eueniet, ut singuli singulos semisses cum nepotibus suis diuidant, ita ut ipsi quidem quadrantes ferant, nepotes autẽ residuos quadrantes: & si alter duos filios, alter tres habeat, quadrans unus inter duos, alius inter tres diuidatur. *Planè exceptionis propositæ replicatio prima hæc est: Nisi nepos loco filij à defuncto fuerit adoptatus: tunc enim uirilem habet partem. quæ replicatio approbatur d. l. 1. §. si pater ex, his uerbis*: Si pater ex duobus filijs, quos in potestate habuit, alterum emancipauerit, & nepotem ex eo in locum filij adoptauerit, & præterito emancipato decesserit: Iulianus ait, nepotem in locum filij adoptato succurri oportere, ut quasi filius portionem habeat, quam haberet, etsi extraneus adoptatus esset: sic fiet (inquit) ut filius qui in potestate fuit, tertiam partem, nepos in locum filij adoptatus aliam tertiam, emancipatus filius cum nepote altero retento in potestate reliquam partiantur: nec enim minus debet ferre nepos in locum filij adoptatus, quàm si ab extraneo esset adoptatus. *Concordat l. cum emancipatus. 5. §. fin. ff. de contra tab. bonor. possess. his uerbis*: Si pater ex duobus filijs alterum habentem filios emancipauerit, & unum ex nepotibus, quem antè emancipauerat, in locum filij adoptauerit, præterito deinde emancipato decesserit: æquius erit, nepoti, qui in locum filij uenerit, succurri, & in tres partes hæredi̅tatem deduci: ut unam habeat qui in potestate remanserit, alteram nepos adoptatus in locum filij, tertiam emancipatus cum filio suo, qui nepotis loco fuerit. Sed & si mortuo filio alter ex nepotibus in locum filij adoptatus fuerit, tres partes in bonis fient: cum sit æquius, eum qui in locum filij adoptatus est, non minus habere, quàm si non ex numero nepotum, sed extraneus adoptatus esset. *Concordat item l. prætor. 3. §. fin. ff. de collatione bonorum, his uerbis*: Qui duos filios in potestate habebat, & ex uno eorum nepotem: emancipauit filium, ex quo nepotem habebat: deinde emancipatus factus procreauit filium, quem auus in locum filij adoptauit, & uel intestatus, uel testamento facto præterito emancipato filio decesserit. quæsitum est, quid de bonorum possessione, quid de collatione iuris esset? Iulianus respondit: Bonorũ, de quibus quæritur, tres partes fieri debent: ex quibus una pertinet ad filium qui in potestate remãsit: altera ad nepotem, qui in locũ filij adoptatus est: tertia ad emancipatum filium & nepotem, qui in potestate remanſit, ita ut pater soli ei conferat, cum quo bonorum possessionem accipiet. *Altera replicatio est*: Nisi *nepos post emancipationem patris natus sit. hic enim ex rescripto Imp. Antonini in uirilem partem uocatur. quæ replicatio approbatur l. qui duos. 3. §. fin. & l. si post. 7. ff. de coniung. cum emancip. liberis. quarum legum uerba uide* ſ. *except. 8. in fine.*

De iuris mutatione.

Planè iure nouo edictum prætoris propositũ de coniungendis cum emancip. liberis sublatum censetur per Nouell. 118. §. si quis igitur. ubi differentia inter suos hæredes & emancipatos liberos, quoad successionẽ, prorsus tollitur. Quemadmodum ergo filius in potestate retentus iure ueteri excludebat nepotes ex se natos, ut ſ. *except. 2. in prin. est oſtensum: ita iure nouo emancipatus etiam eos excludit. Cui accedit etiam glossa in l. 1. in princ. uers. sed hoc edictum hodie. ff. de coniungendis cum emancipat. liberis. Hactenus de coniungendis cum emancipato liberis.*

DE SVCCESSIONE PARENTVM, & Senatusconſ. Tertyllianо. Cap. V.

DE successione descendentium hucusque dictum est. Nunc de successione ascendentium est dicendum: postea collateralium.

I. Regula, *De ascendentib. seu parẽtibus in genere. Hi liberis defunctis succedunt, perinde ac illis defunctis succederẽt liberi. quæ regula approbatur Inſt. de legitima adgnat. succeſſ. §. fin. his uerbis*: Ad legitimam successionẽ nihilominus uocatur etiam parens, qui contracta fiducia filium uel filiam, nepotẽ uel neptem, ac deinceps emãcipat. Quod ex nostra cõstitutione omnino inducitur, ut emancipationes librorũ semper uideantur quasi contracta fiducia fieri: cùm apud ueteres nõ aliter hoc obtinebat, nisi specialiter contracta fiducia parens manumisisset. *Ait Imp.* Quod ex nostra constitutione. *Hæc constitutio proponitur l. fin. C. de emancipat. liberorum. cuius uerba uide* ſ. *lib. 16. cap. 9. quæst. 2. except. 1.* Ratio successionis parentum in bona liberorum defunctorũ, *proponitur l. scripta. 7. §. fin. ff. si tabul. test. nullæ extab. cuius uerba uide* ſ. *cap. 2. in prin. Concordat propositæ regulæ Nouell. c. 118. §. consequens, usq; ad §. restat, his uerbis*: Consequẽs nobis usum est & de ascendentib. decernere, quomodo ad descendentiũ successionẽ uocentur. Si igitur, cũ defunctus descendẽtes hæredes nõ relinquat, pater ipsi aut mater, aut alij parentes superuixerint: omnibus

hoſce ex tranſuerſo cognatis præferri ſancimus: exceptis ſolummodò ex utroq; parẽte defuncto coniunctis fratribus fratrumq; filijs,ut per ſequentia declarabitur. Si multi ex aſcendentib.ſuperſint,hos præferri iubemus, qui gradu proximi inueniuntur, maſculos iuxtà & fœminas, ſiue paterni,ſiue materni generis. Si eũdem gradum omnes tenebunt: hæreditas inter ipſos æquis portionibus diuidetur,ut ſemiſſem quidem omnes paterni generis aſcendentes capiant, quotcunque tandem ſint:reliquum uerò ſemiſſem aſcendẽtes materni generis, quotcunq; eos tandem inueniri contigerit. Si cũ aſcendentib.inueniantur ex utroq; parente defuncto coniuncti fratres, fratrúmue filij: cum gradu proximis uocabuntur, licet pater aut mater ſint:diuidenda uidelicet inter ipſos hæreditate pro perſonarum numero, ut aſcendentium atq; fratrum quiſq; pro ſe æqualem portionem habeat,ſed & fratrum filij portionem ſui parẽtis capiant. Nullum in hoc caſu uſumfructum omnino patre ſibi ex filiorum filiarúmue portione uindicare queunte:quandoquidem per præſentem legem pro eo uſufructu partem ipſi hæreditatis etiam iure dominij tribuimus. Nulla differentia inter haſce perſonas conſeruanda, fœmellæne an mares ſint, qui ad hæreditatem uocantur, & per maſculinámne an fœmininã perſonã defunctum contingant, & ſub poteſtatẽne an poteſtate liber fuerit, cui ſuccedũt. *Planè propoſitæ regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi liberi ex defuncto ſuperſint: hi enim parẽtes excludunt.quæ exceptio approbatur uerbis d. §.cõſequens,iam propoſitis hiſce:* Cum defunctus deſcendentes hæredes non relinquat. *Concordat d.c.118. §.ſi quis igitur, his uerbis:* Si quis deſcendentium inteſtatò defuncto ſuperſit cuiuſcunque ſexus aut gradus, ſiue per maſculinam, ſiue fœmininam ſobolem deſcendat, & ſiue alterius poteſtati ſubditus, ſiue poteſtate ſolutus ſit: omnibus is aſcendentibus & ex tranſuerſo cognatis præfertur. Tametſi enim defunctus alterius poteſtati ſubditus fuit, nihilominus tamen filios eius,cuiuſcunque ſexus uel gradus fuerint, ipſis etiam parentibus præferri iubemus, quorum poteſtati defunctus ſubiectus fuit: in illis uidelicet rebus, quæ ſecundum cæteras noſtras leges parentibus non adquiruntur. In quibus enim caſibus earũ rerum uſusfructus adquiri conſeruariue debet,in ijs leges noſtras de his latas parentibus reſeruamus. *Concordat item l.1.C.ad Senatuſc.Orphitianũ.cuius uerba uide ẽ.cap.3.in prin. Concordat item l.quoties.4.C.eod.tt.his uerbis:* Quoties de emãcipati filij filiæue ſucceſsione tractatur,filijs ex his genitis deferatur intacta pro ſolido ſucceſsio, neq; ulla defuncti defunctæue patri matriue concedatur inteſtatæ ſucceſsionis hæreditas. *Huius exceptionis replicationes uide ẽ.cap.2. Altera exceptio eſt:Niſi fœminini ſexus parentes ſint . quæ exceptio ipſo quidẽ iure antiquo ſubſiſtit,Inſt.de Senatuſc.Tertyll.in prin.cuius uerba uide ĩ. reg.5.in prin. Item eius replicatio in matre introducta eſt Senatuſc.Tertyll. de qua ĩ.d.reg. 5. Verùm iure nouo exceptio propoſita tollitur ac reprobatur uerbis Nouell.c.118.§.cõſequens,in fine,paulò ſuperius propoſitis hiſce:* Nulla differentia inter haſce perſonas, &c. *Tertia exceptio uidetur: Niſi parentes per fœmininum , non maſculinum ſexum defunctũ contingant. Quarta exceptio uidetur : Niſi defunctus ſub alterius ſit poteſtate. Hæ duæ exceptiones reprobantur uerbis paulò ſuperius propoſitis hiſce:* Nulla differentia inter haſce perſonas,&c. *Plures huiuſmodi exceptiones uide ĩ. cap. 7.& cap.13. Hæc de ſucceßione parentum in genere: nunc in ſpecie de ea ſequitur.*

I I. *Regula, De patre defuncti.Pater filio defuncto ab inteſtato ſuccedit. Quæ regula approbatur quidem ipſo iure,ſecundũ ea quæ propoſita ſunt ẽ.reg.prox.in prin. Eius aũt exceptio prima hæc eſt:Niſi defunctus liberos reliquerit.quæ et ipſa exceptio approbatur per ea quæ propoſita ſunt ẽ.reg.prox. except.1. Eius uerò replicatio hæc uidetur eſſe:Niſi pater defunctum in ſua poteſtate habuerit.quæ tamẽ replicatio reprobatur Nouell.c.118.§.ſi quis igitur.ibi:tametſi.cuius uerba uide ẽ.reg.prox.except.1. Altera exceptio eſt:Niſi defunctus fratres uel ſorores reliquerit.Hæc exceptio approbatur l.de emancip.13.C.de legitimis hæred.his uerbis:* De emãcipatis filijs,qui ex ſacro reſcripto patrib.impertito hocà ſuis genitoribus meruerũt,dubitatũ eſt,cùm Analtafiana lex iura fratrib.legitima noſcitur ſeruare:ſi quis ex ijs ſine teſtamento & liberis deceſſerit, utrúmne ad fratrẽ uel ſororem eius ſucceſſio deuoluatur,an ad ſuperſtitẽ patrẽ?Huiuſmodi dubitationẽ compendioſo reſponſo duximus eſſe finiendã. Ideoq; ſancimus,ad ſimilitudinẽ maternarũ rerũ aliarumq;, de quibus iam à nobis lex poſita eſt, & huiuſmodi hæreditatẽ iure quidẽ dominij ad fratres uel ſorores in totum peruenire: uſumfructum aũt eius patri totũ, ſiue priorẽ thorum ſeruauerit, ſiue ad ſecundas migrauerit nuptias,adquiri:ſiue per ſacrum oraculũ emancipatio procedat, ſiue alio legitimo modo à ſacris paternis fuerint abſoluti. Cũ enim & pater utitur uſufructu, & uotum eius eſt ad alios filios ſuas res peruenire: qua propter cum ex lege Anaſtaſiana in aliũ articulum fratribus proſpectum eſt,nũc à nobis in hac ſpecie plenius eis ſubuenitur: ut pater habeat uſumfructum, fratres autem uel ſorores dominiũ rerum relictarũ: exceptis maternis rebus, in quibus, ſi de eadem matre fratres uel ſorores ſint, eos ſolos uocari

cari oportet.Sin autẽ non ſuperſint,tunc ad ſimilitudinem aliarum rerũ in totam fraternitatem dominiũ earum cedere,ut ſit apertiſsimus in omnib.tractatus, & nõ per differentiã perſonarum uel rerum uacillare noſcatur. *Concordat l.ult.C.cõmunia de ſucceßionib.cuius uerba uide ẽ.cap.1.quæſt.1.except.2.in fine. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi quoad uſumfructum: hic enim patri ſeruatur,fratre uel ſorore non obſtante . quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Vſumfructũ aũté eius patri totum,&c. *Concordat d.l.ult.in fine. Alit Imp. Totũ. Huic contradicit l.ult.§.ſin aũt defuncta.ibi:patri aũt & matri.C.ad S.C.Tertyll. cuius uerba cum ſolutione huius antimoniæ uide ĩ.reg.5.except.14.in fine. Planè propoſitæ replicationis duplicatio prima eſt in maternis rebus,in quibus ne uſusfructus quidem patri debetur,fratrib.uel ſororib.defuncti extantib.quæ duplicatio approbatur uerbis ẽ propoſitis hiſce:* Exceptis maternis rebus,in quibus,&c. *Altera duplicatio uidetur: Niſi pater nuptias iterauerit.quæ tamen duplicatio reprobatur uerbis ẽ.propoſitis hiſce:* Siue priorem thorum ſeruauerit, ſiue ad ſecũdas migrauerit nuptias,&c. *Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt:Niſi non ex utroq; parente frater defuncti fuerit . quæ replicatio approbatur Nouell. c.118.§.conſequens.ibi:ſi cum aſcendentib. cuius uerba uide ẽ.reg.prox.in prin. De qua re uide item ĩ.capite prox.reg.1.except.3.*

De iure nouo.

Planè iure nouo exceptio propoſita reprobatur,ita ut pater cum fratribus defuncti in uiriles portiones pleno iure admittatur: & ſupradicta prima replicatio tollitur d.uerſi cum aſcendentibus.

Tertia exceptio eſt: Niſi fratrũ filij ſuperſint. Hæc exceptio approbatur pro itã dicta uirili parte d.uerſi cum aſcẽdentib. Quarta exceptio uidetur:Niſi pater nuptias iterauerit. Hæc exceptio reprobatur Nouell.c. 2.§.ſin aũt nõ uoluerit.ibi:ſicut enim pater.itẽ ibi:proinde quod patres. cuius uerba uide ĩ. reg.5. except.5. Plures huiuſmodi exceptiones uide ĩ.d.reg.5.except.14.

I I I. *Regula, De auo. Hic regulariter etiã ſuccedit nepoti. quæ regula approbatur per ea quæ propoſita ſunt ẽ.reg.1.in prin.& ẽ. reg.prox.in prin. Eius aũt præter exceptiones ẽ. propoſitas & alia hæc eſt : Niſi mater defuncti ſuperſit.quæ exceptio approbatur Inſt. de S.C.Tertyll.§.pater uerò. cuius uerba uide ĩ. reg.5. except.14. Huius exceptionis replicatio hæc eſt:Niſi & pater defuncti ſuperſit. quæ replicatio approbatur l.æquiſſimum.5.§.ſi ex filio.ff.ad S.C.Tertyll.cuius uerba uide ĩ.reg.5. except.15. Alia itẽ exceptio hæc eſt: Niſi ſoror defuncti ſuperſit. quæ exceptio approbatur l.in ſucceßione.9.C.de legitimis hæred. cuius uerba uide ĩ.cap.6.reg.3.except.2. Sed iure nouo exceptio hæc reprobatur.de qua re uide d.except.2. Tertia exceptio eſt: Niſi pater defuncti ſuperſit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.118. §.conſequens.ibi:ſi multi. cuius uerba uide ẽ.reg.1.in prin. Huius exceptionis replicatio hæc eſt:Niſi nepos defuncti ab auo fuerit manumiſſus:tũc enim auus manumiſſor patri præfertur.quæ replicatio approbatur l.1.§.nepos.ff.ſi à parente.cuius uerba uide ĩ.reg.5.except.15.in fine.*

I I I I. *Regula,De auia.* Hæc nepotinon ſuccedit.*quæ regula approbatur Inſtit.de S.C.Tertyll. §.& primus quidẽ.ibi:non etiam auiæ.cuius uerba uide ĩ.reg.prox.. Planè regula hæc nouo iure uidetur ſublata, Nouell.c. 118.§.conſequens, in fin. ibi:nulla differentia inter haſce.cuius uerba uide ẽ.reg.1.in prin.*

DE SENATVSCONSVLto Tertylliano.

V.*Regula,De matre defuncti.Hæc iure antiquo perinde ac auia & alij fœminini ſexus parentes defunctis liberis nõ ſuccedebat ab inteſtato,ut dictũ quoq; ẽ.reg. 1.except.1,uerùm poſtea Senatuſc.Tertylliano illud ius in matre defuncti exceptionem recepit,ut mater defuncto filio ab inteſtato ſuccederet.Sit igitur huius loci regula, quòd filio filiæue inteſtatò defunctis mater ſuccedat. quæ regula approbatur inſt.de Senatuſc.Tertyll. in prin.his uerbis:* Lex XII.Tab.ita ſtricto iure utebatur,& præponebat maſculorũ progeniẽ:& eos qui per fœminini ſexus neceſsitudinem ſibi iungũtur,adeò expellebat,ut neq; quidẽ inter matrẽ & filium filiámue ultrò citroq; hæreditatis capiendæ ius daret:niſi q Prætores ex proximitate cognatorum eas perſonas ad ſucceſsionẽ,bonorũ ſucceſsione Vndecognati accommodata,uocabant. Sed hæ iuris anguſtię poſtea emẽdatæ ſunt. Et primus quidẽ diuus Claudius matri ad ſolatium liberorũ amiſſorum, legitimã eorum detulit hereditatẽ. Poſtea autem Senatuſc Tertylliano, quod diui Hadriani temporib.factũ eſt,pleniſsimè de triſti ſucceſsione matri,nõ etiã auiæ deferẽda,cautũ eſt: ut mater ingenua trium liberorũ ius habẽs, libertina quatuor,ad bona filiorũ filiarúmue admittatur inteſtatò mortuorũ, licet in poteſtate parentis ſit: ut ſcilicet,cùm alieno iuri ſubiecta eſt,iuſſu eius adeat hereditatem, cuius iuri ſubiecta eſt. *Huius regulæ exceptiones hæ ſunt,uel ſaltem eſſe uidentur.*

I. *Exceptio : Niſi mater in poteſtate parentis ſit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Licet in poteſtate parẽtis ſit. *Concordat l.filij. 6.in prin.ff.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Filij mater ex hoc Senatuſconſulto, etſi in aliena poteſtate ſit,ad hæreditatem admittitur.

I I. *Exceptio: Niſi libertina mater ſit.* Et *hæc exceptio reprobatur l.2.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Siue ingenua ſit mater,ſiue libertina:habebit Tertylliani commodum.

III. *Exceptio: Niſi nõ ſit triũ uel quatuor liberorũ mater. Hæc exceptio approbatur uerbis inſt.de Senatuſc.Tertyll.ẽ.ead.reg.in prin.propoſitis hiſce:* Vt mater ingenua triũ liberorũ ius habens, libertina quatuor,ad bona filiorũ filiarúmue admittatur. *Planè iure nouo exceptio propoſita tollitur & reprobatur, Inſtitut.eod.tt.§.ſed nos conſtit.*

his

his uerbis: Nos cõstitutione,quam in Codice nostro nomine decorato posuimus, matri subueniendũ esse existimauimus,respicientes ad naturã,& puerperium, & periculũ,& sæpe mortem ex hoc casu matribus illatam. Ideoq; impiũ esse credidimus,casum fortuitũ in eius admitti detrimẽtum. Si enim ingenua ter, uel libertina quater non peperit, immeritò defraudabatur successione suorũ liberorũ. Quid enim peccauit,si non plures, sed paucos peperit? Et dedimus ius legitimum plenũ matribus (siue ingenuis,siue libertinis)etsi non ter enixæ fuerint uel quater, sed eum tantũ uel eã, qui qũæue morte intercepti sunt,ut sic uocẽtur in liberorũ suorum legitimã successionem. *Ait Imp.* Nos constitutione. *Hæc constitutio habetur l.2.C.de iure liberorum,his uerbis:* Illam iniuriã,quæ contra matrem defuncti uel defunctæ præteritis fiebat temporibus, pro iusticiæ ratione amputamus,& legitima iura,quę ex Tertylliano senatusconsulto ei præstantur, omnimodò eam habere sancimus,licet tres liberos ingenua, uel libertina quatuor minimè pepererit.

IIII. *Exceptio: Nisi mater sit infamis. Hæc exceptio reprobatur l.2.ſ.si mulier.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Si mulier sit famosa,ad legitimã hæreditatem liberorum admittetur.

V. *Exceptio: Nisi mater nuptias iterauerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.fœminæ.3. ſ.illud etiam.C.de secundis nuptijs. cuius uerba uide ſ. lib.14.cap.5.quæſt.3.reg.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi quoad usumfructum. hunc enim in bonis filij defuncti,quamuis nuptias iterauerit, mater habet. quæ replicatio approbatur d.ſ.illud etiã. Altera replicatio est: Nisi nulli alij ex priore matrimonio supersint liberi. Hæc replicatio approbatur d.l.3. ſ.fin.cuius uerba uide ſ.lib.14.cap.6.quæſt.1.except.8. Tertia replicatio est: Nisi defunctus nõ à patre,sed extrinsecus bona adquisierit. quæ replicatio approbatur l.mater.5.C.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Mater quæ defuncto filio filiæue sine liberis ex testamento uel ab intestato succedit, si matrimonium secundum post mortem filij uel filiæ non contraxerit, omnia filij seu filiæ morte delata uel derelicta pleno iure adquirat. Sin uerò alterius mariti coniugium elegerit:extrinsecus quidem quęsita filio filiæue, simili firmitate possideat: rerum uerò paternarum defuncti solo usufructu humanitatis contemplatione potiatur, proprietatem & sororibus & fratribus transmissura defuncti. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ante, non post mortem filij nuptias iterauerit. tunc enim propositæ replicationi locus non est. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Si matrimonium secundum post mortem filij,&c.

Mutatio iuris.

Planè iure nouo exceptio proposita tollitur & reprobatur Nouell.c.2.ſ.cum igitur reliquum,usq; ad ſ. aliud uerò, his uerbis: Sancimus, alias res post antenuptialẽ donationem ad filios uenientes, siquidẽ filius masculus aut fœmina fortè testetur, secundum legem uenire ad scriptos hæredes,hic matre nõ prohibita scribi à filio hærede,sed etiam contra testamentũ ei datis allegationibus, si fortè filius eã prętermiserit, aut irrationabiliter exhæredatã fecerit. Si uerò intestatus decesserit, reseruans illius partem,siquidem habuerit filios proprios, ad filios uenire: sin autem non habuerit quidem filios proprios, sit fratrũ uocatio & matris unà cum fratribus (secundũ quod à nobis sancitũ est) ad hæreditatẽ uenientis,& eam firmè habẽtis,siue ad secundas uellet uenire nuptias,siue nõ.Nec enim maiores pœnas aduersus mulieres, quæ ad secundas ueniunt nuptias,facimus,neq; ex hoc eas ad necessitatem deducimus amaram,& nostrorum temporũ indignã,ut metu castarum nuptiarũ(licet secundæ sint)ab his quidẽ abstineant,& descẽdant ad quasdam interdictas permixtiones, & forsan etiam ad seruorum corruptiones, & quoniã non licet legaliter castè uiuere,contra leges luxurientur. Nequaquam igitur ualere uolumus,neq; agnoscimus uel in quinto libro Codicis positam nostræ pietatis constitutionem, discernentem de hæreditatibus filiorum, quos matres ad secundas nuptias uenientes uiderunt præobeuntes:uel in sexto libro eiusdem subscriptionis,sub titulo ad S.C.Tertullianum,quæ de mulieribus dispurat secundis quidẽ nuptijs iunctis,ante secundam tamen copulationem filios amittentibus:sed uocetur ad filij hæreditatẽ modis omnibus mater cum fratribus,& hãc habeat firmè, nihil ex secundis lædenda nuptijs.Quod & in subiecta quæstione,quę legem hanc mouit, obtineat, & mater unà cũ filia succedat hæreditati, aut etiam succedens hanc irrefragabiliter habeat, nihil ex spe secundarũ lædenda nuptiarum,sed domina eiusdem hæreditatis cũ filia absolutè consistens. Optimum ita q; est atq; laudabile,& dignum oratione,ut mulieres ita se honestè tractent, quatenus quæ semel ad uirum uenerunt,seruent inuiolatũ morientiũ thorum.Et huiusmodi mulierẽ & miramur pariter,& laudamus, & non procul à uirginitate ponimus. Sin autem non uoluerit,& cùm forsitan iuuentus hoc nõ patiatur, nec possit contra feruorem naturę resistere: nõ est torquenda propter hoc, nec interdicendæ sunt ei communes leges: sed ad uiri alterius ueniat nuptias honestè, & omni luxuria

xuria abstineat, & fruatur successione filiorum. Sic enim eos adhuc amplius diliget, & nõ quasi quosdã odibiles respiciet pœnis subdita amaris.Sicut enim patres,si ad secũdas ueniunt nuptias, nõ fraudamus filiorũ suorum successione,nec quælibet est lex aliquid tale dicens: sic neq; matres priuabimus filiorũ successione,si matres ad uirũ ueniant secundũ,licet ante nuptias secundas, aut post secundas filij moriantur. Alioquin ex absurditate legis, licet præmoriantur filij omnes,nõ relinquẽtes filios aut nepotes, nihilominus suppliciũ manet: & non succedit eis mater,nec si sine filijs moriantur,sed inhumanè ab eorũ expellitur successione, frustra quidẽ pariens, frustra simul & nutriens,propter legales nuptias subiecta pœnis: & succedent quidẽillis aliqui ex longa cognatione,mater aũt irrationabiliter expelli tur: quapropter & ipsa succedat filijs, & sit hęc lex clemens & mitis,matres filijs concilians. Colligentes igitur huius legis partẽ, sancimus,quia matrẽ(secũdum quod iamdudum diximus) assimilamus patri,in antenuptiali donatione & ipsam sustinere qui dem pœnas, sicut sustinet pater in dote. In hæreditate autẽ illorum sine tergiuersatione ueniat & pater & mater secũdum subiectas utriq; casui quæstiones. Proinde quod patres habent, siue ad secundas uenientes nuptias,siue non,hoc etiam matres habeãt: uoceturq; mater ad filij hęreditatẽ, siue iam ad secũdas uenit nuptias, siue postea ueniet. Antenuptiali uerò donatione,&c. *De his quæ sequuntur, uide ſ.lib.14.cap.5. quæſt.3. reg.2.except.3.repl.1. Concordat Nouell.c.22.ſ.ex hoc alius, his uerbis:* Ex hoc alius nos tractatus euocat, successionem filiorum cõplectens,quam capiunt quæ secundis se iungunt nuptijs. Ac de his quidẽ iam à nobis conscripta lex est, inscripta ad Hermogenem gloriosissimum uirum, qui magister sacrorum nostrorũ officiorum fuit,edita XVII. cal.April.sub consulatu gloriosiſ.Belisarij: in qua sanximus, ut matres ad filij,qui ipse filios non reliquerit,hæreditatem unà cum ipsius defuncti fratribus absq; ullo negocio uocentur: eamq; firmiter tam iure utendi fruendi,quàm proprietatis teneãt, siue ante siue post delatam hęreditatem secundis se nuptijs iunxerint, abrogatis per illã cæteris legibus,quæ contrarium de his aliquid promulgabãt. Hanc nostram legislationem nunc quoq; ratam manere sancimus: sed in his tantùm, quæ iam ad secundas progressæ sunt nuptias,& quibusdam filijs suis successerunt, stabiliterq; hanc eis per omne iam inde ab initio emensum tempus conseruari, siue ante nuptias, siue post nuptias filij hæreditatem ad ipsas deferri contigit. Quæ uerò de mulieribus posthac ad secundi se uiri consortium conferentibus dicenda sunt:ea præsens lex in formam redigat, & ad plenum sanciat. *Planè exceptio proposita iure nouo reprobata, admittitur in illis rebus,quæ ad defunctum filium à patre eius sunt profectæ. in his enim mater ei non succedit, nisi quoad usumfructum. quæ distinctio approbatur d.c.22. ſ.quòd si filius intestatus. cuius uerba uide ſ. lib.14. cap.5.quæſt.3.reg.1.excep.2.Hæc de quinta exceptione.*

VI. *Exceptio: Nisi mater filio impuberi defuncto tutores non petierit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ſ.lib.16.cap. 5.quæſt.5.reg.3.*

VII. *Exceptio: Nisi mater filio defuncto ea quæ ei ex ratione gestæ tutelæ debebat, non persoluerit. Hæc exceptio approbatur l.omnem.6.C.ad S.C.Tertyll. cuius uerba uide ſ. d.reg.3.except.3. Hactenus exceptiones desumptæ ex persona matris,propositæ sunt: nunc exceptiones ex persona defuncti filij filiæue proponentur.*

VIII. *Exceptio: Nisi filius uulgò sit quæsitus. Hæc exceptio reprobatur Instit.de S.C.Tertyll.ſ.fin. his uerbis:* Licet uulgò quæsitus sit filius filiáue, potest tamen ad bona eius mater ex Tertylliano senatusconsulto admitti. *Concordat l.2.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Filium uel filiam accipere debemus, siue iustè sint procreati,uel uulgò quęsiti.Idq; in uulgò quęsitis & Iulianus lib. LVIII. Digest. scribit. *Concordat item l.2.ſ.4.ff.unde cognati,his uerbis:* Etiam uulgò quæsiti liberi matris, & mater talium liberorum, item ipsi fratres inter se ex hac parte bonorum possessionem petere possunt: quia sunt inuicem sibi cognati, usqueadeò ut prægnans quoque manumissa si peperit,& is qui natus est matri, & mater ipsi,& inter se quoque qui nascuntur,cognati sint. *Concordat item l.si spurius.4.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.cap.1.quæſt.1.except.7.*

IX. *Exceptio: Nisi filius in seruitute natus sit. Hæc exceptio approbatur l.1.ſ.1.ff.unde cognati. cuius uerba uide ſ.cap.1.quæſt.1.except.1.repl.1.dupl.1. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi uel cõceptionis uel natiuitatis tempore mater libera fuerit, uel medio tempore. quæ replicatio approbatur uerbis l.2.ſ.1. ſ.except.proxim.propositis hisce:* Vsqueadeò ut prægnans quoque manumissa si peperit,& is qui natus est matri,& mater ipsi,&c. *Concordat l.2.ſ.sed si in seruitute.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Si in seruitute conceperit filium, & manumissa ediderit: ad legitimam eius hæreditatem admittetur. Idemq; & si serua pœnæ concepit,& restituta edidit. Hocidem & si libera concepit, & edidit serua pœnæ, mox restituta est. Sed & si libera concepit, in seruitutem redacta edidit, mox manumissa est: ad legitimam hæreditatẽ eius admittetur. Item si adhuc prægnãs manumissa est,

ſa eſt,dicendũ erit prodeſſe. *Altera replicatio eſt: Niſi dũ mater libertatis morã patitur,filius ſit editus. quæ replicatio approbatur d.l.2.§.& in ſeruitute, his uerbis:* Et in ſeruitute editi filij ad legitimã hæreditatẽ mater admitteretur, utputa ſi poſt morã factam in fideicõmiſſa libertate peperit, uel apud hoſtes, & cũ eo redijt, uel ſi redempta edidit. *Concordat l.ult.C.ad S.C.Orphitianum.cuius uerba uide §. cap.2.except.8.replic.1. Tertia replicatio eſt:Niſi apud hoſtes filius natus poſtliminio redierit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Vel apud hoſtes,& cum eo redijt. *Quarta replicatio eſt:Niſi ex matre ab hoſtib. redempta natus ſit. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Vel ſi redempta edidit.

X. *Exceptio: Niſi defunctus libertinus fuerit. Hæc exceptio approbatur l.2.§.1.ff.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Si filius uel filia libertini ſint effecti,mater legitimam hæreditatem uindicare non potuit: quoniã mater eſſe huiuſmodi filiorum deſijt.Idq; & Iulianus ſcripſit,& conſtitutum eſt ab Imperatore noſtro.

XI. *Exceptio: Niſi filius infans deceſſerit. Hæc exceptio reprobatur l.1.C.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Licet liberi matribus abinteſtato ita demum per ſe hæredes exiſtant,ſi fari poſſint:tamẽ matres liberis,etiamſi infantes naturæ conceſſerint, poſſe ſuccedere, nulla dubitatio eſt. *Hæc de ſecundi generis exceptionibus, deſumptis ex perſona filij defuncti.cuius generis plures etiam exceptiones uide §.cap.2.except.1.cũ ſequentibus. Sequuntur nunc exceptiones deſumptæ ex perſonis eorũ qui matri præferuntur.*

XII. *Exceptio: Niſi adgnati defuncti ſuperſint. Hæc exceptio reprobatur Inſtit.de ſenatuſc.Tertyll.§. ſed cũ antea,his uerbis:* Cum antea conſtitutiones,iura legitimæ ſucceſsionis perſcrutantes,partim matrem adiuuabãt, partim eam prægrauabant,nec in ſolidũ eam uocabant, ſed in quibuſdam caſibus tertiã ei partẽ abſtrahentes, certis legitimis dabãt perſonis, in alijs autem contrariũ faciebant:nobis uiſum eſt,recta & ſimplici uia matrẽ omnibus legitimis perſonis anteponi,& ſine ulla deminutione filiorũ ſuorum ſucceſsionem accipere:excepta fratris & ſororis perſona,ſiue conſanguinei ſint, ſiue ſola cognationis iura habẽtes:ut quemadmodũ eam toti alij legitimo ordini prępoſuimus,ita omnes fratres & ſorores,ſiue legitimi ſint,ſiue non,ad capiẽdas hęreditates ſimul uocemus:ita tamen,ut ſiquidẽ ſolæ ſorores adgnatę uel cognatę,& mater defuncti uel defunctę ſuperſint:dimidiã quidẽ mater,alteram uerò dimidiam partẽ omnes ſorores habeãt.Si uerò matre ſuperſtite & fratre uel fratribus ſolis, uel etiam cum ſororibus, ſiue legitima, ſiue ſola cognationis iura habentibus,inteſtatus quis uel inteſtata moriatur: in capita diſtribuatur eius hęreditas. *Planè exceptio poſita in quibuſdam adgnatorum ſpeciebus admittitur, ut ex ſequentibus exceptionibus patet.*

XIII. *Exceptio:Niſi liberi defuncti ſuperſint. Hæc exceptio approbatur Inſt.de S.C.Tertyll.§.præferuntur,his uerbis:* Præferuntur matri liberi defuncti,qui ſui ſunt, quiue ſuorũ loco ſunt, ſiue primi gradus,ſiue ulterioris. Sed & filię ſuę mortuæ filius uel filia præponitur ex conſtitutionibus matri defunctæ, id eſt,auiæ ſuæ. *Concordat l.2.§.liberi.ff.eod.tt.his uerbis:* Liberi defuncti ſui quidem obſtabũt matri eius, tam uirilis ſexus quàm fœminini,tam naturales quàm adoptiui:matrẽq; eius excludent bonorum poſſeſsione etiam non ſui, & quidẽ ſoli naturales. *Concordat item l.ſi matre.11.C.de legitimis liberis,hiſce uerbis:* Si matre ſuperſtite filius uel filia,qui quęque moritur,filios dereliquerit: omnimodò patri ſuo matriue ſuæ ipſo iure ſuccedant. Quod ſine dubio & de pronepotib.obſeruandum eſſe cenſuimus. *Concordat item Nouell.c.118.§.ſi quis igitur.cuius uerba uide §.reg.1.except.1. Huius exceptionis replicatio prima uidetur eſſe talis:Niſi liberi ſint adoptiui.quæ tamẽ replicatio reprobatur uerbis d.§.liberi,iam propoſitis hiſce:* Tam naturales quàm adoptiui. *Concordat l.æquiſs.5.in prin. ff. ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Æquiſsimũ eſt,omnes filios matri præferri, etiamſi per adoptionẽ in familia relicti ſint. *Altera replicatio eſt:Niſi liberi adoptiui,et rurſus emãcipati ſuperſint.Hæc replicatio ipſo quidẽ iure ſubſiſtit per ea quæ propoſita ſunt §. cap.2.except.2. diſtinct.1. uerùm eius duplicatio hæc eſt:Niſi liberi naturales adoptati,& rurſus emãcipati ſuperſint. quæ duplicatio approbatur l.2.§.liberi.ibi:adoptiui.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Adoptiui liberi poſt emancipationẽ ita admittuntur, ſi ex liberis naturalib.fuerint:utputa nepos naturalis ab auo adoptatus: nam licet ſit emancipatus,bonorũ poſſeſsione accepta matri obſtabit. *Tertia replicatio uidetur eſſe:Niſi nepos defuncti ex adoptiuo filio natus ſuperſit. Hæc replicatio reprobatur d.l.5.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Sed & nepos ex adoptiuo filio natus,ex uerbis ſenatuſconſulti matri obſtabit. *Quarta replicatio eſt: Niſi filius defuncti apud hoſtes ſit,uel adhuc in utero ſit. Hæc replicatio reprobatur d.l.2.§.ſi uerò apud hoſtes. ff.ad S.C. Tertyll.his uerbis:* Si apud hoſtes eſt filius,uel naſci ſperatur: pendet ius matris,donec redierit uel naſcatur. *Quinta replicatio eſt: Niſi liberi defuncti de adeunda hæreditate deliberent. Et hæc replicatio reprobatur l.in ſuſpenſo.8.ff.d.tt.his uerbis:* In ſuſpenſo eſt ius matris,ſi filius defuncti emancipatus deliberet de bonorũ poſſeſsione petẽda. *Cõcordat l.2.§.ſed ſi quis deceſsiſſet,in fin.ff.ad S.C.Tertyll.cuius uerba uide §.replicat.prox. Sexta replicatio eſt: Niſi liberi defuncti hæreditatẽ repudiauerint. Hæc replicatio approbatur l.2.§.ſed ſi fiſnt.ff.d.tt.his uerbis:* Si ſint ſui hęredes,uerùm hæreditas ad eos non pertineat:uideamus, an mater admittatur: utputa abſtinuit ſe hęreditate. Africanus & Publicius tentant dicere,in caſu quo ſe abſtinent ſui,matrem uenire,ut tunc ei obſtent,quoties rem habeãt, ne nudum nomen ſui hæredis noceat matri. Quæ ſententia æquior eſt. *Concordat d.l.2.§.ſed ſi quis deceſs.ibi:ſed quod idẽ,his uerbis:* Quod Iulianus ſcripſit, matrem ex ſenatuſconſulto non poſſe admitti, ſi filia in bonorũ poſſeſsione petenda ceſſauerit, uerum non erit: ſuccedit enim filiæ. Et ideo dicendum erit, matrem, donec filia bonorum poſſeſſionem petere poteſt, bonorum poſſeſsionem accipere non poſſe:quoniam ſuccedere quaſi legitima ſperatur. *Concordat d.l.2.§. ita demum,his uerbis:* Ita demum mater à ſenatuſconſulti beneficio excluditur, ſi filius adijt legitimam hæreditatem. Cæterùm ſi omiſerit legitimam hæreditatem,mater ex ſenatuſconſulto Tertylliano admittetur. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt:Niſi is qui hæreditatẽ repudiat, habeat cohæredes qui eam agnoſcant. quæ duplicatio approbatur d.§.ita demum, his uerbis:* Sed ſi nõ ſit ſolus iſte filius legitimus hæres,ſed ſint qui cum eo admittantur:nec in partem eorum mater ex ſenatuſconſulto erit uocanda. *Altera duplicatio eſt:Niſi filius qui ſe abſtinuit,poſtea in integrum ſit reſtitutus,ut ſibi adire liceat. quæ duplicatio approbatur d.l.2.§.ſi bonorum,his uerbis:* Si bonorum poſſeſsione accepta,filius emancipatus abſtinuerit ſe hæreditate per in integrum reſtitutionẽ: uerum eſt, ſenatuſconſultum poſſe locum habere. Sed ſi rurſus fuerit immiſtus, rurſus debet mater abſtinere. *Septima replicatio eſt: Niſi filius defuncti poſt patrem mortuus ſit.Hæc repiicatio ipſo quidẽ iure ſubſiſtit: uerùm eius duplicatio hæc eſt: Niſi poſt aditam hæreditatem uel bonorum poſſeſsionem petitam mortuus ſit. quæ duplicatio approbatur d.l.2.§.ſed ſi infanti,his uerbis:* Si infanti per tutorem petita ſit poſſeſsio:licet ſtatim deceſſerit,dicẽdum erit,matri obſtitiſſe: non enim ſimilis eſt ei quæ furioſo datur. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc eſt: Niſi cùm furioſo filio petita eſſet bonorum poſſeſsio,is nondum ſanæ mentis factus deceſſerit. Hæc triplicatio approbatur d.l.2. §.ſi quis ex liberis,in fine,his uerbis:* Si furioſo decreto petita ſit poſſeſsio, & priuſquam ipſe mentis compos factus bonorum poſſeſsionem petierit,deceſſerit:matri non obſtabit. *Altera triplicatio eſt: Niſi cum uenter in poſſeſsionem miſſus eſſet, natus ante acceptã bonorum poſſeſsionem deceſſerit.Hæc triplicatio approbatur d.§.ſi quis ex liberis,hiſce uerbis:* Si quis ex liberis,dum eſt in utero, in poſſeſsionem miſſus ſit, mox natus ſit,& ante bonorum poſſeſsionem acceptam deceſſerit: an matri noceat quaſi bonorum poſſeſſor, uidendum? Et puto non nocere, ſi non ſuus patri adgnaſcitur: neq; enim ſufficit mitti in poſſeſsionem, niſi natus quoq; acceperit bonorum poſſeſsionẽ. *Huius triplicationis quadruplicatio hæc eſt: Niſi ſuus adgnaſcatur poſthumus. quæ quadruplicatio elicitur ex uerbis iam propoſitis hiſce:* Si non ſuus patri adgnaſcitur. *Tertia triplicatio eſt:* Niſi filius ſolam *Carbonianam poſſeſsionem acceperit,eaq; accepta deceſſerit.quæ triplicatio approbatur d.l.2.§.ſed ſi quis cum,his uerbis:* Si quis,cum ſtatus controuerſiam pateretur, Carbonianam ſolam acceperit: an noceat matri bonorum poſſeſsio, quæſitum eſt quidem? Sed cum hæc tempore finiatur,dicendum eſt, matri poſt tempus non nocere: aut ſi impubes deceſſerit, matrem poſſe admitti. *Octaua replicatio eſt:* Niſi filius *à patre in adoptionem alij ſit datus. Hæc replicatio reprobatur certo modo d.l.2.§.ſed ſi quis deceſsiſſet,his uerbis:* Si quis deceſsiſſet relicta filia,quam in adoptionem legitimè dederat, & matre relicta:diuus Pius decreuit,ceſſare ſenatuſconſultum Tertyllianum, & ſimul eſſe admittendas ad bonorũ poſſeſsionem Vnde proximi cognati matrem & filiam. *Concordat Inſt.de hæred.quæ ab inteſtato defer.§.admonendi. cuius uerba uide §.cap.2.except.3.replic.4. Planè iure nouo filia, quamuis in adoptionem data ſit, nihilominus per bonorum poſſeſsionẽ Vnde liberi ſuccedit, ut oſtenſum §.d.except.3. de iure nouo. Itaq; ſecundum illud ius nouum mater cum filia admitti non poterit. Hæc de decimatertia exceptione,cuius plures replicationes uide §.cap.2.*

XIIII. *Exceptio:Niſi pater defuncti ſuperſit.Hæc exceptio approbatur Inſtit.de Senatuſc.Tertyll.§.pater uerò,his uerbis:* Pater utriuſque,non etiam auus & proauus matri anteponitur, ſcilicet cum inter eos ſolos de hæreditate agitur. Ait Imp. Vtriuſq;, *ſcilicet filij & filiæ. Ait inſuper:* Cum inter eos ſolos de hæreditate agitur. *Scilicet inter auum & matrem defuncti:tũc enim præfertur mater auo. ſecus ſi inter auum, patrem & matrem:tunc enim auus matri præfertur.de quo §.except. prox. Concordat propoſitæ regulæ l.2.§.obijcitur. ff. ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Obijcitur matri pater, ſiue in utriuſque bonis tam filij quàm filiæ hæres,ſiue bonorum poſſeſſor exiſtat. *Concordat item l.ſi ad.10. ff.de ſuis & legitimis hæred. his uerbis:* Si ad patrem manumiſſorem filij inteſtati legitima hęreditas perueniat, uel nõ manumiſſori bonorum poſſeſsio cõpetat: mater defuncti ſubmouebitur. *Cõcordat item l.2.C.eod.tt.his uerbis:* In ſucceſsione filij uel filiæ communis,ſine liberis & fratribus & ſororibus morientis,pater manumiſſor, quia ei ſit uetus ius ſeruatum, matri præfertur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt:* Niſi non *naturalis,ſed adoptiuus pater ſit.quæ replicatio approbatur l.2.§.obijcitur.ibi:pater autem.ff.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Pater tãtùm naturalis,& non etiam

adoptiuus matri nocet. uerius enim est, cũ pater esse desierit, matre eum excludi. Sed nec ad bonorum possessionem contra tabulas eum admitti, cum pater esse desierit. *Concordat l.patrem.3.ff.eod.tt.his uerbis*: Patrem adoptiuum matri non obesse, pleriq; probant. *Secunda replicatio, sumpta ex causa, ex qua pater hæreditatem filij uendicat, reprobatur d.l.2.§.undecunq; autem, his uerbis*: Undecunq; acceperit bonorum possessionem pater naturalis, siue ut legitimus, siue cõtra tabulas: ex quauis parte excludit matrem. *Tertia replicatio est*: *Nisi patre in adoptiua familia existente, adgnatus defuncti superstit. Hæc replicatio approbatur d.l.2.§.si sit adgnat. his uerbis*: Si sit adgnatus defuncti, & naturalis pater in adoptiua familia sit, & mater: admittimus matrem. Quoniam patrem adgnatus excludit. *Quarta replicatio est*: *Nisi patre in adoptiua familia existente, soror defuncti consanguinea superstit. Hæc replicatio approbatur d.l.2.§. si sit consang. his uerbis*: Si sit cõsanguinea soror defuncti, item mater & pater adoptatus uel emancipatus: si consanguinea uelit habere hæreditatem, matrem ex senatusconsulto unà cum ea uenire, & patré excludi, placet. *Huius replicationis duplicatio hæc est*: *Nisi consanguinea soror hæreditatem non adierit. Hæc duplicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Si consanguinea repudiet, matrem ex Senatuscõsulto propter patrem non uenire. Et quamuis aliàs non solet mater expectare consanguineam, uelit nécne adire hæreditaté: nunc tamen expectatur an consanguinea sit, quæ patrem excludat. Repudiante ergo consanguinea, bonorum possessioné habebit mater cum patre quasi cognata. Sed & in hac moram patietur, nec antè accipiet bonorum possessionem, quàm pater petierit: quoniã omittente eo, potest ex senatusconsulto succedere. *Quinta replicatio est*: *Nisi pater hæreditatem filij omiserit. quæ replicatio approbatur uerbis iã propositis hisce*: Quoniam omittente eo, potest ex senatusconsulto succedere. *Concordat d.l.2.§.sed si ipsa. cuius uerba uide ẽ.replic.prox. Sexta replicatio est*: *Nisi mater eadem & soror sit defuncti filij. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur d.§.sed si ipsa, his uerbis*: Si ipsa mater eadem sit & soror consanguinea (utputa quoniam pater matris nepotem suum ex filia adoptauit) sit præterea & pater naturalis: hæc mater, siquidem quasi consanguinea ueniat, excludet patrem. si ius consanguineæ repudiauit, uel capitis deminutione amisit: ex Senatuscõsulto uenire propter patrem non potest. repudiante uerò patre, rursus ex senatusconsl. potest uenire.

De iure nouo.

Hactenus de iure antiquo, quo exceptio proposita approbata, simul & distincta est. Planè iure nouo exceptio proposita reprobatur, ita ut superstite patre, matre & fratribus uel sororibus defuncti, siquidem defunctus sui iuris fuit, pater & mater simul succedant, in semissem tamen usus fructus bonorum filij, proprietate illius semißis, & reliquo semisse pleno iure ad fratres uel sorores pertinente. Sin autem filius defunctus in patris fuit potestate: tunc in proprietatem bonorum mater pro dimidia parte sororib. existentibus, uel pro uirili parte existentibus fratribus succedit, usufructu in solidum apud patrem remanente, quod ius proponitur l.ult.§.fin autem defuncta. C.ad S.C. Tertyll. his uerbis: Si defuncta persona non solùm matrem & fratres & sorores superstites habeat, sed etiam patrem: siquidẽ sui iuris decesserit: quia patris persona interueniens, matris iura superare uidetur, omnibus pio animo prouidentes, sancimus, fratres quidem & sorores mortuæ personę ad successionem proprietatis solos pro uirili parte uocari: patri autẽ & matri usus fructus totius successionis semissem competere, æqua lãce inter patrem & matrem diuidẽdum, reliqua parte usus fructus apud fratres & sorores remanente. Sin uerò defuncta persona in sacris patris constituta decesserit: pater quidem usumfructum, quem & uiuente filio habebat, teneat, donec uiuat, incorruptum: mater autem, quia hunc usumfructũ habere uiuente patre non potest, totum apud patrem constitutum, unà cum fratribus defunctę personę ad proprietatem uocetur, scilicet cum sororibus sola in dimidiam, cum fratribus uel promiscui generis secũdum suprascriptam distributionem in uirilem portionem: omnibus uidelicet, quæ de mulierib. ad secundas nuptias migrãtibus sancita sunt, in suo statu durantibus. *Ait Imper.* Patri autem & matri usus fructus totius successionis semissem. *Alia exemplaria habent*: *Vsumfructum totius successionis pro besse. Mutatur autem hæc pars, siue bes, siue semis, in totum usumfructum, l.de emancipatis.13. ibi*: *usumfructum autem eius patri totum. C. de legitimis hær. cuius uerba uide ẽ.reg.2.except.2.*

Alia mutatio.

Planè iure nouissimo exceptio proposita alio modo mutatur, ut pater non obstet matri, sed simul & pater & mater defuncti pleno iure pro uirili quisq; parte succedat. quod ius proponitur Nouell.c.118. §.consequens. ibi: *si eundem gradum omnes. cuius uerba uide ẽ.reg.1.in prin.*

XV. Exceptio: *Nisi auus uel proauus defuncti superstit. Hæc exceptio reprobatur l.2. §.sed neq; auus. ff.ad S.C. Tertyll. his uerbis*: Neque auus neque proauus in Tertylliano matri nocẽt, quamuis fiduciam contraxerint. *Concordat Inst.eod.tt.§.pater uerò. ibi*: *non etiam auus. cuius uerba uide ẽ. except.prox. in prin. Planè admittitur exceptio proposita, si nepote ab auo manumisso, pater quoq; defuncti superstit: hic enim facit, ut auus paternus matrẽ excludat.*

cludat. quæ distinctio approbatur l.æquissimum.5.§.si ex filio. ff.d.tt.his uerbis: Si ex filio nepotẽ auus manumiserit, isq; & patre & auo & matre superstitibus decesserit: potest quæri, quis potior esse debeat? nam si mater excluserit auum manumissorem, qui patri anteponitur: edicto Prætoris inducetur pater defuncti. Quo admisso, desinet senatusconsulto locus esse, & rursus auus uocabitur. Itaque rectius est, auo ius suum conseruare, qui & contra scriptos hæredes bonorum possessionem accipere solet. *Ait lex*: Qui patri anteponitur. *Huic concordat l.1.§.nepos. ff.si à parente quis manumiß. his uerbis*: Nepos ab auo manumissus dedit se adrogandum patri suo. siue manens in potestate patris decesserit, siue manumissus diem suum obeat: solus admittetur auus ad eius successionem ex interpretatione edicti: quia perinde defert Prætor bonorum possessionem, atq; si ex seruitute manumissus esset. Porrò si hoc esset: aut non esset adrogatus, quia adrogatio liberi admittenda non est: aut si obrepsisset, patroni tamen ius nihilominus integrum maneret.

XVI. *Exceptio: Nisi fratres uel sorores defuncti superstint. Hæc exceptio approbatur iure antiquo, Instit. de Senatusc. Tertyll.§.frater autem, his uerbis*: Frater consanguineus tam filij quàm filiæ excludebat matrem: soror autem consanguinea pariter cum matre admittebatur. Sed si fuerant frater & soror consanguinei, & mater liberis onerata: frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hæreditas ex æquis partib. fratribus & sororibus. *Concordat l.si qua.4.§.quem quidem. C.ad S.C. Tertyll. cuius uerba uide ẽ.lib.14. cap.5.quæst.2. reg.1. except.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur Nisi fratres uel sorores sint non naturales, sed adoptiui. Hæc replicatio reprobatur l.si quis.7.ff.eod.tt.his uerbis*: Si quis intestatus decesserit, relicta matre & fratre cõsanguineo, uel sorore, quamuis per adrogationem quæsitis: eadem iura in persona matris seruantur, quæ & naturalibus extantibus liberis. *Altera replicatio est, quòd si soror defuncti superstit, mater cum sorore illa admittatur. quæ replicatio approbatur uerbis d.§.frater autem, ẽ.propositis hisce*: Soror autem consanguinea pariter cum matre admittebatur. *Concordat l.2.§.si sit consanguinea. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.except.14. repl.4. Huius replicationis duplicatio hæc est*: *Nisi frater quoq; supersit: tunc enim mater in nullam partem succedit. quæ duplicatio approbatur uerbis d.§.frater, ẽ.propositis hisce*: Sed si fuerant frater & soror consanguinei, & mater liberis onerata: frater quidem matrem excludebat, cõmunis autem erat hæreditas ex æquis partibus fratrib. & sororibus. *Tertia replicatio est*: *Nisi non consanguinei, sed uterini sint fratres. Hæc replicatio constat ex uerbis ẽ.propositis, quibus semper consanguineorum fratrum & sororum fit mentio. Planè replicatio hæc tollitur iure nouo de quo §.proximè. rursus tamen approbatur iure nouissimo: de quo §.cap.prox.reg.2.except.3.*

De iure nouo.

Planè iure nouo exceptio proposita mutatur ac reprobatur, ita ut fratres non excludant matrem, sed mater pariter cum illis admittatur. quod ius proponitur l.si quis.7.in prin. C.ad S.C. Tertyll. his uerbis: Si quis, uel si qua, matre superstite & fratre, uel legitimo, uel sola cognationis iura habente, intestatus uel intestata decesserit: non excludi à filij successione matrem, sed unà cum fratre mortui uel mortuæ, si superstes uel filius uel prinignus ipsius sit, ad eam peruenire, ad similitudinem sororum mortui uel mortuæ: ita tamẽ, ut siquidem solæ sorores adgnatæ uel cognatę, & mater defuncti uel defunctæ subessent, sub ueterum legum tenore dimidiã quidem mater, alteram uerò dimidiam partem omnes sorores habeant. Sin uerò matre superstite & fratre, uel fratrib. solis, uel etiam cum sororibus, intestatus quis uel intestata moriatur: in capita distribuatur eius hæreditas, nec liceat matri occasione sororum mortui uel mortuæ ampliorem partem sibi uendicare, quàm rata portio capitũ exigit: patruo scilicet mortuĩ uel mortuæ, & eius filio uel nepote nullum ius ad eius hęreditatem (matre eius hęrede existente) habentibus, nec ex ueterib. legibus, uel ex constitutionibus partem matris minui. *Concordat Instit.eod.tt.§.sed cum antea. ibi*: *excepta fratris. cuius uerba uide ẽ.except.11. Ait Imp.* Ad similitudinem sororum. *De qua re uide pauló superius repl.2. Ait insuper*: Ita tamen, ut siquidem solæ sorores adgnatæ uel cognatæ, & mater defuncti uel defunctæ subessent: sub ueterum legum tenore dimidiam quidem mater, alteram uerò dimidiam partem omnes sorores habeant. *Huic concordat d.l.7.§.fin. ibi*: *scilicet cum sororibus sola. cuius uerba uide ẽ.except.14. in fin. Planè mutatur hoc, & ad similitudinem fratrum redigitur. Nouell.c.22. §.item quia mater, his uerbis*: Quia mater per filium quidem masculum excludebatur, hoc efficiente Senatusconsulto, quod Tertullianum appellant, cum filiabus uerò admittebatur: nos nõ ius filiorum inquirẽtes, sed nostra sponte ei legitima assignãtes iura, uocauimus & ipsam unà cum defuncti masculis fratribus pro filiorum numero, ut & ipsa tam magnã partem habeat, quantam unusquisq; ex fratribus: idem hoc statuentes, etiã permistim masculi simul & fœminæ existant. Si uerò mater & fœmellæ solę existant, ibi Senatusconsultum mediam quidem partem dabat matri, residuam uerò sororibus, quantæcunq;

extitissent. Quod quidem quia prius non correximus, nunc saltem ad competentem correctionem deducimus, uocantes &, in hac specie ipsam ad proportionem & numerum liberorum, ut quantum quęq; filiarum habet, tantum & ipsa ferat. Et in omni specie, quæ huc pertinet, in uirilem portionem (quo scilicet modo lex appellat) mater ueniat, siue soli masculi existant, siue solæ fœmellæ, siue mistim uterq; sexus. *Sublato igitur iure antiquo, exceptio proposita iure nouo reprobatur, ut mater per fratres defuncti uel sorores non excludatur, sed pariter cum ipsis in uirilem portionem admittatur. Cui concordat Nouell. c. 118. §. consequens. ibi: si cum ascendentibus. cuius uerba uide* ẽ. *ead. reg. in prin. Item concordat Nouell. c. 22. §. si itaq; filius. ibi: quòd si filius. cuius uerba uide* ẽ. *lib. 14. cap. 5. quæst. 3. reg. 2. except. 3. Quinimò interdum mater fratres simul & sorores excludit, scilicet non ex utroque parente defuncto coniunctos. de qua re dicetur* ℸ. *cap. prox. reg. 2. except. 2. & 3.*

XVII. *Exceptio: Nisi filij fratrum defuncti supersint. Hæc exceptio reprobatur eodem modo quo superior proxima, d. uerſ. quòd si filius. Cui concordat d. uerſ. si cum ascendentibus.*

XVIII. *Exceptio: Nisi defuncti patruus eiúsue liberi supersint. Hæc exceptio reprobatur l. si quis. 7. in princ. ibi: patruo scilicet. C. ad S. C. Tertyll. cuius uerba uide* ẽ. *except. 16. in iure nouo.*

XIX. *Exceptio: Nisi filius cum patre perierit, ut ignoretur uter alteri superuixerit. Hæc exceptio reprobatur l. qui duos. 10. §. cum bello. ff. de rebus dubijs. cuius uerba uide* ẽ. *lib. 7. cap. 9. reg. 13.*

XX. *Exceptio: Nisi mater cum filio perierit, ut ignoretur utrum mater, an filius ante decesserit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. cum pubere. 23. cum lege sequente. ff. d. tt. cuius uerba uide d. reg. 13.* Hactenus *de successionibus ascendentium pariter & descendentium dictum est: nunc de successione collateralium dicetur.*

DE SVCCESSIONE COLlateralium adgnatorum & cognatorum. Cap. VI.

Propositio huius Capitis habetur Nouell. c. 118. §. restat, his uerbis: Restat ut & tertium ordinem definiamus, qui extrà suerso appellatur, diuiditurq; in agnatos & cognatos: ut & hac parte ad certam descripta formulam undiq; lex perfecta inueniatur.

1. *Regula, De collateralibus in genere. Proximi quoque ex transuerso cognati defuncto ab intestato succedunt. quæ regula approbatur d. Nouell. c. 118. §. cæterùm, his uerbis:* Si neq; fratres, neque filios fratrum (ut diximus) defunctus reliquerit, omnes ex transuerso cognatos ordine uocamus ad hæreditatem, secundum uniuscuiusque gradus prærogatiuam, ut qui gradu proximi sunt, cæteris præferantur. At si multi eiusdem gradus inueniantur: hæreditas inter ipsos pro personarum numero diuidetur, id quod leges nostræ in capita appellant. *Concordat Instit. de legitima adgnat. succeſs. in prin. his uerbis:* Si nemo suus hæres, uel eorum quos inter suos hæredes Prætor uel constitutiones uocant, existat, qui successionem quoquo modo amplectatur: tunc ex lege XII. Tabular. ad adguatum proximum pertinet hæreditas. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi descendentes ex defuncto supersint. quæ exceptio approbatur l. ult. C. de legitimis liberis. cuius uerba cum concordantibus uide* ẽ. *cap. 2. except. 14. Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi descendentes fœminini sexus sint, uel per fœmininum sexum defuncto cognati. Hæc replicatio reprobatur d. l. ult. cum concordantib. d. except. 14. propositis. Altera replicatio est: Nisi descendentes hæreditatem repudiauerint. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi bonorum possessionem* Vnde liberi *repudiauerint. hoc enim casu nihilominus bonorũ possessionem* Vnde legitimi *possunt agnoscere. quæ duplicatio approbatur l. 2. in princ. ff. unde legitimi, his uerbis:* Si repudiauerint sui ab intestato bonorum possessionem, adhuc dicemus obstare eos legitimis, hoc est, his quibus legitima potuit deferri hæreditas: idcirco quia repudiãdo quasi liberi bonorum possessionem, incipiunt hanc habere quasi legitimi. *Secunda exceptio est: Nisi ascendentes ex defuncto supersint. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur Nouell. c. 118. §. consequens. ibi: si igitur. cuius uerba uide* ẽ. *cap. prox. reg. 1. in princ. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi frater aut fratris filius sit: hic enim cum ascendentibus admittitur. quæ replicatio approbatur d. uerſ. si igitur. de qua re uide* ℸ. *reg. prox. except. 2. Sed & plures replicationes uide* ẽ. *cap. proxim. Tertia exceptio est: Nisi cognati sint fœminini sexus: his enim, quamuis proximis, præferuntur iure antiquo uel remotioris gradus agnati. quæ exceptio approbatur Instit. de legitima adgnat. succeſs. §. cæterùm, his uerbis:* Inter masculos quidem adgnationis iure hæreditas, etiamsi longissimo gradu sint, ultrò citroque capitur. Quod ad fœminas uerò attinet, ita placebat, ut ipsæ consanguinitatis iure tantùm capiant hæreditatem, si sorores sint: ulterius non capiant. Masculi autem ad earum hæreditates (etiamsi lõgissimo gradu sint) admittantur. Qua de causa fratris tui aut patrui tui filiæ, uel amitæ tuæ hæreditas ad te pertinebat: tua uerò ad illas non pertinebat. Quod ideo ita constitutum erat, quia commodius uidebatur ita iura constitui, ut plerunque hæreditates ad masculos confluerent. Sed quia sanè iniquum erat, in uniuersum eas quasi extraneas repelli: Prætor eas ad bonorum possessionem admittit ea

parte, qua proximitatis nomine bonorum possessione pollicetur. Ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neq; adgnatus ullus, neque proximior cognatus interueniat. Et hæc quidem lex XII. Tabul. nullo modo introduxit: sed simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes adgnatos, siue masculos, siue fœminas, cuiuscunq; gradus, ad similitudinem suorum inuicem ad successionem uocabat. Media autem iurisprudentia, quæ erat quidem lege XII. Tabul. iunior, Imperiali autem dispositione anterior: subtilitate quadam excogitata, præfatam differentiam inducebat, & penitùs eas à successione adgnatorum repellebat, omni alia successione incognita: donec Prætores paulatim asperitatem iuris ciuilis corrigentes, siue quod deerat implentes, humano proposito alium ordinem suis edictis addiderunt, & cognationis linea proximitatis nomine introducta, per bonorum possessionem eas adiuuabãt, & pollicebantur his bonorum possessionem, quæ Vnde cognati appellatur. Nos uerò legem XII. Tabul. sequentes, & eius uestigia in hac parte conseruantes: laudamus quidem Prætores suæ humanitatis, non tamen eos in plenum huic causæ mederi inuenimus. Quare etenim uno eodemq; gradu naturali concurrente, & adgnationis titulis, tam in masculis, quàm in fœminis æqua lance constitutis: masculis quidem dabatur ad successionem uenire omnium adgnatorum, ex adgnatis autem mulieribus nulli penitùs, nisi soli sorori ad adgnatorum successionem patebat aditus? Ideo nos in plenum omnia reducẽtes, & ad ius XII. Tabul. eandem dispositionem exæquantes: nostra constitutione sancimus, omnes legitimas personas, id est, per uirilẽ sexum descendentes (siue masculini generis, siue fœminini sint) simili modo ad iura successionis legitimæ ab intestato uocari secundum sui gradus prærogatiuã: nec ideo excludendas, quia consanguinitatis iura, sicut germanæ, non habent. *Propositæ exceptionis iure antiquo replicatio prima hæc est: Nisi soror defuncti consanguinea sit. Huic enim propositæ exceptioni non obstat. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quod ad fœminas uerò attinet, ita placebat, ut ipsæ consanguinitatis iure tantùm capiant hereditatem, si sorores sint. *Plura de hac replicatione uide* ℸ. *reg. 3. Altera replicatio est: Nisi non adgnatus ullus, neque proximior cognatus supersit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed quia sanè iniquum erat, in uniuersum eas quasi extraneas repelli: Prętor eas ad bonorum possessionem admittit ea parte, qua proximitatis nomine bonorũ possessionem pollicetur. Ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neq; adgnatus ullus, neq; proximior cognatus interueniat. *Concordat l. 2. §. hæc autem, in fine. ff. unde legitimi. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 1. quæst. 1. except. 9.*

De iure nouo.

Planè nouo iure exceptio proposita reprobatur, ut patet ex uerbis ẽ. *propositis hisce:* Nos uerò legem XII. Tabular. sequentes, &c. *Ait ibi imp.* Nostra constitutione sancimus. *Hæc constitutio habetur l. lege XII. tab. 14. in prin. usq; ad §. in his igitur. C. de legitimis hæred. his uerbis:* Lege XII. Tabularum bene humano generi prospectũ est, quæ unam consonantiam tam in maribus quàm in fœminis legitimis, & in eorum successionibus, necnon liberis obseruandam esse existimauit, nullo discrimine in successionibus habito, cùm natura utrũque corpus edidit, ut maneat suis uicib. immortale, & alterum alterius auxilio egeat, & uno semoto & alterum corrũpatur. Sed posteritas, dum nimia utitur subtilitate, nõ piam induxit differentiam, sicut Iulius Paulus in ipso principio libri singularis, quem ad Senatusc. Tertullianum fecit, apertissimè docuit. Cui enim ferendum est, ab intestato successionibus suas quidem filias ad similitudinem masculæ sobolis in parentis uocari successionem, & iterum germanas iure consanguinitatis eandem sibi uindicare prærogatiuã: deinceps autem legitimas fœminarum personas, si iura consanguinitatis non possident, à successione legitima repelli, cùm maribus eadem successio pateat? Quare enim patris soror non ad successionem filij fratris sui unà cum masculis uocatur, sed aliud ius in amitis, aliud in patruis obseruatur? uel qua ratione fratris filius ad successionẽ patrui uocatur, germana autem eius ab eadem successione recluditur? Huiusmodi itaq; legis antiquæ reuerentiam & nos anteponi nouitati legis censemus, & sancimus, omnes legitimas personas, id est, per uirilem sexum descẽdentes, siue masculini, siue fœminini generis sint, simili modo ad iura legitimę successionis intestatorum uocari secundũ gradus sui prærogatiuam, non ideo excludẽdas, quia consanguinitatis iura secundum germanæ obseruationem non habent. Cùm enim uniusanguinis iura permanent per uirilem sexum incorrupta: quare naturã offendimus, & legitimo iuri derogamus? cum & aliam maximam iniuriam res in se cõtinet, plerisq; quasi uulnus intestinum incognitum. Cum enim & ad ipsarum mulierum successionem masculi iure adgnationis uocãtur: quis patiatur earum quidem hæreditatem ad eos legitimo iure deferri, ipsas uerò ne-

que inuicem sibi, neq; masculis posse eodē iure succedere: sed propter hoc solum puniri, quòd fœminæ natæ sunt, & paterno uicio (si hoc uicium est) prolem innocentem grauari? *Ait Imp.* Lege XII. Tabul. bene humano generi prospectū est, quæ unam consonantiam tam in maribus quàm in fœminis legitimis obseruādam esse existimauit. *Huic contradicere uidetur Instit. de Senatusc. Tertyll. in prin. cuius uerba uide §. cap. proxim. reg. 5. in princ.* *Concordat propositæ exceptioni reprobatæ Nouell. c. 118. §. nullam uerò, his uerbis:* Nullam differentiam esse uolumus in quacunq; successione aut hęreditate inter mares aut fœminas, qui ad hæreditatem uocantur, quos communiter & ex æquo ad hæreditatem uocari definiuimus, siue per masculinā, siue per fœmininam personam defuncto coniūgantur. *Concordat item Nouell. c. 21. his uerbis:* Cupientes ut Armeniorum prouincia perfectè bonis regatur legibus, neque in ullo à reliqua differat repub. prioribus sublatis, &c. *Hæc de tertia exceptione, iure quidem antiquo approbata, iure uerò nouo reprobata, sunt dicta.*

IIII. *Exceptio: Nisi non per uirilis, sed per fœminini sexus personas defuncto sint cognati. Hæc exceptio approbatur l. ad inteſt. 5. C. de legitimis hæredib. his uerbis:* Ad intestati successionem adgnationis quàm proximitatis iure uenientes haberi potiores, certum est. *Concordat Instit. de S. C. Tertyll. in princ. cuius uerba uide §. cap. prox. reg. 5. in prin. Concordat item Inſt. de seruili cognatione. §. amotis. cuius uerba uide §. cap. proxim. except. 1. repl. 1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi adgnati nulli supersint, uel illi qui supersunt, hæredes esse nolint, uel non possint. tunc enim uocantur per fœminini sexus personas defuncto cognati. quæ replicatio approbatur Inſtit. de successione cognatorum, in prin. his uerbis:* Post suos hæredes, eosq; quos inter suos hæredes Prætor & constitutiones uocāt, & post legitimos (quo numero sunt adgnati, & hi quos in locum adgnatorum tam supradicta senatusconsulta, quàm nostra erexit constitutio) proximos cognatos Prætor uocat, qua parte naturalis cognatio spectatur. *Concordat Instit. eod. tt. §. eos etiam, his uerbis:* Eos etiā qui per fœminini sexus personas extranſuerso cognatione iunguntur: tertio gradu proximitatis nomine Prætor ad successionem uocat. *Declaratur replicatio proposita Instit. de legitima adgnat. succeßione. §. 1. his uerbis:* Sunt autem adgnati (ut primo quoq; libro tradidimus) cognati per uirilis sexus personas cognatione coniuncti, quasi à patre connati. Itaq; ex eodem patre nati fratres, adgnati sibi sunt, qui & consanguinei uocantur: nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & inuicem is illi adgnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles, id est, qui ex duobus fratrib. procreati sunt, qui etiā consobrini uocantur. Qua ratione etiā ad plures gradus adgnationis peruenire poterimus. *Concordat item l. 2. §. 1. ff. de suis & legitimis, hisce uerbis:* Adgnati sunt cognati uirilis sexus ab eodem orti. Nam post suos & consanguineos statim mihi proximus est consanguinei mei filius, & ego ei: patris quoq; frater, qui patruus appellatur, deincepsq; cæteri, qui sunt incerti in infinitum. *Sed plura de definitione & differētia adgnatorum & cognatorum uide §. cap. 8. quæst. 3. diuis. 1. Concordat item propositæ replicationi l. 1. in prin. ff. unde cognati, his uerbis:* Hæc bonorum possessio nudam habet Prætoris indulgentiam, neq; ex iure ciuili originem habet. Nam eos inuitat ad bonorum possessionem, qui iure ciuili ad successionem admitti non possunt, id est, cognatos. Cognati autem appellati sunt quasi ex uno nati, aut (ut ait Labeo) quasi commune nascendi initium habuerint. *Concordat item l. 2. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 7. in fine.*

De iure nouo.

Planè iure nouo exceptio proposita mutatur ac reprobatur Nouell. c. 118. §. quin in omnibus, his uerbis: In omnibus successionibus adgnatorum & cognatorum differentiam aboleri iubemus, siue per causam fœmineæ personæ, siue per causam emācipationis, siue alio quo cunque modo prioribus tractatum est legibus, & omnes absq; aliqua huiusmodi differentia secūdum cognationis suæ gradum ad cognatorum ab intestato successionem uenire iubemus. Enimuerò ex his quæ, &c. *Reliqua uide §. lib. 17. cap. 3. quæst. 3. reg. 2. Concordat d. c. 118. §. nullam uerò, in fine. cuius uerba uide §. except. prox. in fine.*

V. *Exceptio: Nisi gradu sint remotiores cognati. De hac exceptione & pluribus alijs uide §. cap. prox.*

VI. *Exceptio: Nisi ultra sextum gradum sint cognati. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur Inſt. de succeß. cognatorum. §. fin. his uerbis:* Illud necessariò admonendi sumus, adgnationis quidem iure admitti aliquem ad hęreditatem, etsi decimo gradu sit, siue de lege XII. Tabul. quæramus, siue de edicto quo Prætor legitimis hæredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis uerò nomine his solis Prætor promittit bonorū possessionem, qui usq; ad sextum gradum cognationis sunt, & ex septimo, sobrino sobrinaq; nato natæue. *Concordat l. 1. §. hæc autem. ff. unde cognati, his uerbis:* Hæc bonorum possessio, quæ ex hac parte edicti datur, cognatorum gradus sex cōplectitur, & ex septimo duas personas, sobrino sobrina natū & natam. *Concordat item l. octaui. 9. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. repl. prox. Propositæ exceptionis replicatio*

catio prima hæc est: Nisi adgnatus defuncti sit. hic enim etiam post sextum gradum admittitur. quæ replicatio approbatur uerbis d. §. si defuncti, §. propositis. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi frater defuncti sit ex utroq; parente defuncto cognatus: hic enim cum ascendentibus uel primi gradus admittitur in uirilem portionem. quæ replicatio approbatur Nouell. c. 118. §. consequens. ibi: si igitur. item ibi: si cum ascendentibus. cuius uerba uide §. cap. proxim. reg. 1. in prin. Altera replicatio est: Nisi mater uel alia fœminini sexus persona ex ascendentibus supersit: hanc enim frater excludit. quæ replicatio approbatur quidem iure antiquo, reprobatur uerò iure nouo: de quare dictum §. cap. prox. reg. 5. except. 16. Plures huiusmodi replicationes uide §. cap. prox. Planè iure antiquo quidem exceptio proposita fuit reprobata, per ea quæ proposita sunt §. cap. prox. reg. 2. except. 2. Tertia exceptio est: Nisi frater ex uno tantùm, non utroque parente defuncto fuerit cognatus. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur Nouell. c. 118. §. si defunctus. cuius uerba uide paulò superius ead. reg. in prin. Concordat Nouell. c. 84. his uerbis: Multis undiq; natura nouitatibus utens, &c. *Item concordat l. ult. C. communia de succeßionibus. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 1. except. 2. in fine. Planè iure quidem antiquo exceptio proposita in fratribus quidem eodem patre, quāuis non eadem matre natis, reprobabatur Inſt. de legitima adg. succeſſ. §. 1. ibi: nec requiritur. cuius uerba uide §. reg. 1. except. 4. repl. 1. Cui concordat l. 1. C. de legitimis hæred. hisce uerbis:* In successione, quæ titulo cōsanguinitatis, uel in bonorum possessione, quæ proximitatis nomine competit, tam fratres quàm sorores pari iure esse, licet non eadem matre susceptī sunt, ius certum est: nec huic derogatur, quòd amitas uestras ab auo uestro dotatas fuisse proponitis. *Sed hæc iure nouo sublata sunt, & exceptio proposita approbata per ea quæ paulò superius sunt proposita. Verùm huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi ex utroq; parente fratres non supersint: tunc enim ex uno parente fratres admittuntur. *quæ replicatio approbatur d. §. si defunctus. ibi: his uerò non subsistentibus: item d. l. ult. ibi: uel si etiam non. C. communia de succeßionibus. Cui concordat etiam l. meminimus. 15. §. sed nec fratrem. C. de legitimis hæred. his uerbis:* Fratrem uel sororem uterinos non concedimus in cognationis loco relinqui. Cum enim tam proximo gradu sunt, meritò eos sine ulla differētia, tanquam si consanguinei fuerant, cum legitimis fratribus & sororibus uocandos esse sancimus: ut secundo gradu constituti, & legitima successione digni reperti, alijs omnibus qui sunt ulterioris gradus, licet legitimi sint, præcellant. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi fratris ex utroq; parente cognati filius filiáue supersit: hic enim excludit fratres consanguineos uel uterinos solùm. quæ duplicatio approbatur Nouell. c. 118. §. unde consequens, his uerbis:* Si præmortuus fortè frater, cuius filij supersunt, per utrunque parentem defunctæ

modò personæ coniunctus fuerit: qui uerò supersunt fratres, per patrem duntaxat aut matrem forsitan hunc contingant: præfe-rantur eiusmodi filij patruis, auunculis, amitis, materteris suis, etsi tertio gradu sint: quemadmodum & pater eorum præferretur, si superfuisset. *Altera replicatio est: Nisi res à patre uel matre fratris consanguinei uel uterini ad defunctum sint profectæ. In his enim ex uno parente, à quo res profectæ sunt, frater cognatus præfertur cæteris fratribus uel ex utroq; parente natis. quæ replicatio approbatur l. de emancipatis. 13. ibi: exceptis maternis rebus. C. de legitimis hæredibus. cuius uerba uide §. cap. prox. reg. 2. except. 2.* Quarta exceptio est: *Nisi fratres patri suo non extiterint hæredes. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. post suos. ff. de suis & legitimis hæred. his uerbis:* Verum est, eos esse consanguineos, etiamsi sui hæredes non extiterũt patri, utputa exhęredatos. Sed etsi pater eorum deportatus fuerit, nihilominus hos inter se cõsanguineos esse, licet patris sui hęredes non extitissent. *Concordat l. ult. ff. unde legitimi. cuius uerba uide §. cap. 7. except. 16.* Quinta exceptio uidetur: *Nisi fratres nunquam in potestate patris extiterint. Et hæc exceptio reprobatur d. §. post suos, his uerbis:* Et qui nunquam in potestate fuerunt, erunt sibi consanguinei: utputa qui post captiuitatem patris nascuntur, uel post mortem. *Concordat item d. l. ult.* Sexta exceptio uidetur: *Nisi non naturales, sed adoptiui sint fratres. Hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. fin. his uerbis:* Non solùm naturales, uerumetiam adoptiui quoque iura consanguinitatis habebunt cum his qui sunt in familia, uel in utero, uel post mortem patris nati. *Reliquas propositæ regulæ exceptiones uide §. cap. prox. item cap. 13.*

III. Regula, *De sororibus defuncti. Hæ similiter ac fratres defuncto ab intestato succedunt. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §. reg. proxim. in prin. Concordat item Instit. de legitima adgnat. success. §. cæterùm. ibi: quod ad fœminas. cuius uerba uide §. reg. 1. except. 3. Concordat item l. consang. 3. C. de legitimis hæred. his uerbis:* Consanguinitatis iure & fœminas ad intestatorum successionem admitti posse, explorati iuris est. Proinde cum fratris tui, intestatò mortui, ad te cõsanguinitatis iure hęreditas pertineat: nulla ratione alterius fratris tui filij ad eandem successionem adspirare desiderant. Nam & cessante iure adgnationis in persona omniũ, prætorij iuris beneficio ad te potius, quæ secundum gradum obtines, hæreditas pertinet, quàm ad fratris tui filios, qui tertio gradu cõstituti sunt. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ex defuncto supersint descendentes. quæ exceptio cùm approbetur per ea quæ proposita sunt §. reg. prox. except. 1. tum approbatur etiam l. si aut. 4. C. de legitimis liberis. cuius uerba uide §. capite 2. except. 9.* Altera exceptio est: *Nisi ascendentes ex defuncto supersint. Et hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §. reg. prox. except. 2. in princ. Verum eius replicatio prima hæc est: Nisi ascendentes sint per fœminini sexum, seu materni, non paterni. Hæc replicatio approbatur exemplo l. in successõ. 9. C. de legitimis hæred. his uerbis:* In successione intestatæ sororem quàm auum maternum haberi potiorem, non ambigitur. *Planè iure nouo replicatio proposita cum similibus reprobatur Nouell. c. 118. §. consequens. ibi: nulla differentia. cuius uerba uide §. cap. prox. reg. 1. in prin. Plures propositæ exceptionis replicationes uide §. reg. prox. except. 2. Sed & plures propositæ regulæ exceptiones uide §. d. reg. prox.*

IIII. Regula, *De fratrum & sororum liberis. Hi quoq; ad hæreditatem patrui, amitæ, auunculi uel materteræ suæ uocantur. quæ regula approbatur l. 2. §. 2. ff. de suis & legitimis hæredibus, his uerbis:* Post suos & consanguineos statim mihi proximus est cõsanguinei mei filius, & ego ei: patris quoque frater, qui patruus appellatur, deinceps q; cæteri, qui sunt incerti in infinitum. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi frater uel soror defuncti supersit. quæ exceptio approbatur Instit. de legitima adgn. success. §. hoc etiam addendum, in fine. cuius uerba uide §. except. 4. Concordat item Instit. eod. tt. §. si plures. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 1. in prin. Concordat itè l. consanguinitatis. 3. C. de legit. hæred. cuius uerba uide §. reg. prox. in prin. Concordat item l. lege. 14. §. penult. ibi: scilicet ubi fratres. C. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. 4. except. 4. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi frater uel soror hæres esse nolit, uel non possit. quæ replicatio approbatur l. meminimus. 15. §. cum autem tertio. ibi: successionis uidelicet iure. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 4. Altera replicatio est: Nisi frater uel soror superstes defuncto ex uno tantùm parente fuerit cognatus, frater autem, ex quo filius supersit, ex utroq; parente. quæ replicatio approbatur Nouell. c. 118. §. unde consequens. cuius uerba uide §. reg. 2. except. 3. repl. 1. dupl. 1.*

De iure nouo.

Planè iure nouo exceptio proposita reprobatur d. Nouell. c. 118. §. quòd si defuncto, his uerbis: Quòd si defuncto fratres supersint, & alterius fratris sororis præmortuorum filij: uocabũtur hi ad hæreditatem cum patruis & auunculis, amitis & materteris suis: & quotcunq; tandem fuerint, tam magnam ex hæreditate portionem capient, quãtam percepturus fuisset pater eorum, si superuixisset. *Concordat d. c. 118. §. si defunctus. cuius uerba uide §. reg. 2. in prin. Concordat d. c. 118. §. id autem priuilegij, his uerbis:* Id autem priuilegij in hoc cognationis ordine solis præbemus fratrum sororúmue filijs aut filiabus, ut in iura parentum suorum succedant. Nulli enim omnino alij personæ, quæ ex hoc ordine proficiscitur, hoc ius concedimus. *Planè exceptio proposita iure nouo reprobata, admittitur primùm, si frater superstes ex utroque parente defuncto fuit cognatus, frater*

tus, frater autem præmortuus, ex quo superest filius, ex uno tantùm parente. quæ distinctio approbatur d. c. 118. §. & econtrario, his uerbis: Si superstes frater ex utroq; parente defuncti cõtingat, qui uerò præmortuus est, per unum tãtummodò parentem illi cõiunctus sit, id genus filios ab hæreditate excludimus, quemadmodum & ipse, si superesset, excluderetur. *Concordat Nouell. c. 127. §. hoc uerò sancimus. cuius uerba uide §. distinct. prox.* *Deinde admittitur exceptio proposita, si supersint etiam ascendentes, cum quibus frater superstes coniungitur. tunc enim fratris præmortui filius excluditur. quæ distinctio approbatur d. c. 118. §. sed & ipsis, his uerbis:* Ipsis fratrum filijs tunc hoc beneficiũ concedimus, quando cum patruis & auunculis, neq; non amitis & materteris suis uocantur. Si autẽ cum fratribus defuncti etiam ascendentes (sicut iam diximus) ad hæreditatẽ uocantur, nullo modo ad successionem ab intestato fratris aut sororis filios uocari permittimus, neq; si ex utroq; parente eorũ pater aut mater defuncto iungebatur. *Hæc distinctio iure nouissimo tollitur ac reprobatur Nouell. c. 127. in prin. his uerbis:* Nostras leges emendare non piget nos, ubiq; utilitatem subiectis inuenire uolentes. Meminimus igitur scripsisse legem, per quã iussimus, ut si quis moriatur, relinquẽs fratres & alterius fratris filios præmortui: ad similitudinem fratrum & præmortui fratris filij ad hæreditatem uocentur, paternum adingredientes gradum, & illius ferentes portionẽ. Si uerò moriens relinquat aliquos ascendentium, & fratres ex utrisq; parentib. coniũctos sibi, & filios ex præmortuo fratre: fratres quidẽ iussimus per ipsam legẽ cum parentib. uocari, fratris uerò filios excludimus. Hoc itaq; iustè corrigentes sancimus, ut si quis moriens relinquat ascendẽtium aliquem, & fratres qui possint cum parentibus uocari, & alterius præmortui fratris filios: cum ascendentibus & fratres uocentur, & præmortui fratris filij tãtam accipiant portionem, quantam eorum futurus erat pater accipere, si uixisset. Hoc uerò sancimus de illis filijs fratris, quorum pater ex utroq; parente iungebatur defuncto, & absolutè dicimus ordinem, quando cum solis uocantur fratribus, eundem eos habere iubemus, & quando cum fratribus uocantur aliqui ascendentium ad hæreditatem, hoc iubentes ex calend. Ianuar. præsentis indictionis undecimæ. *Hæc de prima exceptione. Altera propositæ regulæ exceptio est: Nisi descendentes supersint. hoc enim casu excluditur fratris uel sororis filius, secundum ea quæ proposita sunt §. reg. 2. except. 1.* Tertia exceptio est: *Nisi ascendentes supersint. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio hæc est: Nisi frater præmortuus defuncto ex utroq; parente fuerit coniunctus: huius enim filius cum ascendentibus admittitur, secundum ea quæ proposita sunt §. reg. 2. except. 2. ubi etiam aliam propositæ exceptionis uide replicationem.* Quarta exceptio est: *Nisi non fratris, sed sororis filij filiæue sint. Hæc exceptio approbatur quidem iure antiquo, secundum ea quæ proposita sunt §. reg. 1. except. 4. reprobatur uerò iure nouo, Instit. de legitima adgnat. success. §. hoc etiam addendum, his uerbis:* Hoc addendum nostræ constitutioni existimauimus, ut transferatur unus tantummodò gradus à iure cognationis in legitimam successionem: ut non solùm fratris filius & filia (secundum quod iam definiuimus) ad successionem patrui sui uocétur, sed etiam germanæ consanguineæ uel sororis uterinæ filius & filia soli, & non deinceps personæ, unà cũ his ad iura auunculi sui perueniant: & mortuo eo qui patruus quidem est sui fratris filijs, auunculus autẽ sororis suę soboli, simili modo ab utroq; latere succedant, tanquã si omnes ex masculis descendentes legitimo iure ueniãt, scilicet ubi frater & soror superstites non sunt. His etenim personis præcedentibus, & successionem admittentibus, cæteri gradus remanent penitùs semoti, uidelicet hæreditate non in stirpes, sed in capita diuidenda. *Concordat l. lege. 14. §. in his igitur. C. de legitimis hæredib. his uerbis:* Vnum gradũ pietatis intuitu transferri à iure cognationis in legitimam uolumus successionem, ut non solùm fratris filius & filia (secundum quod iam definiuimus) ad successionẽ patrui sui uocétur, sed etiam germanæ consanguineæ, uel sororis uterinæ filius & filia soli, & non deinceps personę, unà cum his ad iura auunculi sui perueniant: & eo quidem mortuo, qui patruus quidem est fratris sui filijs, auunculus autem sororis suæ soboli, simili modo ex utroq; latere succedant, tanquam si omnes legitimo iure ueniant: scilicet ubi fratres & sorores superstites non sunt. His etenim personis præcedentibus, & hæreditatem admittentibus, cæteri gradus remanent penitùs semoti. Illo proculdubiò obseruando, ut successio non ad stirpes, sed in capita diuidatur, & is gradus in ordinem legitimum transferatur: cæteris omnibus successionibus secũdum ius usq; ad præsens tempus obseruatum in suo statu manentibus. Si quis autem casus iam euenerit: secundum quod pristina iura uolebant, eorum fiat distributio. *Ait Imp.* Vnum gradum pietatis intuitu. *Hoc hodie in omnibus obtinet, secundum ea quæ proposita sunt §. reg. 1. except. 4. in fine. Proinde id quod subijcitur, his uerbis:* Et non deinceps personæ. *hodie est sublatum. Ait insuper Imperator:* Scilicet ubi fratres & sorores superstites non sunt. His etenim, &c.

Et hoc

Et hoc hodie in fratrum quidem & sororum filijs & filiabus est mutatum, secundum ea quæ proposita sunt §.except.1. de iure nouo. Concordat item propositæ exceptioni reprobatæ l.meminimus.15. §. cum autem tertio.C.de legitimis hæred. his uerbis: Cùm tertio gradu ex transuersa linea fuerit locus, ubi patruis & filijs fratrum & sororum locum antiquitas dedicauit: unà cum illis tam emancipati fratris, quàm emancipatæ sororis filium tãtummodò & filiam, siue emancipatos, siue suos patribus suis constitutos, & neminem alium ulterius: necnon fratris uterini, & sororis consanguineæ uel uterinæ filium uel filiam tantummodò ex legitima linea inuicem uocari censemus, sicut iam sancimus, ut omnes qui uel antiquo iure, &c. Quinta exceptio: Nisi filius filiáue sit fratris emancipati. De hac exceptione cum similibus hucpertimentibus uide ȝ.cap.prox.

V. Regula, De patruo defuncti, auunculo, amita & matertera. His quoq; ab intestato hæreditas competit. quæ regula approbatur uerbis Inst. d.§.hoc etiam addendum, §.reg.proxim.except.4.propositis hisce: Et mortuo eo qui patruus quidem est sui fratris filijs, auunculus autem sororis suæ soboli, simili modo ab utroque latere succedant. Concordat ijsdem uerbis l.lege.14. §.in his igitur. ibi: & eo quidem mortuo. C.de legitimis hæred. §. d.except.4.propositis. Planè iure antiquo patruus matterteræ, quamuis in eodem gradu constitutus, præferebatur, secundum ea quæ proposita sunt §.reg.1.except.4.in prin. Cui iuri antiquo concordat l.patruo. 7. C.de legitimis hæred. his uerbis: Patruo & matterteræ de tertio constitutis gradu non pariter intestati successio defertur: sed patris frater adgnationis iure sorori matris anteponitur. Sed hoc ius hodie mutatum & sublatum est, ut ostensum §.d.except.4. in fine. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi frater uel soror defuncti superstit. quæ exceptio approbatur Inst. d.§.hoc etiam addendum. ibi: scilicet ubi frater & soror. item d.l.14. §.in his igitur. ibi: scilicet ubi fratres. Quæ quamuis hodie in fratrum & sororum filijs sublata sint, ut ostensum §.reg.prox.except.4.in fine: tamen in patruis, auunculis, amitis & materteris mutata non inueniuntur. Concordat Instit. de legitima adgnator. succes. §. si plures. cuius uerba uide ȝ. cap.prox. except.1. Altera exceptio est: Nisi fratrum uel sororum defuncti filij filiæue superstint. Quæ exceptio approbatur Nouell. c.118. §.quandoquidem, his uerbis: Quandoquidem fratris & sororis filijs huiusmodi priuilegium concessimus, ut soli in locum parentum suorũ succedentes, cùm tertio gradu sint, cum his qui primo & secundo gradu sunt, ad hæreditatem uocẽtur: illud manifestũ est, quòd patruis & auunculis, neq; non amitis & materteris defuncti præferantur, tametsi similiter & illi tertium cognationis gradum teneant.

VI. Regula, De fratribus patruelibus & consobrinis. His quoq; defuncti hæreditas ab intestato regulãritur quidem non denegatur. Quæ regula approbatur l.1.C.unde cognati, his uerbis: Consobrinorum tuorum intestatorum bona, si ad prioris necessitudinis neminem iure pertinuerint, tuq; eorum possessionem agnouisti: perse qui non prohiberis. Declaratur hæc regula definitione consobrinorum Inst.de legitima adgnat.successionis. §.1. ibi: eodem numero sunt. cuius uerba uide §. reg.1.except.4.replic.1. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi alij gradu præcedant. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce: Si ad prioris necessitudinis neminem iure pertinuerint. Huius exemplum proponitur l.auunculo.6. C.communia de successionibus, his uerbis: Auunculo priori, qui est tertio gradu, quàm consobrino, qui sequentem occupat, deferri successionem intestati, certi iuris est.

VII. Regula, De pluribus eiusdem gradus. Omnibus defertur hæreditas. quæ regula approbatur Instit. de legit.adgnat.successionibus, §.si plures, his uerbis: Quamuis singulari numero usa lex XII. Tabular. proximum uocet: tamen dubium non est, quin si plures sint eiusdem gradus, omnes admittantur. Nam & propriè proximus ex plurib. gradibus intelligitur, & tamen non dubium est, quin licet unus sit gradus adgnatorum, pertineat ad eos hæreditas. Concordat l.2.§.legitima.ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide ȝ.cap.prox.except.1. in princ. Huius regulæ exceptio prima est in adgnatis & cognatis defuncti: qui quamuis eodem gradu sint, tamen adgnati excludebant cognatos, iure scilicet antiquo: secus iure nouo. de qua re dictum §.reg.1.except.4.. Altera exceptio est in patruo & filijs fratrum defuncti. hi enim quamuis eodem gradu sint: tamen filij fratrum excludunt patruum defuncti. quæ exceptio approbatur Nouell.c.118. §.quandoquidem. cuius uerba uide §.reg.1. except.2. Tertia exceptio est: Nisi ex ijs qui pari gradu sunt, alij ex descendentibus sint, alij ex ascendentibus uel collateralibus. quæ exceptio approbatur Instit. de seruili cognat. §.repetitis. cuius uerba uide ȝ. cap. prox.except.1.repl.2. Quarta exceptio est: Nisi quibusdam, qui eiusdem gradus sunt, aliqua exceptio obstet. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proponentur ȝ.cap.prox.except.3.cum sequentibus. Huius exemplum est in fratre uterino uel consanguineo defuncti & germano. illi enim, quamuis eodem gradu sint, per germanum tamen fratrem excluduntur, ut §.reg.2.except.3.ostensum.

DE EXCEPTIONIBVS PRAEcedentium successionum & regularum generalibus. Cap. VII.

HActenus de successionibus descẽdentium, ascendentium & collateralium, seu ex trãsuerso uenientium, est dictum: quarum successionũ præter exceptiones speciales hactenus propositas, quædam aliæ

aliæ sunt generales & communes, quæ si non omnibus, at plerisque saltem obijci possunt. Istæ exceptiones hic ad finem sunt subijciendæ.

I. Exceptio: Nisi alij gradu sint proximiores. tunc enim gradu remotiores regulariter quidem excluduntur. Hæc exceptio approbatur Instit.de legitima adgnat.succes. §.si plures, hisce uerbis: Si plures sint gradus adgnatorum, apertè lex XII. Tabul. proximum uocat. Itaq; si (uerbi gratia) sint defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus: frater potior habetur. Concordat Inst.cod.tt.in prin. cuius uerba uide §.cap.prox.reg.1. in prin. Item concordat l.2.§.hæc hæreditas. ff.de suis & legitimis hær.his uerbis: Hæc hæreditas proximo adgnato, id est, ei quem nemo antecedit, defertur: & si plures sint eiusdem gradus, omnib. cõpetere incipit: utputa, duos fratres habui, uel duos patruos: unus ex his unum filium, alius duos reliquit: hæreditas mea in tres partes diuidetur. Concordat item d.l.2. §.legitima, his uerbis: Legitima hæreditas tantùm proximo defertur: nec interest, unus solus sit, an ex duob. prior pluribúsue, an duo pluréue ab eodem gradu uenientes, qui uel cęteros antecedant, uel soli sint: quia is est proximus, quem nemo antecedit: & is ultimus, quem nemo sequitur: & interdum idem primus postremúsque, qui solus occurrit. Concordat item l.1.§.penult. ff.unde cognati, his uerbis: Gradatim admittuntur cognati ad bonorum possessionem, ut qui sunt primo gradu, omnes simul admittantur. Concordat item Instit. de legit. adgnat.succes.§. non tamen omnibus. cuius uerba uide ȝ. repl.3. Huius exceptionis exemplum proponitur l.consanguinitatis. 3.C.de legitimis hæred. cuius uerba uide §. cap. prox. reg.3. Aliud exemplum proponitur l. auunculo.6. C. communia de succes. cuius uerba uide §.cap.proxim. reg.6. in fine. Concordat item Nouell.c.118. §. consequens. ibi: si multi ex. cuius uerba uide §.cap.5.reg.1.in princ. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi remotior sit ex descendentibus, proximior ex ascendentibus, uel ex collateralibus. hoc enim casu descendentibus gradu remotioribus exceptio proposita non obstat. Quæ replicatio approbatur Instit. de seruili cognat. §.repetitis, hisce uerbis: Repetitis omnibus quæ iam tradidimus, apparet non semper eos qui parem gradum cognationis obtinent, pariter uocari: eoq; amplius, ne eum quidem qui proximior sit cognatus, semper potiorem esse. Cum enim prima causa sit suorum hęredũ, & eorum quos inter suos hæredes enumerauimus: apparet pronepotem uel abnepotem defuncti potiorem esse, quàm fratrem aut patrẽ matremq; defuncti: cum alioquin pater quidem & mater (ut suprà quoq; tradidimus) primum gradum cognationis obtineant, frater uerò secundum, pronepos autem tertio gradu sit cognationis, & abnepos quarto. Nec interest, in potestate morientis fuerit, an non, quòd uel emancipatus, uel ex emancipato, aut ex fœmineo sexu propagatus est. Amotis quoque suis hæredibus, & quos inter suos hæredes uocari diximus: adgnatus qui integrum ius habet adgnationis, etiamsi longissimo gradu sit, plerunque potior habetur, quàm proximus cognatus. Nam patrui nepos uel pronepos auunculo uel materteræ præfertur. Toties igitur dicimus, aut potiorem haberi eum qui proximiorem gradum cognationis obtinet, aut pariter uocari eos qui cognati sunt: quoties neq; suorum hæredum, quiq; inter suos hæredes sunt, neq; adgnationis iure aliquis præferri debeat, secũdum ea quæ tradidimus: exceptis fratre & sorore emancipatis, qui ad successionem fratrum uel sororum uocantur: qui etsi capite deminuti sunt, tamen præferuntur cæteris ulterioris gradus adgnatis. Concordat Nouell.c.118.§.si quis igitur. cuius uerba uide §.cap.5. reg.1. except.1. Altera replicatio est: Nisi remotior sit ex ascendentibus, proximior ex collateralibus. hoc enim casu remotior proximiori præfertur. quæ replicatio approbatur d.c. 118.§.consequens. ibiisi igitur cum. cuius uerba uide §. d.reg.1. in prin. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi frater uel soror defuncti superfit. hi enim cum ascendentibus admittuntur. quæ duplicatio approbatur d.uers.si igitur cum.de qua re uide §.cap.prox.reg. 2.except.2. Tertia replicatio est: Nisi filius defuncti superfit, & ex alio filio nepos: uel nepos defuncti, & ex alio filio uel nepote pronepos: hic enim nepos uel pronepos, quamuis gradu remotior, cum patruo suo successit auo defuncto. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §.cap.2.except.11. Quarta replicatio est: Nisi frater defuncti superfit, & ex alio fratre filius. hi enim pariter succedunt, quamuis dispari sunt gradu. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §.cap.prox. reg.4.. except.1. in fine. Quinta replicatio est: Nisi ex collateralibus alij per masculinũ, alij per fœmineum sexum defuncto sint cognati: hoc enim casu per masculinũ sexum defuncto cognati, quamuis remotissimo sint gradu, ijs qui per fœmineũ sexum defuncto cognati sunt, præferuntur. quæ replicatio iure quidem antiquo approbatur, reprobatur uerò iure nouo per ea quæ proposita sunt §.cap.prox. reg.1. except.4. Sexta replicatio est: Nisi proximiores gradu hæredes esse nolint. Hæc replicatio approbatur l.1.§.quibus.ff.de successorio edicto, his uerbis: Quibus ex edicto bonorum possessio dari potest, si quis eorum aut dari sibi noluerit, aut in diebus statutis non admiserit: tunc cæteris bonorum possessio perinde competit, ac si prior ex eo numero non fuerit. Concordat l.2.§.si mater.ff.ad S.C.Tertyll. cuius uerba uide ȝ. repl.9. Item cõcordat Inst.de bonor.possess.§.cum igitur. ibi: & si intra, cuius uerba uide ȝ.cap.13.except.12.

Huius

Huius replicationis duplicatio prima hæc est:Nisi tempus petendæ bonorum possessionis proximiori non sit elapsum. Hæc duplicatio reprobatur l.1.§.qui semel.ff. de successorio edicto,his uerbis: Qui semel noluit bonorum possessionẽ petere, perdidit ius eius,etsi tempora largiantur. Vbi enim noluit,iam cœpit ad alios pertinere bonorum possessio,aut fiscum inuitare. *Concordat Inst. de bonor.poss.§.si quis itaq;,his uerbis:* Si quis delatam sibi bonorum possessionem repudiauerit, non quousq; tempus bonorum possessioni præfinitum excesserit, expectatur: sed statim cæteri ex eodem edicto admittuntur. *Concordat item l.1.§.1.ibi:planè si tempora. ff.si tabulæ test. nullæ extab. cuius uerba uide ꝫ.cap.1. quæst.1.causa 4. Altera duplicatio est:Nisi cum proximior antea hæreditatem agnouisset,postea per in integrum restitutionem sese rursus abstinuerit. quæ duplicatio approbatur l.2.ff.de successorio edicto,his uerbis:* Inferioris gradus cognatus beneficium edicti successorij non habuit,cum prior ex propria parte bonorum possessionem accepisset: nec ad rem pertinuit, quòd abstinendi facultatem ob auxilium ætatis prior cognatus acceperat. Igitur fisco uacantia bona redè deferri placuit. *Tertia duplicatio est:Nisi ex adgnatis proximiore consanguineo repudiante, remotior adgnatus uelit adire. quæ duplicatio approbatur l.2.in prin.ff.de suis & legitimis hæred.his uerbis:* Post consanguineos admittuntur adgnati,si consanguinei non sunt. Meritò. Nã si sunt consanguinei, licet non adierint hæreditatem, legitimis non defertur.

De iure nouo.

Planè iure nouo duplicatio proposita mutatur ac reprobatur Instit.de legitima adgnat.succes. §.placebat,his uerbis: Placebat in eo genere percipiendarum hæreditatum successionem non esse: id est,ut quamuis proximus, qui secundum ea quæ diximus,uocatur ad hæreditatem, aut spreuerit hæreditatem, aut antequam adeat decesserit:nihilo magis legitimo iure sequentes admittantur. Quod iterum Prætores imperfecto iure corrigentes, non in totũ sine adminiculo relinquebant, sed ex cognatorum ordine eos uocabant, utpote adgnationis iure eis recluso. Sed nos nihil perfectissimo iuri deesse cupientes, nostra constitutione, quam de iure patronatus, humanitate suggerente protulimus, sancimus,successionem in adgnatorum hæreditatibus non esse eis denegandam: cum satis absurdum erat, quod cognatis à Prætore apertũ est, hoc adgnatis esse reclusum: maximè cum in onere quidem tutelarum, & primo gradu deficiente, sequens succedit:& quod in onere obtinebat,non erat in lucro permissum. *Ait imper.* Nostra constitutione. *Hæc constitutio hodie non extat. Quarta duplicatio est:Nisi proximus,qui bonorũ possessionem ex una parte repudiauit, ex alia parte admitti possit. tunc enim remotior non admittitur. quæ duplicatio approbatur exemplo l.2.in princ. ff.unde legitimi. cuius uerba uide ꝫ.cap.prox.reg.1.except.1.repl.2. Concordat l.2.§.si mater. ibi:sed si mater.ff.ad S.C.Tertyll.cuius uerba uide ꝫ.replic.9. Septima replicatio est:Nisi gradu proximus, antequam hæreditatem adiret, mortuus sit. Hæc replicatio approbatur l.1.§.si intra.ff.de successorio edicto,his uerbis:* Si intra centesimum diem mortuus sit prior, statim sequens admitti potest. *Concordat l.2.in prin.ibi:aut antè decesserit. ff.de bonor.possess. secund.tabul. cuius uerba uide ꝫ.cap.15.quæst.1.reg.1.except.3. Concordat item l.2.C.de succes.edicto,his uerbis:* Si auiæ frater eorum,de quorũ successione agitur, uelut ex testamento adijt hereditatem,quos intestatos decessisse, ac falsum testamentum prolatum contendis, & ab intestato non petita bonorũ possessione, uita functus est: ac tu, licet quinto gradu constitutus,ex successorio capite petijsti bonorum possessionem, uel necdum exclusus petas: eorum successionẽ potes uindicare. Nam si is quem quarto gradu constitutum non ambigitur, ex edicto petijt, nec hoc te latuit: frustra nobis supplicasti. *Concordat item l.si infanti.18.§.sin uerò uel non.C.de iure deliberandi. cuius uerba uide ꝫ.lib. prox.cap.2.reg.1.except.5.repl.6. Huius replicationis duplicatio prima est in adgnatis, inter quos successio non erat. quæ duplicatio iure quidem antiquo approbatur, uerum iure nouo reprobatur Inst. de legitima adgnat.succes.§.placebat. cuius uerba uide ꝫ.repl. prox.dupl.3. Plures propositæ replicationis duplicationes uide ꝫ.lib.prox.cap.22.reg.1.except.1.repl.1.cum sequentibus. Octaua replicatio est:Nisi proximus eo tempore, quo constat eum,de cuius hæreditate agitur, intestatum decessisse,mortuus sit. hoc enim casu admittitur is,qui antea tempore mortis eius,de cuius hæreditate agitur, remotior erat, si modò nunc proximus reperiatur.quæ replicatio approbatur Instit.d.tt.§.proximus,his uerbis:* Proximus,siquidem nullo testamẽto facto quisquam decesserit,per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hæreditate quæritur. Quòd si facto testamento quisquam decesserit: per hoc tempus requiritur, quo certum esse cœperit,nullum ex testamento hæredem extiturum. tunc enim propriè quisque intestatus decessisse intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo spacio temporis sæpe accidit,ut proximiore mortuo, proximus esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus. *Concordat Instit.eod.tt.§.non tamen omnib.his uerbis:* Non omnibus simul adgnatis dat lex hæreditatẽ, sed ijs qui tunc proximiores gradu sunt, cum certum esse cœperit,aliquem intestatũ decessisse. *Concordat item l.2.§.interdum.ff.de suis & legitimis*

& legitimis hæred.his uerbis: Interdum ulteriorem adgnatũ admittimus:utputa,fecit quis testamentum,cum haberet patruum,& patrui filium: deliberante hærede scripto patruus decesserit, mox hæres institutus repudiauit hæreditatẽ: patrui filius admittetur. Ergo & bonorum possessionem petere potest. *Concordat d.l.2.§.proximum,his uerbis:* Proximum nõ eum quærimus,qui tunc fuit,cum moreretur paterfamiliâs: sed eum qui tunc fuit, cum intestatum decessisse certum est. Secundum quæ,etsi suus erat qui præcedebat,uel cõsanguineus: si nemo eorum,cùm repudiatur hæreditas, uiuit: proximũ eum accipimus, qui tunc, cum repudiatur hæreditas,primus est. Vnde uel quæri potest,an post repudiationẽ adhuc demus successionem? propone hęredem scriptum rogatum restituere hæreditatẽ,repudiasse eam: cum nihilominus compelli potuit adire hæreditatem,& restituere, ut diuus Pius rescripsit. finge eum superuixisse centum diebus, uer bi gratia, & interim proximum decesisse: mox & eum qui rogatus erat restituere. Dicendum, posteriorem admitti cum onere fideicommissi. *Concordat item l.si quis.5.ff.eod. tt.his uerbis:* Si quis, cum haberet fratrem & patruum,decesserit testamento facto:deinde pendente conditione,hęredum scriptorum frater intestatò decesserit, mox condi- tio defecerit : patruum posse utriusq; adire hæreditatem legitimam,constat. *Concordat item l.1.ff.unde legitimi,his uerbis:* Hæc uerba edicti, Eum quem ei esse hæredem oporteret, si intestatus mortuus esset: *ϖαραστατικῶς* non ad mortis testatoris referuntur tempus,sed cum quodam temporis spacio accipiuntur ad id,quo bonorum possessio peteretur.Et ideo legitimum hæredẽ, si capite minutus sit, etiam ab hac bonorum possessione submoueri, palàm est. *Concordat item l.si ex.4. ff. eod.tt. his uerbis:* Si ex duobus fratribus alter decesserit testamento iure facto,deinde deliberante hærede alter quoq; intestatò decesserit,& scriptus hæres omiserit hæreditatem:patruus legitimam hæreditatem habebit. Nam hæc bonorũ possessio,tum quem hæredem esse oportet, ad id tempus refertur, quo primùm ab intestato bonorũ possessio peti potuisset. *Concordat item l.1.§.proximus.ff.unde cognati,his uerbis:* Proximum accipere nos oportet eo tẽpore, quo bonorum possessio defertur. Si quis igitur proximus cognatus, dum hæredes scripti deliberant, diem suum obierit, sequẽs quasi proximus admittetur:hoc est,quicunq; fuerit tum deprehensus,proximum locum obtinet. *Concordat item l.cum furiosus.7.§.tali itaq;. ibi:eo scilicet obseruando. C.de curatore furiosi. cuius uerba uide ꝫ. lib.18.cap.9.quæst.1.except.15. Nona replicatio est: Nisi deliberante matre defuncti, adgnatus proximus fuerit mortuus. tunc enim matre postea hæreditatem repudiante,ulterior succedit. quæ replicatio approbatur l.2.§.si mater.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Si mater hæreditatem filij filiæue non adierit ex S.C.Tertylliano, in bonis eorum ius antiquum seruandum est. cum enim est prælatio: matre omittente senatusconsulti beneficium,ius succedit uetus.Sed si mater repudiauerit bonorum possessionem, de adeunda autem hæreditate deliberet: dicendum erit,adgnatũ non succedere:quoniam nondum uerum est,non adijsse matrem. Quod autem diximus,ius antiquum seruari, matre non adeunte:cui personæ deferatur hæreditas,uidendum:utrum ei quæ nunc proxima inuenitur, cum mater repudiat: an ei quæ fuit, cum intestatò decesisse certum esset. utputa fuit patruus,cum intestatò decederet, & patrui filius. cũ mater repudiasset:patruo nondum delata hæreditate,atq; adeò defuncto eo matre deliberante,patrui filium uocari. *Decima replicatio est:Nisi deliberante filio de hæreditate matris adeunda,proximus adgnatus decesserit.tunc enim repudiante postea filio,ulterior adgnatus succedit. quæ replicatio approbatur l. 2.§.utrum.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Vtrum ei defertur successio, qui tunc legitimus deprehenditur, an uerò qui tũc fuit,cùm filio defertur? utputa,proponamus fuisse defuncte consanguineum,eiusq; filium: deliberante filio,defuncte consanguineum obijsse,mox filium repudiasse matris hęreditatẽ: an consanguinei filius admitti possit? Et Iulianus rectè putat, circa Tertyllianum locum esse succedenti adgnato. *Vndecima replicatio est: Nisi prægnante uxore,defuncti proximus hæres decesserit. tũc enim non nato posthumo ulterior admittitur. quæ replicatio approbatur exemplo l.item prætor.8. §.sin.ff.de suis & legitimis hæredibus.cuius uerba uide ꝫ.lib.prox.cap.22.reg.1.except.1.repl.3.dupl.1. Concordat l.1.§.si quis proximior.ibi:sed ubi natus.ff.unde cognati. cuius uerba uide ꝫ.repl.prox. Duodecima replicatio uidetur esse: Nisi proximus nondum sit natus, uel sit apud hostes. Hæc replicatio reprobatur l.2. in prin.ff.de suis & legitimis hæred.his uerbis:* Post consanguineos admittuntur adgnati, si consanguinei non sunt. Sed hoc sic erit accipiendum, si nec sperantur esse. Cæterùm si uel nasci consanguineus, uel de captiuitate reuerti potest: adgnati impediuntur. *Concordat l.1.§.si quis proximior.ff.unde cognati, his uerbis :* Si quis proximior cognatus nasci speratur: in ea conditione est, ut dici debeat,obstare eũ sequentibus. Sed ubi natus non est,admittemus eum qui postuentrem proximus uidebatur. Sed hoc ita demum erit accipiendum,si hic qui in utero esse dicitur, uiuo eo

de cuius bonorum possessione agitur, fuerit cõceptus. Nam si post mortem,neq; obstabit alij,neq; ipse admittetur:quia nõ fuit proximus cognatus ei,quo uiuo nondũ ani mal fuerit. *Decimatertia replicatio est: Nisi proximus per exceptionem repelli posit. Hæc replicatio approbatur exemplo iam propositio,his uerbis:* Nam si post mortem, neq; obstabit alij, neq; ipse admittetur. *Concordat l.2.in prin.ff.de bonor.possess ecun.tab.cuius uerba uide ȳ.cap.15.reg.1.except.3. Huius replicationis species seu exempla sunt exceptiones sequentes. Concordat item l.2.§.fin.ff.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Videndum est,matre prohibita ius suum uindicare, utrũ cæteros admittamus, atq; si mater non esset: an ipsam hæredem dicamus fieri,uel aliud nomen successionis inducere?Sed denegamus ei actiones,et inuenimus rescriptum ab Imp.nostro Antonino Augusto & diuo patre eius, Mãmę Maximæ pridie idibus Aprilib.Plautiano iterum consule, matre remota eos admitti,qui uenirent,si mater non fuisset. Ergo & adgnati cæteriq; succedent:aut si nemo sit,bona uacabunt. *Concordat item l.1. C.de successß.edicto, his uerbis:* Si mater tua,&c. *Decimaquarta replicatio est: Nisi filius defuncti sit emancipatus,& ex eo nepotes in potestate defuncti constituti.his enim nepotib. non obstat pater,tãquam gradu proximior, quo minus cum eo coniungantur.de qua re dictum ȳ.cap.4. Hæc de prima exceptione,eiusq; replicationibus sint dicta.*

I I.Exceptio:*Nisi unus tantùm defuncti cognatus superstit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.proximus.ff.unde cognati,his uerbis:* Proximus accipietur etiã is qui solus est, quamuis propriè proximus ex plurimis dicitur. *Concordat Instit.de legitima adgnat.success.§.si plures.ibi:nã & propriè.cuius uerba uide ȳ.cap.prox.reg.7.in princ. Concordat item l. qui duos.10.in prin.ibi:& proximus.ff.de rebus dubijs. cuius uerba uide ȳ.lib.7.cap.9.reg.13.in fine.*

I I I.Exceptio: *Nisi testamento exhæres scriptus sit. Hæc exceptio reprobatur l.liberis.11.ff.de doli mali except.his uerbis* : Liberis exhæredatis,qui nihil ex patris iudicio meruerũt, rupto testamento ius suum conseruãdum est,nec opponetur doli mali exceptio. Quod non solùm in persona eorum,sed in hæredibus,& in persona quoq; liberorum eorum obtinendum est. *Concordat l.filium.20.in prin.ibi:sed cum exhæredatio.ff.de bonor.possess.contra tabulas,his uerbis:* Filium quem in potestate habebat,exhæreda uit, emancipatum præterijt. quæsitum est, quatenus emãcipatus bonorum possessionem habiturus sit? Triphoninus dixit,si scripti hęredes extranei adierint hæreditatem, repellendum esse filium,qui mansit in potestate. Quòd si hi repudiauerint hæreditatẽ (quod facilè sunt facturi,nihil laturi ex hæreditate propter eum qui cõtra tabulas accepit bonorum possessionem)filius ab intestato patri suus hæres deprehenditur:emancipatus autem petens contra tabulas bonorum possessionem , solus bonorum possessionem habebit. Sed cum exhæredatio,nõ adita hæreditate ex testamento , nullius sit momenti:ideoq; non obstare eam,nec quominus contra tabulas patris accipiat bonorum possessionem,Iulianus rectè respõderit,ne testamẽtum per omnia irritum ad notam exhæredationis solá profecisse uideatur: redit res ad intestati exitum, ut aduersus filium ex asse hæredem ab intestato patri emancipatum Prętor in partem dimidiá tueatur.Erit ergo uenale beneficium scripti hæredis extranei, ut cum ipse iure hæreditatis nihil sit cõsecuturus,a deundo repellat filium in potestate relictum,prętetq; assem emancipato filio iure contra tabulas bonorum possessionis. Si autem omiserit hęreditatem,in portionẽ bonorum exhæredatum effectum admittet iure factum suum solum hæredem.Sed quemadmodũ Prætor emancipatũ tuetur, si adita non fuerit hæreditas: ita nec filius qui in potestate remansit, additione adhibita, in totum expellendus erit: sed ad hæreditatis petitionem admittẽdus est ex causa inofficiosi querelæ cõtra emancipatum mouendæ. *Concordat item l.1.§.fin.ff.si tabulæ test.nullæ extab.his uerbis:* Si emancipatus filius exhæres fuerit,is autẽ qui in potestate fuerat,præteritus: emancipatum petentem ab intestato bonorum possessionem Vnde liberi,tueri debet Prætor usq; ad partem dimidiá , perinde atq; si nullas tabulas pater reliquisset. *Cõcordat item l.ult.ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide ȳ.lib.31.cap.8. quæst.1.except. 14. in prin. Planè admittitur exceptio proposita primùm, si testamentum, in quo quis exhæredatus est, ualeat,nec rumpatur irritúmue fiat.quæ distinctio approbatur Nouell.c.1.§.exhæred.atos, his uerbis* : Exhæredatos liberos, si iustè à patre exhæredati sint,nihilq; ex uoluntate patris habeant,neque uocamus,neq; admittimus, etiãsi plus milies uelint. Vna enim hæc est legũ intentio,ut quæ defuncti constituerunt,implean tur.Eum enim quẽ defunctus ipse à substantia sua abigit, quomodo iustum fuerit uocare ad res, quarũ ille eum per exhæredationem,expressè contra ipsum factam,participem esse noluit? *Huius distinctionis replicatio prima hæc est:Nisi exhæres scriptus,postea hæres institutus sit. Hæc replicatio approbatur l.si filium.21.ff.de liberis & posthumis,hisce uerbis:* Si filium nominatim exhæredauero,& eum postea hæredem instituero: hæres erit. *Altera replicatio est: Nisi cum generaliter testator omnes filios suos exhæredasset,quidam filius eius sit,quem putauit mortuũ esse. huic enim exhæredatio non nocet. quæ replicatio approbatur l.Titius.25.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ȳ.*

de ȳ.lib.prox.cap.16.except.19.repl.3. Tertia replicatio est : Nisi ab alio,quàm de cuius hæreditate agitur, sit exhæredatus. quæ replicatio approbatur l.1.§.post suos.ibi:etiamsi.ff.de suis & legitimis hæred.cuius uerba uide ȳ.cap.prox.reg.2.except.4. Plures huius distinctionis replicationes uide ȳ.d.cap.16. Secundò admittitur exceptio proposita,si per cõtra tabulas bonorum possessionem testamentum impugnatur.hac enim accepta,nihilo magis exhæredatus admittitur. quæ distinctio approbatur l.filium.20.in prin. ff.de contra tabul. bonor.possess. cuius uerba uide ȳ.cad.except.in prin. Tertiò admittitur exceptio proposita, si nepotes ex filio emancipato patri suo coniungantur.his enim exhæredatis obstabit exceptio . quæ distinctio approbatur per ea quæ proposita sunt ȳ.cap.4.except.9. Postremò admittitur exceptio proposita, si nepotes ex filia defuncta in locum matris suæ succedentes,cum auunculis suis uel materteris ad aui uel auiæ hæreditatem adspirent. his enim exhæredatis proposita exceptio obstabit. quæ distinctio approbatur l.si defunctus.9. ibi: nisi fortè auia.C.de legitimis liberis.cuius uerba uide ȳ. cap.14.reg.4.except.1.

I I I I. Exceptio: *Nisi prætéritus testamento,contra tabulas bonorum possessionem non petierit. hic enim, adita à scriptis hæredibus hæreditate, bonorum possessionem Vnde liberi uel Vnde legitimi petens,exceptione repellitur. quæ exceptio approbatur l.2. ff.si tabul. test.nullæ extab.cuius uerba uide ȳ.lib.prox.cap.15.except.176.repl.18.*

V.Exceptio : *Nisi ab intestato hæres hæreditati futuræ renunciauit. Hæc exceptio reprobatur l.ult. ff.de suis & legitimis hæred.his uerbis:* Pater instrumento dotali comprehendit, filiam ita dotem accepisse, ne quid aliud ex hæreditate patris speraret: eam scripturam ius successionis non mutasse,constat. priuatorum enim cautione legum authoritati non noceri. *Concordat l.pactum.3.C.de collationibus, his uerbis* : Pactum dotali instrumento comprehẽsum, ut contenta dote,quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad bona paterna regressum haberet,iuris authoritate improbatur : nec intestato patri succedere filia ea ratiõe prohibetur.Dotem sanè quam accepit,fratrib. qui in potestate manserunt, cõferre debet. *Plura de hac re uide ȳ.cap.13.except.14.replic.10.*

V I.Exceptio: *Nisi cognati sint capite deminuti,uel emancipati.Hæc exceptio approbatur l.capitis.11.ff.de suis & legitimis hæred. his uerbis* : Capitis deminutione pereunt legitimæ hęreditates,quæ ex lege X I I.Tabul. ueniunt, siue uiuo aliquo, siue antequam adeatur hæreditas eius,capitis deminutio intercesit: quoniam definit suus hæres uel adgnatus rectè dici. Quæ autem ex legibus nouis, aut ex senatusconsultis:non utiq;. *Concordat l.1.§.si filius. ff.eod.tt. cuius uerba uide ȳ.cap.2.except.10.replic.1. Item concordat l.1.in fine.ff.unde legitimi. cuius uerba uide ȳ.except.2.repl.8. Huius exceptionis replicatio prima hæc est:Nisi ex nouis legibus,non ex lege X I I. Tabul.hæreditas deferatur.quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quæ autem ex legibus nouis,aut ex senatusconsultis: non utique. *Concordat Inst.de S.C.Orphitiano.§.sciendum, his uerbis:* Sciẽdum est,huiusmodi successiones,quæ ex Tertylliano & Orphitiano senatusconsultis deferũtur, capitis deminutione non perimi,propter illam regulam,quanouæ hæreditates legitimæ capitis deminutione non pereunt: sed illæ solæ,quæ ex lege X I I.Tabul. deferuntur. *Concordat item l. 1.§.capitis.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Capitis deminutio, saluo statu contingens, liberis nihil nocet ad legitimam hæreditatem.Nam uetus sola hæreditas, quæ lege X I I.Tabul. defertur, capitis deminutione perimitur: nouæ uel ex lege , uel ex Senatusconsulto delatę,non perimuntur capitis deminutione. Proinde siue quis ante delatã, siue post delatam capite minuatur,ad legitimam hæreditatẽ admittetur: nisi magna capitis deminutio interueniat, quæ uel ciuitatem adimat: utputa,si deportetur. *Huius replicationis duplicatio hæc est : Nisi maxima uel media capitis sit deminutio. quæ duplicatio approbatur uerbis iã propositis hisce:* Nisi magna capitis deminutio interueniat, quæ uel ciuitatem adimat. *Cui concordat l.1.§.qui mortis.ff.ad S.C.Tertyll.cuius uerba uide ȳ.repl.4. Altera replicatio uidetur:Nisi post delatam hæreditatem,seu post mortem eius,de cuius hæreditate agitur,capite sint deminuti. Hæc replicatio reprobatur l.capitis.3.ff.unde cognati,his uerbis:* Capitis deminutione perimuntur cognationes, quæ per adoptionem adquisitæ sunt. Igitur si post mortem (uerbi gratia) fratris adoptiui intra centesimum diem adoptiuus frater capite deminutus fuerit: bonorum possessionem accipere non poterit, quæ proximitatis nomine fratri defertur. Prætorem enim non solùm mortis tempus, sed etiam id quo bonorum possessio petitur, intueri, palàm est. *Concordat l.capitis.11.ff.de suis & legitimis hæred.cuius uerba uide ȳ.cad.except.in prin.Concordat item l.1.§.capitis. ibi:proinde.ff.ad S.C.Tertyll. cuius uerba uide ȳ.cad.except.in prin. Concordat item d.l.1.§.qui mortis.cuius uerba uide ȳ.repl.4. Tertia replicatio est: Nisi post petitam bonorum possessionem capite sint deminuti. Hæc replicatio approbatur l.uit. ff.si tabulæ testam.nullæ extab. cuius uerba uide ȳ.cap. 2.except.3.repl.2. Quarta replicatio est: Nisi capite deminuti, rursus sint restituti, & pœna liberati . Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l.1.§.qui mortis.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Qui mortis matris tempore ciuis Romanus fuit,si ante adi tam hæreditatem in seruitutem deducatur, legitima hæreditas non defertur, nec si postea liber factus sit: nisi fortè seruus pœnæ effectus, beneficio principis sit restitutus.

Concordat l.1. §.fin. ff.unde cognati. cuius uerba uide §.except.prox. Concordat item l.1.§.fin. ff.de contra tabul. bonor. possessione. Huius replicationis duplicatio hæc est: *Nisi seruus pœnæ effectus, liber rursus sit factus. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nec si postea liber factus sit. *Cui concordat l.is qui.7.ff.unde cognati, his uerbis:* Is qui aliqua ratione seruus factus est, manumissione nulla ratione recipit cognationem. *Quinta replicatio est: Nisi legitimi hæredes desint. Hæc enim capite deminuti adgnati ad bonorum possessionem. Vnde cognati admittuntur. quæ replicatio approbatur l.legitimis.5.ff.unde cognati, his uerbis:* Legitimis capite deminutis non datur bonorum possessio iure hæredis legitimi: quia non eadem causa eorum est, quæ liberorum. Sed gradu cognatorum rursus uocantur. *Concordat Instit. de succes. cognator. in princ. ibi: nam adgnati, his uerbis:* Adgnati capite deminuti, quidq; ex his progeniti sunt, ex lege XII. Tabul. inter legitimos non habentur, sed à Prætore tertio ordine uocantur: exceptis solis tantummodò fratre & sorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos lex Anastasiana cum fratribus integri iuris constitutis uocat quidem ad legitimam fratris hæreditatem, siue sororis: non æquis tamen partibus, sed cum aliqua deminutione, quam facile est ex ipsius constitutionis uerbis colligere. Alijs uerò adgnatis inferioris gradus, licet capitis deminutionem passi non sunt: tamen anteponit eos, & proculdubiò cognatis. Ait Imp. Lex Anastasiana. *Hanc legem non habemus. Sexta replicatio est: Nisi frater uel soror defuncti sint emancipati. His enim ista capitis deminutio non obstat. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Exceptis solis tantummodò fratre & sorore emancipatis, &c. *Concordat Instit. de seruili cognat. §.fin. cuius uerba uide §.except.1.repl.1. Concordat item l. meminimus.15.§.cum igitur Prætor. C.de legitimis hæred. his uerbis:* Cum Prætorem filium emancipatum, licet subtili iure capite fuerat deminutus, attamen in patris successionem sine ulla deminutione uocare, manifestissimum est: non eodem autem iure etiam ad fratrum suorum successionem ab eo uocabatur, sed nec filij eius iure legitimo suis patruis succedebant: necessarium duximus hoc primùm corrigere, & legem Anastasianam iusto incremento perfectam ostendere: ut emancipatus filius & filia non solùm in paternis bonis ad suorum similitudinem succedât, sed etiam in fratrum uel sororum suarum successione (siue omnes sui, siue omnes emancipati sunt, siue misti) æquo iure inuicem sibi succedât, & non secundum legem Anastasianam parte aliqua deminuta. *Concordat item l.1.C.comm.de succes. his uerbis:* Scire debuisti, &c. *Septima replicatio est: Nisi liberi sint defuncti emancipati. nam nec his emancipatio iure nouo nocet: de qua re uide §.cap.2.except.2. Octaua replicatio est: Nisi in ipsa emancipatione emancipato legitima iura specialiter sint reseruata. Hæc replicatio approbatur l.fi ab eo.11. C.de legitimis hæred. his uerbis:* Si ab eo qui ex sacro rescripto secundum nostram constitutionem fieri postulauerit emancipationem liberorum, petitum fuerit, quatenus ei qui emancipandus emancipandáue erit, minimè legitima iura per emancipationem extinguâtur: eadem iura tam emancipato uel emancipatæ contra personas alias hoc modo sibi coniunctas, quàm alijs itidem contra eum uel eam in hæreditatibus, uel in successionibus & tutelis, necnon ceteris seruentur intacta: collationibus tamen ab his secundum ea, quę super emancipatis statuta sunt, quoties talis casus emerserit, utpote peracta emancipatione, faciendis.

De iure nouo.

Hactenus de iure antiquo, quo exceptio proposita partim approbatur, partim distinguitur, est dictum. Iure sanè nouo, quod ad minimam capitis deminutionem seu emancipationem attinet, exceptio proposita tollitur ac reprobatur Nouell.c.18. §.quin in omnib. cuius uerba uide §. cap.prox. reg.1. except.4. in fine. Plura de exceptione proposita uide §.cap.prox.quæst. 4.except.5 & 6.

VII. *Exceptio: Nisi cognatus tempore mortis eius, de cuius hæreditate agitur, sit apud hostes. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.fin.ff.unde cognati, his uerbis:* Si quis apud hostes fuerit eius mortis tempore, de cuius bonorum possessione quæritur: dicendum est, bonorum possessionem peti ab eo posse. *Planè hæc sunt intelligenda de postliminio reuerso: ideq; referenda ad ea quæ dicta sunt §. except.prox.repl.4.*

VIII. *Exceptio: Nisi cognati, qui defuncti hæres existit, bona fisco sint uindicata. Hæc exceptio reprobatur l.certa.4.in fine.C.de iure fisci. cuius uerba uide §.lib.11.cap.1.quæst.1.causa 22.*

IX. *Exceptio: Nisi cognatus operas suas, ut cum bestijs pugnaret, locauit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§. qui operas.ff.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Qui operas suas, ut cum bestijs pugnaret, locauit, quíue rei capitalis damnatus, neq; restitutus est: ex Senatusconsulto Orphitiano ad matris hæreditatem non admittebatur. Sed humana interpretatione placuit eum admitti. Idem erit dicendum, etsi hic filius in eius sit potestate, qui in causa suprascripta sit, posse eum ex Orphitiano admitti.

X. *Exceptio: Nisi cognatus rei capitalis sit damnatus. Hæc exceptio approbatur l.edicto.13.ff.de bonor. possess. his uerbis:* Edicto prætoris bonorum possessio his denegatur, qui rei capitalis damnati sunt, nec in integrum restituti sunt.

Rei autem capitalis damnatus intelligitur is, cui pœna mors, aut aquæ & ignis interdictio sit. *Huius replicatio prima hæc est: Nisi relegatus tantùm sit. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Cum autem in relegatione quis erit, ad bonorum possessionem admittitur. *Altera replicatio est: Nisi matris hæreditas petatur. Hæc replicatio approbatur uerbis §.except.prox.propositis hisce:* Quiue rei capitalis damnatus, neq; restitutus est.

XI. *Exceptio: Nisi per adoptionẽ cognatus sit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.non facilè.4.§.in adoptionem. ibi: sed in ea.ff.de gradib. cognator. cuius uerba uide §.cap. prox. quæst.4. except.4. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi quo ad ius adgnationis: hoc enim per adoptionem adquiritur, non ius cognationis. quæ replicatio approbatur d.uers. sed in ea. Cui concordat Instit. de legitima adgnat. succes. §.per adoptionem, his uerbis:* Per adoptionem quoq; adgnationis ius constitit: ueluti inter filios naturales, & eos quos pater eorum adoptauit. Nec dubium est, quin impropriè consanguinei appellentur. Item si quis ex cæteris adgnatis tuis, ueluti frater, aut patruus, aut deniq; is qui longiore gradu est, adoptauerit aliquem: adgnatum inter suos hæredes esse, non dubitatur. *Concordat item l.2. §.parui. ff.de suis & legitimis hæred. his uerbis:* Parui refert, adgnatus hic natiuitate, an adoptione sit quæsitus: nam qui adoptatur, ijsdem sit adgnatus, quibus pater ipsius fuit, & legitimam eorum hæreditatẽ habebit, uel ipsi eius. *Concordat item l.1.§.fin.ff. eod.tt. cuius uerba uide §. cap. prox. reg.2. except.6. Concordat item l.1.§.cognationem.ff.unde cognati, his uerbis:* Cognationem facit etiam adoptio. Quibus etenim fiet adgnatus hic qui adoptatus est, ijsdem & cognatus fiet. Nam ubicunq; de cognatis agitur, ibi sic accipiemus, ut etiam adoptione cognati facti contineantur. Euenit igitur, ut is qui in adoptionem datus est, tam in familia naturalis patris iura cognationis retineat, quàm in familia adoptiua nanciscatur. Sed eorum tantùm cognationem in adoptiua familia nanciscitur, quibus fit adgnatus: in naturali autem omnium retinebit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi adoptio per emancipationem sit soluta. quæ duplicatio approbatur l.capitis.3.ff.unde cognati. cuius uerba uide §.except.6.repl.2. Concordant ea quæ proposita sunt §.cap.2.except.2.distinct.1.*

XII. *Exceptio: Nisi cognatus in potestate parentis sit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt §.cap.5.reg.5.except.1.*

XIII. *Exceptio: Nisi cognatus naturalis filius fuerit, non legitimus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §.cap.1.quæst.1. except.7.cap.3.except.4.cap.5.reg.5.except.8. item §. lib.16.cap.4.quæst.3.*

XIIII. *Exceptio: Nisi cognatus post mortem eius, de cuius hæreditate agitur, sit natus. Hæc exceptio reprobatur l.ult. ff.unde cognati, his uerbis:* Inteſtata reliquit sororem Septiciam diuerso patre natam, & prægnantem matrem ex alio marito. quæro, si mater hæreditatem repudiauerit, dum adhuc prægnans est, posteaq; enixa fuerit Sempronium: an etiam Sempronia bonorum Titiæ possessionem accipere possit? Scæuola respondit, si mater hæreditate excluſa esset, eaq; (ut proponeretur) postea nata esset, accipere posse. *Concordat l.inteſtato.3. §.utique & ex. ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide §.cap.2. except.9. Concordat item l.ult.ff.de uentre in possess.mittendo, his uerbis:* Posthumus natus quocunque tempore (qui tamen testatoris morte conceptus iam erit) potest agnoscere bonorum possessionem. Nam & uentrem Prætor ex omnibus edicti partibus mittit in possessionem bonorum: non missurus scilicet, si ei nato daturus non esset bonorum possessionem. *Planè admittitur exceptio proposita primùm, si uiuo eo, de cuius bonis agitur, nondum fuerit conceptus postea natus. quæ distinctio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Qui tamen, &c. *Concordat l.1.§.si quis proximior. ibi: sed hoc ita. ff. unde cognati. cuius uerba uide §.except.1.replic.12. Concordat l.item prætor.8.in prin. ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide §.cap.2.except.15.* Deinde *admittitur exceptio proposita, si natus sit post decem menses mortis eius, de cuius bonis agitur. quæ distinctio approbatur l.inteſtato.3.§.fin.ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide §.cap.2.except.6.*

XV. *Exceptio: Nisi post mortem matris execto uentre editus sit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.qui mortis. ibi: sed etsi.ff.ad S.C.Tertyll. his uerbis:* Etsi matris execto uentre filius editus sit: magis dicendum est, hunc quoq; ad legitimam hæreditatem admitti. Nam & institutus secundum tabulas, & ab inteſtato Vnde cognati, & multo magis Vnde legitimi bonorũ possessionem petere potuit. Argumento est, quòd uêter in possessionem ex omni parte edicti mittitur. *Concordat l.1.§.si qua. ff.unde cognati, his uerbis:* Si qua prægnans decesserit, & utero execto parrus sit editus: in ea conditione est partus iste, ut matris suæ accipere bonorum possessionem possit Vnde proximi cognati. Sed post senatusconsultum Orphitianum & Vnde legitimi petere poterit: quia tempore mortis in utero fuit.

XVI. *Exceptio: Nisi cognatus post mortem, captiuitatem uel deportationem patris sui natus sit. Hæc exceptio reprobatur l.ult. ff.unde legitimi, hisce uerbis:* Nati post mortem patris, uel post captiuitatem siue deportationem, sed & hi qui eo tempore quo capiebatur uel deportabatur pater, in potestate fuerunt, ius inter se con-

sanguinitatis habent, etsi hęredes patri non extiterint, sicuti exhæredati. *Concordat l.1. §. penult. ff. de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide* §. *cap. prox. reg. 2. except. 5. Concordat item d. l. 1. §. fin. cuius uerba uide* §. *d. reg. 2. except. 6. Item concordat Instit. de legitima adgn. succeß. §. ij etiam, his uerbis:* Ij etiam qui post mortem patris nascuntur, iura consanguinitatis nanciscuntur.

XVII. Exceptio: *Nisi cognatus patri suo non extiterit hæres. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ pro posita sunt* §. *cap. prox. reg. 2. except. 4.*

XVIII. Exceptio: *Nisi cognatus seruus sit, uel in seruitute matris conceptus. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. 1. ff. unde cognatus, hisce uerbis:* Pertinet lex hæc ad cognationes non seruiles: nec enim facilè ulla seruilis uidetur esse cognatio. *Huius exceptionis replicationes uide* §. *capite 1. quæß. 1. except. 1.*

XIX. Exceptio: *Nisi cognatus ex serua muliere natus sit. Hæc exceptio ipso quidem iure, quo & præcedens, subsistit: quoniam ex seruis non nisi serui nascuntur. uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi uel conceptionis, uel natiuitatis, uel medio tempore mater fuerit libera, quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt* §. *cap. 5. reg. 5. except. 9. repl. 1. Item alias replicationes uide* §. *d. except. 9.*

XX. Exceptio: *Nisi pater cognati capite fuerit diminutus. Hæc exceptio reprobatur l. hi quorum. 4. ff. de suis & legitimis hæred. his uerbis:* Hi quorum parens capite minutus est, legitimæ hæreditatis ius & cæteris personis & inter se retinent, & alij aduersus eos. *Huic contradicere uidetur, quod ius antiquum, Instit. de successione cognator. in princ. ibi nam adgnati. cuius uerba uide* §. *except. 6. repl. 5. Cui concordat l. meminimus. 15. §. cum igitur. ibi: sed nec filij. C. de legitimis hæred. cuius uerba uide* §. *d. except. 6. repl. 6.*

XXI. Exceptio: *Nisi pater cognati fuerit deportatus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. post suos. ibi: sed etsi. ff. de suis & legitimis hæred. his uerbis:* Et si pater eorum deportatus fuerit: nihilominus hos inter se consanguineos esse, licet patris sui hæredes non extitissent.

XXII. Exceptio: *Nisi pater cognati operas suas, ut cum bestijs pugnaret, locauit, uel rei capitalis damnatus est. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. qui operas, in fine. ff. ad S. C. Tertyll. cuius uerba uide* §. *except. 9. Hactenus exceptiones aduersus successiones descendentiũ, ascendẽtium & collateralium communes seu generales expositæ sunt, quarum tamen plures uide* §. *cap. 13.*

Replicatio præcedentium exceptionum generalis.

Planè prædictarum exceptionum replicatio generalis hæc est: Nisi ascendentes, descendentes & ex latere adgnati, uel alij qui defuncto succedant, desint. tunc enim cognati, propositis exceptionibus non obstantibus, admittũtur. Hæc replicatio approbatur l. 2. in prin. ff. unde cognati, his uerbis: Hac parte proconsul naturali æquitate motus, omnibus cognatis permittit bonorum possessionem, quos sanguinis ratio uocat ad hæreditatem, licet iure ciuili deficiant. *Concordat l. 1. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* §. *cap. prox. reg. 1. except. 4. repl. 2. Huius replicationis exemplum proponitur Inst. de succeß. cognatorum, in prin. ibi nam adgnati. cuius uerba uide* §. *except. 6. repl. 5. Planè replicatio hæc, quamuis quibusdam exceptionibus hactenus enumeratis utiliter obijci possit: tamen in uniuersum omnibus eam sine dispendio obstare, non est dicendum.*

DE COGNATIS ET AFFINIBUS DIGRESSIO. CAP. VIII.

ANtequam ad reliquas personas, quibus ab intestato hæreditas competit, accedamus: pro declaratione præcedentium definitiones, diuisiones, species & gradus cognatorum hic proponendæ sunt: quibus quædam etiam de adfinibus subijcientur.

I. RATIO *huius tituli seu capitis proponitur l. iurisconsul. 10. in prin. ff. de gradibus, his uerbis:* Iurisconsultus cognatorum gradus & adfinium nosse debet: quia legib. hæreditates & tutelæ ad proximum quenq; adgnatũ redire consueuerunt. Sed & edicto Prætor proximo cuiq; cognato dat bonorum possessionem. Præterea lege Iudiciorum publicorum contra adfines & adgnatos testimonium inuiti dicere non cogimur.

II. DEFINITIO COGNATORUM.

Definitio nominis proponitur l. non facilè. 4. §. 1. ff. d. tt. his uerbis: Cognati ab eo dici putantur, quòd quasi unà communitérue nati, uel ab eodẽ orti progenitiue sint. *Concordat l. 1. §. 1. ff. unde cognati, his uerbis:* Cognati appellati sunt quasi ex uno nati, aut (ut ait Labeo) quasi commune nascendi initium habuerint.

Alia definitio nominis proponitur l. iurisconsultus. 10. §. nomen. ff. de gradibus, his uerbis: Nomen cognationis à Græca uoce *συγγενὸς* dictum uidetur. *συγγενεῖς* enim illi uocant, quos nos Cognatos appellamus.

III. DIVISIONES COGNATORUM.

I. *Diuisio in naturales, ciuiles & communes cognatos, item in adgnatos & cognatos, proponitur l. non facilè. 4. §. cognationis. ff. de gradibus, his uerbis:* Cognationis substantia bifariam apud Romanos intelligitur. Nam quædã cognationes iure ciuili, quædam naturali continentur: nonnunquam & utroq; iure concurrente, & naturali & ciuili, copulatur cognatio. Et quidem naturalis cognatio per se sine ciuili cognatione intelligitur, quę per fœminas descendit, quę nullo liberos pariũt. Ciuilis autem per se (quæ etiam legitima dicitur) sine naturali fit cognatione per adoptionẽ. Vtroq; iure cõsistit cognatio, cùm iustis nuptijs contractis copulatur. Sed naturalis quidem

quidem cognatio hoc ipso nomine appellatur: ciuilis autem, licet ipsa quoque per se plenissimè hoc nomine uocetur, propriè tamen adgnatio uocatur, uidelicet quæ per mares contingit. *Concordat Nouell. c. 118. §. 1. cuius uerba uide* §. *cap. 1. in prin. Sanè definitio & differentia adgnatorum & cognatorum proponitur l. iurisconsultus. 10. §. cognati sunt. ff. de gradibus, his uerbis:* Cognati sunt & quos adgnatos lex XII. Tabul. appellat. Sed hi per patrẽ cognati sunt ex eadem familia. Qui autem per fœminas coniunguntur, cognati tantùm nominantur. Proximiores ex adgnatis, sui dicuntur. Inter adgnatos igitur & cognatos hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam qui est adgnatus, & cognatus est: non utiq; autem qui cognatus est, & adgnatus est. alterũ enim ciuile, alterũ naturale nomen est. *Concordat d. l. 10. §. cognationis, his uerbis:* Cognationis origo & per fœminas solas contingit. Frater enim est, & qui ex eadem matre tantùm natus est. Nam qui eundem patrem habẽt, licet diuersas matres, etiam adgnati sunt. *Concordat item l. inter. 5. in prin. ff. unde legitimi, his uerbis:* Inter adgnatos & cognatos hoc interest, quòd in adgnatis & cognati continentur: in cognatis non utique & adgnati. Verbi gratia, patris frater, id est patruus, & adgnatus est & cognatus: matris autem frater, id est auunculus, cognatus est, adgnatus non est. *Concordat item Inst. de legitima adgnat. tutela. §. 1. cuius uerba uide* §. *lib. 17. cap. 3. quæst. 3. reg. 1. Item concordat Inst. de legitima adgn. succeß. §. 1. item l. 2. §. adgnati. ff. de suis & legitimis hæred. quorum uerba uide* §. *cap. 6. reg. 1. except. 4. repl. 1.*

Mutatio iuris.

Planè iure nouo differentia inter adgnatos & cognatos est sublata, Nouell. c. 118. §. nullam uerò. cuius uerba uide §. *d. except. 4. in fine. Hæc de prima diuisione cognatorum.*

II. *Diuisio, quòd alij superioris sint gradus, alij inferioris, alij ex transuerso, proponitur Instit. de gradib. cognat. in prin. his uerbis:* Hoc loco necessarium est exponere, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonẽdi sumus, cognationẽ aliam suprà numerari, aliam infrà, aliam ex trãsuerso, quæ etiã à latere dicitur. Superior cognatio est parentum, inferior liberorum, ex trãsuerso fratrum sororúmue, & eorum qui qúęue ex his generantur: & conuenienter patrui, amitæ, auunculi, matertere. Et superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit: at ea quæ ex transuerso numeratur, à secundo. Cõcordat *l. 1. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Gradus cognationis alij superioris ordinis sunt, alij inferioris, alij ex transuerso, siue à latere. Superioris ordinis sunt parentes: inferioris, liberi: ex transuerso siue à latere, fratres, & sorores, liberiq; eorum. Sed superior quidẽ & inferior cognatio à primo gradu incipit: ex transuerso uerò siue à latere nullus est primus gradus, & ideo incipit à secundo. Itaq; in primo gradu cognationis superioris quidem & inferioris ordinis cognati possunt concurrere: ex transuerso uerò nunquam eo gradu quisquam concurrere potest. At in secundo, & tertio, & deinceps in cæteris possunt etiam ex trãsuerso quidam concurrere cum superioris ordinis cognatis. Sed admonẽdi sumus, si quando de hæreditate, uel bonorum possessione quæramus, non semper eos qui eiusdem gradus sunt, concurrere. *De hisce uerbis postremis uide* §. *cap. 6. reg. 7. Concordat item propositæ diuisioni l. γέμματα. 9. ff. eod. tt. his uerbis: Στέμματα* cognationum directo limite in duas lineas separantur: quarum altera est superior, altera inferior. Ex superiore autem & secũdo gradu transuersæ lineæ pendent, quas omnes latiore tractatu habito in librum singularem contexuimus. *Hactenus secunda diuisio cognatorum, sumpta ex triplici gradu, proposita est. Hic autem de gradibus quædam sunt notanda, & primùm quidem ratio nominis, quæ proponitur l. iurisconsultus. 10. §. gradus. ff. de gradibus, his uerbis:* Gradus dicti sunt ad similitudinem scalarũ locorúmue procliuium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum qui quasi ex eo nascitur, transeamus. *Deinde quot gradus cognatorum numerentur, definitur l. non facilè. 4. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Non facilè, quod ad nostrum ius attinet, cum de naturali cognatione quæritur, septimum gradum quis excedit: quatenus ultra eum ferè gradum rerum natura cognatorum uitam consistere non patitur. *Tertiò notanda est ratio, qua cognosci possit, quoto quisque gradu alteri sit cognatus: quæ proponitur d. l. 10. §. at quoties, his uerbis:* Quoties quæritur, quoto gradu quæq; persona sit: ab eo incipiendum est, cuius de cognatione quærimus. Et si ex inferioribus aut superioribus gradibus est: recta linea sursum uersum uel deorsum tendendo, facilè inueniemus gradus, si per singulos gradus proximum quemq; numeramus. Nam qui mihi proximo gradu proximus est, is secundo gradu est mihi. Similiter enim accedentibus singulis crescit numerus. Idem faciendum in transuersis gradibus. Sic frater secundo gradu est: quoniam patris uel matris persona, per quos coniungitur, prior numeratur. *Quartò, cum triplices sint gradus cognatorum, ut* §. *dictum est, superioris ordinis, inferioris, & ex transuerso siue à latere: superior cognatio parentum est, inferior liberorum: de quibus proponitur notabile d. l. 10. §. parentes, his uerbis:* Parentes apud Romanos usq; ad tritauum proprio

uocabulo nominantur: ulteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Item liberi usq; ad trinepotẽ: ultra hos posteriores uocantur. *A latere cognationis species proponuntur ibidem, his uerbis*: Sunt & ex lateribus cognati: ut fratres sororesq;, & ex his prognati: item patrui, amitæ, auunculi, & materteræ. *Sed singulæ singulorum generum & graduum species proponentur 7. cap. prox. Hactenus ergo de diuisionib. cognatorum, & singulorum generum descriptione est actum.*

IIII. EXCEPTIONES ADuersus cognationes & adfinitates.

I. *Exceptio: Nisi seruilis sit cognatio. Hæc exceptio approbatur l. iurisconsultus. 10. §. non parcimus. ff. de gradibus, his uerbis*: Non parcimus his cognationũ nominibus etiam in seruis. Itaq; parentes & filios, fratresq; etiam seruorum dicimus. Sed ad leges seruiles cognationes non pertinent. *Concordant ea quæ proposita sunt ẽ. cap. prox. except. 18 & 19.*

II. *Exceptio: Nisi libertinorum sit cognatio uel adfinitas. Hæc exceptio reprobatur l. non facilè. 4. §. libertini. ff. d. tt. his uerbis*: Libertini libertinæque inter se adfines esse possunt.

III. *Exceptio: Nisi ex iniustis nuptijs nati sint. Hæc exceptio approbatur d. l. 4. §. sciendum, his uerbis*: Sciendum est, neq; cognationem neq; adfinitatem esse posse, nisi nuptiæ interdictæ non sint, ex quibus adfinitas coniungitur. *Concordat Inst. de succeß. cognator. §. uulgò quæsitos, cuius uerba uide ẽ. cap. 1. quæst. 1. except. 7.*

IIII. *Exceptio: Nisi per adoptionem sint cognati. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d. l. 4. §. in adoptionẽ, his uerbis*: In ea familia, ad quam per adoptionem uenit, nemo illi cognatus est præter patrem, eósue quibus adgnascitur. Adfinis autem ei omnino in eorum familia nemo est. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi quoad ius adgnationis: adoptatus enim adgnatus fit, nõ cognatus. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Præter patrem, eósue quibus adgnascitur. *Concordant ea quæ proposita sunt ẽ. cap. prox. except. 11.*

V. *Exceptio: Nisi cognatus sit emancipatus, uel alij in adoptionem datus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d. §. in adoptionem, his uerbis*: In adoptionem datus aut emancipatus, quaſcunque cognationes adfinitatesq; habuit, retinet: adgnationis iura perdit. *Concordat l. si filium. 5. ff. eod. tt. his uerbis*: Si filium naturalem emancipauero, & alium adoptauero: non esse eos fratres. Si filio meo mortuo Titium adoptauero, uideri eum defuncti fratrem fuisse, Arrianus ait. *Concordat item Instit. de nuptijs. §. inter eas. ibi: sed si tu. cuius uerba uide ẽ. lib. 14. cap. 3. except. 2. repl. 1. distinct. 4. Huius exceptionis replicatio est, quoad ius cognationis uel adfinitatis: solum enim ius adgnationis, quod tamen hodie sublatum est, non cognationis uel adfinitatis, per emãcipationem tollitur: ut patet ex uerbis ẽ. propositis. Concordat Inst. de legitima adgnat. tutela. §. fin. cuius uerba uide ẽ. lib. 17. cap. 3. quæst. 3. except. gener. 5. Concordat item Inst. de capitis deminutione. §. quod autem. cuius uerba uide ẽ. d. except. 5. repl. 1. Plura de exceptione proposita uide ẽ. cap. prox. except. 6.*

VI. *Exceptio: Nisi cognatus capite sit deminutus. Hæc exceptio approbatur l. non facilè. 4. §. fin. ff. de gradib. cognat. his uerbis*: Is cui aqua & igni interdictum est, aut aliquo modo capite deminutus est, ita ut libertatem & ciuitatem amiserit: cognationes & adfinitates omnes, quas antè habuit, amittit. *Concordat Inst. d. §. quod autem. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi minima sit capitis deminutio. quæ replicatio approbatur d. §. quod autem. Cui concordat Instit. de legitima adgnat. tutela. §. fin. cuius uerba (ut dixi) uide ẽ. lib. 17. cap. 3. quæst. 3. except. gener. 5. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ius adgnationis. nam hoc etiam minima capitis deminutione amittitur. quæ duplicatio approbatur Inst. d. §. fin. Sed plura de exceptione proposita uide ẽ. cap. prox. except. 6. Item plures exceptiones aduersus cognationes & adfinitates uide ẽ. d. cap. prox.*

DE SPECIEBVS ET NOminibus cognatorum secundum septem gradus. Cap. IX.

Propositio huius capitis habetur l. iurisconsultus. 10. §. transeamus. ff. de grad. & adfin. his uerbis: Transeamus nunc, & singulos gradus numeremus.

Primi gradus.

Primi gradus cognati enumerantur Inst. de gradib. cognat. §. primo gradu, his uerbis: Primo gradu est suprà pater, mater: infrà filius, filia. *Concordat ijsdem uerbis l. 1. §. primo gradu. ff. eod. tt. Concordat item d. l. 10. §. primo gradu, his uerbis*: Primo gradu cognationis sunt sursum uersus duo, pater & mater: deorsum uersus duo, filius & filia, qui tamen & plures esse possunt.

Secundi gradus.

Secundi gradus cognati enumerantur Instit. de gradib. cognat. §. secundo, his uerbis: Secundo gradu sunt suprà auus, auia: infrà nepos, neptis: ex transuerso frater, soror. *Concordat ijsdem uerbis l. 1. §. secundo. ff. eod. tt. Item concordat d. l. 10. §. secundo. ff. eod. tt. his uerbis*: Secundo gradu duodecim personæ continentur hæ: Auus, hoc est, patris & matris pater: item auia, similiter tam paterna quàm materna. Frater quoque per utrunq; parentem accipitur, id est, aut per patrem tantùm, aut per matrem, aut per utrunq;, id est, ex utroq; eodem parente. Sed hic numerum non auget, quòd nihil differat ab eo qui eundem parem habet tantùm: nisi quòd is eosdem cognatos tam

tam paternos quàm maternos habet. Et ideo euenire solet in his qui diuersis parentibus nati sunt, ut qui meo fratri frater est, meus cognatus non sit. Pone me fratrẽ habere ex eodem tãtùm patre, fratrem illum habere ex eadem matre: illi inter se fratres sunt, mihi alter cognatus non est. Soror similiter numeratur ut frater. Nepos quoq; dupliciter intelligitur, ex filio uel filia natus. Idem est & in nepte.

Tertij gradus.

Tertij gradus cognati enumerantur Instit. de grad. cognat. §. tertio, his uerbis: Tertio gradu suprà proauus, proauia: infrà pronepos, proneptis: ex transuerso fratris sororisq;, filius, filia, & conuenienter patruus, amita, auunculus, matertera. Patruus est frater patris, qui Græcè πάτρᾰδελφος appellatur. Auunculus est frater matris, qui Græcè μήτρᾰδελφος dicitur: & uterq; promiscuè θεῖος appellatur. Amita est patris soror, quæ Græcè πάτρᾰδελφη appellatur. Matertera uerò matris soror, quæ Græcè μήτρᾰδελφη dicitur, & utraque promiscuè θεῖα appellatur. *Concordat l. 1. §. tertio. ff. de gradibus & adfin. his uerbis*: Tertio gradu sunt suprà proauus, proauia: infrà pronepos, proneptis: ex transuerso fratris sororisq;, filius, filia, & conuenienter patruus, amita, auunculus, matertera. *Concordat item l. iurisconsultus. 10. §. tertio. ff. eod. tt. his uerbis*: Tertio gradu personæ continentur triginta duæ. Proauus, qui quadrifariam intelligitur. Est enim aui paterni aut materni pater: item auiæ paternæ aut maternæ pater. Proauia quoq; quatuor personas complectitur. Est enim aui paterni, aut auiæ paternæ mater: item aui materni, & similiter auiæ maternę mater. Patruus is autem est patris frater: & ipse dupliciter intelligendus est, ex patre uel matre. puta auia paterna mea nupsit patri tuo, peperit te: aut auia paterna tua nupsit patri meo, peperit me. Ego tibi patruus sum, & tu mihi. Idem euenit, si mulieres altera alterius filio nupserint. Nam qui ex his masculi nati sunt, ijs masculi inuicẽ patrui sunt, fœminæ inuicem amitæ. Idem in fœminis. Masculi enim similiter illis patrui, fœminæ amitæ sunt. Et si uir & mulier, ille filiam eius duxerit, illa filio eius nupserit: qui ex patre adolescentis nati erunt, ex matre puellę natos fratris filios, illi eos patruos & amitas appellabunt. Auunculus: is matris est frater, & eadem significatione, qua in patruo diximus, contingit. Si duo uiri alter alterius filiam duxerint, qui ex his masculi nati fuerint, ijs masculi inuicem auunculi, fœminæ inuicẽ materteræ erunt. Et eadem ratione masculi puellis auunculi, illæ illis erunt materteræ. Amita: ea est patris soror, sicut suprà accipienda. Matertera, ea est matris soror, similiter ut suprà. Illud notãdum est, non quemadmodum patris matrisque fratres sorores, patrui, amitæ, auunculi, materteræ dicantur: ita fratris sororisq; filios filias nomen speciale cognationis habere: sed ita demonstrari fratris sororisq; filios filias. Quod quidem & in alijs accidere, ex posterioribus apparebit. Pronepos quoq; & proneptis quadrifariam intelligũtur: aut enim ex nepote ex filio, aut ex nepote ex filia descendunt: aut ex nepte ex filio, aut ex nepte ex filia propagantur.

Quarti gradus.

Quarti gradus cognati enumerantur Inst. de grad. cognat. §. quarto, his uerbis: Quarto gradu suprà abauus, abauia: infrà abnepos, abneptis: ex transuerso, fratris sororisque nepos neptis: & conuenienter patruus magnus, amita magna, id est, aui frater & soror: item auunculus magnus & matertera magna, id est, auiæ frater & soror: consobrinus, consobrina, id est, qui qúæue ex fororibus aut fratribus procreantur. Sed quidam rectè consobrinos eos propriè dici putant, qui ex duabus fororibus progenerantur, quasi cõsororinos: eos uerò qui ex duobus fratrib. progenerantur, propriè fratres patrueles uocari. Si autem ex duobus fratrib. filiæ nascuntur, sorores patrueles appellari: at eos qui ex fratre & sorore progenerãtur, amitinos propriè dici putant. Amitæ tuæ filij consobrinum te appellant, tu illos amitinos. *Concordat l. 1. §. quarto. ff. de grad. & adfinib. his uerbis*: Quarto gradu sunt suprà abauus, abauia: infrà abnepos, abneptis: ex transuerso frattris sororisq; nepos, neptis: & conuenienter patruus magnus, amita magna, id est, aui frater, soror: auũculus magnus, matertera magna, id est, auię frater, soror: item fratres patrueles sororesq; patrueles, id est, qui quæue ex duob. fratribus progenerantur: item consobrini, consobrinæ, id est, qui qúæue ex duabus fororibus nascuntur, quasi consororini: item amitini, amitinæ, id est, qui queúe ex fratre & sorore propagantur. Sed uulgus ferè omnes istos communi appellatione consobrinos uocat. *Concordat item l. iurisconsultus. 10. §. quarto. ff. eod. tt. his uerbis*: Quarto gradu personæ continentur octoginta. Abauus, cuius intellectus in octo personas porrigitur. Est enim proaui paterni aut materni pater, quos singulos duplici modo intelligendos diximus: aut proauiæ paternæ aut maternæ pater, quæ & ipse singulæ dupliciter accipiuntur. Abauia, & hæc octies numeratur. Est enim proaui paterni aut materni, item proauiæ paternæ aut maternæ mater. Patruus magnus, is est frater aui. Sed auus,

auus,item frater,cùm duobus modis intelligantur, quatuor personas id nomen amplectitur,ut si aui paterni uel materni frater, qui uel eodem patre,id est proauo, uel tantùm matre eadem, id est proauia, natus est. Qui autem mihi est patruus magnus, is patri meo uel matri meæ patruus est.

Amita magna: ea est aui soror. Auus autem,item soror(ut suprà diximus) dupliciter intelliguntur: & ideo hic quoque quatuor personas intelligimus. Similiter quæ patri meo uel matri meæ amita est, mihi erit amita magna.

Auunculus magnus: hic est auiæ frater. quatuor personæ huic nomini eadē ratione subiectæ sunt: mihiq́ue is est auunculus magnus,qui patri meo uel matri meæ auunculus est.

Matertera magna:ea est auiæ soror. quatuor modis & hæc ob eandē causam intelligitur: & quæ matri meæ uel patri meo matertera est,mihi matertera magna uocatur.

Eodem gradu sunt & illi qui uocātur fratres patrueles,item sorores patrueles,amitini,amitinæ,consobrini,consobrinæ. Hi autem sunt qui ex fratribus uel sororibus nascuntur: quos quidā ita distinxerunt,ut eos quidē qui ex fratribus nati sunt, fratres patrueles: itē eas quæ ex fratribus natæ sunt, sorores patrueles: ex fratre autem & sorore,amitinos, amitinas: eos uerò & eas qui qúæue ex sororibus nati natæue sunt, consobrinos, consobrinas, quasi consororinos. Sed pleriq; hos omnes consobrinos uocāt, sicuti Trebatius. Sub hac nominū appellatione personæ cadunt sedecim, hæ: patrui filius,item filia bifariam(sicut suprà)numerantur. nam patris mei frater esse potest uel ex eodem patre,uel etiā ex matre sola. amitæ filius,item filia:auunculi filius,item filia: matertere filius,item filia. amita,auunculo, matertera acceptis duplici intellectu, ratio est seruanda secundum patrui nomen.

Fratris sororisq́; nepos ac neptis eodem gradu sunt: & frater,item soror,nepósue & neptis dupliciter accepti continebunt personas sedecim,sic: fratris eodem patre nati nepos ex filio,nepos ex filia: fratris eadem matre, alio patre nati,nepos ex filio, nepos ex filia: fratris eodem patre nati neptis ex filio,neptis ex filia: fratris alio patre eadēq́; matre nati neptis ex filio,neptis ex filia. eáque causa octo personæ efficientur, ut aliæ octo accedant ex sorore natorum nepotes neptesq́;: & similiter numerantur à nobis. Fratris autem mei nepos neptisq́ue me patruum magnum appellant: fratrum sororumq́; meorum nepotes neptesq́ue, item mei,inter se consobrini sunt.

Abnepos, abneptis: hi sunt pronepotis proneptisúe filius filia, nepotis neptisúe nepos neptis,filij filiæúe pronepos proneptis. Personas continebunt sedecim:nepote uel ex filio nato, uel ex filia, nepte uel ex filio nata,uel ex filia,acceptis:ut ad singulas personas gradu descendamus,sic: filius,nepos, pronepos,abnepos: filius,nepos,pronepos, abneptis: filius nepos,proneptis, abnepos: filius,nepos,proneptis,abneptis: filius,neptis,pronepos,abnepos:filius,neptis,pronepos,abneptis:filius,neptis,proneptis,abnepos:filius,neptis,proneptis,abneptis.Similiter hæ personæ numerabuntur præposita filia,& sic fient sedecim.

Quinti gradus.

Quinti gradus cognati enumerantur Inſt.de grad. cognat.§.quinto,his uerbis: Quinto gradu suprà adauus,adauia: infrà adnepos adneptis: ex transuerso fratris sororisq́; pronepos, proneptis: & conuenienter propatruus, proamita, id est, proaui frater & soror: & proauunculus & promatertera, id est, proauiæ frater & soror.Item fratris patruelis,uel sororis patruelis,consobrini & consobrinę,amitini & amitinæ filius,filia:propiùs sobrino,propiùs sobrina.hi sunt patrui magni,amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia. *Concordat l.1.§.fin.cum lege sequente.ff.eod,tt. his uerbis:* Quinto gradu sunt suprà atauus,atauia: infrà adnepos, adneptis: ex transuerso fratris & sororis pronepos,proneptis: & cōuenienter propatruus, proamita,id est,proaui frater & soror: proauunculus,promatertera,id est,proauiæ frater & soror:item fratris patruelis,sororis patruelis filius filia: & similiter cōsobrini consobrinæ, item amitini amitinæ filius filia, propiùs sobrino, propiùs sobrina: isti sunt patrui magni,amitæ magnæ,auunculi magni,materteræ magnę filius filia: hoc est,patris eius,de cuius cognatione quæritur,consobrinus consobrina, siue frater patruelis. *Concordat item l.iurisconsultus.10.§.quinto.ff.eod.tt. his uerbis:* Quinto gradu personæ continentur CLXXXIIII.

Atauus scilicet & atauia. Atauus est abaui uel abauiæ pater, proaui uel proauiæ auus, aui auiæq́; proauus, matris uel patris abauus. Huius appellatio personas complectitur sedecim, enumeratione facta tam per mares quàm per fœminas, ut sic ad singulas perueniamus. Pater, auus, proauus, abauus, atauus: pater, auus, proauus, abauia, atauus: pater, auus, proauia, abauus, atauus: pater, auia, proauus, abauus, atauus: pater, auia, proauus, abauia, atauus: pater,auia, proauia, abauus, atauus: pater, auus, proauia, abauia, atauus: pater, auia, proauia,

proauia, abauia, atauus. Similiter matris persona præposita numeratio fiet.

Atauia totidem personas cōtinet,eadem ratione numeratas,id est,sedecim.

Patruus maior. is est proaui frater,patris uel matris patruus magnus.Sub hoc nomine erunt personæ octo, & sic enumerabuntur:Pater,auus,proauus,abauus,frater proaui: pater,auus,proauus,abauia,frater proaui:pater,auia,proauus,abauus,frater proaui: pater,auia,proauus,abauia, frater proaui. Totidē erunt matris persona & proauo eius præpositis. Ideo autem fratrem proaui enumerantes,antè abauum ponimus,quòd (ut suprà significauimus) non aliter perueniatur ad eum,de quo quæritur,nisi per eos transitum fuerit,ex quibus nascitur.

Auunculus maior. is est proauiæ frater, patris uel matris auunculus magnus. Eadē dinumeratione hic quoque octo personas computabimus: hoc tantùm immutato, ut his frater proauiæ præponatur.

Amita maior. ea est proaui soror, patris uel matris amita magna. Quoad numerum & expositionē p̄sonarū, eadē erūt,immutato hoc,ut,paui soror ad extremū ponatur.

Matertera maior. hæc est soror proauiæ, patris uel matris matertera magna.Numerus personarū idem est,ut in nouissimo ponatur proauiæ soror. Hos omnes à patruo maiore,quos retulimus,quidam appellant ita: propatruus, proauunculus, proamita, promatertera. Quos tamen ego ita nomino, illi contrà fratris uel sororis pronepotem me demonstrant.

Patrui magni filius filia.hi sunt fratris aui filius filia,proaui aut proauiæ nepos neptis ex filio, patris uel matris consobrinus consobrina. Octo personas & hic computabimus, quòd auus & frater (ut iam dictū est) dupliciter accipiuntur. Et ideo patrui magni filius quatuor implet,totidem filia.

Amitæ magnæ filius filia.hi sunt aui sororis filius filia, proaui aut proauiæ nepos neptis ex filia,patris uel matris cōsobrinus cō sobrina. Numerus personarū idē qui suprà.

Auunculi magni filius filia. hi sunt auiæ fratris filius filia, proaui aut proauiæ nepos neptis ex filio, patris uel matris consobrinus consobrina.Numerus idem.

Materteræ magnę filius filia.hi sunt auię sororis filius filia,proaui aut proauię nepos neptis ex filia, patris uel matris consobrinus consobrina.Computatio eadem personarum,quas enumerauimus.

Patrui magni filius ei,de cuius cognatione quæritur,propiùs sobrino uocatur.Nam (ut Masurius ait) eū quis appellat propiùs sobrino, qui est patris matrisúe consobrinus aut consobrina: ab eo consobrini consobrinæúe filius filia nominatur.

Patrui nepos neptis. hi sunt aui paterni uel auiæ paternæ,pnepos,pneptis ex nepote uel ex nepte filio natis,cōsobrini cōsobrinæ filius filia. Personas octo cōtinebūt,quatuor nepos,quatuor neptis:quia & patruus dupliciter accipitur,& nepos uel neptis sub singulis patruorum personis duplicatur.

Amitæ nepos neptis. hi sunt aui paterni uel auiæ paternæ pronepos proneptis ex nepote uel ex nepte filia natis, consobrini consobrinæ filius filia.Numerus idem est.

Auūculi nepos neptis.hi sunt aui materni uel auiæ maternæ pronepos proneptis ex nepote uel ex nepte filio natis. Cętera eadē, quæ in patrui nepote uel nepte diximus.

Materteræ nepos neptis. hi sunt aui materni uel auię maternę pronepos proneptis ex nepote uel ex nepte filia natis.Personarū numerus idē qui suprà.His omnib.quos à patrui nepote proposuimus,is de cuius cognatione quæritur, propiùs sobrino est: nā patris uel matris eorum consobrinus est.

Fratris pronepos proneptis. hi continebunt personas sedecim: fratre dupliciter,& pronepote ac pronepte singulis quadrifariam(ut suprà demonstrauimus)acceptis.

Sororis pronepos proneptis similiter sedecim personas continebunt.

Adnepos,adneptis.hi sunt abnepotis uel abneptis filius filia, pronepotis uel proneptis nepos neptis, nepos uel neptis pronepos uel proneptis,filij uel filię abnepos abneptis. Numerabuntur sub hac appellatione triginta duæ personæ: quia abnepos sedecim habet,& totidem abneptis.

Sexti gradus.

Sexti gradus cognati enumerantur Inſtit. de grad. cogn.§.sexto,his uerbis: Sexto gradu suprà tritauus,tritauia: infrà trinepos, trineptis: ex transuerso fratris sororisq́; abnepos, abneptis: & conueniēter abpatruus,abamita,id est,abaui frater & soror:abauūculus,abmatertera,id est,abauiæ frater & sororitē propatrui,proamitę,proauunculi, promatertere filius,filia:itē propiùs sobrino sobrinæúe filius,filia: item sobrini, sobrinæ, id est, quì qúeúe ex fratribus uel sororib,patruelibus, uel cōsobrinis,uel amitinis progenerantur. *Concordat l.sexto,3.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Sexto gradu sunt suprà,tritauus,tritauia: infrà,trinepos,trineptis: ex transuerso,fratris & sororis abnepos,abneptis.& conueniēter abpatruus,abamita,id est abaui frater & soror: abauūculus,abmatertera,id est abauiæ frater & soror.itē patrui magni,amitę magnæ, auūculi magni,materterę magnæ nepos neptis: item fratris patruelis,sororis patruelis conso-

consobrini,cõsobrinæ,amitini,amitinæ nepos neptis: propatrui,proamitę,proauunculi,promaterteræ filius filia,ité qui ex fratribus patruelibus,aut consobrinis,aut amitinis undiq; propagantur,qui propriè Sobrini uocantur. *Concordat item l.iurisconsultus.10.§. fexto gradu.ff.eod.tt.his uerbis*:Sexto gradu continentur personæ CCCCXLVIII.hæ.

Tritauus. Is autẽ est patris & matris atauus,aui uel auiæ abauus,proaui uel proauię proauus,abaui uel abauiæ auus,ataui uel atauiæ pater:dictus quasi tertius auus. Personas autem cõplectitur trigintaduas.Geminetur enim necesse est,qui numerus in atauo fuit,immutatione per singulas personas propter atauũ iã facta, ut sedecies tritauus intelligatur ataui pater,& toties atauiæ.

Tritauia similiter enumerata faciet personas trigintaduas.

Patruus maximus.Is est abaui frater,atatui & atauiæ filius,patris uel matris patruus maior. Personas cõtinebit sedecim,sic: Pater,auus,proauus,abauus,atauus,frater abaui: pater, auus,,pauus,abauus,atauia, frater abaui: pater,auus, proauia,abauus, atauus, frater abaui:pater,auia,proauus,abauus,atauus,frater abaui:pater,auia,,pauus,abauus, atauia,frater abaui:pater,auia,proauia,abauus,atauus, frater abaui: pater,auus, proauia,abauus,atauia, frater abaui: pater,auia, proauia,abauus,atauia,frater abaui.Totidé erunt matris appellatione præposita.

Auunculus maximus.is est abauię frater, patris uel matris auunculus maior. Et numerus idem,& personarũ expositio eadem quæ suprà: hoc duntaxat immutato,ut pro abaui fratre,abauiæ fratrem ponas.

Amita maxima. ea est abaui soror, patris uel matris amita maior. Cætera ut in patruo maximo: hoc tantùm immutato,ut ubi est abaui frater,ponatur abaui soror.

Matertera maxima. ea est abauiæ soror, patris uel matris matertera maior. Cætera ut suprà, ad extremum duntaxat pro abauiæ fratre pręposita abauiæ sorore.Hos omnes, quos à patruo maximo proposuimus, quidam his nominibus designant: abpatruus, abauunculus, abamita, abmatertera. Itaque & nos indifferenter hos ponemus. Quos autẽ ego appello abpatruos, abauunculos,abamitas, abmatertéras: illi demonstrant me fratris sororisq; abnepotem.

Patrui maioris filius filia. hi sunt proaui fratris filius filia, abaui abauiæ per proauũ nepos neptis ex filio. Personæ sub hoc erũt sedecim,enumeratione sic ducta,ut in quinto gradu,cũ patruum maiorẽ demonstraremus,fecimus,adiecto dũtaxat filio filia: qa filius patrui maioris totidẽ necesse est personas complectatur,quot patruus maior,id est,octo:totidẽq; ex filię persona cõputatis, is numerus efficietur,qué suprà posuimus.

Amitæ maioris filius filia. hi sunt proaui sororis filius filia, abaui abauiæ per proauũ nepos neptis ex filia. Et hic eadem ratione personas denumerabimus totidem.

Auunculi maioris filius filia.Hi sunt proauiæ fratris filius filia,abaui abauię per proauiam nepos neptis ex filio. Eadem hic denumeratio facienda est, quæ in patrui maioris filio filia.

Materterę maioris filius filia.hi sunt proauiæ sororis filius filia,abaui abauię per proauiam nepos neptis ex filia. Circa numerum & personarum expositionem eadem quæ suprà.

Omnes quos proposuimus à patrui maioris filio,auo auiæ eius,de cuius cognatione quæritur,fratribusq; & sororibus utrius eorum, consobrini consobrinæúe sunt: at patri matriq; eiusdem, fratribusq; & sororibus utrius eorum propiùs sobrinis.

Patrui magni nepos uel neptis,amitę magnæ nepos uel neptis, auunculi magni nepos uel neptis, materteræ magnę nepos uel neptis. Hæc simul nomina continent personas LXIIII.Nam cum patrui magni(uerbi gratia) persona quadrifariam intelligatur, nepotis bifariam : geminatur is numerus, nepote duntaxat adnumerato, & quadruplicatur is qui geminatus erat: duplicatur etiã nepte computata. Ac tantùm uniusdenumerationé proponemus exempli gratia. Pater,auus, proauus, frater aui,qui est patruus magnus,filius eius,nepos eiusdem ex filio,item neptis: pater,auus,proauia,frater aui, qui est patruus magnus, filius eius, nepos eiusdem ex filio, item neptis : pater, auus,proauus,frater aui,qui est patruus magnus,filia eius,nepos eiusdem ex filia,item neptis:pater,auus,proauia,frater aui,qui est patruus magnus, filia eius, nepos eiusdem ex filia,item neptis. Totidem & eadem ratione exponuntur,matris nomine antepositio, id est, ut & aui materni fratris nepotes & neptes computemus.

Ité in amita magna, id est,aui sororis nepotes neptesq; enumerabimus. Idemq; in auunculo magno,id est,auię fratris.Eadem ratio materterę magnæ,id est,auiæ sororis. Ex quibus uniuersus numerus completur sexagintaquatuor. Hi omnes proauo aut proauiæ eius, de cuius cognatione quæritur,pronepotes & proneptes: eiusdem auo auiæúe fratris sororisúe nepotes neptésue. Et contrà horum auus auia eidem patruus magnus,amita magna,auunculus magnus, matertera magna: horum autem pater matérue,

frateres; & sorores utrius eorum eidem propiùs sobrinis: ipse his sobrinus est, & inuicem huic illi sobrini.

Patrui pronepos proneptis cõtinent personas octonas, & utriusq; sexus fiunt sedecim,sic:Pater,auus,patruus,filia patrui,nepos eiusdẽ ex filio, pronepos eiusdẽ ex nepote filio nato,ité proneptis:pater auia, patruus, filius patrui, nepos eiusdem ex filio, pronepos ex nepote filio nato, item proneptis: pater, auus,patruus, filia patrui, nepos eiusdẽ ex filia,pronepos ex nepote filia nato,ité proneptis: pater,auia, patruus, filia patrui,nepos eius ex filia,,pnepos ex nepote filia nato,item proneptis: pater,auus, patruus, filius patrui , neptis eiusdem ex filio, pronepos ex nepte filio nata,ité proneptis: pater, auia, patruus,filius patrui,neptis eiusdem ex filio , pronepos ex nepte filio nata, item proneptis:pater,auus,patruus,filia patrui,neptis eiusdem ex filia,pronepos ex nepte filia nata,item proneptis:pater,auia,patruus,filia patrui, neptis eiusdẽ ex filia,pronepos ex nepte filia nata,item proneptis.

Amitæ pronepos proneptis. Totidẽ personas eadem ratione & hi continent, pro patruo tamen amita sumpta.

Auunculi pronepos proneptis. Item pro patruo auunculo posito.

Materteræ pronepos proneptis.Et hic ubi patruus positus est, martertera numerata,eundẽ numerũ personarũ inueniemus. Hi omnes eius,de cuius cognatione quæritur, cõsobrinorum nepotes neptésue sunt.

Fratris sororisq; abnepos abneptis efficiunt personas LXIIII.ut ex suprascriptis apparere potest.

Trinepos,trineptis.hi sunt filij filiæúe ad nepos adneptis, nepotis neptísue abnepos abneptis, pronepotis proneptísue ,pnepos proneptis,abnepotis abneptísue nepos netis,adnepotis adneptísue filius filia.Hæ appellationes demõstrant personas LXIIII. Nam XXXII. trinepos complet, totidem trineptis. A' nepote enim numerus quadruplatus in se efficit triginta duo, ipso nepote duas significante, pronepote quatuor,abnepote octo,adnepote sedecim.His accedunt trinepos trineptis , uni ex adnepote , alteri ex adnepte nati. Per singulos autẽ gradus ideo geminatio fit, quia marib.adijciuntur fœminæ, ex quib.proximus quisq; progignitur,& enumerabuntur sic: Filius,nepos, ,pnepos, abnepos, adnepos, trinepos, item trineptis:filia,nepos,,pnepos, abnepos,adnepos,trinepos,item trineptis.filius,neptis, pronepos , abnepos, adnepos, trinepos, item trineptis : filia, neptis, pronepos, abnepos, adnepos,trinepos,item trineptis. filius,neptis, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos, item trineptis. filius,neptis, proneptis, abnepos, adnepos, trinepos, item trineptis: filia, neptis, proneptis, abneptis, adneptis, trinepos,item trineptis.

Septimi gradus.

Septimi gradus cognati enumerantur l.iurisconsultus.10.§.septimo.ff.de gradib.& adfin.his uerbis: Septimo gradu personę continentur mille uigintiquatuor hæ: Tritaui,itemq; tritauię pater,mater. Personas efficiunt centum uiginti octo. tritaui enim patres tot sunt, quot ipsius tritaui : item eiusdem matres totidẽ, fiunt LXIIII. Idem numerus tritauiæ patris matrisq;.

Ataui,atauię frater soror. hi sunt tritaui filius,filia: abaui, abauię patruus,auunculus, amita, matertera : proaui, proauiæ patruus magnus, auunculus magnus,amita magna, matertera magna : aui auiæq; propatruus, proauunculus , proamita, promatertera. fi-

unt personæ ataui fratris trigintaduæ. Nam sedecim, quas atauus explet, accedant totidem propter fratris duplicem personam necesse est. Nam sedecim fratres ataui ex patre computantur, & sedecim ex matre: similiter ataui sorores trigintaduę fiunt sexaginta quatuor: & totidem atauiæ fratris, item sororis.

Patrui maximi filius filia. hi sunt ataui nepos neptis ex filio, abaui fratris filius filia.

Amitę maximę filius filia. hi sunt atauine pos neptis ex filia, abaui sororis filius filia.

Auunculi maximi filius filia. hi sunt ataui nepos neptis ex filio, abauiæ fratris filius filia.

Materterę maximæ filius filia. hi sunt ataui nepos neptis ex filia, abauiæ sororis filius filia. Hæ omnes personæ, quas à patrui maximi filio enumerauimus, proauo proauiæq; eius, de cuius cognatione quæritur, consobrini sunt: auo auiæq; eiusdem propiùs sobrinis. Singulæ appellationes continent personas senas denas: quia cũ patruus maximus sedecim efficiat, filius eius eandé habet enumerationem, totidemq; filia. Et sic ex omnibus his, quas à patrui maximi filio comprehendimus, ductis per octo sedecies, fiunt centum uigintiocto.

Patrui maioris nepos personas continet sedecim. Est enim abaui abauiæue pronepos: & cum abauus octies numeretur, nepotes bis octies cõputati supradictũ numerũ efficiunt: totidemq; patrui maioris neptis. Auunculi item maioris nepos neptis, eadé ratione personas complebũt trigintaduas. Amitæ maioris nepos neptis, eadé ratione. item materteræ maioris nepos neptis. Et sic ex omnibus colliguntur centum uigintiocto. His personis auus auia eius, de cuius cognatione quęritur, propiùs sobrinis sunt: pater mater sobrinus sobrina: is de cuius cognatione quæritur, sobrino natus est: hic proximo nomine definitur parenti suo sobrinus, ut Trebatius ait. Rationem quoque nominis hãc reddidit, quòd ultimi gradus cognationum sobrinorum sint. Itaq; sobrini filium rectè proximum nomé ab eo ipso huius sobrini filius dicetur. Et ideo eos qui ex sobrinis nati sunt, inter se proximum nomen appellarent: hos enim nullum propriũ habere nomen, quo inter se uocentur.

Patrui magni pronepos proneptis, auunculi magni pronepos proneptis, amitæ magnæ pronepos proneptis, materteræ magnæ pronepos proneptis. Ex his omnibus centũ uigintiocto personæ efficiuntur: quia singulæ appellationes sedecim complent. Nam dũ (exempli gratia) patruus magnus quadrifariam intelligatur: ad singulorũ patruum maiorum personas quadruplicatus pronepos, item proneptis, triginta duas personas reddét: totq; quater numerataę illam, quæ posita est, summam efficiũt. Eorum patres matresq; ei, de cuius cognatione quæritur, sobrini sobrinæq; sunt: ipse uerò ijs de sobrino sobrináue natus.

Patrui abnepos abneptis, auunculi abnepos abneptis, amitæ abnepos abneptis, materteræ abnepos abneptis. Hæc singula uocabula senas denas continent personas. Patrui enim (uerbi gratia) abnepos sic enumerabitur, ut bifariam patruo accepto, quater pronepos, toties proneptis ducatur: & sic ad eorum filios ueniatur sedecies computatos, eadé ratione ad filiam, item ad cæteros: & per hoc ex omnibus efficietur numerus personarũ cétum uigintiocto. Hi sunt ei, de cuius cognatione quæritur, consobrinorũ ꝓnepotes, ꝓneptesq;. His ille, de cuius cognatione quæritur, patrui maximi, auunculi maximi, amitæ maximæ, materterę maximę filius filia: iteré proaui, pauiæ cõsobrinus.

Fratris sororisq; adnepos adneptis. Et hi personas continent centum uigintiocto.

Trinepotis filius, item filia: trineptis filius, ité filia. Hi centũ uigintiocto fiunt, quod cũ trinepos trineptis (ut suprà demonstrauimus) sexaginta quatuor impleant. filius eorũ eadem numeratione, totidemq; filia cõputabitur. *Concordat l. sexto. 3. §. fin. ff. cod. tt. his uerbus*: In septimo gradu quàm multæ possint esse personæ, ex his quæ diximus, satis apparet. Admonendi tamen sumus, parentum liberorumq; personas semper duplari. Auum etenim & auiam tam maternos quàm paternos intelligimus: item nepotes neptesq; tam ex filio, quàm ex filia. Quam rationem scilicet deinceps in omnibus gradibus suprà infraq; sequemur.

Conclusio huius capitis.

Hæc conclusio proponitur Inst. de grad. cogn. §. fin. his uerbis: Hactenus ostendisse sufficiat, quę admodum gradus cognationis numerentur. Nãq; ex his palàm est intelligere, quę admodum ulteriores quoq; gradus numerare debeamus: quippe semper generata persona gradum adijcit, ut lõgè facilius sit respondere quoto quisque gradu sit, quàm propria cognationis appellatione quenquam denotare. Adgnationis quoq; gradus eodem modo numerantur. Sed cũ magis ueritas oculata fide, quàm per aures animis hominum infigatur: ideo necessarium duximus post narrationem graduum, eos etiam præsenti libro inscribi, quatenus possint & auribus & oculorũ inspectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci.

ARBOR



ARBOR COGNATIONIS.

DE ADFINIBVS. Cap. X.

PRopositio huius capitis habetur l.non facilè.4.§. sed quoniam. ff.de gradib.& adfinib. his uerbis: Quoniam quædam inra inter adfines quoq; uersantur, non alienum est hoc loco de adfinibus quoq; breuiter differere.

I. DEFINITIO *adfinium, tam nominis quàm rei, habetur d.l.4.§.adfines, his uerbis*: Adfines sunt uiri & uxoris cognati: dicti ab eo, quòd duę cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulâtur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Nanq; coniungendæ adfinitatis causa fit ex nuptijs.

II. CAVSA *adfinitatis nuptiæ sunt. Quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nanq; cõiungendæ adfinitatis causa fit ex nuptijs.

III. PROPRIA.

I. Regula: *Gradus adfinium nulli sunt. quæ regula approbatur d.l.4.§.gradus, his uerbis*: Gradus adfinitatis nulli sunt.

II. Regula: *Contra adgnatos & adfines testimonium dicere inuitus nemo cogitur. quæ regula approbatur l.iurisconsultus.10.in prin.ff.de grad.& adfinib. cuius uerba uide ẽ.cap.8.quæst.1. Sed plura de hac re uide ẽ.lib.7.cap.de testibus.*

III. Regula: *De matrimonio inter adfines interdicto uide ẽ.lib.14.cap.5.*

IIII. EXCEPTIONES *contra adfines uide ẽ. cap.8.quæst.3.*

V. SPECIES ET NOmina adfinium.

I. Regula: *Species adfinium enumerantur l.non facilè.4.§.nomina uerò. ff.de grad.& adfin. his uerbis*: Nomina adfinium hæc sunt: Socer, socrus, gener, nurus, nouerca, uitricus, priuignus, priuigna.

II. Regula, *De socero, socru, genero, nuru, prosocero, prosocru, progenero, pronuru, proponitur d.l.4.§.gradus, his uerbis*: Pater uiri uxorisq; socer, mater autẽ eorũ socrus appellatur: cum apud Græcos propriè uiri pater *ἑυπρὸς*, mater uerò *ἑυπρὰ*: & uxoris pater *πρυθερὸς*, mater uerò *πρυθερὰ* uocetur. Filij autem uxor nurus, filiæ uerò uir gener appellatur. *Concordat d.l.4.§.potest, his uerbis*: Potest etiam sic definiri socer: Socer dicitur uxoris meæ pater, ego illius sum gener. Socer magnus dicitur uxoris meę auus, ego sum illius progener: & retrò pater meus, uxoris meæ socer est, hæc illius nurus: & auus meus socer magnus est, illa illi pronurus. Item prosocrus mihi uxoris meæ auia est, ego illius sum progener: & retrò mater mea, uxoris meæ socrus est, illa huic nurus: & auia mea, socrus magna est, uxor mea illi pronurus. *Concordat item l.Labeo.6.in prin.ff.eod.tt. his uerbis*: Labeo scribit, neporis ex filia mea nati uxorẽ nurũ mihi esse.

III. Regula, *De sponsi sponsæq; patre & matre: item filij sponsa, filiæq; sponso, proponitur l.Seruius.8.ff.de grad.& adfin. his uerbis*: Seruius rectè dicebat, soceri & socrus, & generi & nurus appellationem etiam ex sponsalibus adquiri. *Concordat l.cum pater.4.ff.ad l.Pomp.de parricid. cuius uerba uide §.lib.4.cap.5.quæst.1. except.1.replic.1. Hisce partim concordat, partim contradicit l.Labeo.6.ff.de grad.& adf. his uerbis*: Generi & nurus appellatione sponsus quoq; & sponsa continentur. At enim soceri & socrus appellatione sponsorũ parentes contineri non uidentur. *Contradicit item inst.de nuptijs.§.si uxor. ibi: nõ constat, his uerbis*: Constat, nec spõsam filij nurum esse, nec patris spõsam nouercam esse.

IIII. Regula, *De uitrico & nouerca, item priuigno & priuigna, proponitur l.non facilè.4.§.uxor liberis.ff.de gradibus & adfinibus, his uerbis*: Vxor liberis ex alia uxore natis nouerca dicitur, matris uir ex alio natis uitricus appellatur: eorum uterq; natos aliunde priuignos priuignasq; uocant. *Concordat d.l.4.§.priuignus, his uerbis*: Priuignus est uxoris meæ filius, ex alio uiro natus: ego illorum uitricus. Et in contrarium, uxor mea liberis, quos ex alia uxore habeo, nouerca dicitur: liberi mei illi priuigni sunt. *Concordat item l.priuignus.7.ff.eod.tt. his uerbis*: Priuignus etiam is est, qui uulgò cõceptus ex ea natus est, quæ postea mihi nupsit. Æquè & is, qui cum in concubinatu erat mater eius, natus est ex ea, quæ postea alij nupta sit. *Planè patris sponsa nouercam dici non potest. inst.de nuptijs.§.si uxor. cuius uerba uide ẽ.reg.prox. in fine.*

V. Regula, *De uiri fratre & sorore, item duorum fratrum uxoribus, proponitur d.l.4.§.uiri frater.ff.de grad.& adfinib. his uerbis*: Viri frater, leuir est, apud Græcos *δαὴρ* appellatus, ut est apud Homerum relatum. Sic enim Helena ad Hectorem dicit:

Δᾶερ ἐμοὶ κυνὸς κακομηχάνου ἐκτετέλεσται. id est:
Leuir mei canis, omnis mali causatricis, horridæ.

Viri soror glos dicitur, apud Græcos *γάλως*: duorum fratrũ uxores dicuntur apud Græcos *εἰνάτερες*, quod uno uersu idem Homerus significat:

Δαέρων, ἠ γαλόων, ἠ εἰνατέρων ὑποπέπλων. id est:
Leuirorum, aut glorium, aut inaterum speciosis peplis.

Hæc de cognatis & adfinibus pro declaratione superiorum sint dicta: nunc ad propositum reuertamur.

DE SVCCESSIONE Mariti & uxoris. Cap. XI.

POst *successionem descendẽtium, ascendentium & collateralium, de reliquorum quoq; successionibus uidendum, & primùm de successione mariti & uxoris defuncti.*

I. AN

I. AN VXOR MARITO, & maritus uxori defunctæ succedat?

Regulariter quidem coniunx coniugi defuncto uel defunctæ ab intestato succedit. quæ regula approbatur instit. de bonorum possess. §. sunt autem. ibi: septimo. item ibi: aliam uerò. cuius uerba uide §.lib.proxim. cap.2.quæstion.4. uerùm eius exceptio prima hæc est: Nisi superstes sint liberi, parentes uel cognati defuncti. Hæc exceptio approbatur l.unica. C.unde uir & uxor, his uerbis: Maritus & uxor ab intestato inuicem sibi in solidum pro antiquo iure succedunt, quoties deficit omnis parentum liberorúmue, seu propinquorum legitima uel naturalis successio, fisco excluso. *Concordat l.constat.3.C.quorũ bonorum, his uerbis*: Constat, uirum à bonis intestatæ uxoris superstibus consanguineis esse extraneum: cum prudentium omnia responsa, & lex ipsa naturæ successores eos faciant. Ergo iubemus, ut omnibus fraustrationibus amputatis, per interdictum Quorum bonorum in petitorem corpora transferantur, secunda actione proprietatis non excluſa. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi superstes coniunx sit inops, defunctus locuples: tunc enim succedit cum liberis defuncti. quæ replicatio approbatur Nouell.c.53.§.quoniam uerò, his uerbis*: Quoniam ad clementiam omnis à nobis aperta est lex, uidemus autẽ quosdam cohærentes mulieribus indotatis, deinde morientes, & filios quidem ex lege uocatos ad paternam hæreditatem, mulieres autem, licet decies milies in statu legitimæ coniugis manserint, attamen eo quòd non sit facta neque dos, neque antenuptialis donatio, nihil habere ualẽtes, sed in nouissima uiuẽtes inopia: propterea sancimus, prouidentiam facere etiam harum in successione morientes, & huiusmodi uxorem cum filijs uocari. Et sicut scripsimus legem uolentem, ut si sine dote existentem uxorẽ uir dimiserit, quartam partem eius substantiæ ea acciperet: sic etiam hic, quoniam contigerit fortè paucos aut plures esse filios, quartam partem eius substantiæ habere mulierem, siue plures, siue filij pauciores fuerint. Sitamen legatum aliquod reliquerit ei uir minus quarta parte, compleri hoc: ut sicut læsas eas iuuamus, si fortè dimissæ fuerint à uiris indoratæ consistentes, ita uel si perdurauerint semper cum eis, eadem fruantur prouidentia: scilicet omnibus secundum instar illius nostræ cõstitutionis, quę quartam eis decernit, etiam hic seruandis, similiter quidem in uiris, similiter autem in mulieribus. communem nanque etiam hanc super eis ponimus legem, sicut etiam præcedentem. *Concordat Nouell.c.117.§.quid uerò prædem. ibi: uxor autem. cuius uerba uide infrà quæst.2. except.1. repl.1. item concordat Nouell.c.74.§.quoniam autem. ibi: & illa siquidem. cuius uerba uide §.libro 14. cap.4. except.6. repl.5.* Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi uel defunctus sit inops, uel superstes locuples sit. quæ duplicatio approbatur *d.c.53.§.hæc itaque, his uerbis*: Hæc dicimus, si coniũctorum alter dotem aut antenuptialem donationem non faciens, inops aut uir aut mulier inueniatur: & moriens quidem aut uir aut mulier locuples sit, ille uerò uel illa superstes pauper existat. Nam si aliunde forsan habeat, non offerẽtem dotem, aut non dantem propter nuptias donationem, non erit iustum grauare filios per successionem. Quoniam alia lex est nostra, dicens, dotem non offerentem non posse res uiri adquirere per antenuptialem donationem. Quod etiam uolumus hic obtinere, nisi tamen ipse uir aut legatum ei, aut aliquam partem institutionis reliquerit. Fieri nanque hoc nullo inuidemus modo, ut omnibus modis cõcordantiæ legum seruentur, & inopia coniugis per alterius saluetur diuitias. *Concordat Nouell.c.117.§.hæc autem dicimus, his uerbis*: Hæc dicimus, si mulier quæ dotem non dedit, laboret ex inopia, & cum maritus defunctus omnium rerum affluenti copia abundauerit, ipsa superstes egeat. Alioqui si fortè illi aliunde suppetat, æquum non fuerit, ut ea quæ dotem non intulerit, successione defuncti gratiuet filios: præsertim cùm alia lex nostra sit, ne mulier quæ dotem non obtulit, per donationem ante nuptias posit uindicare res mariti. Quod quidem & hic obtinere uolumus, præterquam si ipse maritus uel legatum, aut partem institutionis illi reliquerit: fieri enim hoc nullo inuidemus modo, ut per omnia nobis leges consonæ conseruentur. *Altera propositæ replicationis duplicatio est: Nisi non mulier, sed maritus sit superstes, qui inops locupleti uxori succedere desideret. Hæc duplicatio approbatur d.§.hæc autem, in fine, his uerbis*: Maritum inopem, & qui donationem propter nuptias non obtulit, lege nostra capere aliquid ex substantia uxoris omnibus modis prohibemus: nisi prorsus & ipsi coniunx donare aut relinquere aliquid uoluerit. *Altera propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi defunctus coniunx superstiti in testamento uel ab intestato aliquid reliquerit: ad hoc enim relictum capiendum proposita exceptio illi non obest. quæ replicatio approbatur uerbis d.§.hæc autem, ẽ. propositis hisce*: Præterquam si ipse maritus uel legatum, aut partem institutionis illi reliquerit: fieri enim hoc nullo inuidemus modo. Item *uerbis iam propositis hisce*: Nisi prorsus & ipsi coniunx donare aut relinquere aliquid

aliquid uoluerit. *Concordat Nouell.c.53. §.hæc itaque, uerbis paulò §. replic.prox. duplic.1. propositis hisce:* Nisi tamen ipse uir aut legatum, &c. *Tertia replicatio est: Nisi uxor moriatur, relictis filijs uel nepotibus ex marito superstite. hoc enim casu maritus superstes habet usumfructum in bonis, quæ à matre uel auia ad liberos suos peruenerunt: in solidum quidem, si liberi sint in eius potestate: sin autem liberi sint emancipati, non nisi uirilis portionis usumfructum habet. quæ replicatio approbatur l. si uia. 3. C. de bonis maternis, hisce uerbis:* Si uiua mare emancipati sunt filij, & postea decessit mater: quoniam omni commodo destituitur pater, nec retinet usumfructum: uiriles inter filios, siue unus, siue plures sint, ususfructus tribuimus portiones. Sin uerò mulier moriens ex filijs alios emancipatos à patre, alios in patria potestate dimiserit: in hoc casu dispari utetur maritus defunctæ beneficio, quo casu utrique præscripsimus: id est, ut circa eorum quidem portionem, qui adhuc in sacris retinetur, usumfructum ex authoritate legum retineat pater, & præmium delatæ emancipationis, cum uolet, accipiat: in eorum uerò parte, quos exijsse de potestate uiua matre constiterit, usumfructum uirilis inter eos portionis secundum præscripta percipiat. In nepotibus etiam uel neptibus hoc obseruandum esse censemus, ut maritus, qui de uxore mortua non extantibus filijs, cum solis nepotibus uel neptibus ex hac lege ad emolumentum uocandus est, si unus uel una plurésue nepotes ex filio uno uel pluribus, qui in potestate defecerunt, procreati sunt: hoc iure utatur, quod de filijs constitutum est. Nam licet hoc nouum præsens lex constituat in nepotes: non est tamen ab re, ut in hoc casu deteriores esse nepotibus filij non sinantur. Habeat igitur auus ueniens cum nepotibus in potestate durantibus usumfructum bonorum omnium, quæ ex defunctæ auiæ successione delata sunt. Cùm uerò his quoque libertatem emancipatione largitur: similiter ab ipsis, sicut de filijs constitutum est, præmium manumissionis accipiat. Vel si ex pluribus alteros manumittat, alteros retineat: ex parte manumissorum legitimum præmium, ex parte uerò in potestate manentium retineat usumfructũ. Quòd si nepotes sint neptésue, aut ex emancipato filio, aut ex filia procreati, aut ab ipso auia uiuente sacris dimissi: idem auus uirilis cum ipsis portionis habeat usumfructum. Si uerò ex nepotibus neptibúsue tempore, quo in auiæ successionem uocantur, alij in auí potestate, alij sui iuris sint: circa personas quidem eorum, qui in potestate consistunt, & in usufructu consequendo, & in emancipationis præmio conquirendo, ratio suprà dicta seruetur. In his uerò qui suí iuris sunt, facultas capiendi ususfructus uirilis inter eos portionis habeatur. Eadem autem & de pronepotibus sexus utriusque sancimus, manente definitione, quę de singulis sancita est, etsi filij sint pariter ac nepotes. *Hæc de prima exceptione eiusq; replicationibus sint dicta.*

II. *Exceptio: Nisi iniustum fuerit matrimonium. Hæc exceptio approbatur l. unica, in prin. ff. unde uir & uxor, his uerbis:* Vt bonorum possessio peti possit Vnde uir & uxor, iustum esse matrimonium oportet contractum. Cæterùm si iniustum fuerit matrimonium, nequaquam bonorum possessio peti poterit. Quemadmodũ nec ex testamento adiri hęreditas, uel secundum tabulas peti bonorum possessio potest. Nihil enim capi propter iniustum matrimonium potest. *Huius exemplum proponitur l. ancillæ. 9. C. communia de succeß. his uerbis:* Ancillæ dominus liberi hominis, cum quo contubernium hæc habuit, per hanc commistionem successionem uiri dicare non potest. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi quis legitimis liberis non relictis, neque uxore legitima, concubinam reliquerit, & liberos ex ea: hoc enim casu concubina partem eius substantiæ cum liberis succeßionis iure adquirit. quæ replicatio approbatur simul & declaratur per ea quæ proposita sunt §. lib. 16. cap. 4. quæst. 4. reg. 2. except. 2.*

III. *Exceptio: Nisi mortis tempore uxor non sit, sed matrimonium fuerit solutum. Hæc exceptio approbatur l. unica. §. ut autem. ff. unde uir & uxor, his uerbis:* Vt hæc bonorum possessio locum habeat, uxorem esse oportet mortis tempore. *Huius exceptionis replicatio hæc uidetur esse: Nisi iniustum fuerit diuortium. Hæc replicatio reprobatur d. §. ut autem. cuius uerba uide ẽ. except. prox.*

IIII. *Exceptio: Nisi uxor superstes non iure diuerterit à marito defuncto. Hæc exceptio approbatur d. §. ut autem, his uerbis:* Si diuortium quidem secutum sit, ueruntamen iure durat matrimonium: hæc successio locum non habet. Hoc autem in huiusmodi speciebus procedit. Liberta ab inuito patrono diuertit. Lex Iulia de maritandis ordinibus retinet istam in matrimonio, dum eam prohibet alij nubere inuito patrono. Item Iulia lex de adulterijs, nisi certo modo diuortium factum sit, pro infecto habet.

II. IN QVOTAM PARTEM uxor defuncto marito succedit?

Regulariter quidem in solidum succedit, secundum ea quæ proposita sunt §. quæst. prox. in prin. Verùm eius exceptio hæc est: Nisi uxor inops locupleti marito liberis relictis defuncto successerit: tunc enim in quartam hæreditatis partem succedit. quæ exceptio approbatur Nouell. c. 53. §. quoniam uerò. ibi: & sicut scripsimus. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 1. replic. 1. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi quarta pars centum librarum auri quantitatem excesserit: tunc enim id quod excedit, ei non debetur. quæ replicatio approbatur Nouell. c. 117. §. quia uerò. ibi: quæ tamen. cuius uerba uide suprà cap. 2. except. 5. Altera replicatio est: Nisi uxor à marito legatum acceperit: tunc enim legatum hoc in quartam computatur, ita ut eo computato ad id solum quod quartæ parti deest, agi possit. quæ replicatio approbatur d. c. 117. §. præterea, his uerbis: Si legatum aliquod ei maritus relinquat minus præfinita parte, hoc suppleatur. *Concordat d. §. quoniam uerò. ibi: si tamen legatum. Tertia replicatio est: Nisi plures quàm tres liberos defunctus reliquerit: tunc enim uxor superstes non nisi uirilem habet portionem. quæ replicatio approbatur d. c. 117. §. uxor autem, his uerbis:* Vxor ex utroque horum casuum, si quidem usque ad tres filios maritus eius habuerit, siue ex ea, siue ex altero matrimonio, quartam substantiæ mariti partem capiat. Si plures filij sint, tantum capere uxorem iubemus, quantum uni filiorum competit: ita uidelicet, ut in hisce rebus uxor solum usumfructum habeat, dominium uerò illis filijs conseruetur, quos ex eo matrimonio habuit. Si talis mulier filios ex eo non habeat: iubemus, ut res quas ex substantia mariti ad ipsam peruenire per præsentem iusimus legem, etiam iure dominij obtineat. *Quarta replicatio est: Nisi liberos reliquerit defunctus nibi cum superstite uxore cõmunes: tunc enim non nisi usumfructum uxor in dicta parte habet. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Ita uidelicet, ut in hisce rebus uxor, &c.

III. EVENTVS.

Res uxoris mariti creditoribus nõ sunt obligatæ, nisi quatenus marito successerit. quæ regula approbatur d. c. 117. §. si quas uerò. De quare uide ẽ. lib. 36. cap. 6. reg. 4. exemplo 4.

DE RELIQVORVM SVCcessione. CAP. XII.

PRima regula, De adfinibus, proponitur l. adfin. 7. C. communia de successionib. his uerbis: Adfinitatis iure nulla successio permittitur. *Concordat l. uitrico. 3. C. eod. tt. his uerbis:* Vitrico priuigni successionẽ intestatò ciuili uel honorario iure non deberi, certissimum est.

I. *Regula: De patrono defuncti patronicq; liberis uide §. lib. 20. cap. 7. & cap. 8.*

III. *Regula, De nutritoribus, proponitur l. nutritoribus. 10. C. communia de succeß. his uerbis:* Nutritoribus hoc nomine nec ciuili, nec honorario iure defertur hæreditas.

IIII. *Regula, De eo qui ægroti à suis relicti curam gessit, proponitur Nouell. c. 115. §. si quis de prædictis. ibi: quòd si extraneus. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 16. except. 185.*

V. *Regula, De ijs quibus nouo aliquo iure hæreditas defertur, proponitur l. unica. ff. ut ex legibus Senatusue cons. his uerbis:* Prętor ait, Vti me quaque lege senatusue consulto bonorum possessionem dare oportebit, ita dabo. Nunquam bonorum possessio, quæ ex alia parte edicti agnita est, impedit istam bonorum possessionem. Cum ex lege XII. Tabularum quis habet hęreditatem: hinc non petit, sed inde, Tum quem ei hæredem esse oportet. Quippe cum non aliàs hinc competat bonorum possessio, quàm si lex specialiter deferat bonorum possessionem. *Concordat Instit. de bonorum possess. §. septima. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. quæst. 4. Concordat item l. uelut. 3. §. fin. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. quæst. 5. in prin.*

VI. *Regula: De hæredibus hærędum uide §. libro prox. cap. 22. reg. 1.*

VII. *Regula, De fisco. Cæteris hæredibus deficientibus, fisco defertur hæreditas. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §. lib. 11. cap. 2. quæst. 2. causa 7. Concordat regulæ propositæ l. 2. §. fin. ff. ad S. C. Tertyll. cuius uerba uide §. cap. 7. except. 2. replic. 13. Sed & eius exceptio prima hæc est: Nisi nauicularius aliquis nullo hærede relicto decessit. huic enim non fiscus, sed corpus nauiculariorum succedit. quæ exceptio approbatur l. 1. C. de hæred. decurionum, his uerbis:* Si quis nauicularius sine testamento & liberis uel successoribus defunctus sit: hæreditatem eius non ad fiscum, sed ad corpus nauiculariorum, ex quo fatali sorte subtractus est, deferri præcipimus. *Altera exceptio est: Nisi miles sine hærede decesserit: tunc enim non fiscus, sed uexillatio, in qua militauit, succedit. quæ exceptio approbatur l. 2. C. eod. tt. his uerbis:* Vniuersis tam legionibus quàm uexillationibus comitatensibus, seu cuneis insinuare debebis: ut cognoscant, cum aliquis fuerit rebus humanis exemptus, atque intestatus sine legitimo hærede decesserit, ad uexillationem, in qua militauerit, res eius necessariò peruenire. *Concordat l. si quis. 6. §. eius qui, in fine. ff. de iniusto test. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 6. except. 14. repl. 1. Tertia exceptio est: Nisi cohortalis decesserit, nullo hærede relicto. Huic enim non fiscus, sed cohors succedit. quæ exceptio approbatur l. si quis. 3. C. de hæred. decurionũ, his uerbis:* Si quis cohortali cõditione grauatus sine testamento uel quolibet successore ultimum diem obierit: successionem eius non ad fiscum, sed ad cæteros cohortales eiusdem prouinciæ pertinere iubemus. *Quarta exceptio est: Nisi curialis decesserit sine hærede. Hæc exceptio approbatur l. intest. 4. C. d. tt. his uerbis:* Intestatorum curialium bona, si sine hærede moriatur, ordinibus patriæ eorum addi præcipimus. *Quinta exceptio est: Nisi fabricensis aliquis sine hærede decesserit, quæ exceptio approbatur l. ult. C. d. tt. his uerbis:* Si

quis fabricẽsis sine liberis siue legitimo hęrede decesserit,non condito testamento: eius bona, cuiuscunque summæ sint, ad eos pertinere, qui uelut creditores decedẽtium attinentur, qui fisco pro intercepto respondere coguntur. Hoc enim facto contingit, ut reipublicæ ratio salua permaneat: & fabricenses collegarum suorum solatijs perfruantur,qui damnis ac detrimentis retinẽtur obnoxij. *Plures propositæ regulæ exceptiones uide* ℨ. *d.lib.11.cap.2.quæst.1.causa 7.*

VIII. *Regula, De collegio, ex quo decesit quis. Hoc regulariter quidem non succedit defuncto.quæ regula approbatur l.collegium.8.C.de hæred.instit. cuius uerba uide* ℨ. *lib.prox.cap.11.excep.9?. Huius regulæ exceptio hæc est:Nisi collegium speciali priuilegio subnixũ sit. quæ exceptio approbatur d.l.8. cuius species uide* ℨ. *reg.prox.except.1.cũ sequentib. Huius exemplum est in Ecclesia, quæ clericis defunctis succedit. de qua re uide* M.I.P.

IX. *Regula: Si duo, quorum alter alteri,si superuixisset, hæres futurus erat,simul decesserint, ut ignoretur uter prior , uter posterior fuerit mortuus : utrius hæredibus hæreditas deferatur,definitur* ℨ *lib.7.capite 9.reg.13.*

DE EXCEPTIONIBVS præcedentium regularum seu successionum generalibus. Cap. XIII.

HActenus,*quibus ab intestato hæreditas competat , aliquot regulis propositis expositum est: quarũ regularũ exceptiones aliquot generales supersunt,hic ad finẽ propositæ quæstionis subijciẽdæ.*

I. *Exceptio : Nisi ab intestato hæres aduersus defunctum fuerit ingratus. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.22.ℊ.quòd si filius.ibi:ut quod de ingratis.cuius uerba uide* ℨ. *lib.14. cap.5. quæst.3. reg.2. except.2. Declaratur hæc exceptio definitione ingratitudinis,d. c.22.ℊ.at uerò ingratitudinem. cuius uerba uide d.except.2. Huius exceptionis species sunt exceptiones proximè sequentes.*

II Exceptio:*Nisi hæres defunctum capitali iudicio accusauit. Hæc exceptio approbatur d.ℊ.at uerò ingratitudinem.ibi:qui criminalem. Concordat l.qui cũ.14. in prin.ff.de bonis libertorũ. cuius uerba uide* ℨ. *lib.20. cap.7.quæst.2.except.10.repl.5. Contradicit l.cognatis. 6.ff.unde cognati,his uerbis:* Cognatis accusatio nihil obest ad successionem,si accusauerint cognatos suos. *Sed dici potest,hanc legẽ per uerba d.ℊ.at uerò ingratit.mutatam ac sublatam esse.*

III. *Exceptio: Nisi hæres defunctum furiosum nõ curauit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.115.ℊ.si quis de prædictis. cuius uerba uide* ℨ. *lib.prox. cap.16. except.185.*

IIII. *Exceptio : Nisi hæres uitæ defuncti fuerit insidiatus. Hæc exceptio approbatur d.ℊ.at uerò ingratitud.*

V. *Exceptio : Nisi hæres defunctum omnibus bonis exuere fuerit conatus. Hæc exceptio approbatur d.ℊ. at uerò ingratit.*

VI. *Exceptio : Nisi hæres defunctum ab hostibus captum noluit redimere. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.115.ℊ.uerùm hæc quidem.cuius uerba uide* ℨ. *d.except.185. Concordat d.c.115.ℊ.his factorum. cuius uerba uide d.except.185.*

VII. *Exceptio : Nisi hæres defunctum testari prohibuit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.115.ℊ.si de eo. & ℊ.si parentes, cuius uerba uide d.exception.185. Concordant ea quæ proposita sunt* ℨ. *lib.prox. cap.21. except.35.*

VIII. *Exceptio : Nisi ab intestato hæres testamentum defuncti agnouit , & legatum ex eo percepit. Hæc exceptio approbatur l.parentib.8.in fine.C.de inoff.test. cuius uerba uide* ℨ. *lib.prox.cap.17. repl.1. duplic.2. Concordat l.postquam.43.in fine.ff.de petit.hæred. his uerbis:* Imperator Antoninus rescripsit, ei qui legatum ex testamento abstulisset, causa cognita hæreditatis petitionem negandam esse , scilicet si manifesta calumnia sit. *Huius exceptionis replicatio hæc est : Nisi non sit calumnia hæredis manifesta,sed errore interueniente agnouit ex testamento legatum.quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis. cui concordat l.post legatum.5.in prin.ff.de his quæ ut indignis,hisce uerbis* Post legatum acceptũ nõ tantùm licebit falsum arguere testamentũ,sed & testamentũ non iure factum contendere. Inofficiosum autem dicere non permittitur. *Concordat d. l.5.ℊ.de eo uerò, his uerbis:* De eo qui legatum accepit, si neget iure factum esse testamentum,diuus Pius ita rescripsit: Cognati Sophronis,licet ab hærede instituto legata acceperunt, tamen si is eius conditionis fuerit uisus, ut obtinere hæreditatem non possit, & iure intestati ad eos cognatos pertineat: petere hæreditatem ipso iure poterunt. Prohibendi autem sint,an non: ex utriusque persona, conditione, ætate,cognita causa à iudice constituendum erit. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est : Nisi causa cognita iudici aliter uideatur . quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Prohibendi autem sint,&c. *Cui concordat l.postquam.43.in fine. ff.de petit.hæred. cuius uerba uide paulò superius cad. except.in prin. Altera duplicatio est : Nisi legatum quod accepit , non restituat. Hæc duplicatio approbatur simul & dilucidatur d.l.43.in princip. his uerbis:* Postquam legatum à te accepi, hæreditatem peto. Atilicinus quibusdam placuisse ait,non aliter mihi aduersus te dandam petitionem,quàm si legatum redderem. Videamus tamen,ne non aliter petitor hæreditatis legatum restituere debeat , quàm caueatur, si contra eum de hæreditate iudicatum fuerit, reddi ei legatum : cum iniquum sit, eo casu possessorem hæreditatis legatum quod soluerit, retinere: & maximè

nè si non per calumniam , sed per errorem hæreditatem petierit aduersarius.Idq; Lelius probat.

IX. *Exceptio : Nisi hæres hæreticus sit. Hæc exceptio approbatur* ℨ. *lib.10.cap.11.quæst.3.reg.9.*

X. *Exceptio : Nisi mulier hæres à defuncto sit dotata. Hæc exceptio reprobatur l.1.in fine.C.de legitimis hæred.cuius uerba uide* ℨ. *cap.6.reg.2.except.3.*

XI. *Exceptio: Nisi hæres futuræ hæreditati renũciauit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt* ℨ. *cap.7. except.5. Sed plura de hac re* ℨ. *de pactis dicentur.*

XII. *Exceptio : Nisi hæres intra tempus legitimũ hæreditatem non adijt, nec bonorum possessionem petijt. Hæc exceptio approbatur simul & declaratur infra.it.de bonor.possess.ℊ.cũ igitur,his uerbis:* Cum plures species successionũ Prætor induxisset, eosq; per ordinem disposuisset, & in unaquaq; specie successionis sæpe plures extẽt dispari gradu personæ:ne actiones creditorum differrentur,sed haberent quos conuenirent, & ne facilè in possessionem bonorũ defuncti mitterentur, & eo modo sibi consulerent:ideo petendę bonorum possessioni certum tempus præfiniuit. Liberis itaq; & parentibus tam naturalib. quàm adoptiuis in petenda bonorum possessione anni spacium,cęteris autem adgnatis uel cognatis centum dierum dedit. Et si intra hoc tẽpus aliquis bonorum possessionem non petierit, eiusdem gradus personis adcrescit: uel si nullus sit, deinceps cæteris bonorum possessioné perinde ex successorio edicto pollicetur,ac si is qui præcedebat,ex eo numero non esset. *Concordat l.1.in prin.ff.de successorio edicto, his uerbis:* Successorium edictum idcirco propositum est, ne bona hæreditaria uacua sine domino diutius iacerent, & creditoribus longior mora fieret. Bene igitur Prætor putauit præstituere tempus his quibus bonorum possessionem detulit, & dare inter eos successionem : ut maturius possint creditores scire, utrum habeant cũ quo congrediantur, &c. *Concordat item l.quãdiu.68.ℊ.fin.ff.de adquir.hæred. cuius uerba uide* ℨ. *repl.3. Concordat item l.ueluti.4.ibi:aut tempore bonorum.ff.de bonor.possess.cuius uerba uide* ℨ. *lib.prox. cap.24.reg.1. in prin. Concordat item l.emancipata. 4.C.qui ad bonor.possess.admit.cuius uerba uide* ℨ. *lib. prox.cap.22.reg.1.excep.1.repl.1.dupl.1.item l.1.ℊ.quibus ex.ff.de successorio edicto. cuius uerba uide* ℨ. *cap. 7.except.1.repl.6. Concordat item l.2.C.unde legitimi, his uerbis:* Cum propiùs sobrino, id est, consobrina natũ rebus humanis intestatò defunctum proponas : intelligis , sine auxilio bonorum possessionis eius te successionẽ uindicare non posse. *Concordat item l.certum. 5.C.eod.tt.cuius uerba uide* ℨ. *lib.prox.cap.2.reg.1.except.16. Item concordat l.non hoc.4. C.eod.tt. cuius uerba uide* ℨ. *d.reg.1. except.18. Declaratur exceptio proposita definitione temporis legitimi uerbis instit.* ℨ. *propositis hisce:* Liberis itaque & parentibus tam naturalibus quàm adoptiuis in petenda bonorum possessione anni spacium,cęteris autem adgnatis uel cognatis centum dierum dedit. *Concordat item l.2.C.qui ad bonorum possess.admitt.his uerbis:* Si bonorum possessio duntaxat competit proximitatis nomine: habuisti spacium centum dierum utilium, ex quo eum defunctum sciisti,ad bonorum possessionem amplectendam. *Regulariter igitur , nisi hæres intra centum dies agnouerit bonorum possessionem , proposita exceptione repellitur . Cuius exceptionis replicatio prima hæc est : Nisi parentes uel liberi defuncti bonorum possessionem petant. his enim largius tempus tribuitur. quæ replicatio approbatur uerbis instit. paulò superius propositis. Cui concordat l.1.ℊ.largius. ff.de successorio edicto, his uerbis:* Largius tempus parentibus liberisque petendę bonorum possessionis tribuitur in honorem sanguinis: uidelicet quia arctandi non erant, qui penè ad propria bona ueniunt. Ideóque placuit eis præstari annum : scilicet ita moderatè, ut neque ipsi urgerentur ad bonorum possessionis petitionem , neque bona diu iacerent. Sanè nonnunquam urgentibus creditoribus, interrogandi sunt in iure, an sibi bonorum possessionem admittant: ut si repudiare se dicant, sciant creditores quid sibi agendum sit. Si deliberare se adhuc dicant, præcipitandi non sunt. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est : Nisi intra annum non agnouerint uel petierint parentes uel liberi . quæ duplicatio ex iam propositis constat. Sed huius duplicationis triplicationes sunt infrà replicationes sequentes. Altera duplicatio est : Nisi quis à patre suo impuberi filio substitutus , ex hac causa bonorum possessionem petat: huic enim centum dierum præscriptio obstat. quæ duplicatio approbatur d. l.1.ℊ.si quis autem,his uerbis:* Si quis à patre suo impuberi filio sit substitutus : non intra annum , sed intra diem centesimum bonorum possessionem petere poterit. *Tertia duplicatio est : Nisi pater aut filius defuncti non suo, sed serui hæredis instituti nomine bonorum possessionem petat. Hæc duplicatio reprobatur d.l.1.ℊ. non solùm , his uerbis :* Non solùm cùm suo nomine ueniunt liberi parentésque, hoc eis tribuitur : uerùm etiam si seruus eius qui ex liberis parentibúsque est , hæres institutus sit , intra annum competit bonorũ possessio. Persona enim ea meruit, quæ hoc beneficium petat. *Quarta duplicatio est: Nisi contra tabulas bonorum possessionem pater petat. Et hæc duplicatio reprobatur d.ℊ.non solùm, his uerbis:* Sed & si pater emancipati filij bonorum possessionem contra tabulas acci-

pere

pere uelit: annꝰ tempus ei competere conſtat. Et generaliter ait Iulianus, ex omnibus cauſis liberis parentibusq; intra annum bonorum poſſeſsionem competere. *Quinta duplicatio eſt: Niſi filius non ut filius, ſed ut adgnatus, uel tanquam cognatus bonorum poſſeſsionem petierit. Et hæc duplicatio reprobatur l.ſi cohæredi.4.§.filius. ff.quis ordo in bonor.poſſeſs.his uerbis:* Filius non ſolùm ſi tanquam filius, ſed & ſi tanquam adgnatus, uel tanquam cognatus ad bonorum poſſeſsionem uocaretur: annuum ſpacium habet. *Sexta duplicatio uidetur: Niſi pater tanquam manumiſſor filij, bonorum poſſeſsionẽ petat. Hæc duplicatio reprobatur d.l.4.in fine, his uerbis:* Et cum filium manumiſiſſet pater, quamuis ut manumiſſor bonorum poſſeſsionem accipiat: tamen ad bonorum poſſeſsionem accipiendam annuum ſpacium habet. *Hæc de prima propoſitæ exceptionis replicatione ſint dicta. Altera replicatio eſt: Niſi ſcriptus hæres ex eo teſtamento, quod ſubiacet inofficioſi querelæ, bonorum poſſeſs.petat. huic enim præſenti quidem ſex menſium ſpacium, abſenti autem annus ad adeundam hæreditatem præfinitur: proinde centum dierum præſcriptione non repellitur. Hæc replicatio approbatur l. ſcimus.36. §.illud præterea. ibi: ſancimus itaque. C.de inoffic.teſtam.cuius uerba uide ĵ.lib.31.cap.6.quæſt.6. except.1. Tertia replicatio eſt: Niſi nondum delata fuerit hæreditas. Hæc replicatio approbatur l.quamdiu.68. ff. de adquir.hæred. his uerbis:* Quamdiu inſtitutus admitti poteſt, ſubſtituto locus non eſt: nec antè ſuccedere poteſt, quàm excluſo hærede inſtituto. Eueniet igitur, ut neceſſarium ſit remedium Prætoris, & circa denegandas primo actiones, & circa præſtituendum tempus ſubſtituto: quia intra diem primo præſtitutum neque adire hæreditatem poteſt, neque pro hærede gerere. Is autem qui tertio gradu ſcriptus eſt, ſi primo deliberãte ſecundus decedat, ipſe poteſt ſuccedere. Ergo expectamus in ſingulis, ut prius eis deferatur hæreditas: tunc demum, poſteaquam delata eſt, expectamus diem præſtitutum: intra quem niſi aut adeat, aut pro hærede gerat, denegamus ei actiones. *Planè quando dicatur delata hæreditas, & per conſequens dies bonorum poſſeſsionis petendæ currere incipiant, dicetur ĵ.eod.lib.cap.ult. Quarta replicatio eſt: Niſi non potuit petere uel adire de facto uel de iure. Hæc replicatio approbatur inſtit.de bonorum poſſeſs.§.in petenda, his uerbis:* In petenda bonorum poſſeſsione dies utiles ſinguli conſiderantur. *Concordat l.2.in princip.ff.quis ordo in bonorum poſſeſs. his uerbis:* Vtile tempus eſt bonorum poſſeſsionum admittendarum. Ita autem utile tempus eſt, ut ſinguli dies in eo utiles ſint: ſcilicet ut per ſingulos dies & ſcierit & potuerit admittere. Cæterùm quacunque die neſcierit, aut non potuerit: nulla dubitatio eſt, quin dies ei non cedat. Fieri autem poteſt, ut qui initiò ſcierit, uel potuerit bonorum poſſeſsionem admittere, hic incipiat neſcire, uel non poſſe admittere: ſcilicet cum initiò cognouiſſet eum inteſtatum deceſsiſſe, poſtea quaſi certiore nuncio allato, dubitare cœperit, nunquid teſtatus deceſſerit, uel nunquid uiuat, quia hic rumor poſtea repſerat. Idem & in contrarium accipi poteſt, ut qui ignorauit initiò, poſtea ſcire incipiat. *Concordat item l. ſi quis.23.in fine. ff.de hæred.inſtit. cuius uerba uide ĵ. lib.prox. cap.2.in fine. Quinta replicatio eſt: Niſi Prætor poſtulationibus ſe nõ dederit, uel abſens fuerit. Hæc replicatio approbatur d.l.2.§.in bonorum, his uerbis:* In bonorum poſſeſsione, quæ pro tribunali datur, illud quæritur, ſi ſe dedit quidem Prætor pro tribunali, ſed poſtulationibus non dedit? poteſt dici, tempus ad bonorum poſſeſsionem non cedere: cum Præſes alijs rebus aut militaribus, aut cuſtodijs, aut cognitionibus fuerit occupatus. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi bonorum poſſeſsio de pleno peti potuit. Hæc duplicatio approbatur d.l.2.§.dies bonorum, his uerbis:* Dies bonorum poſſeſsionis utiles eſſe palàm eſt, ſed non ſeſsionum numerabuntur, ſi modò ea ſit bonorum poſſeſsio, quæ de plano peti potuit. Quòd ſi ea quæ cauſæ cognitionem pro tribunali deſiderat, uel quæ decretum expoſcit: ſeſsiones erunt nobis computandæ, quibus ſedit is, quibusq; per ipſum Prætorem factum non eſt, quo minus daret bonorum poſſeſsionem. *Altera duplicatio eſt: Niſi in proxima ciuitate Prætor ſe poſtulationibus dedat. Hæc duplicatio approbatur d.l.2.§.ſi præſes, hiſce uerbis:* Si Præſes prouinciæ in proxima fuerit ciuitate: accedere debet ad utilitatẽ temporis ſpacium itineris, ſcilicet numerationẽ uiginti milium paſſuum facta. Nec enim expectare debemus, ut Præſes prouinciæ ueniat ad eum, qui bonorum poſſeſsionem petiturus eſt. *Sexta replicatio eſt: Niſi uenter in poſſeſsione fuerit. Hæc replicatio approbatur d.l.2.§.ſi uenter, his uerbis:* Si uenter in poſſeſsionem miſſus ſit: bonorum poſſeſsionis tempus non cedere ſequentibus, nequaquam ambigendum eſt: nec tantùm intra centeſimum diẽ, uerùm etiam quamdiu naſci poſſit. Nam etſi natus fuerit, antè ei deferri bonorum poſſeſsionem ſciendum eſt. *Septima replicatio eſt: Niſi propter ignorantiam non adierit uel petierit bonorum poſſeſsionem. Hæc replicatio approbatur l.quandiu.5.C.qui ad bonor.poſſeſs.admitt. his uerbis:* Quandiu per facti quæſtionẽ incertum eſt, utrúmne ſecundum tabulas, an ab inteſtato, & ex quo capite poſſeſsio ſit delata: ne tibi tempus agnoſcendę bonorũ poſſeſsionis præfinitũ cedat, ſuperſtitioſam geris

geris ſolicitudinem. *Concordat l.quicunq;.8.C. eod.t.his uerbis:* Quicunq; res ex parentũ uel proximorum ſucceſsione iure ſibi cõpetere cõfidit: ſciat ſibi nõ obeſſe, ſi per ruſticitatẽ, uel ignorãtiam facti, uel abſentiã, uel quamcunq; rationẽ aliam infra præfinitum tempus bonorũ poſſeſsionem minimè petijſſe noſcatur: quoniam hæc ſanctio huius cõſuetudinis neceſsitatẽ mutauit. *Concordat item l. licet.S.C.de iure deliber.l.ult.his uerbis:* Licet in cõtinẽti ſui hęredes ſe paternis nõ miſcuerint bonis: tamen ignorantes delatã ſibi eſſe hæreditatẽ, longi temporis præſcriptione, quo minus hanc rectè uindicent, excludi nõ poſſunt. *Concordat itẽ l.2.in prin.ff.quis ordo in bonor. poſſeſs.cuius uerba uide ĵ.repl.4. Cõcordat itẽ l.ſi plures.9.ff.de bonor.poſſeſs. his uerbis:* Si plures gradus ſint poſſeſsionis admittendæ: quandiu incertum eſt petierit nécne, poſteriori diem non procedere conſtat. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi propter ignorantiam nõ ſcîti, ſed iuris non adijt. quæ duplicatio approbatur l.in bon.10.ff.d.tt.his uerbis:* In bonorũ poſſeſsionibus iuris ignorantia nõ prodeſt, quo minus dies cedat. Et ideo hæredi inſtituto & ante apertas tabulas dies cedit. Satis eſt enim ſcire mortuũ eſſe, ſeq; proximũ cognatũ fuiſſe, copiamq; eorũ, quos cõſulerer, habuiſſe. Scientiam enim nõ hanc accipimus, quæ iuris prudentib. ſit: ſed eam, quã quis aut per ſe habeat, aut conſulendo prudẽtiores adſequi poſsit. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc eſt: Niſi tale ius ſit, quod neq; per ſe, neq; cõſulendo peritiores ſcire potuit. quæ triplicatio approbatur uer bis ità propoſitis hiſce:* Scientiam enim nõ hanc accipimus, &c. *Concordat l.2.§.fin.ff.quis ordo in bonor.poſſeſs.his uerbis:* Scientiam eam obſeruandam Pomponius ait, nõ quę cadit in iuris prudentes: ſed quam quis aut per ſe, aut per alios adſequi potuit, ſcilicet cõſulendo prudentiores, ut diligentiorępatrem familiãs conſulere dignũ ſit. *Altera triplicatio uidetur: Niſi mulier ius ignorauit. Hæc triplicatio reprobatur l.iuris.6.C.qui ad bonor poſſeſs.admitt. his uerbis:* Iuris ignorantiam nec mulieribus prodeſſe, in edicti perpetui curſu de adgnoſcẽda bonorũ poſſeſsione manifeſtũ eſt. *Hæc de prima duplicatione. Secũda duplicatio eſt: Niſi pater ſciuit, filio hærede inſtituto ignorante. Hæc duplicatio reprobatur l.circa.3. ff.quis ordo in bonor.poſſeſs. his uerbis:* Circa tẽpora bonorũ poſſeſsionis patris ſcientia ignoranti filio non nocet. *Planè admittitur duplicatio hæc, ſi pater infantis filij nomine bonorũ poſſeſsionem petere potuit: hic enim ſciẽtia patris nocet filio. quæ diſtinctio approbatur l.ſeruus.7.§.fin.ff.de bonor.poſſeſs.cuius uerba uide ĵ.repl. 13. Tertia duplicatio eſt: Niſi filiofamiliãs hærede inſtituto, pater ignorauit filio ſciente. Hæc duplicatio approbatur l.1.C.qui ad bonor.poſſeſs.admitt. his uerbis:* Bonorum poſſeſsio filiofamiliãs delatã (cũ ignorante quoq; patre poſsit peti) emolumentũ & patri allatura, ſi ratam petitionẽ pater habuit, amittitur tranſacto tempore. *Octaua replicatio: Niſi propter ruſticitatẽ non adierit. Hæc replicatio approbatur l.quicunq;.8.C.qui ad bonor.poſſeſs.admittantur. cuius uerba uide ſ.repl.prox. in prin. Nona replicatio eſt: Niſi propter abſentiam nõ agnouit. Hæc replicatio approbatur d.l.8. Concordat l.Pomponius.85.in prin.ibi: & filiũ qui in atris. ff.de adq.hæred. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.22.reg.1.except.2.repl.7. Concordat itẽ l.ſi quis.23.in fine.ff.de hæred.inſt. cuius uerba uide ĵ.lib.prox.cap.2.in fine. Decima replicatio eſt: Niſi hæres fuit apud hoſtes. Hæc replicatio approbatur l.qui ex liberis.11.§.filius. ibi: et ante ff.de bonor.poſſeſs.ſecund.tabul. cuius uerba uide ſ. lib.prox.cap.11.except.88. Vndecima replicatio eſt: Niſi tabulæ teſtamenti nondũ fuerunt apertæ. Hæc replicatio reprobatur l.in bonorũ.10.ff.de bonor.poſſeſs. cuius uerba uide ſ.repl.7.dupl.1. Duodecima replicatio eſt: Niſi inſtitutus hæres furioſus ſit. Hæc replicatio approbatur l.1.ff.de bonor.poſſeſs.furioſo compet. his uerbis:* Furioſo Titius ſubſtitutus eſt: bonorũ poſſeſsionis tẽpus, quandiu furioſus in eadem cõditione eſt, neq; inſtituto, neq; ſubſtituto cedit. Nec ſi curator furioſi nomine accipere poſſeſsionẽ poteſt, idcirco ſpacium temporis, quod ſcientibus præfinitũ eſt, uidebitur cedere. Nam & pater infanti filio poſſeſsionẽ accipit: quo tamen ceſſante, infans non excluditur. Quid ergo, ſi curator accipere nolit? nónne iuſtius atq; utilius erit, ad eundem modum proximo cuiq; bonorum poſſeſsionem dari, ne bona iaceant? Quo admiſſo, ſubſtitutus cautionẽ præſtare cogitur omnib. his, quibus bona reſtitui debent, ſi fortè inſtitutus in eodem furore deceſſerit, aut compos mentis effectus antè mortem obierit, quàm hęreditatẽ agnoſceret. Nã & fieri poteſt, ut uiuo furioſo ſubſtitutus decedat, nec tamẽ furioſus obſter cæteris, ſi prius & ipſe deceſſerit, quàm hæreditatẽ adquireret. *Concordat l.cũ furioſus.7.§.talis. ibi: ſin aũt in furore. C.de curatore furioſi. cuius uerbæ uide ſ.lib.18. cap.9.quæſt.1.except.15. Decimatertia replicatio: Niſi hæres infans ſit. Hæc replicatio reprobatur uerbis d.l.1.iam propoſitis hiſce:* Nã & pater infanti filio poſſeſsionẽ accipit: quo tamen ceſſante, infans nõ excluditur. *Hæc cõtradicere uidetur l.ſeruus.7.§.fin.ff.de bonor.poſſeſs. his uerbis:* Dies quibus tutor aut pater ſcit, cedere placet. *Decimaquarta replicatio eſt: Niſi ab inteſtato hæres teſtamentũ iniuſtũ dixit, uel falſum accuſauit. Hæc replicatio approbatur l.cum quidã.14.ff.de bonor.poſſeſs.his uerbis:* Cum quidam propinquus falſum teſtamentũ accuſaret, ac poſt longum temporis ſpacium probaſſet: licet dies ei petendæ bonorum poſſeſsionis, quã fortè certus accuſationis petere debuit, ceſſiſſe

cessisse uidetur: attamẽ quia hoc proposito accusationẽ instituit, ut ius suum sibi seruet, agnouisse successionem non immeritò uidebitur. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ob id quòd surdus testator fuerit, testamentum eius impugnauerit. hoc enim casu, nisi intra centesimum diem à morte testatoris computandum ab intestato petierit bonorum possessionẽ, excluditur. quæ duplicatio approbatur l. octaui. 9. §. fratris. ff. unde cognati, his uerbis:* Fratris filius pro parte hæres institutus, cum patruum surdũ fuisse contenderet, atq; ideo testamentum facere non potuisse, & possessionem ut proximus cognatus accepisset: ex die mortis téporis haberi rationẽ placuit: quia uerisimile non uidebatur, tam coniunctum consanguinei defuncti ualetudinem ignorasse. *Decimaquinta replicatio est: Nisi seruus hæres institutus, postquam dies petendæ bonorum possessionis cessit, uenditus fit. Hæc replicatio reprobatur l. cùm filiofam. 5. §. fin. ff. quis ordo in bonor. possess. his uerbis:* Si seruus alienus hæres institutus uenisset: quæritur, an posteriori domino dies bonorũ possessionis petendæ imputari oporteat? Et placet, quantũ priori domino superfuerit, ei imputari. *Decimasexta replicatio est: Nisi cùm filiofamiliàs bonorũ possessio delata esset, is patrem certiorare non potuit: uel pater ob absentiam nõ potuit iubere filium adire. Hæc replicatio approbatur d. l. 5. in prin. his uerbis:* Cùm filiofamiliàs bonorum possessio delata est, dies quibus certiorare patrẽ non potest, ut uel iubeat agnosci bonorum possessionem, uel ratam habeat agnitionẽ bonorum possessionis, non cedunt. Fingamus statim primo die, quo fuerit delata, agnouisse eum bonorum possessionem: certiorare pàtrem, ut comprobet, non posse. non cedent dies centum. Incipient autẽ cedere, cum certior fieri potuerit. Præteritis autem centũ diebus, frustra ratum habebit. Quæri potest, si cum posset filius petere bonorum possessionẽ, patre ita absente, ut certiorare eum nõ possit, uel etiam furente petere neglexerit: an peti amplius non possit? Sed quid noceat, nõ petitam bonorum possessionem: quæ si petita esset, tamen non antè adquireretur, quàm pater cõprobasset? *Concordat l. cum quidam. 30. in prin. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 2. reg. 1. except. 6. repl. 4. Decimaseptima replicatio uidetur: Nisi militis bonorũ possessio ex testamento intra statutum tempus nõ sit petita. Hæc replicatio reprobatur l. in fraudem. 15. §. fin. ff. de militari test. his uerbis:* Bonorum possessionem ultra tempora edicto determinata nec militis posse agnosci, Papinianus lib. XIIII. scribit: quia generalis est ista determinatio. *Decimaoctaua replicatio est: Nisi legitima hæreditas, non honoraria bonorũ possessio petatur: huic enim præscriptio cẽtum dierũ non obstat. quæ replicatio approbatur l. 1. C. de legitimis liberis, hisce uerbis:* Si fratri tuo legitima hæres esse potes: centũ dierum præfinitione nõ excluderis ad adquirendam hæreditatẽ. *Concordat l. si aut. 4. in fine. C. de legitimis hæred. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. quæst. 5. sed & alias leges concordantes uide d. quæst. 5. Decimanona replicatio est: Nisi suus hæres sit defuncto. hic enim proposita præscriptione non excluditur. quæ replicatio approbatur l. in suis. 14. ff. de suis hæred. his uerbis:* In suis hæredib. aditio non est necessaria: quia statim ipso iure hæredes existũt. *Concordat l. in suis. 11. ff. de liberis & posthumis. cuius uerba uide §. cap. 2. in prin. Item cõcordat l. 1. §. qui sunt in potestate. ff. si quis omissa causa test. cuius uerba uide ĩ. lib, 33. cap. 14. except. 11. Concordat item Inst. de hæred. quæ ab intest. §. sui autem, his uerbis:* Sui hæredes fiunt etiam ignorãtes: & licet furiosi sint, hęredes possunt existere: quia quibus ex causis ignorantib. nobis adquiritur, ex his causis & furiosis adquiri potest. Et statim morte parentis quasi cõtinuatur dominium. Et ideo nec tutoris authoritate opus est pupillis, cũ etiam ignorantib. adquiratur suis hęredib. hæreditas: nec curatoris assensu adquiritur furioso, sed ipso iure. *Concordat item l. qui in aliena. 6. §. interdum. ff. de adq. hær. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 3. reg. 2. except. 2. repl. 3. Concordat item l. si fratris. 3. in prin. C. de iure deliberãdi. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 22. reg. 1. except. 1. repl. 1. dupl. 1. Concordat item l. licet. 8. C. eod. tt. cuius uerba uide §. replic. 7. Item cõcordat l. fuum. 13. C. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. except. 14. repl. 1. Item concordat l. cum furiosus. 7. §. sin uerò perpetuò. C. de curatore furiosi. cuius uerba uide §. libro 18. cap. 7. quæst. 1. reg. 1. except. 3. replic. 3. Vicesima, replicatio est:* Nisi municipes uel aliud corpus hæredes sint instituti. *Hæc replicatio uidetur approbari l. bona autẽ. 3. §. an municipib. ff. de bonor. possess. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 2. reg. 1. except. 5. repl. 4. Sed contradicit l. 1. §. fin. ff. de libertis uniuersitatũ. cuius uerba uide §. lib. 20. cap. 7. quæst. 2. except. 8. Vicesimaprima replicatio est:* Nisi ipso die centesimo agnouerit. *Hæc replicatio approbatur l. 1. §. quod dicimus. ff. de successorio edicto, his uerbis:* Quod dicimus, intra dies centum bonorum possessionem peti posse: ita intelligendum est, ut & ipso die centesimo bonorum possessio peti possit: quemadmodum inter calendas etiam ipsæ calendæ sint. Idem est, etsi In diebus centum dicatur. *Vicesimasecunda replicatio est: Nisi alius antea hæredis nomine petijt. Quæ replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi hæres intra centesimum diem petitionem, suo nomine ab alio factam, ratam non habuerit. quæ duplicatio approbatur l. bonorum. 24. ff. ratam rẽ haberi. cuius uerba uide §. lib. 6. cap. 8. quæst. 3. except. 4. repl. 1. Concordat l. cùm filiofam. 5. in prin. ibi: præteritis autem. ff. quis ordo in bonor. possess. cuius uerba uide §. repl. 6. Sed & plures duplicationes uide §. d. replic. 1. Vicesimatertia replicatio est: Nisi hæres partem datea*

tem antea delatam agnouit: hoc enim casu opus nõ habet partem postea adcrescentem, uel alio modo delatam, denuò petere. quæ replicatio approbatur l. si liber homo. 57. §. Titius ex. ff. de hæred. instit. his uerbis: Titius ex semisse hæres esto, Seius ex quadrante hæres esto. Si Titius in Capitolium ascenderit, ex alio quadrante hæres esto. Antequam Capitolium ascendat, si pro hærede gerat, ex semisse: si Capitolium ascendat, ex quadrante hæres erit: nec erit ei necesse pro hęrede gerere, quippe iam hęredi. *Concordat l. 2. §. si duo. ff. de bonorum possess. secund. tabul. cuius uerba uide §. libro prox. cap. 24. reg. 1. except. 7. Vide item ĩ. lib. prox. cap. 3. reg. 2. except. 4. replic. 6. Vicesimaquarta replicatio est: Nisi alia iusta causa impedimento fuerit. Hæc replicatio approbatur l. quicunque. 8. C. qui ad bonor. possess. admitt. cuius uerba uide §. repl. 7. Vicesimaquinta replicatio est: Nisi hæres sub conditione, quæ in ipsius potestate nõ est, sit institutus, eaq; pendeat. hoc enim casu postea exceptione non repellitur, sed interim creditores in bona mittuntur, & bonis curator datur. quæ exceptio approbatur l. si quis. 23. §. item si conditioni. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide ĩ. lib. 30. cap. 2. reg. 8. Hæc de duodecima exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta.*

XIII. Exceptio: *Nisi hæres inutiliter adijt hæreditatem. Hæc exceptio approbatur, eiusq; species proponuntur ĩ. lib. prox. cap. 2.*

XIIII. Exceptio: *Nisi hæres hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio approbatur l. is qui. 13. in prin. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Is qui hæres institutus est, uel cui legitima hæreditas delata est, repudiatione hęreditatem amittit. Hoc ita uerum est, si in ea causa erat hæreditas, ut adiri posset. Cæterùm hæres institutus sub conditione, si ante conditionem existentem repudiauit: nihil egit, qualis qualis fuit conditio, etsi in arbitrium collata est. *Concordat l. 1. §. qui semel. ff. de successorio edicto. cuius uerba uide §. cap. 7. except. 1. repl. 6. dupl. 1. Concordat d. l. 1. §. quibus. cuius uerba uide d. replic. 6. in prin. Item concordat l. si cohæredi. 4. in prin. ff. quis ordo in bonor. possess. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 24. reg. 1. in prin. Item concordat Instit. de hæred. qual. & differ. §. penult. his uerbis:* Sicut nuda uoluntate extraneus hæres fit, ita contraria destinatione statim ab hæreditate repellitur. *Concordat item l. scimus. 22. §. cum igitur. ibi: similiq;. C. de iure deliberandi. cuius uerba uide ĩ. libro prox. cap. 1. quæst. 6. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ex una parte edicti repudiauit, ex alia admittere uelit hæreditatem: uel institutione repudiata, adierit ex substitutione. huic enim proposita exceptio non obstat. quæ replicatio approbatur l. nec is. 17. §. hæres. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Hæres institutus, idéq; legitimus, si quasi institutus repudiauerit: quasi legitimus non amittit hæreditatem. *Concordat l. 1. §. sed uidendum. ff. de successorio edicto, his uerbis:* Videndum est, an inter cæteros ipse quoque qui excluſus est, admittatur: utputa, filius est in potestate: delata est ei bonorum possessio ex prima parte, unde liberis defertur: excluſus est tempore aut repudiatione: nunc cæteris defertur. Sed utrum ipse sibi succedat ex hac successoria parte? Et magis est ut succedat, & Vnde legitimi possit petere, & post hos suo ordine ex illa parte, unde proximi cognati uocantur. Et hoc iure utimur, ut admittantur. Poterit igitur ex sequenti parte succedere ipse sibi. itémque hoc dici poterit & in secundum tabulas bonorum possessione, ut si secundum tabulas non petierit bonorum possessionẽ is qui potuit & ab intestato succedere, ipse sibi succedat. *Concordat ite l. 2. §. si mater. ibi: sed si mater. ff. ad S. C. Tertyll. cuius uerba uide §. cap. 7. except. 1. repl. 9. Concordat item l. quoties. 91. ff. de reg. iuris, hisce uerbis:* Quoties duplici iure defertur alicui successio: repudiato nouo iure quod antè defertur, supererit uetus. *Concordat item l. fuum. 13. C. de iure deliberandi, his uerbis:* Suum hæredem omissa bonorũ possessione paternam successionem obtinere potuisse, certi iuris est. *Cõcordat item l. filius. 41. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Filius qui sẽ paterna hæreditate abstinuit, si exhæredati fratris hæreditati se immiscuerit, & pro hærede gesserit: poterit ex substitutione hæreditatem obtinere. *Concordat item l. 2. in prin. ff. unde legitimi. cuius uerba uide §. cap. 6. reg. 1. except. 1. repl. 2. dupl. 1. Concordat item l. si tu. 75. §. fin. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 3. reg. 2. except. 4. repl. 6. distinct. 2. Huius replicationis duplicatio prima hæc est:* Nisi contra tabulas bonorũ possessionẽ omittens, *ab intestato succedere uelit. huic enim replicatio proposita nõ prodest. quæ duplicatio approbatur l. 2. ff. si testa. tab. nullæ extab. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 15. except. 176. 1 epl. 18. Altera duplicatio est:* Nisi legitimam hæreditatẽ repudiet is, qui posted ex testamento uult hæres esse. *quæ duplicatio approbatur simul et distinguitur l. nec is. 17. §. hæres. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Hæres institutus, idéq; legitimus, si quasi institutus repudiauerit: quasi legitimus nõ amittit hæreditatẽ. Sed si quasi legitimus repudiauit: si quidem scit se hęredẽ institutum, credendũ est utrunq; repudiasse. Si ignorat: ad neutrũ ei repudiatio nocebit, neq; ad testamentariam, quoniam hanc non repudiauit: neq; ad legitimam, quoniam nondum ei fuerat delata. *Tertia duplicatio est:* Nisi simul ex utraque uel omni parte repudiet. *quæ duplicatio approbatur l. illud. 76. ff. eod. tt. his uerbis:* Illud dubitari potest, si cùm testamento hæres institutus essem ab eo, qui etiamsi intestatus decessisset, legitima hęreditas eius ad me pertineret: an simul utranq; hæreditatẽ repudiare possim? quod magis est: quoniam antequam testamento hæreditatem

repudiauerim,legitima nondum ad me pertinet. Vnde eodem momento intelligor & ex testamẽto & legitimam repudiare: sicut si legitimam uelim ad me pertinere, cũ sciam testamento mihi relictam:uidebor antè repudiare testamentum,& ita legitimã adquisiisse. *Quarta duplicatio est: Nisi is qui suam portionem repudiauit,adcrescentem postea portionem uelit agnoscere.quæ duplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §. lib.prox.cap.24.reg.1.in prin.* Hæc *de prima replicatione eiusq; duplicationibus sint dicta. Altera replicatio est: Nisi error uel ignorantia repudiantis interuenerit.* Hæc *replicatio approbatur l.in repud.23.ff.de adq.hæred.his uerbis:* In repudianda hæreditate uel legato certus esse debet de suo iure is qui repudiat. *Concordat l.is qui. 15.cum lege sequente.ff.eod.tt.his uerbis:* Is qui putat se necessarium,cum sit uoluntarius,non poterit repudiare. Nam plus est in opinione,quàm in ueritate. Et è contrario, qui se putat necessarium, uoluntarius existere nõ potest. *Concordat item l.is qui.13. §.si quis dubitet. ff.eod.tt.his uerbis:* Si quis dubitet,uiuat testator nécne, repudiando nihil agit. *Concordat item l.nec 11.17.in princ.ff.eod.tt. his uerbis:* Nec is qui non ualere testamentum,aut falsum esse putat,repudiare potest. Sed si certum sit, falsum non esse quod falsum dicitur: sicut adeundo adquirit, ita & repudiando amittit hæreditatem. *Tertia replicatio est: Nisi alius quàm hæres repudiauerit.* Hæc *replicatio approbatur l.1.§.unusquisq. ff.de successorio edicto, his uerbis:* Vnusquisq; suam bonorum possessionẽ repudiare potest, alienam non potest. Proinde procurator meus sine mea uolũtate meam bonorum possessionem repudiare non potest. *Concordat l.tutor.8. ff.de bonor.possess.his uerbis:* Tutor bonorum possessionem pupillo competentem repudiare nõ potest: quia tutori petere permissum est, non etiam repudiare. *Concordat d.l.1.§.tutor,his uerbis:* Tutor impuberis an possit repudiare bonorũ possessionem, uideamus? & magis est, ne possit. Sed ille ex authoritate tutoris repudiare potest. *Concordat d.l.1.§.furiosi, his uerbis:* Furiosi curator nequaquã poterit repudiare:quia necdum delata est. *Concordat item l.is qui.12.§.fin.cum lege sequente.ff.de adq.hæred.his uerbis:* Neq; filiusfamiliâs repudiando sine patre,neq; pater sine filio alteri nocet:utrique autem possunt repudiare. Idem est,etiamsi legitima hæreditas filijs obuenit. *Concordat item l.cũ non solùm.8.§.sancimus. C.de bonis quæ liberis.cuius uerba uide §. lib.prox. cap.22.reg.2.except.3. repl.1. Concordat item d.l.8.§.fin uerò pater, his uerbis:* Si pater quidem hæreditatem repudiauerit infante filio constituto,ipse autem filius postea uel adhuc in sacris cõstitutus, uel patria potestate,&c. *Concordat item l.renitente,*

11.C.de iure deliberandi, his uerbis: Renitente te pater tuus, in cuius fuisti potestate, neque spem delatæ tibi legitimæ quærendæ successionis absumere,neq; hæreditarios manumittendo seruos ijs præstare libertatem potuit.*Concordat item l.2.C.de repud.bonor.possess. his uerbis:* Filio delatam bonorum possessionem,patri ad fraudem filij repudiare non licet. *Huius replicationis duplicatio hæc est:Nisi dominus seruo hærede instituto,* hæreditatem repudiauerit. *Hæc duplicatio approbatur l.1.§.per seruum.ff. de successorio edicto,his uerbis:* Per seruum delatam bonorum possessionem dominus repudiare potest. *Quarta replicatio est:Nisi is* hæreditatem repudiauerit,*qui eam adire et adquirere nõ potuit. Hæc replicatio approbatur l.nolle.4.ff.de adq. hæred.his uerbis:* Nolle adire hæreditatem nõ uidetur,qui nõ potest adire. *Concordat l.is potest.18. ff.eod.tt. his uerbis:* Is potest repudiare, qui & adquirere potest.*Qui aũt non possint adire hæreditatem,uide §.lib.prox.cap.2. sed & eius species est §.repl.prox. Quinta replicatio est: Nisi impubes hæreditatem sibi delatam repudiauerit. Hæc replicatio approbatur l.pupill.5. C.de repud.hæred. his uerbis:* Pupillorum repudiatio delatæ hæreditatis sine tutore authore facta, nihil eis nocet. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi tutore authore impubes repudiauerit. quæ duplicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Sine tutore authore facta. *Concordat l.1.§.tutor,in fine.ff.de successorio edicto. cuius uerba uide §.repl.3. Sexta replicatio est:* Nisi *suus hæres hæreditatem repudiauerit. Hæc replicatio approbatur l.si quis.8.ff.de iure deliberandi,his uerbis:* Si quis suus hæres,postea quam se abstinuerit, tunc petat tempus ad deliberandum:uideamus,an impetrare debeat? magisq; est, ut ex causa debeat impetrare, cum nondum bona uenierint. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est:Nisi res hæreditariæ sint alienatæ. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Cum nondum bona uenierint. *Concordat l.si quis.6.in prin.C.de repudiand hæreditate, his uerbis:* Si quis suus recusauerit paternam hæreditatem, deinde maluerit eam adire: cum fuerat indistinctè ei remissum, donec res paternæ in eodem statu permanent,hoc facere,& post multum tempus licebat ei ad eandem hæreditatem redire:hoc corrigẽtes,sancimus,si quidem res iam uenditæ sunt,ut nullus aditus ei ad hereditatem reseruetur. Quod & antiquitas obseruabat. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi suo hærede in minore ætate constituto, res hæreditariæ uenditæ sint:tunc enim per in integrũ restitutionem impetrat ut adire possit. quæ triplicatio approbatur d.l.6.§.fin. his uerbis:* Nisi fortè adhuc eo in minore ætate cõstituto res uenditæ sunt: tunc etenim per in integrum restitutionem non denegatur si adire hæreditatem,& res recupe-

recuperare,& creditoribus paternis satisfacere. *Altera duplicatio est:Nisi intra triennũ,postquam repudiauit, non mutauerit uoluntatem. quæ duplicatio approbatur d.l.6.§.1.his uerbis:* Sin autem res alienatæ non sunt, siquidem maior annis constitutus est,& tempora restitutionis nulla ei superfuerint:intra trium annorum spatium tantummodò huiusmodi ei detur licentia. *Huius duplicationis triplicatio hæc est:Nisi minor uigintiquinq; annis fuerit,cùm repudiaret,uel ea utili quadriennio constitutus:tũc enim ab eo tempore,quo maior factus est,septem habet annos ad mutandam sententiam. quæ triplicatio approbatur d.l.6.§.sin autem uel minor,his uerbis:* Sin autem uel minor est,uel in utili tempore constitutus:tũc post implerum quadriennũ (quod spacium pro utili anno,qui restitutionibus dabatur,præfinitum est) aliud triennium ei indulgeri,intra quod potest, rebus in suo statu manentibus , adire hæreditatem, & suam abdicationem reuocare. Quo tempore transacto, nullus aditus penitùs ad paternam hæreditatem ei reseruetur. *Tertia duplicatio est: Nisi suus hæres adijsset hæreditatem, postea transigendi animo eam rursùs omiserit. Hæc duplicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius triplicatio hæc est: Nisi transacto nullo dato uel retento seu promisso sit facta. quæ triplicatio approbatur l.suus.3.C.de repud.hæred. cuius uerba uide §.lib.9.cap.5.except.9. Septima replicatio est: Nisi filius matris hæreditatem repudiauit, & antequam adgnatus eam adiret, mutauerit uoluntatem. Hæc replicatio approbatur l.filij.6.§.filius.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Filius,qui se nolle adire hæreditatem matris dixit:an possit mutata uoluntate adire, antequam consanguineus uel adgnatus adieric,uidẽdum propter hæc uerba,Si nemo filiorum uoluet hæreditatem suscipere: quia extensiua sunt: & cum uerba extensiua sunt,pœnitentia eius usquè ad annum admittenda est,cum & ipsa filij bonorum possessio annalis sit. *Octaua replicatio est: Nisi filius naturalis curiæ oblatus,paternam repudiauerit hæreditatem. Hæc replicatio approbatur l. quoniam.4.C.de naturalib.liberis,hisce uerbis:* Quoniam desideria morientium ex arbitrio uiuentium non sine iusta ratione colligimus: & is qui filium naturalem habens, hortantibus legibus ultrò instar legitimi filij municipalibus eũ uoluit aggregare muneribus, & donare patriæ principalem:manifestauit, notumq; fecit,sine dubio professione certissima, facultatum suarum omnium elegisse affectione debita successorẽ. Certè enim huiusmodi personis adeò sacratissima constitutione subuentum sit,ut ne renunciandi eis, aut alienandi, uel repudiandi paternas hæreditates aut donationes in fraudem curiæ concedatur facultas: sed muneribus patriæ susceptis, patrimonia subire cogantur: nullam è diuerso calumniantium uocẽ penitùs patiemur admitti, sed ipsum Philocalum, & paternorum bonorum omnium ab intestato hęredem,& nostræ ciuitatis curiæ principalem iniuncta uel iniungẽda sibi munera subire,ex eoq; genitos uel nascendos filios similiter paternæ conditioni subiacere præcipimus. Et huiusmodi formam in omnibus causis,quæ similiter in ciuiscũque ciuitatis ordine curiaq; contigerint, in posterum decernimus obseruari. *Nona replicatio est: Nisi dolo alterius hæredis persuasus,hæreditatem omiserit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit,uerùm eius duplicatio hæc est:Nisi alius exceptione propositá utatur; quàm is cuius dolo hæreditatem omisit.quæ duplicatio approbatur l.apud Celsum.4.§. si cùm legitima. ff. de doli mali except. his uerbis:* Si cùm legitima hęreditas Caij Seij ad te pertineret, & ego essem hæres institutus, persuaseris mihi per dolum malum, ne adeam hæreditatem:& posteaquam ego repudiauerim hæreditatem, tu eam Sempronio cessoris precio accepto, isq; à me petat hęreditatem : exceptionem doli mali eitis, qui ei cessit, non potest pati. *Decima replicatio est: Nisi nondum delatam sibi hæreditatem repudiauerit. Hæc replicatio approbatur l.qui superstitis.92.ff.de adquir.hæred.his uerbis:* Qui superstitis bona repudiat, post mortem eius adire hæreditatẽ, item bonorum possessionẽ petere non prohibetur. *Concordat l.nec is.17.§.fin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except.ead.repl.1.dupl.2. Concordat itẽ l.in plurium.69.ff.eod.tt.his uerbis:* In plurium hęredum gradibus hoc seruandum est,ut si testamentum proferatur, priùs à scriptis incipiatur: deinde transitus fiat ad eos,ad quos legitima hæreditas pertinet: etiamsi idem sit,ad quem utroque modo pertineat.Nam hoc gradatim consequitur,ut prius ex testamento delatam,deinde legitimam repudiet. Idem iuris est in bonorũ possessione, ut prius scriptus repellat bonorum possessionem, deinde is qui ab intestato petere potest. Si uerò ei ad quem legitima hæreditas potest pertinere,conditio data sit: nihil constituere potest de legitima, antequam dies constitutionis transeat. Et ideo dicendum est,& in eo casu,si respondit neutram hæreditatem ad se uelle pertinere: bona defuncti à creditoribus possidenda. *Concordat item ea quæ habentur §.cap.7.except.5. Huius replicationis exemplum etiam est, si hæres institutus ante conditionem institutionis existentem repudiet: hoc enim casu nihil agit; ut ex uerbis iam propositis constat hisce:* Si uerò ei ad quem legitima,&c. *Cui concordat l.is qui.13.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.ead. except.in prin. Item exemplum est,si substitutus repudiet, instituto hærede adhuc deliberante. quod exemplum proponitur d.l.13.§.substitutus,his uerbis:* Substitu-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

sed unum eundémque ordinem in omnibus nepotibus & proneporibus constituimus, non reputantes in hoc casu fœminam masculo deteriorem. Neque enim masculus ipse per se, neque fœmina sola ad procreationem liberorum sufficit. sed quemadmodum utrunq; Deus ad generationis ministerium coniunxit, ita & nos eandem utrique æqualitatem conseruemus. Sed neque hac tantùm fini legem statuimus. Eadem enim dicimus in illis quoque filijs, qui ex legitimis procreati sunt nuptijs: tametsi dotes nuptias consecutæ non sunt, sed sola inter contrahentes indubitata, & manifesta intercesit affectio, quæ filijs dedit, ut ius suorum obtineant. Nam dotem quidem ad effectum deducunt nuptiæ, nuptias uerò cõstituunt non dotes, sed mutua cohabitantium affectio. Eadem hæc obtineant etiam in ijs, qui constituta postmodum dote ex posteriore affectione secundum nostras cõstitutiones nati sunt legitimi. Et ita se habeat lex in prole legitima. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione, eiusq; distinctione sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi cognati ex duobus uel pluribus fratribus aut sororibus nati, defuncto succedant. hoc enim casu non in capita, sed in stirpes diuisio uidetur facienda. Hæc exceptio reprobatur Instit. de legitima adgnat. succeß. §. hoc etiam addendum, in fine. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 6. reg. 4. except. 4. Concordat l. 2. §. hæc hæreditas. ff. de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 7. except. 1.* Cõcordat itẽ *l. lege. 14. §. fin. ibi illo proculdubio. C. de legitimis hæred. cuius uerba uide* ẽ. *d. except. 4. Concordat item l. meminimus. 15. §. cum autem tertio. ibi illo etiam obser. C. eod. tt. cuius uerba uide* ẽ. *d. except. 4.* Planè *admittitur exceptio proposita in solis nepotibus & alijs descendentibus, parentum suorum hæreditatem sibi uindicãtibus: inter hos enim hæreditas in stirpes, non in capita diuidetur. quæ distinctio approbatur Instit. de hæred. quæ ab intest. §. eum filius, in fine, his uerbis:* Si ex duobus filijs nepotes neptésue existant, ex altero unus fortè aut duo, ex altero tres aut quatuor: ad unum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres uel ad quatuor altera dimidia. *Concordat Instit. eod. tt. §. fin. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 2. except. 14. Concordat item l. 2. C. de legitimis liberis, hisce uerbis:* Nepotes ex diuersis filijs uarij numeri auo succedentes ab intestato, non uirilibus portionibus, sed ex stirpibus succedunt. *Tertia exceptio est: Nisi ascendentes plures eiusdem gradus succedant, quorum alij paterni, alij materni generis sunt. hoc enim casu non in capita fit diuisio: sed paterni quidem generis ascendentes dimidiam, materni autem alteram dimidiam accipiunt, uel plures, uel pauciores. quæ exceptio approbatur Nouell. c. 118. §. si cundem. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 5. reg. 5. except. 14. in fine. Quarta exceptio est: Nisi pater & mater, item fratres & sorores defuncti simul succedant. hoc enim casu pater & mater usumfructus bonorum semissem habent: reliquum fratres & sorores. quæ exceptio approbatur l. si quis. 7. §. sin autẽ defuncta. C. ad S. C. Tertyll. cuius uerba uide* ẽ. *d. except. 14. Huic quodammodò contradicit l. de emancipatis. 13. C. de legitimis hæred. de qua re uide* ẽ. *d. except. 14. ubi etiam huius exceptionis replicationes uide & mutationem. Quinta exceptio est: Nisi mater & sorores defuncti simul succedant. tunc enim mater dimidiam, & sorores, quotcunq; tandem sint, reliquam dimidiam habebunt. quæ exceptio approbatur l. si quis. 7. in prin. C. ad S. C. Tertyll. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 5. reg. 5. except. 16. in fine.* Planè *tollitur exceptio hæc iure nouo. de quo uide d. except. 16. in fine. Sexta exceptio est: Nisi uxor defuncto cum liberis succedat. tunc enim uxor non nisi quartam habet partem. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur* ẽ. *cap. 11. quæst. 2. Septima exceptio uidetur esse: Nisi unus cohæredum apud hostes sit, uel nondum natus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. si ex tribus. ff. de bonor. possess. contra tabulas his uerbis:* Si ex tribus filijs unus ab hostibus captus sit, duobus qui sunt in ciuitate, bessis bonorum possessio competit. Idem esto in posthumo. Nam quamdiu posthumus sperabitur, in ea causa est, ut partem faciat.

V. Regula: Si hæres cohæredem uentrem habeat, quãtum ei debeatur, definitur j. *lib. prox. cap. 2. reg. 4.*

V I. Regula: De iure adcrescendi uide ẽ. *lib. prox. cap. 24.*

V I I. Regula, *De ijs, in quibus defunctus proprietatem nudam habet, usufructu penes ipsius patrẽ iure patriæ potestatis remanente. Hæc defunctus nõ ad hæredem transfert, sed ad fratres; quibus proprietas communis est; nisi liberos hæredes defunctus relinquat. Quæ regula approbatur l. quæcunq; 4. uers. eo uidelicet obseruando. C. de bonis quæ liberis. cuius uerba cõcordant ibi uide* ẽ. *lib. 16. cap. 2. quæst. 4. reg. 11.*

QVANDO ET QVO IVre hæreditas deferatur? Cap. XV.

I. QVANDO DEBEATVR seu deferatur tam ex testamento quàm ab intestato hæreditas?

Delata hæreditas intelligitur, *quam quis possit adeundo consequi. l. delata. 151. ff. de uerb. signif. Quando autem illud intelligatur, definitur per exceptiones sequentes. Regulariter autem delata intelligitur hæreditas, mortuo eo, de cuius hæreditate quæritur. quæ regula approbatur l. unica. §. cum igitur. C. de caducis tollendis. cuius uerba uide* j. *lib. 12. cap. 9. causa 11. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi incertum sit de statu defuncti. quæ exceptio approbatur l. 2. §. si quis decesserit. ff. unde legitimi, his uerbis:* Si quis decesserit, de quo incertum est utrũ paterfamiliâs, an filiusfamiliâs sit: quia pater eius ab hostibus captus adhuc uiuat, uel quæ alia causa suspendat eius statum: magis

gis est, ne peti possit bonorum possessio: quia nondum intestatum eum esse apparet, cum incertum sit, an testari possit. Cum igitur cœperit certi status esse, tunc demum petenda est bonorum possessio: nec cum certum esse cœperit intestatum esse, sed cum cœperit esse certum patrem familiâs esse. *Concordat l. 1. §. 1. ff. ad S. C. Tertyll. his uerbis:* Si ea sit mater, de cuius statu dubitatur, utrum materfamiliâs sit, an filiafamiliâs: utputa, quoniam pater eius ab hostibus captus sit: cum certum esse cœperit matremfamiliâs esse, liberi eius admittentur. Vnde tractari potest, an medio tempore, dum status pendet, succurri eis per prætorem debeat ne si medio tempore decesserint, nihil ad hæredem transmittant? Et magis est, ut subueniatur: ut in multis casib. placuit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ipse hæres certus sit de statu defuncti. tunc enim, quamuis aliàs incertum sit, nihilominus ipse adire potest. quæ replicatio approbatur exemplo l. Pomponius. 85. §. rei. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Rei perduellionis hæreditatem suspensa cognitione filius emãcipatus, cui de patris innocentia liquet, potest quærere. *Altera exceptio est: Nisi de testamento dubitetur, utrũ ualeat, nécne? Hæc exceptio approbatur l. cum falsum. 46. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Cum falsum testamentum dicetur, si quidem ipse hæres accusatur: quoniam certus esse debeat, se falsum non fecisse: rectè adibit hæreditatem. Sin autem alius arguetur citra conscientiam eius: non potest adire, quasi dubitet uerum esse testamentum. *Concordat l. 1. C. de bonorum possess. secund. tabul. his uerbis:* Pendente appellatione à sententia, qua falsum testamentum pronunciatum est, incerto adhuc an defunctus intestatus decesserit, proximitatis nomine bonorum possessionis locus non est. *Concordat item l. uentre. 83. ff. de adquir. hæred. cuius uerba uide* ẽ. *lib. prox. cap. 22. reg. 1. except. 1. replic. 3. Huius exceptionis eadem replicatio est quæ præcedentis, hæc scilicet: Nisi ipse hæres de iure testamenti sit certus: quæ replicatio approbatur uerbis d. l. 46. §. propositis. Cui concordat l. cum quidam. 30. §. fin. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Si certus sum non esse falsum testamentum, uel irritum, uel ruptum: licet dicatur esse, possum adire hæreditatem. *Concordat item l. nec is. 17. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 13. except. 14. repl. 2. Tertia exceptio est: Nisi alius proximior hæres esse possit. tunc enim ulteriori nondum hæreditas defertur. Hæc exceptio approbatur, simul & definitione proximioris & ulterioris hæredis declaratur, l. 2. in prin. ff. de bonor. possess. secund. tabul. his uerbis:* Æquissimum ordinem Prætor secutus est. Voluit enim primò ad liberos bonorũ possessionem cõtra tabulas pertinere: mox si inde sit occupata, iudicium defuncti sequendum. Expectandi igitur liberi erunt, quamdiu bonorum possessionem petere possunt: & si tempus fuerit finitum, aut antè decesserint, uel repudiauerint, uel ius petendæ bonorum possessionis amiserint: tunc reuertetur bonorum possessio ad scriptos. *Concordat d. l. 2. §. defertur, his uerbis:* Defertur bonorum possessio secundum tabulas primo gradu scriptis hæredibus: mox illis non petentibus, & sequentibus non solùm substitutis, uerùm substituris queque substituti, & per seriem substitutos admittimus. Primo gradu autem scriptos accipere debemus omnes qui primo loco scripti sunt. Nam sicut ad adeundam hæreditatem proximi sunt, ita & ad bonorum possessionem admittendam. *Concordat l. unica. §. cum autem. C. de caducis toll. cuius uerba uide* j. *lib. 12. cap. 13. quæst. 1. reg. 5. Huius exceptionis species sunt octo exceptiones proximè sequentes. Planè huius replicatio hæc est: Nisi proximior hæres repudiauerit, uel per exceptionem repelli possit. tunc enim ulteriori nondum defertur. quæ replicatio approbatur uerbis d. l. 2. in prin.* ẽ. *propositis his:* Et si tẽpus fuerit finitũ, aut antè decesserint, uel repudiauerint, uel ius petendæ bonorum possessionis amiserint: tunc reuertetur bonorũ possessio ad scriptos. *Concordat l. si cohæredi. 4. in prin. ff. quis ordo in bonor. possess. seruetur. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 11. except. 14. in prin.* Concordat item *l. 1. C. de successorio edicto. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 7. except. 1. repl. 13. Concordant item ea quæ proposita sunt:* ẽ. *d. repl. 13. Huius replicationis duplicatio hæc uidetur esse: Nisi qui ita substitutus sit, si institutus intra certum tempus hæreditatem non adiret. hoc enim casu uidetur, quamuis ante tempus certum esse cœperit, instituto adire non posse: non tamen substituto statim deferri. Sed hæc duplicatio reprobatur l. si quis. 71. ff. de adquir. hæred. his uerbis:* Si quis hæres ita scriptus fuerit, ut intra certum tempus adeat hæreditatem, & si non ita adierit, alius ei substituatur, prior autem hæres, antequam adiret, decesserit: nemo dubitat, quin substitutus ultimum diem additionis expectare non soleat. *Plures propositæ exceptionis replicationes uide* ẽ. *cap. 7. except. 1. Quarta exceptio est: Nisi filius contra tabulas bonorum possessionem accipere possit. hoc enim casu scriptis hæredibus nondum defertur ex testamento hæreditas. quæ exceptio approbatur l. 2. in prin. ff. de bonor. possess. secund. tabul. cuius uerba uide* ẽ. *except. prox. in prin.* Quinta exceptio est: *Nisi instituto hæres adire possit. hoc enim casu substituto nondũ hæreditas intelligitur delata. quæ exceptio approbatur l. quamdiu. 68. in prin. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 13. except. 12. repl. 3. Concordat l. quamdiu. 3. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ẽ. *lib. prox. cap. 13. except. 1. 12.* Cõcordat item *l. denique. 4. ff. de iniusto test. cuius uerba uide* ẽ. *lib. prox. cap. 15. except. 176. repl. 15.* Cõcordat itẽ *l. 2. §. defertur. ff. de bonor. possess. secund. tabul. cuius uerba uide*

de §.except.5. Sexta exceptio est: Nisi testamenti tabulæ nondum fuerint apertæ. Hæc exceptio reprobabatur l.1.§.sufficit. ff.de bonorum possess.secund.tabul. cuius uerba uide §. lib.prox. cap.19.except.26. Concordat l.unica.§.cum igitur.C.de caducis toll.cuius uerba uide j.lib.32.cap.9.causa 11. Concordat item d.l.unica.§.in nouissimo,his uerbis: In nouissimo articulo,ubi propriè caduca fiebant,secundum quod prædiximus, & clausis tabulis tã existere hæredes,quàm posse adire,siue ex parte sint,siue ex asse instituti, cẽsemus: & dies legatorum & fideicommissorum, secundum quod prædiximus, à morte defuncti cedere. Septima exceptio est: Nisi conditio institutionis uel substitutionis nondum extiterit. Hæc exceptio reprobatur l.si quis.23.in prin.ff. de hæred.instituend.his uerbis: Si quis instituatur hæres in diem certum uel incertum:is bonorum possessionem agnoscere potest,& tanquam hæres distrahere hæreditatem. Concordat l.2.§.1. ff.de bonor.possess.secun.tabul. cuius uerba uide j.lib. 34.cap.6.except.33. Planè admittitur exceptio proposita primùm,si ita institutio facta sit: Vter ex fratribus meis Sciam uxorem duxerit, ex dodrante mihi hæres esto: uter non duxerit, ex quadrante hæres esto. quæ distinctio approbatur d.l.2.§.si quis ita,in fine. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.23.reg.12. Deinde admittitur exceptio proposita, si institutio sub conditione facta, inutilis sit. quæ distinctio approbatur l.hi demum.6. ff.de bonorum possess.secund.tabul. his uerbis: Hi demum sub conditione hæredes instituti bonorum possessionem secundum tabulas etiam pendente conditione, nedum impleta,petere possunt,qui utiliter sunt instituti. Quòd si inutiliter quis sit institutus, nec ad bonorum possessionem inutilis institutio proficit. Tertiò admitti uidetur exceptio proposita, si seruus sub conditione institutus hæres adeat. sed hæc distinctio reprobatur l.si seruus.10.ff.cod.tt. his uerbis: Si seruus sub conditione hæres institutus sit: an bonorum possessionem accipere possit, dubitatur? Et Scæuola noster probat,posse. Quartò admittitur exceptio proposita, si filius qui est in potestate testatoris, sub conditione hæres sit institutus, & cohæredem habeat. hoc enim casu cohæres expectare debet, donec conditio in persona filij existat.quæ distinctio approbatur simul & distinguitur l.suus quoque.4. ff.de hæred.institut. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.12.except.117.repl.1. Octaua exceptio est: Nisi alij ex Carboniano edicto bonorum possessio sit data. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.1.in fine. ff. si tabul.test.nullæ extab.cuius uerba uide §.cap.1.quæst.1.causa 4. Nona exceptio est: Nisi posthumus speretur proximior defuncto hæres futurus, uel testamentum rupturus. Hæc exceptio approbatur l.cum quidam.30. §.1. ff.de adq.hæred.his uerbis: Quod dicitur,Proximus à filio posthumo hæres, dum mulier prægnans est, aut putatur esse, adire hæreditatem non potest: sed si scit non esse prægnantem, potest accipere proximus à uentre,qui suum hæredem pariturus esset. non solùm ad testatos hæc uerba, uerùm ad intestatos quoque pertinent:& in eo uentre idem accipias, qui legitimum uel consanguineum pariturus est:quoniam mortis tempore qui in utero est (quantum ad moram faciendã inferioribus, & sibi locũ faciẽdum, si fuerit editus) pro iam nato habetur. Denique & per bonorum possessionem talem Prætor uentrem mittit in possessionem. Siue igitur putem prægnantem, siue sit reuera prægnans, quæ eum paritura est, qui suus hæres futurus esset: adire hæreditatem non possum: quoniam & in eo est, ut rumpatur testamentum, nisi proponas uentrem institutum uel exhæredatum. Concordat l.intestato.3.§.utique & ex.ff.de suis & legit.hæred.cuius uerba uide §.cap.2.except.9. Concordat item l.2.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.cap.7.except.1.repl.6.duplic.3. Concordat item l.uentre.83.in prin. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide §. lib.prox.cap.22.regul.1.except.1.replic.3. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi posthumus cohæredem habeat non ulteriorem: huic enim nihilominus nondum nato posthumo hæreditas defertur. quæ replicatio approbatur d.l. 30.§.suum.cuius uerba uide j. repl.4.duplic.1.triplic.1. Concordat d.§.utique & ex.ibi:mde & partem. Pro quâ autem parte cohæres adeundo fiat hæres, dicetur j.lib.prox. cap.2. reg.4. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi suus hæres testamento institutus sit, posthumo præterito. quæ duplicatio approbatur l.si filius.16. ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide §. lib.prox.cap.22.reg.1.except.1.repl.1.dupl.2. Altera replicatio est: Nisi proximus à posthumo sciat mulierem prægnantem non esse. quæ replicatio approbatur uerbis d.l.30.§.propositis hisce: Sed si scit non esse prægnantem, potest accipere proximus à uentre, qui suum hæredem pariturus esset. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi ipse solus, non alius mulierem putet prægnantem non esse. quæ duplicatio approbatur d.l.30. §.quòd si ipse,his uerbis: Quòd si ipse putet solus, si iusta ratione ductus: non potest adire. Secundum multorum opinionem:potest. Altera duplicatio est: Nisi falsò putauit prægnantem non esse. Hæc duplicatio approbatur d.l.30. §.quid ergo, his uerbis: Quid ergo, si prægnans fuit, cum putaret hæres non esse prægnantem, & adijt, mox abortum factum est? Proculdubiò nihil egit. Totiesigitur ei suæ præsumptio proficit, quoties concurrit cũ ueritate. Tertia duplicatio est: Nisi ipsa mulier hæres se prægnantem fingat. Hæc duplicatio reprobatur ibidem, his uerbis: Sed & si ipsa mulier hæres instituta sit, quæ se prægnantem fingit, adeundo adquiret hæreditatem. Per contrarium non adquiret, si se putet prægnantem,

gnantem, cum non sit. Tertia replicatio est: Nisi mulier neget se esse prægnantem. Hæc replicatio reprobatur d.l.30.§.quod dicitur, his uerbis: Quod dicitur,Si putetur esse prægnans: sic accipiendum,si dicat se prægnantem. Quid ergo, si ipsa non dicat, sed neget: alij dicant prægnantem esse? adhuc adiri hæreditas non potest.finge obstetrices dicere. Quarta replicatio est:Nisi reuera prægnans mulier non sit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi proximus à posthumo eam prægnantem esse putet. Hæc duplicatio approbatur d.l.30.§.1. ibi:aut putatur esse. cuius uerba uide §. eadem except. in prin. Concordat d.l.30.§.sed & si ipsa.ibi:per contrarium.cuius uerba uide §.repl.2.dupl.1. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi suus hæres uel posthumi cohæres mulierem putet esse prægnantem, quæ non est.Hæc triplicatio approbatur d.l.30.§.suum, his uerbis: Suum hæredem certum est ex asse hæredem esse,etsi putet esse prægnantẽ mulierem,quæ nõ est prægnans. Quid si unum in utero habeat, an ex parte dimidia sit hæres, siue institutum posthumum proponas, siue intestatum patrem decessisse? quod & Sextum Pomponium opinatum,Tertyllianus lib.III. Quæstionũ refert. Putat enim, sicut cùm nauo utero suus ex asse hęres est: ita & cum unum gerit,nec per naturam humanæ conditionis alium partum formare potest (quod quidem post certum tempus conceptionis euenerit) ex parte dimidia & ignorantem fore hęredem, non ex quarta, ut Iulianus putat. Concordat l.intestato.3.§.utiq; & ex.ibi:est autẽ tractatum. ff.de suis & legitimis hæred.cuius uerba uide §.cap.2.except.9. Altera triplicatio est: Nisi filiofamilias uel seruo hærede instituto, pater uel dominus putet prægnantẽ esse, non filius uel seruus. Hæc triplicatio approbatur d.l.30.§.penult.his uerbis: Scientia uel opinio, si filiusfamilias uel seruus instituti sunt, utrum ipsorum, an domini uel patris accipienda sit? finge patrem putasse prægnantem,filium certum esse.finge & sic adire:an adquirat hæreditatẽ? puto adquirere: sed contrà, non adquirere. Hæc de nona exceptione sint dicta. Decima exceptio est: Nisi hæreditas ex testamento aditi possit. hoc enim casu ab intestato hæreditas non defertur.quæ exceptio approbatur l.quamdiu.39.ff.de adq.hæred. his uerbis: Quamdiu potest ex testamento adiri hæreditas, ab intestato non defertur. Concordat l. in pluriũ.69.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide §. cap. 13.except.14.repl.9. Concordat item l.quamdiu.89.ff. de reg.iuris, his uerbis: Quamdiu potest ualere testamentum,tamdiu legitimus non admittitur. Concordat item l.antequam.8.C.communia de succes. his uerbis: Antequã scriptus hæres cuiuscunq; portionis capax repudiet hæreditatem, uel alia ratione quærendæ facultatẽ amittat; ei qui testamẽtum reliquit,intestato nemo succedit. Igitur perspicis,quòd testamentariæ successionis spẽ durante,intestatò bona defuncti non rectè uindicentur. Concordat item l.2.C.unde liberi, his uerbis: Ex testamento uel ab intestato existente filio uel nepote suo hærede, nemo potest intestato hæres existere. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ita sit hæres institutus,si legitimus seu ab intestato ueniens hæres esse nolit.hoc enim casu hæredi ab intestato prius hæreditas defertur.quæ replicatio approbatur l.si quis.80.ff.de hæred.inst. cuius uerba uide j.lib.34.cap.6.in prin. Alias replicationes uide §.except.4.& 9.quæ hic replicationum loco poni etiã possunt. Vndecima exceptio: Nisi suus hæres esse possit. hoc enim casu legitimo nondum delata intelligitur.quæ exceptio approbatur l.inter.5.§.fin.ff.unde legitimi,his uerbis: Quãdiu spes est suũ hæredem aliquẽ defuncto existare:tamdiu cõsanguineis locus nõ est:puta si defuncti uxor prægnans sit, aut defuncti filius apud hostes sit. Concordat l.2.C.unde liberi.cuius uerba uide §.except. prox. Duodecima exceptio est:Nisi seruus purè hæres institutus,ex die libertatem acceperit.quæ exceptio approbatur l.quoties.9.§.si seruus.ff.de hær.inst. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.11.except.98.repl.1.dupl.2.

XIII. Exceptio:Nisi ususfructus hæreditatis penes aliũ sit cõstitutus:hoc enim casu proprietario nondũ uẽdetur delata hæreditas,ut eã ad suos hæredes trãsmittere possit. Quæ exceptio uidetur approbari per ea quæ habentur §.lib.prox.cap.22.reg.1.except.1. Contradicit tamẽ ea quæ habẽtur §.lib.16.cap.1.quæst.4. reg.11.

II. QVO IVRE HÆREDITAS deferatur, seu quæ bonorum possessio competat?

Huius loci regula proponitur l.1. §.fin.cum lege sequente.ff.unde legitimi, his uerbis: Vnde legitimã bonorum possessio omnem uocat, qui ab intestato potuerit esse hæres: siue lex XII. Tabularum eum legitimum hæredem faciat, siue alia lex,senatusue consultum. Denique mater quæ ex senatusconsulto uenit Tertylliano, item qui ex Orphitiano ad legitimam hæreditatem admittuntur, hanc bonorum possessionem petere possunt. Generaliter igitur sciendum est,quotiescunque uel lex uel senatus defert hæreditatem, non etiam bonorum possessionem: ex hac parte eam peti oportere. Cum uerò etiam bonorum possessionem dari iubet: tum & ex illa parte, qua ex legibus peti deberet, sed & ex hac parte poterit. Similis regula proponitur l.unica. ff.ut ex legibus, senatusue consultis. cuius uerbà uide §. capite 12. reg.5. sed & plures huiusmodi regulas uide §.sub uniquaque successionis specie. Hactenus de hæreditate tam ex testamento, quàm ab intestato. Sequuntur tamen alia quot hæredum officia post delatam hæreditatem competentia, istis hæreditatibus communia.

DIGESTORVM LIBER TRICESIMVS:

DE OFFICIIS HÆREDVM POST hæreditatem delatam.

DE IVRE DELIBERANDI, & inuentario conficiendo. Cap. I.

I. QVIBVS COMPETIT ius deliberandi?

PRIMA regula: Regulariter quidem omni hæredi, tam ex testamẽto, quàm ab intestato uenienti, competit. quæ regula approbatur Inst. de hæredum qualitate et differ. §. extranei, his uerbis: Extraneis hæredibus deliberandi potestas est de adeunda hæreditate, uel non adeunda. *Concordat l.cum antiquiorib.19.in prin. C.de iure deliberandi.cuius uerba uide §.lib.28.cap.22. reg.1.except.1. replic.2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi hæres sit necessarius. Hæc exceptio approbatur, declaratur atque distinguitur per ea quæ habentur j. Altera exceptio est: Nisi hæres semel repudiauerit uel adierit hæreditatem, seu pro hærede gesserit. Hæc exceptio approbatur d.l.19.§.ideoq; sanctimus. Plura de hac exceptione uide j.de adeunda & repudianda hæreditate.*

II. Regula, De hærede hæredis. Huic quoque deliberandi ius competit. quæ regula approbatur d.l.19. §.& siquidem. Concordat Nouell.c.158. cuius uerba uide d.repl.2.

III. Regula, De domino, seruo hærede instituto, proponitur l.1.in princ.ff.de iure deliberandi, his uerbis: Si seruus fuerit hæres institutus: utique non ipsi præstituemus tempus ad deliberandum, sed ei cuius seruus est: quia pro nullo isti habentur apud Prætorem. Item q; si plurium seruus sit, utique omnibus dominis præstituemus.

II. QVO ORDINE, SEV quando cuiq; ius deliberandi competat?

Eo ordine, quo cuique defertur hæreditas, quæ regula approbatur l.si plures.10. ff.de iure deliberandi, his uerbis: Si plures gradus sint hæredum instituorum, per singulos obseruaturum se ait Prætor id quod de præfiniendo tempore deliberationis edicit: uidelicet ut à primo quoque ad sequentem translata hæreditate, quamprimùm inueniat successorem, qui possit defuncti creditoribus respondere.

III. QVOTIES DELIBERANDI ius competat?

Regulariter unicuiq; hæredum non nisi semel dandum. quæ regula approbatur l.scimus.22. §.sed quis quidam.C.de iure deliberandi, his uerbis: Quia quidam uel uana formidine, uel callida machinatione, pro deliberando nobis supplicandum necessarium esse existimant, quatenus eis liceat annale tempus tergiuersari, & hæreditatem inspicere, & alias contra eam machinationes excogitare, & eandem deliberationem flebilibus adsertionibus repetita prece sæpius accipere: ne quis nos putauerit antiquitatis penitùs esse contemptores, indulgemus quidem eis petere deliberationem uel à nobis, uel à nostris iudicibus, non tamen amplius ab Imperiali quidem culmine uno anno, à nostris uerò iudicibus nouem mensibus: ut neq; ex Imperiali largitione aliud tempus eis indulgeatur, sed etsi fuerit datũ, pro nihilo habeatur. Semel enim, & non sæpius eam peti concedimus. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi magna causa ulteriorem deliberationẽ requirat. quæ exceptio approbatur l.necnon.3.cum lege sequẽte.ff.eod.tt. his uerbis:* Necnon illud sciendum est, nonnunquã semel, nonnunquam sæpius diem ad deliberandum dandum esse: dummodò Prætori suadeatur, tempus quod primum aditus præstituerat, non suffecisse. Sed hoc impetrari non debet, nisi ex magna causa.

IIII. QVAMDIV IVS DELIBERANDI competat?

I. *Regula: Hoc pendet ex arbitrio iuris dicentis. Quæ regula approbatur l.1.§.fin.ff.de iure deliberãdi, his uerbis:* Ait Prætor, Si tempus ad deliberandum petet, dabo: cum dicit tempus, nec adijcit diem: sine dubio ostendit, esse in ius dicentis potestate, quam diem præstituat. *Concordat l.si curatoris.9.in fine.C.eod.tt. his uerbis:* Si curatoris quondam tui testamento iure facto, uel ab intestato legitima delata successio est: hoc casu ei qui non repudiauit hæreditatem, eam licet adire. Rector igitur prouinciæ aditus, si hæreditati nedum sunt obligati, eos an hæredes sint, interrogare debebit, ac si tempus ad deliberandum petierint, moderatum statuet.

II. *Regula: Minus centum diebus ad deliberandum dandi nõ sunt. quæ regula approbatur l.2.ff.de iure deliberandi, his uerbis:* Pauciores quàm centum dies non sunt dandi.

III. *Regula: Plus anno non est concedendum. quæ regula approbatur l.scimus.22. §.sed quis quidam.C. de iure deliberandi. cuius uerba uide §. quæst.3. Concordat l.cum antiquiorib.19.C.eod.tt. cuius uerba uide §. lib.28.cap.22.reg.1.except.1.repl.2.*

V. ADIVNCTA ET EVENTUS deliberationis.

I. *Regula, De copia instrumentorum inspiciendorum deliberanti danda, proponitur l.Aristo.5.in prin. ff.de iure deliberandi, his uerbis:* Aristo scribit, nõ solùm creditoribus, sed etiam hæredi instituto Prætorem subuenire debere, his q; copiam instrumentorum inspiciendorum facere: ut proinde instituere se possint, expediat nécne agnoscere hæreditatem. *Concordat l.Aristo.28.ff.de adquir.hæred. his uerbis:* Aristo existimat, Prætorem aditum facultatem facere debere hæredi rationes defuncti ab eo petere, penes quem depositæ sunt, deliberanti de adeunda hæreditate.

II. *Regula, De rebus hæreditarijs interim non alienandis, proponitur l.ait prætor.7.in prin.ff.de iure deliberandi, his uerbis:* Ait Prætor, Si pupilli pupillæue nomine postulabitur tẽpus ad deliberandum, an expediat eum hæreditatem retinere, & hoc datum erit: si iusta causa esse uidebitur, bona interea deminui, nisi causa cognita boni uiri arbitratu, uetabo. Meritò Prætor impedit interim deminutionem, quamdiu nomine pupilli petitur tempus ad deliberandum. *Huius regulæ exceptio prima & generalis hæc est: Nisi iusta causa alienandi Prætori uideatur, quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi causa cognita boni uiri arbitratu. *Cui concordat d.l.7.§.in causæ, his uerbis:* In causæ cognitione hoc uertitur, an iusta causa sit, ut deminuere Prætor permittat. Ergo & funeris causa deminui permittet: item eorum quæ sine piaculo non possunt præteriri. Vescendi gratia æquè deminui permittet. Sed & ubi urget, ex alijs quoq; causis permittere eum oportet: puta ut ædificia sarciantur, ne agri inculti sint, si qua pecunia sub pœna debetur, ut restituatur, ne pignora distrahantur. Ex alijs quoque iustis causis Prætor aditus deminutionem permittit. Neque enim sine permissu eius debet deminutio fieri. *Altera exceptio est: Nisi res tractu temporis deteriores futuræ uendantur. Hæc exceptio species præcedentis specialiter approbatur l. Aristo.5.§.si maior. ff.eod.tt. his uerbis:* Si maior sit hæreditas, & deliberat hæres, & res sunt in hæreditate, quæ ex tractu temporis deteriores fiunt: adito Prætore potest is qui deliberat, sine præiudicio eas iustis precijs uendere. Qui possit etiam ea quæ nimium sumptuosa sint (ueluti iumenta aut uenalicia) item ea quæ mora deteriora fiant, uendere: quique præterea curaturus sit, ut æs alienum, quod sub pœna, uel in pretiosis pignoribus debeatur, soluatur. *Tertia exceptio est: Nisi ob æs alienum soluendum alienatio fiat. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quiq; præterea curaturus sit, &c. *Concordat l.ait prætor.7.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.except.1. Quarta exceptio est: Nisi in alimenta filio deliberanti alienetur. Hæc exceptio approbatur l.filius.9.ff.eod.tt.his uerbis:* Filius, dũ deliberat, alimenta habere debet ex hæreditate. *Quinta exceptio est: Nisi res in quas sumptus sunt faciendi, uendantur. Hæc exceptio approbatur l.Aristo.5.§.fin.ff.de iure deliberandi. cuius uerba uide §.except.2. Reliquas causas, ex quibus alienatio fieri possit, uide §.except.1.*

Replicationes generales.

Planè propositarum exceptionum replicatio generalis prima hæc est: Nisi sine permissu Prætoris fiat alienatio. quæ replicatio approbatur d.l.7.§.fin.ff.d.tt. cuius uerba uide §.d.except.1. Altera replicatio est: Nisi cum essent res mobiles tempore perituræ, uel aliæ res superuacuæ, res immobiles uel magis necessarias impensarum nomine uendiderint. Hæc replicatio approbatur l.igitur.6.ff.eod.tt. his uerbis: Si quidem in hæreditate sit uinum, oleum, frumentum, numerata pecunia: inde fieri debebunt impendia. Si minus, à debitoribus hæreditarijs exigenda pecunia. Quòd si nulli sint debitores, aut iudicem prouocent: uenire debent res superuacuæ.

III. Regula, *De non agendo interim, proponitur l.ait prætor.7.§.quid sit.ff.de iure deliberandi, his uerbis:* Quid sit, Deminui uetabo, uideamus. His uerbis Prætor non tantùm alienationẽ impedit, uerùm etiam actiones exercere non patitur. Est enim absurdum, ei cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere. Et ita Labeo scribit.

VI. ADFINE *remedium, seu de inuentario conficiendo, constituitur l.scimus.22.C.de iure deliberandi, his uerbis:* Scimus iam duas esse promulgatas à nostra clementia constitutiones: unam quidem de his qui deliberandum pro hæreditate sibi delata existimauerunt: aliam autem de improuisis debitis, & incerto exitu per diuersas species eis impositis: sed etiam ueterem cõstitutionem nõ ignoramus, quã diuus Gordianus ad Platonẽ scripsit de militibus qui per ignorantiam adierunt hæreditatem, quatenus pro his tantummodò rebus conueniantur, quas in hæreditate defuncti inuenerunt: ipsorum autẽ bona à creditoribus hæreditarijs non inquietentur. Cuius sensus ad unam præfatarum constitutionũ à nobis redactus est. Arma etenim magis quàm iura scire milites, sacratissimus legislator existimauit. Ex omnibus itaq; istis unã legẽ colligere, nobis apparuit esse humanũ: & nõ solùm milites adiuuare huiusmodi beneficio, sed etiam ad omnes hoc extendere; non tantùm si improuisum

smerse-

emerſerit debitum, ſed etiam ſi oneroſam quis inueniat eſſe quam adijt hereditatem. Ita enim nec ſatis neceſſarium deliberationis erit auxilium, niſi hominibus formidoloſis, qui & ea timent, quæ nulla digna ſunt ſuſpicione. Cum igitur hæreditas ad quendam ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato ſit delata, ſiue ex aſſe, ſiue ex parte: ſiquidem recta uia adire maluerit hæreditatẽ, & ſpe certiſsima hoc fecerit, uel ſeſe immiſcuerit, ut non poſtea eam repudiet: nullo indiget inuentario, cùm omnibus creditoribus ſuppoſitus eſt, utpote hæreditate ei ex ſua uoluntate infixa. Similíque modo, ſi non titubante animo reſpuendam uel abſtinendam eſſe crediderit hæreditatem, & apertiſsimè intra trium menſium ſpacium, ex quo ei cognitum fuerit ſcriptum ſe eſſe uel uocatum hæredem, renunciet: nullo nec inuentario faciendo, nec alio circuitu expectando, ſit alienus huiuſmodi hæreditate, ſiue oneroſa, ſiue lucroſa ſit. Sin autem dubius eſt, utrúmne admittenda ſit, nécne, defuncti hæreditas: non putet ſibi eſſe neceſſariam deliberationem, ſed adeat hæreditatem, uel ſeſe immiſceat: omni tamen modo inuentarium ab ipſo conficiatur, ut intra triginta dies poſt apertas tabulas, uel poſtquam nota fuerit ei apertura tabularum, uel delatam ſibi ab inteſtato cognouerit hæreditatem, numerandos, exordium capiat inuẽtarium ſuper his rebus quas defunctus mortis tempore habeat: & hoc inuẽtarium intra alios ſexaginta dies modis omnibus impleatur ſub præſentia tabulariorum, cæterorumq; qui ad huiuſmodi confectionẽ neceſſarij ſunt. Subſcriptionem tamẽ ſupponere hęredem neceſſe eſt, ſignificantem & quantitatẽ rerum, & quòd nulla malignitate circa eas ab eo facta uel facienda, res apud eum remaneant: uel ſi ignarus ſit literarum, uel ſcribere præpeditus: ſpeciali tabulario ad hoc ſolùm adhibendo, ut pro eo literas ſupponat, uenerabili ſigno antea manu hæredis præpoſito: teſtibus uidelicet adſumendis, qui hæredem cognoſcant, & iubente eo tabulariũ pro ſe ſubſcribere, interfuerint. Sin autem locis, in quibus res fuerint hæreditariæ, uel maxima pars earum poſita eſt, hæredes abeſſe contigerit: tunc eis unius anni ſpacium à morte teſtatoris numerandum damus ad huiuſmodi inuentarij conſummationẽ. Sufficit enim præfatum tempus, etſi longiſsimis ſpacijs diſtant, tamen dare eis facultatem inuentarij conſcribendi uel per ſe, uel per inſtructos procuratores in locis ubi res poſitæ ſunt, mittendos. Et ſi præfatam obſeruationem inuentarij faciendi ſolidauerint: hæreditatem ſine periculo habeant, & legis Falcidiæ aduerſus legatarios utantur beneficio: ut in tantum hæreditarijs creditoribus teneantur, in quantum res ſubſtantiæ deuolutæ ad eos ualeant: & eis ſatisfaciant, qui primi ueniant creditores: & ſi nihil reliquum eſt, poſteriores uenientes repellantur, & nihil ex ſua ſubſtantia penitùs hæredes amittant: ne dum lucrum facere ſperant, in damnum incidant. Sed & ſi legatarij interea uenerint: & eis ſatisfaciant ex hæreditate defuncti, uel ex ipſis rebus, uel earum forſitan uenditione. Sin uerò creditores, qui & poſt emenſum patrimonium necdum completi ſunt, ſuperueniant: neque ipſum hæredem inquietare concedantur, neque eos qui ab eo compararauerunt res, quarum precia in legata uel fideicommiſſa uel alios creditores proceſſerunt. Licentia creditorib. nõ denegãda aduerſus legatarios uenire, & uel hypothecis, uel indebiti cõdictione uti, & hæc quę acceperint, recuperare: cũ ſatis abſurdũ eſt, creditorib. quidẽ ius ſuũ perſequentib. legitimũ auxiliũ denegari: legatarijs uerò, qui pro lucro certant, partes ſuas leges accõmodare. Sin uerò hæredes res hæreditarias creditorib. hæreditarijs pro debito dederint in ſolutũ, uel per dationẽ pecuniarum ſatis eis fecerint: liceat alijs creditoribus, qui ex anterioribus ueniunt hypothecis, aduerſus eos uenire, & à poſterioribus creditorib. ſecundũ leges eas abſtrahere, uel per hypothecariã actionẽ, uel condictionẽ ex lege: niſi uoluerint debitum eis offerre. Cõtra ipſum tamen hæredem (ſecundum quod ſæpius dictum eſt) qui quantitatem rerum hæreditariarum expendit, nulla actio extẽdatur. Sed nec aduerſus emptores rerum hereditariarum, quas ipſe uendidit pro ſoluendis debitis uel legatis, uenire alij cõcedatur: cum ſatis anterioribus creditorib. à nobis prouiſum eſt, uel ad poſteriores creditores, uel ad legatarios peruenientibus, & ius ſuũ perſequentibus. In computatione autẽ patrimonij damus ei licentiam excipere & retinere quidquid in funus expendit, uel in teſtamenti inſinuationem, uel inuentarij confectionem, uel in alias neceſſarias cauſas hereditarias adprobauerit ſe perſoluiſſe. Si uerò & ipſe aliquas contra defunctum habebat actiones, non eæ confundantur, ſed ſimilem cum alijs creditoribus per omnia habeat fortunam: temporum tamen prærogatiua inter creditores ſeruanda. Licentia danda creditoribus, ſeu legatarijs, uel fideicommiſſarijs, ſi maiorem putauerint eſſe ſubſtãtiam à defuncto derelictam, quàm

hæres in inuentario ſcripſit, quibus noluerint legitimis modis quod ſuperfluum eſt adprobare, uel per torméta forſitan ſeruorum hæreditariorum ſecũdum anteriorem noſtram legẽ, quæ de quæſtione ſeruorum loquitur, uel per ſacramentum illius, ſi aliæ probationes defecerint: ut undiq; ueritate exquiſita, neq; lucrum, neq; damnum aliquod hæres ſentiat ex huiuſmodi hæreditate. Illo uidelicet obſeruando, ut ſi ex hæreditate aliquid hæredes ſubripuerint, uel celauerint, uel amouendũ curauerint: poſtquam fuerint conuicti, in duplum hoc reſtituere, uel hæreditatis quantitate computare cõpellantur. Donec tamen inuentarium conſcribitur, uel ſi res præſtò ſint, intra tres menſes: uel ſi abfuerint, intra annale ſpaciũ ſecundum anteriorem diſtinctionem, nulla erit licentia neq; creditoribus, neq; legatarijs, uel fideicommiſſarijs eos uel inquietare, uel ad iudicium reuocare, uel res hæreditarias quaſi ex hypothecarum authoritate uindicare: ſed ſit hoc ſpacium ipſo iure pro deliberatione hæredib. conceſſum, nulloq; ex hoc interuallo creditoribus hæreditarijs circa temporalem præſcriptionem præiudicio generando. Sin uerò, poſtquam adierint, uel ſeſe immiſcuerint, præſentes uel abſentes inuẽtarium facere diſtulerint, & datum iam à nobis tempus ad inuentarij confectionem effluxerit: tunc ex eo ipſo, quòd inuentarium ſecũdum formam præſentis conſtitutionis non fecerint, & hæredes eſſe omnimodò intelligantur, & debitis hæreditarijs in ſolidum teneantur: nec legis noſtræ beneficio perfruantur, quam contemnendam eſſe cenſuerunt. Et hæc quidem de his ſancimus, qui deliberationẽ nullam petendam curauerint: quam putamus quidem penitùs poſt hanc legem eſſe ſuperuacuam, & debere ei derogari. Cum enim liceat & adire hæreditatem, & ſine damno ab ea diſcedere ex præſentis legis authoritate: quis locus deliberationi relinquitur? Sed quia quidam uel uana formidine, uel callida machinatione pro deliberando nobis ſupplicandum neceſſarium eſſe exiſtimant, quatenus eis liceat annale tempus tergiuerſari, & hæreditatem inſpicere, & alias contra eam machinationes excogitare, & eandem deliberationem flebilibus adſertionibus repetita prece ſæpius accipere: ne quis nos putauerit antiquitatis penitùs eſſe contemptores, indulgemus quidem eis petere deliberationẽ uel à nobis, uel à noſtris iudicibus: non tamen amplius ab Imperiali quidem culmine uno anno, à noſtris uerò iudicibus nouem menſibus: ut neq; ex Imperiali largitione aliud tẽpus eis indulgeatur: ſed etſi fuerit datum, pro nihilo habeatur. Semel enim, & nõ ſæpius eam peti concedimus. Sin autem hoc aliquis fecerit, & inuentarium conſcripſerit (neceſſe eſt enim omnimodò deliberantem inuentariũ cum omni ſubtilitate facere) non liceat ei poſt tempus præſtitutum (ſi non recuſauerit hæreditatem, ſed adire maluerit) noſtræ legis uti beneficio: ſed in ſolidum ſecundum antiqua iura omnibus creditoribus teneatur. Cum enim gemini tramites inuenti ſunt, unus quidem ex anterioribus, qui deliberationem dedit: alter autem rudis & nouus à noſtro numine repertus, per quem adeuntes ſine damno conſeruãtur: electionem ei damus, uel noſtram conſtitutionem eligere, & beneficium eius ſentire: uel ſi eam aſpernandam exiſtimauerit, & ad deliberationis auxilium cõuolauerit, eius effectum habere. Et ſi non intra datum tempus recuſauerit hæreditatem: omnibus in ſolidum debitis hæreditarijs teneatur, & non ſecundum modum patrimonij: ſed etſi exiguus ſit cenſus hæreditatis, tamẽ quaſi hæredem eum in totum obligari: & ſibi imputet, qui pro nouo beneficio elegerit grauamen. Et ideo & in ipſam deliberationis dationem, & diuinum reſcriptũ ſuper hoc promulgandum, hoc adijci uolumus: ut ſciant omnes, quòd omnimodò poſt petitam deliberationem, ſi adierint, uel pro hærede geſſerint, aut non recuſauerint hæreditatem: omnibus in ſolidũ hæreditarijs oneribus teneantur. Si quis autem temerario propoſito deliberationem quidem petierit, inuẽtarium autem minimè conſcripſerit, & uel adierit hæreditatem, uel minimè eam repudiauerit: non ſolùm creditoribus in ſolidum teneatur, ſed etiam legis Falcidiæ beneficio minimè utatur. Quod ſi poſt deliberationẽ recuſauerit, inuentario minimè conſcripto: tunc res hæreditarias creditoribus, uel his qui ad hæreditatem uocantur, à legib. reddere compellatur: quantitate earum ſacramento res accipientium manifeſtãda, cum taxatione tamen à iudice ſtatuenda. Nouiſſimum autem eſt ex hac conſtitutione, quę omnes caſus continet, noſtris conſtitutionibus iam pro eiſdem capitulis promulgatis eſſe derogatum, quarum altera etiã Gordianæ conſtitutionis ſenſus continebatur. Cum enim ampliore tractatu habito, melior exitus eſt inuentus, & tribus conſtitutionibus in unum cõgregatis, unus appareat & in milites & in alios omnes iuris probabilis articulus: quapropter ex anterioribus inquietari noſtro ſubiectos imperio non patimur: ſcilicet ut milites, etſi propter ſimplicitatem præſentis legis ſubtilitatem non

obseruauerint,in tantum tamen teneantur, quantum in hæreditate inuenerint. Quam patres conscripti in huiusmodi casibus in posterum obtinere sancimus. *Concordat Inst. de hæred.qualit.& differ.§.sciendum,his uerbis:* Sciendum est, diuum Hadrianum etiam maiori uigintiquinque annis ueniam dedisse, cum post aditam hæreditatem grande æs alienum, quod aditæ hæreditatis tempore latebat,emersisset. Sed hoc quidem diuus Hadrianus cuidam speciali beneficio præstitit. Diuus autem Gordianus postea militibus tantummodò hoc concesit. Sed nostra beneuolentia commune omnibus subiectis imperio nostro hoc beneficium præstitit, & constitutionem tam æquissimam quàm nobilissimam scripsit,cuius tenorem si obseruauerint homines, licet eis adire hæreditatem,& in tantum teneri,quantum ualere bona hæreditatis contingit: ut ex hac causa neque deliberationis auxilium sit eis necessarium, nisi omissa obseruatione nostræ constitutionis, & deliberandum existimauerint, & sese ueteri grauamini aditionis supponere maluerint. *Concordat item Nouell.c.1.§.fiat igitur,his uerbis:* Fiat ab hærede, qui metuit,ne quando post æs alienum detractum, solutaq; legata Falcidiam habiturus non sit, inuentarium eo modo, intraq; ea tempora, intra quæ antea, cum hæreditarijs oneribus usque ad relicti patrimonij modum redactis, homines damno, quod ex additionibus in bonis proprijs experiebantur,exemimus,id ut fieret,lege lata determinauimus: illo solo adiecto, quòd huiusmodi hæredem, qui non tantùm creditores,sed etiam legatarios ueretur,metuitque non tantùm ne quid damni accipiat, sed etiam ne careat lucro: scire oporteat,omnes omnino legatarios & fideicommissarios,quotquot in ciuitate præsentes sunt, assumendos esse, aut certè qui uicem eorum gerant, si fortè uel personarum natura,uel dignitas,uel qualitas, uel ætas, uel etiam quæuis necessitas facultatem illis in conficiendo inuentario absentiæ præbeat. Si qui uerò abfuerint, eius rei testes ex fide dignissimis in ea ciuitate hominibus, quique ibi rem soli possideant, nec malæ existimationis sint, non pauciores quàm tres accedant (quod enim ad eam rem pertinet, tabularijs solis fidem non habemus) coram quibus inuentarium fieri cõuenit, quo magis redeuntibus aliquando legatarijs,& fortè querentibus subtractum esse quid rerum, aut inuentario non expressum, integrum sit non solùm per quæstiones & tormenta seruorum (permittimus enim & hoc sanè, ut tamen obseruentur quæ à nobis antea de seruilibus tormentis dicta sunt) sed etiam iureiurando tam hæredis, quàm testium qui se actis affirment interfuisse, spectasseq; quæ tunc gerebantur, neque conscios esse ullius ab hærede perpetrati maleficij, rem ipsam inquirere, & ueritatem de his quæ mortis tempore testator in bonis habuit,inuenire:nisi fortè præsentes legatarij uel omnes, uel quidam ex ijs testatò conuenti, uenire, & conficiendo inuentario adesse noluerint: tunc enim impunè fuerit hæredi, si uel legatarijs non accedentibus testium præsentia contentus inuentarium faciat, reposito nihilominus & istis legatarijs tam hæredis iureiurando, quàm seruorum tortura. Atq; his omnibus obseruatis,beneficium habeat Falcidię. Eo enim pacto neq; legem tantopere in nostra usq; tempora probatam minuere,neque defuncto iniuriam facere uidebimur.Nam si omnino cupit aliquos sibi hæredes existere, & ex successione sua consolationem percipere,seq; sufficientes facultates possidere arbitratur, nec rei ueritas id ostendit: perspicuum est,non cõtra tetatem id cum uoluntate defuncti fore, sed potius dementiæ ipsius purgationem. Enimuerò si inuẽtarium ea forma, quam diximus, non fecerit: non retinebit Falcidiam, sed legatarijs & fideicommissarijs satisfaciet,tametsi legatorum præstatio puræ substãtiæ defuncti modum excesserit.neq; hoc dicimus,quo legem nostram infirmemus, quam de eo tulimus, ne quid per creditores damni hæredibus adferatur in rebus suis.Præstabit enim illis,ut pœnam suæ improbitatis luat, ex eo quòd leges transgressus sit:cum licuisset illi cautè omnia agenti, non solùm nihil sentire damni, sed etiam per contrarium ea quæ lege Falcidia deferuntur,lucrifacere.

DE ADEVNDA VEL AGNOscenda hæreditate,& pro hærede gerendo. Cap. II.

Prima regula: Adeundo & pro hærede gerendo hæres hæreditatem adquirit, tam quoad commoda,quàm incommoda hæreditaria.quæ regula approbatur instit.de hæred.qual.& differ.§.item extraneus,his uerbis: Extraneus hæres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimã hæreditatem uocatus, potest aut pro hærede gerendo,aut etiam nuda uolũtate suscipiendæ hæreditatis hæres fieri. Pro hærede autem gerere quis uidetur, si rebus hæreditarijs tanquam hæres utatur,uel uendẽdo res hæreditarias,uel prædia colendo,locandóue,& quoquo modo uoluntatem suam declaret,uel re,uel uerbo,de adeunda hereditate: dũmodò sciat eum,in cuius bonis pro hærede gerit,testatum intestatúmue obijsse,& se ei hæredem esse. Pro hærede enim gerere, est pro domino gerere: ueteres enim hæredes pro dominis appellabant.

Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi antea fesse abstinuerit, Hæc exceptio approbatur l.si cohæredi. 4.in prin. ff.quis ordo in bonor.possess.seruetur. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.24. in princ. Concordat l.1.§. qui semel. ff.de succeß.edicto. cuius uerba uide ẽ.libro prox.cap.7. except.1.repl.6.duplic.1. Item concordat d.l.1.§.quib.ex.cuius uerba uide ẽ.d.repl.6. Item concordat l.sicut.4. C.de repudianda hæred. cuius uerba uide j.cap.prox.reg.2.except.4. in prin. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi idẽ institutus & substitutus, omissa institutione ex substitutione adierit. *Hæc replicatio approbatur l.si tu.75. §.fin. ff.de adqu. hæred.cuius uerba uide j.cap.proxim.reg.2.except.4. repl.6.distinct.2. Sed & plures huius exceptionis repli cationes uide ẽ.lib.prox.cap.13.except.14.*

II.Exceptio: *Nisi hæreditatem nondum delatam adierit. Hæc exceptio approbatur l.si quis.21.§.1. ff.de adqu.hæred.his uerbis:* Ita demum pro hærede gerendo adquiret hæreditatẽ, si iam sit delata. *Concordat l.quamdiu.63.ibi:quia intra diem.ff. eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.proxim.cap.13.except.12. repl.3. Concordat l.puberem.12.C.de iure deliberandi, his uerbis:* Puberem agnoscentem bonorum possessionem, posteaquam ei fuerat hæreditas delata, pro hærede gerere non ambigitur. *Concordat item l.neminem.27.ff.de adq.hæred. his uerbis:* Neminem pro hęrede gerere posse uino eo, cuius in bonis gerẽdum sit, Labeo ait. *Concordat item l.ult.in fin.C.qui ad bonor.possess. admit.cuius uerba uide j.except.21. Planè quod hæres ante delatam sibi hæreditatem apprehendit, postea delata hæreditate auferẽdum ei non est.quod approbatur l.ult.§.fin.ff.ad S.C.Tertyll.his uerbis:* Quando in pendenti est, an quædam personæ possint obstare matri,& casus tulerit, ut non inducãtur: matri ius integrum erit,quod medio tempore adprehenderit: ueluti si filio intestatò mortuo, posthumus ei filius potuerit nasci,nec natus sit, aut mortuus editus: uel etiam, quòd filius eius, qui in hostium potestate erat,postliminio non sit reuersus.

III.Exceptio: *Nisi ante quæstionem de familia interfecti testatoris habitam hæres adierit. De hac re uide j.cap.6.quæst.3.reg.2.item quæst.4.reg.8.*

IIII. Exceptio: *Nisi inutiliter fuerit institutus hæres. Hæc exceptio approbatur l.si is.22.§.fin.ff.de adq. hæred.his uerbis:* Si non iusto testamento scriptus hæres prolatis tabulis,cum putaret iustum esse, quamuis omnia pro domino administrauerit, hæreditatem tamen non adquiret. *Concordat l.bi demum.6.ff.de bonor.possess. secund.tabul.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.15.quæst. 2.except.7.distinct.2.*

V. Exceptio: *Nisi alius quàm hæres adijt uel petijt bonorum possessionem.Hæc exceptio approbatur quidem ipso iure:uerum eius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi iussu hæredis alius eius nomine petierit. quæ replicatio approbatur l.bona autem.3.§.adquirere.ff.de bonor.possess.cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.22. reg.1.except.1.repl.8.dupl.1. Huius replicationis duplicatio prima hæc est.: Nisi seruus iussu hæredis petat. Hæc duplicatio reprobatur l.seruus.7.in prin. ff.de bonor.possess.his uerbis:* Seruus ad bonorum possessionem rectè admitti potest,si prætor de cõditione eius certus sit. Nam & absenti,& non petẽti dari bonorum possesio potest, si hoc ipsum Prætor non ignoret. *Altera duplicatio est:Nisi seruus alienus uel liber homo iussu hæredis petierit. Hæc duplicatio approbatur l.si quis.25. in prin.ff.de adq.hæred.his uerbis:* Si quis mihi bona fide seruiat seruus alienus, iussu meo hæreditatem adeundo nihil promouebit, nec adquiret mihi,ne fructuarius quidem. *Huius duplicationis triplicatio hæc est:* Nisi liber homo, *qui bona fide possidetur,hæres sit institutus,& iussu bonæ fidei possessoris adierit. de qua re uide ẽ.lib.28.cap. 22.reg.3.except.11.* Tertia *duplicatio est:Nisi seruus, in quo hæres usumfructum habet, iussu eius hæreditatem adijt. Hæc duplicatio approbatur uerbis d.l.25.§. propositis hisce:* Nec adquiret mihi,ne fructuarius quidem. *Concordat l.additio.45.§.præterea.ff. de adquir.hæred.cuius uerba uide ẽ.d.excep.11.repl.2.* Quarta *duplicatio est:* Nisi seruus hæreditarius iussu hæredis adierit. *Hæc duplicatio approbatur l.hæres. 42. ff.de adquir.hæred. cuius uerba cum concordantibus uide ẽ.lib.21. cap.2. reg.8. except.1.* Quinta *duplicatio uidetur esse :* Nisi mutus seruus iussu domini adierit. *Hæc duplicatio reprobatur l.pater.92.§.fin.ff. de adquir.hæred. his uerbis:* Mutus seruus iussu domini pro hærede gerendo obligat dominum hæreditati. *Sexta duplicatio est:Nisi fœmina iussu hæredis petierit. Hæc duplicatio reprobatur l. seruus.7.in prin.ff.de bonor.possess.his uerbis:* Et fœmina poterit alij bonorum possessionẽ petere. *Septima duplicatio est:* Nisi is qui iußit, *antequam petatur,furere cœperit. Hæc duplicatio approbatur l.si quis.48.ff.de adq.hæred.his uerbis:* Si quis alicui mandauerit,ut si existimauerit, petat sibi bonorum possessionem:& postquam ille petijt,furere cœperit: nihilominus adquisita est ei bonorum possesio. Quòd si antequam ille petat, is qui mandauit petẽdam, furere cœperit: dicendum est,non statim ei adquisitam bonorum possessionem. Igitur bonorum possessionis petitio ratihabitione debet cõfirmari. *Concordat l.qui seruum.47. ff.eod.tt. cuius uerba uide j. except.prox.replic.1.duplic.12. Hæc de prima replicatione. Altera replicatio est:Nisi hæres aditionem seu petitionem ab alio factam, ratam habuerit. Hæc replicatio approbatur l.bona.3. §.adquirere.ff.de bonorum possess. cuius uerba uide ẽ. lib.28. cap.22. reg.1.except.1. repl.8.dupl.1. Huius replicationis duplicationes uide ẽ.libro 6. cap.8.quæst.3. except.4. item ẽ.libro prox.cap.13. except.12. repl.22.*

Tertia replicatio est: Nisi postquam bonorum possessio ab alio petita est, hæres furiosus sit factus. Quæ replicatio approbatur l. quoties. 16. ff. de bonor. possess. his uerbis: Quoties is cui bonorum possessio ab altero petita est, furere cœperit: magis probatur, ratũ eum uideri habuisse. Rati enim habitio ad confirmationem prioris postulationis pertinet. *Concordat l. bonorum. 24. in fine. ff. ratam rem haberi. cuius uerba uide §. lib. 6. cap. 8. quæst. 3. except. 4. repl. 1.* *Quarta replicatio est: Nisi actor uel alius municipij, uel alterius collegij hæredis instituti nomine adierit. Hæc replicatio approbatur l. bona. 3. §. à municipibus. ff. de bonor. possess. his uerbis:* A municipibus, & societatibus, & decurijs, & corporibus bonorum possessio agnosci potest. Proinde siue actor eorum nomine admittat, siue quis alius: rectè competet bonorum possessio. Sed & si nemo petat uel agnouerit bonorum possessionem nomine municipij: habebit municipiũ bonorum possessionem prætoris edicto. *Quinta replicatio est: Nisi tutor hæredis adierit. Hæc replicatio approbatur l. seruus. 7. §. impubes. ff. de bonor. possess. his uerbis:* Impubes nec bonorum possessionem admittere, nec iudiciũ sine tutoris authoritate accipere potest: quia tutor pupillo, & pater infanti filio bonorum possessionem petere possunt. *Cõcordat l. tutor. 8. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 13. except. 14. replic. 3. Concordat item l. bonorum. 7. C. qui ad bonor. possess. admitt. cuius uerba uide §. except. 8. replic. 4. Concordat item l. si infanti. 18. ibi: parente uerò. C. de iure deliberandi. cuius uerba uide §. repl. prox.* *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi tutor non bonorum possessionem petierit, sed pro hæredis tutore aliquid in hæreditate inscio pupillo gesserit. quæ duplicatio approbatur l. potuit. 5. in fine. C. de iure deliberãdi, his uerbis:* Potuit pupillus pro hærede tutore authore gerendo consequi successionem: sed ipsius actus & uoluntas fuit necessaria. Nam si quid nesciente eo tutor egit, illi hæreditatem non potuit adquirere. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi pupillus infans sit. quæ triplicatio approbatur d. l. 13. ibi: parẽte uerò.* *Altera duplicatio est: Nisi hæreditas plus incõmodi quàm commodi habeat. Hæc duplicatio reprobatur l. si pupil. 11. ff. de bonor. possess. his uerbis:* Si pupillo tutor bonorum possessionem petierit, & plus incommodi quàm commodi hæc bonorum possessio habeat: tutor tutelæ iudicio tenetur. *Sexta replicatio est: Nisi parens hæredis adierit. Hæc replicatio approbatur l. si infanti. 18. C. de iure deliberandi, his uerbis:* Si infanti, id est, minori septem annis, in potestate patris uel aui uel proaui constituto uel constitutæ, hæreditas sit derelicta, uel ab intestato delata à matre, uel linea ex qua mater descendit, uel alijs quibuscunq; personis: licebit parentibus eius, sub quorum potestate est, adire eius nomine hereditatem, uel bonorum possessionem petere. Sed si hoc parens neglexerit, & in memorata ætate infans decesserit: tũc parentem quidem superstitem omnia, ex quacunq; successione ad eũdem infantem deuoluta, iure patrio quasi iam infanti quæsita capere. Parente uerò non subsistente, siquidem post eius obitum tutor infanti fit, uel datus fuerit: posse eum etiam adhuc infante pupillo constituto, eius nomine adire hæreditatem, siue uiuo parente, siue post mortem eius ad eum deuolutam, uel bonorum possessionem petere, & eo modo eidem infanti hæreditatem quærere. Sin uerò uel nõ sit tutor, uel cum sit, ea facere neglexerit: tunc eodem infante in eadem ætate defuncto, omnes hæreditates ad eum deuolutas, & non agnitas, ita intelligi, quasi ab initio non essent ad eũ delatæ: & eo modo ad illas personas perueniant, quæ uocabantur, si minimè hæreditas infanti fuisset delata. Ea uerò quæ de infante in potestate parentum constituto statuimus, locum habebunt, etsi quacunq; causa sui iuris idem infans inueniatur. Sin autẽ septem annos ætatis pupillus excesserit, & priore parente mortuo, in pupillari ætate fati munus impleuerit: ea obtinere præcipimus, quæ uetere rib. continẽtur legibus: nulla dubitatione relicta, quin pupillus post impletos septem annos suæ ætatis ipse adire hæreditatem, uel bonorum possessionem petere, consentiente parente, si sub eius potestate sit: uel cum tutoris authoritate, si sui iuris sit, poterit: uel si non habeat tutorem, adire Prætorem, & eius decreto hoc ius consequi. *Concordat l. filiofam. 4. C. cod. tt. his uerbis:* Filio familiâs delata hæreditate, si pater pro hærede uoluntate filij gesit: solennitati iuris satisfactum uideri, sæpe rescriptum est. *Concordat item l. qui in aliena. 6. §. sed etsi non. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Etsi non adierit filius, diu tamen possedit pater hæreditatem: credendus est uterq; adijsse hæreditatem, ut diuus Pius & Imp. noster rescripserunt. *Planè propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi recusante filio, pater adijt: tunc enim non adquiritur filio, sed patri solùm, in cuius potestate est filius. quæ duplicatio approbatur l. cũ non. 8. §. sancimus itaque. C. de bonis quæ liberis. cuius uerba uide §. lib. 28. cap. 22. reg. 2. except. 3. repl. 1.* *Altera duplicatio est: Nisi hæres in potestate adeuntis parentis non sit. Hæc duplicatio approbatur simul & distinguitur exemplo matris l. Paulus. 15. ff. de bonorum possess. his uerbis:* Paulus respondit, solam petitionem matris non adquisijsse filio impuberi bonorum possessionem: nisi & is quĩ eam dedit, euidenter uoluerit eam impuberi dari. *Hæc de quinta exceptione eiusq; replicationibus sint dicta.*

VI. EX-

VI. Exceptio: *Nisi filiusfamiliâs uel seruus hæres hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur l. qui in aliena. 6. in prin. ff. de adqu. hæred. his uerbis:* Qui in aliena est potestate, non potest inuitum hæreditati obligare eum, in cuius est potestate, ne æri alieno pater obligetur. Sed in bonorum possessione placuit ratã haberi posse eam, quam citra uoluntatem agnouit is qui potestati subiectus est. Sed & si legitima hæreditas filio delata sit ex S.C. Orphitiano matris, idem erit probandum. *Concordat l. cum non solùm. 8. §. sanctimus. C. de bonis quæ liberis. cuius uerba uide §. libro 28. cap. 22. reg. 2. except. 5. repl. 1.* *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi iussu patris uel domini hæreditatem adierit. hoc enim casu iubenti patri uel domino hæreditas adquiritur. Quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §. lib. 28. cap. 22. reg. 2. & reg. 3.* *Eius autem duplicatio prima hæc est: Nisi iussus non præcedat, sed sequatur. quæ duplicatio approbatur l. si quis. 25. §. iussus. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Iussus eius qui in potestate habet, non est similis tutoris authoritati, quæ interponitur perfecto negocio: sed præcedere debet, ut Caius Cassius libro secundo Iuris ciuilis scribit. Et putat uel per internuncium fieri posse, uel per epistolam. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi bonorum possessio à filiofamiliâs sit petita, uel legitima hæreditas ex S.C. Orphitiano adita. hæc enim aditio rata potest haberi. quæ triplicatio approbatur l. qui in aliena. 6. in princ. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. ead. except. in prin.* *Altera duplicatio est: Nisi non præsens, sed per nuncium uel per epistolam pater iusserit. Hæc duplicatio reprobatur uerbis d. §. iussus, §. propositis hisce:* Et putat uel per internuncium fieri posse, uel per epistolam. *Tertia duplicatio est: Nisi generaliter, non specialiter iusserit. Hæc duplicatio approbatur d. §. iussus, his uerbis:* Sed utrũ generaliter, Quæcunq; hæreditas tibi fuerit delata: an specialiter? Et magis placet (ut Caius Cassius scripsit) specialiter debere mandari. *Quarta duplicatio est: Nisi uiuente adhuc eo, de cuius hæreditate agitur, iusserit. Hæc duplicatio approbatur d. §. iussus, his uerbis:* Sed an nominatim de uiui hæreditate mandari possit, quæritur? Sed ego non puto recipiendũ, ut de uiui hæreditate mandetur. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi rumor fuit, eum esse mortuum. Hæc triplicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Planè si rumor fuit, Lucium Titium decessisse: poterit ei mandari, ut si scripsit eum, adeat, etsi clausæ adhuc tabulæ sint, & sic incertum an filius scriptus sit hæres. *Quinta duplicatio est: Nisi ante apertas testamenti tabulas iusserit. Hæc duplicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Etsi clausæ adhuc tabulæ sint, &c. *Sexta duplicatio est: Nisi iussus excesserit fines mandati. Hæc duplicatio approbatur exemplo d. l. 25. §. si coram, his uerbis:* Si coram Titio iusserit adire, scilicet arbitrio Lucij Titij: rectè puto iussisse. *Approbatur item alijs exemplis d. l. 25. §. sed si mandauit, his uerbis:* Si mandauit quasi ex asse instituto, & inueniatur ex parte: non puto ex iussu adijsse. Quòd si ex parte iussit, potest ex asse adire: aliter atque si mandauit quasi ab intestato, & ex testamento adijt. Nam non puto quidquam egisse. At si ex testamento mandauit, potest & ab intestato: quoniam non fecit deteriorem conditionem patris. Idemque etsi quasi instituto præcepit, & inueniatur substitutus, uel contrà. Sed si mandauit, ut patris adiret, sit autem & impuberi substitutus: non sufficit iussus. Planè si sic mãdauit, Si qua ex testamento Lucij Titij deferatur hæreditas: potest defendi iussu adijsse. *Approbatur item alio exemplo l. eum qui. 51. §. filiusfamiliâs. ff. eod. tt. his uerbis:* Filiusfamiliâs hæres scriptus, patrem suum certiorem fecerat, uideri sibi soluendo esse hæreditatem. Pater rescripserat, sibi parum idoneam renunciari: itaq; debere eum diligentius explorare, & ita adire, si idoneam comperisset. Filius acceptis literis patris, adijt hæreditatem. dubitatum est, an rectè adijsset? Sed probabilius dicetur, quamdiu persuasum ei non sit, soluendo esse hereditatem: patrem non obligasse. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi conditio patris iubentis non deterior sit facta. quæ triplicatio approbatur uerbis d. §. sed si mandauit, §. propositis hisce:* At si ex testamento mandauit, poterit & ab intestato: quoniam non fecit deteriorem conditionem patris. *Huius etiam aliud exemplum ibidem propositũ est in hæc uerba:* Quòd si ex parte iussit, potest ex asse adire. *Altera triplicatio est: Nisi cum filius aliquid facere iussus esset, quod sine additione fieri non potuit: filius adierit. hoc enim casu, quamuis nominatim adire iussus non sit, ualet tamen aditio. quæ triplicatio approbatur d. l. 25. §. sed quid si mãdauit, his uerbis:* Quid si mandauit ut hæreditatem colligat: an uideatur mãdasse ut adeat? quid si ut petat bonorum possessionem, aut ut rem hæreditariam distrahat? aut quid si petitam bonorum possessionem ratam habuit, mox filius adeat hereditatem? uel quid si pro hærede gerere mandauit, filius adijt hæreditatẽ? an iussu uideatur adijsse, dubitari potest? Imò uerius est, ex his omnibus additionem esse introducendam. Pater filio ita scripsit: Scio fili, quòd pro tua prudẽtia inuigilabis hæreditati delatæ tibi à Lucio Titio. puto iussu patris adijsse. *Septima duplicatio est: Nisi sub hac conditione, Si expediat adire: uel, Si putas expedire, adito. Hæc duplicatio reprobatur d. §. sed quid si mandauit, in fine, his uerbis:* Quid si mandauit: Si expediat adire, adito: si putas expedire, adito? erit iussu aditum. *Octaua duplicatio est: Nisi filio & patre, uel seruo & domino simul hæredibus instituti-*

eius:filius uel seruus iussu patris aut domini adierit. hoc enim casu iussus & aditio tantùm pro ea parte, ex qua filius uel seruus hæres institutus est, nalere uidetur, non etiam pro parte, ex qua ipse pater uel dominus est institutus. Sed hæc duplicatio reprobatur per ea quæ proponentur *l.reg.prox.* Nona duplicatio est: Nisi iubentem postea ante additionem pœnituerit. Hæc duplicatio approbatur *l.si quis.25.§.fin.ff.de adq.hæred. his uerbis:* Si posteaquam iussit, pœnitentiam egit priusquam adiret: nihil agit adeundo. Decima duplicatio est: Nisi iubens sese adrogãdum dederit ante additionem. quæ duplicatio approbatur *d.§. fin.his uerbis:* Si se adrogandum dederit, priusquam filius adiret: non est adquisita hæreditas. Vndecima duplicatio est: Nisi iubens ante additionem sit mortuus. Hæc duplicatio approbatur *l.si per epist.30. ff.de adquir.hæred.his uerbis:* Si per epistolam seruo pupilli tutor hæreditatem adire iusserit: si post scriptam epistolam tutor moriatur, antequam ex epistola seruus adiret: nemo dicturus est, obligari postea pupillum hæreditati. Duodecima duplicatio est: Nisi iubens ante additionem furere cœperit. Hæc duplicatio approbatur *l.qui seruum.47.ff.eod.tt.his uerbis:* Qui seruum suum hæredem institutum adire iusserat, priusquam ille adiret, furiosus est factus. Africanus negauit, rectè seruũ aditurum: quoniam non nisi uoluntate domini adquiri hæreditas potest. furiosi autẽ uoluntas nulla est. Concordat *l.si quis.48.ff.eod. tt.cuius uerba uide §.except.prox.repl,1.dupl.7.* Decimatertia duplicatio est: Nisi iubens incertus sit, utrum ex asse, an pro parte institutus sit filius: item utrum institutus, an substitutus, an ab intestato sit hæres. Hæc duplicatio approbatur *l.pater.92.in prin. ff.eod.tt. his uerbis:* Pater, quoties filio mandat adire: certus esse debet, pro parte, an ex asse: & ex institutione, an ex substitutione: ex testamento, an ab intestato filius suus hæres existat. Decimaquarta duplicatio est: Nisi iubens mutus sit. Hæc duplicatio reprobatur *d.l.92.§.mutus, his uerbis:* Mutus pater uel dominus, filio uel seruo hęredibus institutis, magis est, ut si intellectu non careat, nutu iubere possit adire hæreditatem, ut ei iure eius commodum quæri possit. Quod facilius explicari poterit scientia literarum. Decimaquinta duplicatio est: Nisi seruus, postquam iussus est, ante additionem fuerit alienatus. Hæc duplicatio approbatur *l.Antistius. 61. §.fin.ff.de adqu.hæred.his uerbis:* Si seruus hæres institutus, post iussum domini, antequam adiret, alienatus esset: nouum iussum posterioris domini, non iussum prioris exigitur. Concordat *Instit.de hæred.instit.§.alienus. cuius uerba uide §. lib.28. cap.22. reg.3.except.1.* Decimasexta duplicatio est: Nisi alius quàm dominus uel pater iusserit. Hæc duplicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius triplicatio prima hæc est: Nisi fisci seruo hærede instituto, procurator Cæsaris iusserit. quæ triplicatio approbatur *l.si quis.25.§.si fisci. ff.de adquir.hæred.his uerbis:* Si fisci seruus sit: iussu procuratoris Cæsaris adibit hæreditatem, ut est sæpe rescriptum. Concordat *l.aufertur.46.§.penult. ff.de iure fisci,his uerbis:* Seruus Cæsaris, si iussu procuratoris adijt hæreditatem, Cæsari uolenti adquirit. Altera triplicatio est: Nisi seruus dotalis mariti iussu adierit. quæ triplicatio approbatur *l.seruus.58. ff.soluto matrim. his uerbis:* Seruus dotalis hæres ab aliquo institutus, mariti iussu uel adire, uel repudiare debet hæreditatem. Sed ne maritus aut facilè repudiando, uel temerè suscipiendo incognitam successionem doris iudicio uxori suæ obliget: consulendum est, mulierem coram testibus interrogari, utrum uelit omittere, an adquirere hæreditatem? Et si repudiare se dixerit, facilè mariti iussu repudiabit. Quòd si hæreditatem agnoscere maluerit: reddendus est à marito seruus uxori ea conditione, ut cùm iussu eius adierit, rursus marito restituatur. Ita & mariti solicitudini consuletur, & uxoris desiderio parebitur. Decimaseptima duplicatio est: Nisi pater in potestate sui patris existens, filium adire iusserit. Hæc duplicatio approbatur *l.filiusfam.91.ff.de adq.hæred.his uerbis:* Filiusfamiliâs duxit uxorem. ea filijs sublatis intestata decessit. filij iussu patris, non aui, adierunt hæreditatem. quæro, an auo adquisita sit hæreditas? Paulus respondit, secundum ea quæ proponerentur, nihil actum esse. Decimaoctaua duplicatio: Nisi seruus plurium, non omnium dominorum iussu adierit. Hæc duplicatio reprobatur *l.seruus.63. ff.de adqu. hæred. cuius uerba uide §.libro 28.cap.13.except.134. replic.1.duplic.1.* Decimanona duplicatio est: Nisi plures domini hæredis instituti, non simul, sed separatim iusserint. Hæc duplicatio reprobatur *l.cum solus.67. ff.d.tt.his uerbis:* Cum solus seruus hæres, &c. Hæc de prima replicatione, cuiusq; duplicationibus sint dicta. de qua re plura uide §. *lib.28.capite 22.reg.2.& reg.3.* Altera replicatio est: Nisi pater uel dominus additionem à filio uel seruo factam, ratam habeat. De hac re uide §. *replic.prox.duplic.1.* Sanè approbatur *l.si quis. 25. §.iussus. ibi: aut quid si petiam. ff. de adquir.hæred. cuius uerba uide §. replic.prox.duplic.6. triplic.2.* Tertia replicatio est: Nisi pater sit furiosus. Hæc replicatio approbatur *l.cum hæres.52.in prin. ff.de adquir. hæred. his uerbis:* Cum hæres institutus esset filius, & haberet patrem furiosum, in cuius erat potestate: interponere se suam beneuolentiam diuus Pius rescripsit, ut si filiusfamiliâs adierit, perinde habeatur, atque si paterfamiliâs adijsset, permisitq; ei & seruos hæreditatis manumittere. Quarta replicatio est: Nisi pater reipublicæ causa absens, filium iubere non potuit. Hæc replicatio approbatur *l.cum quidam.30. in princ. ff.de adquir. hæred. his uerbis:* Cum quidam legationis causa absens

sens filium hæredem institutum non potuisset iubere adire, in prouincia agens: diuus Pius rescripsit consulibus, subuenire ei oportere mortuo filio, eo quòd reipub. causa abfuerit. Quarta replicatio est: Nisi pater uel dominus simul cum filio uel seruo institutus, ex sua parte adierit. Hæc replicatio reprobatur *l.si ex.16. ff. de adqu.hæred.his uerbis:* Si ex sua parte dominus uel pater adierit: necessarium est iussum, ut filius uel seruus cohæredes adeant. Sexta replicatio est: Nisi filius uel pater diu possederit hæreditatem à filio aditam. Hæc replicatio approbatur *l.si filiusfam.10. C.de petit.hæred.his uerbis:* Si filiusfamiliâs delatam sibi hęreditatem per longum tempus detinuit: eo ipso (utputa agnita hæreditate) patri suo commodum eius adquisisse uidetur. Concordat *l.qui in aliena.6.§.sea etsi.ff.de adq.hæred. cuius uerba uide §.except.prox.repl.6.* Hæc de sexta exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Planè exceptio hæc in filiofamiliâs uidetur mutata: cùm iure nouo etiam sine consensu patris adire possit. *l.cum non solùm.8.§.sine è contrario.C.de bonis quæ liberis.*

VII. Exceptio: Nisi is, cui bonis interdictum est, hæreditatem adierit. Hæc exceptio reprobatur *l.mutum.5.in fine.ff.de adquir.hæred.his uerbis:* Eum cui lege bonis interdicitur, hæredem institutum posse adire hæreditatem, constat.

VIII. Exceptio: Nisi pupillus uel impubes hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur *l.more.8. in prin. ff.de adqu.hæred.his uerbis:* More nostræ ciuitatis neque pupillus, neque pupilla sine tutoris authoritate obligari possunt. Hæreditas autem quin obliget nos æri alieno, etiamsi non sit soluendo, pluisquam manifestum est. De ea autem hæreditate loquimur, in qua non succedunt huiusmodi personæ quasi necessariæ. Concordat *l.seruus.7.§. impubes.ff.de bonorum possess.* cuius uerba uide §. *except.5. replic.5.* Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi tutoris authoritas interuenerit. quæ replicatio approbatur *l.potuit.5. C.de iure deliberandi.* cuius uerba uide §. *except.5.replic.5.duplic.1.* Concordat *l.si infanti.18. §.fin. C. eodtt.* cuius uerba uide §. *except.5. replicat.6.* Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi infans sit pupillus. Hæc duplicatio reprobatur *d.l.18. §.parente.* cuius uerba uide *d. replic.6..* Concordat *l.pupillus.9. ff.de adquir. hæred. his uerbis:* Pupillus, si fari possit, huius tamen ætatis sit, ut causam adquirendæ hæreditatis non intelligat: quamuis non uideatur scire huiusmodi ætatis puer (neque enim scire, neque discernere talis ætas potest, non magis quàm furiosus) tamen cum tutoris authoritate hæreditarem adquirere potest. hoc enim fauorabiliter ei præstatur. Planè admittitur duplicatio proposita, si infans fari non possit: ut ex iam dictis constat. Cui concordat *l.1. C.ad senatusconsl. Tertyll.* cuius uerba uide §. *lib.proxim.cap.5.reg.§.except.11.* Altera duplicatio hæc esse uidetur: Nisi is tutor author factus sit, qui tutelam non gerit. Hæc duplicatio reprobatur *l.pupillum.49.ff.de adquir.hæred.his uerbis:* Pupillum etiam eo tutore authore, qui tutelam non gerat, hæreditatem adeundo obligari, Africanus ait. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi impubes, qui in alterius potestate est, eius iussu, in cuius est potestate, hæreditatem adierit. Hæc replicatio approbatur *l.more.8. §.fin.ff.de adquir. hæred. his uerbis:* Impubes, qui in alterius potestate est, si iussu eius adierit hæreditatem, licet consilij capax non fuerit, ei adquirit hæreditatem. Tertia replicatio est: Nisi pupillus suus hæres sit defuncto. Hæc replicatio approbatur *Instit. de hæred.quæ ab intest.§.sui autem, in fine.* cuius uerba uide §. *lib.prox.cap.13. except.12.replic.19.* Quarta replicatio est: Nisi index impuberi, sine tutoris authoritate bonorum possessionem petenti, sciens permiserit. quæ replicatio approbatur *l.bonorum.7. C.qui ad bonor.possess.admitt.his uerbis:* Bonorum quidem possessionem pupilli nomine agnoscere tutorem potuisse, apertè declaratur. Ipse autem pupillus bonorum possessionem sine tutoris authoritate amplecti non potest: nisi etiam impuberi sine tutoris authoritate hoc postulanti, sciens hoc competẽs iudex dedit bonorum possessionem. tunc enim emolumentum successionis uidetur prætorio iure quæsitum esse.

IX. Exceptio: Nisi furiosus hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur *l.furiosum.62.ff.de adqu.hæred.his uerbis:* Furiosus adquirere sibi commodum hæreditatis ex testamento non potest, nisi necessarius patri aut domino hæres existat. Per alium autem adquiri ei potest: ueluti per seruum, uel eum quem in potestate habet. Concordat *l. cum furiosus.7. §.fin autem perpetuò, cum sequentib. C.de curatore furiosi. cuius uerba uide §.lib.18. cap.7. quæst.1.reg.1.except.3.repl.3.*

X. Exceptio: Nisi mutus aut surdus hæreditatẽ adierit. Hæc exceptio reprobatur *l.mutum.5.in prin. ff.de adquir.hæred. his uerbis:* Mutum, necnon surdum, etiam ita natos, pro hærede gerere, & obligari hæreditati posse constat. Concordat *l.pater.92.§.fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except.5. repl.1.dupl.5.* Concordat item *Instit.de hæred.qual.& differ.§.fin.his uerbis:* Eum qui mutus uel surdus natus, uel postea factus est: nihil prohibet pro hærede gerere, & adquirere sibi hæreditatem: si tamen intelligit quod agit. Concordat item *l.2.ff.de bonor.possess.furioso, &c.his uerbis:* Mutus, surdus, cæcus, bonorum possessionem admittere possunt, si quod agatur intelligant.

XI. Exceptio: Nisi cæcus hæreditatem adeat. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam dictis hisce: Mutus, surdus, cæcus, &c.

XII. Exceptio: Nisi duobus institutis, à quibus posthumus exhæredatus est, qui à substitutis exhæredatus non est: alter institutorum sine altero adierit. Hæc exceptio approbatur l.si ego.19. §.fin. ff.de iniusto test. cuius uerba uide ſ. lib.28. cap.15. except.176. repl.15.dupl.3.

XIII. Exceptio: Nisi ciuitas uel aliud corpus aut collegium hæreditatem agnoscat. Hæc exceptio reprobatur l.bona.3. §.à municipibus.ff.de bonor.possess. cuius uerba uide ſ.except.5.repl.4.

XIIII. Exceptio: Nisi absens bonorum possessionem petat. Hæc exceptio reprobatur l.seruus.7.in prin. ff.de bonorum possess. cuius uerba uide ſ.except.5.replic.1.duplic.1.

XV. Exceptio: Nisi is qui adit, incertus sit de iure suo, uel erret. Hæc exceptio approbatur exemplo l.1. §.semel.ff.secund.tabulas, his uerbis: Scientiam exigemus, ut sciat hæres extare tabulas, certusq; sit delatam sibi bonorum possessionem. *Aliud exemplum est huic non absimile: Si is qui hæreditatem adit, ignorat testatorẽ esse mortuum. quod exemplum proponitur l.qui hæred.19. ff.de adquir.hæred.his uerbis*: Qui hæreditatem adire, uel bonorũ possessionem petere uolet: certus esse debet, defunctum esse testatorem. *Concordat l.hæres.32.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Hæres institutus, si putet testatorem uiuere: quamuis iam defunctus sit, adire hæreditatem non potest. *Concordat item l.nec nos.4. C.de postliminio, his uerbis*: Nec nos præterijt, hæreditatem eius, quam incognitum erat ab hostibus interfectam an captam esse, à filio adiri non potuisse: quando eorum bona, qui in hostium potestatem rediguntur, eo demum tẽpore successionis iure adquiri possint, cum captos apud hostes mortuos esse cognoscitur: nec super facultatib. eius, cuius incerta uita ac fortuna fuit, transigi uel iudicari potuit. Vnde posteaquam apud hostes materterã uestram fati munus impleſſe innotuit: tunc uobis licentia permittitur agnoscẽdæ per bonorum possessionem successionis. Non officientibus enim quæ perperam gesta sunt, si priorem gradum obtinetis, successionis compẽdium ad uos pertinet. *Tertium exemplum est: Si de conditione testatoris incertus sit, utrum testari potuerit, nécne? quod exemplum proponitur l.hæres.32.§.fin.ff.de adqu.hæred. his uerbis*: Sed & si de conditione testatoris incertus sit, paterfamiliãs an filiusfamiliãs sit: non poterit adire hæreditatem, etsi eius conditionis sit, ut in ueritate testari potuerit. *Concordat l.sed si.34.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ. Huius exempli replicatio hæc est: Nisi incertus sit, utrum testator apud hostes, an ciuis Romanus decesserit. Quæ replicatio approbatur l. quòd si.33.ff.eod.tt.his uerbis*: Quòd si dubitet, an apud hostes decesserit, an ciuis Rõmanus: quoniam utroq; casu est ius adeundi, & in re est ut possit adire: dicẽdum est, posse adire. *Quartum exemplum est: Si ignorat, utrum ex testamento, an ab intestato sit hæres. quod exemplum proponitur Inſtit.de hæred.qualit.& differ. §.pro hærede.ibi: dummodò sciat. cuius uerba uide ſ.eod.cap.in prin. Concordat l.pater.92.in prin.ff.de adqu.hæred. cuius uerba uide ſ.except.6.repl.1.dupl.13. Concordat item l.1.§.semel.ibi: scientiam.ff.secundum tabulas. cuius uerba uide ſ.ead.except.in prin. Concordat item l. si is.22.ibi: nam ut quis.ff.de adq.hæred. cuius uerba uide ſ.except.18. Quintum exemplum est: Si ignoret, utrũ ex institutione, an ex substitutione sit hæres. quod exemplum proponitur d.l.92.in prin. Sextum exemplum est: Si ignorat, utrum pro parte, an ex asse sit hæres. quod exemplum etiam proponitur d.l.92.in prin. Planè huius exempli replicatio prima hæc est: Nisi ex parte institutus uentrem cohæredem habeat, & ignoret cohæredem seu posthumum non nasciturum. Hæc replicatio approbatur l.illud.5. ff.si pars hæred. petatur, his uerbis*: Illud sciendum est, si mulier prægnans non sit, existimetur autem prægnans esse: interim filium hæredem esse ex asse, quanquam ignoret se ex asse hęredem esse. Idem est in extraneo, si ex certa portione hæres institutus sit, ex reliqua posthumus. Quòd si fortè ita institutio facta est: Quotcunq; mihi nati erunt, & Lucius Titius pro uirilibus portionibus hæredes mihi sunto. habebit hæsitationem, nũquid adire non possit, atq; qui in testamento portionem suam nescit? Sed utilius est, posse eũ adire qui nescit portionem: si cętera quæ oportet eum scire, non ignoret. *Concordat l.1. §.interdum.ff.eod.tt.his uerbis*: Interdum Prætor incertæ partis hæreditatis petitionẽ indulget, idoneis cautis interuenientibus. utputa, est defuncti fratris filius, & uxores defunctorum fratrum prægnantes. Quam partem fratris filius hæreditatis uindicet, incertum est: quia quot edãtur fratrum defunctorum filij, incertum est. Æquissimũ est igitur, incertæ partis uindicationem ei cõcedi. Non audenter tamen dicetur, ubicunq; meritò quis incertus est, quam partẽ uindicet: debere incertæ partis uindicationem concedi. *Concordat item l.cum quidam.30.§.suum.ff.de adq. hæred. cuius uerba uide ſ. lib.prox.cap.15.quæſt.1.except.9.repl.4.dupl.1.tripl.1. Concordat item l.intestato.3.§.est autem.ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide ſ.lib.proxim. cap.13.quæst.1.except.9. repl.4. Altera propositi exempli replicatio est: Nisi ex parte institutus ignoret cohæredem suam portionem repudiasse, & ita se ex asse hæredem effectum. Hæc replicatio approbatur l.si quis.21.§.fin.ff.de adq.hæred. cuius uerba uide ſ.exemplo 9. Tertia replicatio est: Nisi ex parte se institutum sciens, ignoret pro qua parte sit institutus. Hæc replicatio approbatur d.l.21.§.sciendum, his uerbis*: Sciendum est (ut Iulianus scripsit) si quis partẽ, ex qua institutus est, ignorauit: nihil

nihil ei nocere, quo minus pro hærede gerat. Quod & Cassius probat, si conditionem, sub qua hæres institutus est, non ignorat: si tamen extitit conditio, sub qua institutus est. *Contradicit l.ex semisse.74.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.except.24. Hæc de sexto exemplo eiusq; replicationibus sunt dicta. Septimum propositæ exceptionis exemplum est: Si is qui hæreditatem adit, ignorat utrum purè, an sub conditione hæres sit institutus. quod proponitur l.hæres.32.§.sed etsi scit.ff.de adq. hær.his uerbis*: Si scit se hæredem institutum, sed utrum purè, an sub conditione, ignoret: non poterit adire hæreditatẽ, licet purè hæres institutus sit, uel sub conditione, & paruerit conditioni. *Huius exempli replicatio hæc est: Nisi cum purè institutus esset, putauit se sub conditione institutum: eaq; conditione, quam putabat, impleta adijt. Hæc replicatio approbatur l.sed si.34. §.sed etsi cum.ff.eod.tt.his uerbis*; Si cum esset purè institutus, putauit sub conditione, & impleta conditione quam iniectam putat, uel putãs eam impletã, adijt: an possit adquirere hæreditatem? consequens est dicere, hæreditatem posse eum adire: maximè cum hæc suspicio nihil ei obfuerit, nec periculum attulerit. Facilius quis admittet, si quis purè institutus, putauit sub conditione se institutum, conditionemq; impletam, quam in euentum putabat: nam in nullo hæc suspicio obfuit. *Octauum exemplum est: Si dubitet, utrum testamentum ex quo adit, ualeat, nécne? Hoc exemplum proponitur l.eũ qui.51.in prin.ff.de adq.hæred.his uerbis*: Eum qui duob. testamentis eiusdem testatoris hæres scribitur: cũ dubitet, num posterius falsum sit, ex neutro eorum posse hęreditatem adire, placet. *Concordat l.cum falsum. 46.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.15.quæst. 1.reg.1.except.2. Nonum exẽplum est: Si ignoret hæres conditionem, sub qua institutus est, extitisse. quod exemplum proponitur l.multum.20.ff.de conditionib. & demonstr.his uerbis*: Multũ interest, conditio facti, an iuris sit. Nam huiusmodi conditiones, Si nauis ex Asia uenerit, Si Titius cõsul factus fuerit: quamuis impletæ sint, impedient hæredem circa adeundam hæreditatem, quamdiu ignorarit eas impletas esse. Quæ uerò ex iure uenient, ex his nihil amplius exigendũ, quàm ut impletæ sint. uelut si quis se filium familiãs existimat, cum sit paterfamiliãs, poterit adquirere hæreditatem. Quare & ex parte scriptus hæres, qui ignorat an tabulæ testamẽti apertæ sint, adire hæreditatem poterit. *Concordat l.2.in fine.ff. eod.tt. cuius uerba uide ſ. lib.34.cap.5.quæst.1.except. 17. Huic exemplo cõtradicit l.si quis.21.§.fin.ff.de adq. hær.his uerbis*: Quid tamẽ, si ignorat conditionem extitisse? puto posse adire hæreditatẽ: quemadmodũ si ignoret, an cohæredis, cui substitutus est, repudiatione portio ei delata sit. *Hæc de exemplis. Planè propositæ exceptionis replicatio generalis hæc est*: Nisi hæres de sua conditione dubitet, uel erret. *hoc enim ipsi adeunti non obstat, quæ replicatio approbatur uerbis d.l.20. iam propositis hisce*: Quæ uerò ex iure ueniẽt, ex his nihil amplius exigendum, quàm ut impletę sint. ueluti si quis se filiũfamiliãs existimat, cum sit paterfamiliãs, poterit adquirere hæreditatem. *Concordat l.sed si.34.in prin.ff.de adq.hæred. his uerbis*: Sed si de sua conditione quis dubitet, an filiusfamiliãs sit: posse eum adquirere hęreditatem, iam dictum est. Cur autem, si suam ignoret cõditionem, adire possit: si testatoris, non possit? Illa ratio est, quòd qui conditionem testatoris ignorat, an ualeat testamentũ, dubitat: qui suam, de testamento certus est. *Concordat l.qui in aliena.6.§.fi is qui. ff.de adqu.hær.his uerbis*: Si is qui putabat se filiumfamiliãs, patris iussu adierit: eum neq; sibi, neq; ei qui iusit, quæsisse hæreditatem constat, quanquam is quem pater iusit adire, & decesit, si adierit iam mortuo patre, obliget se hęreditati, ut Iulianus lib. XXX. Digest. scripsit. nam & eum qui dubitat, utrum filiusfamiliãs, an paterfamiliãs morte patris factus sit, posse adire hæreditatẽ, magis admittit. *Concordat item l.qui putat.73.§.fin.ff. eod.tt.his uerbis*: De eo qui hæres institutus ab aliquo, dubitat an libertas ei ex testamento domini obtigerit, cum nesciat cõditionem libertatis extitisse, uæl hęreditatem aditam: an adeundo hæres fiat, uidendum est? Iulianus hunc dicit fieri hæredem. *Concordat item l.qui se.95. ff.eod.tt. his uerbis*: Qui se pupillum falsò existimans, cum esset pubes, pro hære de gesit: quo minus hæres existat, nihil error talis ei nocebit. *Altera replicatio est: Nisi ignorat tabulas testamenti apertas esse. Hæc replicatio approbatur l.multum.20.§.fin. ff.de condit.& demonstrat. cuius uerba uide paulò superius exemplo 9. Hæc de decimaquinta exceptione sint dicta.*

XVI. Exceptio: Nisi coactus adierit ui uel metu. *Hæc exceptio approbatur l.qui in aliena.6.§.fin. ff.de adq.hæred.his uerbis*: Celsus lib. XV. Digest. scripsit, eum qui metu uerborum, uel alio timore coactus, fállens adierit hæreditatem: siue liber sit, hæredem non fieri placet: siue seruus sit, dominum hæredem non facere. *Concordat l.si metus.84. ff.eod.tt. his uerbis*: Si metus causa adeat aliquis hæreditatẽ: fiet, ut quia inuitus hæres existat, detur abstinendi facultas. *Concordat item l.bona.3. §. inuito. ff.de bonor.possess. his uerbis*: Inuito nemini bonorum possessio adquiritur. *Concordat item l.nec emere.16.C.de iure deliberandi, his uerbis*: Nec emere, nec donatum assequi, nec damnosam quisque hæreditatem adire compellitur. *Concordat item l.ult. C.unde legitimi, his uerbis*: Certum quidem est, cognationis iure citra admissionem

missionem bonorũ possessionis neminem posse succedere. Defunctis uerò cognati succedere nolentes, bonorum possessionem petere non urgentur. *Planè is qui rogatus est hæreditatem restituere, urgeri potest à fideicommissario, ut hæreditatem adeat, eamq; sibi restituat, idq; ex S.C. Trebelliano. de quo ī. suo loco dicetur. Is tamẽ qui compulsus adijt, defenditur per exceptionẽ, siue is qui compulit, postea accipiat hæreditatem, siue non. l.1. §. sed si quis. ff. de separationibus. cuius uerba uide ſ. lib. 8. cap. 20. quæst. 1. causa 2. distinct. 2.*

XVII. Exceptio: *Nisi iussu quasi domini uel patris adierit. Hæc exceptio approbatur l. qui putat. 73. §. qui bona. ff. de adquir. hæred. his uerbis*: Qui bona fide seruit, si quasi iussu domini adierit, non obligabitur. Similis est huic statuliber, qui iussus ab hærede hæreditatem adire: post conditionem libertatis existẽtem, cùm hoc ignoraret, adijt. *Concordat l. si liber homo. 57. in prin. ff. de hæred. instituendis. cuius uerba uide ſ. lib. 21. cap. 2. reg. 6. except. 1. Concordat item l. cum aliquis. 21. C. de iure deliberandi. cuius uerba uide ſ. lib. 28. cap. 22. reg. 3. except. 10. Concordat item l. qui in aliena. 6. §. si is qui. ff. de adqu. hæred. cuius uerba uide ſ. except. 15. repl. gener. 1.*

XVIII. Exceptio: *Nisi non tanquam hæres adeundi animo, sed ex alia causa quid in rebus hæreditarijs gesserit. Hæc exceptio approbatur l. pro hærede. 20. ff. de adqu. hæred. his uerbis*: Pro hærede gerere uidetur is, qui aliquid facit quasi hæres. Et generaliter Iulianus scribit, eum demum pro hærede gerere, qui aliquid quasi hæres gerit. Pro hærede autem gerere, non tam esse facti, quàm animi. Nam hoc animo esse debet, ut uelit hæres esse. Cęterùm si quid pietatis, si quid custodiæ causa fecit, si quid nõ quasi hæres egit, sed quasi alio iure dominus: apparet non uideri pro hærede gessisse. Et ideo solent testari liberi, qui necessarij existunt, non animo hæredis se gerere quæ gerunt: sed aut pietatis, aut custodiæ causa, aut pro suo. utputa patrem sepeliuit, uel iusta ei fecit: si animo hæredis, pro hærede gessit. Enimuerò si pietatis causa hoc fecit, non uidetur pro hærede gessisse. Seruos hæreditarios pauit: iumenta hæreditaria aut pauit, aut distraxit. Si hoc ut hæres gessit, pro hærede: at si non ut hæres, sed ut custodiat, aut quia putauit sua, aut dum deliberat, quid fecit, consulens ut saluæ sint res hæreditarię, si fortè ei non placuerit pro hærede gerere: apparet non uideri pro hærede gessisse. Proinde etsi fundos aut ædes locauit uel fulsit, uel quid aliud fecit, non hoc animo quasi pro hęrede gereret: sed & dum ei qui substitutus est, uel ab intestato hæres extaturus est, prospicit, aut res tempore perituras distraxit: in ea causa est, ut pro hærede non gesserit: quia non hoc animo fuerit. Si quid tamen quasi hæres petat, sed ex his quæ ad hæredem extraneum non transeunt: uideamus, an oneribus se immerserit hæreditatis: utputa à liberto parentis operas petit, quas hæres extraneus petere non poterat, hic tamẽ petendo consequi poterit: & constat, eum pro hærede non gessisse, cum petitio earum etiam creditoribus competat, & maximè futurarũ. Sed & quĩ in sepulchrum hæreditarium mortuum intulit, obligari paternis creditoribus non est existimandus, ut Papinianus ait. Quæ sententia humanior est, licet Iulianus contrà scripserit. Papinianus scribit, filium hæredem institutum, qui se bonis paternis abstinuit, uulgò putare quosdam, si à statulibero pecuniam accepit, à creditoribus conueniendum, siue numi peculiares fuerint, siue non fuerint: quia ex defuncti uoluntate accipitur, quod conditionis implendæ causa datur. Iulianus autem, etsi non abstinuit, idem existimauit. Ita demum autem pro hærede gessisse Papinianus ait, si solus hæres sit. Cæterùm si cohæredem habeat, & cohæres adijt, non est cogendus (inquit) is qui accepit à statulibero, actiones creditorum suscipere. Nam cùm se filius abstinet: idem debebit consequi iure prætorio, quod emancipatus consequitur, qui hæreditatem repudiauit. Quo facto, statuliber filio nominatim pecuniam dare iussus, potuisset & non hæredi dando ad libertatem peruenire. Itaq; tunc pro hærede geri dicendum esse ait, quoties accipit quod citra nomen & ius hæredis accipere non poterat. Si sepulchri uiolati filius ageret, quamuis hæreditarij: quia nihil ex bonis patris capit, non uidetur se bonis miscere. Hæc enim actio pœnam & uindictam (potius) quàm rei persecutionem continet. *Concordat propositæ exceptioni inst. de hæred. qual. & differ. §. pro hærede. cuius uerba uide ſ. eod. cap. in prine. Concordat item l. 1. C. de repud. hæred. his uerbis*: Si paterna hæreditate te abstinuisse cõstiterit, & non ut hæredem in domo, sed ut inquilinum uel custodem, uel ex alia iusta ratione habitasse, si quidò fuerit probatũ: ex persona patris conueniri te, procurator meus prohibebit. *Concordat item l. non hoc. 4. C. unde legitimi, his uerbis*: Non hoc, an tenuerit quis res hæreditarias, nécne, sine uoluntate adquirendæ sibi hæreditatis, quærendum est: sed an admisit hæreditatem, uel bonorum possessionẽ. *Aliæ propositæ exceptionis exempla proponuntur l. si is. 22. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Si is ad quem legitima hæreditas pertinet, putauerit defunctũ seruum suum esse, & quasi peculium eius nactus sit: placet, non obligari eum hæreditati. Idem ergo dicemus (ut ait Põponius) si quasi

si quasi liberti sui, cum is ingenuus esset, bona occupauit. Nam ut quis pro hærede gerendo obstringat se hæreditati: scire debet, qua ex causa hæreditas ad eum pertineat. Veluti adgnatus proximus iusto testamento scriptus hæres, antequam tabulæ proferantur, cũ existimaret ab intestato patrem familiâs mortuum, quamuis omnia pro domino fecerit, hæres tamen non erit. *Aliud exemplum, si quasi socius gesserit, proponitur l. Iulianus. 4. 2. §. si in societate. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Si in societate, quam uiuo patre inchoauerat filius, post mortem patris perseueraueritt: Iulianus rectè distinguit, interesse utrum rem cœptam sub patre perficiat, an nouam inchoauerit. Nam si quid noui in societate inchoauit, non uideri se miscuisse hæreditati patris, scripsit. *Concordat l. duo fratres. 77. ff. cod. tt. his uerbis*: Duo fratres fuerant, & bona communia habuerãt: eorum alter intestatò mortuus, suum hæredem non reliquerat. frater qui supererat, nolebat eius hæres esse. consulebat num ob eam rem, quòd communibus (cum sciret eum mortuum esse) usus esset, hæreditati se alligasset? Pomponius respondit, nisi eo consilio usus esset, quòd uellet se hæredem esse, non adstringi. Itaq; cauere debere, ne qua in re plus sua parte dominationem interponeret. *Aliud exemplum proponitur l. si quis. 72. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Si quis non quasi hæres, sed quasi patroni filius egens à liberto paterno ali uelit: proculdubiò hoc extra causam est immiscẽdi se bonis paternis. Et ita rectè Labeo scribit. *Aliud exemplũ proponitur l. si quis. 21. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si quis extraneus rem hæreditariam quasi subripiens uel expilans tenet: non pro hærede gerit. Nam admissum contrariam uoluntatem declarat. *Aliud exemplum proponitur l. eum demum. 86. in princ. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Eum demum bonis patris se miscere cõuenit, qui remoto familiæ uinculo pro hærede gerere uidetur. Et ideo filius, qui tanquam ex bonis matris, cuius hæreditatem suscepit, agrum ad hæreditatem patris pertinentem, ut maternum ignorans possedit: abstinendi consiliũ, quod in bonis patris tenuit, amisisse non uidetur. *Aliud exemplum est: Si deliberandi animo literas & rationes hæreditarias inspicere desideret. quod proponitur l. qui hæres. 29. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Qui hæres institutus prohibetur ab eo qui unà institutus iam hæreditatem adijt, tabulas, literas, rationes inspicere mortui, unde scire posset, an sibi adeunda esset hæreditas: non uidetur pro hærede gerere. *Aliud exemplum est: Si res hæreditarias propter funeris impensas distraxit, uel seruos manumisit. quod proponitur l. 1. C. de iure deliberandi, his uerbis*: Si à patre emancipata, eo defuncto bonorum possessionem non agnouisti: frustrà uereris, ne hæreditati paternæ sis obligata, quòd seruum eius nullo iure manumisisti, res quoq; & mancipia quædam propter funeris impensas distraxisti. *Plura huiusmodi exempla uide ī. cap. prox. reg. 2. except. 7. cum sequentibus. Planè propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi id faciat uel accipiat, quod citra nomen & ius hæredis facere uel accipere non poterat. Hæc replicatio approbatur l. pro hærede. 20. §. Papinianus, in fine. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide ſ. eod. except. in prin.*

XIX. Exceptio: *Nisi in diem uel sub cõditione hæreditas sit adita. Hæc exceptio approbatur l. actus. 77. ff. de reg. iuris. cuius uerba uide ī. lib. 48. cap. 12. quæst. 5. except. 15. Huius exemplum est ī. except. prox.*

XX. Exceptio: *Nisi sub hac conditione, Si soluendo sit: hæreditas sit adita. Hæc exceptio approbatur l. eum qui. 51. §. fin. ff. de adqu. hæred. his uerbis*: Si quis ita dixerit, Si soluendo hæreditas est, adeo hæreditatem: nulla aditio est.

XXI. Exceptio: *Nisi non solenniter bonorum possessio sit petita ab adeunte. Hæc exceptio reprobatur inst. de bonor. possess. §. fin. his uerbis*: Bene anteriores Principes & huic causę prouiderunt, ne quis pro petenda bonorum possessione curet: sed quocunq; modo admittentis eam iudicium (intra statuta tamen tempora) ostenderit, plenum habeat earum beneficiũ. *Concordat l. ult. C. qui ad bonor. possess. admitt. his uerbis*: Vt uerborum inanium excludimus captiones, ita in hoc obseruari decernimus, ut apud quemlibet iudicem, uel etiam apud duumuiros, qualiscũq; testatio amplectendæ hæreditatis ostendatur, statutis prisco iure temporibus coarctanda: eo addito, ut etiamsi intra alienam uicem, id est, prioris gradus, properantius exeratur, nihilominus tamen efficacem parem, quasi suis statam curriculis, consequatur. *Concordat item l. Cretionum. 17. C. de iure deliberandi, his uerbis*: Cretionum scrupulosam solennitatem hac lege penitùs amputari decernimus. *Concordant item ea quæ proposita sunt ſ. eod. cap. in prin. item ī. except. prox. Planè admittitur exceptio proposita, si causa cognita bonorum possessio sit danda. quæ distinctio approbatur l. bona. 3. §. si causa. ff. de bonor. possess. his uerbis*: Si causa cognita bonorum possessio detur: nõ alibi dabitur, quàm pro tribunali: quia neq; decretũ de plano interponi, neq; causa cognita bonorum possessio alibi, quàm pro tribunali, dari potest.

XXII. Exceptio: *Nisi nihil hæreditarium attigerit, nec teneat is qui adit. Hæc exceptio reprobatur l. gerit. 87. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Gerit pro hærede, qui animo agnoscit successionem, licet nihil attingat hæreditarium. Vnde etsi domum pignori datam sicut hæreditariam retinuit, cuius possessio qualis qualis fuit in

hæredi-

hæreditate: pro hærede gerere uidetur. Idemq; est, etsi alienã rem ut hæreditariam possideat. *Concordat l.si auia.6. C.de iure deliberandi, his uerbis*: Si auia tua patrem tuum ex duabus uncijs scripsit hæredem: & sola animi destinatione pater tuus hæres fieri poterat. Igitur si testamento easdem uncias ad te peruenire decreuit: apud Rectorem prouinciæ duarum unciarum ius persequi poteris. *Concordat item l.si sorori.14.C.eod.tt.his uerbis*: Si sorori suæ frater tuus ciuili uel honorario successit iure: licet res ex eius bonis descendentes non probetur tenuisse: hæres tamen effectus, contra possidentes experiri potest. *Concordat item l.non hoc.4.C.unde legitimi. cuius uerba uide ẽ.except.18.*

XXIII. *Exceptio: Nisi ex alia parte edicti adijt, cui nondum delata fuit hæreditas. Hæc exceptio approbatur exemplo l.filium.60. ff.de adq.hæred. cuius uerba cum concordantibus uide ẽ.libro 28. cap.13. except. 132.replic.1.*

XXIIII. *Exceptio: Nisi pro parte adierit, pro parte repudiauerit hæreditatem. Hæc exceptio approbatur l.1.cum lege sequente.ff.de adqu.hæred. his uerbis*: Qui totam hæreditatem adquirere potest, is pro parte eam scindendo adire non potest. Sed & si quis ex pluribus partibus in eiusdem hæreditate institutus sit: non potest quasdam partes repudiare, quasdam agnoscere. *Concordat l.ex semisse.74. ff.eod. tt. bis uerbis*: Ex semisse Titius hæres scriptus est, quadrantis bonorum possessionem per errorem petit. quæro, an nihil actum sit? an uerò perinde omnia seruanda sint, ac si quadrans nominatus non sit? Marcellus respondit, nihil magis actum esse, quàm cum ex semisse scriptus hæres, ex quadrante per errorem adijt hæreditatem. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est, Quòd pro parte agnoscens hæreditatem, in solidum hæres fiat, quamuis pro parte saltem uelit hæres esse. quæ replicatio approbatur l.si solus.79.in prin.ff.de adq.hæred.his uerbis*: Si solus hæres ex pluribus partibus fuero institutus, unam partem omittere nõ possum: nec interest, in quibusdam substitutũ habeam, nécne. Idem puto, etiamsi alijs mistis hæredibus, ex pluribus partibus hæres institutus sim: quòd & hic adeundo unam portionem omnes adquiro, si tamen delatæ sint. *Concordat l.si ex asse.10.ff.eod.tt. bis uerbis*: Si ex asse hæres destinauerit partem habere hæreditatis, uidetur in assem pro hærede gessisse. *Altera replicatio uidetur: Nisi ex pluribus partibus institutus, unam uel quasdam adierit, quasdam repudiauerit, in quibus substitutum habet. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam dictis hisce*: Si solus hæres, &c. *Concordat l.quidam. 20. C.de iure deliberandi. cuius uerba uide ĩ.replic.prox. Concordat item l.cum hæres.52.§.fin.ff.de adq.hæred. cuius uerba uide ẽ.lib. 28.cap.23.reg.3.except.1. replic.2. Concordat l.qui ex duabus.53.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. lib.28. cap.22.reg.1.except.1.repl.10. Concordat item l.si quis. 33.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ĩ.libro 34.cap.6. except.31. Tertia replicatio est: Nisi ex parte institutus, & ex parte substitutus, partem ex qua institutus est adierit, partem ex qua substitutus est repudiauerit. Hæc replicatio reprobatur d.l.20. his uerbis*: Quidam elogio condito, hæredẽ scripsit in certas uncias, & post certa uerba testamẽti eundem in alias uncias, uel tantas, uel quantascunque, & tertiò uel in aliam partem hæreditatis, uel in quendam unciarum modum: ille autem unam institutionẽ uel duas admittens, unam uel duas, uel quantascunq; respuendas esse censuit. quærebatur apud ueteres, si hoc ei facere permittatur? Similiq; modo dubitabatur, si impuberem quis filium suum hæredem ex parte instituit, & quendam extraneũ in aliam partem, quem pupillariter substituit: & postquam testator decessit, pupillus quidem patri eius hæres extitit, extraneus autem hæreditatẽ adijt: & postea adhuc in prima ætate pupillus cõstitutus ab hac luce subtractus est, & pupillaris substitutio locũ sibi uindicauit: cumq; substitutus eandem partem admittere noluit, quæsitũ est, si potest iam hæres ex principali testamento factus, pupillarem substitutionem repudiare? utranq; igitur dubitationem simul decidendam esse censemus. Placuit enim nobis, siue in institutione, siue in pupillari substitutione, ut uel omnia admittantur, uel omnia repudientur: & necessitas imponatur hęredi particulari facto, uel aliam aut alias partes hæreditatis admittere, uel etiam substitutionem pupillarem. *Concordat l.si quis.35.in prin. ff.de adq.hæred.his uerbis*: Si quis hæres institutus ex parte, mox Titio substitutus, antequam ex causa substitutionis ei deferatur hæreditas, pro hærede gesserit: erit hæres ex causa quoq; substitutionis: quoniam inuito quoque ei adcrescit portio. Idem dico, etsi filiusfamiliâs uel seruus iussu domini uel patris adierit hæreditatem, mox emancipatus uel manumissus ex causa substitutionis adeat. Erunt nanq; hæredes: sunt enim appendices præcedentis institutionis. *Concordat item l.qui patri.59.ff. eod.tt.his uerbis*: Qui patri hæres extitit, si idẽ filio impuberi substitutus est: non potest hęreditatem eius prætermittere. Quod sic accipiendum est, si uiuo pupillo mortuus erit, deinde pupillus impubes decesserit. Nam is qui hæres extitit, pupillo quoq; hæres necessariò erit. Nam si ipsum inuitum obligatis coniungi eam paternæ hæreditati, & adcrescendi iure adquiri cuicunq; patris hæredi, existimandum est. *Plane admittitur replicatio proposita,*

proposita, si institutus qui adijt, antequam ex substitutione portio deferatur, mortuus sit. hoc enim casu substitutio ad hæredem eius non trãsfertur. quæ distinctio approbatur l.toties.80. ff.de adqu.hæred. cuius uerba uide ẽ. lib.28.cap.22. reg.1.except.1. replic.9. duplic.1. Quarta replicatio est: Nisi is cui necessariò aliquid in testamento fuit relinquendum, institutus debitam partem agnouerit, reliquam repudiauerit. *Hæc replicatio approbatur exemplo l.si libertus.40. ff.de bonis libertorum. cuius uerba uide ĩ. lib.32.cap.4.except.40.replic.12. duplic.1. triplic.1. Sed & plura de exceptione proposita eiusq; replicationibus uide ĩ. cap.prox. reg. 2.except.4.repl.6.*

XXV. *Exceptio: Nisi cum infantis nomine hæreditas adita esset, infans statim mortuus fit. Hæc exceptio reprobatur l.infantis.3.C.qui ad bonor.possess.admitt.his uerbis*: Infantis nomine agnitam bonorum possessionem, & antequam loqueretur, diem defuncti, rectè competere, nulla dubitatio est.

XXVI. *Exceptio: Nisi hæreditas non sit soluendo. Hæc exceptio reprobatur l.si te.10.C.de iure deliberandi, his uerbis*: Si te bonis paternis maior uigintiquinq; annis miscuisti: neq; inopia patris te excusat, neq; uis fratris portionem tuam uel testamentum eripientis, arcere de exactione creditorum, qui iure ciuili pro hæreditaria te portione conueniunt, potest.

XXVII. *Exceptio: Nisi rem alienam, non hæreditariam, adeundi animo apprehenderit. Hæc exceptio reprobatur l.si quis.21.§.1.ff.de adqu.hæred.his uerbis*: Interdum animus solus eum adstringet hæreditati: utputa si re non hæreditaria quasi hæres usus sit. *Concordat l.gerit.87.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.except.22. Hæc de exceptionibus aduersus additionem hæreditatis. Sed & plures uide ĩ. cap. prox. item ẽ.lib.prox.cap.13.except.14. quæ enim exceptiones repudiationi obstant, eædem obstant quoque hæreditatis additioni. quod approbatur l.si quis.21. §.1. ff.de adq.hæred.his uerbis*: Ita demum pro hærede gerendo adquiret hęreditatem, si iam sit delata. Cæterùm ex quib. causis repudiantem nihil agere diximus: ex ijsdẽ causis nec pro hærede gerendo quidquam aget.

XXVIII. *Exceptio: Nisi non intra legitimum tempus adierit uel agnouerit hæreditatem. De qua exceptione uide ẽ.lib.prox.cap.13.except.12.*

PRO QVA PARTE ADEVNdo fiat hæres?

II. *Regula: Qui ex parte purè, ex parte sub conditione institutus est, nemine cohærede dato: adeũdo pro una parte, ex asse fit hæres. quæ regula approbatur l. cum hæres.52.§.fin.ff.de adqu.hæred. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.23.reg.3.except.1. repl.2. Concordat l.qui ex duab.53.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.28. cap.22.reg.1.except.1.repl.10. Concordat item l.si quis. 33.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ĩ.lib.34. cap.6. except.31.*

III. *Regula: Ex asse scriptus hæres, pro parte adeundo ex asse fit hæres. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ.reg.1.except.24.repl.1.*

IIII. *Regula: Si is qui adit, cohæredem uentrem seu posthumum habeat: interim ex parte quarta hæres erit. quæ regula approbatur l.antiqui.3.cum lege sequente.ff.si pars hæred.petatur, his uerbis*: Antiqui libero uentri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei iura integra reseruarent: sicut apparet in iure hæreditatum, in quibus qui post eum gradũ adgnationis sunt, quo est id quod in utero est: non admittuntur, dum incertum est, an nasci possit. Vbi autem eodem gradu sunt cæteri, quo & uenter: tunc quæ portio in suspẽso esse debeat, quæsierũt? Et quia non poterant scire, quot nasci possent: ideo multa de huiusmodi retam uaria & incredibilia tradiderunt, ut fabulis adnumerentur. Nam traditũ est, quatuor pariter puellas à matrefamiliâs natas esse. Alioquin tradidêre non leues authores, quinquies quaternos enixam Peloponesiam, & multas Ægypti uno utero septenos. Sed & tergeminos senatores cinctos uidimus Horatios. Sed & Lælius scribit, se uidisse in palatio liberam mulierẽ, quæ ab Alexandria perducta esset, ut Hadriano ostenderetur, cum quinq; liberis: ex quibus quatuor eodem tempore enixa (inquit) dicebatur, quintum post quadragesimum diem. Quid ergo? Prudentissimi iuris authores medietatem quãdam secuti sunt, ut quod fieri non rarò admodum posset, intue rentur: id est, quia fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio adsignauerunt. τὸ γὰρ ἅπαξ οὐδὲ (ut ait Theophrastus) παραβλέψαντα οἱ νομοθέται. Ideóque & si unum paritura sit, non ex parte dimidia, sed ex quarta interim hæres erit. Et si pauciores fuerint nati, residuum ei pro rata adcrescere: si plures quàm tres, decrescere de ea parte, ex qua hæres factus est. *Concordat l.sed etsi.28.§.fin.ff.de iudicijs, hisce uerbis*: Si paterfamiliâs mortuus esset, relicto uno filio & uxore prægnante, non rectè filius à debitoribus partem dimidiam crediti petere potest, quãuis postea unus natus sit: quia poterunt plures nasci, cum per rerum naturam certum fuerat unum nasci. Sed & Sabinus & Cassius dicũt, partem quartam, &c. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi in rerum natura certum sit eam prægnantẽ non esse, quæ prægnans esse putatur. Hæc exceptio approbatur d.§.suum. item l.intestatò.3. §.est autem. ff.de suis & legitimis hæred. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.2.except.9. Concordat item l.illud.5.ff.si pars hæred.petatur. cuius uerba uide ẽ.reg.1.except.15.exemplo 6.repl.1. Altera exceptio est: Nisi unum tantùm in uentre gerat. quæ exceptio approbatur l.cum quidam.30.§.suum. ff.de adqu. hæred. cuius uerba uide ẽ.lib.prox. cap.15. quæst.1. except.9.*

repl.4.dupl.1. Concordat l.1. §.si ex trib. ff.de bonor. poss.§.contra tabul. cuius uerba uide ẽ.lib.prox. cap. 14.reg.4.except.7.

V.Regula: *Si pater & filius simul hæredes instituti sunt:filius iussu patris adeundo,etiam patris portionem adquirit. Idem est in domino & seruo simul institutis. quæ regula approbatur l.si ego.26. ff.de adqu. hæred. his uerbis:* Si ego & seruus meus uel filius hæres institutus sum: si iussero filio uel seruo meo adire,statim & ex mea institutione me hæredem esse,Pomponius scribit. Idem & Marcellus probat, & Iulianus. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi pater à sua parte per exceptionem remoueatur. quæ exceptio approbatur l.si quis.35. §.penult. ff.eod.tt. his uerbis:* Si exclusus per conditionẽ sibi datam pater filium iussit adire: dicendum erit,eum non quæsisse suam portionem. *Altera exceptio est: Nisi non pater & filius, sed duo fratres, qui sunt in eiusdem potestate,simul sint instituti. quæ exceptio approbatur d. l.35. §.fin. his uerbis:* Sed si ex duobus filijs unum iusserit, & alium filium debebit iubere adire.

VI.Regula: *Contrà tamen patre & filio simul institutis:si ex sua parte pater adierit,non ideo ei adquiritur portio filij.quæ regula approbatur l.si ex.36.ff.de adq.hæred.cuius uerba uide ẽ.reg.1.except.6.repl.5.*

VII. Regula: *Si quis ex sua parte adijt, etiam portionem postea adcrescentẽ adquirit sine noua additione. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ. lib.prox.cap.13.except.12.repl.23. Sed & plura de hac regula alijsq; similib.uide ĩ.cap.prox.reg.2.except.4.*

EVENTVS.

VIII.Regula:*Si hæres hæreditatem adire differat, quid iuris sit,definitur l.si quis.22.ff.de hæred.instit.his uerbis:* Si quis instituatur hæres in diem certum uel incertum: is bonorum possessionem agnoscere potest, & tanquam hæres distrahere hæreditatem. Sed si bonorum possessionem non admittat, sed conditionem trahat,cui facilè parêre possit: uoluti si seruum,quem in potestate habet,manumiserit, nec manumittat: hic Prætoris erunt partes,ut imitetur edictum suum illud,quo præfinit tempus,intra quod adeatur hæreditas. Item si conditioni hæres parêre non potuit,quam in sua potestate non habebat: ueluti institutione collata in alterius factũ, aut quendam casum,Si ille(puta)consul factus fuerit:tunc postulantibus creditoribus constituit Prætor, nisi intra certum tempus hæreditas obtigerit, aditaq; fuerit, se bona defuncti à creditoribus possidere, & interim quæ urgebunt, per curatores distrahi iussurum.Sed & si sub conditione quis hæres institutus sit, & graue æs alienum sit, quod ex pœna crescit, & maximè si publicum debitum imminet: per curatorem soluendum est es alienum,sicut cum uenter in possessione sit, aut pupillus hæres tutorem non habeat.Et quod ait,Causa cognita:adiectũ est propter eos,qui sine dilatione peregrè essent,uel egritudine uel ualetudine ita impedirẽtur,ut in ius produci non possent, nec tamen defenderentur. *Plura de hac re uide ẽ lib.8.cap.6.item ẽ.lib.prox.cap.13.except.12. Sed & plures huiusmodi effectus uide ẽ.cap.prox.quæst.5.*

IX.Regula:*Hæres sub conditione institutus,agnita bonorum possessione,substituto cauere tenetur. de quæ re uide ĩ.lib.33. cap.12.quæst.1. except.3. Hactenus de adeunda hæreditate.*

DE REPVDIANDA HAEreditate. Cap. III.

Prima regula: Repudiata hæreditate, hæres nec hæreditatem petere, nec commodis hæreditarijs frui potest. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ẽ. lib.prox. cap. 13.except.14.

II. Regula: *Repudiata hæreditate, hæres oneribus hæreditarijs obligatus non est, nec actionibus hæreditarijs tenetur. quæ regula approbatur l.si paterna.5. C.de reuocandis ijs quæ per fraudem, his uerbis:* Si paterna hæreditate abstinuisti, nec quidquam in fraudem creditorum ex bonis eius in te iure donationis transcriptum est: à priuatis creditoribus Præses prouinciæ conueniri te non patietur. *Concordat l.ult. C. de primipilo, his uerbis:* Cùm ex sola primipili causa liberos,etiamsi patribus hęredes non existant, teneri diuus Aurelianus sanxerit: si neque successistis patri uestro, nec quidquam ex bonis eius tenetis, consequens est,à paternis creditoribus uos non conueniri. *Concordat item l.1.C.de repud.hæred.cuius uerba uide ẽ.cap.prox.reg.1.except.18. Concordat item l. scimus.22.§.cum igitur.ibi:similiq; modo.C.de iure deliberandi.cuius uerba uide ẽ.cap.1.quæst.6. Concordat item l.cum qui.4.C.arbitrium tutelæ. cuius uerba uide ẽ.lib.18.cap.3. officio 11.reg.2. Planè propositæ regulæ exceptiones hæ sunt.*

I.*Exceptio: Nisi seruus à domino hæres institutus, hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio approbatur instit.de hæred.qual.& differ.in prim.his uerbis:* Hæredes aut necessarij dicuntur, aut sui & necessarij,aut extranei. Necessarius hæres,est seruus hæres institutus. Ideoq; sic appellatur, quia siue uelit, siue nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius hæres fit. Vnde qui facultates suas suspectas habent: solent seruum suum primo,aut secundo, aut etiam ulteriore gradu hæredem instituere: ut si creditoribus satis non fiat, potius eius hæredis bona,quàm ipsius testatoris à creditoribus possideantur,uel distrahantur, uel inter eos diuidantur. Pro hoc tamen incõmodo illud ei commodum præstatur: ut ea quæ post mortem patroni

patroni sui sibi adquisierit, ipsi reseruentur. Et quamuis bona defuncti non sufficiãt creditoribus: iterum tamen ex ea causa res eius,quas sibi adquisierit,non ueneunt. *Concordat l.necessarijs.57.§.fin.ff.de adq.hæred.cuius uerba uide ĩ.except.prox.in fine. Huius exceptionis replicatio prima hæc est:Nisi seruus hæres institutus,à uiuo testatore fuerit manumissus. Hæc replicatio approbatur instit.de hæred.instit.§.seruus autem à domino. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.22.reg.3. except.3.replic.1. Concordat Instit.de hæred.qual.& differ.§.cæteri. ibi: seruus quoq;. cuius uerba uide ĩ. Altera replicatio est:Nisi alio modo seruus libertatem sit consecutus.Hæc replicatio approbatur l.testam.88. ff.de hæred. instit. his uerbis:* Testaméto domini seruus sub conditione cum libertate hæres institutus,pendente adhuc cõditione necem domini detexit, eumq; Prætor mereri libertatem decreuit.etsi postea conditio testamenti extiterit:aliunde liber est,id est,ex prẽmio,non ex testamento.Igitur nõ est necessarius domino hæres: licet autem ei uolenti adire. *Concordat l.si seruus.7.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.11.except.98.repl.1.dupl.1.tripl.1. Tertia replicatio est:Nisi libertas seruo à testatore debebatur. Hæc replicatio approbatur l.si seruo.81.ff.de hæred.instit.his uerbis:* Si seruo fideicommissaria libertas data esset, deinde hæres hunc eundem seruum cum libertate hæredem reliquisset:quæsitum est,an necessarius fiat hæres? Et humanius est,& magis æquitatis ratione subnixum,non fieri necessarium. Qui enim etiam inuito defuncto poterat libertatẽ extorquere:is liber esse iussus,non magnum uidetur beneficium à defuncto consequi: imò nihil commodi sensisse,sed magis debitam sibi accepisse libertatem.Idem probandum erit & in illo seruo, quem testator ea lege emerat, ut manumitteret, si hæres fuerit institutus. Nam & hic sepositio beneficio testatoris, proprio iure poterit ad libertatem peruenire ex constitutione diui Marci. Idem & in eo, qui propria sua data pecunia emptus est ab aliquo. Nam & hic poterit ab ipso testatore libertatem extorquere. *Concordat l.pater.52. in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.21.except.33.replic.5. Concordat item l.ult.§.fin.ff.de uulgari substit.his uerbis:* Si pupillus substitutum sibi seruum alienauerit, eumq; emptor liberum hæredem q; instituerit: nunquid iste in substitutione habeat statim uniuersum? Et si quidem pupillus ad pubertatem peruenerit: necessarius ex testamento emptoris hæres existit. Si uerò intra pubertatem decesserit: ex substitutione quidem liber & hæres sit, & necessarius patri pupilli: emptori autem uoluntarius hæres extitit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cum sub conditione uel in diem seruo libertas deberetur, conditio defecerit, uel dies nondum uenerit. hoc enim casu nihilominus testatoris hæres fit necessarius. quæ duplicatio approbatur uerbis iã propositis hisce:* Et si quidem pupillus ad pubertatem peruenerit: necessitatis ex testamento emptoris hæres existit. *Concordat l.seruus.3. §.qui fideicomm.ff.de hæred.instit.his uerbis:* Qui fideicommissariam libertatem sub conditione accipit,potest ab hærede purè cum libertate hæres institui: & non expectata conditione libertatem & hæreditatem consequitur, eritq; interim necessarius, & existente conditione uolũtarius hęres efficietur: non ut desinat hæres esse,sed ut ius in eo mutetur successionis. *Concordat item l.si seruum.70. §.si quis hac.ff.de adq.hæred.his uerbis:* Si quis hac lege emptus sit, ut intra certum diem manumittatur, & cum libertate hæres institutus sit: an ei succurrendũ sit,ut se abstineat, uideamus? magisque est,ut donec dies non extitit, possit ei necessarius hæres effici, & non possit se abstinere. Sin autem dies prẽteritus fuerit: tunc non necessarius,sed uoluntarius hæres efficitur, & potest se abstinere secundum exemplum eius, cui fideicommissaria libertas sub conditione debebatur. *Quarta replicatio est: Nisi seruus testatori pecuniam dederit, ut manumittatur. Hæc replicatio præcedentis replicationis species specialiter approbatur d.l.70.§.si quis,his uerbis:* Si quis dederit numos domino, ut manumittatur: puto huic omnimodò succurrendum esse. *Quinta replicatio est: Nisi seruus hæres institutus,à domino sit alienatus. Hæc replicatio approbatur Instit.de hæred. instit. §.seruus autem à domino. ibi: quòd si alienatus. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.22.reg.3. except.3.repl.1. Concordat l.si seruus.7.in fine.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.11.except.98.repl.1.dupl.6. Concordat l.qui filio.38.§.si quis seruum.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. d.except.3. repl.1. Huius replicationis duplicatio prima hæc esse uidetur: Nisi non ab ipso testatore, sed ab hærede seruus sit alienatus. Hæc duplicatio reprobatur d.l.7.in fine. Altera duplicatio est:Nisi dominus postea seruum alienatum receperit. Hæc duplicatio approbatur l.quoties.9. §.seruus. ff.de hæred.instit.cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.11.except.98.replic.1. duplic.6. Concordat l.seruum.48.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.d.cap.11. except.102. replic.1. Tertia duplicatio est: Nisi inutilis sit alienatio. Hæc duplicatio approbatur exemplo l.seruus.74. ff. de hæred. instit. his uerbis:* Seruus uxori à marito mortis causa donatus, mariti manet, ut Iuliano quoq; uidetur. Vnde si accipiat libertatem simul & hæreditatem,uiro necessarius hæres erit: nec sine libertate aliquid ei legari potest. *Sexta replicatio est: Nisi seruus testatori cum alio communis hæres sit institutus. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit,uerum eius duplicatio prima hæc est: Nisi testator postea reliquam serui partem re-*

demerit. quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur l.sed & si.6. §.si seruum. ff.de hæred.instit. his uerbis: Si seruum communem cum libertate dominus hæredem scripserit, & eum redemerit: necessarius efficietur. Sed si substitutus sit impuberi, & partem redemerit impubes: necessarius non efficietur, ut Iulianus scribit. *Concordat l.si seruus.16.in princ.ff.de uulgari substit.his uerbis:* Si seruus communis substitutus sit impuberi cum libertate, siquidem à patrefamiliâs fuerit redemptus: erit impuberi necessarius. Si uerò ab impubere redemptus sit: non necessarius, sed uoluntarius sit hæres, ut Iulianus libro XXX. Digest. scripsit. Quòd si neque à patre, neque à pupillo fuerit redemptus: æquitatis ratio suggerit, ut ipse precium partis suæ domino offerens, possit & libertatem & hæreditatem consequi. *Altera duplicatio est: Nisi seruus communis ab omnibus dominis hæres sit institutus. quæ duplicatio approbatur l.duo socij.8. ff.de hæred. instit.his uerbis:* Duo socij quendam seruum communem testamento facto hæredem & liberum esse iusserant: ruina simul oppressi perierant. plerique responderunt, hoc casu duobus Orcinum hæredem existere: & id est uerius. Sed & si sub eadem conditione seruum communem uterque socius liberum hæredemq; esse iussit, eaque extitit: idem iuris erit.

Mutatio iuris.

Planè iure nouo replicatio proposita reprobatur, de quo dictum §.lib.19.cap.6.except.11.repl.17.

Septima replicatio est: Nisi seruus tempore facti testamenti testatoris non fuerit. tunc enim hæredem eum institutum quamuis postea redemerit, necessarius hæres ei non efficitur. quæ replicatio approbatur l.si alienum.47.in prin.ff.de hæred.instit.his uerbis: Si alienum seruum liberum & hæredem esse iussi, & is postea meus effectus est, neutrum ualet: quia libertas alieno seruo inutiliter data est. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi seruus castrensis peculij à patre hæres scriptus sit, & filio pater superuixerit. quæ duplicatio approbatur l.proponebatur.9. ibi: unde Marcellus. ff. de castrensi peculio. cuius uerba uide §.lib.19. cap.6. except.11. replic.8.duplic.2. Octaua replicatio est: Nisi seruus hæres institutus, alij pignori sit obligatus. Hæc replicatio approbatur l.2. C.de necessarijs hæred. his uerbis:* Is qui soluēdo non est, hæredem necessarium etiam in fraudem creditorum relinquere potest. Sed si pignori datus fuisti, & in eadem causa permansisti: nec ab eo quidem debitore, qui soluendo non fuit, liber & necessarius hæres existere potuisti. *Huius duplicatio hæc est: Nisi seruus debitum creditori offerat. quæ duplicatio approbatur l.pignori.30. ff.de hæred. instit. his uerbis:* Pignori obligatum seruum necessarium domino posse fieri, Imp. Seuerus rescripsit: ita tamen, si paratus sit prius creditori satisfacere. *Nona replicatio est: Nisi seruus alienus ab hostibus redemptus, hæres sit institutus. Hæc replicatio reprobatur l.si seruū.70.in prin.ff. de adquir.hæred.his uerbis:* Si seruum quis alienum ab hostibus redemerit, & hæredem eum cum libertate instituerit: magis puto eum fore liberum & necessariū hæredem. Nam cum scribit ei libertatem, uinculo suo resoluit: & in hoc solum redit iure postliminij, ut non iterum seruus eius fiat, cuius erat antequam caperetur: (hoc enim satis impium esset) sed pristino domino suam æstimationem omnimodò offerat, uel maneat ei obligatus, donec precium soluat. Quod libertatis fauore introductum est. *Decima replicatio uidetur: Nisi idem seruus plurium dominorum necessarius sit hæres. Hæc replicatio reprobatur l.si seruus.65.ff.de adq.hæred.his uerbis:* Si seruus communis uel uni ex dominis, uel pluribus, uel omnibus hæres exiterit necessarius: nullius eorum hæreditate se poterit abstinere. *Vndecima replicatio uidetur: Nisi seruus castrēsis peculij à patre hæres sit institutus. Hæc replicatio approbatur l.ex castr.18. in princ. ff.de castrensi peculio, his uerbis:* Ex castrēsi peculio seruus à patre hæres institui non potest, & filium necessarium hæredem patri facere. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi filio pater superuixerit. quæ duplicatio approbatur §.repl.7.duplic.1. Duodecima replicatio est: Nisi libertas seruo hæredis instituti impediatur. Hæc replicatio approbatur l.si non.81.in prin.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide §.lib.19.cap.5.except.6.repl.2.dupl.1. Decimatertia replicatio est: Nisi is qui soluendo non est, plures seruos hæredes necessarios instituerit. Hæc replicatio approbatur l.qui soluendo.40.cum lege sequēte.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide §.d.repl.2.dupl.2. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi duobus seruis necessarijs hæredibus institutis, alter mortuus sit. quæ duplicatio approbatur d.l.40. Altera duplicatio est: Nisi priore loco scriptus. hic enim nihilominus liber & hæres sit necessarius. quæ duplicatio approbatur l.qui soluendo.58.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide §.d.repl.2. dupl.2. tripl.3. Concordat l.si non.81.§. temporib.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.d.tripl.3. Decimaquarta replicatio uidetur: Nisi hæreditas à cohærede serui non fuerit adita. Hæc replicatio reprobatur l.ex parte.58.ff.de adqu.hæred.his uerbis:* Ex parte hæres institutus seruus, nondum adita hæreditate à cohærede eius, liber & hæres fit necessarius: quia non à cohærede, sed à semetipso accipit libertatem: nisi ita institutus fuerit, Cū mihi quis hæres erit, Stichus liber & hæres esto. *Decimaquinta replicatio uidetur: Nisi seruus, cui directis uerbis libertas in testamento data est, postea sine libertate pupillo substitutus sit. Hæc replicatio reprobatur l.cum quidam.4. C.de necessarijs hæred.his uerbis:* Cum quidam suum pupillum

pupillum hæredem instituit, & seruo directis uerbis libertatem reliquit, & in secundo gradu, in quo pupillarem substitutionē faciebat, ipsum seruum sine libertate pupillo suo substituit: quærebatur inter prudentes, si ex huiusmodi substitutione hæres necessarius pupillo existeret? causa enim altercationis ex uetere regula orta est, qua omnibus placuerat, hūc seruum necessarium hæredem domino fieri, cui in eodem gradu hæreditas & libertas relinquebatur. In præsenti autem non in unum tam libertas quàm substitutio congregata est, sed in aliū & alium gradum. Nobis itaq; eandem altercationem decidentibus mirabile uisum est, si quis pūter ex huiusmodi scrupulositate impediri testatoris uoluntatem, & maximè domini, & existimet non fieri seruum hæredem necessarium: sed ei licētiam præster & libertatem consequi, & hereditatem respuere, & domini uoluntati reclamare. Qui si hoc facere tentauerit, etiam puniendus est. Sit itaq; & uiuo pupillo liber, quia testator hoc uoluit: & mortuo pupillo necessarius hæres, quia & hoc testator uoluit. *Decimasexta replicatio uidetur: Nisi dominus testator apud hostes decesserit. Hæc replicatio reprobatur l. lege Cornelia.12.§.quare seruus. ff.qui test.facere poss. cuius uerba uide §.lib.28.cap.6.except.19.repl.2. Hæc de replicationibus propositæ exceptionis, quarum plures uide §.lib.28.capite 11.except.98.replic.1. duplic.2. cum sequentibus.*

II. Exceptio: *Nisi suus hæres sit. Hæc exceptio approbatur quidem iure antiquo legis XII. Tabul. inst. de hæred.qual.& differ.§.sui autem, usq; ad §.cæteri, his uerbis:* Sui & necessarij hæredes sunt, ueluti filius, filia, nepos neptisúe ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in potestate moriētis modò fuerint. Sed ut nepos neptisúe sui hæredes sint, non sufficit eum eamúe in potestate aui mortis tempore fuisse: sed opus est, ut pater eius uiuo patre suo defierit suus hæres esse, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus à patris potestate. tunc enim nepos neptisúe in locum patris sui succedit. Sed sui quidem hęredes ideo appellantur, quia domestici hæredes sunt, & uiuo quoq; patre quodāmodò domini existimantur. Vnde etiamsi quis intestatus moriatur, prima causa est in successione liberorū. Necessarij uerò ideo dicuntur, quia omnino, siue uelint, siue nolint, tā ab intestato quàm ex testamento ex lege XII. Tabul. hæredes fiunt. Sed his Prætor permittit uolentibus abstinere hæreditate: ut potius parentis, quàm ipsorum bona similiter à creditoribus possideantur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nepos hæres institutus, post testamentum factum natus sit, uiuo adhuc patre suo, qui pater postea emancipatur. hoc enim casu nepos succedendo in locum patris non fit suo hæres necessarius, sed uoluntarius. Hæc replicatio approbatur l.Gallus.29.§.fin. ff.de liberis & posthumis. cuius uerba uide §.lib.28. cap.20. except.28. repl.2.dupl. 4.triplic.2. Altera replicatio est: Nisi suus sese post mortem parentis dederit adrogandum. Hæc replicatio approbatur l.si sub.20. ff.de liberis & posthumis, his uerbis:* Sub conditione filius hæres institutus, si pendente cōditione adrogandum se dederit: necessarius hæres non erit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi post delatam sibi hæreditatem se dederit adrogandum. quæ duplicatio elicitur ex uerbis iam propositis hisce:* Si pendente conditione, &c. *Huius triplicatio uidetur esse: Nisi ante apertas tabulas se adrogandum dederit. uerum triplicatio hæc reprobatur l.seruus.3. §. fin. ff.de hæred.instit.his uerbis:* Aperturæ tabularum dilatio, necessarij hæredis ius nō mutat, ut solemus in substituto impuberi dicere. Nam est relatum, si se adrogandum dederit substitutus: impuberi defuncto filio necessariū eum fore. *Tertia replicatio est: Nisi suus hæres in potestatem patris recidat. Hæc replicatio reprobatur l.qui in aliena.6.§.interdum. ff.de adqu.hæred.his uerbis:* Interdum filij familiâs & sine aditione adquirent hereditatem his, in quorum sunt potestate: utputa si nepos ex filio exhæredato hæres sit institutus. patrē enim suum sine aditione faciet hæredem, & quidem necessarium. Sed si quis hæres institutus adoptetur à filio exhæredato: necessarium eum non facit, sed iuberi debet ut adeat: quoniam mortis tempore in potestate non fuerit. Nam per eum quis existere necessarius non potest, qui ipse non esset extaturus. *Quarta replicatio uidetur: Nisi pater testator apud hostes decesserit. Hæc replicatio reprobatur l.lege Cornelia.12. in fine. ff.qui test.facere possunt. cuius uerba uide §.lib.28. cap.6.except.19.repl.2. Quinta replicatio est: Nisi ita institutus sit hæres, Si uoluerit: uel sub conditione, quæ in eius est potestate. quæ replicatio elicitur ex uerbis l.iam dubitari.84. §. fin. ff.de hæred.instit.cuius uerba uide §. proximè.*

Mutatio iuris.

Hactenus de iure antiquo, quo exceptio proposita approbatur simul & distinguitur, est dictum. Planè iure nouo Prætorio exceptio proposita reprobatur, & suis hæredibus abstinendi potestas præstatur, l.necess. 57.ff.de adq.hæred.his uerbis: Necessarijs hæredibus non solùm impuberibus, sed etiā puberibus abstinendi ab hæreditate proconsul potestatem facit: ut quamuis creditoribus hæreditarijs iure ciuili reneātur, tamen in eos actio non detur, si uelint relinquere hæreditatem. Sed impuberibus quidem, etiamsi se immiscuerint hæreditati, præstat abstinēdi facultatem: puberibus autem ita, si se non immiscuerint. Sed tamen & pube-

ribus minoribus uigintiquinq; annis, si temerè damnosam hæreditatem parentis appetierint, ex generali edicto, quod est de minoribus uigintiquinque annis, succurrit: cum & si extranei damnosam hereditatem adierint, ex ea parte edicti in integrum eos restituat. Seruis autem necessarijs hæredibus (siue puberes, siue impuberes sint) hoc non permittitur. *Concordat Instit. de hæred. qual. & differ. §. sui autem, in fine. cuius uerba uide §. ead. except. in princ.* *Huius iuris noui exceptio hæc est: Nisi suus hæres ita institutus sit, Si noluerit hæres esse: uel sub alia conditione, quæ in ipsius est potestate: & is noluerit hæres esse, uel conditioni paruerit. hoc enim casu abstinendi potestatem amplius non habet. quæ exceptio approbatur l. iam dubitari. 84. §. fin. ff. de hæred. instit. his uerbis*: Suis hæredibus ita instituti⁊, Si noluerint hæredes esse: non permittendum amplius abstinere se hæreditate: cùm ea conditione instituti, iam non ut necessarij, sed sua sponte hæredes extiterint. Sed & cæteris conditionibus, quæ in ipsorum sunt potestate, si sui pareant: ius abstinendi assequi non debent. *Plures huius noui iuris exceptiones uide in sequentibus.*

III. *Exceptio: Nisi hæres hæredis hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 7. §. fin. ff. de adq. hæred. his uerbis*: In omni successione, qui eius hæres extitit, qui Titio hæres fuit, Titio quoq; hæres uidetur esse, nec potest Titij omittere hæreditatem. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi hæres defunctus, ante aditam hæreditatem, uel post eam repudiatam decesserit. hoc enim casu eius hæredi abstinendi potestas datur. quæ replicatio approbatur d. l. 7. §. si filius, his uerbis*: Si filius, priusquam sciret se necessarium extitisse patri hæredem, decesserit relicto filio necessario: permittendum est nepoti abstinere se aui hæreditate: quia & patri eius idem tribueretur. *Concordat l. ei qui. 12. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 5. Concordat item l. Iulianus. 42. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Iulianus libro XXVI. Digest. scribit, Si pupillus paterna hæreditate se abstinuisset, deinde ei aliquis hæres extitisset: non esse eum compellendum creditoribus paternis respondere, nisi substitutus ei fuisset. Inclinat enim in hoc, ut putet substitutum etiam onera patris subiturum. Quæ sententia à Marcello rectè notata est. Impugnat enim utilitatem pupilli, qui ipse saltem potest habere successorem: metu enim onerum patris timidius quis etiam impuberis hæreditatem adibit. Alioquin (inquit) etsi frater fuit, omissa causa testamenti ab intestato possidebit hæreditatem, & quidem impunè. nec enim uidetur uoluisse fraudare edictum, qui sibi prospicit, ne oneribus patris pupilli hæreditas implicetur. Sed quod in fratre scripsit, credo ita intelligendum, si non impuberis frater fuit, sed testatoris. Cæterùm utiq;, si frater à patre fratri impuberi substitutus sit: sine dubio necessarius hæres existet. *Concordat l. si is. 56. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. 28. cap. 24. reg. 1. except. 10.* *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi filius testatoris impuberi fratri fuerit substitutus. hoc enim casu, mortuo fratre impubere, ipse substitutus testatoris hæreditatem omittere non potest. quæ duplicatio approbatur uerbis iā propositis hisce*: Sed quod in fratre scripsit, credo ita intelligendum, si non impuberis frater fuit, &c. *Sed plura de hac duplicatione uide §. except. prox. item §. except. prox. repl. 5. dupl. 2. Sed & de exceptione proposita uide plura §. d. repl. 5.*

IIII. *Exceptio: Nisi hæres qui repudiat hæreditatem, antea sese hæreditati miscuit, uel eam adiuit. hoc enim casu rursus se abstinere non potest. quæ exceptio approbatur Inst. de hæred. qual. & differ. §. sed siue is, his uerbis*: Siue is cui abstinendi potestas est, immiscuerit se bonis hæreditatis, siue extraneus, cui de adeunda hæreditate deliberare licet, adierit: postea relinquendæ hæreditatis facultatem non habet, nisi minor sit uigintiquinq; annis. Nam huius ætatis hominibus, sicut in cæteris omnibus causis deceptis, ita etsi temerè damnosam hæreditatem susceperint, Prætor succurrit. *Concordat l. necessarijs. 57. ibi: puberibus autem. ff. de adqu. hæred. cuius uerba uide §. except. 2. in fine. Concordat item l. sicut. 4. C. de repud. hæred. his uerbis*: Sicut maiores uigintiquinq; annis, antequam adeat, delatam repudians successionem pòst quærere non potest: ita quęsitam renunciando nihil agit, sed ius quod habuit retinet: nec quòd confessos in iure pro iudicatis haberi placuit, ad uocem repudiatis hæreditatem, sed ad certam quantitatem deberi confitētem pertinet. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi impubes hæreditati se miscuerit. quæ replicatio approbatur l. impub. 11. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Im puberibus liberis omnimodò abstinēdi potestas sit: puberibus autē ita, si se bonis non miscuerint. *Concordat d. l. 57. ibi: sed impuberibus quidem. Altera replicatio est*: Nisi minor uigintiquinq; annis temerè damnosam adierit hæreditatem, *quæ replicatio approbatur d. l. 57. ibi: sed tamen & puberibus. Cui concordat Instit. de hæred. qual. & differ. §. sed siue is, in fine. cuius uerba uide paulò superius. Tertia replicatio est*: Nisi facto inuētario hæreditatem adierit. *Hæc replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §. cap. 1. quæst. 6. Quarta replicatio est*: Nisi metus causa hæreditatem adierit. *Hæc replicatio approbatur l. si metum. 84. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide §. cap. prox. reg. 1. except. 16. Quinta replicatio est: Nisi alterius hæreditatem adiuit. Hæc replicatio approbatur l. ei qui. 12. ff. de adq. hæred. his uerbis*: Ei qui se non immiscuit hæreditati paternæ, siue maior sit, siue minor: non est necesse

Prætorem

Prætorem adire, sed sufficit, se non immiscuisse hæreditati. Et est in semestribus Viuijs Soteri & Victorino rescriptum, non esse necesse pupillis in integrum restitui ex auito contractu, quorum pater constituerat non agnoscere hæreditatem, nec quidquam amouerat, uel pro hærede gesserat. *Concordat l. 2. C. de legitimis hæred. his uerbis*: Si eius, quæ uos hæredes instituit, patri hæreditatem non quæsistis, posteaq; mortuo patre ac repudiata eius hæreditate, defunctæ successionem agnouistis: ea quæ bonorum sunt defunctæ, ab his separari quæ patris uestri fuerunt, Præses prouinciæ non ignorabit. *Concordat item l. si liber homo. 57. §. fin. ff. de hæred. instit. his uerbis*: Si Attius Titium, & Mæuium, & Seium æquis partibus hæredes instituit, & Titius interim solus adijt hæreditatem, & Seium hæredem instituit: poterit Seius Titij hæreditatem adire, Attij uel adire, uel omittere. Sed Attio, antequam adeat uel omittat eius hæreditatē, ex semisse hæres erit. Si adierit Seius Attij hæreditatem, Titius ex triente duntaxat hęres erit, & per hæreditatem Titij triens duntaxat ad Seiū peruenient: alterum trientem ex sua institutione habebit. Quid ergo? Si ab Attio Titius & Seius hæredes instituti sint, Titius adierit hæreditatem, Titio Seius hæres extitent: potēst ne Attij hæreditatem omittere? an necessariò ei ex asse est hæres, quippe cū alius nemo hęres institutus est? quoniam & ipse ex aliqua parte iam hæres est. Perinde est, quasi unus hæres per Attium institutus sit. *Concordant item ea quæ proposita sunt §. except. prox. replic. 1.* *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi eius hæreditatem adierit, qui antea hæreditatem, de qua agitur, agnouerat. tunc enim unam hæreditatem adeundo, alteram repudiare amplius non potest. quæ duplicatio approbatur uerbis d. §. fin. iam propositis, præsertim hisce*: Quid ergo, si ab Attio Titius & Seius hæredes instituti sint, &c. *Cui concordant ea quæ proposita sunt §. d. except. prox. in prin.* *Altera duplicatio est: Nisi ab eo, de cuius hæreditate agitur, impuberi filio substitutus, ex substitutione impuberis filij hæreditatem adierit, repudiata patris testatoris hæreditate. hoc enim casu proposita replicatione non defenditur. quæ duplicatio approbatur l. paterfam. 12. ff. de priuilegijs creditorum, his uerbis*: Paterfamiliās impuberi filio, si ante pubertatem decessisset, substituit hæredem. Is filius paterna hæreditate se abstinuit, ideoque bona patris uenierunt: postea filio hæreditas obuenit: qua adita decessit. quæro, cum Prætor in ipsum pupillum (quamuis postea hæreditas obuenisset) creditoribus tamen patris actionem non daret: an in substitutum creditoribus patris danda sit actio, cum ex bonis paternis, quæ scilicet ad creditores missos ad bona pertinent, nihil adquirat: & cum creditores nihil iuris in bonis pupilli habuerint, eorumque nihil interfuerit, adiretur nécne pupilli hæreditas: cùm ea bona, omissa à substituto hæreditate, ad creditores non pertinerent? Me illud maximè mouet, quod præceptoribus tuis placet, unum esse testamentum. Iabolenus respondit: Quod Prætor filio, qui à paterna hæreditate se abstinet, præstat, ne bonis patris eius uenditis in eum actio detur: & tametsi postea ei hæreditas obuenit, creditoribus non reddat: idem in substituto filio hærede seruandum non est: quoniam filij pudori parcitur, ut potius patris quàm bona eius ueneāt. Itaq; in id quod postea ei obuenit, actio creditoribus denegatur: quia id quod ex aduentitio adquisitum est, non per patrem ad eum peruenit. At cum substitutus filio hæreditatem adijt, postquam pupillus se paternæ miscuerat hæreditati: tunc hæreditas & patris & filij una est, & in omni ære alieno, quod aut patris aut filij fuerit, etiā inuitus hæres obligatur. Et quemadmodum liberū ei non est post obligationem, ut non omnimodò, si non defendatur, ipsius bona ueneant: ita ne separare quidem æs alienum patris & filij poterit. Quo casu efficietur, ut creditoribus in eū actio dari debeat. Quòd si substitutus hæres hæreditatem nō adierit: creditoribus patris in id quod pupillus reliquit, actio dari non debet: quoniam neque pupilli bona uenire debent propter æs alienū patris, neq; in bonis patris est quod pupillus adquisijt. *Ait iurisconsultus*: Idem in substituto filio hærede seruandum non est. *Hic alia exemplaria habent, Seruandum est: omissa particula* Non. *qua lectione admissa, duplicatio proposita d. l. 12. reprobatur, non approbatur. Cui concordat l. Iulianus. 42. in prin. ff. de adquir. hæred. cuius uerba uide §. except. prox. Planè admittitur in filio testatoris impuberi fratri substituto: ut patet ex d. l. 42. in prin.* *Sexta replicatio est*: Nisi pro alia parte adijt hæreditatem, non pro ea quæ nunc defertur, & quidem ex alia causa. *Hæc replicatio reprobatur l. testamento. 6. C. de impub. & aliis substit. his uerbis*: Testamento iure facto multis instituris hæredibus, & substitutis inuicem: adeuntibus suā portionem, cohæredum etiam inuitis repudiantium adcrescit portio. *Concordat l. si certarū. 17. §. Iulianus. ff. de militari test. cuius uerba uide §. lib. 26. cap. 6. reg. 5. except. 14. Concordat item l. si ego. 26. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide §. cap. prox. reg. 5. Concordāt item ea quæ proposita sunt §. lib. 28. cap. 24. reg. 1. except. 10.* *Planè admittitur replicatio proposita primùm, si duobus hæredibus institutis, uterq; hæreditatem adierit, & postea alter per in integrum restitutionem rursus sit abstentus. eius enim portio alterā*

inuito non adcreſcit. quæ diſtinctio approbatur l. filiũ. 60. §. fin. ff. de adq. hær. his uerbis: Si minor annis, poſteaquam ex parte hæres extitit, in integrum reſtitutus eſt: diuus Seuerus conſtituit, ut eius partis onus cohæres ſuſcipere non cogatur, ſed bonorum poſſeſsio creditoribus detur. *Huius diſtinctionis duplicatio prima hæc eſt:* Niſi *neceſſarius defuncti pro parte hæres ſe abſtinuerit. tunc enim alteri eius portio inuito adcreſcit, niſi & ſuam partem relinquat. quæ duplicatio approbatur l. cum hæreditate. 55. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 28. cap. 24. reg. 1. except. 10. Altera duplicatio eſt:* Niſi *quis ſponte adcreſcentẽ portionẽ ſuſcipiat. quæ duplicatio approbatur l. penult. ff. d. tt. his uerbis:* Quæ neptis ſuæ nomine, &c. *Deinde admitti uidetur replicatio propoſita, ſi inſtitutione repudiata, ex ſubſtitutione adiuit. Sed hæc diſtinctio reprobatur l. ſi tu. 75. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Si tu ex parte ſexta ſub conditione inſtitutus fuiſſes hęres, & omittente partem ſuam Titio, cui ſubſtitutus eras, ex ſubſtitutione adijſſes, deinde conditio iure ſextantis extitiſſet: quęro, an adire neceſſe habueris, ne ſextans tuus intereat? Iabolenus reſpondit, nihil intereſſe, utrũ ex ſubſtitutione prius adierit, an ex prima inſtitutione: cum ab utraq; cauſa una aditio ſufficiat. Sextans itaq; qui ſub conditione datus mihi eſt, ad me ſolum pertinet. Item ſi tu ſextantis, ex quo inſtitutus eſſes hæres, omiſeris aditionem: nunquid dubitas, quin ex ſubſtitutione adeundo Titianę partis habiturus partem eſſes? Reſpondit: Non dubito, quin ſi prima inſtitutione adeundo hæres eſſe poſsim, in poteſtate mea ſit, quam partem hæreditatis aut omittere uelim, aut uindicare. *Planè admittitur diſtinctio propoſita, ſi inſtitutus impuberi teſtatoris filio ſubſtitutus quoq; ſit. nam hoc caſu ex ſubſtitutione impuberi ſuccedenti paterna hæreditas inuito nõ adcreſcit, quam repudiauit. quæ diſtinctio approbatur l. quæſitũ. 40. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ℨ. *except. prox. Tertiò admittitur replicatio propoſita: Si is cui adcreuit portio quam recuſat, utranq; portionem, tam ſuam quã adiuit, quàm adcreſcentem omittere ſit paratus. quæ diſtinctio approbatur* ℨ. *replic. prox. Septima replicatio eſt:* Niſi *ei qui ex ſua portione adiuit hæreditatem, poſtea alia portio adcreuerit. hoc enim caſu in totum ſe rurſus poteſt abſtinere, propoſita exceptione non obſtante. quæ replicatio approbatur l. cum hæreditate. 55. cum lege ſequente. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 28. cap. 24. reg. 1. except. 10. Concordat l. ſi pupillus. 79. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Si pupillus parenti ſuo hæres extitit, & fideicommiſſam hæreditatis partem reſtituit, mox abſtinet paterna hæreditate: optio deferenda eſt fideicommiſſario, ut aut portionem pupilli quoque agnoſcat, aut toto diſcedat: aut omnimodò bona uendenda ſunt, ut id quod ſuperfluum eſt, pupillo ſeruetur. Et ſi in ſolidum bona uenire non poſſunt, omnimo dò actiones fideicommiſſario denegandæ erunt. Erat enim in poteſtate illius uniuerſum ſuſcipere, & ſi quid plus eſſet, pupillo ſeruare. *Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt:* Niſi *creditores eius parte quam adiuit, ſint contenti. quæ duplicatio approbatur d. l. 55. in fine. Altera duplicatio eſt:* Niſi, *poſtquam alterius portio ei adcreuerat, ſuã adierit. quæ duplicatio approbatur l. ſi duo. 38. ff. de adquir. hæred. his uerbis:* Si duo ſint hæredes neceſſarij, quorum alter ſe abſtinuit, alter poſteaquam prior abſtinuit, ſe immiſcuit: dicendum eſt, hunc non poſſe recuſare, quo minus tota onera hæreditaria ſubeat. Qui enim ſcit, aut ſcire potuit, illo abſtinente ſe oneribus fore implicitum: ea conditione adire uidetur. *Hæc de replicationib. propoſitæ exceptionis: quarũ plures uide* ℨ. *ca. prox. reg. 1.*

Duplicatio præcedentium replicationum generalis.

Planè iam dictarum replicationum duplicatio uidetur eſſe: Niſi *antequam ſe rurſus abſtineat in iudicio, à creditoribus fuerit conuentus & condemnatus. Hæc duplicatio reprobatur l. defend. 21. ff. de authoritate tutorum, his uerbis:* Defendente tutore pupillus condemnatus ex contractu patris, accepit curatorem: inter quem & creditorem acta facta ſunt apud procuratorem Cæſaris infrà ſcripta. Priſcus procurator Cæſaris dixit: Faciat iudicata. Nouellius curator dixit: Abſtineo pupillum. Priſcus procurator Cæſaris dixit: Reſponſum habes: ſcis quid agere debeas. quæſitum eſt, an ſecundũ hęc acta adoleſcens bonis patris abſtentus ſit? Scæuola reſpondit, proponi abſtentum. *Concordat l. penult. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide* ℨ. *repl. 6. diſtinct. 1. dupl. 2.*

V. *Exceptio:* Niſi *repudiata inſtitutione, ex ſubſtitutione adierit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ propoſita ſunt* ℨ. *except. proxim. replicat. 6. diſtinct. 2. Huius exceptionis replicatio hæc eſt:* Niſi *inſtitutus pupillariter quoq; ſubſtitutus, omiſſa patris hæreditate, impuberis hæreditatem ex ſubſtitutione adierit: huic enim repudianti ſequens aditio non nocet. quæ replicatio approbatur l. quæſitum. 40. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Quæſitum eſt, an licet quis paternæ hæreditatis nihil attingat, aliquid tamen propter uoluntatem patris habeat, uel faciat: an creditoribus paternis cogatur reſpondere: utputa ſi impuberi fuerit ſubſtitutus? In qua ſpecie Iulianus lib. XXVI. Digeſt. ſcripſit, incidere eum in edictum, ſi ſe immiſcuerit impuberis hæreditati. Nã qui iudicium parentis oppugnauerit, eum non debere ex eadem hæreditate quidquã conſequi. Sed eleganter Marcellus diſtinguit, multum intereſſe, utrum ex aſſe fuerit inſtitutus patris teſtamento, an ex parte: ut ſi ex parte, potuerit ſine metu, remota patris

tris ſucceſsione, impuberis hæreditatẽ amplecti. *Cõcordat l. Iulianus. 42. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ℨ. *except. 3. repl. 1. Huius replicationis duplicatio hæc eſt:* Niſi *ex aſſe, non ex parte inſtitutus, omiſſa inſtitutione, ex pupillari ſubſtitutione adierit. hoc enim caſu, quia patris hæreditas non eſt adita, nec pupillare teſtamentum ualet. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis biſce:* Sed eleganter Marcellus diſtinguit, multum intereſſe, &c. *Planè duplicatio hæc magis pertinet ad ea quæ propoſita ſunt* ℨ. *lib. prox. cap. 13. except. 14. repl. 1.*

VI. *Exceptio:* Niſi *repudians uel pater eius, in cuius eſt poteſtate, diu hæreditatem poſſederit. Hæc exceptio approbatur l. qui in aliena. 6. §. ſed etſi non. ff. de adq. uel amitt. hæred. cuius uerba uide* ℨ. *cap. prox. reg. 1. except. 5. repl. 6. Concordat l. ſi filiusfam. 10. C. de petit. hæred. cuius uerba uide d. reg. 1. except. 6. replic. 6.*

VII. *Exceptio:* Niſi *repudians patrem ſepeliuit. Hæc exceptio reprobatur l. pro hærede. 20. in princip. ff. de adquir. hæred. cuius uerba uide* ℨ. *d. regul. 1. except. 18.*

VIII. *Exceptio:* Niſi *repudians ſepulchri uiolati egit. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 20. §. fin. cuius uerba uide d. except. 18. Concordat l. quæſitum eſt. 10. ff. de ſepulchro uiolato. cuius uerba uide* ℨ. *lib. 26. cap. 5. quæſt. 3. reg. 2. except. 1.*

IX. *Exceptio:* Niſi *repudians precium omittendæ hæreditatis acceperit. Hæc exceptio approbatur l. fuit quæſt. 24. ff. adquir. hæred. his uerbis:* Fuit quæſtionis, an pro hærede gerere uideatur, qui precium hæreditatis omittendæ cauſa capit? & obtinuit, hunc pro hærede quidem non gerere, qui ideo accepit, ne hæres ſit: in edictum tamen Prætoris incidere. Siue igitur à ſubſtituto hæres accepit, ſiue à legitimo, inertis cauſa accepiſſe uidetur. Idemq; erit, etſi non accepit, ſed promiſſa ſit ei pecunia. Nam & ſtipulando mortis cauſa capit. *Concordat l. 2. ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtam. his uerbis:* Licet pro hærede gerere non uideatur, qui precio accepto prætermiſerit hæreditatem: tamen dandam in eum actionem exemplo eius, qui omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato poſsidet hæreditatem, diuus Hadrianus reſcripſit. Proinde legatarijs & fideicommiſſarijs tenebitur. Sed utrũ ab eo erit incipiendum, & ſic ad hæredem ueniendum: an conuertemus ordinem? mihi (Vlpiano) uidetur humanior eſſe hæc ſententia, ut poſſeſſor hæreditatis prior excutiatur: maximè ſi lucratiuam habet poſſeſſionem.

X. *Exceptio:* Niſi *repudians debitum hæreditarium exoluit. Hæc exceptio approbatur l. 2. C. de iure deliberandi, his uerbis:* Cum debitum paternum te exoluiſſe allegas: pro portione hæreditaria agnouiſſe te hæreditatem defuncti, nõ ambigitur.

XI. *Exceptio:* Niſi *repudians ſeruos aut iumenta hæreditaria pauit, uel diſtraxit. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l. pro hærede. 20. §. ſeruos. ff. de adquir. hæred. cuius uerba uide* ℨ. *cap. prox. reg. 1. except. 18.*

XII. *Exceptio:* Niſi *repudians ſeruos hæreditarios manumiſit. Hæc exceptio approbatur l. Iulianus. 42. §. ſi ſeruum. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Si ſeruum paternum filius manumiſerit, ſine dubio miſcuiſſe ſe paternæ hæreditati uidebitur. *Concordat l. Pomponius. 85. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Pro hærede geſsiſſe filium placuit, qui moriens (comperto matrem ſuam inteſtatò uita deceſsiſſe) codicillis petit ab hærede ſuo, ut maternorum bonorum ſeruum manumitteret, ac ſibi parentibusq; ſuis in poſſeſsione matris monumentum extrueret. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt:* Niſi *non ut hæres, ſed ex alia cauſa ſeruos hæreditarios manumiſit. Hæc replicatio approbatur d. l. 42. §. fin. his uerbis:* Proponebatur filius à patre de caſtrenſi peculio ſeruos comparaſſe, eosq; à patre manumittere rogatus eſſe, cum hæres eſſet ab eo inſtitutus, quærebatur, ſi ſe abſtinuiſſet paterna hæreditate, eosq; manumiſiſſet: an miſcuiſſe ſe paternæ hæreditati uideretur? dicebamus, niſi euidenter quaſi hæres manumiſerit: non debere eum calumniam pati, quaſi ſe miſcuerit hæreditati. *Concordat l. 1. C. de iure deliberandi. cuius uerba uide* ℨ. *cap. prox. reg. 1. except. 18.*

XIII. *Exceptio:* Niſi *repudians à ſtatulibero pecuniam conditionis implendæ cauſa accepit. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l. pro hærede. 20. §. Papinianus. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide* ℨ. *d. except. 18.*

XIIII. *Exceptio:* Niſi *ſub conditione, quæ in ipſius eſt poteſtate, inſtitutus conditioni paruerit. Hæc exceptio approbatur l. iam dubitari. 84. §. fin. ff. de hæred. inſtit. cuius uerba uide* ℨ. *except. 2. in fine. Huius exemplum proponitur l. Antiſtius. 61. in prin. ff. de adq. hær. his uerbis:* Antiſtius Labeo ait, ſi ita inſtitutus ſit, Si iurauerit, hæres eſto: quamuis iurauerit, non tamen eum ſtatim hæredem futurum, antequam pro hærede aliquid geſſerit: quia iurando uoluntatem magis ſuam declaraſſe uideatur. Ego puto, ſatis eũ pro hærede geſsiſſe, ſi ut hæres iurauerit. Idem Proculus, eoq; iure utimur.

XV. *Exceptio:* Niſi *teſtamentum falſum dixit repudians. Hæc exceptio approbatur l. cum quidam. 14. ff. de bonor. poſſeſs. cuius uerba uide* ℨ. *lib. prox. cap. 12. except. 12. repl. 14.*

XVI. *Exceptio:* Niſi *repudians moriturus petijt, ut in fundo hæreditario monumentum ſibi extrueretur. Hæc exceptio approbatur l. Pomponius. 85. §. fin. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide* ℨ. *except. 12. Plures huius generis exceptiones, quæ pro hærede geſtionẽ præſumunt, cum ſuis replicationibus uide* ℨ. *cap. prox. reg. 1. except. 18.*

XVII. Exceptio: *Nisi repudians fundos hæreditarios comparauit. Hæc exceptio approbatur l. si is qui. 90. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Si is qui bonis paternis se abstinuit, per suppositam personam emptoris bona patris mercatus probetur: perinde eum conueniri oportere à creditoribus, atque si bonis paternis se immiscuisset. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi bona fide comparauit. Hæc replicatio approbatur l. 2. C. de repud. hæred. his uerbis:* Si paterna hæreditate abstinuisti: non ideo quòd à creditoribus fundos comparasti (si id bona fide feci-sti) à posterioribus, qui sub eisdem obligationibus pecuniam patri crediderunt, iure conueniris.

XVIII. Exceptio: *Nisi non iustam repudiandi causam habuerit. Hæc exceptio reprobatur l. quia. 4. ibi: nec interest. item l. sed & si. 9. §. quòd si suspectam. ff. ad S. C. Trebell. De qua re uide ĩ. lib. 34. cap. 3. de cogendo hærede, quæst. 8. reg. 3. except. 1.*

XIX. Exceptio: *Nisi decreta sit bonorum possessio. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. decretalis. ff. de successorio edicto, his uerbis:* Decretalis bonorum possessio an repudiari possit, uideamus? Et quidem diebus finiri potest. sed repudiari eam non posse, uerius est: quia nondum delata est, nisi cum fuerit decreta. rursum posteaquã decreta est, sera repudiatio est: quia quod adquisitum est, repudiari non potest.

XX. Exceptio: *Nisi repudians aliquid ex hæreditate amouit, uel amouendum curauit. Hæc exceptio approbatur l. si seruum. 70. §. prætor ait. ff. de adq. hæred. his uerbis:* Prætor aït, Si per eum eámue factũ erit, quo quid ex ea hæreditate amoueretur. Si quis suus se dicit retinere hæreditatem nolle, aliquid aũt ex hæreditate amouerit: abstinendi beneficiũ non habebit. Nõ dixit Prætor, Si quid amouerit: sed, Si per eũ eámue factũ erit, quo quid ex ea amoueretur. Siue ergo ipse amouerit, siue amouendum curauerit: edictũ locum habebit. Amouisse eũ accipimus, qui quid celauerit, aut interuerterit, aut consumpserit. *Huius exceptionis replicatio prima, sumpta ex re amota, reprobatur d. l. 70. §. ait Prætor, his uerbis:* Ait Prætor, Quo quid ex ea amoueretur. Siue aũt una res, siue plures fuerint amotæ, edicto locus est: siue ex ea hæreditate sint, siue ad eã hæreditatem pertineant. *Altera replicatio est: Nisi sine dolo malo amouerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 70. §. amouere, his uerbis:* Amouere non uidetur, qui non callido animo, nec maligno rem reposuit: nec is quidem, qui in re errauit, dum putat non esse hæreditariam. Si quis igitur non animo amouendi, nec ut hæreditati damnum det, rem abstulit, sed dum putat non esse hæreditariam: dicendum est, eum amouisse non uideri. *Tertia replicatio est; Nisi postquam se abstinuit, amouerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 70. §. fin. his uerbis:* Hæc uerba edicti ad eum pertinent, qui aliquid antè amouit, deinde se abstinuit. Cæterùm si antè se abstinuit, deinde tunc amouit: hic uideamus, an edicto locus sit? magisq; est, ut putem hic Sabini sententiã admittendam, scilicet ut furti potius actione creditoribus teneatur. Etenim qui semel se abstinuit, quemadmodum ex pòst delicto obligetur?

XXI. Exceptio: *Nisi ex causa primipili filius defuncti conueniatur: huic enim non prodest abstinuisse patris hæreditate. quæ exceptio approbatur l. cum ex. 4. C. de primip. cuius uerba uide §. cæd. reg. in prin.*

XXII. Exceptio: *Nisi non solenniter adito prætore uel alia solennitate usus repudiauerit. Hæc exceptio reprobatur l. recusari. 94. ff. de adqu. hæred. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 13. except. 14. repl. 13. Concordat l. ei qui. 12. ff. eod. tit. cuius uerba uide §. except. 4. repl. 5. in prin. Concordat item l. recusare. 6. in prin. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 3. quæst. 2. except. 12. Hactenus de exceptionibus secundæ regulæ. de qua re uide plura ĩ. lib. 34. cap. 3. de cogendo hæred. quæst. 8. reg. 3.*

III. Regula: *Cui exceptio repudiatæ hæreditatis cõpetat, definitur l. si pupillus. 88. ff. de adq. hær. his uerbis:* Si pupillus se hæreditate abstineat: succurrendum est & fideiussoribus ab eo datis, si ex hæreditario contractu conueniantur.

IIII. Regula: *Gesta ab eo qui abstinuit se postea hæreditate, rata sunt habenda. quæ regula approbatur l. quoties. 44. ff. de adq. hær. his uerbis:* Quoties pupillus patri hæres extitit, & abstinuit se hæreditate: quamuis patris bona sub creditoribus fiant, tamen rata haberi debent, quæcũq; pupillus bona fide gesserit. Et ideo ei qui fundũ tutore autore à pupillo emerit, succurrendũ erit: nec interest, pupillus soluendo sit, nécne. *Cõcordat l. si non. 6. §. si pupillus. ff. de rebus ind. author. possid. cuius uerba cũ alijs legib. concordantib. uide §. lib. 8. cap. 6. quæst. 5. reg. 7. exc. 3.*

DE COLLATIONE BONORUM. Cap. IIII.

AD officia hæredum pertinet conferre bona, & dotem. *de qua re nunc agendum.*

I. RATIO *huius collationis proponitur l. 1. in prin. ff. de collatione bonorũ, his uerbis:* Hic titulus manifestam habet æquitatẽ. Cum enim Prætor ad bonorum possessionem contra tabulas emãcipatos admittat, participesq; faciat cum his qui sunt in potestate, bonorum paternorum: cõsequens esse credidit, ut sua quoq; bona in medium conferant, qui appetant paterna.

II. CAVSA EX QVA BONA sunt conferenda.

Si filius defuncti emancipatus cum liberis uel fratribus, qui in defuncti potestate manserunt, bonorum possessionem

possessionem petat: bona sua illis conferre tenetur. quæ causa seu regula approbatur uerbis iam propositis. Concordat l. si emancipati. 9. C. de collationibus, his uerbis: Si frater tuus in potestate patris mortis tempore fuerat, nec ullum testamẽtum relictum, uel nouissimum iudicium communis patris, teq; emancipatum probatum fuerit: ab intestato te ad successionẽ paternam uenientem, ad collationem forma perpetui edicti certo iure prouocat. *Concordat item l. filius. 9. ff. de collat. bon. his uerbis:* Filius emancipatus intestati patris bonorum possessionem accepit. nepos ex eodem in familia retentus, semissem hæreditatis cum emolumento collationis habebit. Idẽ nepos, si postea possessionem intestati patris accipiat: fratri post emancipationem patris quæsito, & in familia retento, bona sua conferre cogetur. *Huius regulæ exceptiones hæ sunt.*

I. *Exceptio: Nisi nullo incommodo affectus est is, qui manſit in potestate defuncti, per aditionem fratris, seu filij emancipati. Hæc exceptio approbatur d. l. 1. §. pater, his uerbis:* Pater filium, quem in potestate habebat, & extraneum hæredem scripsit, emancipatum prẽterijt: bonorum possessionem contrà tabulas uterq; filius accepit. Potest non incommodè dici, emancipatum ita demum conferre fratri suo debere, si aliquid ex causa hæreditaria abstulerit. Nam si ex minore parte, quàm dimidia, is qui in potestate erat, hæres scriptus fuerit: iniquè uidebitur collationem postulare ab eo, propter quem amplius hæreditate paterna habiturus est. Toties igitur collationi locus est, quoties aliquo incommodo affectus est is qui in potestate est, interuentu emancipati. Cæterùm si non est, collatio cessabit. *Concordat l. filium. 20. §. uideamus. ibi: & hoc sit. ff. contra tabul. cuius uerba uide ĩ. except. 5.*

II. *Exceptio: Nisi ex testamento parenti succedatur, uel filius emancipatus ex testamẽto patris quid acceperit. huius enim nomine ei qui in potestate manſit, conferre non tenetur. Quæ exceptio approbatur d. §. pater. ibi: uel maximè, his uerbis:* Vel maximè tunc emancipatum cõferre non oportet, si etiam iudicium patris meruit, nec quidquam amplius nanciscitur, quàm ei pater dedit. Sed etsi legatis meruit semissem, uel tantũ quantum contra tabulas bonorum possessione occupat: dicendum est, non esse cogendum ad collationem. *Concordat l. u. C. de collationib. his uerbis:* Emancipatos liberos testamento hæredes scriptos, & ex eo successionẽ obtinentes, à patre donata fratrib. cõferre non oportere, si pater ut hoc fiat supremis iudicijs nõ cauit, manifesti iuris est. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pater collationem præceperit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Si pater ut hoc fiat, &c. *Altera replicatio uidetur: Nisi filius in potestate retentus & exhæredatus, inofficiosi querela mota, testamentum rescinderit. Hæc replicatio reprobatur l. pater. 6. cum lege sequẽte. ff. de dotis collat. cuius uerba uide ĩ. except. prox.*

Mutatio iuris.

Planè iure nouo exceptio proposita tollitur & reprobatur Nouell. c. 18. §. illud quoq;, his uerbis: Illud hac complecti lege pulchrum duximus. Volentib. etenim prioribus legibus, cũ de collationib. loquuntur, ut si parentes absq; testamento moriãtur, pro earum tenore collationes fiãt: si cum testamento, nulla tamen earum mentione facta, ut collationib. locus non sit, sed tã res dotis nomine uel alio modo datę retineãtur, quàm etiam testamento relicta uindicentur: nos sancimus, ne omnino talis aliqua sit præsumptio, sed siue quis intestatus, siue testatò moriatur (quãdoquidem incertum est, oblitúsne datorũ, an mortis perturbatione pressus, ea de re mentionem non fecerit) omnino celebrẽtur collationes, & secundũ quod iam constitutũ est, exinde nata colatur æquabilitas: nisi ipse admonuerit, nolle se ut collationes fiãt, sed ut is qui lege adigeretur ad collationẽ, habeat simul & quod iam datũ est, & iure ex testamento delato utendi potestatem. omnibus quæ antè à nobis de collationib. sancita sunt, in suo robore manentibus.

III. *Exceptio: Nisi diuerso iure ad hæreditatem uocentur emancipatus, & in potestate retentus. Hæc exceptio approbatur l. pater. 6. cum lege sequẽte. ff. de dotis collatione, his uerbis:* Pater filium emancipatum hæredẽ instituit, & filiam exhęredauit, quæ inofficiosi lite perlata partem dimidiã hæreditatis abstulit. non esse fratrem bonæ propria conferre cogendum, Papinianus respondit: nam & libertates cõpetere placuit. Nec ipsa dotem fratrib. suis cõferet, cùm diuerso iure fratres hæredes sint. *Aliud exemplum proponitur l. filium. 20. §. uideamus. ff. contra tabulas. ubi cum emancipatus testamẽto esset prætertus, filius in potestate retẽtus exhæredatus, alio hærede scripto, qui hæres scriptus non adijt hæreditatem: uel adijt, & emancipatus contra tabulas bonorum possessionem accepit, exhæredatus in potestate retentus per inofficiosi querelam partem dimidiã abstulit, secundum uerba d. l. 20. in prin. quæ uide §. lib. prox. cap. 7. except. 3. in prin. Subijciuntur hæc uerba:* Videamus isto casu, quo utriq; ad bona patris ueniunt, an hi conferre debeant? Emancipatus nanq; nec ex hac parte edicti uerbis id facere cogitur, unde contra tabulas accepit bonorum possessionem, quæ inter eos, quibus ita bonorum possessio dabitur, caueri de collatione ab emancipato iubet. Iste enim qui manſit in potestate, quòd exhæredatus nominatim fuerit, non est uocatus ad bonorum possessionẽ contra tabulas: neq; ex illa

parte

parte edicti, qua patre intestato mortuo emancipatus ad bonorum possessionem admissus,ad collationem cõpellitur: quia etsi frater ab intestato hæres sit emancipatus,tamen non inde accipit bonorum possessionem. Et uereor, ne hactenus filio suo profuerit factum hæredis scripti non adeuntis: ut eum ad portionem admitteret bonorum paternorum,non etiam eorum quæ emancipatus propria habuit. Et hoc sit consequens illi, quòd cum ex minore parte scriptus à patre hæres,relictus in potestate, admisso fratre emancipato ad contra tabulas bonorum possessionẽ, eius beneficio plus consequatur: quamuis edicti uerbis collatio inducatur,ex mente Prætoris denegandam respondetur. Multò magis autem ei non oportet conferri,qui à patre exhæreda tus,à Prætore ad bonorum possessionẽ contra tabulas non uocatur: occasione omissæ hæreditatis à scripto hærede nihil habituro, propter delatam emancipato à Prætore contra tabulas bonorum possessionem nomen sui hæredis adeptus. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi æquitatis ratione, uel nisi filio in potestate manente hærede instituto,filius emancipatus contra tabulas bonorum possessionem petierit, instituto non petierit. quæ replicatio approbatur l.si filius. 20.ff.de collat.bonor. his uerbis:* Si filius in potestate constitutus adeat, & emãcipato petente bonorum possessionem contra tabulas, ipse non petat: nec conferendum est ei,& ita edictũ habet. Sed magis sentio,ut quemadmodum pro parte hæreditatem retinet iure eo,quo & bonorum possessionem petere possit: ita & conferri ei debeat, utique cum iniuriam per bonorum possessionem patiatur. *Concordat l.1.in prin.ff.de dotis collat. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.quæst.1.except.3.repl.2.*

IIII. *Exceptio: Nisi filius per imperiale rescriptum sui iuris sit effectus. Hæc exceptio reprobatur l.liberos. 18.C.de collationib.his uerbis:* Liberos, qui per nostræ legis authoritatem per oblationẽ precum & imperiale rescriptum sui iuris effecti fuerint,ad similitudinem cæterorum,qui emãcipati ex antiquo iure sunt,collationes facere iubemus compelli, secũdum ea quæ super cæteris emancipatis statuta sunt.

V. *Exceptio: Nisi filio emancipato legitima iura in emancipatione sint reservata. Hæc exceptio reprobatur l.si ab eo.11.in fine.C.de legitimis hæredibus. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.7.except.6.repl.8.*

VI. *Exceptio: Nisi filius emancipatus fuerit in alterius potestate uel familia. Hæc exceptio reprobatur l.1. ẽ.is quoq;.ff.de collat.bonor.his uerbis:* Is quoq; qui in adoptiua familia est,cõferre cogitur: hoc est,nõ ipse,sed is qui eum habet,si maluerit contra tabulas bonorum possessionẽ accipere. *Concordãt ea quæ habẽtur ẽ.quæst.prox.reg.1.*

VII. *Exceptio: Nisi filius in adoptiua familia existens,ab adoptiuo patre fuerit emancipatus. Hæc exceptio approbatur d.ẽ.is quoq;,his uerbis:* Planè si hic adoptiuus pater ante bonorum possessionem petitam emancipauerit eum, non cogetur ad collationem: & ita rescripto diuorum fratrum expressum est. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi in fraudem ab adoptiuo patre fuerit emancipatus. quæ replicatio approbatur ibidem,his uerbis:* Sed ita demum adoptiuus emancipatus collatione fratres priuabit,si sine fraude hoc factum sit. *Concordat l.si quis.s. in prin.ibi: & tamen & ibi.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.quæst.prox.reg.1.except.1.*

VIII. *Exceptio: Nisi tempore mortis parentis filius nihil in bonis habuit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ habentur ẽ.quæst.s.reg.2. except.4. Sed & eius replicationes sunt ẽ.except.prox.9 & 10.*

IX. *Exceptio: Nisi nepos emancipatus,post mortem demum aui editus sit. Hæc exceptio reprobatur l.2.in prin.ff.de collat.bonor.his uerbis:* Cum emãcipati filij nomine nepotem posthumum,post aui mortem editum,dicimus bonorum possessionem accipere oportere: necessarium erit dicere,bona sua eum conferre: licet non potest dici, mortis tempore aui bona habuisse,qui ipse nondum in rerum natura erat. Igitur siue hereditatem à patre,siue legatum acceperit: hoc conferre debebit.

X. *Exceptio: Nisi filius tempore mortis patris apud hostes fuerit. Hæc exceptio reprobatur l.1. ẽ.qui ab hostibus. ff.d.tt.his uerbis:* Qui ab hostibus captus,post mortem patris redijt: licet moriente patre nihil habuit, cum apud hostes fuit: tamen & ad bonorum possessionem admittetur, & conferet scilicet ea quæ moriente patre haberet,si ab hostibus captus non fuisset: licet si redemptus ab hostibus mortis tempore patris inueniatur, eque collatio fit facienda.

XI. *Exceptio: Nisi testator collationem fieri prohibuit. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.18. ẽ.illud quoq;.ibi: nisi ipse admonuerit. cuius uerba uide ẽ.except.2.in fine.*

XII. *Exceptio: Nisi filius emancipatus hæreditatem repudiauerit. Hæc exceptio approbatur l.penult. C.familiæ ercisc undæ, his uerbis:* Ex causa donationis,uel aliunde tibi quæsita,si aui successionem respueris, conferre fratribus compelli non potes. *Concordant ea quæ habentur ẽ. cap.prox.quæst.1.except.3. Hæc de secunda quæstione, eiusq; exceptionibus sint dicta: sed & plures exceptiones uide ẽ.quæst.6.reg.1.*

III. QVI CONFERRE teneantur?

De parente, in cuius potestate est is, cui bonorum possessio competit, proponitur l.emancipato. 4. ff. de coniung.cum emancip.liberis,hisce uerbis: Emancipato quis filio, retinuit ex eo nepotes in potestate.

testate. filius emancipatus, susceptis postea liberis,decessit. Placuit in aui potestate manentes simul cum his qui post emãcipationem nati sunt,decreto bonorum possessionem accipere: manente eo, ut si uelit auus sibi per nepotes adquiri,bona sua conferat, aut nepotes emancipet, ut sibi emolumentum paternæ hæreditatis adquirant. Idq; diuus Marcus rescripsit. *Concordat l.1.ẽ.is quoque qui. ff.de collatione bonorum. cuius uerba uide ẽ. quæst.prox.except.6.& except.7. Concordat item l. si quis.s.in prin.ff.eod.tt. his uerbis:* Si quis filium habeat sui iuris, & ex eo nepotem in potestate sua: consequenter erit dicendum,si nepos patris sui emãcipati accipiat bonorum possessionem: de conferendis suis quoque bonis cauere eum debere,& esse similem ei qui adoptauit. Hoc enim diui fratres rescripserunt,ut ad collationem auus compellat. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi parens paratus est eum,cui bonorum possessio competit,emancipare. Quæ exceptio approbatur d.l.5.in prin.his uerbis:* Planè eodem rescripto adiectum est sic, Nisi forte auus iste nullum ex istis bonis fructum adquirere uult, paratusq; est de potestate nepotem dimittere,ut ad emancipatũ omne emolumentum bonorum possessionis perueniat. Nec id circo ea filia,quæ post emancipationem nata, patri hæres extitit, iustè queri poterit in id, quòd eo facto collationis commodo excludatur: cùm auo quandoque defuncto ad bona eius simul cum fratre possit peruenire. Hæc in patre adoptiuo ratio reddi non potest. Et tamen & ibi dicemus,si sine dolo malo emancipauerit. *Concordat d.ẽ.is quoq; qui. uem d.l.4.in fine. Concordat item l.si pater.6.ff.si tabulæ test.nullæ extab. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.2.except.3. repl.3. Ait iurisconsultus d.l.5.* Et tamen & ibi dicemus, si sine dolo malo emancipauerit. *De hac re dictum ẽ.quæst.prox.except.7.repl.1.*

IIII. QVIBVS CONferenda bona?

Regulariter quidẽ omnibus cohæredibus suis emancipatus, uel in aliena familia constitutus, conferet. quæ regula approbatur l.1.ẽ.1. ff. de collatione bonor. his uerbis: Inter eos dabitur collatio, quibus possessio data est. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cohæredes in potestate defuncti non permanserunt. his enim non conferendum. Quæ exceptio approbatur l.prætor.3.ẽ.quoties.ff.d.tt.his uerbis:* Quoties contra tabulas bonorum possessio datur emancipatis: bona sua conferre debent his solis, qui in potestate patris fuerint. Hoc quemadmodum expediri oporteat, quæri solet. Nam si bona à patre relicta & emancipatorum conferantur, & ita uiriles partes sumantur: eueniet, ut emancipatis quoq; collatio ab ipsis facta prosit. Videmus ergo,ne commodissimum sit emancipatos quartam partem ex bonis paternis conferre,ex suis tertiam. Quod dico,exemplo manifestius fiet. Ponamus patrem quadringenta reliquisse, & duos in potestate filios,duos emancipatos: ex quibus alterum centum, alterum sexaginta in bonis habere. Is qui centum habebit, centum triginta tria & trientem feret: is uerò qui sexaginta contulerit,centum uiginti. Atque ita eueniet, ut collationis emolumentum ad solos qui in potestate remanserunt, perueniat. *Concordat l.1.ẽ.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Portiones collationum ita erunt faciendæ: utputa duo sunt filij in potestate, unus emancipatus habens trecẽta: ducenta fratribus cõferet, sibi centum retinebit. facit enim eis partem; quamuis is sit cui conferri non solet. Quòd si duo sint filij emancipati habentes trecẽta, & duo in potestate: æquè dicẽdum est, & singulos singulis, qui sunt in potestate, centena conferre, centena retinere: sed ipsos inuicem nihil cõferre. Dotis quoque collatio in eũdem modum fiet: uno quicunque conferat, etiam suam personam numeret in partibus faciendis. *Concordat item l. si emãcipati.9.in prin.C.eod.tt.his uerbis:* Si emancipati utrique à patre fuistis, collatio cessat. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cohæres sit cohæredis hæredis in potestate morientis constituti. Hæc replicatio approbatur l.1.ẽ.ibidem.ff.de collatione bonor.his uerbis:* Iulianus ait, si bonorum possessione accepta decesserit is qui in potestate est: ad collationem bonorum emancipatum cogendum: ut tantum hæredi eius conferat, quantum conferret ipsi, si uiueret. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi suus cohæres ante acceptam bonorum possessionem decesserit. Hæc duplicatio approbatur ibidem,his uerbis:* Quòd si ante acceptam bonorum possessionẽ decesserit suus: hæredem eius Prætor tueri debebit (inquit) pro ea parte, qua hæres scriptus fuit is, qui in potestate erat, non tamen ultra uirilem. Ad collationem autem nõ admittit eum in hunc casum: quia bonorum possessio admissa nõ est. *Altera replicatio est: Nisi emancipatus in locum sui patris, qui defuncto suus hæres fuit,succedat. Hæc replicatio non absimilis priori approbatur l.1.ẽ.si sit filius. ff.de coniungendis cum emancipato liber. cuius uerba uide ẽ. except.9. Concordat d.l.1.ẽ.emancipatus.ibi: nam etsi alius.cuius uerba uide ẽ.except.7. Tertia replicatio est: Nisi liberi qui in potestate manserunt, emancipato patri coniungantur. hoc enim casu emancipato quoque confertur. Quæ replicatio approbatur d.l.1.ẽ.fin.his uerbis:* Si sint duo nepotes ex eodem filio, hiq; emancipati, & ex altero eorum pronepos in potestate defuncti: partem habebit nepos unus, aliam nepos cũ filio suo. *Altera*

exceptio est: Nisi filius in potestate retentus, testamento fuit exheredatus. huic enim non conferendum. quæ exceptio approbatur l. filium. 20. §. iudicamus. ff. contra tabulas. cuius uerba uide §. quæst. 2. except. 3. Tertia *exceptio est: Nisi post mortem parentis, de cuius bonis agitur, filius natus sit. Hæc exceptio reprobatur l. posthumo. 11. C. de collationibus, his uerbis:* Posthumo præterito patris testamentum rumpenti, atque intestato succedenti, emancipatum petita bonorum possessione conferre debere bona sua, perpetuo edicto cauetur: cùm his etiam qui sui futuri essent, si uiuo patre nati fuissent, cõferre debere, manifestè significatur: & emancipatis (si legi datæ collationis non pareatur) denegandas actiones, non est ambigui iuris. *Quarta exceptio est: Nisi cohæres filius defuncti, & in potestate eius esse negetur, & ex Carboniano edicto in possessionem mittatur. Hæc exceptio reprobatur l. prætor. 2. §. emancipatus. ff. de collat. bonorum, his uerbis:* Emancipatus filius controuersiam facit impuberi, qui se filium & in potestate patris fuisse dicit. quæro, si bona sua ei emancipatus conferre debeat? Paulus notat: Puto conferẽdum ei esse exacta cautione: ut uictus sicut hæreditatem, ita & quæ collata sunt, præstet. *Concordat l. penult. & ult. ff. de Carboniano edicto. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 10. quæst. 2. except. 23.* Quinta *exceptio est: Nisi is, cui conferendum est, nondum sit natus. Hæc exceptio approbatur l. ult. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Si prægnantem quis uxorem reliquerit, & ea uentris nomine in possessionem missa fuerit: interim cessat collatio. Nam antequam nascatur, non potest dici in potestate morientis fuisse, sed nato confertur. *Sexta exceptio est: Nisi filius, qui fuit in potestate morientis, hæreditate se abstinuerit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio hæc est: Nisi aduersus id quòd se abstinuerat, in integrum sit restitutus. Hæc replicatio approbatur l. 1. §. planè. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Si minorem uel alium quem restituere in integrum Prætor solet, restituerit ad bonorum possessionem contra tabulas petendam, quam omiserat: utique etiam collationis commodũ ei restituet. *Septima exceptio est: Nisi nepotes filio emancipato coniungantur. tunc enim his solis nepotibus, non alijs cohæredibus filius emancipatus conferre tenetur. quæ exceptio approbatur l. 1. §. emancipatus. ff. de coniungendis cum emancip. liberis, hisce uerbis:* Emancipatus filius, siquidem nepotes in aui potestate non habeat, fratribus suis conferet. Sed si sint nepotes, uoluit eum Prætor filijs suis, qui sunt in potestate, solis conferre. meritò: quia ueniendo ad bonorum possessionem, illis solis iniuriam facit. Nunc uideamus, quantum eis conferat? Et quidem semper, cùm fratribus emancipatus confert, uirilem sibi detrahit. Vtrum & in eo casu uirilem detrahat: an uerò, quia dimidiam partem habet bonorum possessionis, dimidiam partem etiam bonorum suorum conferat? Et puto dimidiam tantùm bonorum eius partem conferre debere. Nam etsi alius emancipatus sit filius, alius in potestate retentus: filius emancipatus his duobus nepotibus unam partem tantũ conferet, & patruo eorum qui in potestate manſit, unam partem dabit, tertiam ipse habebit. Nec quod nepotibus conferturà patruo emancipato, ipsi patri conferent. Hoc enim non de bonis aui, sed propter bona postea eis accesit. Euenit igitur, ut pater emancipatus, si centum in bonis habeat, quinquaginta sibi detrahat, residua quinquaginta omnibus nepotibus, id est, filijs suis conferat: aut si unum nepotem habeat, & duos ex alio pronepotes, ita diuidat quinquaginta, ut nepos habeat uigintiquinque, pronepotes ex alio unà uigintiquinq;. Nã & bonorum possessionis ambo unam partem habent. *Concordat propositæ exceptioni d. l. 1. in prin. ibi: ijsq; duntaxat. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. in princ. Concordat item l. si quis. 5. in prin. ibi: huic duntaxat. ff. si test. tabulæ nullæ extab. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. except. 10. repl. 1. Concordat item l. 1. §. si ex dodrante, in fine. ff. de collat. bonorum. cuius uerba uide J. quæst. prox. reg. 2. except. 1. Huius exceptionis replicatio uidetur esse: Nisi filius sit emancipatus cum duobus nepotibus, quorum alter in locum filij à defuncto fuerit adoptatus. hic enim nepos, quamuis patri nõ coniungatur, sed ipse fratris loco sit: tamen ei quoque conferendum uidetur. Sed hæc replicatio reprobatur l. prætor. 3. §. fin. in fine. ff. de collat. bonor. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. except. 13. repl. 1.* Octaua *exceptio est: Nisi cohæredes sint filius defuncti, & ex alio filio duo pluresue nepotes uel pronepotes, quorum unus conferre tenetur: hic enim solis fratribus suis conferet, non patruo: uel fratribus deficientibus, soli patruo, non patruo magno. quæ exceptio approbatur l. 1. §. si sit nepos. ff. de dotis collatione, his uerbis:* Si sit nepos & neptis ex eodem filio, & dotata sit neptis, sit & filius nõ pater eorum: neptis omnem dotem soli fratri collatura est. Emancipata autem neptis dotem & bona sua soli nepoti, non etiam patruo conferet. Sed si sit neptis sola, non etiam nepos ex eodem: tunc cõfert patruo, itémque nepoti uel nepti ex alio. Sed & si duæ neptes sint ex diuersis filijs: conferent & inuicem, & patruo. Si ex eodem patre: tantùm inuicem conferent. *Concordat l. 1. §. fin. ff. de coniung. cum emancip. liberis, hisce uerbis:* Si sit nepos, & ex alio nepote defuncto duo pronepotes: unus ex pronepotibus emancipatus soli fratri suo conferet. uel si frater non est, soli patruo, non etiam patruo maiori. Nona *exceptio est: Nisi filius emancipatus fratres habeat cohæredes, & ex altero fratre filios uel nepotes. hoc enim casu uidetur exemplo superioris exceptionis solis fratribus, non etiam fratris filijs uel nepotibus conferendum. Sed hæc exceptio reprobatur l. si nepotes. 7. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Si nepotes in locum filij successerunt, una portio his conferri debet, uti bonorum possessionis unam partem habent. Sed & ipsi ita conferre debent, quasi omnes unus essent. *Concordat l. 1. §. si sit filius. ff. de coniungendis cum emancipato liberis, hisce uerbis:* Si sit filius in potestate, alius emancipatus: ex defuncto unus in potestate nepos, alius emãcipatus: eleganter Scæuola tractat, patruúsne emancipatus nepotibus, quantum fratri suo, conferat? Et ait, posse dici, tres eum partes facere debere: sibi unam, fratri unam, istis unam collaturum: quamuis hi minus quàm patruus ex hæreditate aui concurrente patre sint habituri. Quæ sententia uera est. *Concordat d. l. 1. §. emancipatus. ibi: nam etsi alius. cuius uerba uide §. except. 7. Concordat item l. 1. §. si sit nepos. ibi: sed si sit neptis. cuius uerba uide §. except. prox.*

V. QVID ET QVANtum conferendum?

1. *Regula: Pro uirili parte singulis collatio facienda, ita ut is qui confert, partem faciat. quæ regula approbatur l. 1. §. fin. ff. de collat. bonor. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 1. in prin. Concordat l. 28. §. si tres. ff. eod. tt. his uerbis:* Si tres emancipati, duo in potestate sint: Caius Cassius libro sexto Iuris ciuilis, tertias conferendas putat: ut emãcipati (quia inuicem non conferunt) unius loco sint: nec indignari eos oportere, si plus conferant, & minus accipiant: quia in potestate eorum fuerit bonorum possessionẽ omittere. Iulianus quoq; Cassij sententiam sequitur. *Concordat item l. prætor. 3. §. quoties. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 1.* Hu*ius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi diuersarum hæreditatum hæredibus conferat. quæ exceptio approbatur d. l. 2. §. si ex emancipato, his uerbis:* Si ex emancipato filio nepos emancipatus, mortuo patre simul & auo, bonorum possessionem utriusque acceperit, cum uterque eorum suum hæredem reliquerit: eo modo collatio explicari potest, ut si (uerbi gratia) centum in bonis habuerit, & patruo quinquaginta, & fratri quinquaginta cõferre debeat. hoc enim ratio facit, siue personas, siue portiones numeremus. *Altera exceptio est: Nisi nepotes in patris locum successerint. his enim non uirilis portio debetur, sed tanta, quanta eorum patri, si uiueret, conferretur. quæ exceptio approbatur l. si nepotes. 7. ff. de collat. bonor. cuius uerba uide §. quæst. proxim. except. 9. Concordat l. 1. §. emancipatus. ibi: nam etsi alius. ff. de coniung. cum emancipato liberis. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 7. Concordat d. l. 1. §. si sit filius. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 9. Tertia exceptio est: Nisi pater cum filijs sit cohæres. hoc enim casu pater eum filijs unam habet partem. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. fin. cuius uerba uide §. quæstion. prox. except. 1. repl. 3.* Quarta *exceptio est: Nisi liberi emancipato patri coniungantur. hoc enim casu partem dimidiam retinet, & reliquam dimidiam filijs confert. quæ exceptio approbatur d. §. emancipatus. ibi: nunc uideamus.* Quinta *exceptio est: Nisi nepotes in locum patris succedentes, conferant. hoc enim casu omnes unam tantùm partem faciunt. quæ exceptio approbatur l. si nepotes. 7. in fine. ff. de collat. bonor. cuius uerba uide §. quæst. prox. except. 9. Hæc de prima regula.*

II. *Regula: Vniuersa bona quæ habuit tempore mortis eius, de cuius hæreditate agitur, regulariter sunt conferenda. Quæ regula ex superioribus patet. cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi suo hærede ex dodrante, extraneo ex quadrante, hærede instituto, filius emancipatus contra tabulas bonorum possessionem petierit. hic enim tantùm pro quadrante bona sua conferet. quæ exceptio approbatur l. 1. §. si ex dodrante. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Si ex dodrante fuit institutus filius, qui erat in potestate, extraneus ex quadrante: emancipatum accipientem contra tabulas, pro quadrante tantùm bona sua collaturum, Iulianus ait: quia solum quadrantem fratri abstulerit. Argumentum pro hac sententia adfert Pomponius, quòd filius emancipatus nepotibus ex senatis solis conferre cogitur. Ex *his uerbis colligitur, emancipatum non pro maiore parte bona sua conferre cogi, quàm suo hæredi per bonorum possessionem abstulerit: cui tamen sententiæ plures aliæ leges repugnant. Altera exceptio est: Nisi nepotes in locum patris succedentes, conferant. hi enim non uniuersa bona sua, sed pro ea parte, quam ex hæreditate capiunt, conferre teneri uidentur. Sed hæc exceptio reprobatur l. 2. §. si duo. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Si duo nepotes ex filio mortuo emancipati, bonorũ possessionem aui petant: utrum dimidias, an quartas patruo conferre debeant, quæritur? Et uerius est, semisses conferre eos oportere: quia etsi uiuo auo, cum in eius potestate essent, ducenta (puta) adquisissent: centum filius, centum duo fratres per hæreditatem aui haberent. *Tertia exceptio est, quoad æs alienum deducendum. quæ exceptio approbatur l. ea demum. 6. in fine. C. de collationibus, his uerbis:* Ea demùm ab emancipatis fratribus his qui manserunt in potestate, conferri consueuerunt, quæ in bonis eorum fuerunt eo tempore, quo pater fati munus impleuit: exceptis uidelicet, quæ ab ipsis alijs debentur. *Concordat l. 2. §. illud autem. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Illud intelligendum est, filium in bonis habere, quod deducto ære alieno supereſt. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi sub conditione debeat. quæ replicatio approbatur d. §. illud, his uerbis:* Sed si sub conditione debeat,

non ſtatim id deducere debebit,ſed id quo que conferre. Contrà autem ei caueri oportebit ab eo qui in poteſtate eſt, ut exiſtente conditione defendatur. *Quarta exceptio eſt: Niſi poſt mortem parentis filius, qui conferre debet, ad quiſierit. hoc enim conferendum non eſt. Quæ exceptio approbatur uerbis d.l.6.iam propoſitis. Cui concordat l.ſi donatione.13.C.eod.tt.his uerbis*: Si donatione tibi poſt mortem patris quæſiſti fundum : ſoror tua portionem eius uindicare non poteſt. Nam ſi is filiæfamiliâs conſtitutæ tibi à patre donatus eſt:cum ſorore patri communi ſuccedens, eum præcipuũ habere contra iura poſtulas. *Concordat item l.nec emancipati.15.C.eod.tt.his uerbis*: Nec emancipati poſt mortem communis patris quæſita conferre coguntur:ſed hæc retinentes,eius bona pro hæreditaria diuidunt portione. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt : Niſi fructuum nomine quid ſit conſecutus. quæ replicatio approbatur l.filius.5.§.ſin. ff.de dotis collat. cuius uerba uide §.cap.prox. quæſt.4. reg.2. Quinta exceptio eſt: Niſi quid acceperit ante mortem patris,quod poſt mortem demum patris ei debebatur. quæ exceptio approbatur l. Paulus.11.ff.de collat.bonor.his uerbis*: Paulus reſpondit,ea quæ poſt mortem patris filio reddi debuerunt: emancipatum filium, quamuis prius cõſecutus ſit quàm deberet, fratri qui in poteſtate patris relictus eſt,conferre non debere: cum poſt mortem patris non tam ex donatione,quàm ex cauſa debiti ea poſsidere uideatur. *Sexta exceptio eſt: Niſi ſub conditione quid filio debeatur. Hæc exceptio partim approbatur,partim reprobatur l.2.§.id quoq; ff.de collat.bonor.his uerbis*: Id quoq;,quod ſub conditione ex ſtipulatu debetur emancipato,conferri debet. Diuerſum eſt in legato conditionali: quia etſi in poteſtate fuiſſet, & poſt mortẽ patris conditio extitiſſet,ipſe haberet actionem. *Septima exceptio eſt: Niſi ab ipſo defuncto quid filius emancipatus adquiſierit. Hæc exceptio reprobatur l.ut liberis.17.§.fin.C.de collationib.cuius uerba uide §.cap.prox.in prin. Concordat.l.ſi donatione.13. C.eod.tt. cuius uerba uide §.except.4. Item concordat l.illud.20.in prin.C.eod.tt.his uerbis*: Illud ſine ratione à quibuſdam in dubietatem deductum, plana ſanctione reuellamus: ut omnia quæ in quartam portionẽ ab inteſtato ſucceſsionis computantur his, qui ad actionem de inofficioſo teſtamento uocantur: etiamſi inteſtatus is deceſſerit, ad cuius hæreditatem ueniunt: omnimodò cohæredib.ſuis conferant. Quod tum in alijs, tum in his quæ occaſione militiæ uni hæredum ex defuncti pecunijs adquiſitę lucratur is,qui militiam meruit, &c. *Octaua exceptio eſt : Niſi dignitatis nomine aliquid filio à patre ſit datum. Hæc exceptio approbatur l.1.§.ſed an. ff.de collat.bonor.his uerbis*: An id quod dignitatis nomine à patre datũ eſt, uel debetur, conferre quis in commune cogatur,uideamus? Et ait Papinianus lib.XIII. Quæſtion.non eſſe cogendum : hoc enim propter onera dignitatis præcipuum haberi oportere. Sed ſi adhuc debeatur: hoc ſic interpretandum eſt,ut non ſolus oneretur is,qui dignitatem meruit, ſed commune ſit omniũ hæredum onus hoc debitum. *Nona exceptio eſt: Niſi filius dotem ab uxore accepit: hæc enim conferenda non eſt. quæ exceptio approbatur l.1.§.eman.ip. ff.de collat.bonor.his uerbis*: Emancipatus filius, ſi dotem habeat ab uxore acceptam:hoc minus confert, etſi antè uxor deceſſerit. *Concordat l.prætor.3.§.emancipati. ff. eod.tt. his uerbis*: Emancipati bona ſua conferre cum his quæ in poteſtate fuerunt,iubentur. Quare ſicut is qui in poteſtate eſt, dotem uxoris præcipit:ita emancipatus quoq; quaſi præcipiat, retinere debet. *Decima exceptio eſt: Niſi quid dotis nomine pro filia ſua filius uel alius aliquis dedit: hoc enim conferendum non eſt. quæ exceptio approbatur l.filium.4.ff.de collat.bonor. his uerbis*: Filium emancipatum dotem,quam filiæ ſuæ nomine dedit,conferre nõ debere,Africanus ait: quia non ſicut in matris familiâs bonis eſſe dos intelligatur,ita & in patris,à quo ſit profecta. *Concordat l.1.§.fin. ff.de dotis collat. his uerbis*: Si emancipatus filius, qui contra tabulas bonorum poſſeſsionem accepit, filiam dotatam habeat:non debet dotem eius cõferre. Quia in bonis eius nõ eſt. *Vndecima exceptio eſt: Niſi caſtrenſe uel quaſi caſtrenſe peculium ſit. Hæc exceptio approbatur l.1.§.nec caſtrenſe.ff.de collat.bonor. his uerbis*: Nec caſtrenſe,nec quaſi caſtrenſe peculium fratribus confertur: hoc enim præcipuum eſſe oportere, multis conſtitutionibus continetur. *Concordat l.filiæ. 12.ibi:ſi hoc neque.C.de collationib. cuius uerba uide §. cap.prox.quæſt.1.except.4. Concordat item l.ut nemini.21.ibi:ut enim. C.eod.tt. cuius uerba uide §. except. prox. Duodecima exceptio eſt: Niſi id ſit,quod parentibus,in quorum poteſtate filius extitit,adquiri non potuit. Hæc exceptio approbatur d.l.21. his uerbis*: Vt nemini deceſerò ſuper collatione dubietas oriatur: neceſſarium duximus,conſtitutioni, quam iam fauore liberorũ fecimus, hoc addere . ut res quas parentibus adquirẽdas eſſe prohibuimus,nec collationi poſt obitum eorum inter liberos ſubiaceant. Vt enim caſtrenſe peculium in commune conferre in hæreditate diuidenda , & ex priſci iuris authoritate minimè cogebantur:ita & alias res,quæ minimè parentibus adquirũtur, proprias liberis manere cẽſemus. *Decimatertia exceptio eſt: Niſi caſtrenſe uel quaſi caſtrenſe peculum filij ſit , qui eſt in poteſtate eius qui conferre tenetur. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.2.§.ſi is qui bona. ff. de collat.bonor. his uerbis*:

uerbis: Si is qui bona collaturus eſt, habeat filium peculium caſtrenſe habentem : non cogetur utiq; peculium eius conferre. Sed ſi iam tũc mortuus erat filius eius,& caſtrenſe peculium habuit cum moreretur is,cuius bonorum poſſeſsio petenda eſt: an conferre cogatur? Cum autẽ uindicarii id patri ſuo non ſit neceſſe: dici oportebit conferendũ. Non enim nunc adquiritur,ſed non adimitur. Amplius dico,etiamſi inſtitutus erat à filio hæres,& nondum adierit, habeatq; ſubſtitutum: quia non magis tunc quæritur peculium,quàm nunc non alienatur: conferri debere. *Decimaquarta exceptio eſt: Niſi ſtipendia ſint,cæteraq; ſalaria. Hæc exceptio approbatur l.cum duob.52.§.idem Papinianus.ibi: quamuis filius.ff.pro ſocio.cuius uerba uide §.lib.44.cap.10.quæſt.3.reg.1.excepti.13.repl.1. Decimaquinta exceptio eſt : Niſi filio legatum ſit ſub hac conditione, Cum pater eius morietur. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.1.§.ſi emancipato,cum ſequente. ff.de collat.bonor. his uerbis*:Si emancipato legatum fuerit,cum pater morietur : etiam hoc conferre debet. Si ab ipſo patre hærede inſtituto, filio eius fideicommiſſum fuerit relictum, cum moritur: an id conferendum eſt, quoniam utile eſt hoc fideicommiſſum? & euenit, ut pro eo habeatur,atq; ſi poſt mortem patris relictum fuiſſet: nec cogetur hic conferre:quia moriente eo eius non fuiſſet. *Decimaſexta exceptio eſt: Niſi ratione quartæ,quæ impuberi adrogato debetur,lucratus ſit. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur d.l.1.§.ſi impubere,his uerbis*: Si impubere adrogato ſecundum diui Pij reſcriptum quarta debeatur : uidendum eſt,an ſi patris naturalis bonorum poſſeſsionem petat, conferre quartam debeat? quæſtio in eo eſt, an hæredi ſuo relinquat quartæ actionem,an non? & magis eſt,ut ad hæredẽ transferat: quia perſonalis actio eſt. Igitur etiam de quarta conferenda cauere eum oportebit.Sed hoc ita demum,ſi iam nata eſt quartæ petitio. Cæterùm ſi adhuc pater adoptiuus uiuat,qui eum emancipauit: dicendum eſt,cautionem quoq; ceſſare. Præmatura eſt enim ſpecies collationis, cum adhuc uiuatis, cuius de bonis quarta debetur. *Decimaſeptima exceptio eſt: Niſi actione iniuriarum filio debeatur. Hæc exceptio approbatur l.2.§. emancipatus.ff.de collat.bonor. his uerbis*: Emancipatus filius,ſi iniuriarum habeat actionem, nihil conferre debet: magis enim uindictę, quàm pecuniæ habet perſecutionem. *Decimaoctaua exceptio uidetur : Niſi actione furti filio debeatur. Hæc exceptio reprobatur d.§.emancipatus, his uerbis*: Sed etſi furti habeat actionem,conferre debebit. *Decimanona exceptio eſt: Niſi alienauit uel perdidit aliquid filius. hoc enim conferendum non eſt. quæ exceptio approbatur d.l.2.§.de illis, hiſce uerbis*: De illis quæ ſine culpa filij emancipati poſt mortem patris perierunt, quæritur,ad cuius detrimentum ea pertinere debeant? & plerique putant,ea quæ ſine dolo & culpa perierint, ad collationis ius non pertinere. Et hoc ex illis uerbis intelligendũ eſt, quibus prætor uiri boni arbitratu iubet bona conferri. Vir autem bonus non ſit arbitraturus, conferendum id quod nec habet, nec dolo,nec culpa deſijt habere. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi dolo uel culpa filij perierit. quæ replicatio ex uerbis iam propoſitis conſtat. Cui concordat l.1.§.confertur.ff.eod.tt.his uerbis*: Cõfertur etiam , ſi quid eius nunc fuerit, dolo malo aũt ſit factũ,quo minus eſſet. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt : Niſi dolo egit ne adquireret , non ut amitteret. quæ duplicatio approbatur d.§.confertur,his uerbis*:Sed hoc ſic accipiendum eſt,ut hoc demum conferatur,quod eius eſſe deſijt dolo malo. Cæterùm ſi id egerit,ne adquireretur,non uenit in collationẽ. Nam hic etiam ſibi inſidiatus eſt.

VI. EVENTVS COLLATIONIS,& ſi collatum non ſit.

I. *Regula: Si nec cautum,nec collatum ſit: filio emancipato bonorum poſſeſsio denegatur. quæ regula approbatur l.poſthumo.11.in fin.C.de collationib. his uerbis*: Emancipatis,ſi legi datæ collationi non pareatur,denegandas actiones,non eſt ambigui iuris. *Concordat l.filiam.16.C.eod.tt.his uerbis*:Filiam cum fratribus ſuis cohæredib.inteſtato patri ſuccedentem,ultra derelictum codicillis non conferentem dotem, iudicio familiæ erciſcundæ nihil poſſe conſequi, ſumma cum ratione placuit. *Concordat item l. poſtquã.5.§.imperator.ibi:ſicuti cum.ff.ut legator.cauſa caueatur. cuius uerba uide §.lib.33.cap.12.excep.14. repl.1. Huius regulæ præter exceptiones ſ. quæſt. 2. enumeratas,& aliæ ſunt: quarũ prima hæc eſt: Niſi propter inopiam cauere non poſsit. Hæc exceptio approbatur l.2.§.fin.ff.de collat.bon.his uerbis*: Si per inopiam emancipatus cauere non poſsit, nõ ſtatim ab eo transferenda eſt poſſeſsio : ſed ſuſtinendum eſt, donec poſsit inuenire fideiuſſores: ut tamen de his quę mora deteriora futura ſunt,his qui in poteſtate ſunt,actio detur, ipſique caueant ſe in medium collaturos,ſi cautum eis fuerit. *Concordat l.1.§.ſi frater.ff.eod.tit.his uerbis*: Si frater cauere non poſsit: curator portionis eius conſtituitur,apud quem refecta pecunia collocetur : ut tunc demum recipiat quod redactum eſt, cum bona propria contulerit. *Concordat item d.l.1.§. ſi cum duobus. cuius uerba uide §.except.prox.repl.2. Item concordat l.poſtquam.5.§. imperator. ibi : ſicuti cum. ff. ut legator. cauſa caueatur. cuius uerba uide §. lib.33.cap.12.except.14.replic.1. Secunda exceptio : Niſi collatum ſit,uel poſtea conferre ſit paratus. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur l.1.§.quã-*

ius. ff. de collat. bonor. his uerbis: Quamuis edictum Prętoris de cautione loquatur: tamen etiam re posse fieri collationem, Pomponius libro LXIX. ad edictum scripsit. Aut enim re (inquit) aut cautione facienda collatio est. Igitur diuidat (inquit) bona sua cum fratribus, & quamuis non caueat, satisfecit edicto. Sed & si quædam diuidat, de quibusdam caueat: æquè dicimus, eum satisfeciſſe. Sed cum possint esse quædam in occulto: non satis confert qui non cauit, quamuis diuidat. Si igitur constet inter partes, quid sit in bonis emancipati: sufficiens collatio est diuisio. Si non constet, sed dicantur quędam non esse in commune redacta: tunc propter incertum cautio erit interponenda. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum non satis constet de bonis emancipati, non caueatur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed cum possint, &c. *Altera replicatio est:* Nisi cùm duobus conferre deberet, alteri contulerit, alteri non. *Hæc replicatio approbatur certo modo d. l. 1. §. si cùm duobus, his uerbis:* Si cùm duobus conferre deberet, alteri contulerit, alteri non: uel cum cauet, uel cũ diuidit: uidendum est, utrum sextãtis tantùm ei auferatur emolumentum, an uerò triens totus detrahi debeat? Et puto, siquidẽ per contumaciam caueat, totius trientis ei denegandas actiones. Nec enim uidetur cauisse, qui non omnibus cauit. Quòd si per inopiam, sextantis tantùm denegandas. Sic tamen, ut possit supplere cautionẽ uel collationẽ, uel cæteris modis, quib. suprà diximus: aut curator constituatur rem eis saluam facturus. Haberi enim debet ratio eius, qui non per contumaciam collationem nõ implet. *Ait Iurisconsultus:* Quibus suprà diximus. *Scilicet d. l. 1. §. quamuis. ibi: sed etsi tantum. cuius uerba uide §. except. 4. Tertia replicatio est: Nisi non uniuersa bona contulerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §. quæst. prox. reg. 2. Quarta replicatio est: Nisi post acceptã demum bonorũ possessionẽ, conferre sit paratus. Hæc replicatio reprobatur l. prætor. 3. in princ. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Prætor non sub conditione collationis bonorum possessionem contra tabulas promisit, sed demonstrat quid data bonorum possessione fieri oporteat. Alioquin magna captio erat emancipati, si non aliter bonorũ possessionem intelligeretur accipere, nisi cauisset de collatione. Nam si interim ipse decesisset, hæredi suo nihil relinqueret. Item si frater eius decesisset: non admitteretur ad bonorum possessionem. Quid ergo? intelligendus est bonorũ possessionem accipere & antequam caueat. Sed si non cauerit: ita obseruabitur, ut tota hæreditas apud eum, qui in potestate fuerit, remaneat. *Quinta replicatio uidetur: Nisi antea per contumaciam, uel alio animo conferre noluit. Hæc replicatio reprobatur l. 1. §. quòd si per. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Quòd si per contumaciam actiones denegatæ sint: oblata postea cautione, recipiet pristinum ius. *Concordat d. l. 1. §. si cùm duobus. ibi: sic tamen ut. cuius uerba uide §. repl. 2. Concordat item l. nonnunquam. 8. ff. eod. tt. his uerbis:* Nonnunquam Prætor uarietatem non repellit, & consilium mutantem non adspernatur. Vnde quidam filiũ emancipatum, qui de bonis conferendis cauere fratribus noluit, audiendum postea putauerunt, si uellet oblata cautione beneficiũ bonorum possessionis exercere: tametsi respõderi possit, uideri eum possessionem repudiasse, qui formam possessionis conseruare noluit. Sed benignior est diuersa sententia, maximè cum de bonis paternis inter fratres disputetur: quem tamen facilius admittendum existimo, si intra tempus delatæ possessionis cautionẽ offerat. Nam post annum quàm delata est bonorũ possessio, uoluntariam moram cautionis admittere difficilius est. *Hæc de secunda exceptione. Tertia exceptio: Nisi de bonis conferendis cautum sit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. 1. §. iubet. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Iubet Prætor ita fieri collationem, ut rectè caueatur. Caueri autem per satisdationem oportere, Pomponius ait. An & pignoribus caueri possit, uideamus? Et Pomponius libro LXIX. ad edictum scripsit, & reis & pignoribus rectè caueri de collatione. Et ita eo quoque puto. *Huius exceptionis replicationes eædem sunt, quæ superioris proximæ. Quarta exceptio: Nisi in bonis paternis tantum remittat, quantum conferre debet. Hæc exceptio approbatur d. l. 2. §. quamuis. ibi: sed etsi tantum, his uerbis:* Sed etsi tantum fortè in bonis paternis emancipatus remittat, quantum ex collatione suus habere debet: dicẽdum est, emancipatum satis contulisse uideri. Idem etsi nomen paterni debitoris delegauerit, uel fundum, rémue aliam dederit pro portione bonorum, quæ conferre debuit. *Quinta exceptio: Nisi rem aliam pro portione conferenda dederit. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Idem etsi nomen, &c. *Sexta exceptio: Nisi diuisio hæreditatis facta sit. Hæc exceptio reprobatur l. si soror. 8. C. de collationib. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 1. except. 1. Hæc de prima regula, cuius plures exceptiones uide §. quæst. 2.*

II. *Regula: Soli ei qui in potestate defuncti manſit, prodest non conferenti denegatas actiones, non alijs eius cohæredibus. quæ regula approbatur l. 2. §. si duo. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Si duo emancipati bonorum possessionem petierint, & unus contulerit, alter non contulerit: huius portio tantùm ei qui in potestate est, prodesse

debet, non etiam emancipato: quoniam eius causa, qui in potestate est, denegantur ei actiones. *Concordat l. prætor. 3. in princip. ibi: sed si non cauerit. ff. eod. tit. cuius uerba uide §. reg. prox. except. 2. repl. 4.*

III. *Regula: De curatore bonis constituendo, uel danda portione ei qui in potestate est, si caueri non possit, uide §. reg. 1. except. 1.*

IIII. *Regula: Si cautum sit, sed non collatum: actio in non conferentem datur in id, quanti ea res est. quæ regula approbatur l. si quis. 5. §. fin. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Stipulatio collationis tunc cõmittitur, cum interpellatus cum aliquo spacio, quo conferre potuit, non facit: maximè cùm uiri boni arbitratu collationem fieri, edicto Prætoris insertum est. Siue ergo in totum collatio facta non est, siue in partem facta: locum habebit hæc stipulatio. Et siue quis non conferat ex hac stipulatione, siue dolo fecerit, quo minus conferat: quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnabitur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non sit interpellatus. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Cum interpellatus, &c. *Altera exceptio est: Nisi partem contulit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Siue ergo in totum collatio facta non est, siue in partem facta, &c. *Tertia exceptio est: Nisi conferre non possit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius replicatio hæc est: Nisi dolo eius factum sit, quo minus possit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Siue dolo fecerit, quo minus conferat. *Quarta exceptio est: Nisi se à bonorum possessione abstineat. Hæc exceptio approbatur l. prætor. 3. §. emancipatus. ff. de collat. bonor. his uerbis:* Emancipatus præteritus, si dum deliberat, cauerit de bonorum collatione, nec bonorum possessionem petierit: agente fratre ex stipulatu, ipso iure tutus erit. Sed etsi pecuniam contulerit, condictione eam repetet. Omissa enim bonorum possessione, incipit pecunia sine causa esse apud hæredem.

V. *Regula: Si is qui cõtulit, postea sese abstineat hæreditate: condictione id quod contulit, repetit. quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed etsi pecuniam contulerit, &c.

DE DOTIS ET ANTENVptialis donationis collatione. Cap. V.

I. CAVSA, EX QVA DOS & ante nuptias donatio conferenda, cum suis exceptionibus.

SI ea quæ defuncto parenti succedit, dotem accepit, uel is qui succedit, donationem ante nuptias: *in diuisione hæreditatis fratrib. eam conferre tenetur. quæ causa seu regula approbatur l. ut liberis. 17. C. de collationibus, his uerbis:* Vt liberis tam masculini quàm fœminini sexus, sui iuris, uel in potestate constitutis, quocũq; iure intestatæ successionis, id est, aut testamento penitùs non condito, aut si factum fuerit, contra tabulas bonorum possessione petita, uel inofficiosi querela mota rescisso, æqua lance parique modo prospici possit: hoc etiam æquitatis studio præsenti legi credidimus inferendum, ut in diuidendis rebus intestatò defunctorum parentum, tam dos quàm ante nuptias donatio conferatur, quam pater uel mater, auus uel auia, proauus uel proauia, paternus uel maternus dederit uel promiserit pro filio uel filia, nepote uel nepte, aut pronepote uel pronepte: nulla discretione intercedente, utrum in ipsas sponsas pro liberis suis memorati parentes donationem contulerint, an in ipsos sponsos earum, ut per eos eadem in sponsas donatio celebretur: ut in diuidendis rebus ab intestato parentis, cuius de hæreditate agitur, eadẽ dos uel ante nuptias donatio ex substantia eius profecta conferatur. Emancipatis uidelicet liberis utriusque sexus, pro tenore præcedẽtium legum, ea quæ in ipsa emancipatione à parentib. suis (ut adsolet fieri) consequũtur, uel post emancipationẽ ab ijsdem parentibus adquisierint, collaturis. *Concordat l. pactum. 3. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 7. except. 5. Item concordat l. quoniã. 29. C. de inofficioso test. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 5. repl. 10. Planè propositæ causæ seu regulæ exceptiones sequuntur, in quib. si quid de dote conferenda uel non conferenda dicetur, idem etiam de antenuptiali donatione erit intelligendũ. Quod & in sequẽtibus alijs quæstionibus & regulis obseruari debet.*

I. *Exceptio: Nisi filia à patre hæres sit instituta. Hæc exceptio approbatur l. filiæ. 4. in prin. C. de collationib. his uerbis:* Filiæ dotem in medium ita demum cõferre coguntur, si uel ab intestato succedant, uel cõtra tabulas petant. *Concordat l. filiam. 7. C. eod. tt. his uerbis:* Filiam testamento patris institutam hæredem, fratrib. ijsdemq; cohęredibus dotem conferre non oportere, nisi pater hoc ipsum specialiter designauit, explorati iuris est. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi parens testator conferri dotem iusserit. *quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi pater hoc ipsum specialiter designauit. *Concordat l. unica. §. uideamus igitur, in fine. C. de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide §. lib. 15. cap. 7. reg. 5. except. 1. Altera replicatio uidetur esse: Nisi filia hærede instituta, contra tabulas bonorũ possessio sit accepta. Sed hæc replicatio reprobatur per ea quæ proponũtur §. except. prox. Tertia replicatio uidetur: Nisi filia hæres instituta, cum fratre emancipato præterito, omissa causa testamenti, ab intestato*

testato successerit. Hæc replicatio reprobatur l.filius.5. ff.de dotis collat.his uerbis: Filius emãcipatus, qui possessionem contra tabulas accipere potuit, intestati patris possessionem accepit: atq; ita filia, quæ mansit in potestate, &c. *Plane exceptio proposita iure nouo uidetur sublata, de quo* ſ. *cap.prox.quæſt.2.except.2.in fine.*

II. Exceptio: *Nisi contra tabulas bonorum possessione accepta, filia in testamenti tabulis hæres sit instituta. Hæc exceptio approbatur l.si filia.3.in prin.ff.de dotis collat.his uerbis*: Si filia fuerit hæres instituta: collatione dotis non fungetur. Vnde si commisso ab altero edicto, necesse habuit contra tabulas bonorum possessionẽ accipere: dicendum est, quoniã nullam iniuriã facit fratri, non debere eam dotem conferre. Nam quod habuit ex iudicio, cõuertitur ad contra tabulas bonorum possessionem. *Concordat l.si filius.23.in fin.ff.si quis omissa causa test. cuius uerba uide* ſ. *lib.33.c.14.except.12. Planè propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi filia in testamẽto ex minore parte hæres instituta, per contra tabulas bonorum possessionẽ plus acceperit. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d.l.3.his uerbis*: Planè si ex minore parte fuit hæres instituta, & alia quædam in eam contulit: contra tabulas bonorum possessione aucta portione eius, dicẽdum erit, collationis munere eam fungi: nisi fortè cõtenta fuerit portione, ex qua instituta est. tunc enim dicendum est, ex iudicio parentis eam uenientem non debere munus collationis sustinere.

III. Exceptio: *Nisi filia parenti defuncto non successerit. Hæc exceptio approbatur l.ult.ff.de dotis collatione, his uerbis*: Fuit quæstionis, an si sua hæres filia patri cum fratrib. contenta dote abstineat se bonis, compellatur eam conferre? Et diuus Marcus rescripsit, nõ compelli abstinentem se ab hæreditate patris. Ergo non tantùm data apud maritum remanebit, sed & promissa exigetur etiam à fratribus, & est æris alieni loco. absceſsit enim à bonis patris. *Concordat l.penult.ff.eod.tt.his uerbis*: Pater nubenti filię quasdam res præter dotem dedit, eamq; in familia retinuit, ac fratribus sub conditione, Si dotem & cætera quæ nubenti tradidit contulisset, cohæredem adscripsit. cùm filia se bonis abstinuisset, fratribus res non in dotem datas uindicantib. exceptionem doli placuit obstare: quoniã pater filiã alterutrũ habere uoluit. *Concordat item l.si pater.4.ff.eod.tt.his uerbis*: Si pater pro filia dotem promiserit, deinde exhæredatæ, uel etiam emancipatæ & præteritæ legatũ dederit: habebit filia etiam dotem præcipuam & legatum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi legatum à defuncto filia acceperit. quæ replicatio reprobatur uerbis d. l.4. iam propositis. Cui concordat l.à patre.10.C.de collationib.his uerbis*: A' patre uerbis precarijs in codicillis relictum, extero iure capiens filia, ad collationem dotis urgeri non potest. *Altera replicatio est: Nisi omisso iure prætorio, ex iure ciuili filia patri successerit. Hæc replicatio approbatur l.1.in princ. ff.de dotis collat. his uerbis*: Quanquam ita demum ad collationem dotis Prætor cogit filiam, si petat bonorum possessionem: attamen, etsi non petat, conferre debebit, si modò se bonis paternis immiscеat. Ethoc diuus Pius Vlpio Hadriano rescripsit, etiam eam quæ non petierit bonorum possessionem, ad collationem dotis per arbitrium familiæ erciscundæ posse compelli. *Sed de hac replicatione uide item* ſ. *cap.prox.q.2.except.3.repl.2.*

IIII. Exceptio: *Nisi filia in defuncti potestate mansserit. Hæc exceptio reprobatur l.filiæ.12.C.de collationib. his uerbis*: Filiæ, licet maneat in sacris, ũ dotem non conferat, quam mortis tempore communis patris habuit, fratribus in eadem familia constitutis: actiones hæreditarias denegari non ambigitur. Vnde consultè, ac pro iuris ratione collationem fratribus tuis, quos in patris communis mortis tempore fuisse potestate proponis, offers. Quin autem fratres tui durantes in familia patris peculium, si hoc neque castrense, neque relictum eis doceatur, præcipuum habere non possint, sed in diuisionem paternæ ueniat hæreditatis: nec quidquam mutet, penes quem res ex hoc proficiscentes, in eadem causa durantes, constitutæ reperiantur: absoluti manifestiq; iuris est. *Concordat l.si donatione.13. C.eod.tt. cuius uerba uide* ſ. *cap.prox.quæst.5.reg.2.except.4.*

V. Exceptio: *Nisi filia in alterius sit potestate seu familia. Hæc exceptio reprobatur l.2.ff.de dotis collat. his uerbis*: Filia in adoptionem data, & hæres instituta, debet (sicut emancipata) non solùm bona sua, sed & dotẽ, quæ ad eam peruenire poterit, conferre. Si adhuc pater adoptiuus uiuit, hic necesse habebit conferre. *Plura de exceptione proposita uide* ſ. *cap.prox.quæſt. 2.except.6. Ait iurisconsultus*: Et hæres instituta. *hoc intellige secundum replicationes* ſ. *except.1. & 2. propositas. Ait insuper*: Si adhuc pater adoptiuus uiuit, hic necesse habebit conferre. *De hoc dictum* ſ. *cap.prox.quæst.3.*

VI. Exceptio: *Nisi matrimonium adhuc duret, cuius dos erat conferenda. Hæc exceptio reprobatur l. dotis.5.C.de collationib.cuius uerba uide* ſ. *lib.15.cap.5. quæst.3.reg.1. Concordat l.si filiæ.20.in prin.ff.familiæ erciscundæ.cuius uerba uide* ſ. *except.prox. Planè pater filiæ suis fratribus conferens dotem, quam pro filia dedit, constante matrimonio conferre non tenetur. quæ distincto approbatur l.pater.71.ibi: nec conferre.ff.de euictione. cuius uerba uide* ſ. *lib.42.cap.7.quæst.1.except.35.dist.2. Concordant ea quæ proposita sunt* ſ. *cap.prox.quæst.5.reg.2.except.10.*

VII. Ex-

VII. Exceptio: *Nisi cùm filia fratrib.de conferenda dote causisset hoc modo, ut quod à marito recuperasset, solueret: ipsa constante matrimonio decesserit. Hæc exceptio reprobatur d.l.20.in prin.his uerbis*: Si filia nupta, quæ dotem conferre debuit, per errorem cohęredum ita cauit, ut quod à marito recuperasset, pro partibus hæreditarijs solueret: nihilominus arbitrum familiæ erciscundæ sic arbitratur Papinianus scribit, ut etiamsi cõstante matrimonio ipsa diem suum obierit, conferatur dos. Nam imperitia (inquit) cohæredum iurisdictionis formam immutare non potuit.

VIII. Exceptio: *Nisi dote sub conditione promissa, conditio adhuc pendeat. Hæc exceptio reprobatur l.1.ſ.si ſub.ff.de dotis collat. his uerbis*: Si sub conditione pater uel extraneus dotem promiserit: cautione opus erit, ut tunc cõferat mulier dotem, cùm dotata esse cœperit.

IX. Exceptio: *Nisi pater diuiſo inter liberos patrimonio, filio multo amplius quàm filiæ reliquerit. Hæc exceptio approbatur l.ex parte.39.ſ.1. ff.familiæ erciscundæ, his uerbis*: Intestatò moriens codicillis prędia sua omnia, & patrimonium inter liberos diuisit, ita ut longè amplius filio, quàm filiæ relinqueret. quæsitum est, an soror fratri dotem cõferre deberet? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, si nihil indiuiſum reliquisset, rectius dici, ex uoluntate defuncti collationem dotis cessare.

X. Exceptio: *Nisi aduersarius uicißim non conferat ea quæ à defuncto accepit. Hæc exceptio approbatur l. illud.20. ſ. ad hæc. C. de collationib. his uerbis*: Ad hæc, cum ante nuptias donatio uel dos à patre data, uel matre, uel alijs parentibus, pro filio uel filia, nepote uel nepte, cæterisq; descendentibus conferatur: si unus uel una liberorum ante nuptias tantummodò donationem uel dotem, non etiam simplicem donationem accepit uel acceperit: alter uerò uel altera neque dotem, neq; donationem ante nuptias à parente suo suscepit uel suscеperit, sed simplicem tantummodò donationem: ne ex eo iniustum aliquid oriatur, si ea quidem persona, quæ ante nuptias donationem uel dotem suscepit, conferre eam cogenda sit, illa uerò quę simplicem tantummodò donationem meruit, ad collationem eius minimè coartanda: si quid huiusmodi acciderit, iubemus ad similitudinem eius qui ante nuptias donationẽ uel dotem conferre cogitur, etiam illam persona, quæ nulla dote uel ante nuptias donatione data, solam simplicem donationẽ à parentibus suis accepit, conferre eam, nec recusare collationem ex eo quòd simplex donatio non aliter confertur, nisi huiusmodi legem donator tempore donationis suæ indulgentiæ imposuerit. *Concordat l.filiæ.12. in fine.C.eod.tt.cuius uerba uide* ſ. *except.4. Concordat item l.ut liberis.17. ſ.fin.C.d.tt. cuius uerba uide* ſ. *ead.quæst.in prin.*

XI. Exceptio: *Nisi alius dotem reddi sit stipulatus, non filia. Hæc exceptio approbatur l.1.ſ.si in stipulat.ff.de dotis collat. his uerbis*: Si in stipulationẽ deducta sit dos, si quidem ipsa mulier stipulata sit, uel ipsi negocium gestum: æquè cõferre cogetur. Si uerò alij quæsita est stipulatio: dicendum est, cessare collationem. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi alius mulieris negocium gerens, stipulatus sit uel acceperit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Vel ipsi negocium gestum. *Cui concordat d.l.17.ibi: nulla diſcretione.C.de collationibus. cuius uerba uide* ſ. *ead.quæst.in princ.*

XII. Exceptio: *Nisi promissa tantùm dos sit pro muliere, nondum data. Hæc exceptio reprobatur d.l.1. ſ.etſi tantùm, his uerbis*: Etsi tantùm promissa sit dos, collatio eius fiet. *Concordat d.l.1. ſ.filiã, his uerbis*: Filiam quæ ab intestato patri hæres fit, conferre quidẽ dotem oportet: consequens autem est, ut ex pollicitatione dotis pro parte dimidia fratrem suum liberet. æquius enim est, in solidum de suo eam dotatam esse. *Cõcordat l.2.C.de collationib.his uerbis*: Si pater intestatus decesſit, relictis duobus filijs & filia, cuius nomine dotem promiserat: portiones hæreditatis æquæ sunt, & dos nihilominus ita conferenda est, ut pro portionibus fratres eius à necesſitate præstandæ eius liberentur.

XIII. Exceptio: *Nisi non à defuncto, sed ab alio dos pro filia data sit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.filiæ.4. C.de collat.his uerbis*: Non dubium est, profecticiam seu aduenticiam dotem à patre datam uel constitutam, fratribus qui in potestate fuerunt, conferendã esse. Iis etenim qui in familia defuncti non sunt, profecticiam tantũmodò dotem post uarias prudentum opiniones conferri placuit. *Concordat l.ut liberis.17. C.eod.tit. cuius uerba uide* ſ. *ead.quæst.in prin. Concordat item l.illam.19. ſ. talem igitur. C.eod.tit. cuius uerba uide* ſ. *quæst.3.exc. 2. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi ijs qui in potestate defuncti fuerunt, dos fuit conferenda, non emancipatis: tunc enim etiam aliunde aduenientes dos est conferenda. quæ replicatio approbatur uerbis d. l. 4. iam propositis.*

Mutatio iuris.

Planè replicatio hæc mutari ac tolli uidetur l. ult. C.eod.tit. cuius uerba uide ſ. *cap.prox. quæst.5. reg.2. except. 12.*

XIIII. Exceptio: *Nisi maritus soluendo non sit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proponuntur* ſ. *quæst.4.reg.4.*

XV. Exceptio: *Nisi diuisio hæreditatis sit facta. Hæc exceptio reprobatur l.si soror.8.C.de collationib.*

his

bis uerbis: Si soror tua in paternorum bonorum diuisione te fefellit, nec dotem quã acceperat à patre uestro intestatò diẽ functo, contulit: Præses prouinciæ, examinatis partium allegationibus, cum bonis dotem cõfundi iubebit: & quod deducta ratione plus apud eam esse animaduerterit, restitui tibi iubebit. Idem est, etsi arbitro dato diuisio celebrata est. *Hæc de exceptionibus aduersus collationem dotis. Sed & plures huiusmodi exceptiones uide ẽ.cap.prox.quæst.2.*

II. QVI CONFERRE DOtem teneantur?

I. *Regula, De patre in cuius potestate est ea, cuius dos est, proponitur l.2.in fine. ff.de dotis collat. cuius uerba uide ẽ.quæst.prox.except.5. Plura de hac regula uide ẽ.cap.prox.quæst.3.*

II. *Regula, De hæredib.mulieris, proponitur l.illam.19.C.de collat.cuius uerba uide 3.quæst.prox.*

III. QVIBVS DOS est conferenda?

Regulariter quidem omnibus cohæredib. filiæ dos est conferẽda.quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ.quæst.1.in prin. Huius autẽ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cohæres in familia seu potestate defuncti non fuerit. Hæc exceptio reprobatur l. filiæ.4.in fine.C. de collationibus. cuius uerba uide ẽ. quæst.1.except.13. Concordat l.ut liberis.17.in prin.C. eod.tt. cuius uerba uide ẽ. eod.cap.in prin. Altera exceptio uidetur: Nisi cohæredis hæres sit, uel fratris filius uel filia. Hæc exceptio reprobatur l.si maritus.14. C.de collationib.his uerbis: Si maritus quõdam tuus ab intestato patri suo hæres extitit, & ei posthumus à te editus successit: actiones hæreditarias amitæ filij uestri, quas habuit patris sui mortis tempore, dotem non conferenti, denegare Præses nõ dubitabit. *Concordat l.illam.19.C.eod.tt.his uerbis*: Illam meritò dubitationem amputare duximus, quæ super collatione dotis, uel ante nuptias donationis, inter certas personas satis iam uenti lata est. Nam si intestatus quis defunctus esset, filio uel filijs, aut filia uel filiabus relictis, & ex mortua filia uel filio cuiuscũq; sexus aut numeri nepotibus: uel si qua intestata defuncta esset, filio quidem uel filijs similiter relictis, ex mortua uerò filia uel filio itidem nepotibus cuiuscunq; sexus: de modo quidem successionis minimè dubitabatur, sed palàm erat, quòd huiusmodi nepotes duas partes paternæ uel maternę portionis tantùm haberent, tertiam partẽ patruis suis, uel auunculis, uel amitis, uel materteris pro iam posita cõstitutione cõcedentes. De collatione uerò dotis, uel ante nuptias donationis, quã defuncta persona pro filio uel filia superstitibus, & pro mortuo uel mortua filio uel filia dedisset, multa dubitatio est orta: superstitibus quidẽ filijs defunctæ personæ, non debere se dotem, uel ante nuptias donationem pro se datam à suo patre uel matre, conferre filijs mortui fratris sui, uel mortuæ sororis suæ, cõtendentibus, eo quòd nulla cõstitutio super huiusmodi collatione posita esset: neporib. uerò mortuæ personæ non tantùm huic resistentibus, sed etiam adserentibus, quòd onus collationis constitutione Arcadij & Honorij diuæ memoriæ sibi impositũ, in personis tantummodò suorũ auunculorum, nõ etiam patruorũ, uel amitarum, uel materterarũ locũ habere posset. Talem igitur subtilem dubitationẽ amputantes, præcipimus tam filios uel filias defunctę personæ dotem uel ante nuptias donationẽ, à parentib. suis sibi datam, cõferre nepotibus uel neptibus personæ mortuæ: quàm eosdem nepotes uel neptes patruis suis aut auunculis, amitis etiam & materteris dotem, uel ante nuptias donationẽ patris sui uel matris, quã pro eo uel ea mortua persona dedit, similiter cõferre: ut commistis huiusmodi collationibus cum bonis personæ mortuæ, duas quidẽ partes nepotes uel neptes habeant illius portionis quæ patri uel matri eorum, si superesset, deferebatur: tertiam uerò eiusdem portionis partem unà cum sibi competentibus portionibus filij uel filiæ defunctæ personæ, cuius de hæreditate agitur, capiant. *Ait Imp.* Sed palàm erat, quòd huiusmodi nepotes duas partes, &c. *Item*: Duas quidem partes nepotes, &c. *Hoc hodie mutatum est: de quo uide ẽ.lib. prox.cap.14.reg.4.except.2. Plura de regula proposita eiusq; exceptionib. uide ẽ.cap.prox.quæst.4.*

IIII. QVID ET QVANtum dotis nomine conferendum?

I. *Regula*: Pro *uirili parte dos conferenda, ita ut conferentis persona partem faciat. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ẽ.cap.prox.quæst.5.*

II. *Regula, De usuris conferendis, si in collatione mora sit facta, proponitur l.filius.5.§.fin.ff.de dotis collatione, his uerbis*: Ea filia, quæ soluto matrimonio dotem conferre debuit, moram collationi fecit, uiri boni arbitratu cogetur usuras quoq; dotis conferre: cum emancipatus frater etiam fructus conferat, & filia partis suæ fructus percipiat.

III. *Regula, De impensis deducendis, proponitur l.1.§.cum dos.ff.eod.tt.his uerbis*: Cum dos confertur, impensarum necessariarum fit detractio, cæterarum non.

IIII. *Regula*: *Si maritus non sit soluendo: id quod maritus facere potest, tantùm conferendum. quæ regula approbatur d.§.cum dos, his uerbis*: Quòd si iam diuortium factum est, & maritus non sit soluendo, non debebit integra dos computari mulieri: sed id quod ad mulierẽ potest peruenire, hoc est, quod facere maritus potest. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi cũ mulier, marito ad inopiam uergente, dotem repetere possit, id culpa sua non fecit: tunc enim in solidum cõferenda dos est. quæ exceptio approbatur Nouell.c.97.§.sed & illud, his uerbis*: Illud lege includere perquã necessariũ duximus, quod in multis, adeóque ineffabilibus rebus queri solet. Obtulit pater aut mater fortè filiæ suę dotem, dedit hanc illa marito, & mortuus est maritus nõ soluendo: mox decedente patre aut matre, expetebatur ea quæ nupta fuerat, ut dotem cõferret, uel tanto minus caperet. Ac siquidem uir soluendo fit, quacunq; specte, facilè res dissolui potest. Si uerò nullius alterius rei domina sit illa, quàm actionũ contra maritum, quæ per eius inopiam inefficaces existãt, & objiciatur mulieri, quòd pro ipsa iam oblata dos sit, quodq; actionẽ conferat nullum omnino effectum legis habentem: res sanè nobis consideratione digna habita est. Et scimus quidẽ, in plerisq; iudicijs paulò id durius iudicatum, & mulierem coactã conferre dotem, aut reputare pro se datam dotem, ex qua nullum omnino illi reipsa effectum percipere cõtigerat. Nos uerò ex alijs legibus negocio opem ferimus. Ex quo enim mulieribus optionem dedimus, si maritus res malè administret, ut uel constante matrimonio eas ad se recipiat, & conueniẽti modo administret, quemadmodũ & nostra loquitur constitutio: si quidẽ sui iuris & perfectæ ætatis mulier sit, sibi ipsi culpã imputato, quare cũ maritus inciperet rebus suis malè uti, non pridem eas ad se receperit, & sibi ipsi auxiliũ tulerit. Eo enim pacto habitura fuisset in rationẽ collationis res suas indemnitas, & collationem in tanto maiore summa faceret. Si uerò sub potestate sit, & citra consensum patris hoc facere neque at: si quidẽ patrem adiens, hęc prolocuta est, testatoq; eum cõuenit, ut ad res uel cõstante adhuc matrimonio recipiẽdas, & in alia reseruandas tempora sibi consensum præbeat; & pater hæc fecerit: rursus & hoc casu iura sua illibata habebit, rebus illi adseruatis, utiq; cũ & res donationis ante nuptias uel constante matrimonio uindicare illi dederimus, & in sequentis periculi metu prorsus liberari. Cęterùm si, cũ patrem de his restatò cõueniisset, is actionem neq; ipse mouit, neq; consensit, neq; huius agendi licentiam dedit filię: nihil ipsa periculi excipito, sed & nuda illa contra inopis mariti bona actio confertor, & tam ipsi quàm fratribus eius communis fortuna esto: non tamẽ per collationem implicator damno, sed competens illi ex paternis bonis portio dator, actione quidem cõferenda ab illa, ab omnibus autem mouẽda fratribus, & in cõmune omnib. illis adquirendo eo, quod fortunæ euentus prębuerit. Atq; hoc sanè obtineto, si pater in huiusmodi casibus dotẽ offerat, & in bonis eius habitura speretur collatio. Verùm si maior dos sit, perq; inobediẽtiam patris, qui neq; ipse actionem mouere, neq; ut ea moueret, permittere uoluit, in illa spe uersetur collatio: tunc ipsa filia per se mouere, neq; hunc prætextũ habeto, quòd mouere nequeat: sed sibi ipsi auxilium ferto, & de mariti inopia futurã ablegato formidinem. Ac scimus, sapientissimum quoq; uirũ Vlpianum talia quæsijsse, & cum maritus soluendo inuentus non esset, opem tulisse mulieri, dum uoluit ab ipsa collationem fieri, in quãtum maritus facere posset. Sed quia, cum leges in multitudine existerent, & antequã eas constitueremus, deduceremusq; in luculentum ordinem, multa etiam ex necessarijs ignorabantur, & sententię legibus contraria uolentes proferebantur à iudicibus: ne circa hæc aliqua admittatur deceptio, propterea necessarium putauimus, cũ aliàs, tum uerò etiam constitutione nostra, quæ uel constante matrimonio mulieri opitulatur, in medium proposita, meliorem & magis compendiariam consectaneamq; uiam ingressi, præsentem legem proferre. Ne uerò particulatim personas, in quibus eam obtinere oportet, enumeremus: generali oratione determinamus, ut in quibus ratio habetur collationis, in his & constitutio ualeat, siue pater, siue auus, siue mater, siue auia, siue etiam ex ulterioribus personis aliqua sit. *Hæc de quarta regula.*

V. *Regula: Si dos tantum promissa, non etiam data est: filia fratres pro portionibus hæreditarijs liberare tenetur. quæ regula approbatur per ea quæ habentur ẽ.quæst.1.except.12.*

V. EVENTVS COLLAtionis dotis.

Si mulier non conferat dotem, denegantur ei actiones hæreditariæ. quæ regula approbatur l.filiæ.12.in prin. C.de collationib. cuius uerba uide ẽ. quæst.1.except.4. Concordat l.si maritus.14.C.eod.tt.cuius uerba uide ẽ. quæst.3. except.2. Concordat item l.filiam.16.C.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.quæst.6.reg.1.in prin. Sed & plura de regula proposita eiusq; exceptionibus uide ẽ.d.reg.1.

DE VINDICANDA MOrte defuncti, & quæstione de familiæ necati habenda, supplicioq; sumendo. Cap. VI.

AD officia hæredis pertinet etiã uindicare mortem testatoris occisi, & de seruis quæstionem habere: de quo restat agendum.

I. CAVSAE, EX QVIBVS DE seruis quæstio habenda, & supplicium sumendum est.

Si cum dominus,uim pateretur & occideretur,seruus ei auxilium non tulit. Hæc causa seu regula approbatur l.1.in prin. ff. de Senatusc. Silaniano, his uerbis: Cum aliter nulla domus tuta esse possit,nisi periculo capitis sui, dominis custodiâ tam ab domesticis, quàm ab extraneis præstare serui cogantur: ideo senatusconsulta introducta sunt de publica quæstione à familia necatorum habenda. *Concordat l.cum dominus. 19.ff.eod.tt.his uerbis:* Cum dominus occiditur, auxiliũ ei familia ferre debet & armis, & manu, & clamoribus, & obiectu corporis. Quod si,cum posset, non tulerit, meritò de ea supplicium sumitur. *Huius causæ seu regulæ exceptiones hæ sunt.*

I. Exceptio: *Nisi non dominus,sed alius quis occisus dicatur. Hæc exceptio ipso quidẽ iure subsistit,uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi aliquis ex liberis domini sit occisus. Hæc replicatio approbatur l.1.§.domini appell.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Domini appellatione etiam filius familiâs, cæteriq; liberi qui in potestate sunt,continentur. Silanianum enim senatusconsultum non solũ ad patrem familiâs, uerùm ad liberos quoque pertinet. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi is qui occisus est ex liberis domini,non fuerit in eius potestate. Hæc duplicatio reprobatur d. §.domini appell.his uerbis:* Quid deinde dicemus, si liberi non sint in potestate? Marcellus libro XII. Digest. dubitat. Ego puto plenius accipiendum, ut etiam ad eos liberos pertineat, qui in potestate non sunt. *Altera duplicatio est: Nisi filius domini alij in adoptionem datus,occisus sit. Hæc duplicatio approbatur d.§.domini autem,his uerbis:* In eo qui est in adoptionem datus,non putamus locum habere senatusconsultum: quamuis in adoptato locum habeat. *Tertia duplicatio uidetur: Nisi filius domini adoptiuus sit occisus. Hæc duplicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Quamuis in adoptato locum habeat. *Quarta duplicatio est: Nisi filio occiso matris,non patris seruus adfuerit. Hæc duplicatio approbatur d.l.1.§.de matris,his uerbis:* De matris seruis, filio filiáue occisis, quæstio non habetur. *Quinta duplicatio est: Nisi filio domini occiso,pater sit apud hostes. Hæc duplicatio reprobatur d.l.1.§.si pater, his uerbis:* Si pater ab hostib. captus sit: quæstionem de seruis habendam & supplicium,filio occiso,eleganter Scæuola ait: quod etiam post mortem patris probat, si antequam suus ei hæres existat,occisus fuerit. *Sexta duplicatio uidetur: Nisi post mortem domini filius eius sit occisus. Sed hæc duplicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Quod etiam post mortem patris probat,&c. *Septima duplicatio uidetur: Nisi seruo in testamento puto legato uel manumisso,filius domini post mortem patris occisus sit. Sed & hæc duplicatio reprobatur ibidem,his uerbis:* Idem Scæuola ait, constantius defendendum, hærede instituto filio, de his quæstionem habendam & supplicium, qui purè legati uel manumissi sunt, ante aditam hæreditatem filio occiso. quamuis enim, si uiueret, hærede eo existente, ipsius non essent futuri: attamẽ ubi decesserit, quia extinctum legatum & libertas est, senatusconsulto fore locum dicit. *Octaua duplicatio est: Nisi filius domini exhæredatus occisus sit. Hæc duplicatio approbatur simul & distinguitur l.si exhær. 10.in prin.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Si exhæredatus filius, antequam adiretur patris hęreditas, occisus sit: ex euentu inspicietur: ut si adita fuerit hæreditas, quasi alieni fuisse uideantur. Si uerò irritum testamentum factum sit: quia ipsius essent, si uiueret: omnia perinde aguntur, ac si dominus esset. *Hæc de prima replicatione. Altera replicatio est: Nisi pater domini sit occisus. Hæc replicatio approbatur l.1.§.si pater.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Si pater necatus sit: an de seruis filij quæstio habeatur, si fortè in castrensi peculio seruos habuit? & magis est, quęstionem de seruis filij habendam, supplicium q; sumendum, licet non sit in potestate filius. *Tertia replicatio uidetur: Nisi alumnus domini sit occisus. Hæc replicatio reprobatur d.l.1.§.domini appell.in fine,his uerbis:* Sed nec in alumno occiso locus est senatusconsulto. *Quarta replicatio est: Nisi maritus uel uxor domini sit occisus uel occisa. Hæc replicatio approbatur d.l.1.§.si uir,his uerbis:* Si uir aut uxor occisi esse proponantur, de seruis eorũ quæstio habetur. Quanquam enim neque uiri serui propriè uxoris dicãtur, neq; uxoris propriè uiri: sed quia commissa familia, & una domus est: ita iudicandum atque in proprijs seruis senatus cẽsuit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi à marito domino uxor sit occisa, uel contrà. Hæc duplicatio reprobatur l.si quis.3. §.si maritus.ibi: sed si exaudissent.ff.de S.C.Silaniano. cuius uerba uide §.except.19.& 20. Quinta replicatio est: Nisi domini gener uel nurus occisus occisáue sit. Hæc replicatio approbatur l.1.§.sed neq;.ff.de S.C.Silaniano, his uerbis:* Sed neque uxore occisa, neque marito, de seruis soceri quęstionem habendam Senatus censuit. Marcellus autem libro XII. Digest. etiam in soceri seruis idem, quod in mariti, rectè dicit. *Sexta replicatio est: Nisi occisus bona fide seruum possedit, uel usumfructum in eo habuit. Hæc replicatio reprobatur d.l.1.§.qui seruum, his uerbis:* Qui seruum bona fide possedit, domini appellatione non continebitur: nec qui usumfructum solum habuit. *Hæc de prima exceptione.*

II. Exceptio: *Nisi serui ususfructus alienus sit. Hæc exceptio reprobatur d.l.1 §.1, his uerbis:* Domini appel-

lationẽ continetur qui habet proprietatem, etsi ususfructus alienus sit.

III. Exceptio: *Nisi seruus alij pignori datus sit. Et hæc exceptio reprobatur d.l.1.§.seruus,his uerbis:* Seruus pignori datus, quod attinet ad debitoris necem, per omnia habetur, atq; si pigneri datus non esset.

IIII. Exceptio: *Nisi seruus pro parte alterius sit. Et hæc exceptio reprobatur d. l.1. §. domini, his uerbis:* Domini appellatione & pro parte dominũ contineri, dicendum est.

V. Exceptio: *Nisi seruus alij legatus sit, Hæc exceptio reprobatur l.1. §.serui appell. ff.de S.C.Silaniano, his uerbis:* Serui appellatione etiam hi continentur, qui sub conditione legati sunt: nam medio tempore hæredis sunt, nec quòd cõditio existens efficit, ut desinant esse hæredis, facit ne uideãtur interim eius esse. Idéq; erit dicendũ & in statu libero. *Concordat d.l.1. §.si pater ab hostibus.ibi: idem Scæuola, cuius uerba uide §. except.1.repl.1.dupl.7.*

VI. Exceptio: *Nisi seruo libertas sit relicta. Hæc exceptio reprobatur uerbis d.§. serui appell. iam propositis hisce:* Idem q; erit dicendum & in statu libero. *Concordat l.si quis.3.§.de his quoq;.ff.eod.tt.his uerbis:* De his quoq; seruis, qui testamento manumissi sunt, perinde atq; de seruis supplicium sumendum est. *Concordat d.l.3.§.de his qui ante,his uerbis:* De his qui antequam testamentum occisi occisæue aperiretur, profugisse ac, posteaq; aperto testamento liberi scripti inuenirentur: perinde atq; de seruis quæstio habenda, supplicium q; sumendũ est. Nam est æquissimum, dominorum ultioni non obstare indulgentiam ipsorum: quam quo quisq; pleniorem est expertus, eo grauiorem sceleris sui pœnam merebitur. *Planè admittitur exceptio proposita in eo cui fideicommissaria libertas purè est relicta,l.1.§. serui appell.ibi: sed in eo.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Sed in eo cui fideicommissaria libertas purè debetur, extat rescriptum diui Pij ad Iubentiũ Sabinum: quo ostenditur, non esse festinandum ad tormenta eius, cui fideicommissaria libertas debetur. Et magis est ne puniatur ob hoc, quòd sub eodem tecto fuit, nisi particeps sceleris fuit.

VII. Exceptio: *Nisi non seruus occisi sit, sed libertus. Hæc exceptio reprobatur l. si exhæredatus.10. §. fin. cum lege sequente. ff.d.tt. his uerbis:* Sub diuo Traiano constitutum est, de his etiam libertis, quos uiuus manumiserat, quæstionem haberi. Idemq; erit & de his, qui ius annulorum petierant.

VIII. Exceptio: *Nisi seruus impubes sit. Hæc exceptio approbatur l.1. §. impubes. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Impubes seruus uel ancilla nondum uiripotens, non in eadem causa erunt: ætas enim excusationem meretur. *Concordat d.l.1.§.impuberi, his uerbis:* Impuberi autem utrum in supplicio tantùm parcimus, an uerò etiam in quæstione? & magis est, ut de impubere nec quæstio habeatur. Et aliàs solet hoc in usu obseruari, ut impuberes nõ torqueantur: terreri tantùm solent, & habena uel ferula cædi. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est, Quòd terreri saltem, & ferula cædi impubes debet: ut ex iam dictis constat. Altera replicatio est: Nisi non multum sit à pubertate. Tertia replicatio est: Nisi postea cædem non prodidit. Quarta replicatio est: Nisi impubes particeps cædis fuit. Hæ tres posteriores replicationes approbantur l. excipiuntur.14. ff.eod.tt. his uerbis:* Excipiuntur eodem Senatusconsulto Silaniano impuberes seruii. Trebius autem Germanus legatus etiam, &c.

IX. Exceptio: *Nisi seruus ætate defectus sit. Hæc exceptio approbatur l.si quis.3.§.ignoscitur. ff.eod.tt. his uerbis:* Ignoscitur etiam his qui ætate defecti sunt.

X. Exceptio: *Nisi seruus ob ualetudinem opem ferre non potuit. Hæc exceptio approbatur d.l.3. in prin. his uerbis:* Si quis ingrauescente ualetudine affectus, opem ferre domino nõ potuit: subueniendum est ei.

XI. Exceptio: *Nisi seruus surdus, cæcus, mutus uel furiosus sit. Hæc exceptio approbatur d.l.3. §.ignoscitur, his uerbis:* Surdus quoq; inter imbecilles numerandus est, aut inter eos qui sub eodem tecto nõ sunt: quia ut illi per spacium, ita hic per morbum nihil audit. Cæcus quoq; ueniam mereri debet. Mutum simili modo excipimus, sed ibi ubi uocis tantùm auxilium superfuit. Furiosos excipi, nequaquam dubium est.

XII. Exceptio: *Nisi seruus absens fuit, & non sub eodem tecto. Hæc exceptio approbatur & declaratur l.1. §.hoc autem senatusc. usq; ad §.impubes. ff.de S. C. Silaniano, his uerbis:* Hoc senatusconsultum eos quidem, qui sub eodem tecto fuerunt, omnimodò punit. Eos uerò qui non sub eodem tecto, sed in eadem regione fuerunt: non aliter, nisi conscij fuissent. Eodem autem tecto, qualiter accipiatur, uideamus: utrum intra eosdem parietes, an & ultra, uel etiam intra eandem diætam, uel cubiculum, uel eandem domũ, uel eosdem hortos, uel totam uillam? Et ait Sextus, sic esse sæpe iudicatũ, ut quicunq; eo loci fuerunt, unde uocẽ exaudire potuerunt, hi puniantur, quasi sub eodem tecto fuerint: licet alij ualidioris uocis sint, alij exiguioris, nec omnes undiq; exaudiri possint. Iuxta hoc tamẽ uidetur & diuus Hadrianus rescripsisse in hæc uerba: Serui, quoties dominis suis auxilium ferre possunt, non debent eorum saluti suam anteponere. Potuisse autem ancillam, quæ in eodem conclaui cum

domina sua fuerat, auxilium ei ferre, si non corpore suo, at certè uoce plorantem, ut hi qui in domo fuerant, aut uicini audirent: hoc ipsum manifestum est ex eo, quòd dixit, percussorem sibi mortem minatum, si proclamasset. Vltimum itaque supplicium pati debet uel hæc: ne cæteri serui credant in periculo dominorum sibi quenque consulere debere. Hoc rescriptum multa continet: nam ei non parcit, quæ in eodem conclaui fuit: & ei quæ timuit mortem, non ignoscit: & quòd uel uoce oporteat seruos dominis auxilium ferre, ostendit. Si quis in uilla agens occisus sit: plusquam iniquum est (si fortè diffusa latè prædia habeat) de omnibus, qui in ea regione fuerunt, seruis & quæstionem haberi, & supplicium sumi. Sufficiet ergo in eos, qui cum ipso qui occisus dicitur, fuerunt, quique suspicione cædis aut conscientia attingi uidebuntur, quæstionem haberi. Cum dominus in itinere est occisus: de his qui unà cum eo fuerunt cum occideretur, uel cum unà fuissent, profugerunt, supplicium sumendum est. Quòd si cum domino nemo fuit, cum occideretur: cessant ista senatusconsulta. *Declaratur item exceptio proposita l. talis. 11. C. de his quibus ut indignis, hisce uerbis:* Talis de antiquo iure dubietas nostræ serenitati suggesta est propter Senatusconsultum Silanianum, & seruos qui supplicio adficiuntur, sub eodem tecto commorantes, & non suum auxilium domino per insidias occiso prębentes. Veteres enim certum non faciunt, quis intellectus de uerbis, Sub eodem tecto, significatur: siue in eodem cubiculo, siue in triclinio, uel porticu, uel in aula hæc appellatio accipi debeat: adijcientes, Si dominus in uia uel in agro fuerit interfectus, eos seruos puniri, qui præstò erant, & non auxilium ad prohibendum periculum præbuerunt: nulla distinctione super qualitate præsentiæ utentes. Nos igitur omnem eis occasionem ad declinanda supplicia super negligentia salutis domini sui amputantes, sancimus, omnes seruos, ex quocunque loco, siue in domo, siue in uia, siue in agro, possint clamorem exaudire, uel insidias sentire, & non auxilium tulerint: supplicio senatusconsulti subiacere. Oportet etenim eos, ubicunque senserint dominum periclitantem, ad prohibendas insidias concurrere. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi seruus absens etiam dominum clamantem audire potuit. quæ replicatio ex uerbis iam propositis constat. Altera replicatio est: Nisi seruus à domino periclitante profugerit. hoc enim casu absentiæ ratione non excusatur. quæ replicatio approbatur uerbis d. l. 1. §. propositis hisce:* Vel cum unà fuissent, profugerunt, &c. *Tertia replicatio est: Nisi absens seruus scleris fuit conscius. quæ replicatio approbatur uerbis d. §. hoc autem senatusconsultum, §. propositis hisce:* Eos uerò qui non sub eodem tecto, sed in eadem regione fuerunt: non aliter, nisi conscij fuissent. *Item hisce:* Quique suspicione cædis, &c.

XIII. *Exceptio: Nisi metu mortis seruus domino auxilium non tulit. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. hoc autem senatusconsultum. ibi: serui quoties. & §. hoc rescriptum. ff. de S. C. Silaniano. cuius uerba uide §. excepit. prox.*

XIIII. *Exceptio: Nisi seruus non potuit domino ferre auxilium. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. occisorum. ibi: hoc idcirco. ff. de S. C. Silaniano. cuius uerba uide §. excepit. 12. Concordat l. si quis. 3. §. si cum omnes. ff. eod. tt. his uerbis:* Si cum omnes domini aggressuram paterentur, uni seruus opem tulit: an sit excusandus, an uerò (quia omnibus non tulit) plectendus? & magis est, si quidem omnibus ferre potuit: quamuis quibusdam opem tulerit, supplicio adficiendum. Si uerò simul omnibus non potuit: excusandum, quia quibusdam opem tulerit. Nam illud durum est dicere, si cùm duobus auxilium ferre non posit, eligat alteri esse auxilio: electione crimen eum contraxisse. Quare etsi seruus mulieris, marito domino magis auxilio fuit, quàm dominæ, uel contrà: dicendum est, ignosci debere. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur, simul & prima eius replicatio reprobatur, hæc scilicet: Nisi cum plures domini inuaderentur, uni auxilium tulit, alteri non. Altera replicatio est: Nisi non clamauerit seruus. tunc enim, quamuis alia ratione auxilium domino ferre non potuit, non tamen excusatur. quæ replicatio approbatur l. cum dominus. 19. ff. de S. C. Silaniano. cuius uerba uide §. ead. quæst. in prin. Concordat l. 1. §. hoc autem. ibi: serui quoties. & §. hoc rescriptum. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. excepit. 12. Tertia replicatio est: Nisi aliqua ratione domino auxilium ferre potuit, nec fecit, quamuis illum liberare non potuerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 19.*

XV. *Exceptio: Nisi seruus uulneratus fuit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. 1. §. penult. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Quid si uulnerati sint serui, cum protegerent dominum? dicendum est, parci eis debere: nisi aut ipsi sibi uulnera ista fecerunt data opera, ne punirentur: aut talia uulnera isti acceperunt, ut possent nihilominus opem ferre, si uoluissent.

XVI. *Exceptio: Nisi seruus fuerit inclusus uel uinctus. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 3. §. subuenitur. ff. eod. tt. his uerbis:* Subuenitur eis, qui eo tempore, quo dominus domináue occisa est, clusi ita fuerint sine dolo malo, ut eorum pere succurrendi causa, aut comprehendi eos qui cædem fecerunt, non potuerint: nec interest, à quo clusi continebuntur. sic tamen, si non data opera uoluerint se ita includi, ne opem ferre possent. Clusos accipere debemus, etsi sunt uincti: si tamen ita uincti, ut omnino rumpere uincula, & auxilio esse non potuerunt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi data opera se includi passus sit. Altera replicatio est: Nisi cum posset erumpere, non erupit. quæ duæ replicationes ex uerbis iam propositis constant.*

XVII. *Exceptio: Nisi seipsum interfecerit dominus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. 1. §. si sibi manus. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Si sibi manus quis intulit, senatusconsulto quidem Silaniano locus non est: sed mors eius uindicatur, scilicet ut si in conspectu seruorum hoc fecit, potuerũtq; eum in se sæuientem prohibere, pœna adficiantur: si uerò nõ potuerunt, liberentur.

XVIII. *Exceptio: Nisi hæres defunctum, uel unus ex dominis alterum occidisse dicatur. Hæc exceptio reprobatur l. etsi certus. 6. §. quamuis. ff. d. tt. his uerbis:* Quamuis aliàs in caput domini serui non torquentur: rectè tamen fiet quęstio, etiamsi hæredem accuset, siue extraneus hæres, siue ex suis sit. Si unus ex dominis non compareat: quærendum est de casu eius per seruos, quos communes habuerunt. Magis enim de salute aut ultione domini non comparentis, quàm in caput præsentis torquebuntur.

XIX. *Exceptio: Nisi maritus ab uxore, uel contrà uxor à marito in cubiculo occidatur. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. si quis. 3. §. si maritus. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Si maritus uxorem noctu intra cubiculum secum cubantem necauerit, uel uxor maritum: serui pœna senatusconsulti liberabuntur. Sed si exaudissent, & opem nõ tulissent: plectendi erunt, non tantùm si proprij essent mulieris, sed etiam si mariti.

XX. *Exceptio: Nisi maritus uxorem in adulterio deprehensam occiderit. Hæc exceptio approbatur d. §. si maritus, his uerbis:* Si tamen maritus in adulterio deprehensam occidat, quia ignoscitur ei: dicendum est, non tantùm mariti, sed etiam uxoris seruos liberandos, si iustum dolorem exequenti domino non restiterunt.

XXI. *Exceptio: Nisi dominus non sub tecto, sed in ultimere sit occisus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. cum dominus. ff. de S. C. Silaniano. cuius uerba uide §. excepit. 12.*

XXII. *Exceptio: Nisi non per uim uel cædem, sed ueneno uel alio clandestino modo. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. occisorum. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Occisorum appellatione eos contineri Labeo scribit, qui per uim aut cædem sunt interfecti: puta iugulatum, strangulatum, præcipitatum, uel saxo, uel fuste, uel lapide percussum, uel quo alio telo. Quòd si quis (puta) ueneno, uel etiam quo alio, quod clàm necare solet, interemptus sit: ad senatusconsultum uindicta mortis eius nõ pertinebit. Hoc idcirco, quia toties puniendi sunt, qui auxilium domino non tulerunt, quoties potuerunt ei aduersus uim opem ferre, & non tulerunt. Cęterùm quid potuerunt facere aduersus eos, qui ueneno, uel quo alio modo insidiabantur? *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per uim uenenum sit infusum. Hæc replicatio approbatur d. §. occisorum, his uerbis:* Planè si uenenum per uim infusum sit, senatusconsultum locum habet. Vbicunque igitur uis adhibita est, quæ interimere solet: ibi dicendum est, locum senatusconsulto fore. *Altera replicatio est: Nisi seruus sceleris conscius uel particeps fuit. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Quid ergo, si dominus ueneno non per uim necatus esse proponatur: impunitum erit factum? nullo modo. licet enim cesset senatusconsultum Silanianum, nec quæstio supplicium quę; de his qui sub eodem tecto fuerunt, habeatur: tamen si qui conscij uel factores sceleris fuerunt, hi demum suppilicio afficiuntur: & adiri hæreditas, apeririq; tabulæ etiam ante quæstionem habitam possunt.

XXIII. *Exceptio: Nisi appetitus tantùm, non occisus sit dominus. Hæc exceptio approbatur l. etsi certus. 6. §. fin. cum lege sequente. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Si appetitus sit, nec occisus dominus: nihil senatusconsulto cauetur. Ipse enim in familiam suam potest animaduertere, & in libertos extraordinarium auxilium habebit.

XXIIII. *Exceptio: Nisi non constet dominum esse occisum. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. item illud. ff. d. tt. his uerbis:* Illud sciendum est, nisi constet aliquem esse occisum, non haberi de familia quæstionem. Liquere igitur debebit scelere interemptum, ut senatusconsulto locus sit.

XXV. *Exceptio: Nisi certus sit percussor. Hæc exceptio reprobatur d. l. 6. in prin. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Etsi certus sit percussor: tamen habenda est quæstio, ut cædis mandator inueniatur. Vtiq; autem ipse maximè quæstioni dabitur, quamuis & cæteri puniantur.

XXVI. *Exceptio: Nisi tulerit auxilium seruus. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. excusantur. ff. d. tt. his uerbis:* Excusantur serui, qui auxilium tulerunt sine dolo malo. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi dolo malo tulit auxilium. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sine dolo malo. *Concordat d. §. excusantur, his uerbis:* Nam si finxit se quis auxi-

lium ferre, uel dicis gratia tulit: nihil hoc commentum ei proderit. *Altera replicatio uidetur: Nisi nihilominus dominus interfectus sit, saluo seruo. Hæc replicatio reprobatur ibidem, his uerbis:* Tuliſſe auxilium non tantùm is uidetur, qui ſeruauit dominum, hoc eſt, qui potuit ita opem ferre, ut ſaluus eſſet dominus: uerùm is quoque, qui quidquid potuit fecit, tametſi dominus interfectus eſt. Veluti ſi quis exclamauit, ut ad auxilium conueniretur: aut terruit aggreſſores: atque ſi quis turbam conuocauit, aut ſi corpus ſuum obiecit, uel aliàs corpore ſuo auxilium tulit. *Tertia replicatio eſt: Nisi non pro utili ſua auxilium tulit. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Non tamen ſemper, qui clamore uſus eſt, auxilium tuliſſe uidetur. Quid enim, ſi cum poſſet manu depellere à domino periculum, ille clamorem inanem elegit? plectendus utiq; erit.

XXVII. *Exceptio: Nisi dominus ſuperuiuens nihil de quoquam ſeruorum eſt conqueſtus. Hæc exceptio approbatur d.l.1.§.fin. his uerbis:* Si dominus mortiferè uulneratus, ſuperuixerit, nec de quoquam ſeruorum ſuorum conqueſtus ſit: etiamſi ſub eodem tecto fuerunt, tamen parcendum illis erit.

XXVIII. *Exceptio: Nisi mortiferè uulneratus dominus teſtamento facto officium ſeruorum purgauit. Hæc exceptio approbatur l.2. ff.eod.tt. his uerbis:* Diuus Marcus Commodus Piſoni reſcripſit in hæc uerba: Cum conſtiterit apud te, Piſo chariſſime, Iulium Donatum, poſteaquam conterritus aduentu latronum profugerat uillam ſuam, uulneratum eſſe, mox teſtamento facto purgaſſe officium ſeruorum ſuorum: nec pietas (pro ſeruis) nec ſolicitudo hæredis obtinere debet, ut ad pœnam uocétur, quos abſoluit dominus ipſe.

II. QVOMODO DE SERVIS quæſtio habenda, & ſupplicium ſumendum?

I. *Regula: Quid quæſtio ſignificet, definitur l.1. §. item illud, in fine. ff. de S.C. Silaniano, his uerbis:* Quæſtionem ſic accipimus, non tormenta tantùm, ſed omnem inquiſitionem & defenſionem mortis.

II. *Regula: Quid quærendum primò, quid deinde, definitur l. prius. 17. ff. eod. tt. his uerbis:* Prius de ſe familia torquenda eſt. & ſi confiteatur, tunc interrogetur, quo mandante flagitium admiſſum ſit?

III. *Regula: De probatione criminis, proponitur l. ſi quis. 2. §.1. ff. eod. tt. his uerbis:* Si quis moriens dixiſſet, à ſeruo uim mortis ſibi illatam eſſe: dicendum eſt, non eſſe credendum domino, ſi moriens hoc dixit, niſi potuerit & probari.

III. QVANDO QVAESTIO habenda, & ſupplicium ſumendum?

I. *Regula: Ante apertas teſtamenti tabulas quæſtio habenda. quæ regula approbatur l. ſi quis. 3. §. quod ad cauſam. ff. de S.C. Silaniano, his uerbis:* Quod ad cauſam teſtamenti pertinet, ſi quod relictum erit ab eo, qui occiſus eſſe dicetur: id ne quis ſciens dolo malo aperiendum, recitandum, deſcribendúmue curet, edicto cauetur: priuſquam de eius familia quæſtio ex ſenatuſconſulto habita, ſuppliciumq; de noxijs ſumptum fuerit. *Plura de regula proposita eiusq; exceptionibus uide ff. quæſt. prox. reg. 7.*

II. *Regula: Ante aditam hæreditatem quæſtio habenda, & ſupplicium de ſeruis ſumendum. Quæ regula approbatur d.l.3. §. non tantùm, his uerbis:* Non tantùm ex teſtamento, ſed etiam ab inteſtato hæreditas ad hoc edictum pertinet: ut ne quis adeat, bonorúmue poſſeſſionem petat, antequam quæſtio de familia habeatur: ne hæres propter compendium ſuum familiæ facinus occultaret. *Vide item ff. quæſt. prox. regul. 8.*

IIII. EVENTVS QVAESTIONIS habendæ uel habitæ, & ſupplicij ſumpti.

I. *Regula: Si ſeruus alienatus fuit, de quo ſupplicium ſumptum eſt, precium emptori à uenditore reddendũ. quæ regula approbatur l. ſenatuſc. 8. in prin. ff. de S.C. Silaniano, his uerbis:* Senatuſconſulto Silaniano cauetur, ſi pœnæ obnoxius ſeruus ueniſſet, quandocunque animaduerſum in eum eſſet, ut uenditor precium præſtaret: ne emptori iniuriam feciſſe uideretur ſenatuſconſultum.

II. *Regula, De præmio eorum qui requirunt ſeruos fugitiuos, & denunciant, proponitur l. lege Corn. 25. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Lege Cornelia cauetur de præmio accuſatoris, qui requiſiuit & renunciauit eos ſeruos, qui ex ea familia ante quæſtionem fugerint: ut in ſingulos ſeruos, quos conuicerit, quinq; aureos ex bonis ociſi: aut ſi inde redigi ea quantitas non poſſit, ex publico accipiat. Quod præmium nõ in omnes ſeruos, qui ſub eodem tecto locóue fuerint: ſed in eos ſolos, qui cædem admiſiſſent, accuſatori tribuitur. *Concordat d.l. 25. §.1. in fine. cuius uerba uide ff. reg. prox.*

III. *Regula, De ſeruis fugientibus, quibus in teſtamento libertas eſt relicta, proponitur d.l. 25. §.1. his uerbis:* Præterea cauetur, ut de his qui ante quæſtionem habitam fugerint, ſi aperto teſtamento liberi ſcripti inueniantur, lege de ſicarijs iudicium fiat: ita ut ex uinculis cauſam dicant, & conuicti perinde ac ſerui puniantur: & ei qui conuicerit, deni aurei præmij nomine dentur ex bonis damnati.

IIII. *Regula: Qui ſeruum ſceleris obnoxium receperit,*

perit, uel celauerit: lege de ſicarijs tenetur. quæ regula approbatur l. ſi quis. 3. §. ſi quis eorum. ff. de S.C. Silaniano, his uerbis: Si quis eorum ſeruũ ſeruáue ex ea familia, qui eius facinoris noxius erit, receperit, uel celauerit ſciens dolo malo: in ea cauſa eſt, ac ſi lege quæ de ſicarijs lata eſt, facinoris noxius fuerit.

V. *Regula: Seruus qui necem domini uindicat uel arguit, liber fit. quæ regula approbatur quidem ipſo iure: uerùm eius exceptio prima hæc eſt: Niſi non ultrò ad accuſandum ſeruus uenit, ſed accuſatus ipſe crimen in alium tranſtulit. Quæ exceptio approbatur d.l. 3. §. utrum autem, his uerbis:* Verum is ſolus uideatur uindicaſſe uel arguiſſe, qui ad hoc profilit ultrò: an etiam is, qui cum accuſaretur, ipſe detorſit in alium crimen? Et magis eſt, ut ille hoc præmio dignus ſit, qui ultrò ad accuſationem profilit. *Altera exceptio uidetur: Niſi ſeruus ad libertatem perduci non poſſit. Hæc exceptio reprobatur d.l.3.§.hi quoque, his uerbis:* Hi quoque, qui non poterunt aliàs ad libertatem peruenire (utputa ſi hac lege diſtractus erat quis, ne manumitteretur) poterunt propter hoc, quod in commune utile eſt, ad libertatem peruenire. *Tertia exceptio uidetur: Niſi ſeruus alij ex ſtipulatu debeatur. Hæc exceptio reprobatur d.l.3. §. ſi ex ſtipulatu, his uerbis:* Si ex ſtipulatu ſeruus debeatur, & cædem domini arguerit, & pro præmio liber eſſe iuſſus ſit: ex ſtipulatu actio ſtipulatori non datur: nam etſi ſupplicio affectus fuiſſet, non daretur. Quòd ſi ſub eodem tecto non fuit: ex ſtipulatu actio in æſtimationem ſerui utilis erit creditori. *Quarta exceptio uidetur: Niſi ſeruus alij ſit legatus. Sed & hæc exceptio reprobatur l. ſi ſeruus. 12. ff. eod. tt. his uerbis:* Si ſeruus à teſtatore occiſo legatus ſit, & Prætor pro præmio ſtatuerit liberum eum eſſe: dicendum eſt, non impediri libertatem. *Quinta exceptio uidetur: Niſi ſeruus teſtatori cum alio communis fuit. Et hæc exceptio reprobatur l. domino. 16. ff. d. tt. his uerbis:* Domino à familia occiſo, ſeruus communis necem eius detexit. fauore libertatis, liber quidem fieri debet: precij autem partem ſibi contingentem ſocium conſequi oportet.

VI. *Regula: Si ob quæſtionem de familia habendam, & ſumendum ſupplicium, non poſſit adiri hæreditas: nihilominus hæreditas ad hæredes hæredis defuncti tranſmittitur. de quo ff. lib. 28. cap. 22. reg. 1. except. 1. repl. 4. Item ſi ob eandem cauſam tabulæ teſtamenti aperiri non potuerunt, & ob id conditio intra certum diem implenda fuit ignorata: excuſatur hæres. de quo ff. lib. 34. cap. 6. except. 23. Idem eſt, ſi is cui libertas in eodem teſtamento relicta eſt, damnum aliquod ob moram additionis paſſurus eſſet. l. cum Silanianum, 11. C. de his quibus ut indignis, his uerbis:* Cum Silanianum, &c.

VII. *Regula: Si ante quæſtionem de familia habitam tabulæ teſtamenti apertæ ſint: in centum aureos actio datur popularis. Quæ regula approbatur l. lege Cornelia. 25. §. ex hoc edicto. ff. de S.C. Silaniano, his uerbis:* Ex hoc edicto actio proficiſcitur contra eum, qui aduerſus edictum Prætoris tabulas teſtamenti aperuiſſe, uel quid aliud feciſſe dicetur. Nam (ut ex ſupradictis apparet) plura ſunt, propter quę pœna edicti conſtituta eſt. Palàm eſt autẽ, popularem actionem eſſe, cuius pœna in centum aureos ex bonis damnati extenditur: & inde partem dimidiam ei, cuius opera conuictus erit, prę mij nomine ſe daturum Prætor pollicetur: partem in publicum redacturum. *Ait iuriſconſultus:* Ex hoc edicto. *De hoc edicto uide ff. quæſt. prox. reg. 1. Item: Si ante quæſtionem de familia habitam tabulæ teſtamenti apertæ ſint: hæredi tanquam indigno hæreditas aufertur, & fiſco uindicatur. quæ regula approbatur hſi ea. 3. C. de his quibus ut indignis, his uerbis:* Si ea quæſtio infertur filijs eius quam conſobrinam tuam dicis, quòd tabulæ teſtamenti patris eorum, qui à familia interfectus dicebatur, priuſquam quæſtio de ſeruis haberetur, apertæ & recitatæ ſunt: propter ampliſsimi ordinis cõſultum hęreditas à fiſco uindicatur. Et ideo agi cauſa apud procuratorem meum debet: quia non eo tempore pupilli fuerunt. *Huius duplicis regulæ ſeu pœnæ exceptio prima hæc eſt: Niſi domi nus ueneno uel alio clandeſtino modo perierit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. occiſorum, in fine. ff. de S.C. Silanano, cuius uerba uide ff. quæſt. 1. except. 22. Altera exceptio eſt: Niſi teſtator ipſe ſibi mortem conſciuit. Hæc exceptio approbatur d.l. 1. §. ſi quis nõ, his uerbis:* Si quis non metu criminis imminentis, ſed tædio uitæ, uel impatientia doloris ſibi manus intulit: eius teſtamentum aperiri & recitari mortis caſus non impedit. *Tertia exceptio eſt: Niſi tabulæ non fuerint ligatæ uel conſignatæ. Hæc exceptio reprobatur l. ſi quis. 3. §. aperire. ff. eod. tt. his uerbis:* Aperire hic ille uidetur, qui naturaliter aperit: ſiue ſint ſignatæ, ſiue non ſint ligatæ, ſed tantùm naturaliter clauſæ. *Quarta exceptio uidetur: Niſi clàm, non palàm aperuit. Hæc exceptio reprobatur d. §. aperire, his uerbis:* Aperire accipere debemus prohibitos nos, uel palàm, uel ſecretò. omnis enim apertura prohibita eſt. *Quinta exceptio eſt: Niſi quis ignorans teſtatorem eſſe occiſum, aperuerit. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. §. ſi quis ignorans, his uerbis:* Si quis ignorans occiſum aperuerit: non debet hoc edicto teneri. *Concordat l. ſi antequam. 23. ff. eod. tt. cuius uerba uide ff. reg. prox. except. 9. Sexta exceptio eſt: Niſi ſine dolo malo aperuerit. Hæc exceptio approbatur d. §. ſi quis ignorans, his uerbis:* Etſi ſciens, non tamen dolo aperuerit, æquè non tenebitur: ſi fortè per imperitiam, uel per ruſticitatem ignarus edicti Prætoris uel ſenatuſconſulti aperuit. *Septima exceptio eſt:*

Nisi limum tantùm inciderit, non autem tabulas aperuerit. Hæc exceptio approbatur d.l.3.§.si quis tab. his uerbis: Si quis tabulas quidem non aperuerit naturaliter,linum autem inciderit:ex cusatus erit.quia dolo caret,qui ipsas tabulas non aperuerit. *Octaua exceptio est:Nisi non totum testamentum, sed partem eius tantùm aperuit. Hæc exceptio reprobatur d.l.3.§.si autem non, his uerbis:* Si non totum testamentũ,sed pars eius aperta sit:dicendum est,in edictum incidisse eum, qui aperuit: parui enim refert, utrũ totum, an partem aperuerit. *Nona exceptio uidetur: Nisi codicillos tantùm aperuit,non testamentũ. Hæc exceptio reprobatur d.l.3.§.si quis codicillos, his uerbis:* Si quis codicillos aperuit, testamentum non aperuit: in edictum incidit. Nam & codicilli ad causam testamenti pertinent. *Decima exceptio uidetur:Nisi id quod iure nõ ualet,aperuit. Et hæc exceptio reprobatur ibidem, his uerbis:* Siue iure ualeat id quod apertum est,siue nõ ualeat: attamen edicto locus est. *Vndecima exceptio uidetur:Nisi pupillares tabulæ tantùm sint apertæ. Et hæc exceptio reprobatur d.§.si quis codicillos,in fine,his uerbis:* Eadem seruanda sunt de his quæ ad causam substitutionis pertinent, si pupillus pupilláue occisus occiláue esse dicetur. *Duodecima exceptio est:Nisi alius aperuit, non reus conuentus. Hæc exceptio approbatur l.si de plur.27.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Si de pluribus hæredibus quibusdam inuitis aut ignorantibus,apertum erit testamentum: nõ amittunt portiones suas,qui culpa carent. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi reo consentiente alius aperuit, quæ replicatio ex uerbis iam propositis elicitur. Altera replicatio est:Nisi reus testamentum ab alio apertum recitauit,aut descripsit. Hæc replicatio approbatur l.si quis.3.§.si alius aperuit.ff.d.tt.his uerbis:* Si alius aperuit,alius recitauit,alius descripsit: omnes in edictũ incident,qui singula eorum fecerunt. *Decima tertia exceptio est:Nisi quinquennium prætercrit. Hæc exceptio seu præscriptio approbatur simul et distinguitur l.in cognit.13.ff.eod.tt.his uerbis:* In cognitione aperti aduersus senatusconsultũ testamenti eius qui à familia sua occisus dicatur, quinquennij tempus constitutum est senatusconsulto, Tauro & Lepido consulibus: quod tamen ad extraneos pertinet. Nanq; eos qui parricidij pœna teneri possunt, sem per accusare permittitur eodem senatusconsulto.

VIII. *Regula: Si ante quæstionem de familia habitam, & sumptũ supplicium, hæreditas adita sit: supradicto edicto Prætoris est locus. l.si quis.3.§.nõ tantùm. ff.de S.C.Silaniano.cuius uerba uide §.quæst.prox.reg. 2. Et bona publicantur. l.necessarios.5. §.1.ff.eod.tt. his uerbis:* Non aliàs bona publicantur,quàm si constabit esse occisum patremfamiliàs, & hæredem ante quæstionem de familia habitam supplicium q; sumptum adijsse hæreditatem. *Huius regulæ exceptio prima hæc est:Nisi ueneno, uel alio clandestino modo testator perierit, non per uim.Hæc exceptio approbatur l.1.§.occisorũ, in fin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. quæst.1. except.22. Concordat l.propter. 21. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Propter ueneni quæstionem tempus petendę possessionis nõ proferturcùm eo quoq; suspenso crimine, rectè petatur. *Huius exceptionis replicatio hæc est:* Nisi à familia dominus ueneno interfectus dicatur. *quæ replicatio approbatur d.l. 21.in prin.hisce uerbis:* Aliud Senatui placuit, cum à familia dominus necatus dicitur,seruorum uidelicet causa,quorum libertatem quæstionis habendæ gratia negligi necesse est. *Altera exceptio uidetur:Nisi necessarius sit hæres. Hæc exceptio reprobatur d.l.5. in prin.his uerbis:* Necessarios hæredes puto edicto comprehendi,si se misceant hæreditati. *Tertia exceptio uidetur: Nisi bonorum possessio petita, non hæreditas adita sit. Hæc exceptio reprobatur d.l.5. in prin.his uerbis:* Nec bonorum possessionem peti Prætor permittit. Et ego puto ad omnes bonorũ possessiones hoc edictum pertinere. *Quarta exceptio, sumpta ex specie bonorũ possessionis petitæ, reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Et ego puto, &c. *Quinta exceptio est:Nisi non constet,testatorem esse occisum. Hæc exceptio approbatur d.l.5. §.1. cuius uerba uide §. eod. reg.in prin. Sexta exceptio est: Nisi incuria testator necatus sit, uel medici insidijs. Hæc exceptio approbatur d.l.5. §.fin.his uerbis:* Vbi quis incuria necatus est, uel medici insidijs: adiri quidẽ hæreditas potest,sed hæredi defensio mortis incumbit. *Septima exceptio uidetur: Nisi testator filiusfamiliàs de castrensi peculio sit testatus. Hæc exceptio reprobatur l. senatusconsulto.8. §.fin.ff. de S.C.Silaniano,his uerbis:* Si filius familiàs,qui in castrensi peculio testatus est, occisus sit: omnimodò id defendendum est, ut ex quibus casibus ad fiscum patrisfamiliàs bona pertinent,his casibus & huius peculium potius, quàm ad hæredes qui deliquerunt in adeundo,aut similiter ulti non sunt. *Octaua exceptio est: Nisi hæres res urgentes hæreditarias disponat,non adeundi animo.'Hæc exceptio approbatur l.hæres.20.ff.d.tt.his uerbis:* Hæres qui ueneni causam persequitur,res hereditarias urgentes ordinare, saluis probationum indicijs, non prohibetur. *Nona exceptio est:Nisi hæres suspectam hæreditatem dicens,eam compellatur adire & restituere. Hæc exceptio approbatur l.si antequam.23. ff.d.tt.his uerbis:* Si,antequam patefieret testatorem occisum, tabulæ testamenti apertæ essent, deinde innotuisset id admissum esse: causa cognita puto compellendum institutum adire hæreditatem, quam suspectam diceret,& ex Trebelliano Senatusconsulto restituere. *Concordat l.si quis.24.ff.eod.tt.his uerbis:*

uerbis: Si quis quasi suspectam hæreditatem coactus adijt, non tenetur edicto. *Decima exceptio est: Nisi de inofficioso testamento saltem egit hæres. Hæc exceptio approbatur l.& de inoff.18.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Et de inofficioso testaméto queri idem, & mortem uindicare defuncti,non prohibetur.Idq; Paulus respondit. *Plura de regula proposita uide §.reg.prox.*

De actione inultæ mortis.

IX. *Regula: Si hæres non uindicauerit mortem defuncti,hæreditate tanquam indignus priuatur. quæ regula approbatur l.portiones.21. ff.de his quæ ut indignis,hisce uerbis:* Portiones quoq; eorum fisco uindicantur, qui mortem libertorum suspectò decedentium non defenderunt. Omnes enim hæredes, uel eos qui loco hæredis sunt, officiosè agere circa defuncti uindictam conuenit. *Concordat l.ei qui.20. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.lib.15.cap.6.except.27.repl.3. Huius regulæ exceptio prima uidetur esse: Nisi hærede scripto omnimodò portio hæreditatis fuit relinquenda, ueluti patrono. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Portiones quoq; eorum, &c. *Concordat l.si sequens.15.§.fin.ff.de S.C.Silaniano. cuius uerba uide §.except.9. Altera exceptio est: Nisi quis incuria, uel medici insidijs sit necatus. Hæc exceptio reprobatur l.necessarios.5.§.fin.ff.de S.C.Silaniano.cuius uerba uide §.reg.prox.except.6. Tertia exceptio uidetur:Nisi defunctus ueneno interfectus sit. Hæc exceptio reprobatur l.cum fratrem.9.C.de his quib.ut indignis,hisce uerbis:* Cum fratrem tuum ueneno peremptum esse adseueras: ut effectus successionis eius tibi non auferatur, mortẽ eius ulcisci te necesse est. licet enim hæreditatem eorum qui clandestinis insidijs perimuntur,hi qui iure uocantur,adire non uetentur: tamen si interitum non fuerint ulti, successionem obtinere non possunt. *Quarta exceptio est:Nisi hæres minor fuerit annis uigintiquinq;. Hæc exceptio approbatur l.minoribus.6.C.eod.tt. his uerbis:* Minoribus uigintiquinq; annis hęredibus non obesse crimen inultæ mortis, placuit. Cum autem uos etiam accusationem pertulisse, & quosdã ex reis punitos proponatis: licet is qui mãdasse cædem dicitur,prouocauerit: uereri non debetis,ne quam hæreditatis paternæ à fisco meo quæstionem patiamini. Conuenit enim pietati uestræ,respondere causam appellationis reddenti. Quòd si maioris ætatis fuissetis, etiam ex necessitate prouocationis certamen implere deberetis, ut possetis adire hæreditatem. *Quinta exceptio est: Nisi cædis authores reperiri non possint. Hæc exceptio approbatur l.si ideo.7.C.eod.tt.his uerbis:* Si ideo ultio cædis testatoris non est desiderata, quia cædis authores reperiri non potuerint: obesse hæredibus, ex quo nulla eorum culpa deregitur,non oportet. *Sexta exceptio est:Nisi hæres ab alio sit præuentus. Hæc exceptio approbatur l.sororem.10.C.d.tt. his uerbis:* Sororem fratris necem iure licito uindicantrem,euincere ab uxore scripta rectè successionem non conuenit. Secundum quæ,si fiduciam innocentiæ geris,& neq; dolo malo tuo maritum necatum, neq; aliàs indignam te successione probari posse confidis:aduersus omnem calumniam, maximam habes securitatem. *Septima exceptio est: Nisi accusationem hæres peregerit ad uindicãdam defuncti mortem. Hæc exceptio approbatur l.propter.21.§.fin. ff.de S.C.Silaniano, his uerbis:* Præsidis iniquitate reis illatæ cædis absolutis:hæredibus,qui non perfunctoriè debitum officium impleuerant (quamuis non prouocassent) hæreditatem auferri non oportere, uisum est. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi perfunctoriè accusatoris officio hæres sit functus. Quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Qui non perfunctoriè debitum officium impleuerant. *Altera replicatio uidetur: Nisi reo absoluto non prouocauit. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Quamuis non prouocassent. *Tertia replicatio est: Nisi appellatione à reo condemnato interposita, hæres appellationem non est prosecutus. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l.minoribus.6.C.de his quibus ut indign. cuius uerba uide §. except. 4. Octaua exceptio uidetur: Nisi hæres, qui mortem defuncti ultus non est, sit mortuus. Hæc exceptio reprobatur l.Caius.22.ff.de senatusconsl.Silaniano,his uerbis:* Caius Seius, cum langueſceret, questus est se ueneno occidi à seruo suo,& sic expirauit. cum hæres extitisset Lucia Titia soror,& mortem eius exequi neglexisset, & ipsa post annum decimum decessisset: extitit qui bona nunciaret Caij Seij. Quæro,an morte Titiæ extincta sit crimen? Paulus respondit,causam de qua quæritur (cum sit pecuniaria) morte ingratæ hæredis extinctam non uideri. *Nona exceptio uidetur: Nisi ab intestato hæreditas competat. Hæc exceptio reprobatur l.si sequens.15.§. fin.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Hæredibus,qui in ulciscenda morte defuncti cessauerant, tam testamento, quàm ab intestato auferuntur bona: fortè etsi quasi patronus uenit,quamuis hic suo iure admittatur. *Plures propositæ regulæ exceptiones uide in duabus regulis proximè præcedentibus.*

X. *Regula: Cui accusatio inultæ mortis competat? definitur in eo qui debitum fideicommissum à reo hærede accepit,l.fideicom.26.ff.de S.C.Silaniano,his uerbis:* Fideicommissum, quod ex testamento fratris patruelis Caius Seius Titio debebat,ab hæredibus Seij Titius accepit. Quæsitum est, cum necem Caij Seij hæredes eius nõ uindicauerint:an nihilominus hæredes ut indignos accusare possit ob id,quòd necem

necem eius non uindicauerint: nec obsit ei, quòd ab ijsdem fideicommissum ex testamento fratris patruelis consecutus sit? Scæuola respondit, nihil proponi cur obstet.

XI. *Regula: Quid ueniat in actionem multæ mortis? De fructibus proponitur l. hæredē. 17. ff. de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ī. lib. 32. cap. ult. quæst. 2. reg. 1. exemplo 2. Concordat l. 1. C. eod. tt. cuius uerba uide d. quæst. 2. reg. 2. De legato hæredi relicto: hoc quoq; priuatur. quæ regula approbatur l. si sequens. 15. §. cum ex parte. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis:* Cum ex parte hæredi instituto legatum quoque erat, & in ulciscenda morte cessauerat: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, tam hæreditatis portionem, quàm legatum ei auferendum.

XII. *Regula: Euentus huius actionis primus est, quòd hæreditas hæredi mortem defuncti non defenden ti ablata, ad fiscum pertineat. quæ regula constat ex supradictis. Eius autem regulæ exceptio hæc esse uidetur: Nisi alius defuncti uindictam suscepit. quæ tamen exceptio reprobatur d. l. 15. in prin. his uerbis:* Si sequens gradus ultus fuerit necem testatoris: an prior hæreditas ad illum transferatur? & ait Papinianus, non esse hoc. Nam pœna illius, huius præmium esse non debet. *Concordat l. sororem. 10. C. de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ī. reg. 9. except. 6. Secundus effectus est, Quòd actiones hæreditariæ non aduersus hæredem, cui hæreditas est ablata, sed aduersus fiscum competat. de quo dicetur ī. de actionibus. Tertius effectus est, Quòd hæredi, cui tanquam indigno hæreditas ablata est, confusæ actiones sint restituēdæ, siquidem negligentia defuncti uindictam omisit: sin autem dolo malo, non sint restituendæ. De qua re dicetur alibi in confusione obligationum. Hactenus de officijs hæredum post delatam hæreditatem, quib. non præstitis, à petitione hæreditatis per exceptionem submouentur. Nunc de actionibus, quæ pro persequenda hæreditate competunt, nobis est dicendum.*

DIGESTORVM LIBER TRICESIMVS PRIMVS:

DE ACTIONIBVS, QVAE PRO hæreditate persequenda competunt.

DE PETITIONE HAEREDITATIS, prima actio. Cap. I.

I. GENVS HVIVS actionis.

RIma regula: *Mixta est actio, propriè tamen in rem. Quæ regula approbatur l. sed & si. 25. §. petitio. ff. de petitione hæred. his uerbis:* Petitio hæreditatis, etsi in rem actio est, tamen præstationes quasdā personales habet: utputa eorum quæ à debitoribus sunt exacta, item preciorū. *De his personalibus præstationibus uide ī. quæst. 4. Concordat l. sin autem. 27. §. sed & is. ibi: cum enim in hæred. ff. de rei uendicat. cuius uerba uide ī. lib. 21. cap. 5. except. 13. replic. 1. Concordat item l. hæreditatis. 7. C. de petit. hæreditatis. cuius uerba uide ī. quæst. 7. reg. 2.*

II. *Regula: Bonæ fidei actio est. Quæ regula approbatur l. ult. §. fin. C. de petitione hæred. cuius uerba uide ī. quæst. 8. reg. 4.*

II. SPECIES HVIVS actionis.

I. *Species: Si pars hæreditatis petatur. quæ species approbatur l. 1. in prin. ff. si pars hæred. petatur, his uerbis:* Post actionem, quam Prætor proposuit ei, qui adse solum hæreditatem pertinere contendit: consequens fuit & ei proponere, qui partem hæreditatis petit.

II. *Species: Possessoria hæreditatis petitio. Quæ species proponitur l. 1. cum lege sequente. ff. de possess. hæred. petit. his uerbis:* Ordinarium fuit, post ciuiles actiones hæredibus propositas, rationem habere Prætorem etiam eorum quos ipse uelut heredes facit: hoc est, eorum quibus bonorum possessio data est. Per quam hæreditatis petitionem tantundem consequitur bonorum possessor, quantum superioribus ciuilibus actionibus hæres consequi potest.

III. *Species: Fideicommissaria hæreditatis petitio. Quæ species proponitur l. 1. cum duab. legibus sequentib. ff. de fideicommiss. hæred. petit. quarum legum uerba uide ī. lib. 34. cap. 4. quæst. 2. reg. 9.*

III. PROPRIVM HAEREditatis petitionis.

Eorum iudiciorū, quæ de petitione hæreditatis sunt, ea authoritas est, ut nihil in præiudicium eius fieri debeat. *quæ regula approbatur l. diuus Pius. 5. §. fin. ff. de petit. hæred. cuius uerba cum concordantibus uide ī. lib. 7. cap. 8. quæst. 1. reg. 3.*

IIII. CAVSAE, EX QVIBVS HAEreditatis petitio competit: cum suis exceptionibus.

I. *Causa: Petitio hæreditatis competit partim ex iure actoris, partim ex facto rei conuenti. Ex iure actoris: puta quia hæres est uel ex testamento, uel ab intestato. de quo l. 1. cum duabus legibus sequentibus. ff. de petit.*

petit. hæred. cuius uerbi uide ī. lib. 28. cap. 1. quæst. 5. in prin. Concordat l. 1. §. 1. ff. si pars hæred. petatur, his uerbis: Qui hæreditatem uel partem hæreditatis petit: ius non ex eo metitur, quod possessor occupauit, sed ex suo iure. Et ideo, siue ex asse hæres sit, totam hæreditatē uindicabit, licet tu unam rem possideas: siue ex parte, partem, licet tu totam hæreditatem possideas. *Concordat item l. si debitor. 42. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Si debitor hæreditarius nō ideo nolit soluere, quòd se dicat hæredem: sed ideo, quòd neget aut dubitet, an hæreditas pertineat ad eum, qui petit hæreditatē: non tenetur hæreditatis petitione. *Huius causæ exceptiones uide in libris tribus præcedentibus.*

II. *Causa:* Ex *facto rei conuenti petitio hæreditatis competit: puta quia hæreditatē partémue eius, uel rem aliquam possidet. quæ causa approbatur l. unica. C. de alienat. iudicij mutādi causa, his uerbis:* Cum in rem actionem possessio pariat aduersario, alienatione etiam iudicij mutandi causa celebrata, in integrum restitutio edicto perpetuo permittatur: intelligis, si rem, ne secum ageretur, qui possidebat, uenūdedit, & emptori tradidit: quem elegeris, conueniendi tibi tributam esse iure facultatem. *Plura de hac causa uide ī. cap. prox. Sed & ex facto rei conuenti competit hæreditatis petitio, si possessor hæreditatem dolo malo possidere desijt: de quo itidem ī. capite proxim. reg. 2. Sed & huius generis species sunt causæ proximè sequentes.*

III. *Causa: Si possessor hæreditatis à debitoribus hæreditarijs non exegit, unde tempore liberati sunt. Hæc causa approbatur l. sed & si. 25. §. quod ait, in fine. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide ī. cap. proxim. except. 9. Huius causæ exceptio hæc est: Nisi exigere non potuit. quæ exceptio approbatur d. §. quod ait, in fine, his uerbis:* Hoc uiq;, si exigere potuit. *Cui concordat l. si quid. 31. §. penult. ff. eod. tt. his uerbis:* Illud planè prędoni imputari non pōt, cur passus sit debitores liberari, & pauperiores effici, & nō eos conuenerit: quādo actionē non habuit.

IIII. *Causa: Si reus dolo possessionem noluit admittere. quæ causa approbatur d. l. 25. §. perinde inquit, in fine. cuius uerba uide ī. cap. prox. reg. 2. except. 9.*

V. *Causa: Si quid aliud dolo malo possessor hæreditatis egit. Hæc causa approbatur l. nec ullam. 13. §. nam & dolus. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Et dolus præteritus uenit in hæreditatis petitione, quasi dolo defierit possidere. *Concordat l. sed & si. 25. §. quod ait. ibi: ita intelligendum. ff. eod. tt. cuius uerba uide ī. cap. prox. except. 9. Concordat item d. l. 15. §. qui uerò prædo, his uerbis:* Qui prædo est, & ante litem cōtestatam doli mali nomine tenetur: hic est etēnim dolus præteritus.

VI. *Causa: Si possessor dolo uel culpa in hæreditate uersatus est, & sumptus quos facere debuit, non fecit. Hæc causa approbatur simul & distinguitur l. si quid. 31. §. sicut autē. ff. de petit. hær. his uerbis:* Sicut sumptum quē fecit, deducit: ita si facere debuit, nec fecit, culpæ eius reddet rationē, nisi bonæ fidei possessor est. tunc enim, quia quasi suam rem neglexit, nulli querelæ subiectus est ante petitam hæreditatē: postea uerò & ipse prædo est. *Concordat l. ei qui. 54. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Cū prædia urbana & rustica, negligentia possessorū peiora sunt facta: uelut quia uineæ, pomaria, horti, extra consuetudinem patrisfamiliās defuncti culti sunt: iuris æstimationem earum rerum, quanto peiores sunt factæ, possessores pati debent.

VII. *Causa: Si possessor seruum hæreditarium occiderit. Hæc causa approbatur simul & distinguitur l. si à patre. 36. §. si possessor. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Si possessor hæreditarium seruum occiderit: id quoque in hæreditatis petitione ueniet. Sed Pomponius ait, actorem debere eligere, utrum uelit sibi eum condemnari, ut caueat se non acturum lege Aquilia: an malit integram sibi esse actionē legis Aquiliæ, omissa eius rei æstimatione à iudice. Quæ electio locum habet, si ante aditam hæreditatem occisus sit seruus. Nam si postea, ipsius actio propria effecta est, nec ueniet in hæreditatis petitione.

VIII. *Causa: Si seruus possessoris aliquid in re hæreditaria deliquerit. Hæc causa approbatur l. illud. 40. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Ad officium iudicis pertinebunt & noxales actiones, ut si paratus sit possessor noxæ dedere seruum, qui damnum dederit in re hæreditaria, uel furtum fecerit: absoluatur, sicut sit in interdicto Quod ui aut clam.

IX. *Causa: Si reus debitor sit defuncti, uel hæreditarius. Hæc causa approbatur l. quòd si. 16. §. nō solùm. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Non solùm à debitore defuncti, sed etiam à debitore hæreditario peti hæreditas potest. Deniq; ab eo qui negocia hæreditaria gessit, & Celso & Iuliano uidetur peti hæreditatem posse: sed si negocium hæredis gessit, nequaquam. ab hæredis enim debitore peti hæreditas non potest. *Quod dictum de debitore hæreditario, ei concordat l. nec ullam. 13. §. fin. cum duab. legibus sequentibus. ff. eod. tt. his uerbis:* Item à debitore hæreditario quasi à iuris possessore peti hæreditas potest. Nam & à iuris possessoribus possessio hæreditatē peti, constat. Et utrum ex delicto, an ex contractu debitor sit, nihil refert. Debitor autem hæreditarius intelligitur is quoq;, qui seruo hæreditario promisit, uel qui ante aditam hæreditatem dedit damnum, uel aliquam rem de hæreditate subripuit. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi in diem, uel sub conditione debitor sit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. quòd si. 16. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Quòd si in diē debitor sit, uel sub conditione, à quo petita est hæreditas:

non debere eum damnari. Rei planè iudicatæ tempus spectandũ esse, secundum Octaueni sententiam, an dies uenerit, apud Pomponium scriptum est. Quod & in stipulatione conditionali erit dicendum. Si autem non uenerit, cauere officio iudicis debebit de restituendo hoc debito cum dies uenerit, uel conditio extiterit. *Altera exceptio est: Nisi reus neget actorem hæredem esse. Hæc exceptio approbatur l. si debitor 42. ff. d. tt. cuius uerba uide* §. *causa* 1. *Tertia exceptio est: Nisi quis absentis hæredis nomine, uel eius quem hæredem putabat, negocia hæreditaria gesserit, hic enim tanquam debitor hæreditarius petitione hæreditatis non tenetur, sed actione negociorum gestorum. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. ult. ff. si pars hæreditatis petatur, his uerbis:* Cum hæredis ex parte instituti filius, qui patrẽ suum ignorabat uiuo testatore decessisse, partem hereditatis nomine patris absentis administrauerit, & pecunias distractis reb. acceperit: hæreditas ab eo peti non potest. quia neq; pro hærede, neque pro possessore precia possidet, sed ut filius patris negocium curauit. Negociorũ autem gestorũ actio cæteris cohęredibus, ad quos portio defuncti pertinet, dabitur. Illud enim utiq; non est meruendum, ne etiam patris, à quo fortè exhæredatus est, teneatur hæredibus, quasi negocia hæreditaria gesserit: cum illud quod administrauit, non fuerit paternæ hæreditatis. Nam etsi negociorum gestorum actio sit ei, cuius suo nomine debitum exactum est: hoc tamen quod alieno nomine perceptũ est, restitui ęquum est. Sed in proposito neq; patris negocia fuerãt, qui esse desierat: neq; paternę successionis, quæ fuerant alterius hæreditatis. Quòd si filius iste patri suo hæres extiterit, & moueat controuersiam, quòd pater eius, postquam hæres extitit, mortem obierit: ille tractatus incurrit, an ipse causam sibi possessionis mutare uideatur. Quoniam tamen, qui negocia hæreditaria gesit, & debitor esse cœpit, postea faciens cõtrouersiam hæreditatis, ut iuris possessor conuenitur: idem etiam in hoc filio respondendum erit. *Quarta exceptio est: Nisi in re aliena tanquam hæreditaria negocium aliquod gesserit: hic enim tanquam debitor hæreditarius petitione hæreditatis nõ tenetur. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Illud enim utiq; non est metuendum, &c.

X. *Causa: Si aliquis hæredis sit debitor. Hæc causa reprobatur l. quòd si. 16. §. non solùm. ibi: sed si negociũ. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide* §. *causa proxim. in prim. Concordat d. l. 16. §. idem scribit, patronum. cuius uerba uide* ȝ. *quæst. 9. except. 5.*

V. QVIBVS PETITIO HÆREDITATIS competit?

I. *Regula: De eo qui hæres negatur, proponitur l. si debitor. 42. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide* §. *quæst. prox. in prim.*

II. *Regula, De eo qui hæreditatẽ mercatus est, proponitur l. ei qui. 54. in prim. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Ei qui partem hæreditariam uel totam à fisco mercatus fuerit: non est iniquum dari actionem, per quam uniuersa bona persequatur: quemadmodum & cui ex Trebelliano senatusconsulto hæreditas restituta, petitio hæreditatis datur.

III. *Regula, De eo cui ex Trebelliano restituta est hæreditas, proponitur uerbis iam dictis hisce:* Quemadmodum & cui, &c. *Concordat l. 1. cum legibus sequentibus. ff. de fideicom. hæred. petit. quarum legum uerba uide* ȝ. *lib. 34. cap. 4. quæst. 2. reg. 9.*

IIII. *Regula: De hærede eius cui ex Trebelliano hæreditas est restituta, proponitur l. nec interest. 3. in prim. ff. d. tt. cuius uerba uide d. reg. 9.*

V. *Regula, De hærede hæredis. Huic quoque petitio hæreditatis competit. De qua re uide* §. *libro 28. cap. 22. reg. 1.*

VI. *Regula: De duobus eandem hæreditatem ex diuersis causis petentibus: utri restituenda, proponitur l. cum idem. 57. ff. de petit. hæred. cuius uerba cum concordantibus uide* §. *lib. 21. capite 5. except. 16. De reliquis propositæ quæstionis regulis uide* §. *lib. 28. cap. 22. item lib. 29. cap. 2. cum sequentibus.*

VI. VBI ET APVD QVEM iudicem competat?

I. *Regula, De loco ubi hæreditas est, & domicilio rei conuenti, proponitur l. unica. C. ubi de hæred. agatur, his uerbis:* Illic, ubi res hæreditarias esse proponis, hæredes in possessionem rerum hæreditariarum mitti, postulandum est. Vbi autem domicilium habet, qui conuenitur: uel si ibi, ubi res hæreditariæ sitæ sint, degit: hæreditatis erit controuersia terminanda.

II. *Regula, De præside prouinciæ, proponitur l. si scriptum. 11. C. de probationibus, his uerbis:* Si scriptũ hæredem ab amita tua, uel de testamenti uicio, uel quacunq; alia ratione non posse obtinere hæreditatem, probari à te posse confidis: de hac hæreditate apud Rectorem prouinciæ agere potes.

VII. QVANDO ET QVAMdiu competit?

I. *Regula: Post causam falsi finitam hæreditatis petitio competit. quæ regula approbatur l. diuus Pius. 5. §. fin. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Diuus Hadrianus Trebatio Seruiano rescripsit, ut Ælius Asiaticus satisdaret de hæreditate, quæ ab eo petitur, etsi falsum dicat. Hoc ideo, quia sustinetur hæreditatis petitionis iudicium, donec causa falsi agatur.

II. *Regula: Hæreditatis petitioni non nisi triginta annorum præscriptio obstat. quæ regula approbatur l. hæreditatis. 7. C. de petit. hæred. his uerbis:* Hæreditatis

tatis petitionem, quę aduersus pro hærede, uel pro possessore possidentes exerceri potest, præscriptione longi temporis non submoueri, nemini incognitum est: cum mistæ personalis actionis ratio hoc respondere compellat. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi contra titulo possidentes speciali actione agatur. quæ exceptio approbatur ibidem, his uerbis:* A cæteris autem tãtùm specialibus in rem actionibus uindicari posse, manifestũ est: si non agentis intentio per usucapionem uel longum tempus exposa sit. *Concordat l. hæreditatem. 4. C. in quibus causis cessat longi temp. præscript. his uerbis:* Hæreditatem quidem petentibus longi temporis præscriptio nocere non potest. Verùm his qui nec pro hærede, nec pro possessore, sed pro empto, uel donato, seu alio titulo res quæ ex hæreditate sunt, uel fuerunt, possident, cum ab ijs successio uindicari non possit, nihil hæc iuris definitio noceat. *Secunda exceptio uidetur: Nisi à patre uel domino eius qui hæreditatẽ tenebat, mortuo uel emancipato filio uel seruo, hæreditas petatur. hoc enim casu non nisi intra annum competere uidetur. Sed hæc exceptio reprobatur l. si à patre. 36. in prin. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Si à patre uel à domino, qui precia possidet, hæreditas petatur: an filio uel seruo mortuo, uel seruo manumisso, uel emancipato filio, intra annum agi debeat? & an debitum sibi dominus uel pater deducere possit? Iulianus uerius esse ait, & id Proculus quoq; respondit, perpetuò actionem dãdam, nec deduci oportere id quod ipsi deberetur: quia non de peculio agatur, sed hæreditas petatur. Hæc rectè, si precia habeat seruus uel filiusfamiliâs. Quòd si propterea hæreditas petatur à domino, q, seruus debitor fuit: perinde haberi debebit, atq; si de peculio ageretur. Idem dicendum Martianus ait, etiamsi pecuniam ex precio perceptam seruus uel filius consumpserit: sed si aliâs ex peculio eius solui potest. *Reliquæ propositæ quæstionis regulas uide* §. *lib. 29. cap. 15. quæst. 1.*

VIII. ADIVNCTA ET euentus huius iudicij.

I. *Regula: An possessor titulum suæ possessionis dicere cogatur, definitur per ea quæ proposita sunt* §. *lib. 7. cap. 2. quæst. 2. reg. 1.*

II. *Regula: Possessor nihil ex ea hæreditate, de qua lis mouetur, alienare uel deminuere potest. quæ regula approbatur l. diuus Pius. 5. in princ. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Diuus Pius rescripsit, prohibendum possessorem hæreditatis, de qua controuersia erat, antequam lis inchoaretur, aliquid ex ea distrahere: nisi maluerit pro omni quantitate hæreditatis, uel rerum eius æstimatione satisdare. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cauerit possessor pro quantitate uel æstimatione hæreditatis prædandæ. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Nisi maluerit pro omni quantitate hæreditatis, uel rerum eius æstimatione satisdare. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi fideiussores, per quos cauit, non sufficiant. quæ replicatio approbatur l. si quo tempore. 41.* §. *& si fideiussores. ff. eod. tt. his uerbis:* Si fideiussores quos dederat ad litem, non sufficiant: iubere eum debebit Proconsul, ut idoneè caueat. *Altera exceptio est: Nisi causa cognita iudici aliter uideatur. Hæc exceptio approbatur d. l. 5.* §. *causa, his uerbis:* Causa autem cognita, etsi non talis data sit satisdatio, sed sola cautio: etiam post litem cœptam deminutionem se concessurum, Prætor edixit: ne in totum deminutio impedita, in aliquo etiam alias utilitates impediat: utputa si ad funus sit aliquid necessarium. nam funeris gratia deminutionem permittit. Item si futurũ est, ut nisi pecunia intra diem soluatur, pignus distrahatur. Sed & propter familiæ cibaria, necessaria erit deminutio. Et res tempore perituras permittere debet Prætor distrahere. *Tertia exceptio est: Nisi funeris gratia deminutio fiat. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vtputa si ad funus sit aliquid necessarium, &c. *Quarta exceptio est: Nisi pecunia intra diem non soluta, pignus distrahatur. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Item si futurum est, ut nisi pecunia intra diem soluatur, pignus distrahatur. *Quinta exceptio est: Nisi in alimenta familiæ deminutio fiat. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed & propter familiæ cibaria, necessaria erit deminutio. *Sexta exceptio est: Nisi res mora perituræ, uel deteriores futuræ alienentur. Hæc exceptio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Et res tempore perituras permittere debet Prætor distrahere. *Concordat l. non solùm. 53. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ȝ. *except. prox. Septima exceptio est: Nisi necessariæ impensæ in res hæreditarias sint factæ. Hæc exceptio approbatur d. l. 53. his uerbis:* Non solùm ad æs alienum hæreditarium exoluendum necessaria alienatio possessori est: sed & si impensæ necessariæ in rem hæreditariam factæ sunt à possessore, uel si mora res perituræ, deterioréue futuræ erunt. *Octaua exceptio uidetur: Nisi testamentum possessor falsum dicat. Hæc exceptio reprobatur l. diuus Pius. 5.* §. *diuus. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide* §. *quæst. prox. reg. 1. Nona exceptio est: Nisi iis de hæreditate nondum sit inchoata. Hæc exceptio reprobatur d. l. 5. in prin. cuius uerba uide* §. *ead. reg. 2. in prin.*

III. *Regula, De actionibus hæreditarijs pendente lite inferendis, proponitur l. si bonæ. 49. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Si bonæ fidei possessor uelit cum debitoribus hæreditarijs, aut his qui res hæreditarias occupauerunt, consistere: audietur

audietur utique, si periculum erit, ne inter moras actiones intercidant. Petitor autem hæreditatis citra metũ exceptionis in rem agere poterit. Quid enim, si possessor hæreditatis negligat? quid si nihil iuris habere se sciat?

IIII. Regula, *De actionibus interim excipiendis, proponitur l.cum hæred.12.C.eod.tt.his uerbis*: Cum hæreditatis petitioni locus fuerat, exceptio adsumebatur, quæ tuebatur hæreditatis petitionem, ne fieret ei præiudicium. Magnitudo etenim & authoritas cẽtumuiralis iudicij nõ patiebatur, per alios tramites uiam hæreditatis petitionis infringi. Cumq; multæ uarietates & controuersię ueterum exortæ sint: eas certo fine concludentes, sancimus, si quis hæreditatis petitionem uel suscipere sperat, uel mouere: alius autem superueniens, uel ex depositо, uel commodato, uel legato, uel fideicommisso, uel ex alijs causis inquietare uel reum, uel agẽtem ex persona defuncti, crediderit sibi esse necessariũ: siquidem pro legato uel fideicommisso hoc faciat, rem expeditæ quæstionis esse: cum possit scriptus hæres cautione interposita non differre hanc petitionem, sed rectè exigi uel legatum uel fideicõmissum sub ea cautela uel satisdatione pro qualitate personarum. Quòd si non obtinuerit eius iura: restituet legatarius uel fideicommissarius ei datam pecuniam cum usuris ex quarta centesimæ parte currentibus, uel agrum cum fructibus quos perceperit, uel domum cum pensionibus: scilicet in utroque eorum expensis antea necessarijs & utilibus deductis: uel si ipse maluerit litem quidem contestari, expectare autem hæreditatis petitionis euentum, hoc ei liceat facere, ut restitutio, si competeret, cum legitimis augmentis legatario uel fideicommissario accedat. Sin autem ex contractibus defuncti agatur contra possessorem hæreditatis, uel eius rei de qua agitur: si quidem res sint uel depositæ, uel commodatæ, uel pignori datæ, uel aliæ quæ extant: non differri sub prætexu hæreditatis petitionis memoratum iudicium: quemadmodum si pro fœnerata pecunia uel alia personali actione agatur contra possessorem uel petitorem, non debet iudicium differri, sed exitum suum accipere. Postquam etenim hæreditatis petitionis iudiciũ finem accipiat: tunc inter petitorem hæreditatis & possessorem rationibus contractis, non aliter possessor (si uictus fuerit) hæreditatem restituere compellitur, nisi pro omnibus, quæ ritè ab eo gesta sunt, petitor satisfaciat. Quòd si petitor uictus fuerit, simili modo à possessore iudicis officio ei satisfaciat: uel (si hoc fuerit prætermissum) negociorum gestorum, uel ex lege condictione. Sin autem libertates uel à possessore, uel à petitore fideicommissariæ petantur, uel directæ ipso iure dicantur competere: annale tantũmodò spacium expectetur à morte testatoris numeratum. Et si quidem hæreditatis petitionis iudicium intra id spacium terminum accipiat: secundum euentum iudicij & libertates uel effectum habeãt, uel euanescant. Sin autem tempus annale emanauerit: tunc libertatis fauore & humanitatis intuitu competant quidem directæ libertates, ex fideicommissarijs autem in libertatem serui eripiantur: ita tamen, si non falsum testamentum adprobetur: sub ea scilicet conditione, ut si actores sint, uel alijs ratiocinijs suppositi (etiam postquam peruenianr in libertatem) necessitas eis imponatur res hæreditarias & rationes reddere, iure patronatus uidelicet competente ei qui ex legibus ad hoc possit uocari: illo (ne in posterum dubitetur) obseruando, ut ipsa hæreditatis petitio omnimodò bonæ fidei iudicijs connumeretur.

V. Regula: *De sumptibus quos possessor hæreditatis fecit, euicta hæreditate deducendis, seu ei restituendis, proponitur uerbis d.l.12.iam expositis hisce*: Postquam hæreditatis petitionis iudiciũ finem accipiat: tunc inter petitorem hæreditatis & possessorem rationibus contractis, non aliter possessor (si uictus fuerit) hæreditatẽ restituere cõpellitur, nisi pro omnibus quæ ritè ab eo gesta sunt, petitor satisfaciat. *Concordat l.in restit.4..C.eod.tt.his uerbis*: In restituenda hęreditate compensatio eius habebitur, quod te in mortui infirmitatem, inq; sumptum funeris bona fide ex proprio tuo patrimonio erogasse probaueris. *Cõcordat item l.hæres.51.in prin.ff.de petit.hæred.his uerbis*: Hæres furiosi substituto, uel sequentis gradus cognato fructus medij temporis, quibus per curatorem furiosus locupletior factus uidetur, præstabit: exceptis uidelicet impensis, quæ circa eandem substantiam tam necessariò quàm utiliter factæ sunt. Sed & si quid circa furiosum necessariò fuerit expẽsum, & hoc excipiatur: nisi alia sufficiens substantia erat furioso, ex qua sustentari potuit. *Concordat item l.si quid.31.§.sicut autem.ff.eod.tt.cuius uerba uide ſ.quæſt.4..cauſa 6.* *Planè propositæ regulæ exceptio prima uidetur esse*: *Nisi malæ fidei possessor sumptus fecit. Hæc exceptio reprobatur l.si à patre.36.§.fin. cum duab.legibus sequentibus. ff.eod.tt.his uerbis*: Fructus intelliguntur deductis impensis, quæ quærẽdorum, cogendorum, conseruandorum eorum gratia fiunt. Quod non solùm in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, uerùm etiã in prædonibus, sicut Sabino quoq; placuit. Planè in cæteris necessarijs & utilibus impensis possunt separari, ut bonæ fidei quidem possessores has quoq; imputent: prædo autem de se queri debeat, qui sciens in rem alienam impendit. Sed benignius est, in huius quoque persona haberi rationem impensarum: non enim debet petitor ex aliena iactura lucrum facere. Et idipsum iudicis officio continebitur, nec exceptio doli mali desideratur. *Altera exceptio est*: *Nisi sumptus inutiliter facti sint, nullis perceptis fructibus. Hæc exceptio reprobatur l.quòd si.37.ff.d.tt. his uerbis*: Quòd si sumptum quidem fecerit, nihil autem percepit fructuum: æquissimum erit, rationem horum quoque in bonæ fidei possessoribus haberi. *Tertia exceptio est*: *Nisi res, in quam sumptus facti sunt, non extet. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.planè.38. §. fin.ff.d.tt.his uerbis*: Planè sic poteſt in eo differentia esse, ut bonæ fidei quidem possessor omnino impẽsas deducat, licet res non extet, in quam fecit, sicut tutor uel curator cõsequuntur: prædo autem non aliter, quàm si res melior fit. *Quarta exceptio est*: *Nisi non necessarij neq; utiles, sed uoluptarij sumptus sint facti. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, & definitur seu declaratur exemplis contrarijs l.utiles.39.in prin. ff.de petit.hæred. his uerbis*: Vtiles necessariæq; impensæ sunt, ueluti quæ fiunt reficiendorum ædificiorum gratia, aut in nouale: aut cum seruorum gratia litis æstimatio soluitur, cum id utilius sit, quàm ipsos dedi. Denique alias complures eiusdem generis esse impensas, manifestum est. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi bonæ fidei possessor uoluptarias impensas fecerit. quæ replicatio approbatur d.l.39.§.uideamus, his uerbis*: Videamus tamen, ne ad picturarum quoq;, & marmorum, & cæterarum uoluptariarũ rerum impensas æquè proficiat nobis doli exceptio? Vtique, si modò bonæ fidei possessores sumus. Nam prædoni probè dicetur, non debuisse in alienam rem superuacuas impensas facere: ut tamen potestas ei fiat tollendorum eorum, quæ sine detrimento ipsius rei tolli possint. *Altera replicatio est*: *Nisi actor non patiatur ea quæ uoluptatis causa impendit, tollere. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Vt tamen potestas, &c. *Tertia replicatio est*: *Nisi ex uoluntate defuncti uoluptariæ impensæ sint factæ. Hæc replicatio approbatur exemplo l. hæreditas.50.ff.eod.tt.his uerbis*: Si defuncto monumentum, cõditionis implendę gratia, bonæ fidei possessor fecerit: potest dici (quia uoluntas defuncti in hoc seruanda est, utique si probabilem modum faciendi monumenti sumptus, uel quantum testator iusserit, non excedat) eum cui aufertur hæreditas, impensas aut doli mali exceptione retenturum, aut actione negociorum gestorũ petiturum, ueluti hæreditario negocio gesto. Quamuis enim stricto iure nulla tenẽantur actione hæredes ad monumẽtum faciendum: tamen principali uel pontificali authoritate compelluntur ad obsequium supremæ uoluntatis. *Quinta exceptio uidetur esse*: *Nisi hæreditas sit restituta, sumptibus non deductis. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Aut actione negociorum gestorum petiturum, ueluti hæreditario negocio gesto. *Concordat l.cum hæreditatis.22. §.quòd si petitor.C.de petit.hæred.cuius uerba uide ſ.reg.4.. Plura de hac exceptione uide ſ.lib.21.cap.8. reg.7.except.6. Sexta exceptio uidetur*: *Nisi filio hæreditatem à patre possessore petente, pater eos sumptus, quos in honorem filij fecit, deducere uelit. Hæc exceptio reprobatur l.uli.ff.de petit.hæred.his uerbis*: Filius à patre emancipatus, secundum conditionem testamenti matris adijt hæreditatem, quam pater, antequam filium emanciparet, possedit, fructusque ex ea percepit: sed erogationem in honorem filij, cum esset senator, fecit. quæsitum est, cum paratus sit pater restituere hæreditatem, habita ratione eorum quæ in eum erogauit: an filius nihilominus perseuerans petere hęreditatem, doli mali exceptione submoueri possit? Scæuola respondit, etsi non exciperetur, satis per officium iudicis consuli. *Septima exceptio uidetur*: *Nisi reus exceptionem sumptuum non opposuerit. Quæ exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Etsi non exciperetur, satis per officium iudicis consuli. *Octaua exceptio uidetur*: *Nisi pro parte tantùm hæreditas euincatur. Hæc exceptio reprobatur l.sorori.6. §.fin. ff.si pars hæred. petatur, his uerbis*: Sumptus qui propter onera totius hæreditatis iusti fiunt: ei qui patroni iure portionem euicerit, pro rata computentur. *Nona exceptio est*: *Nisi possessor contemplatione hæreditatis lautius re sua sit usus. hos enim sumptus ex hæreditate non deducet. Quæ exceptio approbatur l.sed & si.25. §.si quis re sua. ff.de petit. hæred. his uerbis*: Si quis, &c. *Hæc de quinta regula, de qua eiusq; exceptionibus uide plura ſ. libro 21. cap.8.reg.7.*

VI. Regula: *De reputatione eius quod possessor creditoribus hæreditarijs soluit, proponitur l.si quid.31.in princ.usq; ad §.sed si ipsi. ff.de petit.hæred. his uerbis*: Si quid possessor soluit creditoribus, reputabit: quanquam ipso iure non liberauerit peritorem hæreditatis. Nam quod quisq; suo nomine soluit, non debitoris: debitorem non liberat. Et ideo Iulianus libro VI. Digest. scribit, ita id imputaturum possessorem, si caueritse petitorem defensurum. Sed an & bonæ fidei possessor debeat ad defendendum cauere, uidendum erit: quia

in eo quod soluit, non uidetur locupletior factus: nisi fortè habeat condictionem, & hoc nomine uideatur locupletior: quia poterit repetere. Finge etenim eum, dum se hæredem putat, soluisse suo nomine. Et uidetur mihi Iulianus de solo prædone ut caueat sensisse, non etiam de bonæ fidei possessore. Condictionem tamen præstare debebit. Sed & petitor, si à creditoribus conueniatur, exceptione uti debebit. *Concordat l.de hæred.5. C.eod.tt.his uerbis*: De hæreditate, quam bona fide possidebas, si contra te pronunciatum est: in restitutione eius detrahetur, quod creditoribus eiusdem hæreditatis exoluisse te bona fide probaueris. Nam repeti à creditoribus, qui suum receperint, non potest. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi possessor non caueat petitori de eo aduersus creditores defendendo. quæ exceptio approbatur uerbis d.l.31.§.propositis hisce*: Ita id imputaturum possessorem, si cauerit se petitorem defensurum. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi bonæ fidei possessor sit. quæ replicatio approbatur uerbis d.l.31.§.propositis hisce*: Sed an & bonæ fidei possessor, &c. *Altera exceptio est: Nisi possessor petitori condictionem, quam habet, non cedat. quæ exceptio approbatur uerbis d.l.31. §.propositis hisce*: Condictionem tamen præstare debebit. *Tertia exceptio est: Nisi indebitum solutum sit. Hæc exceptio approbatur l.item ueniunt.20. §.sed etsi senatus. ff.de petit.hæred. cuius uerba uide ĩ.cap. prox.reg.2.except.8.repl.7.*

VII. Regula: *Possessor deducet in restituenda hæreditate id quoque, quod sibi à defuncto debebatur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur d.l.31. §.sed si ipsi.his uerbis*: Sed si ipsi aliquid prædoni debebatur, hoc deducere non debebit: maximè si id fuit debitũ, quod natura debebatur. Quid tamen, si expediebat, petitori id debitum esse dissolutum propter pœnam uel aliam causam? potest dici, ipsum sibi uel soluisse, uel debuisse soluere. Iustus autem possessor proculdubiò debebit deducere, quod sibi debetur. *Huius regulæ exceptio hæc est*: *Nisi malæ fidei possessor sit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur uerbis iam propositis hisce*: Sed si ipsi aliquid, &c.

VIII. Regula, *De restituendo uel deducendo legato quod possessor petitori soluit, proponitur l.cum is.44.ff.de petit.hæred.bis uerbis*: Cum is qui legatum ex testamento percepit, hæreditatem petit: si legatum quocunq; modo redditum non sit, iudicis officio continetur, ut iuctori, deducto eo quod accepit, restituatur hæreditas. *Concordat l.postquam.43.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.lib.29.cap.11.except.8.repl.1.dupl.2.*

IX. Regula, *De legatis solutis euicta hæreditate repetendis uel deducendis, proponitur l.quòd si.17. ff.de petit.hæred.his uerbis*: Si possessor hæreditatis ob id quòd ex testamento hæredem se putaret, legatorum nomine de suo soluerit, & quis ab intestato eam hęreditatem euincat: licet damnum uidetur esse possessori, quòd sibi non prospexerit stipulatione, EVICTA HAEREDITATE LEGATA REDDI: attamen quia fieri potest, ut eo tempore soluerit legata, quo adhuc cõtrouersia nulla mota sit, & ob id nullam interposuerit cautionẽ: placet in eo casu euicta hæreditate dandam ei esse repetitionem. Sed quia, cùm cessante cautione repetitio datur, periculum est ne propter inopiam eius cui solutum est legatum, nihil repeti possit: ideo ei secundum senatusconsulti sententiam subueniendum est, ut ipse ex retentione rerum hæreditariarum sibi satisfaciat: cedat autem actionib. petitori, qui suo periculo eas exerceat. Ait *Iurisconsultus*: Secundum senatusconsulti sententiam. *De quo uide l.item ueniunt.20. §.pridie idus. ibi: eos autem. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.cap.prox.reg.2.except.8.*

X. Regula, *De cauenda possessori indemnitate actionum nomine, quibus se obligauit, proponitur l.illud.40.§.actiones, in fine. ff.de petit.hæred. cuius uerba uide ĩ cap.3.reg.16.*

XI. Regula: *De translatione actionum hæreditariarum ex Senatusc. Trebell. restituta hæreditate, dicetur ĩ.lib.34.cap.4.*

XII. Regula, *De actionibus, per quas præiudicium hæreditatis petitioni futurum est, differendis cauetur l. diuus Pius.5.§ fin. ff.de petit.hæred.bis uerbis*: Eorũ iudiciorum, quæ de hæreditatis petitione sunt, &c. *Concordat l.ult.in prin.C.eod.tt. Cuius exemplum habetur l.si quis libertatem.7.in prin.ff.d.tt. l.non distinguemus.37. §.si is faciat. ff.de receptis arbitris. l.ut debitum.5.C.de actionib.hæreditarijs. Quod generaliter obtinet in omnib.causis maioribus: ut ostensum §.lib.7.cap.8.quæst.1.reg.5.*

XIII. Regula, *De deducendo eo, quod patri uel domino debetur, cauetur l.si à patre.36.in prin.c. ff.de petit.hæred.*

IX. ADFINIA REMEDIA.

Regulariter quidem, *si hæreditas uel res hæreditaria petatur: petitio hæreditatis, non alia competit actio: ut patet ex ijs quæ dicta sunt §.quæst.4.* uerùm *eius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi reus ex alio titulo, quàm pro hærede uel possessore, rem possideat. hoc enim casu non hæreditatis petitio, sed specialis in rem actio competit. quæ exceptio approbatur l.hæreditatis 7.in fine. C.de petit.hæred. cuius uerba uide §: quæst.7.reg.2. Concordat l.quòd si.16.§.fin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.cap.prox. reg.2. except.6.replic.2. dupl.2. Concordant item ea quæ habentur ĩ.cap.prox. reg.1.except.1. cum aliquot sequentibus. Altera exceptio est: Nisi ea res petatur, cuius usucapionem à defuncto cœptam hæres implerit. hæc enim res uindicari potest. Hæc exceptio approbatur l.& non tantùm.19. §.quòd si pro emptore.ff.de petit.hæred.bis uerbis*: Si pro emptore usucapio ab hærede impleta sit, non ueniet in hęreditatis petitione: quia hęres, idemq; petitor eam uindicare potest, nec ulla exceptio datur possessori. *Tertia exceptio est: Nisi possessor hæreditatis rogatu actoris hæres sit institutus, ut sibi aliquando hæreditas restitueretur, hoc enim casu mandati actio est. quæ exceptio approbatur l.quidam.44. ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ĩ. lib.33. cap.11. reg.8. item lib.34.cap.3. quæst.5.reg.2.* Quarta exceptio est: *Nisi agatur ad hæreditatem diuidendam. hoc enim casu non petitio hæreditatis, sed familiæ erciscundæ actio est. quæ exceptio approbatur l.non possessorem.7.ff.si pars hæred.petatur, bis uerbis*: Non possumus consequi per hæreditatis petitionẽ id, quod familiæ erciscundæ iudicio consequimur, ut à communione discedamus: cum ad officium iudicis nihil amplius pertineat, quàm ut partem hæreditatis pro indiuiso restitui mihi iubeat. *Concordat l.1.§.proinde etsi, in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.cap.prox.reg.8.except.1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi actor hæres negetur. quæ replicatio approbatur d.§.proinde. De qua re aliquando in familiæ erciscundæ actione tractabitur. Quinta exceptio est: Nisi res in fraudem patroni actoris alienata repetatur: tunc enim Caluisiana competit actio. quæ exceptio approbatur l.quòd si.16. §.idem scribit. ff.de petit.hæred.bis uerbis*: Iulianus scribit, patronum hæreditatem petere non posse ab eo, cui libertus hæreditatem in fraudem alienauit: quia Caluisiana actione ei tenetur. Patroni enim iste debitor est, non hæreditarius. Ergo nec ab eo cui mortis causa donatum est, peti hæreditas potest. *Sexta exceptio est: Nisi possessor alterius tanquam hæredis nomine negocia hæreditaria gesserit. hic enim non petitione hæreditatis, sed negociorum gestorum actione tenetur. quæ exceptio approbatur l.ult.§.negociorum. ff.si pars hæred. petatur. cuius uerba uide §. quæst.4. causa 9. except.3. Septima exceptio est: Nisi ex eo, quòd possessor seruum hæreditarium occiderit, agatur. hoc enim casu etiam legis Aquiliæ actio est. quæ exceptio approbatur l.si à patre.36. §.si possessor. ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §. quæst.4. causa 7. Octaua exceptio est: Nisi res defuncto pignori data petatur. nam hoc casu etiam pignoraticia competit actio. quæ exceptio approbatur l.& non tãtùm.19. §.& quidem. ff.d.tt. cuius uerba uide ĩ. cap.3. reg.1. except.1. Nona exceptio est: Nisi res petatur, quam defunctus alienam bona fide pro sua possedit. hoc enim casu etiã Publiciana competit actio, quæ exceptio approbatur d.§.& quidem. Decima exceptio est: Nisi seruitus petatur. quæ exceptio approbatur d.l.19.§.fin.bis uerbis*: Seruitutes in restitutione hęreditatis nõ uenire, ego didici: cum nihil eo nomine possit restitui, sicut est in corporibus & fructibus: sed si non patiatur ire & agere, propria actione conuenietur. *Vndecima exceptio est:*

Nisi contra uoluntatem defuncti hæreditas petatur. hoc enim casu uel inofficiosi querela competit, uel contra tabulas bonorum possessio. de quibus cum alijs petitionis hæreditatis adfinibus remedijs uide ĩ. cap.4. cum capitibus sequentibus, usq; ad finem libri.

ADVERSVS QVOS PETITIO HÆREDITATIS COMPETIT? Cap. II.

PRima regula, *De possessore hæreditatis uel rei hæreditariæ. Hic regulariter petitione hæreditatis tenetur. quæ regula approbatur l.regulariter.9.ff.de petit.hæred.his uerbis*: Regulariter definiendum est, eum demum teneri petitione hæreditatis, qui uel ius pro hærede, aut pro possessore possidet, uel rem hæreditariam, licet minimam. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non pro hærede neq; pro possessore, sed alio titulo possideat. hic enim hæreditatis petitione non tenetur. quæ exceptio elicitur ex uerbis iam propositis hisce*: Pro hærede aut pro possessore possidet. *Cui concordat l.hæreditatem.4. C.in quib.cessat longi temp.præscript. cuius uerba uide §. cap.proxim.quæst.7.reg.2.except.1. Ait Iurisconsultus*: Pro hærede. *Quid sit pro hærede possidere, definitur l.pro hærede.11.ff.de petit.hæred.bis uerbis*: Pro hærede possidet, qui putat se hæredem esse. *Quid sit pro possessore possidere, definitur d.l.11. §.fin.cum duabus sequentibus, his uerbis*: Pro possessore possidet prædo, qui interrogatus cur possideat, respondurus sit, Quia possideo: nec contendit se hæredem uel per mendacium, nec ullam causam possessionis potest dicere. Et ideo fur & raptor petitione hæreditatis tenentur. *Concordat l.quòd si.16.§. Iulianus, in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.reg.prox. except.7. Huius species proponitur etiam l.prædonis. 46.ff.eod.tt. bis uerbis*: Prædonis loco intelligendus est & is qui tacitam fidem interposuit, ut non capienti restitueret hæreditatẽ. *Sed & plures eiusdem speciei uide ĩ. repl.prox. Hisce igitur speciebus possessorum exceptis, si qui alij possideant, neq; pro hærede, neq; pro possessore, sed titulo alio: petitione hæreditatis non tenentur, ut ex d.l.4. constat: eiusq; species sunt, si pro empto possideat. d.l. 4. item pro donato. l.quòd si in diem.16. §.idem scribit. ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §.cap. proxim. quæst.9.except.5. Planè huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ex alio titulo possidẽs, sciat titulum ĩstum iure non ualere. quæ replicatio approbatur l.nec ullam.13.§.1.ff.de petit.hæred.bis uerbis*: Omnibus etiam titulis hic Pro possessore adhæret, & quasi iniunctus est. Deniq; & Pro emptore titulo adhæret. Nam si à furioso emero sciens, pro possessore possideo. Item in titulo Pro donato quæritur, an quis pro possessore possideat: utputa uxor uel maritus? & placet nobis Iuliani sententia, pro possessore possidere eum. Et ideo petitione hæredi-

ratis tenebitur. Item Pro dote titulus recipit pro possessore possessionem: utputa si à minore XII. annis nupta mihi quasi dotem sciens accepi. Et si legatum mihi solutū est ex falsa causa scienti, utique pro possessore possidebo. *Concordat l.2.C.d.tt.his uerbis*: Si post motam controuersiam, &c. *Altera replicatio est*: *Nisi tanquam bonorum possessor possideat. nam & hic pro hærede possidere uidetur. quæ replicatio approbatur l.pro hærede.11. §.penult. ff.de petit.hæred. his uerbis*: Sed & bonorum possessor pro hærede uidetur possidere. *Tertia replicatio est*: *Nisi quis uniuersam hæreditatem titulo possideat. hic enim, quo minus petitione hæreditatis saltem utili conueniri possit, proposita exceptione nō defenditur. Quæ replicatio approbatur l.nec ullam.13.§.quid si quis hæreditatem.ff.d.tt. hisce uerbis*: Si quis hæreditatē emerit, &c. *Concordat d.l.13.§.si quis sciens, his uerbis*: Si quis sciens alienam emerit, &c. *Item concordat d.l.13.§.item si quis à fisco. cuius uerba uide* ꝛ. *lib.11.cap.8.quæst.5.reg.8. Item concordat d.l.13.§.apud Marcellum, his uerbis*: Apud Marcellum lib. IIII. Digestorum, &c. *Huius replicationis duplicatio prima uidetur*: *Nisi à fisco hæreditatē emerit. Quæ duplicatio reprobatur quidem d.§.item si quis à fisco. sed approbatur iure nouo l.bene à Zenone. C.de quadriennij præscriptione. cuius uerba uide* ꝛ. *lib.21. cap.6. quæst.3.reg.1.except.2. Altera duplicatio est*: Nisi *libertus in fraudem patroni hæreditatem alienauerit. hoc enim casu non datur petitio hæreditatis, cum sufficiat actio Caluisiana. l. quòd si in diem.16. §.idem scribit. ff.de petit.hæred. cuius uerba (ut dixi) uide* ꝛ. *cap.prox. quæst.9. except.5. Quarta replicatio est*: *Nisi possessor tanquam hæres titulum sit nactus: puta quia ei à debitoribus hæreditarijs est solutum, uel hæreditatem petens litis æstimationem est cōsecutus. Quæ replicatio approbatur d.l.16. §. sed & is qui, his uerbis*: Et is qui pretia rerum, &c. *Quò pertinet etiam, si conditionis implendæ causa quid possessor accepit. d. §.quid si quis. uers.planè si accepta. Quinta replicatio est*: *Nisi hæres possessoris conueniatur. Quæ replicatio approbatur l.nec ullam.13. §.hæredē.ff.eod.tt.his uerbis*: Hæredem etiam earū rerum nomine, quas defunctus pro emptore possedit, hæreditatis petitione teneri cōstat, quasi pro hærede possideat: quānis earum rerum nomine, quas pro hærede uel pro possessore defunctus possedit, utiq; teneatur. *Sextæ replicationis loco notandum, quòd quamuis titulo possidens petitione hæreditatis conueniri non possit, rei tamen uēdicatione ante impletam usucapionē teneatur. Quæ replicatio approbatur d.l.16.§.fin.ff.de petit.hæred.cuius uerba uide* ꝛ. *reg.prox.except.6. repl.2.dupl.2.triplic.1. Concordat l.2.in fin.& l.hæreditatis.7.in fin.C. eod.tt. Cuius replicationis duplicatio prima est*: *Nisi auctor possessoris bonam fidem habuerit, nec precio sit factus locupletior. hoc enim casu nec rei uendicatione possessor tenetur, ne condemnatus ad suum auctorem regressum habeat, qui conueniri ab hærede non potuit.*

l.utrum autem.23.& l.sed etsi lege.25.§.1. uers.sed & si res.ff.d.tt. Huius triplicatio prima est: *Nisi possessor condemnatus aduersus suum authorem regressum habiturus non sit.d.l.25.§.item si rem. Altera triplicatio est*: *Nisi author malam fidem habuerit. l.item uidendū. 18.in prin.ff.eod.tt. Hæc de prima duplicatione. Altera propositæ replicationis duplicatio est*: *Nisi author pro possessore iudicium suscipere sit paratus. tunc enim nec rei uendicatione possessor tenetur. d.§.item si rem. uers.quid tamē. Tertia duplicatio est*: *Nisi actor precium rei, quam reus possidet, fuerit consecutus. d.l.25. §.item si minori. Hæc de prima propositæ regulæ exceptione sint dicta. Secunda exceptio est*: *Nisi possessor non suo, sed alterius nomine possideat. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.nec ullam. 17.§.si quis absentis. ff. de petit. hæred. his uerbis*: Si quis absentis nomine possideat hæreditatem: cum sit incertum, an ille ratum habeat, puto absentis nomine petendam hæreditatem, ipsius uerò nequaquam: quia non uidetur pro hærede uel pro possessore possidere, qui contemplatione alterius possidet: nisi fortè quis dixerit, cum ratum non habet, iam procuratorem quasi prædonem esse: tunc enim suo nomine teneri posse. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi is quē alterius nomine possidet, non suo, sed alterius nomine conueniatur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Puto absentis nomine petendam hæreditatem, &c. *Altera replicatio est*: *Nisi absens alter possessionem suo nomine ratam non habeat: hoc enim casu ipse qui absentis nomine se possidere dicit, suo nomine tenetur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nisi fortè quis dixerit, &c. *Tertia replicatio est*: *Nisi is qui alterius nomine possidet, eius cuius nomine possidet, postea hæres existat. quæ replicatio approbatur l.cum multi.9.ff.si pars hared.petatur, his uerbis*: Cū multi hæredes instituti essent, ex his unus in Asia erat: eius procurator uenditionem fecerat, & pecuniam pro parte eius abstulerat: postea apparuerat, eum qui in Asia erat, antè decessisse, instituto ex parte dimidia hærede procuratore suo, & ex parte alio. Quæsitum est, quemadmodum pecunia ex hæreditate petenda esset? Responsum est, ab eo qui procurator eius fuisset, totam hæreditatē (quia ex hæreditate ea pecunia fuisset, quæ ad procuratorem ex uenditione peruenisset) petere eos oportere, & nihilominus partem dimidiam hæreditatis à cohærede eius. Ita fore, siue omnis ea pecunia penes eum, qui procurator fuisset, resideret, ut omnem per iudicem ab eodem recuperarent: siue is partem dimidiam cohæredi suo reddidisset, ipsum ex dimidia parte, ex dimidia cohæredem eius condemnarent. *Concordat l.uli.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide* ꝛ. *cap.proxim.quæst.4. causa 9. exceptione 2.*

Quarta

Quarta replicatio est, Quòd defuncto eo cuius nomine possessum fuit, is qui eius nomine possedit, cohæredibus defuncti negociorum gestorum actione teneatur. quæ replicatio approbatur d.l.ultim.in prin. cuius uerba uide d.except.3. Quinta replicatio est: *Nisi tutor, qui pupilli nomine possidet, conueniatur*: *uel tutor iure datus negetur. quæ replicatio approbatur l.si putas.6. C.de petit.hæred.his uerbis*: Si putas non iure tutores datos nepotib. tuis, quòd eos dicas in potestate tua esse: petere ab his hæreditatem filij tui emancipati non moreris, cuius commodum ad te pertinere dicis: iudice statuturo, an à præsidalibus actis discēdum sit, qui eis tutores dedit, cum in tua potestate negarentur. *Tertia exceptio est*: *Nisi is qui pro hærede possidet, sciat se hæredem non esse. Hæc exceptio reprobatur l.pro hærede.11. ff.de petit. hæred.his uerbis*: An is qui scit se hæredem nō esse, pro hærede possideat, quæritur? Et Arrianus libro secundo de Interdictis putat teneri: quo iure nos uti Proculus scribit. Sed enim & bonorum possessor pro hærede uidetur possidere. *Quarta exceptio est*: *Nisi possessor tanquam alterius possessoris hæres possideat, ignorans utrū defunctus pro hærede uel alio modo possederit. Hæc exceptio reprobatur l.nec ullam.13.§.Neratius.ff.de petit.hæred.his uerbis*: Neratius libro VI. Membranarum scripsit, uel ab hærede eius peti posse hæreditatem, etiamsi ignoret pro hærede, uel pro possessore defunctum possedisse. *Quinta exceptio est*: *Nisi reus pro hærede quidem possideat, sed tanquam hæres possessoris quondam defuncti, non eius de cuius hæreditate agitur. Hæc exceptio reprobatur d.§.Neratius, his uerbis*: Idem esse libro VII. ait, etiamsi putauit hæres eas res ex hac hæreditate esse, quæ sibi delata est. *Sexta exceptio uidetur*: *Nisi minimam rem ex hæreditate reus possideat. Hæc exceptio reprobatur l.regulariter.9. cum lege sequente. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide* ꝛ. *ead. reg. in prin. Septima exceptio uidetur*: *Nisi non corpus, sed ius aliquod hæreditarium reus possideat. Hæc exceptio reprobatur l.nec ullam.13. §.fin. ff.de petit.hæred. cuius uerba uide* ꝛ. *cap.proxim. quæst.4. causa 9. Concordat l.ultim.§.fin.ff.si pars hæred.petatur. cuius uerba uide* ꝛ. *d.causa 9. except.3. Octaua exceptio est*: *Nisi reus possidere desierit. Hæc exceptio tractabitur ꝛ.reg.prox. Nona exceptio est*: *Nisi cum eo qui possidere desijt, actum sit. Hæc exceptio reprobatur d.l.13.§.penult.in fine.ff.de petit.hæred.cuius uerba uide ꝛ.reg.prox.except.4.replic.1. Concordat l.sed etsi. 25.§.perinde(inquit.) ibi: unde si sit alius.ff.eod.tt. cuius uerba uide ꝛ.reg.prox. except.9. Concordat item l.Stichum.95. §.dolo. ibi: cæterum. ff.de solutionibus. cuius uerba uide ꝛ.reg.prox. except.3. repl.1. Concordat item l.si is qui.7.ff.de rei uendicat.*

II. Regula: *De eo qui nihil ex hæreditate possidet, uel possidere desijt. Hic regulariter quidem hæreditatis petitione non tenetur. quæ regula approbatur l.nec ullam.13. §.is autem qui. ff.de petit.hæredit. his uerbis*: Is qui, &c. *Concordat l.ult. §.sciendum. ff.de fideicommiss.hæred.petit.his uerbis*: Sciēdum, &c. *Item concordat l.quia autem.6.§.si autem is.ff.si quis omissa causa test. his uerbis*: Si is cui auferri hæreditas potest, aliquid possidebat de hæreditate, & possidere desijt sine dolo malo: magis est ut desinat conueniri. Quod ergo tempus spectabimus, possideat, nécne? litis contestatæ tempus spectari debet. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi tempore litis contestatæ possedit. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Quod ergo tempus spectabimus, possideat, nécne? litis contestatæ tempus spectari debet. *Concordat l.dolo carere.41.ff.ad l. Falcidiam. item l.& non tantùm.19. §.ueniunt. uers.imò etsi.ff.de petit.hæred. cuius uerba uide* ꝛ. *cap.prox. reg.2.except.2. Item concordat l.sed etsi.25.§.quod ait. uers.sed & culpa. ff. eod. tt. cuius uerba uide* ꝛ. *except.9. Item concordat d.l.25. §.etiamsi ante, his uerbis*: Etiamsi ante litem contestatam (inquit) fecerint. hoc ideo adiectum est, quoniam post litem contestatā omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quinimò post controuersiam motam. Quanquam enim litis contestatæ mentio fiat in Senatusconsulto: tamen & post motam controuersiam omnes possessores pares fiunt, & quasi prædones tenentur. Et hoc iure hodie utimur. Cœpit enim scire, rem ad se non pertinentem possideri, is qui interpellatur. *Plura de uerbis iam propositis uide* ꝛ. *except.9. Concordat item l.penult.ff.eod.tt. Sed & plura de exceptione proposita uide* ꝛ. *cap.prox.reg.19. Planè huius exceptionis replicatio est*: *Nisi tutoris uel curatoris culpa res post litem contestatam sit amissa. l.ult. ff.de administr. tutor. cuius uerba uide* ꝛ. *except.4.replic.4. Altera exceptio est*: *Nisi liti se obtulit is qui non possidet. Hæc exceptio approbatur l.nec ullam.13. §.non solùm. & l. qui se.45.ff.de petit.hæred. quarum legum uerba uide* ꝛ. *lib.21.cap.5.except.13.replic.4. Huius exceptionis replicatio hæc est*: *Nisi actor ab initio litis sciuit eum non possidere. quæ replicatio approbatur d.l.45. Tertia exceptio est*: *Nisi iuris possessor sit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt* ꝛ. *reg.proxim. except.13. Quarta exceptio est*: *Nisi dolo possidere desierit. Hæc exceptio approbatur l.nec ullā.13.§.item si quis dolo.ff.de petit.hæred.his uerbis*: Si quis dolo fecerit, quo minus possideat hæreditatis petitione tenebitur. *Concordat d.l.13.§.is autem qui, his uerbis*: Is qui restituit hæreditatem, teneri hæreditatis petitione non potest: nisi dolo fecerit, id est, si scit & restituit: nam & dolus præteritus uenit in hæreditatis petitione, quasi dolo desierit possidere. *Concordat item l.sed etsi.25.§.perinde.ff.eod.tt. cuius uerba uide* ꝛ. *except.9. Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi possessor hæreditatis conuentus sit, uel liti se offerat. Hæc replicatio approbatur d.l.13. §.penult.*

his uerbis: Si alius nactus possessionẽ, quam ego dolo malo amiseram, paratus sit iudicium pati: Marcellus libro quarto Digestorum tractat, num fortè euanescat aduersus eum qui desijt, litis æstimatio? & magis euanescere ait, nisi petentis interest. Certè (inquit) si rem paratus sit restituere, indubitatum erit euanescere. Sed si is qui dolo desijt, antè cõueniatur: eum qui possidet, non liberabit. *Concordat l. Stichum. 95. §. dolo. ff. de solutionib. his uerbis*: Dolo, &c. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ipsius actoris adhuc aliquid interfit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nisi petentis interest. *Altera replicatio uidetur: Nisi res apud alium extet. Hæc replicatio reprobatur d. §. perinde. Tertia replicatio uidetur esse: Nisi res postea interierit. Hæc replicatio reprobatur l. si patre. 36. §. si prædo. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide ĩ. except. 9. replic. 1.* Quarta replicatio est: Nisi dolo tutoris uel curatoris sui is qui in tutela uel cura est, possidere desierit. *Hæc replicatio approbatur l. dolus. 3. cum lege sequente. ff. quando ex facto tutoris. cuius uerba uide §. lib. 17. cap. 1. quæst. 8. reg. 5. except. 2. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi pupillus uel furiosus ex dolo tutoris uel curatoris locupletior fit factus. quæ duplicatio approbatur d. l. 3. Altera duplicatio est: Nisi pupillus nõ cedat actiones, quas aduersus tutorem eo nomine habet. quæ duplicatio approbatur l. ult. ff. de administr. tutor. his uerbis*: Apud Aristonem ita scriptum est: Quod culpa tutoris pupillus ex hæreditate desijt possidere, eius æstimatio in petitione hæreditatis sine ulla dubitatione fieri debebit ita, si pupillo de hæreditate cautum sit. Cautum autem esse uidetur, etiam si tutor erit idoneus, à quo seruari possit id quod pupillus ex litis æstimatione subierat. Sed si tutor soluendo non est: uidendum erit, utrum calamitas pupilli, an detrimentum petitoris esse debeat: perinde q; haberi debeat, ac si res fortuito casu interijsset: similitérue atq; si ipse pupillus expers culpæ quid ex hæreditate deminuisset, corrupisset, perdidisset. De possessore quoq; furioso quæri potest, si quid ne in rerum natura esset, per furorẽ eius accidisset. Tu quid putas? Pomponius: Puto eum uerum dicere. Sed quare cunctatus es, si soluendo non sit tutor, cuius damnum esse debeat? cum alioquin elegantius dici possit, actiones duntaxat, quas haberet cum tutore pupillus, petitori hæreditatis præstandas esse: sicut & hæres uel bonorum possessor, si nihil culpa eius factũ sit (ueluti si fundo hereditario ui deiectus sit, aut seruus hæreditarius uulneratus ab aliquo sit sine culpa possessoris) nihil amplius quàm actiones, quas eo nomine habet, præstare debeat. Idem dicendum est, etsi per curatorem furiosi culpa uel dolo quid amissum fuerit: quemadmodũ si quid stipulatus tutor uel curator fuisset, aut uendidisset hæreditariã rem. Impunè autem puto admittendum, quod per furorem alicuius accidit: quomodo si casu aliquo sine facto personæ id accidisset. *Quinta exceptio est: Nisi culpa sua possidere desierit. Hæc exceptio approbatur l. sed etsi. 25. §. quod ait. ibi: sed & culpa. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide ĩ. except. 9. Concordat item l. non tantùm. 19. §. uenit. ibi: imò etsi. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. reg. 2. except. 2. Sexta exceptio est: Nisi facto suo possessionem reus amiserit. Hæc exceptio constat ex ijs quæ §. except. prox. & 4. dicta sunt. Cui concordat l. nec ullam. 13. §. apud Marcellum. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. reg. 1. except. 4. repl. 2. Verùm eius replicatio prima hæc est: Nisi pupillus uel furiosus facto suo rem amiserit. quæ replicatio approbatur l. ult. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide §. except. 4. replic. 3. Altera replicatio est: Nisi ex causa fideicommissi hæreditatem, uel rem hæreditariam restituit. Hæc replicatio approbatur d. l. 13. §. is autem qui. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. except. 4. in prin. Concordat l. nec interest. 3. §. sciendum. ff. de fideicomm. hæred. petit. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 4. quæst. 2. reg. 11. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi post petitam hæreditatem legatum uel fideicommissum restituit. quæ duplicatio approbatur l. dolo. 41. ff. ad l. Falcid. his uerbis*: Dolo carere non uidetur, si iam mota quis controuersia hæreditatis, legata sine cautionib. det. *Altera duplicatio est: Nisi indebitum legatum uel fideicommissum soluit. Hæc duplicatio approbatur l. quòd si. 16. §. item Iulianus. ff. de petit. hæred. his uerbis*: Iulianus scribit, si quis ex causa fideicommissi restituerit hæreditatem, uel singulas res præstiterit: peti ab eo hæreditatem posse: quia habet condictionem eorum, quę sunt ex ea causa soluta. Etenim uelut iuris possessor est. Sed etsi precia rerum, quas distraxit, ex causa fideicommissi soluit: peti hæreditatem ab eo posse quia repetere potest. *Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi actiones suas, quas eo nomine habet, reus cedere sit paratus. quæ triplicatio approbatur ibidem, his uerbis*: Sed his casibus actiones suas duntaxat eum præstaturum: cum & res extant, & potest petitor per in rem actionem eas uindicare. *Tertia duplicatio est: Nisi aliqua parte retenta uel percepta, ex fideicommissi causa hæreditatem restituit. Hæc duplicatio approbatur l. nec ullam. 13. §. quid si quis. ibi: idem erit dicendum. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. reg. prox. except. 2. replic. 2. Tertia replicatio est: Nisi ex causa iudicati rem restituit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi iam mota hæreditatis controuersia, rem alij ex causa iudicati restituit. quæ duplicatio elicitur ex l. penult. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. lib. 21. cap. 5. except. 16.* Quarta replicatio est: *Nisi creditoribus hæreditarijs soluerit. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur*

per ea quæ proposita sunt §. cap. prox. quæst. 8. reg. 6. Hæc de sexta exceptione eiusq; replicationibus sint dicta. Septima exceptio est: Nisi is qui possidere desijt, eo nomine actionem habet. hanc enim cedere tenetur. quæ exceptio approbatur l. quod si. 16. §. Iulianus scribit. ff. de petit. hæred. his uerbis: Iulianus scribit, si is qui pro hærede possidebat, ui fuerit deiectus, peti ab eo hæreditatem posse, quasi à iuris possessore: quia habet interdictum Vnde ui, quo uictus cedere debet. Sed & eum qui deiecit, petitione hæreditatis teneri: quia hæreditarias res pro possessore possidet. *Concordat d. l. 16. §. idem Iulianus, in fine. cuius uerba uide ĩ. except. prox. Item concordat d. l. 16. §. item Iulianus. cuius uerba uide §. except. prox. repl. 2. dupl. 2. Item concordat l. ult. ff. de administr. tutor. cuius uerba uide §. except. 4. repl. 4. dupl. 2. Octaua exceptio est: Nisi reus occasione hæreditatis locupletior sit factus rem hæreditariam uendendo, uel aliquo accepto hæreditatem restituendo, uel fructus ex hæreditate lucrando, uel à debitoribus hæreditarijs exigendo. quæ exceptio cum alijs quibusdam approbatur Senatusconsulto l. item ueniunt. 20. §. præter hæc, usque ad §. ait senatus. ff. de petit. hæred. his uerbis*: Præter hæc, multa reperimus tractata, & de petitione hæreditatis, & de distractis rebus hęreditarijs, & de dolo præterito, & de fructibus: quibus cùm forma senatusconsulto sit data, optimum est ipsius senatuscõsulti interpretationem facere, uerbis eius relatis. Pridie idus Martias Q. Iulianus Balbus, & Publius Iuuentius Celsus, Titus Aufidius, & Arrius Seuerianus, consules, uerba fecerunt de his, quę Imperator Cæsar Traiani Parthici filius, diui Neruæ nepos, Hadrianus Augustus Imperator, maximusq; princeps proposuit quinto nonis Martijs, quæ proximæ fuerunt: libello complexus, quid fieri placeret: deq; ea re ita censuerunt: CVM ANTEQVAM partes caducæ ex bonis rustici fisco peterẽtur, hi qui se hæredes esse existimassent, hæreditatem distraxerunt: placere, redactæ ex precio rerum uenditarum pecuniæ usuras non esse exigendas. Idemq; & in similibus causis seruandum esse. Item placere, à quibus hæreditas petita fuisset, si aduersus eos iudicatum esset, precia q; ad eos rerũ ex hęreditate uenditarũ peruenissent: etsi eæ ante petitam hæreditatem deperijssent, deminutæue fuissent: restituere debere. Item eos, qui bona inuasissent, cũ scirent ad se non pertinere: etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent: perinde condemnãdos, quasi possiderent. Eos autẽ qui iustas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usq; eò duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent. Petitam autem fisco hæreditatem ex eo tempore existimandum esse, quo quisq; sciret primùm eam à se peti: id est, cum primùm aut denunciatum ei esset, aut literis uel edictis euocatus esset: censuerunt. *Hactenus uerba Senatusconsulti. Subijcit Vlpianus*: Aptanda est igitur singulis uerbis senatusconsulti congruens interpretatio. *Hæc singulorum uerborum interpretatio passim infrà suis locis proponetur. Nunc ad propositum. Concordat exceptioni propositæ l. nec ullam. 13. §. quid si quis, ibi: uenditorem. item ibi: planè si accepta. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. prox. except. 1. repl. 3. Cõcordat item l. quòd si. 16. §. sed & is qui. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. reg. prox. except. 7. Concordat d. l. 16. §. idem Iulianus, his uerbis*: Iulianus ait, siue quis possidens, siue nõ, rem uendiderit: petitione hęreditatis eum teneri, siue iam precium receperit, siue petere possit: ut & hic actionibus cedat. *Concordat item l. si ipsa res. 18. ff. quod metus causa. cuius uerba uide ĩ. lib. 49. cap. 2. quæst. 3. except. 27. repl. 5. Nunc uideamus propositæ exceptionis replicationes, simulq; propositi senatusconsulti exceptiones. Prima replicatio uidetur: Nisi non pars hæreditatis, sed tota petatur hæreditas. Hæc replicatio reprobatur l. itẽ ueniunt. 20. §. ait senatus. ff. de petit. hær. his uerbis*: Ait Senatus: Cum, antequam partes caducæ fisco peterentur, hoc euenerat. Sed etsi ex asse fiat, senatusconsultum locum habebit. *Altera replicatio uidetur: Nisi non uacantia fisco bona, sed ex alia causa hæreditas petatur. Et hæc replicatio reprobatur ibidem, his uerbis*: Idem etsi uacantia bona fisco uindicentur, uel si ex alia quacunq; causa bona ad eum peruenerint. *Tertia replicatio uidetur: Nisi non fisco, sed alij hæreditas petatur. Hæc replicatio reprobatur ibidem, his uerbis*: Senatusconsultũ hoc locũ habebit, etsi ciuitati petetur. In priuatorum quoq; petitionibus senatusconsultum locum habere, nemo est qui ambigat: licet in publica causa factum sit. *Concordat l. 1. in prin. C. de petit. hæred. his uerbis*: Senatusconsultum, authore diuo Hadriano auo meo factum, quo cautũ est, quid & ex quo tempore euicta hæreditate restitui debeat: nõ solùm ad fisci causas, sed & ad priuatos hæreditatis petitores pertinet. *Quarta replicatio uidetur: Nisi non hæreditas petatur, sed peculium castrense, uel quid simile. Et hæc replicatio reprobatur d. l. 20. §. non solùm, his uerbis*: Nõ solùm in hæreditate hoc utimur senatusconsulto, sed & in peculio castrensi, uel alia uniuersitate. *Quinta replicatio est: Nisi reus precium nondum receperit. Hæc replicatio reprobatur certo modo d. l. 20. §. ait senatus. ff. eod. tt. his uerbis*: Ait Senatus, Placere, à quibus petita hęreditas fuisset, si aduersus eos iudicatũ esset, pretiaq; ad eos rerũ ex hæreditate uenditarum peruenissent: etsi eæ ante petitã hæreditatẽ deperissent, deminutæue essent: restituere debere. Bonæ fidei possessor, si uendiderit res hæreditarias: siue exegit preciũ, siue nõ, qa

habet actionem, debebit precium præstare. Sed ubi habet actionem, sufficit eum actionem præstare. *Concordat d.l.20. §. redactæ, his uerbis:* Redactæ (inquit) pecuniæ ex precio rerum uenditarum. Redactam sic accipiemus, non solùm iam exactam, uerùm etsi exigi potuit, nec exacta est. *Concordat l.quòd si.16. §.idem Iulianus. ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius ead.except.in prin. Sexta replicatio est: Nisi reus euicta re uendita precium restituit. Hæc replicatio approbatur d. §.ait Senatus. ibi: sed si uendidit, his uerbis:* Si uendidit, & euicta re restituit, quod accepit: non uidebitur ad eum peruenisse. Quanquam possit dici, nec ab initio precium peruenisse: quia non fuit res hæreditaria, quæ distracta est. *Septima replicatio est: Nisi res aliena, non hæreditaria sit uendita. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quanquam possit dici, nec ab initio, &c. *Concordat ibidem uersiculus sequens hic:* Sed etsi Senatus rerum ex hæreditate distractarum, non hæreditariarum fecit mentionem: restitui tamen non debet, quia nihil apud eum remanet. Nam Iulianus libro VI. Digest. scribit, quod indebitum exegit, restituere eum non debere: nec imputaturum, quod non debitum soluit. *Octaua replicatio est: Nisi res uendita, sit redhibita. Hæc replicatio approbatur d.l.20. §.sed etsi res, his uerbis:* Sed etsi res sit redhibita: hic utiq; hæreditaria est, & precium non ueniet, quod refusum est. *Nona replicatio est: Nisi reus emptori sit obstrictus, nec ei eo nomine ab actore caueatur. Hæc replicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Etsi ob uenditionem obstrictus sit emptori possessor hæreditatis, dicendum erit, prospici ei cautione. *Decima replicatio uidetur: Nisi res uendita interierit. Sed hæc replicatio reprobatur uerbis Senatusconsulti ẽ. ead. except. in prin. propositis hisce:* Etsi eæ ante petitam hæreditatem deperissent, deminutæue fuissent: restituere debere. *Concordat d.l.20. §. restituere, his uerbis:* Restituere precia debebit possessor, etsi deperditæ sunt res, uel deminutæ. Sed utrum ita demum restituet, si bonæ fidei possessor est: an, etsi malæ fidei? Et siquidem res apud emptorem extent, nec deperditæ, nec deminutæ sunt: sine dubio ipsas res debet præstare malæ fidei possessor: aut si recipere eas ab emptore nullo modo possit, tantum quantum in litem est iuratum. At ubi deperditæ sunt, aut deminutæ, uerum precium debet præstari: quia si rem petitor consecutus esset, distraxisset, & uerum precium rei non perderet. *Concordat item l.nisi.33.in fine. ff. eodem tt. cuius uerba uide ẽ. capite proxim. regul.6. except.4. Declaratur replicatio proposita reprobata l.deperditum.21. ff.eod.tt. his uerbis:* Deperditum intelligitur, quod in rerum natura esse desijt: deminutum uerò, quod usucaptum est, & ob id de hæreditate exijt. *Undecima replicatio est: Nisi reus precio non sit factus locupletior. Hæc replicatio approbatur l.utrum.23.ff.de petit. hæred. his uerbis:* Vtrum omne precium restituere debebit bonæ fidei possessor, an uerò ita demum, si factus sit locupletior, uidendum? finge precium acceptum uel perdidisse, uel consumpsisse, uel donasse. Et uerbum quidem Peruenisse ambiguum est, solum ne hoc contineat, quod prima ratione fuit: an uerò & id quod durat? & puto, sequentem clausulam Senatusconsulti sequendam, etsi hæc sit ambigua: ut ita demum computet, si factus sit locupletior. Proinde si non solum precium, sed etiam pœna precio tardius soluto peruenit: poterit dici, quia locupletior in totum factus est, debere uenire: licet de precio solummodò Senatus sit locutus. *Concordat l. sed etsi.25.§.1.ibi: sed etsi res.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.proxim. reg.5. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi reus actionem aliquam precij perditi nomine habeat. hanc enim nihilominus præstare tenetur. Altera duplicatio est: Nisi reus malæ fidei possessor fuerit. quæ duæ duplicationes approbantur l.item uidendum.18. in prin. ff. de petit.hæred. his uerbis:* Videndum, si possessor hæreditaris, uenditione per argentarium facta, pecuniam apud eum perdiderit: an petitione hæreditatis teneatur, qui nihil habet, nec consequi potest? Sed Labeo putat eum teneri: quia suo periculo malè argentario credidit. Sed Octauenus ait, nihil præter actiones eum præstaturum. Ob has igitur actiones petitione hæreditatis teneri. Mihi autem in eo qui mala fide possedit, Labeonis sententia placet: in altero uerò qui bona fide possessor est, Octaueni sententia sequenda esse uidetur. *Duodecima replicatio est: Nisi tempore rei iudicatæ locupletior esse desierit. Quæ replicatio approbatur l. si à parte.36. §. penult. ff.de petit.hæred. his uerbis:* Quo tempore locupletior esse debeat bonæ fidei possessor, dubitatur? sed magis est, rei iudicatæ tempus spectandum esse. *Plura de hac replitione uide ẽ. cap.prox. reg.18. except.6. Hactenus de octaua exceptione, eiusq; replicationibus est dictum. Planè uenditione rei hæreditariæ facta, non precium, sed res ipsa interdum à uenditore uenit restituenda, & interdum non precium, quo res uendita est, sed uerum rei precium. de qua re uide ẽ.cap.prox.reg.6. Nona exceptio est: Nisi reus prædo sit, uel malæ fidei possessor. hic enim & id quod non possidet, restituere tenetur. quæ exceptio approbatur uerbis Senatusconsulti ẽ. except. prox. in prin. propositis hisce:* Eos qui bona inuasissent, cum scirent ad se non pertinere: etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderẽt: perinde condẽnandos,

nandos, quasi possiderent. *Concordat l.sed etsi. 25.§.quod aut.ff.eod.tt. his uerbis:* Quod ait Senatus, Eos qui bona inuasissent, quæ scirent ad se non pertinere: etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent: perinde condemnandos, quasi possiderent. ita intelligendum est, ut & dolus præteritus in petitionem hæreditatis deducatur: sed & culpa. Et ideo ab eo, qui ab alio non exegit, uel à semetipso: si tempore liberatus est, peti hæreditas poterit. hoc utique, si exigere potuit. *Concordat item d.l. 25. §. perinde (inquit) his uerbis:* Perinde (inquit) condemnandos, quasi possiderent. Meritò. Nam & is qui dolo fecit, quo minus possideret, ut possessor condemnatur. Accipies: siue dolo desierit possidere, siue dolo possessionem noluerit admittere. Siue autem ab alio res possideatur, siue in totum non extet: locum habebit hæc clausula. Vnde si sit alius possessor, ab utroque hæreditas peti poterit: & si per multos ambulauerit possessio, omnes tenebuntur. *Declaratur exceptio proposita d.l.25. §. quod autem, his uerbis:* Quod ait Senatus, Eos qui bona inuasissent: loquitur de prædonibus, id est, de his qui cum scirent ad se non pertinere hæreditatem, inuaserunt bona, scilicet cum nullam causam haberent possidendi. Sed & fructus, non quos percepe- runt (inquam) sed quos percipere debuerunt, eos præstaturos. *Huius exceptionis replicatio prima hæc esse uidetur: Nisi res non amplius extet. Hæc replicatio reprobatur uerbis d. §. perinde, iam propositis hisce:* Siue autem ab alio res possideatur, siue in totum non extet. *Concordat l.si à patre.36. §.si prædo.ff.eod.tt. his uerbis:* Si prædo dolo desierit possidere, res autem eo modo interierit, quo esset interitura, etsi eadem causa possessionis mansisset: quantum ad uerba Senatusconsulti, melior est causa prædonis, quàm bonæ fidei possessoris: quia si prædo dolo desierit possidere, ita condemnatur atque si possideret, nec adiectum est, Si res interierit. Sed non est dubium, quin non debeat melioris esse conditionis, quàm bonæ fidei possessor. Itaque etsi pluris uenierit res, electio debebit esse actoris, ut precium consequatur: alioquin lucraretur aliquid prædo. Ait *iurisconsultus:* Quàm bonæ fidei possessoris. Hic *enim re uendita ad precium restituendum tenetur, quamuis res interierit: de qua re ẽ.except.prox.est dictum. Altera replicatio est: Nisi reus ab initio bona fide possidere cœpit. Hæc replicatio reprobatur l. sed etsi.25.§.de eo autem.ff.de petit.hæred.his uerbis:* De eo autem loquitur Senatus, qui ab initio mente prædonis res hereditarias apprehendit. Quòd si ab initio quidem iustam causam habuit adipiscendæ possessionis, postea uerò conscius ad se nihil hæreditatem pertinere, prædonis more uersari cœpit: quamuis nihil Senatus de eo loqui uidetur: puto tamen & ad eum mentem Senatusconsulti pertinere. Parui etenim refert, ab initio quis dolosè in hæreditate sit uersatus, an postea hoc facere cœperit. *Tertia replicatio est: Nisi in iure, non in facto erranit possessor. Hæc replicatio approbatur d.l.25. §. scire autem, his uerbis:* Scire ad se non pertinere, utrum is tantummodò uidetur, qui factum scit: an & is qui in iure errauit? putauerit fortè rectè factum testamentum, cum inutile erat: uel cum alius præcederet adgnatus, sibi potius deferri? Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamuis de iure erranit. *Decima exceptio est: Nisi aliquid adhuc possideat. ad id enim nihilominus tenetur, quæ exceptio approbatur l. si quo tempore. 41. §. ex diuerso, in fine. ff. de petit. hæreditatis. cuius uerba uide ẽ. except. proxim. Undecima exceptio est: Nisi post petitam hæreditatem aliquid possidere cœperit. ad id enim nihilominus tenetur, quamuis antea non possederit. quæ exceptio approbatur l.item uidendum.18. §. si quis cum. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Si quis, cùm peteretur ab eo hæreditas, neque rei, neque iuris uelut possessor erat, uerùm postea aliquid adeptus est: an petitione hæreditatis uideatur teneri? Et Celsus libro quarto Digestor. rectè scribit, hunc condemnandum, licet initiò nihil possedit. *Concordat d. l.41.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si quo tempore conueniebatur possessor hæreditatis, pauciores res possidebat, deinde aliarum quoque rerum possessionem adsumpsit: eam quoque uictus restituere debebit: siue ante iudicium acceptum, siue postea adquisierit possessionem. Et si fideiussores, quos dederat ad litem, non sufficiant: iubere eum debebit Proconsul, ut idoneè caueat. Ex diuerso quoque, si pauciores postea possidebit, quàm initiò possidebat (si modò id sine dolo eius acciderit) absolui debet, quo ad eas res quas desijt possidere. *Concordat item l.si hæred. 4. ff. eod. tt. his uerbis:* Si hæreditatem petam ab eo, qui unam rem possidebat, de qua sola controuersia erat: etiam id quod postea possidere cœpit, restituet. *Decimatertia exceptio est: Nisi cũ reus adquirere posset, dolo non adquisierit. d.l.25. §. perinde inquit. uers. accipies sine. l.1. §. sanè. ff. si quis omissa causa testamenti. l.2. §. sed etsi quid dolo. ff. de hæreditate uendita. Hæc de secunda regula non possidentis, eiusq; exceptionibus sint dicta.*

111. *Regula, De socio defuncti, & eo qui cum socio rem communem possidet uel uendidit. Hoc casu non socius defuncti, sed alter uero hæredi tenetur. quæ regula approbatur l. si Titius.62. ff. pro socio, his uerbis:*

bo: Si Titius, cum quo mihi societas erat, decesserit, egoq; cùm putarem Titij hæreditatem ad Seium pertinere, communiter cum eo res uenditerim, & partem pecunię ex uenditione redactæ ego, partem Seius abstulerit: te, qui reuera Titio hæres es, partem à me redactæ pecuniæ societatis iudicio non consecuturum, Neratio & Aristoni placebat: quia meæ duntaxat partis precia percepissem. Neque interesse, utrum per se partem meam uendidissem, an communiter cum eo qui reliquam partem ad se pertinere diceret. Alioquin euenturum, ut etiamsi duo socij rem uendiderint, unusquisque eius quod ad se peruenerit partem alteri societatis iudicio præstare debeat. Sed nec te ex parte, quam hæreditati petitione fortè à Seio consecuturus sis, quidquam mihi præstare debere: quia quod ad Seium peruenerit, tuarum partium sit: nec ad me habentem meum, quidquam ex eo redire debeat.

IIII. *Regula, De actoris cohærede & extraneo hæreditatem posidentibus. Hoc casu non cohæres actoris, sed extraneus petitione hæreditatis tenetur. quæ regula approbatur l. 1. §. si ego ex parte. ff. si pars hæred. petatur. cuius uerba uide §. lib. 21. cap. 6. quæst. 3. reg. 2. in fine.*

V. *Regula, De patre & domino possessoris, proponitur l. filiosam. 34. §. si seruus. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Si seruus uel filiusfamiliâs res hæreditarias teneat: à patre dominóue peti hæreditas poterit, si facultatem restituendarum rerum habeat. Certè si precium rerum hæreditariarum uenditarum in peculio serui habeat: Iulianus existimat, posse à domino quasi à iuris possessore hæreditatem peti. *Huius regulæ exceptio prima uidetur esse: Nisi uenditis rebus hæreditarijs, seruus precium nondum sit consecutus. Hæc exceptio reprobatur l. idem Iul. 33. ff. eod. tt. his uerbis:* Iulianus ait, Etsi nondum precia rerum consecutus sit seruus, posse à domino quasi à iuris possessore hæreditatem peti: quia habeat actionem, qua eam pecuniam consequatur: quæ quidem actio etiam ignoranti adquireretur. *Concordant ea quæ proposita sunt §. regul. 2. except. 8. replic. 5. Altera exceptio uidetur: Nisi mortuo uel manumisso seruo uel filiofamiliâs, annus præterierit. Hæc exceptio reprobatur l. si à patre. 36. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 7. reg. 1. except. 2.*

VI. *Regula, De ipso filiofamiliâs, proponitur d. l. 36. §. sed & à filiofam. his uerbis:* Et à filiofamiliâs peti hæreditatem posse, non est dubium: quia restituendi facultatem habet, sicut ad exhibendum. Multò magis dicimus posse peti hæreditatem à filiofamiliâs, qui cùm paterfamiliâs esset, & possideret hæreditatem, adrogandum se præbuit.

VII. *Regula, De hærede possessoris, proponitur l. nec ullam. 13. §. Neratius. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. reg. 1. except. 10. Concordat l. 2. C. eod. tt. cuius uerba uide §. d. reg. 1. except. 2. repl. 1. Huius regulæ exceptio hæc uidetur esse: Nisi defunctus titulo uel pro emptore possederit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 13. §. hæredem. cuius uerba uide §. reg. 1. except. 1. repl. 5.*

VIII. *Regula: Si à pluribus hæreditas possideatur, à singulis petendum. quæ regula approbatur l. sororis. 6. in prin. ff. si pars hæred. petatur, his uerbis:* Sororis, quam cohæredem fratribus quatuor in bonis matris esse placuit, quinta portio pro portionibus quæ ad eos pertinuit cedet: ita ut singuli in quartam, quam antehac habere credebantur, non amplius ei quinta conferant. *Huius regulæ exceptio prima uidetur esse: Nisi pluribus possidentibus hæreditatem, plures etiam hæreditatem petant. hoc enim casu singulos à singulis petere debere uidetur. Sed hæc exceptio reprobatur l. 1. §. quinimò. ff. d. tt. his uerbis:* Si duo possideant hæreditatem, & duo sint qui ad se partes pertinere dicant: non singuli à singulis petere contenti esse debent (puta primus à primo, secundus à secundo) sed ambo à primo, & ambo à secundo. neq; enim alter primi, alter secũdi partem possidet, sed ambo utriusq;. Proinde etsi pro hærede possessor & petitor possideant hæreditatẽ: cum unusquisq; eorum partem dimidiam hæreditatis sibi adferat, inuicem petere debebunt, ut partes rerum consequantur: aut si controuersiam sibi non faciant hæreditatis, familiæ erciscundæ experiri eos oportebit. *Altera exceptio uidetur: Nisi tam actor quàm reus partem hæreditatis possideat, & uterq; in solidum se hæredem dicat. Et hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Proinde etsi pro hærede possessor, &c. *Tertia exceptio est: Nisi hæreditas à cohærede actoris & extraneo possidetur. hoc enim casu non nisi aduersus extraneum competit actio actori. quæ exceptio approbatur d. l. 1. §. si ego ex. cuius uerba uide §. lib. 21. cap. 6. quæst. 2. reg. 2. in fine. Quarta exceptio uidetur: Nisi actor partem tantùm hæreditatis à pluribus possessæ petat. hoc enim casu uidetur satis, si ab uno tantùm petat, à quo suam partem consequi possit. Sed hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. item si cum, his uerbis:* Si cùm me ex parte dimidia dicerem hæredem, trientem hæreditatis possiderem, deinde residuum sextantem uelim persequi: qualiter agam, uideamus? Et Labeo scribit, utique partem dimidiam me petere debere à singulis: sic fieri, utà singulis sextantem consequar, & habeam beſſem. quod uerum puto. Sed & ipse tenebor ad restitutionem sextantis ex triente, quem possidebam. Et ideo iudicis officio inuicem compensatio erit admittenda eius quod possideo: si fortè

erit admittenda eius quod possideo: si fortè cohæredes sint, à quibus hæreditatem peto. *Concordat l. sorori. 6. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. ead. reg. in prin. Hactenus aduersus quos hæreditatis petitio competat, expositum est.*

QVID ET QVANTVM VENIAT hæreditatis petitione petendum. Cap. III.

PRima regula: *Vt diuidatur hæreditas, hac actione petinon potest. quæ regula approbatur l. non possemus. 7. ff. si pars hæred. petatur. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 9. except. 4.*

II. *Regula, De omni re hæreditaria. Omnis res hæreditaria uenit in petitione hæreditatis restituendæ. quæ regula approbatur l. item uidendum. 18. §. fin. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Nunc uideamus, quæ ueniant in hæreditatis petitione? Et placuit, uniuersas res hæreditarias in hoc iudicio uenire, siue iura, siue corpora sint. *Hisce uerbis proposita regula approbatur, simul & prima eius exceptio reprobatur hæc: Nisi res sit incorporalis. Cui concordat l. hæres. 37. ff. de adq. hæred. cuius uerba uide §. lib. 29. cap. 14. reg. 1. Planè admittitur exceptio proposita in seruitutibus l. & non tantùm. 19. §. fin. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 9. except. 10. Altera exceptio est: Nisi talis res sit, in qua defunctus retentionem, non etiam actionem habuit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 19. §. ueniunt, his uerbis:* Veniunt & hæ res in hæreditatis petitione, in quibus possessor retentionem habuit, non etiam petitionem: ueluti si iurauerat defunctus, petitoris rem non esse, & decesse: debent hæ quoque restitui. Imò etsi possessor sua culpa eas amisit, tenebitur hoc nomine. Idemq; erit & in prædone: licet hic pro culpa non teneatur: quia nec hic debet eas res retinere. *Tertia exceptio est: Nisi res sit, cuius usucapio à defuncto cœpta, ab hærede impleta est. Hæc exceptio approbatur d. l. 19. §. quod si pro emptore. cuius uerba uide §. cap. 1. quæst. 9. except. 2. Quarta exceptio est: Nisi res sit, quam defunctus pignori dederat. Hæc exceptio reprobatur l. et qui. 54. §. hæres. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Hæres debitoris id quod defunctus pignori dederat, quin hæreditatem petendo consequi possit, dubium non est. *Quinta exceptio est: Nisi res sit, quam possessor hæreditatis possidere desijt. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §. capite proxim. reg. 2. Sexta exceptio uidetur: Nisi res uendita sit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proponentur §. reg. 6. Septima exceptio est: Nisi res post mortem defuncti hæreditati accesserit. Et hæc exceptio reprobatur l. item ueniunt. 20. §. item non solùm. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Non solùm ea quæ mortis tempore fuerint, sed si qua postea augmenta hæreditati accesserunt, ueniunt in hæreditatis petitione: nam hæreditas & augmentum recipit & deminutionem. *Octaua exceptio est: Nisi aliunde, non ex ipsa hæreditate res accesserit. Hæc exceptio approbatur d. §. item non solùm, his uerbis:* Ea quæ post aditam hæreditatem accedunt, siquidem ex ipsa hæreditate puto hæreditati accedere. Si extrinsecus, non: quia personæ possessoris accedunt. *Huius duo exempla proponuntur l. aut ubi. 24. ff. eod. tt. his uerbis:* Vbi uidetur deiectus fuit, non debebit restituere pœnam ex eo commissam: quando eam actor habere non potest. Sicut nec pœnam restituere debet, quam aduersarius ei promisit, si ad iudicium non ueneriit. *Aliud exemplum est, si seruus hæreditarius ex re ipsius possessoris aliquid adquisiuit: quod proponitur l. per seruum. 32. cum lege sequente. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Per seruum adquisitæ res hæredi restituendæ sunt. Quod procedit in hæreditate liberti, & cum de inofficioso agitur, cum interim in bonis esset hæredis: nisi ex re hæredis scripti stipulatus sit. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi ob pecuniam tardiùs solutam reus pœnam acceperit. Hæc replicatio approbatur l. utrum. 23. §. fin. ff. de petit. hæred. cuius uerba uide §. capite proxim. reg. 2. except. 8. replic. 1. Nona exceptio uidetur: Nisi post petitionem hæreditatis in iudicium deductam rem possidere cœperit. Quæ exceptio reprobatur per ea quæ habentur §. capite prox. reg. 2. except. 12. De reliquis huiusmodi exceptionibus uide §. regulas sequentes.*

III. *Regula, De rebus non hæreditarijs. Hæ regulariter in petitione hæreditatis non ueniunt restituendæ. Cuius regulæ exceptio hæc est: Nisi periculum earum ad hæredem pertineat. quæ exceptio approbatur l. & non tantùm. 19. in prin. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Non tantùm hæreditaria corpora ueniunt in hæreditatis petitione, sed etiam quæ non sunt hæreditaria, quorum tamen periculum ad hæredem pertineat: ut res pignori datæ defuncto, uel commodatæ, depositæue. Et quidem rei pignori datæ etiam specialis petitio est, ut & hæreditatis petitione contineatur: sicut illæ quarum nomine Publiciana competit. Sed licet earum nomine, quæ commodatæ uel depositæ sunt, nulla sit facilè actio: quia tamen periculum earũ ad nos pertinet, æquũ est eas restitui.

IIII. *Regula, De rebus hæreditatis gratia comparatis. Hæ ueniunt in hæreditatis petitione. quæ regula approbatur l. item ueniunt. 20. in prin. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Veniunt in hæreditatem ea quæ hæreditatis causa comparata sunt, ut puta mancipia, pecora, & si qua alia necessariò hæreditati sunt comparata. Et siquidem pecunia hæreditaria sint comparata, sine dubio uenient: si uerò non pecunia hæreditaria, uidendum erit? Et puto etiam hæc uenire, si magna utilitas hæreditatis uersę-

tur, precium scilicet restituturo hærede.

V. *Regula, De rebus pecunia hæreditaria comparatis. Hæ non ueniunt. quæ regula approbatur simul & distinguitur d.l.20. §.1. his uerbis*: Non omnia quæ ex hæreditaria pecunia cõparata sunt, in hæreditatis petitione ueniunt. Denique scribit Iulianus libro VI. Digestorum, Si possessor ex pecunia hæreditaria hominẽ emerit, & ab eo petatur hæreditas, ita uenire in hæreditatis petitione, si hæreditatis interfuit eam emi: sed si sui causa emit, precium uenire. *Concordat l.sed etsi.25.§.1.ff.eod.tt. his uerbis*: Si rem distraxit, & ex precio aliam rem comparauit: ueniet precium in petitionem hæreditatis, non res quam in patrimonium suum conuertit. Sed etsi res minoris ualet, quàm comparata est: hactenus locupletior factus uidebitur, quatenus res ualet: quemadmodum si consumpsisset, in totum locupletior factus non uideretur.

VI. *Regula, De re distracta, & precio eius. Regulariter quidem precium rei distractæ in petitione hæreditatis uenit, non res distracta. quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §. cap.prox.reg.2. except.8. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi prædo rem hæreditariam distraxerit: hic enim ad rem ipsam, non eius precium restituendum tenetur. quæ exceptio approbatur l.item ueniunt.20.§.cæterùm si quis.ff.de petit.hæred.his uerbis*: Si quis sciens ad se hæreditatem non pertinere, distraxit: sine dubio non precia rerum, sed ipsæ res ueniunt in petitionem hæreditatis, & fructus earum. Sed Imp. Seuerus in epistola ad Celerem idem uidetur fecisse & in malę fidei possessoribus. Atqui Senatus de his locutus est, qui se hæredes existimassent: nisi fortè ad eas res referemus, quas distrahi expedierat, quæ onerabant magis hereditatẽ, quàm fructui essent: ut sit in arbitrio petitoris, qualem computationem faciat aduersus malæ fidei possessorem: utrum ipsius rei & fructuum, an precij & usurarum post motam controuersiam. *Ait Iurisconsultus*: Sed Imp. Seuerus in epistola ad Celerem idem uidetur fecisse & in malæ fidei possessoribus. *Scilicet, ut non ad rem, sed ad precium teneantur. Cui tamen Senatusconsultum contradicit, dum de bonæ fidei possessoribus tantùm loquatur in precio restituendo. Concordat propositæ exceptioni d. l.20. §. fin. cuius uerba uide §. cap.prox.reg.2.except.8.repl.10.* Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi actor malit precium sibi solui, quàm rem restitui. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce: Nisi fortè ad eas res referemus, &c. *Concordat l.si & rem.22.ibi: in prædone.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.except.3. item concordat l.si à patre.36.§.si prædo, in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.cap.prox.reg.2.except.4.repl.3. Altera replicatio est: Nisi res ipsa deperdita sit, uel deminuta: uel eam ab emptore prædo recipere non posit, hoc enim casu uel uerum precium debet, uel quanti actor in litem iurauerit. quæ replicatio approbatur d. l.20. §. fin. cuius uerba uide d.repl.10. Tertia replicatio est: Nisi rem hæreditati non necessariò distraxit malæ fidei possessor. quæ replicatio approbatur l. nisi. 33.ff.de petit.hær. his uerbis*: Iulianus scribit, si hominem possessor distraxerit, &c. *Quarta replicatio est: Nisi debiti hæreditarij exoluendi gratia distraxerit. quæ replicatio approbatur l.itẽ ueniũt.20.§. simili modo.ff.de petit.hæred. his uerbis*: Si fundum hereditarium distraxerit, siquidem sine causa: & ipsum fundum & fructus in hæreditatis petitione uenire, Iulianus scribit. Quòd si æris exoluendi gratia hæreditarij id fecerit: non amplius uenire, quàm precium. *Altera exceptio est: Nisi post petitam hæreditatem res sit distracta: tunc enim res, non precium debetur. quæ exceptio approbatur d. l. 20. §. quid si post, his uerbis*: Quid si post petitam hæreditatem res distraxerit? hic ipsæ res ueniunt, fructusq; earum. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi actor malit sibi precium restitui. quæ replicatio approbatur ibidem, his uerbis*: At si fortè tales fuerint, quæ uel steriles erant, uel tempore perituræ, & eæ distractæ sint: fortasis possit petitor eligere, ut sibi precia & usuræ præstentur. *Plures propositæ exceptionis replicationes uide §. except. prox. nam post petitam hæreditatem omnis possessor malæ fidei esse censetur. l.sed & si.25. §.etiamsi.ff.d.tt. Tertia exceptio est: Nisi possessor rem restituere malit, quàm precium. Huius exceptionis replicatio est: Nisi non id quod ultra uerum rei precium lucratus est possessor, uelit restituere. Hæc exceptio cum sua replicatione approbatur l. si & rem.22. ff. de petit. hæred. his uerbis*: Si & rem & precium habeat bonæ fidei possessor (puta quia eandem redemerit) an audiendus sit, si uelit rem dare, non precium? In prædone diximus, electionem esse debere actoris. An autem magis possessor audiendus est, si uelit rem tradere, licet deteriorem factam: non petitor, si precium desideret, quòd inuerecundum sit tale desiderium: an uerò, quòd ex hæreditaria re locupletior sit, & id quod amplius habet, ex precio restituere debeat? uidendũ. Nam & in oratione diui Hadriani ita est: Dispicite Patres conscripti, nunquid æquũ sit possessorem non facere lucrum, & precium quod ex aliena re perceperit, reddere: quia potest existimari, in locum hæreditariæ rei uenditæ precium eius succesisse, & quodammodò ipsum hæreditarium factum. Oportet igitur possessorem & rem restituere petitori, & quod ex uenditione eius rei lucratus est.

VII. *Regula, De uero precio rei hæreditariæ distractæ, & precio quo res distracta est. Regulariter non amplius debetur re distracta, quàm precium quo res est distracta. quæ regula approbatur uerbis §. reg. prox.*

prox.in prin.propositis. Cuius exceptio hæc est: Nisi malæ fidei possessor sit, qui rem ipsam restituere non posit: tunc enim ad uerum rei precium tenetur. quæ exceptio approbatur l.item ueniunt.20.§.fin. ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §. cap.prox. reg.2. except. 8.repl.10. Huius exceptionis replicatio est: Nisi ex causa fideicommissi rem uel hæreditatem uendidit malæ fidei possessor. hoc enim casu ad id tantùm quod accepit, tenetur. quæ replicatio approbatur l.in æstim. 48.ff.eod.tt. his uerbis: In æstimationibus hæreditarijs ita uenit precium uenditæ hæreditatis, utid quoq; accedat, quod plus fuit in hæreditate, si ex negociationis causa uenijt. Sin autem ex fideicommissi causa: nihil amplius, quàm quod bona fide accepit.

VIII. *Regula, De usuris precij. Regulariter quidem usuræ precij non debentur. quæ regula approbatur uerbis Senatusconsulti §. cap.proxim. reg.2. except.8. in prin. propositis hisce*: Cum antequam partes caducæ ex bonis rustici fisco perentur, hi qui se hæredes esse existimassent, hæreditatem distraxerunt: placere, redactæ ex precio rerum uenditarum pecuniæ usuras non esse exigendas. Idemq; & in similibus causis seruandum esse. *Ait Senatus*: Hi qui se hæredes esse existimassent. *Idem in bonorum possessoribus approbatur d.l.20. §. licet autem, his uerbis*: Licet Senatus de his locutus est, qui se hæredes existimassent: tamen etsi bonorum possessores iustos se existiment, uel sibi restitutam hæreditatem: in eadem erunt conditione. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi post petitam hæreditatem: hoc enim casu usuræ incipiunt currere. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Cum antequam partes caducæ ex bonis rustici fisco perentur, &c. *Declaratur hæc exceptio uerbis eiusdem Senatusconsulti d.except.8. in prin. propositis hisce*: Petitam autem fisco hæreditatem ex eo tempore existimandum esse, quo quisque sciret primùm eam à se peti: id est, cum primùm aut denunciatum ei esset, aut literis uel edictis euocatus esset. *Ratio huius exceptionis proponitur d.l.20. §.petitam. ff.de petit.hæred.his uerbis*: Petitam autem fisco hæreditatem, &c. Quo quisq; primùm sciret eam à se peti: nam ubi scit, incipit esse malæ fidei possessor. *Concordat exceptioni propositæ l.1.C.de petit.hæred.his uerbis*: Vsuras pecuniarum ante litis contestationem, ex die uenditionis hæreditariarum rerum ab eo factæ, qui antea possidebat, collectas, necnon etiam fructus, bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt: nisi ex his locupletiores extiterint. Post litem autem contestatam tam fructus non uenditarum rerum, non solùm quos perceperunt, sed etiam quos percipere poterant: quàm usuras precij rerum ante litis contestationem uenditarum, ex die contestationis computandas, omnimodò reddere compellantur. *Altera exceptio est: Nisi malæ fidei possessor sit. hic enim etiam ante petitam hæreditatem usuras precij debet: eo scilicet casu, quo ad precium, non ad rem ipsam tenetur. de qua re dictum §. reg.6.except.1. Approbatur hæc exceptio uerbis d. §. petitam, §. propositis hisce*: Nam ubi scit, incipit esse malæ fidei possessor. *Concordat d.§.petitam. ibi: id est, his uerbis*: Id est, cum primùm aut denunciatum esset, &c. Quid ergo, si scit quidem, nemo autem ei denunciauit: an incipiat usuras debere pecuniæ redactæ? & puto. Cœpit enim malæ fidei possessor esse. *Tertia exceptio est: Nisi possessori denunciatum sit, hæreditatem ad eum non pertinere. Hæc exceptio constat ex uerbis Senatusconsulti §. propositis hisce*: Id est, cum primùm aut denunciatum ei esset, aut literis uel edictis euocatus esset. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non ipsi possessori denunciatum est, sed eius procuratori, quòd ipse nescierit. Hæc replicatio approbatur d.l.20. §. ponamus, his uerbis*: Ponamus denunciatum esse, non tamen scire: quia non ipsi, sed procuratori eius denunciatum est. Senatus ipsi denunciari exigit. Et ideo non nocebit: nisi forrè is cui denunciatum est, eum certiorauit. Sed non, si certiorare potuit, nec fecit. *Altera replicatio, sumpta ex personæ denunciantis, reprobatur ibidem, his uerbis*: A quo denunciatum sit, Senatus non exigit. Quicunque ergo fuit qui denunciauit, nocebit. Hæc aduersus bonæ fidei possessores. Nam ita Senatus locutus est: Eos qui se hæredes existimassent. Cæterùm si quis sciens, &c. *Reliqua uide §.reg.6.except.1.in prin. Reliquas propositæ regulæ exceptiones, & Senatusconsulti interpretationem, uide §.cap.prox.reg.2.except.8.*

IX. *Regula, De usuris pecuniæ in hæreditate inuentæ, proponitur d.l.20. §. Papinianus. ff. de petit. hæredit. his uerbis*: Papinianus libro tertio Quæstionum, si possessor hæreditatis, pecuniam inuentam in hæreditate non attingat, negat eum omnino in usuras conueniendum.

X. *Regula, De usuris fructuum, proponitur l. hæres.51.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Fructuum post hæreditatem petitam perceptorum usuræ nõ pręstantur. Diuersa ratio est eorum, qui ante actionem hæreditatis illatam percepti hæreditatem auxerunt.

XI. *Regula, De fructibus & fœtu pecorum. Hi regulariter ueniunt in petitione hæreditatis. quæ regula approbatur l.item ueniunt.20.§.fructus.ff.de petit.hæred. his uerbis*: Fructus omnes hæreditatem augent, siue ante aditam hæreditatem, siue post accesserint. *Concordat d.l.20.§.cæterùm si quis sciens. cuius uerba uide §.reg.6. except.1. in prin. Concordat item l.sed etsi.25. §.fin. ff.eod.tt. his uerbis*:

Augent hæreditatem gregum & pecorum partus. *Concordat item l.hæres.51.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.cap.1.quæſt.8.reg.5.Concordat item Inſtit. de officio iudicis. §. & ſi hæreditas, his uerbis:* Si hæreditas petita ſit, eadem circa fructus intercuniunt, quæ diximus interuenire de ſingularum rerum petitione. *Ait Imp.* Quę diximus. *Scilicet d.tt.§.1. cuius uerba uide §. lib. 21.cap.7.reg.1. Concordat item l.2.C.de petit.hæred. cuius uerba uide §. cap.proxim.reg.1. except.2. repl.1. Concordat item l.pecuniæ.178. §.hæreditas. ff.de uerb. ſignific.his uerbis:* Hæreditas nomen iuris eſt, quod & acceſsionem & deceſsionem in ſe recipit. Hæreditas autem uel maximè fructibus augetur. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt:Niſi fructus à poſſeſſore non ſint percepti.Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur Inſtit.d.§.& ſi hæreditas,his uerbis:* Illorum fructuum,quos culpa ſua poſſeſſor non perceperit,ſiue illorum quos perceperit,in utraque actione eadem ratio penè habetur, ſi prædo fuerit. Si uerò bonæ fidei poſſeſſor fuerit, non habetur ratio neque conſumptorum,neque non perceptorum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi malæ fidei poſſeſſor ſit reus. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propoſitis. Cui concordat l. ſed etſi. 25. §. quod autem ait. ibi: ſed & fructus.ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §.cap.proxim. reg.2.except.9.Concordat d.l.2.C.de petit.hæreditatis.* Altera *replicatio eſt: Niſi poſt petitam hæreditatem fructus percipi potuerint. quæ replicatio approbatur Inſtit.d.§.& ſi hæreditas,his uerbis:* Poſt inchoatam autem petitionem, etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpa poſſeſſoris percepti non ſunt, uel percepti conſumpti ſunt. *Concordat l.1.in fine. C.de petit.hæred. cuius uerba uide §.regul.8. except.1. Concordat item l.2.in fine.C.eod.tt.cuius uerba uide §.cap.proxim.reg.1.except.2.replic.2. Tertia replicatio eſt: Niſi reus dolo malo poſſidere deſierit.quæ replicatio approbatur d.l. 25.§.utrum.ff.de petit.hæred.his uerbis:* Verum is ſolus qui poſsidet, fructus præſtabit, an etiam qui dolo fecit quo minus poſsideret? Et dicendum erit, poſt ſenatuſconſultum ambos teneri. *Ait Iuriſconſultus:* Poſt ſenatuſconſultum. *Huius ſenatuſconſulti uerba uide §.cap.prox.reg.2. except 8.in prin. Altera propoſitæ regulæ exceptio eſt:* Niſi poſſeſſor *fructibus perceptis non ſit factus locupletior. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur uerbis Inſtit. d.§. & ſi hæreditas, §.except.prox.propoſitis. Cui concordat l.illud.40.§.prædo.ff.de petit.hæred.his uerbis:* Prædo fructus ſuos non facit, ſed augent hæreditatem: ideoq; eorum quoq; fructus præſtabit. In bonæ fidei autem poſſeſſore hi tantùm ueniunt in reſtitutione, quaſi augmenta hęreditatis,per quos locupletior factus eſt. *Huius exceptionis replicationes eadem ſunt, quæ exceptionis ſuperioris. Tertia exceptio eſt:* Niſi petitor *fructus non ſuiſſet percepturus, ſi ipſe poſſedisſet. Hæc exceptio reprobatur l.cum hæred.56. ff.de petit.hæred.his uerbis:* Cum hæreditas petita ſit: eos fructus,quos poſſeſſor percepit,omnimodò reſtituendos Africanus ait, etſi petitor eos percepturus non fuerat. *Quarta exceptio uidetur:* Niſi *reus ob id quod dolo poſſidere deſierit,conuincatur. Hæc exceptio reprobatur l.ſed etſi.25. §.utrum.ff.de petit. hæred. cuius uerba uide §. except.1.repl.3. Quinta exceptio uidetur:* Niſi *ex rebus pignori acceptis fructus ſint percepti. Hæc exceptio reprobatur l.ſi quo tempore.41.§.fin.ff.d.tt.his uerbis:* Fructus computandos etiam earum rerum, quas defunctus pignori accepit, Iulianus ait. *Sexta exceptio uidetur:* Niſi *ante additam hæreditatem fructus ſint percepti. Hæc exceptio reprobatur l.item ueniunt.20.§.fructus.ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §. reg.11. in prin. Septima exceptio uidetur eſſe:* Niſi *fructus fructuum petantur. Sed & hæc exceptio reprobatur l.illud.40. §.prædo. ff.de petit.hæred.cuius uerba uide §.except.2.Concordat l.quod ſi.26 ff.eod.tt.his uerbis:* Si oues natæ ſunt, deinde ex his aliæ: eæ quoque quaſi augmentum reſtitui debent. *Octaua exceptio eſt:* Niſi *deductis impenſis, nihil uel parum fructuum nomine ſit ſuperfuturum. tunc enim hoc ſolum quod ſupereſt, debetur. quæ exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ propoſita ſunt §.cap.1. quæſt.8.reg.5.*

XII. *Regula, De partu ancillarum, proponitur l. ancillarum.27.ff.de petit.hæred. his uerbis:* Ancillarum etiam partus & partuũ partus, quanquam fructus eſſe non exiſtimantur (quia non temerè ancillæ eius rei cauſa comparantur,ut pariant) augent tamen hæreditatem. Quippe cùm ea omnia fiunt hęreditaria: dubium non eſt, quin ea poſſeſſor (ſi ea aut poſsideat, aut poſt petitam hæreditatem dolo malo fecerit,quo minus poſsideret) debeat reſtituere. *Concordat l.item ueniunt. 20.§.fructus. ff.eod.tt.his uerbis:* Et partus ancillarum ſine dubio augent hæreditatem.

XIII. *Regula, De penſionibus ex locatione prædiorum perceptis,proponitur d.l.27. § fin. ff.de petit. hæred.his uerbis:* Et penſiones, quæ ex locationibus prædiorum urbanorum perceptæ ſunt,ueniẽt, licet à lupanario perceptæ ſint. Nam in multorum honeſtorum uirorum prædijs lupanaria exercentur.

XIIII. *Regula, De mercedibus colonorum,operis ſeruorum,item uecturis nauium & iumentorum, proponitur l.mercedes.29.ff.eod.tt.his uerbis:* Mercedes à colonis acceptæ, loco ſunt fructuum. Operæ quoque ſeruorum in eadem erunt cauſa,qua ſunt penſiones. Item uecturæ nauium & iumentorum.

XV. *Regula, De eo quod à debitoribus hæreditarijs exactum & ſolutum eſt, proponitur l.ſi quid.31. §. fin.ff.de petit.hæred. his uerbis:* Quod poſſeſſori ſolutum eſt, an reſtituere debeat, uideamus? Et ſiue bonæ fidei poſſeſſor fuit, ſiue non, debere reſtituere placet: & ſiquidem reſtituerit (ut Caſsius ſcribit,& Iulianus libro ſexto)liberari ipſo iure debitores. *Concordat l.quòd ſi.16. §. ſed & is. ff. eod.tt. cuius uerba uide §.cap.prox.reg.1.except.7. Concordat item l.ſed etſi.25. §. petitio. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap.1. quæſt.1. regul.1. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt:Niſi indebitum poſſeſſori ſit ſolutum. quæ exceptio approbatur l. item ueniunt. 20. §. ſed etſi ſenatus. ibi: nam Iulianus.ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §.cap. prox.reg.2.except.8.repl.7. Altera exceptio eſt:Niſi ex cauſa tranſactionis cum poſſeſſore factæ, poſſeſſori ſit ſolutum. hoc enim caſu, cum tranſactio iſta non profit actori uero hæredi, nec ſolutum ex ea cauſa petere poterit. quæ exceptio approbatur l. Imperatores. 3.§.fin. ff.de tranſactionibus. cuius uerba uide §. lib.9. cap.5.except.1.in prin.*

XVI. *Regula, De actionibus hæreditarijs,& quas poſſeſſor nactus eſt, actori præſtandis, proponitur l.illud.40.§.actiones.ff.de petit.hær. his uerbis:* Actiones, ſi quas poſſeſſor nactus eſt, euicta hæreditate reſtituere debet: ueluti interdictũ Vnde ui, aut Quod precario. Contrà quoq; ſi poſſeſſor cauerit Damni infecti, cauendũ eſt poſſeſſori. *Concordant item ea quæ propoſita ſunt §.cap.prox.reg.2. except.7.*

XVII. *Regula, De pecunia mutuò à poſſeſſore ſub uſuris data, eiuſq; actione. Vtrum pecunia reſtituenda, an actio eius cedenda ſit, eſt in electione actoris: niſi bonæ fidei ſit poſſeſſor reus. quæ regula cum ſua exceptione approbatur l. Iulianus.30. ff. de petit. hæred.his uerbis:* Iulianus ſcribit, actorem eligere debere, utrum ſortem tantùm, an & uſuras uelit cum periculo nominum agnoſcere. Atqui ſecundum hoc non ſeruabimus, quod Senatus uoluit, bonæ fidei poſſeſſorem teneri, quatenus locupletior ſit. Quid enim, ſi pecuniam eligat actor, quæ ſeruari non poteſt? Dicendum itaque eſt, in bonæ fidei poſſeſſore hæc tantummodò eum præſtare debere, id eſt, uel ſortem & uſuras eius,ſi eas percepit:uel nomina cum eorum ceſsione in id facienda, quod ex ijs adhuc deberetur, periculo ſcilicet petitoris.

XVIII. *Regula, De omni lucro quod poſſeſſor percepit reſtituendo, proponitur l.poſt ſenatuſc.28. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Poſt ſenatuſconſultum omne lucrum auferendũ eſſe tam bonæ fidei poſſeſſori, quàm prædoni, dicendum. *Concordat l.euicta.55.ff.eod.tt.his uerbis:* Euicta hæreditate, bonæ fidei poſſeſſor, quod lege Aquilia exegerit, non ſimplum,ſed duplum reſtituet: lucrũ enim ex eo quod propter hęreditatem accepit,facere non debet. *Concordat item l. ſi & rem.22.in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.6.except.3. Huius regulæ exceptio*

prima hæc eſſe uidetur:Niſi inhoneſtos fecerit quæſtus poſſeſſor. Hæc exceptio reprobatur l.ſi poſſeſſor.52. ff. de petit.hæred.his uerbis: Si poſſeſſor ex hæreditate inhoneſtos habuerit quæſtus, etiam hos reſtituere cogetur: ne honeſta interpretatio non honeſti quæſtus lucrum poſſeſſori faciat. *Concordat l. ancillarum. 27. §. fin. ff. eod.tt. cuius uerba uide §.reg.13. Altera exceptio eſt:* Niſi *extrinſecus, non ex ipſa hæreditate ſit lucratus. Hæc exceptio approbatur, ſimul & exemplis declaratur per ea quæ propoſita ſunt §. regul.2. except.8. Tertia exceptio uidetur:* Niſi *pœnam ob pecuniam tardius ſolutam acceperit. Hæc exceptio reprobatur d. reg.2. except.9. Quarta exceptio uidetur:* Niſi *ex lege commiſſoria lucrum ſenſit. Hæc exceptio reprobatur l.ſed etſi.25.in prin. ff.de petit.hæred. his uerbis:* Et ſi lege commiſſoria uendidit: idem erit dicendum, lucrum quod ſenſit lege commiſſoria,præſtaturum. *Quinta exceptio uidetur:* Niſi *ex lege Aquilia,uel alia actione,quæ inficiando creſcit, duplum ſit conſecutus. Et hæc exceptio reprobatur l.euicta.55.ff.de petit.hæred. cuius uerba uide §.ead. reg.in prin. Sexta exceptio eſt:* Niſi *poſſeſſor eo lucro locupletior factus non ſit. Hæc exceptio approbatur uerbis Senatuſconſulti §. cap.prox. reg.2. except.8.in prin.propoſitis hiſce:* Eos autem qui iuſtas cauſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, uſque eò dunta-xat,quo locupletiores ex ea re facti eſſent, condemnandos. *Concordat l.ſed etſi.25.§.conſuluit, cum ſequentibus. ff. de petit. hæred. his uerbis:* Conſuluit Senatus bonæ fidei poſſeſſoribus, ne in totum damno adficiantur: ſed in id duntaxat teneantur, in quo locupletiores facti ſint. Quemcunque igitur fecerunt ſumptum ex hæreditate (ſiue quid dilapidauerunt,ſiue perdiderunt) dum re ſua ſe abuti putant,nõ præſtabunt. Nec ſi donauerint, locupletiores facti uidebuntur: quãuis ad remunerandum ſibi aliquem naturaliter obligauerunt. Planè ſi *κὼτιδωρα* acceperunt, dicendum eſt eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt, & uelut genus quoddam hoc eſſe permutationis. *Concordat item l.Iulianus.30.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.prox. Concordat item l.illud.40.§.prædo.ff. eod.tt.cuius uerba uide §.reg.11.except.2. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt:Niſi malæ fidei poſſeſſor ſit. quæ replicatio approbatur ſimul & diſtinguitur per ea quæ propoſita ſunt §. cap.proxim.reg.2. except.9. Altera replicatio eſt:* Niſi *donauerit, & κὼτιδωρα acceperit. quæ replicatio approbatur uerbis d.§.conſuluit,§.propoſitis hiſce:* Planè ſi *κὼτιδωρα* acceperunt,&c. *Tertia replicatio eſt:* Niſi *pro parte hæres, ex aſſe ſe putans hæredem, dimidiam hæreditatis partem conſumpſerit. Hæc replicatio approbatur d.l.25. §.adeò autem, his uerbis:* Adeò autem qui locupletior factus non eſt, non tenetur, ut ſi quis putans ſe ex aſſe hære-

ſtrenſe nuncupatur. In tali igitur peculio, quod quaſi caſtrenſe appellatur, quibuſdã perſonis licentia conceditur condere quidem teſtamenta: ſed non quaſi militibus, quo uoluerint modo, ſed communi & licito & conſueto ordine obſeruãdo, quemadmodum conſtitutum fuerat in Proconſulibus, & præfectis legionum, & præſidibus prouinciarũ, & omnibus generaliter, qui in diuerſis dignitatibus atq; adminiſtrationibus poſiti, à noſtra conſequuntur manu, uel ex publicis ſalarijs, quaſdam largitates. Sed hæ quidem perſonę teſtamenti faciendi habeant poteſtatẽ in ipſis tantummodò peculijs, quæ iam numerata ſunt, id eſt quaſi caſtrenſibus. Sed & ueterani, qui tempore militiæ quidem peculiũ ſibi adquiſierunt, militiam autem depoſuerunt, teſtari (licito tamen modo) non prohibentur. In his itaque omnibus quaſi caſtrenſibus peculijs dubitabatur, ſi contra huiuſmodi teſtamenta de inofficioſo querelã extendi oporteret? Sed prior quæſtio erat, ſi omnes qui quaſi caſtrẽſe peculium haberẽt, teſtari in hoc poſſent? quia nõ omnibus paſsim, ſed quibuſdã perſonis hoc priuilegij loco conceſsũ eſt: quia militibus tantùm & ueteranis teſtamenta facere in caſtrẽſi peculio undiq; conceſſum fuerat: ſed militibus tantùm, & in expeditione conſtitutis iure ſuo, ueteranis autem iure communi. De alijs autem perſonis omnibus, quæ non per ſpeciale priuilegiũ hoc accepiſſent, ſi poſſent teſtari, dubitatum fuerat: utputa uiris diſertiſsimis patronis cauſarum, uirisq; deuotiſsimis memorialibus, & agentibus in rebus, necnon magiſtris ſtudiorum liberalium, archiatris quoq;, & alijs omnibus omnino, qui ſalaria uel ſtipendia perciperẽt publica. In his itaq; omnibus ſancimus (quia ad imitationẽ peculij caſtrenſis quaſi caſtrẽſe peculium ſuperuenit) omnes qui tale peculium poſsident, ſuper ipſis tantummodò rebus, quę quaſi caſtrenſis peculij ſunt, ultima condere (ſecundũ leges tamen) poſſe elogia. Hoc nihilominus eis addito priuilegio, ut neq; eorum teſtamenta inofficioſi querela expugnentur. Si enim patronus aduerſus res, quas libertus eius ex caſtris quæſiuit, ſui iuris indubitanter conſtitutus, etſi pręteritus fuerit ab ingrato liberto, tamen contra huiuſmodi peculia contra tabulas bonorũ poſſeſsionem non habet ſecundum ueterum legum ſanctionem: quemadmodum oportet præfata peculia, quæ inſtar caſtrenſis peculij introducta ſunt, de inofficioſo querelæ eſſe ſuppoſita? Sed hoc obtinere oportet, donec in ſacris parentum ſuorum ſunt conſtituti hi qui quaſi caſtrenſe peculium poſsident. Si enim ſui iuris efficiuntur, proculdubiò eſt, eorum teſtamenta & pro ipſis rebus, quas antea ex quaſi caſtrenſi peculio habebant, poſſe de inofficioſo querelam ſuſtinere: cũ neq; nomen peculij permanet, ſed alijs rebus confunditur, & ſimilem fortunam recipit, quemadmodum & cæteræ res eorum, quæ in unum congregantur ex omnibus patrimonium. *Concordat l. cùm lege. 38. C. de epiſcopis & clericis, hiſce uerbis:* Cùm lege Leonina uiris reuerendiſsimis, epiſcopis, & presbyteris, & diaconis, peculium habere quaſi caſtrenſe cõceſſum eſt, eo addito, ut & in ipſo teſtari poſſent: dubitabatur, ſi huiuſmodi teſtamẽta debeant de inofficioſo querela expugnari: cum de omnibus perſonis, quę huiuſmodi peculium meruerunt, eadem fuerat quæſtio exorta. Sancimus itaq;, uiris reuerendiſsimis, epiſcopis, & presbyteris, & diaconis, qui tale peculium quaſi caſtrenſe poſsident, ſuper his tantummodò rebus, quæ quaſi caſtrenſis peculij ſunt, nõ ſolùm ultima condere ſecundum leges elogia licere (quod ex Leonina cõſtitutione deſcendit) ſed etiam eorum ultimas uolũtates, ſuper his tantummodò habitas, de inofficioſo querelæ minimè ſubiacere. *Planè hanc exceptionem mutatam eſſe aſſerit gloſſa in l. Papinianus. 8. §. Papinianus. ff. de inoff. teſtam. & in l. ult. C. eod. tt. ex Nouell. 123. §. presbyteri. cuius uerba uide ſ. lib. 10. cap. 3. reg. 3. in fine. Accedit Emanuel Soarez in Theſauro receptarum ſententiarum in litera I. num. 89.*

III. *Exceptio: Niſi mater in ſuo teſtamento liberos ſuos iniquè exhæredauerit, uel prætermerit. Hæc exceptio reprobatur l. nam et. 5. in prin. ff. de inoff. teſt. cuius uerba uide ſ. exc. 5. Concordat Nouell. c. 18. §. non licebit. ibi: atq; hæc. cuius uerba uide ſ. cap. prox. repl. 9.*

IIII. *Exceptio: Niſi nepos ex filio emancipato ſit prætermiſſus uel exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur l. neptem. 7. C. de inoff. teſt. his uerbis:* Neptem defuncti actione de inofficioſo teſtamento (quamuis pater eius emãcipatus fuerat defunctus) experiri poſſe, ignorare nõ debes.

V. *Exceptio: Niſi per fœminas deſcendentes liberè prætermiſſi ſint, uel iniquè exhæredati. Hæc exceptio reprobatur l. nam & 5. in prin. ff. de inoff. teſt. his uerbis:* Et his qui non ex maſculis deſcendunt, facultas eſt agendi: cũ & de matris teſtamento agant, & obtinere aſsiduè ſoleant. *Concordat Nouell. c. 18. §. non licebit. ibi: atq; hæc. cuius uerba (ut dixi) uide ſ. d. repl. 9.*

VI. *Exceptio: Niſi adoptiui liberi iniquè exhæredati uel prætermiſſi ſint. Hæc exceptio reprobatur inſt. de inoff. teſt. §. tam autem. cuius uerba uide ſ. except. 30. Concordat l. quidam. 132. §. ſed uideamus. ff. de uerb. obligat. cuius uerba uide ſ. lib. 38. cap. 11. ſpecie 4. Planè admittitur exceptio propoſita in filio à fœmina adoptato, l. ſi ſuſpecta. 29. §. quoniam. ff. de inoff. teſt. his uerbis:* Quoniam fœmina nullum adoptare filium ſine

ſine iuſſu principis poteſt: nec de inofficioſo teſtamento eius, quam quis ſibi matrem adoptiuam falsò exiſtimabat, agere poteſt. *Sed & admittitur exceptio propoſita, ſi adoptatus ſit ab extraneo, non ab aliquo ex aſcendentibus ſuis, l. cum in adoptiuis. 10. §. ſed ne articulum. C. de adoptionibus. cuius uerba uide ſ. lib. 16. cap. 8. quæſt. 3. reg. 1. except. 1.*

VII. *Exceptio: Niſi filius iniquè exhæredatus uel prætermiſſus, alij in adoptionem ſit datus. Hæc exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur d. l. 10.*

VIII. *Exceptio: Niſi iniquè exhæredatus uel prætermiſſus, in teſtamento filius ſit negatus. Hæc exceptio reprobatur l. ſi inſtituta. 27. §. ei qui. ff. de inoff. teſtam. his uerbis:* Ei qui ſe filium eius adfirmat, qui in teſtamento id negauit, tamen eum exhæredauit: de inofficioſo teſtamento cauſa ſupereſt.

IX. *Exceptio: Niſi filius poſt teſtamentum factum natus ſit. Hæc exceptio reprobatur Inſt. de inoffic. teſtam. §. poſthumi, his uerbis:* Poſthumi quoque, qui nullo alio iure uenire poſſunt, de inofficioſo agere poſſunt. *Concordat l. poſthumus. 6. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Poſthumus inofficioſum teſtamentum poteſt dicere eorum, quibus ſuus hæres uel legitimus potuiſſet fieri, ſi in utero mortis eorum tempore non fuiſſet. Sed & cognatorum: quia & horum ab inteſtato potuit bonorum poſſeſsionem accipere. Quid ergo eis imputatur, cur inteſtati non deceſſerint? Sed hoc nemo apud iudicem poteſt impetrare. Non enim interdicitur teſtamenti factione. Hoc planè eis imputari poteſt, cur eum hæredem non ſcripſerint: potuit enim ſcriptus hæres in poſſeſsionem mitti ex clauſula De uentre in poſſeſsionem mittendo. Item natus Secundum tabulas haberet. Simili modo & eum, qui poſt teſtamẽtum matris factum execto uentre extractus eſt, poſſe queri dico. *Planè admittitur exceptio propoſita, ſi mater teſtatrix, ex qua poſthumus natus eſt, in puerperio deceſſit, filijs ſuis hæredibus inſtitutis. quæ diſtinctio approbatur ſimul & diſtinguitur l. ſi mater. 3. C. de inoff. teſtam. his uerbis:* Si mater, filijs duobus hæredib. inſtitutis, tertio poſt teſtamentum ſuſcepto, cum mutare idem teſtamentum potuiſſet, hoc facere neglexiſſet: meritò, utpote non iuſtis rationibus neglectus, de inofficioſo querelam inſtitutam agere poterat. Sed cum eam in puerperio uita deceſsiſſe proponas: repẽtini caſus iniquitas per coniecturam maternæ pietatis emendanda eſt. Quare filio tuo, cui nihil præter maternum fatum imputari poteſt, perinde uirilẽ portionem tribuendam eſſe cenſemus, ac ſi omnes filios hæredes inſtituiſſet. Sin autem hæredes ſcripti extranei erant: tunc de inofficioſo teſtamento actionẽ inſtituere non prohibetur.

X. *Exceptio: Niſi prioris matrimonij liberi iniquè exhæredati uel prætermiſſi ſint. Hæc exceptio reprobatur Nouell. c. 22. §. poſtremò & illud, his uerbis:* Et illud legi apponere iuſtũ putauimus. Quanquam enim, ſi uir mulierue tam ex prioribus, quàm ſecundis nuptijs, quas poſt hanc noſtram contraxerit legem (de his enim præſentia tantùm conſtituimus) relictis filijs moriatur, quæ in lucris ex nuptijs prouenientibus obſeruari oporteat, ea lata lege ſanximus, & præterea partes, quas legitimis & ſuis neq; ingratis liberis parentes relinquere neceſſe ſit, diſterminauimus: non tamen iuſtum fuerit, ut ipſi parentes ad ſecundam omnino prolem deflectant animum, & cùm prioribus legitimam tantummodò partem relinquant, reliqua omnia transferant ad ſecundos: ſed & prioribus aliquid ad legitimã adijciant. Nam ſi quem ex ſecundis nuptijs, aut etiam primis habeat ita ſerijs grauibuſq; ſtudijs deditum, ita dilectum, ut in poſſeſsione rerum longè eum cæteris uelit antecellere: damus quidem hoc agendi licentiam: at non ut funditùs priores filios depauperet, ſecundos opibus auctos reddat: ſed ne nimis augmentum amplificet, neq; omnino priorum nuptiarum obliuiſcatur, confirmetq; quæ de talibus à noſtris dicta ſunt maioribus: imò reputantes in animo, quòd ambo filij ſunt, ita ſucceſsiones in teſtamentis partiantur, ut cùm ſecundis proſpiciunt, proſpiciant item & primis. Si enim ipſis ſine teſtamento morientibus, omnes ex æquo lex uocat: conueniens eſt, ut ipſi legem imitantes, & legi honorem habentes, non perindemagnis illos depauperationibus implicent. Hoc nanq; pacto & benigni patres erunt, & noſtra legislatione digni: iuſti quidem patres erunt, ſi ſolùm legem obſeruent: iuſti uerò & benigni, ſi quid etiã ultra legem relinquant. Neq; hæc dicimus tanquam inter ingratos liberos, & eos qui undiq; gratos ſe perhibuerũt (quæ enim ingratos concernunt, ſæpius iam dicta ſunt) ſed de alijs qui magis aut minus diliguntur: multum enim intereſt inter ingratitudinem & gratitudinem, & honorem non æqualiter exhibitum. Porrò hanc particulã, ut liberorum ex primo ſecundoq; matrimonio procreatorum æqualiter ratio habeatur, non quaſi legem ſancientes, ſed potius quaſi conſiliũ dantes proferimus. Alioquin in uniuerſum teſtamentaria à nobis parte, quæ omnino filijs relinquenda eſt, aucta: & ſi quatuor tantùm filij exiſtant, uſque ad trientem: ſi ultra quatuor, uſque ad totius ſubſtantiæ ſemiſſem conſtituta, ſatis iam magnum filijs ſolatium addidimus, non breui men-

sura antiquam illis laxantes angustiam.

XI. Exceptio: *Nisi liberi iniquè exhæredati uel præteriti naturales sint, non legitimi. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi mater testatrix liberos naturales præterierit, uel iniquè exhæredauerit. quæ replicatio approbatur l.si suspecta.29. §.de inofficioso. ff.de inoff.testam. his uerbis*: De inofficioso testamento matris spurij quoq; filij dicere possunt. *Altera replicatio est*: *Nisi naturales sint legitimati. quæ replicatio approbatur Nouell.c.18. §.sed neque hac. ibi: eadem hæc. cuius uerba uide* ℨ.*lib.29. cap.14. reg.4. except.1.in fine.*

XII. Exceptio: *Nisi liberi ex nuptijs sine dotalibus instrumentis factis sint nati. Hæc exceptio reprobatur d.§.sed neq; hac.*

XIII. Exceptio: *Nisi filius sponte arenarius sit factus. Hæc exceptio approbatur l.in arenam.11.C.de inoffic.test.his uerbis*: In arenam non damnato, sed sua sponte arenario constituto, legitimæ successiones integræ sunt, sicut ciuitas & libertas manet. Sed si testamentum parens eius fecit: neq; de inofficioso testamento accusatio, neq; bonorum possessio ei competit. Nam talem filium meritò quis indignum successione iudicat, nisi & ipse similis conditionis sit. *Concordat Nouell. c.115. §.si præter uoluntatem. cuius uerba uide* ℨ.*lib.28.cap. 26. except.185. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi defunctus parens eiusdem fuerit conditionis. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Nisi & ipse similis conditionis sit. *Cui concordat d.§.si præter uoluntatem. Alias replicationes uide* ℨ.*except.17.*

XIIII. Exceptio: *Nisi iniquè exhæredatus uel præteritus, ab intestato hæres esse non possit. quæ exceptio approbatur l.posthumus.6. §.si quis ex his. ff. de inoffic. testam. cuius uerba uide* ℨ.*quæst.8. regul.1. except.1.*

XV. Exceptio: *Nisi iniquè exhæredatus uel præteritus hæredi scripto hæres existat. Hæc exceptio approbatur iure confusionis, quo creditore debitori hærede existente tollitur actio, l.Stichum.95. §.aditio. ff. de solutionibus.l.debitori.7.in prin.C.de pactis.l.ut debitum.5.C.de actionib.hæreditarijs. Cuius exceptionis replicatio est*: *Nisi pro parte tantùm hæredi scripto hæres extiterit, uel defunctus pro parte tantùm hæres sit scriptus. hoc enim casu pro ea parte, qua defunctus hæres scriptus non est, uel præteritus hæredi scripto nõ successit, actionem de inofficioso testamẽto mouere non prohibetur. Quæ replicatio approbatur l.si is qui.31. §.si hæres.ff.de inoff.testam.his uerbis*: Si hæres extiterim ei qui eo testamento institutus est, quod de inofficioso testamento arguere uolo: non mihi nocebit, maximè si eam portionem non possideam, uel iure suo possideam. *Accedit glossa in d.§.si hæres, in uerbo Nocebit. Item concordat l.debitori.50.ff.de fideiussorib.*

XVI. Exceptio: *Nisi exhæredatus uel præteritus legatario in re legata successerit. Quæ exceptio approbatur d.§.si hæres. uers. diuersum, his uerbis*: Diuersum dicemus, si legauerit mihi eam rẽ, quam quis ex eo testamento acceperat: nam si eam agnoscam, repellor ab accusatione. *Concordat l.si exhæredatus.32.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis*: Si legatario hæres extiterit exhæredatus, petieritq; legatum: uidebimus, an sit submouendus ab hac accusatione? certum est enim iudicium defuncti, & rursus nihil ei ex testamento relictum uerum est. Tutius tamen fecerit, si se abstinuerit à petitione legati.

XVII. Exceptio: *Nisi testator existimans filium decessisse, eum in testamento præterijt. Hæc exceptio reprobatur l.si instituta.27.§.fin.ff.de inoff.testam. his uerbis*: De testamento matris, quæ existimans perijsse filium, alium hæredem instituit: de inofficioso queri potest filius. *Planè quoad legata, nihilominus illud testamentum firmum manet. quæ distinctio approbatur l.cum mater.28. ff. eod.tit.his uerbis*: Cum mater militem filium falsò audisset decessisse, & testamento hæredes alios instituisset: diuus Hadrianus decreuit, hæreditatem ad filium pertinere, ita ut libertates & legata præstentur. Hic illud annotatum est, quod de libertatibus & legatis adijcitur. Nam cum inofficiosum testamentum arguitur, nihil ex eo testamento ualet. *Sequuntur exceptiones desumptæ ex causa exhæredationis.*

XVIII. Exceptio: *Nisi propter iustam causam sit exhæredatus. Hæc exceptio approbatur, simul & quæ sint iustæ exhæredationis causæ, declaratur, Nouell. c.115.§.ad hæc aliud, usq; ad §.memoria. cuius uerba uide* ℨ.*lib.28.cap.16.except.185. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi causa exhæredationis testamento specialiter non fuerit inserta. quæ replicatio approbatur d.§.ad hæc aliud. de qua re uide* ℨ. *d.cap. 16.except. 186. Concordat l.omni modo. 30. §.nam si nullam. C.de inofficioso testam. cuius uerba uide* ℨ.*cap. 7.in prin. Altera replicatio est*: *Nisi causa exhæredationis ab hærede scripto non fuerit probata. quæ replicatio approbatur ibidem. Tertia replicatio est: Nisi post perpetratum delictum, ob quod exhæredari potuit, monasticam uitam elegerit. Hæc replicatio approbatur Nouell.c.123.§.nullam autem licentiam. cuius uerba uide* ℨ.*except.22.*

XIX. Exceptio: *Nisi exhæredatus uel præteritus testatori fuerit ingratus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d.l.30.in prin. ibi: si tamen non ingrati. C.de inoff.test. cuius uerba uide* ℨ.*cap.7.in prin.*

XX. Exceptio: *Nisi exhæredatus uolente testatore noluerit repudium coniugi mittere. Hæc exceptio reprobatur l.cùm te.18. C.d.titul. his uerbis*: Cùm te pietatis religionem non uiolasse, sed mariti coniugium, quod fueras sortita, distrahere noluisse, & propterea offensum atq; iratum patrẽ ad exhæredationis notam prolapsum

lapsum esse dicas: inofficiosi testamẽti querelam inferre non uetaberis. *Concordat l.filia. 20.C.eod.tt.his uerbis*: Filia in orbitate patris relicta, cum marito, cui matre uolente nupsit, colens concordiam, iustas offensionis post eiusdem matris pœnitentiam causas non præstat: nec ex momentarijs uoluntatibus matris nupta atque uidua iure esse compellitur.

XXI. Exceptio: *Nisi quòd turpiter & flagitiose uiuat filia, sit exhæredata. Hæc exceptio approbatur l.si filiam.19.C.de inoff.test.his uerbis*: Si filiã tuam, eo quòd turpiter & cum flagitiosa fœditate uiuit, à successione tua excludendam putes: si non inconsulto calore, sed ex meritis eius ad id odium incitatus es: postremi iudicij liberum arbitrium habebis. *Concordat Nouell.c.115. §.si cui ex prædictis. cuius uerba uide* ℨ. *lib.28 cap.16.except.185. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi parentes disiunxerint filiam elocare. quæ replicatio approbatur d.§.si cui ex. ibi: sed si filia. Alias replicationes uide* ℨ.*except.18.*

XXII. Exceptio: *Nisi quòd monasticam uitam elegerit, sit exhæredatus. Hæc exceptio reprobatur l. Deo.42.§.hoc etiam. C.de episc.& clericis. cuius uerba uide* ℨ.*lib.10.cap.1.quæst.3.reg.4. Concordat Nouell.c. 123.§.nullam autem licentiam, his uerbis*: Nullam licentiam damus aut parentibus ut liberos, aut liberis ut parentes, qui secularem conuersationem relinquunt, tãquam ingratos hæreditate sua excludant per causam aliquam, quæ monasticam uitam præcesserit.

XXIII. Exceptio: *Nisi quòd interdixerit defuncto testamenti factione, sit exhæredatus. Hæc exceptio approbatur l.testamenti.23. C.de inoff. test. his uerbis*: Testamenti factione per testationem uos interdixisse matri profitentes, iustam causam offensæ manifestè testamini. *Concordat Nouell.c.115.§.si de eo liberorum aliquis.& §.si parentes liberos. quorum uerba uide* ℨ.*lib.28.cap.16.except. 185. Huius replicationes uide* ℨ.*except.18.*

XXIIII. Exceptio: *Nisi propter patris uel alterius odium mater filium exhæredauit. Hæc exceptio reprobatur l.si quis.33. §. legis autem. C.de inoff.test. his uerbis*: Legis ueteris iniquitatem tollentes, ut non diutius erubescat lex posita, quã Iulius Paulus in suis scripsit quæstionibus, hanc pijssimam aggredimur sanctionem. Cùm enim infantem suum non posse ingratum à matre sua uocari scripsit, neque propter hoc ab ultima suæ matris hæreditate repelli, nisi hoc odio fecerit sui mariti, ex quo infans progenitus est: hoc iniquum iudicantes, ut alieno odio alius prægrauetur, penitùs delendum esse sancimus: & huiusmodi causam liberis non tantùm infantibus, sed etiam quamcunq; ætatem agentibus, opponi minimè concedimus: cum possit sub conditione emancipationis hæreditatem suam mater filio dereliquens, & patris odium punire, & iuri filij sui minimè nocere, nec suam naturam fallere. Satis enim crudele nobis esse uidetur, eum qui non sentit, ingratum existimari. *Hactenus exceptiones desumptæ ex causa exhæredationis. Sequuntur nunc reliquæ.*

XXV. Exceptio: *Nisi in testamento pupillari uel furiosi, quod pater ei fecit, sit exhæredatus uel præteritus. Hæc exceptio approbatur l.Papinianus.8. §.sed neq;.ff.de inoff.test. his uerbis*: Neque impuberis filij mater inofficiosum testamentum dicit: quia pater hoc ei fecit. & ita Papinianus respondit. Nec patris frater: quia filij testamentum est. Ergo nec frater impuberis, si patris non dixit. Sed si in patris obtentum est, nec hoc ualebit, nisi pro parte patris rescissum est: tunc enim pupillare ualet. *Concordat l.humanitatis.9. ibi: ut occasione huiusmodi. C. de impub.& aliis substit. cuius uerba uide* ℨ.*lib.28.cap. 14.except.150.repl.1.*

XXVI. Exceptio, *desumpta ex persona hæredis instituti, reprobatur l.si is qui.31. §.quantum. ff. de inoffic.test.his uerbis*: Quantum ad inofficiosi liberorum uel parentum querelam pertinet, nihil interest qui sit hæres scriptus, ex liberis, an extraneis, an municipibus. *Concordat l.Papinianus.8. §.si imperator.ff.eod.tt.his uerbis*: Si Imperator sit hæres institutus, posse inofficiosum dici testamentum, sæpissime rescriptum est. *Planè admittitur, uel saltem admitti uidetur exceptio proposita in casibus sequentibus.*

XXVII. Exceptio: *Nisi pater præteriti uel exhæredati, in cuius est potestate, hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l.filius.22.in princ. ff.de inoff. testam.his uerbis*: Filius non impeditur, quo minus inofficiosum testamentum matris accuset, si pater eius legatum ex testamento matris acceperit, uel adierit hæreditatem, quanquam in eius est potestate: nec prohiberi patrem dixi iure filij accusare: nam indignatio filij est.

XXVIII. Exceptio: *Nisi filius præteriti hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.si ponas.23.in prin. ff.de inoff.test. his uerbis*: Si ponas filium emancipatum præteritum, & ex eo nepotem in potestate retentum hæredẽm institutum esse: filius potest contra filium suum testatoris nepotem petere bonorum possessionem, queri autem de inofficioso testamento non poterit. Quòd si exhæredatus sit filius emancipatus, poterit queri, & ita iungetur filio suo, & simul cum eo hæreditatem obtinebit. *Ait iurisconsultus*: Bonorum possessionem. *Scilicet cõtra tabulas: & ideo quia datur illi aliud remedium, ad inofficiosi querelam non admittitur, secundum ea quæ dicentur* ℨ.*except.32. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nõ præteritus, sed exhæredatus sit actor: tunc enim,*

quia

quia contra tabulas bonorum possessionem non habet, ut infrà dicetur, inofficiosi querela illi non denegatur. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce: Quòd si exhæredatus, &c. Ait Iurisconsultus: Et ita iungetur filio suo. De hac re dictum ſ. lib. 29. cap. 4. Altera replicatio est: Nisi mater à filio sit præterita. tunc enim, quamuis filia eius hæres sit instituta: nihilominus illi datur inofficiosi querela. quæ replicatio approbatur l. cum filium. 17. C. eod. tt. his uerbis: Cum filium tuum, te præterita, sororem hæredem instituisse proponas: inofficiosi querelam apud Præsidem prouinciæ persequi potes.

XXIX. Exceptio: Nisi seruus exhæredati uel præteriti hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur l. nihil interest. 12. in prin. ibi: quinetiam. ff. de inoff. test. cuius uerba uide ī. except. 34. repl. 6. dupl. 1.

XXX. Exceptio: Nisi exhæredato uel præterito legitima in testamento sit relicta. De hac exceptione uide ī. cap. prox.

XXXI. Exceptio: Nisi exhæredato uel præterito aliquid in testamento sit relictum: tunc enim inofficiosi querela illi denegatur, & ad supplendam legitimam illi datur actio. de qua uide ī. cap. 7.

XXXII. Exceptio: Nisi actori aliud supersit remedium, quo defuncti bona adipisci possit. Hæc exceptio approbatur inſt. de inoff. test. ſ. tam autem, his uerbis: Tam naturales liberi, quàm secundum nostræ constitutionis diuisionem adoptati, ita demum de inofficioso testamento agere possunt, si nullo alio iure ad defuncti bona uenire possint. Nam qui ad hæreditatem totam uel partē eius alio iure ueniunt, de inofficioso agere non possunt. Concordat l. maximum uitium. 4. ibi: nam cum ultimum. C. de liberis præteritis. cuius uerba uide ſ. lib. 28. cap. 15. except. 177. replic. 4. Huius proponitur exemplum l. Papinianus. 8. ſ. si quis impubes. ff. de inoff. test. his uerbis: Si quis impubes adrogatus sit ex his personis, quæ & citra adoptionem & emancipationem queri de inofficioso possunt: hunc puto remouendum à querela, cum habeat quartam ex constitutione diui Pij. Quid si egit, nec obtinuit: an quartam perdat? & puto, aut non admittendum ad inofficiosum: aut si admittatur, etsi non obtinuerit, quartam ei quasi æs alienum concedendam. Aliud exemplū habetur d. l. 8. ſ. quarta autem. uers. nanq; si quis. cuius uerba uide ī. cap. prox. repl. 5. dupl. 5.

XXXIII. Exceptio: Nisi filius emancipatus præteritus sit. Hæc exceptio approbatur l. si ponas. 23. in prin. ff. de inoff. testam. cuius uerba uide ſ. except. 28. Huius replicatio hæc est: Nisi non à patre, sed à matre sit præteritus. quæ replicatio approbatur l. filiam. 15. C. eod. tt. his uerbis: Filiam præteritam à matre ad successionem eius citra inofficiosi querelam adspirare non posse, explorati iuris est. Huius rationem uide ī. cap. 8. quæst. 1. except. 4. Nunc de exceptionib. quæ sumuntur ex consequentibus exhæredationem seu prætcritionem, est agendum.

XXXIIII. Exceptio: Nisi exhæredatus uel præteritus iudicium defuncti agnouit, & id quod ei relictum est in testamento, petijt. Hæc exceptio approbatur l. si is. 31. ſ. fin. ff. de inoff. test. his uerbis: Quid si aliàs testatoris uoluntatem probauerim? puta in testamēto scripserim post mortem patris, me consentire? repellendus sum ab accusatione. Concordat l. post legatum. 5. in prin. ff. de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ſ. libro 29. cap. 13. except. 8. repl. 1. Concordat item l. si pars. 10. ſ. fin. ff. de inoff. test. his uerbis: Illud notissimum est, eum qui legatum percepit, non rectè de inofficioso testamēto dicturum: nisi id totum alij administrauit. Concordat item l. Papinianus. 8. ſ. si conditioni. ff. eod. tt. his uerbis: Si conditioni parēre testator hæredem iussit, &c. Item concordat l. nihil interest. 12. ſ. si à statulibero. ff. eod. tt. his uerbis: Si à statulibero exhæredatus, &c. Huius item exceptionis species sunt exceptiones aliquot proximè sequentes. Planè eius replicatio prima est: Nisi agnito testatoris iudicio euentus non responderit. Quæ replicatio approbatur exemplo d. l. 12. ſ. si cum filius, his uerbis: Si cum filius ademptum sibi legatum, &c. Aliud exemplū habetur l. scimus. 36. in prin. C. eod. tt. cuius uerba uide ī. cap. prox. repl. 16. Altera repliCatio est: Nisi non actori, sed alij relictum in testamento actor agnouit. hoc enim ei non præiudicat. Quæ replicatio approbatur l. si pars. 10. ſ. fin. uers. nisi id ratum. ff. de inoff. test. cuius uerba uide ſ. ead. except. in prin. Concordat inſt. eod. tt. ſ. si tutor, his uerbis: Si tutor nomine pupilli, cuius tutelam gerebat, &c. Huius replicationis duplicatio prima est: Nisi alij relictum agnoscenti actori adquiratur: puta, si filio uel seruo suo relictū actor agnouit, uel ei cui actor hæres extitit. Quæ duplicatio approbatur l. nihil interest. 12. in prin. ff. de inoff. test. his uerbis: Nihil interest, sibi relictum legatum, &c. Concordat l. si is qui. 21. ſ. si hæres. uers. alterum. & l. si exhæredatus. 32. ſ. fin. ff. eod. tt. quarum legum uerba uide ſ. except. 15. Huius duplicationis triplicatio est: Nisi non principaliter, sed per consequentiam actori adquiratur, quod alij relictū est. tunc enim actori exceptio proposita non nocebit. Quæ triplicatio approbatur exemplo d. l. 12. ſ. fin. his uerbis: Filius testatoris, qui cum Titio eiusdē pecuniæ, &c. Hæc de prima duplicatione. Altera propositæ replicationis duplicatio est: Nisi non necessitate officij compulsus, sed libera uoluntate actor alij relictum in testamento agnouit. Quæ duplicatio approbatur exemplo aduocati legatū alterius nomine petentis, l. ult. ff. de inoff. test. cuius uerba uide ī. except. 36. Hæc de secunda replicatione. Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi uiuo testatore filius præteritus uel exhæredatus iudiciū agnouerit. Quæ replicatio approbatur d. l. 31. ſ. fin. in uerbo, Post mortē patris. ff. d. tt. cuius uerba uide ſ. ead. exc. in prin. Concordant eæ quæ habētur ſ. lib. 29. cap. 7. except. 5. & cap. 13. except. 14. repl. 10. Quarta replicatio est, quòd quāuis agnito iudicio testatoris, querela de inofficioso testamento cesset,

cesset, ad supplementū tamen legitimæ actio non denegetur. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l. si quando. 35. ſ. & generaliter. C. de inoff. test. his uerbis: Generaliter definimus, quando pater minus legitima portione filio reliquerit, uel aliquid dederit uel mortis causa donatiōe, uel inter uiuos, sub ea cōditione, ut hæc inter uiuos donatio in quartam ei cōputetur: si filius post obitū patris hoc quod relictū uel donatum est, simpliciter agnouerit, fortè & securitatem heredibus fecerit, quod ei relictum est accepisse, non adijciēs nullam sibi superesse de repletione quæstionē: nullum sibi filium facere præiudicium, sed legitimam partem repleri: nisi hoc specialiter siue in apocha, siue in transactione scripserit, uel pactus fuerit, quòd contentus relicta uel data parte, de eo quod deest nullā habeat quæstionem. Tunc etenim, omni excusa querela, paternum amplecti compelletur iudicium. Quæ omnis sanctio suas radices extendat, non solùm ad filium uel filiam, sed etiam ad omnes personas, quæ de inofficioso querelam cōtra mortuorum ultima elogia possunt mouere.

XXXV. Exceptio: Nisi actor cum hæredibus instituris de bonis hæreditarijs contraxerit, uel tanquam hæredib. solucrit. Hæc exceptio approbatur l. si ponas. 23. ſ. si hæreditatem. ff. de inoff. test. his uerbis: Si hæreditatem ab hæredibus institutis exhæredati emerunt, uel res singulas, scientes eos hæredes: aut conduxerunt prædia, aliúdue quid simile fecerunt: uel soluerunt hæredi, quod testatori debebāt: iudicium defuncti agnoscere uidētur, &à querela excludūtur.

XXXVI. Exceptio: Nisi actor petenti ex testamento legatum, aduocationem præbuit. Hæc exceptio approbatur l. ult. in prin. ff. de inoff. test. his uerbis: Si exhæredatus petenti legatum ex testamento aduocationē præbuit, procurationémue suscepit: remouetur ab accusatione. Agnouisse enim uidetur, qui quale quale iudiciū defuncti adprobauit.

XXXVII. Exceptio: Nisi actor hæres pro parte institutus, debitum hæreditarium pro sua parte soluit. Hæc exceptio approbatur l. parentibus. 8. ſ. qui autem. C. de inoff. testam. cuius uerba uide ſ. libro 28. cap. 17. repl. 1. dupl. 2.

XXXVIII. Exceptio: Nisi actor in testamento scripserit, se ei consentire. Hæc exceptio approbatur l. si is qui. 31. ſ. fin. ff. de inoff. testam. cuius uerba uide ſ. except. 34. in prin.

XXXIX. Exceptio: Nisi actor querelæ inofficiosi testamenti renunciauerit, uel transegerit. Hæc exceptio approbatur l. si quando. 35. ſ. fin. C. de inoff. test. cuius uerba uide ſ. except. 34. in fin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi hæres fidem transactioni non præstet. quæ replicatio approbatur l. si instituta. 27. in prin. ff. de inoff. test. cuius uerba uide ſ. lib. 9. cap. 5. except. 25. Altera replicatio est: Nisi actor uiuente adhuc testatore, querelæ inofficiosi testamenti renunciauerit. quæ replicatio approbatur l. si quando. 35. ſ. 1. C. de inoff. test. his uerbis: Illud sancimus, ut si quis à patre certas res uel pecunias accepisset, & pactus fuisset, quatenus de inofficioso querela aduersus testamētum paternum minimè ab eo moueretur: & post obitum patris filius, cognito paterno testamento, non agnouerit eius iudicium, sed oppugnandum putauerit: uetere iurgio expulso, huiusmodi pacto filium minimè prægraUari, secundum Papiniani responsum, in quo definiuit, meritis magis filios ad paterna obsequia prouocandos, quàm pactionibus adstringendos. Sed hæc ita admittimus, nisi transactiones ad hæredes paternos filius celebrauerit, in quibus apertissimè iudiciū patris agnouerit.

XL. Exceptio: Nisi instituta semel inofficiosi querela, actor desiterit. Hæc exceptio approbatur l. Papinianus. 8. ſ. si quis post. ff. de inoff. testam. his uerbis: Si quis post rem inofficiosi ordinatam litem dereliquerit: postea non audietur. Concordat l. nam etsi. 15. ſ. hæredi. ff. eod. tt. his uerbis: Hæredi eius qui post litem de inofficioso præparatam uoluntate mutata decessit, non datur de inofficioso querela. Non enim sufficit litem instituere, si non in ea perseueres. Concordat item l. si quis. 34. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide ī. cap. 6. quæst. 1. reg. 5. except. 4. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi dolo scripti hæredis actor ab instituta querela desiterit. quæ repl. approbatur l. cum qui. 21. in princ. ff. de inoff. testam. his uerbis: Eum qui inofficiosi testamenti querelam instituit, & fraude scripti hæredis, quasi tertiam partem hæreditatis tacitè rogatus esset ei restituere, reliquit eam actionem: non uideri deseruisse querelam, & ideo non prohiberi eū repetere inchoatam.

XLI. Exceptio: Nisi semel actum sit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: uerum eius replicatio prima hæc est: Nisi cum prius filius egisset, postea pater defuncti suo nomine agat. Hæc replicatio approbatur l. pater. 14. ff. de inoff. testam. his uerbis: Pater filium emancipauit, & nepotem ex eo retinuit. emancipatus suscepto postea filio, ambobus exhæredatis, patre præterito, uita decessit. In quæstione de inofficioso testamento, præcedente causa filiorum, patris intentio adhuc pendet. Quòd si contra filios iudicetur: pater ad querelam uocatur, & suam intentionem implere potest. Altera replicatio est: Nisi antea falsum uel iniustum actor dixit testamentum, non inofficiosum. Hæc replicatio approbatur l. eum qui. 14. C. de inoff. test. cuius uerba uide ſ. lib. 4. cap. 8. quæst. 1. except. gener. 7. repl. 2. Concordat l. contra. 16. C. eod. tt. cuius uerba uide ī. cap. 6. quæst. 6. except. 2.

XLII. Ex-

XLII. Exceptio: *Nisi pater defuncti contra tabulas bonorum possessionem acceperit. Hæc exceptio reprobatur l.filio.16.§.contra.ff.de inoff.test. cuius uerba uide ĩ.cap.6.quæst.8.reg.2.except.1.*

XLIII. Exceptio: *Nisi bona hæredis uel defuncti ad fiscum sint delata. Hæc exceptio reprobatur l.si hæredum.10.C.de inoff.testam. cuius uerba uide ĩ.cap.6.quæst.3.reg.3.*

XLIIII. Exceptio: *Nisi defunctus nil nisi seruos in patrimonio habens, libertatem eis testamento reliquerit. Quæ exceptio approbatur l.Papinianus.8.§. quarta autem.uerſ.cum igitur. ff.de inoff.testam. cuius uerba uide ĩ.cap.prox.repl.5.dupl.5.*

DE LEGITIMA, QVAE inofficioſi querelam excludit. Cap. V.

PRæter exceptiones hactenus propoſitas numeratur & hæc: Niſi exhæredato uel præterito legitima ſit relicta. hoc enim caſu ab inofficioſi querela excluditur. quæ exceptio approbatur, ſimul & declaratur definitione legitimæ inſtit. de inofficioſo teſt.§.igitur quartam,his uerbis: Quartã quis debet habere, ut de inofficioſo agere non poſſit: ſiue iure hæreditario, ſiue iure legati, uel fideicommiſſi, uel ſi mortis cauſa ei quarta donata fuerit, uel inter uiuos: in ijs tantummodò caſibus, quorum mentionẽ facit noſtra conſtitutio, uel alijs modis, qui in noſtris conſtitutionibus continentur. Quod autem de quarta diximus, ita intelligẽdum eſt, ut ſiue unus fuerit, ſiue plures, quibus agere de inofficioſo teſtamento permittitur: una quarta eis dari poſsit, ut ea pro rata eis diſtribuatur. *Ait Imperat.* Quartam. *Hæc quarta iure nouo mutatur in trientem & ſemiſſem: de qua re paulò inferius dicetur. Ait inſuper:* Siue iure legati uel fideicommiſſi. *Hoc iure nouo mutatur per ea quæ proponentur ĩ.repl.1.*

Mutatio iuris.

Planè iam dicta definitio legitimæ iure nouo mutatur, & pro quarta ſubſtituitur, triens quidem, ſi defunctus non ultra quatuor liberos reliquerit: ſin autem plures reliquerit, ſemis. quæ iuris mutatio habetur Nouell.c.18.in prin.uſq; ad §.prohibemus, his uerbis: Sæpenumerò aliàs admiratio nos tenuit, quare definierint leges, ut legitimis & gratis liberis, à quibus gratiam obtinent parentes, ſi id relinquatur, quod modò etiã debitum uocant, neceſſariò quadrãs relinqueretur: quod uerò ſupereſt, in parentum poſitum eſſet arbitrio, & cognati quidem ac extranei, & cum libertate ſerui omnia percipererent: liberi uerò, etſi multi exiſtant, etſi in nullo parentes offenderint, pudore ſuffunderentur, & ſolùm diuiderent quadrãtem, etſi decem fortè aut plures ſint, pauperesq; eſſent præditis, quandiu uixit, patris filij. Tandem illa nos mouerũt, ut & legem cor rigeremus, & ne ſemper eam cum pudore intueremur, tali rem modo determinaremus: ut ſiquidem unũ, duóſue, aut tres, aut quatuor filios pater matérue habeat, non quadrantem illis ſolùm relinquat, ſed tertiam totius ſubſtantiæ partem, hoc eſt, quatuor uncias, quæ menſura uſq; ad prædictũ numerũ determinata ſit. Si uerò ultra quatuor filios habeat, dimidiam totius ſubſtantiæ partem eis relinquat, hoc eſt ſemiſſem: ut omnino quod debetur, ſiue triens fortè, ſiue ſemis ſit, ex æquo diuidatur in ſingulos: neq; ſub iniuſta rerum circũſtantia (poteſt enim fieri, ut inde contra alios oriatur iniuria, his quidem meliora, illis uerò deteriora percipiẽtibus) ſed per omnia id quod cuiq; eo nomine competit, æquale ſit tam qualitate quàm quantitate: ſiue quis idipſum per modum inſtitutionis, ſiue (de quo idem licet dicere) per occaſionẽ legati ſeu fideicommiſsi reliquerit. Integrum enim erit illi de reliquo beſſe aut ſemiſſe, quem adhuc habet, quoaduſq; uelit liberalem eſſe, ſiue in liberos ſuos, ſiue etiam in aliquos extraneos: & natura prius, quo decet modo, curata, tum demum ad liberalitatem in extraneos exercendam deuenire. Hoc eodem obtinente in omnibus omnino perſonis, quibus olim quadrantis nomine de inofficioſo querela legibus attributa fuit. Excipiatur autem nobis lex, quam nuper de decurionibus tulimus, quę decurionum filijs, aut quæ decurionibus nupſerunt filiabus, omnino uult dodrantem dari, reliquo quadrante ſuo arbitratu à parẽte diſponendo. Omnibus alijs legib. de inofficioſi querela poſitis, & maximè noſtris, in ſuo robore conſeruandis, tam de ingratis liberis, quàm de his qui tales non ſunt, ſola dempta quantitate legitimæ, quam in præſenti ſecũdum omnes propoſitos terminos adauximus. *Concordat huic mutationi Nouell.c.22.§. poſtremò & illud, in fine. cuius uerba uide ĩ.cap.prox. quæſt.2. except.10. Concordat item Nouell.c.39.§.ea itaq; de re. cuius uerba uide ĩ.lib.33.cap.4.de ijs quæ ad rogatum perueneruntˌ reg.12. Excipitur à mutatione propoſita decurio: qui liberis ſuis dodrantem bonorum tenetur relinquere. quæ exceptio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Excipiatur autem nobis lex, quam nuper, &c. *Concordat Nouell.c.38.§.ſi cui uerò. cuius uerba uide ĩ.lib.12.cap.2.quæſt.2.reg.13. Hactenus quæ ſit legitima, pro declaratione propoſitæ exceptionis definitum eſt. Quibus illud addendum, idem eſſe, ſiue dicamus, dari omnibus unam quartam totius hæreditatis, ſiue ſingulis quartam partem eius portionis, quam ab inteſtato habiturus eſſet. Quod tamen uulgò non ſatis obſeruant. Nunc eiuſdem exceptionis replicationes ordine proponendæ ſunt: quibus actor, quamuis legitimam ex bonis defuncti perceperit, adiuuatur,*

uatur, ut nihilominus inofficioſi querela uel ad ſupplementum actione uti poſsit.

I. Replicatio: *Niſi non iure inſtitutionis, ſed alio modo actori legitima ſit relicta. Hæc repl.iure quidem antiquo reprobatur Inſt.de inoff.teſt.§.igitur quartam. cuius uerba uide ĩ.eod.cap.in princ. Concordat Nouell.c.18.§.tandem iſta uos. ibi: ſiue quis idipſum per modum inſtitutionis. cuius uerba uide paulò ſuperius. Iure autem nouo replicatio propoſita approbatur Nouell.c.115.§.ad hæc aliud. ibi: etiſi per quamlibet. cuius uerba uide ĩ.lib.28.cap.16.except.185. Huius replicationis ſpecies ſunt replicationes proximè ſequentes. Planè eius duplicatio eſt: Niſi actor, quod alio quàm inſtitutionis iure percepit, non reſtituat, uel non oõferat. i.ſi non mortis.25.in prin.uerſ.aut certè. ff.de inoff.teſt.*

II. Replicatio: *Niſi ex cauſa legati actor legitimam ſit conſecutus. Hæc replicatio reprobatur quidem iure antiquo per ea quæ propoſita ſunt ĩ.replic.proxim.in prin. Concordat l.omni modo.30.§.& hæc quidem. C. de inoff.teſt. cuius uerba uide ĩ.cap.7.in prin. Sed iure nouo approbatur, ut ibidem eſt oſtenſum.*

III. Replicatio: *Niſi mortis cauſa legitima actori ſit data. Hæc replicatio reprobatur l.Papinianus.8.§.ſi quis mortis. ff.de inoff.teſt. his uerbis:* Si quis mortis cauſa filio donauerit quartam partem eius, quod ad eum eſſet peruenturum, ſi inteſtatus paterfamiliãs deceſsiſſet: puto ſecurè eum teſtari. *Planè iure nouo replicatio propoſita approbatur, de quo ĩ.repl.1.in fine.*

IIII. Replicatio: *Niſi legitima actori inter uiuos donata ſit. Et hæc replicatio iure quidem antiquo reprobatur l.ſi non.25.in prin.ff.de inoff.teſt. his uerbis:* Si non mortis cauſa fuerit donatum, ſed inter uiuos, hac tamen contemplatione, ut in quartam habeatur: poteſt dici, inofficioſi querelam ceſſare, ſi quartam in donatione habeat. At ſi minus habeat: quod deeſt, uiri boni arbitratu repletur, aut certè conferri oportet id quod donatum eſt. *Concordat inſt. eod.tt.§.igitur quartam. cuius uerba uide ĩ.eod.cap. in princ. Iure autem nouo replicatio hæc approbatur per ea quæ propoſita ſunt ĩ.replic.1.in fin.*

V. Replicatio: *Niſi actor in legitima ſit grauatus. Hæc replicatio approbatur quidem ipſo iure, uerùm eius duplicatio prima hæc eſt: Niſi ei in legitima, ſubſtitutio ſit facta. quæ duplicatio approbatur l.Papinianus.8.§.ſi quis impuberi. ff.de inoff.teſt. his uerbis:* Si quis impuberi filio ſubſtituit, ſecundas tabulas ei faciendo: non ob hoc admittimus ipſum impuberem ad inofficioſi querelam. *Concordat l.ex trib.26.C.eod.tt. his uerbis:* Ex tribus uncijs hærede inſtituto filio: intra pubertatis annos directam non inutiliter à patre fieri ſubſtitutionem, certum eſt. *Altera duplicatio eſt: Niſi poſt tempus ſit grauatus in legitima, ita ut medio tempore ex fructibus rei relictæ legitimam colligere poſsit. quæ duplicatio approbatur d.l.8.§.unde ſi quis. ff.de inoff.teſtam. his uerbis:* Si quis fuit inſtitutus fortè ex ſemiſſe, cum ei ſextans ex ſubſtantia teſtatoris deberetur, & rogatus eſſet poſt certum tempus reſtituere hæreditatem: meritò dicendum eſt, nullum iudicium mouere: cum debitam portionem & eius fructus habere poſsit. Fructus enim ſolere in Falcidiam imputari, nõ eſt incognitum. Ergo etſi ab initio ex ſemiſſe heres inſtitutus, rogetur poſt decennium reſtituere hæreditatem: nihil habet quod queratur: quoniam facilè poteſt debitam portionẽ uel ex fructibus eius medio tempore cogere. *Tertia duplicatio eſt: Niſi ex duobus filijs alter alteri poſt mortem ſuam reſtituere ſit rogatus. Hæc duplicatio approbatur l.ſi pater. 12. C.de inoffic.teſtam. his uerbis:* Si pater puellæ, cuius tios curatores eſſe dicitis, filio ex ſemiſſe, ipſa autem ex triente, & uxore ex reliquo ſextante ſcriptis hæredibus, fidei filiorum commiſit, ut ſi quis eorũ infra uigintiquinque annos ætatis decederet, ſuperſtitibus portionem ſuam reſtitueret: præterea uxori, ut id quod ex cauſa hæreditatis ad eam peruenĩſſet, filijs poſt mortem ſuam reſtitueret, fideicommiſit: calumnioſam inofficioſi actionem aduerſus iuſtum iudicium teſtatoris inſtituere non debetis: cum & huiuſmodi fideicommiſſaria reſtitutione tam matris quàm fratris eius portio ad eam poterat peruenire. *Quarta duplicatio eſt: Niſi ob æs alienum hæreditarium & funeris impenſam legitima minuatur. iſta enim ex legitima pro portione deducuntur, nec ob hoc grauamen querela de inofficioſo locum habet. Quæ duplicatio approbatur l.Papinianus.8.§.quarta autem. ff.de inoff.teſt. cuius uerba uide ĩ.proximè. Quinta duplicatio eſt: Niſi ob libertates à teſtatore relictas legitima minueretur. hæ enim ex legitima pro portione deducuntur. Quæ duplicatio approbatur d.§.quarta autem, his uerbis:* Quarta accipietur, ſcilicet deducto ære alieno, & funeris impenſa. Sed an & libertates quartam minuant, uidendum. Nanque ſi, cum quis ex aſſe hæres inſtitutus eſt, ideo non poteſt dicere inofficioſum, quia habet Falcidiam (Falcidia autem libertates non minuit:) poteſt dici, deductis libertatibus quartam ineundam. Cum igitur placet, quartam minui per libertates: eueniet, ut qui ſeruos tãtùm habet in patrimonio ſuo, dando eis libertates inofficioſi querelam excludat: niſi fortè hic filius, ſi non fuit in poteſtate patris, à patre hæres inſtitutus, meritò omittet hæreditatem, & ad ſubſtitutum tranſmittẽs querelam inofficioſi inſtituet: uel ab inteſtato citra edicti pœnam habebit hæreditatem. *Planè duplicatio hæc hodie cenſetur mutata, teſte gloſſa in d.§.quarta autem. uerſ.ſed nunquid. item gloſſa in Nouell.18.§.prohibemus. in uerbo* Relinquat. *Sexta duplicatio eſt: Niſi per Falcidiam ex aſſe hæres inſtitutus, legitimam reti-*

uere poſsit. Hæc duplicatio approbatur uerbis iã propoſitis hiſce: Nanq; ſi,cùm quis ex aſſe hæres inſtitutus eſt,ideo non poteſt dicere inofficioſum,quia habet Falcidiam. Hæc de quinta replicatione. Quæ tamen hodie uidetur mutata,ita ut omne grauamen legitimæ adiectum pro non ſcripto habeatur, & ob id replicatio propoſita hodie ſit ſupernacua. Quæ mutatio habetur l.quoniam in.32.C.de inoffic.teſtam. his uerbis: Quoniam in prioribus ſanctionibus illud ſtatuimus, ut ſi quid minus, &c. Concordant ea quæ habentur ſ. lib. prox. cap.4.except.4.o.repl.12.dupl.1.

VI. Replicatio: Niſi ſub conditione uel ex tempore actori legitima ſit relicta. Hæc replicatio ipſo quidem iure ſubſiſtit: uerùm eius duplicatio prima hæc eſt: Niſi in gratiam actoris conditio uel tempus ſit adiectum. quæ duplicatio approbatur exemplo l. filijs. 25.C.de inoff.teſt. his uerbis: Filijs matrem, quæ de mariti moribus ſecum ſuſpicetur,ita poſſe conſulere,iure compertum eſt,ut eos ſub ea conditione inſtituat hæredes, Si à patre fuerint emancipati: atque eo pacto ſecundum tabulas bonorum poſſeſsionem patrem cum re accipere non uideri,qui conditioni minimè obtemperauit: neq; ei nomine filiorum inofficioſi eo modo actionem poſſe competere, quibus nullam iniuriam fecerit mater, ſed potius putauerit prouidendum. Et ideo reſtituere debet. Secundæ duplicationis loco notandum,quòd conditio & tempus legitimæ adiectum, pro non adiecto habeatur. quæ duplicatio approbatur l.quoniam.32. C. eod.tt. cuius uerba uide ſ.replic.prox. duplic.4. Huius duplicationis triplicatio hæc eſt: Niſi quid ultra legitimam actori ſit relictum.in eo enim quod plus eſt,conditio uel tempus adiectum nalet. quæ triplicatio approbatur l. ſcimus.36. ſ.cum autem. C.eod.tt. his uerbis: Cùm quis, extraneo hærede inſtituto, filio ſuo hæreditatem ſuam reſtituere, cum moriatur,diſpoſuerit,uel in tempus certum reſtitutionem diſtulerit: quia noſtra conſtitutio, quæ antea compoſita eſt, omnem dilationem omnemq; moram cenſuit eſſe ſubtrahendam, ut quarta pars pura & mox filio reſtituatur:in huiuſmodi ſpecie quid faciendum ſit, dubitatur? Sancimus itaque, quartæ quidem partis reſtitutionem iam nunc celebrari, non expectata nec morte heredis,nec temporis interuallo: reliquum autem, quod poſt legitimam portionem reſtat, tunc reſtitui, quãdo teſtator diſpoſuit. Sic etenim filius ſuam habebit portionem integram,& qualem leges & noſtra conſtitutio definiuit: & ſcriptus hæres commodum,quod ei teſtator dereliquit, cum legitimo moderamine ſentiet.

VII. Replicatio: Niſi actor legitimam non ex teſtatoris bonis, ſed aliunde ſit conſecutus. Hæc replicatio approbatur d.l.36.ſ.repletionem,his uerbis: Sancimus, repletionem fieri ex ipſa ſubſtantia patris, & non ſi quid ex alijs cauſis lucratus eſt filius, uel ex ſubſtitutione, uel ex iure adcreſcendi,puta uſusfructus. Humanitatis etenim gratia ſancimus, ea quidem omnia quaſi iure aduenticio eum lucrari, repletionem autem ex rebus ſubſtantiæ patris fieri. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi ex fructibus medio tempore perceptis, legitimam conſecutus ſit actor. quæ duplicatio approbatur l. Papinianus.8. ſ.unde ſi quis,cum ſequentibus. ff.de inoff. teſt.cuius uerba uide ſ.repl.5.dupl.2.

VIII. Replicatio: Niſi occaſione militiæ adquiſiuit actor. Hæc replicatio ipſo quidem iure ſubſiſtit:uerùm eius duplicatio hæc eſt:Niſi pecunia defuncti militia ſit comparata. quæ duplicatio approbatur ſimul & diſtinguitur l.omni modo.30.ſ.imputari. C.de inoff.teſt. his uerbis:Imputari filijs alijsq; perſonis,quæ dudum ad inofficioſi teſtamenti querelam uocabantur,in legitimam portionem & illa uolumus, quæ occaſione militiæ ex pecunia mortui ijſdem perſonis adquiſita poſſe lucrari eas perſonas manifeſtum eſt: eo quòd talis ſit militia, ut uendatur,uel mortuo militante certa pecunia ad hæredes eius peruenia t:ita tamen,ut ille gradus eiuſdem militiæ inſpiciatur,quem morte teſtatoris militãs obtinet: ut tanta ei pecunia in legitimam portionem computetur, quantam dari cõſtitutum eſt,ſi in eo gradu mortuus eſſet is,qui militiam ex pecunijs teſtatoris adeptus eſt:exceptis ſolis ũiris ſpectabilibus ſilentarijs ſacri noſtri palatij, quibus præſtita iam ſpecialia beneficia(tam de alijs capitulis, quàm de pecunijs ſuper memorata militia à parentibus eorum datis, ne in legitimam portionem eis computentur) rata eſſe præcipimus. In cæteris uerò perſonis prædictam obſeruationem tenere uolumus.

IX. Replicatio: Niſi nudæ proprietatis, non pleno iure legitima ſit actori relicta. Hæc replicatio approbatur Nouell. c.18. ſ. prohibemus autem, his uerbis: Prohibemus & oneroſum illud: quod tametſi ex lege uelamentum habet, tamen in intolerabilem incidit crudelitatem & amarulentiam. Nouimus enim quædam teſtamenta, in quibus defuncti non paternè, neq; ut uiros decuit, ſed nimis molliter & diſſolutè hæredes inſtituerunt. Siquidem uxoribus omnem bonorum ſuorum uſumfructum, filijs nudam proprietatẽ reliquerunt. Quapropter arbitramur, huiuſmodi teſtamenti eam eſſe uoluntatem & intentionem, ut filijs fortè fame pereuntibus, uxor quoq; proprietatem præriperet. Vnde enim medio tempore exhibeantur,& quotidianum habeant uictum, ſi ex iure, quod uxori (fortè etiam abſq; ratione) relictum eſt,

eſt,nihil illis accedat? aut quis eorum exhibitionem in ſingulos uſque dies ſuſcipiat? Nõ licebit igitur decæterò ulli omnino qui liberos habet,tale quid facere:ſed omnino legitimæ portionis, quam modò deſignauimus,uſumfructum cum proprietate relinquat, ſi filiorum, qui non ſtatim fame moriantur,ſed habeant unde uiuant, pater appellari uelit. Atq; hæc omnia dicimus non tantùm de patre,ſed & de matre, & auo, & proauo,& quę cuiq; adiunguntur perſonæ fœmineæ, nempe auia & proauia, ſiue paterni,ſiue materni ſint.

X. Replicatio: Niſi dotis uel ante nuptias donationis nomine actor uel actrix acceperit id, quod aduerſarius in legitimam illi computat. Hæc replicatio reprobatur l.quoniam.29.C.de inoffic.teſtam. his uerbis: Quoniam Nouella conſtitutio diui Leonis ante nuptias donationem à filio conferri ad ſimilitudinem dotis,quæ à filia confertur,præcepit, & iam ante nuptias donationem filio in quartam præcipimus imputari. Eodemque modo, cum pater uel mater pro filia dotem, uel pro filio ante nuptias donationem, uel auus paternus aut maternus, uel auia paterna aut materna pro ſua nepte uel pro ſuo nepote, uel proauus itidem paternus aut maternus,uel proauia paterna aut materna pro ſua pronepte uel pro ſuo pronepote dederit:non tantùm eandem dotem uel donationem conferri, uerùm etiam in quartam partem ad excludendam inofficioſi querelam, tam dotem datam, quàm ante nuptias donationem præfato modo uolumus imputari, ſi ex ſubſtantia eius profecta ſit, cuius de hæreditate agitur. Concordat l.unica. ſ. uideamus. ibi:cum dos poſsit. C.de rei uxoriæ actione. cuius uerba uide ſ.lib.15. cap.7.reg.5. except.1. Planè uidetur replicatio hæc iure nouo approbari per ea quæ dicta ſunt ſ.replic.1.in fine.

XI. Replicatio:Niſi ex collationibus fratrum actor acceperit id, quod aduerſarius in legitimam illi computat. Hæc replicatio approbatur ſimul & diſtinguitur l.illud.20. ſ.hæc autem regula. C.de collationibus. cuius uerba uide ſ. lib. proxim. cap.4. quæſt.5. reg.2. except.7.

XII. Replicatio: Niſi actor correo promittendi liberatione legata, ſimul & ipſe liberatus ſit: hoc enim in legitimam ei non computabitur. quæ replicatio approbatur l.nihil intereſt.12.ſ.fin.ff.de inoff.teſtam. cuius uerba uide ſ.cap.prox.quæſt.2.except.32.repl.5.

XIII. Replicatio: Niſi poſt mortem teſtatoris aucta hæreditate, minus legitima habeat actor. hoc enim caſu,quamuis mortis tempore legitimam habuerit: tamen cum poſtea aucta ſit hæreditas, augeri quoque ei legitimam debere uidetur. Sed hæc replicatio reprobatur l.cum quær.6.C.de inoff.teſt.his uerbis: Cum quæritur, an fratres de inofficioſo fratris teſtamento poſsint dicere: ſi quartam bonorum partem mortis tempore teſtator reliquit,inſpicitur.

XIIII. Replicatio: Niſi connumerata parte fratris non agentis, actor minus legitima ſit habiturus. Hæc replicatio approbatur l.qui repud.17.in prin. ff.de inoffic.teſt.his uerbis: Qui repudiatis animo non uenit ad accuſationem inofficioſi teſtamẽti: partem non facit his, qui eandem querelam mouere uolunt. Vnde ſi de inofficioſo teſtamento patris alter ex liberis exhæredatis,ageret: quia reſciſſo teſtamento alter quoq; ad ſucceſsionem ab inteſtato uocatur, & ideo uniuerſam hæreditatem non rectè uindicaſſet:hic ſi obtinuerit,utetur rei iudicatæ authoritate:quaſi cẽtum uiri hunc ſolum filium in rebus humanis eſſe nunc, cum facerent inteſtatum,crediderint. Concordat l.ſi ponas.23.ſ.fin.ff.eod.tt.his uerbis: Si cum duo ſint filij exhæredati,ambo de inofficioſo teſtamento egerunt, & unus poſtea conſtituit non agere: pars eius alteri adcreſcit. Idemq; erit,etſi tempore excluſus ſit. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi alter frater ad hæreditatem adhuc admitti poſsit. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce: Vnde ſi de inofficioſo teſtamento patris alter, &c. Cui concordat l.Papinianus.8.ſ.quoniam.ff.eod.tt.his uerbis: Quoniam quarta debitæ portionis ſufficit ad excludendam querelam: uidẽdum erit,an exhæredatus partem faciat,qui non queritur: utputa, ſumus duo filij exhæredati? Et utiq; faciet, ut Papinianus reſpondit: & ſi dicam inofficioſum,non totam hæreditatem debeo,ſed dimidiã petere. Proinde & ſi ſint ex duobus filijs nepotes, ex uno tres puta pluréſue, ex uno unus: unicum ſeſcũcia,unum ex illis ſemiuncia querela excludit.

XV. Replicatio: Niſi hæres litigare maluit, quàm legitimam ſoluere. hoc enim caſu ultra legitimam etiam tertia pars eius quod relictum eſt, actori debetur. Quæ replicatio approbatur l.ſi quis.33.in princ. C. de inoff.teſt.his uerbis: Si quis teſtamento maximam quidem portionem libero relinquat, minuſculã autem alij uel alijs de ſtirpe ſua progenitis: ipſam tamen legitimam ſiue in hæreditate uel legato, uel in fideicommiſſo,ut non poſsit locus,&c.

XVI. Replicatio: Niſi per euictionem legitima ſit deminuta: approbatur l.ſcimus.36.in princ. C.d.tt. his uerbis:Scimus antea conſtitutionem eſſe relatam,&c.

RELIQVA DE INofficioſo teſtamento. Cap. VI.

AN exhæredatis uel præteritis in teſtamento, inofficioſi querela competat? in duobus capitib.

præcedentibus est discussum. Sequuntur nunc reliquæ huius accusationis quæstiones.

I. QVIBVS INOFFICIOSI querela competit?

I. Regula, *De liberis defuncti præteritis uel exhæredatis. De hisce in præcedentibus est dictum.*

II. Regula, *De parentibus defuncti præteritis, uel iniquè exhæredatis. His quoq; inofficiosi querela competit.* Quæ regula approbatur *l.1.ff.de inoff.testam. his uerbis*: Sciendum est, frequentes esse inofficiosi querelas. Omnibus enim tam parentibus, quàm liberis de inofficioso licet disputare. Cognati autem proximi, qui sunt ultra fratrem, melius facerent, si se sumptib. in anibus non uexarent: cum obtinendi spē non habeant. *Concordat l.nam etsi.15. in prin. ff. eod.tt. his uerbis*: Etsi parentibus non debeatur filiorum hæreditas propter uotum parentum, & naturalē erga filios charitatem: turbato tamē ordine mortalitatis, non minus parentibus, quàm liberis piè relinqui debet. *Concordat item l.cum filiū.17.C.de inoff.test. cuius uerba uide §.cap.4.quæst.2.except.27.repl.2. Concordat item inst.eod.tt. §.non autem, his uerbis*: Non tantùm liberis permissum est testamentum parentum inofficiosum accusare, uerùm etiam liberorum parētibus. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: Nisi defunctus liberos reliquerit. *Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio est*: Nisi liberi defuncti à successione sint exclusi. Quæ replicatio approbatur *l.pater.14.ff.de inoffic.test. cuius uerba uide §.cap.4.quæst.2.except.39. repl.1.* Altera exceptio uidetur: Nisi defunctus alij in adoptionem fuerit datus. Hæc exceptio reprobatur *l. aduersus.30.in prin.ff.de inoff.test. his uerbis*: Aduersus testamentum filij in adoptionem dati, pater naturalis rectè de inofficioso testamento agere potest. *Tertia exceptio est*: Nisi *ex iusta causa parens sit exhæredatus. Hæc exceptio approbatur l.liberi.28.§.sin autem mater. C.de inoff.test. his uerbis*: Si mater contra filij testamentum inofficiosi actionē instituat: inquiri diligenter iubemus, utrum filius nulla ex iusta causa lęsus, matrem in nouissima læserit uoluntate, nec luctuosam ei & legitimam reliquerit portionem, ut testamento rescisso, matri successio deferatur. Si tamen mater inhonestis factis & indecentibus machinationibus filium fortè obsedit, insidijsq; eum clādestinis uel manifestis appetijt, uel inimicis eius suas amicitias copulauit, atq; in alijs sic uersata est, ut inimica eius potius, quàm mater crederetur: hoc probato, etiā inuita adquiescat filij uoluntati. *Plura de exceptione proposita uide §.cap.4.except.17. Sed & plures propositæ regulæ exceptiones uide §.in duob.capitibus præcedentibus.*

III. Regula, *De fratre & sorore defuncti. His regulariter quidem inofficiosi querela non competit. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l.fratres.27. C.de inoff.test. his uerbis*: Fratres uel sorores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris uel sororis penitùs arceantur. Consanguinei autem, durante adgnatione uel non, contra testamentum fratris sui uel sororis inofficiosi quæstionem mouere possunt, si scripti hæredes infamiæ, uel turpitudinis, uel leuis notæ macula adspergantur: uel liberti qui perperam, & non bene merentes, maximisq; beneficijs suum patronum adsecuti, instituti sunt: excepto seruo necessario hærede instituto. *Huius regulæ exceptio prima hæc est*: Nisi turpis persona hæres sit instituta. *Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Si scripti hæredes infamiæ, &c. *Concordat inst.de inoff.test.his uerbis*: Soror & frater turpibus personis scriptis hæredibus ex sacris constitutionibus prælati sunt. Non ergo contra omnes hæredes agere possunt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: Nisi frater uterinus sit, non consanguineus. *quæ replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Fratres uel sorores, &c. *Altera replicatio est*: Nisi seruus defuncti necessarius hæres sit institutus. *huic enim exceptio proposita non officit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Excepto seruo necessario hærede instituto. *Secunda exceptio est*: Nisi libertī non optimè de patrono testatore meriti sint instituti. Quæ exceptio approbatur uerbis suprà propositis hisce: Vel liberti qui perperam, &c.

IIII. Regula, *De reliquis collateralibus ultra fratrem & sororem. His inofficiosi querela non competit. quæ regula approbatur Instit.de inoff.test. §.ultra fratres, his uerbis*: Vltra fratres & sorores cognati nullo modo aut agere possunt, aut agentes uincere. *Concordat l.1.in fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.2.in prin. Concordat item l.fratris.21.C.eod.tt. his uerbis*: Fratris uel sororis filij, patrui uel auunculi, amitæ etiā & materteræ testamentum inofficiosum frustra dicunt: cum nemo eorum, qui ex transuersa linea ueniunt, exceptis fratre & sorore, ad inofficiosi querelam admittatur. De falso sanè per accusationem criminis queri non prohibentur.

V. Regula, *De hæredibus præteriti, uel iniquè exhæredati. His regulariter inofficiosi querela nō datur. Quæ regula approbatur quidem ipso iure: uerùm eius exceptio prima hæc est*: Nisi præteritus uel exhæredatus *post præparatam litem, uel bonorum possessionem agnitam decesserit. Quæ exceptio approbatur l.posthumus.6. §.si quis instituta. ff.de inoff.testam. his uerbis*: Si quis instituta accusatione inofficiosi decesserit: an ad hæredem suum querelam transferat? Papinianus respondit, quod & quibusdam rescriptis significatur, si post agnitam bonorum possessionem decesserit, esse successionem accusationis. Sed si non sit petita bonorum possessio, iam tamē cœpta

pta controuersia, uel præparata: uel si, cum uenit ad mouendam inofficiosum querelam, decesserit: puto ad hæredem transire. *Concordat: l.si pater.5.C.eod.tt.his uerbis*: Si pater tuus post litem contestatam, uel postquam propositum habuisset, inofficiosum fratris testamentum dicere, te hærede relicto decessit: causam cœptam, uel quocunq; modo illi placitam exequi non prohiberis. *Declaratur exceptio proposita l.quemadmodum.7. ff.de inoff. test.his uerbis*: Quemadmodum præparasse litem quis uideatur, ut possit transmittere actionem, uideamus? Et ponamus, in potestate eum fuisse, ut neq; bonorum possessio ei necessaria, & aditio hæreditatis superuacua sit. Is si comminatus tantùm accusationem fuerit, uel usque ad denunciationem, uel libelli dationē processerit: ad hæredem suum accusationem transmittet. Idq; diuus Pius de libelli datione & denūciatione rescripsit. Quid ergo, si in potestate non fuerit: an ad hęredem suum actionem transmittat? Et rectè uidetur litem præparasse, si ea fecerit, quorum suprà mentionem habuimus. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi filiusfamiliās præteritus, uel exhæredatus, post præparatam litem decesserit. quæ replicatio approbatur l.Papinianus.8.§.1.ff.de inoff.test. his uerbis*: Papinianus scribit, Si filiusfamiliās post agnitā bonorum possessionē litis ordinandæ gratia decesserit: finitam esse inofficiosi querelam, quæ non patri, sed nomine filij dabatur. *Altera replicatio est*: Nisi mutata uoluntate is *qui litem præparauit, decesserit. Hæc replicatio approbatur l.nam etsi.15.§.hæredi.ff.d.tt. cuius uerba uide §. cap.4.except.40. Altera exceptio est*: Nisi præteritus *uel exhæredatus agnita bonorum possessione uel hæreditate decesserit. Quæ exceptio approbatur l. posthumus.6.§.si quis instituta.ff.de inoff.testam. cuius uerba uide §.except.prox. in prin. Tertia exceptio est*: Nisi *cum uenit præteritus ad mouendam querelam, decesset. Hæc exceptio approbatur d.§.si quis instituta, in fine. Quarta exceptio est*: Nisi *constiterit, defunctum inofficiosi querela agere uoluisse. quæ exceptio approbatur l.si pater.5.C.de inoff.test. cuius uerba uide §.except.1.in prin. Quinta exceptio est*: Nisi *liberi eius cui competit inofficiosi querela, hæredes ei extiterint. quæ exceptio approbatur l.si quis.34.C.de inoff.test. his uerbis*: Si quis filium suum exhæredatum fecerit, alio scripto hærede, reliquerit autem ex eo nepotē uel uiuum, uel in uentre nurus suæ constitutum: deliberan te uerò scripto hærede, filius exhæredatus decesserit, nulla hęreditatis petitione ex nomine de inofficioso constituta uel præparata: omne adiutorium nepotem dereliquit. Nec enim pater nepoti aliquod ius, cum decesserit, contra patris testamentum dereliquit: quia postea & adita est ab extraneo hæreditas, & superuixit auo pater eius, ut neq; ex lege Vellea posit in locum patris sui succedere, & rescindere testamentum. Et hoc nonnulli Iurisconsulti in medio proponentes, inhumanè reliquerunt. Sed nos (qui omnes subiectos nostros & filios & nepotes habere existimamus paterna affectione & imitatione) secūdum quod possibile est de omnium commodis perspicientes, iubemus in tali specie eadem iura nepoti dari, quæ filius habebat: & licet prępparatio facta non est ad inofficiosi querelam instituendam, tamen posse nepotē eandem causam proponere: & si non hæres apertissimis probationibus ostenderit, ingratum patrem nepotis circa testatorem fuisse, testamento remoto ab intestato eum uocari, nisi certa quantitas patri eius minor parte legitima relicta est. Tunc etenim secundum nouellam nostri numinis constitutionem, repletio quartæ partis nepoti supereſt, si qua patri eius competebat: & perfruatur nostro beneficio à uetustate quidē neglectus, à nostro autem uigore recreatus: nisi pater adhuc superstes uel repudiauit querelam, uel quinquennio tacuit, scilicet post aditam hæreditatem. *Concordat propositæ exceptioni l.scimus.26.§.fin.C.eod.tt.his uerbis*: In medio tępore si decesserit filius: huiusmodi filius, licet se non præparauerit, ad suam posteritatem transmittet. Ad extraneos uerò hæredes tunc tantummodò, quando antiquis libris insertam faciet præparationē. *Concordat item l.si defunctus.9. §.fin. C. de legitimis liberis. cuius uerba uide §.lib.29. capite 14.reg.4.except.1. Huius exceptionis replicatio hæc est*: Nisi *defunctus inofficiosi querela agens, exceptione potuit submoueri. quæ replicatio approbatur exemplis d.l. 34.iam propositis hisce*: Et si non hæres apertissimis probationibus, &c. *Item*: Nisi certa quantitas patri eius minor parte legitima, &c. *Item hisce*: Nisi pater adhuc superstes uel repudiauit, &c.

VI. Regula, *De patre exhæredati uel præteriti filiisfamiliās. Huic nomine filij competit inofficiosi querela, quemadmodum & alia actio. Cuius regulæ exceptio prima hæc est*: Nisi filius agi nolit. Quæ exceptio approbatur *l.Papinianus.8.in prin. ff.de inoff.testam. his uerbis*: Papinianus libro quinto Quæstionum rectè scribit, inofficiosi querelam patrem filij sui nomine instituere non posse, inuito eo: ipsius enim iniuria est. *Altera exceptio uidetur*: Nisi *pater legatum in testamento sibi relictum agnouerit. Quæ exceptio reprobatur l.filius.22.in princ. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.capite 4. quæst.2.except.27.*

VII. Regula: *Si primus, cui competit querela inofficiosi testamenti, aut nolit agere, aut exceptione submouetur, sequens admittitur.* Quæ regula approba-

tur l.si is.31.in prin.ff.de inoff.test.his uerbis: Si is qui admittitur ad accusationem, nolit aut non possit accusare: an sequens admittatur, uidendum est? & placuit posse, ut fiat successioni locus. *Huius exemplum proponitur l.pater. 14.in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.4.quæst.2. except.41. Concordat item l.si non.25.§.fin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.quæst.prox.reg.5.*

II. ADVERSVS QVOS COMpetit querela inofficiosi?

I.*Regula*, *De scripto hærede. Regulariter aduersus scriptum competit hæredem. Quæ regula distinguitur per ea quæ proposita sunt ẽ.cap.4. quæst.2. except.26. cum tribus exceptionibus sequentibus.*

II. *Regula*: *Fratre uel sorore actoris & extraneo hæredibus scriptis, aduersus extraneum tantùm competit. quæ regula approbatur l.mater. 19. ibi: sed non est.ff.de inoff.test. cuius uerba uide ẽ.quæst.8.reg.3.except.2. Concordat l.circa.24.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.quæst.8.reg.1.except.5.*

III. *Regula*, *De fideicommissario, cui ab hærede restituta est hæreditas, proponitur l.1.C.de inoff.testam. his uerbis*: Cum de inofficioso matris suæ testamento filij dicere uelint aduersus eum, qui ex causa fideicõmissi hæreditatem tenet: nõ est iniquum hoc eis accommodari, ut perinde fideicommissarius teneatur, ac si pro hærede aut pro possessore possideret.

IIII. *Regula*, *De fisco, proponitur l.si hæredum. 20.C.d.tt.cuius uerba uide ẽ.quæst.prox.reg.ult.*

V. *Regula*, *De uno ex pluribus hæredibus, proponitur l.si non.25. §.si quis. ff.de inoff. testam. his uerbis*: Si quis, cum non possit de inofficioso queri, ad querelam admissus pro parte rescindere testamentum tentet, & unum sibi hæredem eligat, contra quem inofficiosi querelam instituat: dicendum est, quia testamentum pro parte ualet, & præcedentes eum personæ excluſæ sunt: cũ effectu eum querelam instituisse.

III. APVD QVEM competat?

I.*Regula*: *Ibi ubi reus domicilium habet, competit. quæ regula approbatur l.si suspecta.29.§.fin. ff.de inoff.test.his uerbis*: In ea prouincia de inofficioso testamento agi oportet, in qua scripti hæredes domicilium habent.

II. *Regula*, *De præside prouinciæ, proponitur l.cum filium.17.C.de inoff.test. cuius uerba uide ẽ.cap.4.except.28.replic.2.*

III. *Regula*, *De procuratore Cæsaris, si fiscus conueniatur, proponitur l.si hæredum.10. C.de inoff.test. his uerbis*: Si hæredum Quintiliani, quem patrem tuum esse dicis, aduersus quos de inofficioso testamento acturus eras iure successionis, bona ad fiscum pertinent: uel ipsius Quintiliani bona, utpote uacátia, fiscus tenet: causam apud procuratorem nostrum agere potes.

IIII. QVIBVS PRAESENTIbus inofficiosi querela competit?

De præsentia legatariorum, quibus quid in testamento relictum est, proponitur l.si suspecta.29.in prin. ff.de inoff.testam.his uerbis: Si suspecta collusio sit legatarijs inter scriptos hæredes & eum, qui de inofficioso testamento agit: adesse etiam legatarios, & uoluntatem defuncti tueri, constitutum est: eisque permissum est etiam appellare, si contra testamẽtum pronunciatum fuerit.

V. QVID VENIAT IN hac actione?

Si actori nihil in testamento relictum est: *uenit in hanc actionem, ut rescisso testamento, actori ab intestato hæreditas restituatur. de quo dicetur ẽ.quæst.8. Sin autem aliquid actori relictum est, minus tamen legitima*: *ad id solum competit actio, ut legitima actori restituatur. de quo uide ẽ.cap.7.*

VI. QVANDO ET QVAMdiu competit hæc actio?

I.*Regula*: *Intra quinquẽnium tantùm competit hæc actio, postea; agenti quinquennalis præscriptio obstat. Quæ regula approbatur l.si quis. 34. in fine. ibi: uel quinquennio tacuit.C.de inoff.test. cuius uerba uide ẽ. quæst.1.reg.5.except.4.. Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi nondum adita fuerit hæreditas. hoc enim casu quinquennium nondum currit. Quæ exceptio approbatur l.scimus.36.§.illud præterea.C.eod.tt. his uerbis*: Sancimus, ut tempora inofficiosi querelæ ab adita hæreditate, secundum VI piani opinionem, currant: Herennij Modestini sententia recusata, qui à morte testatoris illico cursum de inofficioso querelæ temporibus dabat: ut non liceat hæredi, quando uoluerit, adire, nec per huiusmodi tramitem iterum filius defraudetur debito naturali. Sancimus itaq;, ubi testator decesserit alio scripto hærede, & speratur de inofficioso querela: necesitaté habere scriptum hæredem, siquidem præstò est in eadem commanens prouincia, intra sex mensium spacium: sin autem seorsim utraque pars in diuersis prouincijs degit, tunc intra annale tantũmodò spacium, simili modo per continuum à morte testatoris numerandum, omnimodò adire huiusmodi hæreditatem, uel manifestare suam sententiam, quòd hæreditatem minimè admittat. Expeditus enim ita tractatus inducitur filio memorato mouere querelam. Sin uerò scriptus hæres intra statuta tempora minimè adierit: per officium iudicis hæredem compelli hoc facere. *Altera exceptio est*: *Nisi actor prius iniustum dixerit testamentum. hoc enim tempus, quo iudicium iniusti testamenti agitatum est, quinquennio non connumeratur. Quæ exceptio approbatur l.contra.16.C.eod.tt.his uerbis*: Contra maiores

maiores uigintiquinq; annorum duplicem actionem inferentes, primam quasi testamentum nõ sit iure perfectum, alterá quasi inofficiosum, licet iure perfectum: præscriptio ex prioris iudicij mora quinquennalis temporis non nascitur, quæ officere nõ cessantibus non potest. *Tertia exceptio est*: *Nisi magna & iusta causa interceſſerit, ob quã intra quinquennii actũ non est. Quæ exceptio approbatur l. Papinianus.8.§.fin.ff.de inoff.test.cuius uerba uide ẽ.lib.prox. cap.6. except.86. repl.3. Quarta exceptio est*: *Nisi actor fuerit minor uigintiquinq; annis. l.2. C.in quibus caussis in integrum restitut.non est necess. Quinta exceptio est*: *Nisi ad supplementum legitimæ agatur. tunc enim non nisi triginta annorum præscriptio obstat. de qua re uide M.I.R.hoc loco.*

II. *Regula*: *Non nisi ab adita hæreditate dies huius actionis cedit. d.l.8.§.si conditioni.uers.quoniam ante. cuius uerba uide ẽ.cap.4.except.34. Concordat d.§.illud præterea, uerbis paulò superius reg.prox. except. 8.propositis.*

VII. ADIVNCTA OFFIcia & iura actoris.

I. *Regula*: *Queritur & probat hac actione actor, se iniquè exhæredatum uel præteritum, quasi testator non fuerit sanæ mentis. Quæ regula approbatur Instit. de inoff.testam.in prin. cuius uerba uide ẽ. capite 4.in prin. Concordat l.2.ff.eod.tt.his uerbis*: Hoc colore de inofficioso testamento agitur, quasi non sanæ mentis fuerit, qui testamentum ordinauerat. Et hoc dicitur non quasi uerè furiosus uel demens testatus sit: sed rectè quidem fecerit testamentum, sed non ex officio pietatis. Nam si uerè furiosus esset, uel demens, nullum esset testamentum. *Concordat item l.nã & his.5.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis*: Huius uerbi De inofficioso, uis illa (ut dixi) est, docere immerentem se, & ideo indignè præteritum, uel etiam exhæredatione submotum: resq; illo colore defenditur apud iudicem, ut uideatur ille non quasi sanæ mentis fuisse, cùm testamentum iniquè ordinaret. *Concordat item l.liberi.28.in prin. C.eod. tt.his uerbis*: Liberi de inofficioso querelam contra testamentum parentum mouentes, probationes debent præstare, quòd obsequium debitum continuè, prout ipsius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint: nisi hæredes scripti ostendere maluerint, ingratos liberos contra parentes extitisse. *Concordat item l.inofficiosum.3.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.4. quæst.2. in prin. Quod dictum de probatione actori iniungenda, id hodie uidetur mutatum per l.omni modo.30.§.si tamen non ingrati. §.uerum hoc quidem. §. siue igitur omnes. & §. sancimus igitur. uers. si huiusmodi igitur. Accedit glossa in l. liberi.28. in princip. & in uerbo Probato. C. de inoffic. testamen.*

II. *Regula*, *De cumulatione actionum prohibita*,

& *electione actori danda, utra prius uelit experiri, proponitur l.Papinianus.8.§.si quis irritum.ff.de inoff. test.his uerbis*: Si quis irritum dicat esse testamentum, uel ruptum & inofficiosum: conditio ei deferri debet, utrum prius mouere uelit.

III. *Regula*: *Ante finitum iudicium reo possessio auferenda non est. Quæ regula approbatur l.2. C. de inoffic.testam.his uerbis*: Quamuis de inofficioso testamento acturum te bonorum possessionem accepisse proponis: tamen scriptis hæredibus auferre possessionem inciuile est.

IIII. *Regula*, *De alimentis actori pendente iudicio à reo subministrãdis, proponitur l.si instituta.27.§. de inofficioso.ff.de inoff.test. his uerbis*: De inofficioso testamento nepos contra patruum suum, uel alium scriptum hæredem pro portione egerat, & obtinuerat, sed scriptus hæres appellauerat: placuit interim propter inopiam pupilli alimenta pro modo facultatum, quæ inofficiosi testamenti accusatione pro parte ei uindicabantur, decerni, eaq; aduersarium ei subministrare necesse habere usq; ad finem litis.

V. *Regula*: *Actori, qui filius testatoris negatur, Carboniana bonorum possessio danda non est. Quæ regula approbatur l.qui de inofficioso.20.ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.10.quæst.2.except.4.repl.3.*

VIII. EVENTVS HVius actionis.

I. *Regula*: *Si obtinuerit actor, testamentum rescinditur, & ab intestato successioni est locus. Quæ regula approbatur l.Papinianus.8. §.si ex causa. ff.de inoff. test.his uerbis*: Si ex causa de inofficioso cognouerit iudex, & pronunciauerit contra testamentum, nec fuerit prouocatum: ipso iure rescissum est, & suus hæres erit secundum quem iudicatum est, & bonorum possessor, si hoc se contendit: & libertates ipso iure non ualent, nec legata debentur, sed soluta repetuntur aut ab eo qui soluit, aut ab eo qui obtinuit: & hæc utili actione repetuntur. Ferè autem, si antè controuersiam motam soluta sunt: qui obtinuit, repeter. Et ita diuus Hadrianus & diuus Pius rescripserunt. *Concordat l. si maritus.22. C. eod. tt. cuius uerba uide ẽ.cap.4. quæst.2. in prin. Concordat item l.cum mater.28.in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. cap.6. except.16. Huius regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi is obtinuerit, qui ab intestato hæres non est. Quæ exceptio reprobatur l.posthumus.6.§.si quis ex his.ff.de inoff.test.his uerbis*: Si quis ex his personis, quæ ad successionem ab intestato non admittuntur, de inofficioso egerit: si nemo eum repulerit, & casu obtinuerit, non ei proficit uictoria, sed his qui habebunt ab intestato successionem. Nam intestatũ pa-

trem familiàs fecit. *Concordat l.si non mortis.25.§. si quis cum.ff.d.tt.* Altera exceptio est: *Nisi nõ per sententiam, sed per transactionem obtinuerit actor. Hæc exceptio approbatur l.si suspecta.29.§.quamuis.ff.eod.tt.his uerbis:* Quamuis instituta inofficiosi testamenti accusatione, res transactione decisa sit: tamẽ testamentum in suo iure manet. Et ideo datæ in eo libertates atq; legata, usquequò Falcidia permittit, suã habent potestatem. *Tertia exceptio est:* Nisi *absente, & non respondente reo sententia sit lata. Quæ exceptio approbatur l. qui repudiantis.17.§.fin.cum lege sequente. ff.de inoff.test.his uerbis:* Cum contra testamentum ut inofficiosum iudicatur, testamenti factionem habuisse defunctus nõ creditur. Non idem probandum est, si hærede non respondente secundum præsentem iudicatũ sit. Hoc enim casu non creditur ius ex sententia iudicis fieri. Et ideo libertates competunt, & legata petuntur. De qua re etiam constitutio extat diuorum fratrum, quæ huiusmodi distinctionem admittit. *Quarta exceptio est:* Nisi *pars iudicantium pro testamento pronunciauerit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.si pars.10.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Si pars iudicantium de inofficioso cõtra testamentum, pars secundum id sententiam dederit (quod interdum fieri solet) humanius erit sequi eius partis sententiam, quæ secundũ testamentũ pronunciauit: nisi apertè iudicem iniquè secundum scriptum hæredem pronunciasse apparebit. *Quinta exceptio est:* Nisi *cum actor aduersus duos scriptos hæredes ageret, aduersus unum obtinuerit, ab altero sit superatus. hoc enim casu non nisi pro parte testamentum rescinditur, ita ut actor ab intestato, reus ex testamento pro parte hæres habeatur. Quæ exceptio approbatur l.nam etsi. 15.§.filius qui.ff.de inoff.test.his uerbis:* Filius qui inofficiosi actione aduersus duos hæredes expertus, diuersas sententias iudicũ tulit, & unum uicit, ab altero superatus est: & debitores cõuenire, & ipse à creditoribus pro parte conueniri potest. Sed & corpora uindicare, & hæreditatem diuidere. Verũ enim est, familiæ erciscundæ iudicium competere: quia credimus eum legitimum hęredem pro parte esse factum. Et ideo pars hæreditatis in testamento remansit. Nec absurdũ uidetur, pro parte intestatum uideri. *Concordat l.circa.24.ff.eod.tt.his uerbis:* Circa inofficiosi querelam euenire plerunque adsolet, utin una arq; eadem causa diuersæ sententiæ proferantur. Quid enim, si fratre agente hæredes scripti diuersi iuris fuerunt? Quod si fuerit: pro parte testatus, & pro parte intestatus decessisse uidebitur. *Concordat item l.cùm duobus.13.C.eod.tt.his uerbis:* Cùm duobus hæredibus institutis, uno ex quinque, altero ex septem uncijs: aduersus eum qui ex septẽ uncijs hæres scriptus fuerat, iusta querela contendisse, ab altero autem te uictũ fuisse allegas: pro ea parte qua resolutũ est testamentum (cùm iure intestati, qui obtinuit, succedat) neq; legata, neq; fideicommissa debentur: quamuis libertates & directæ competant, & fideicommissariæ præstari debeant. *Sexta exceptio est: Nisi hæres ab intestato et extraneus hæredes sint scripti. hoc enim casu aduersus extraneum tantùm actori actio competit: & ob id, quoad alterum hæredem scriptum, testamentũ pro eius parte manet saluum. Quæ exceptio approbatur l.mater.19.ibi: secundum quod.ff.de inoff.test. cuius uerba uide ẽ.reg.3.except.2. Concordat l.si non.25.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.quæst.2.reg.5. Plures huiusmodi exceptiones uide ẽ.lib.prox.cap.6.except.86.*

Quibus ab intestato successio competit?

II. *Regula: Regulariter qui obtinuit, ab intestato hæres erit. quæ regula approbatur l.Papinianus.8.§.si ex causa. ff.de inoff.test. cuius uerba uide ẽ. reg. prox. in prin. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi alioquin ab intestato successio obtinenti non competat. tunc enim nec hoc casu ad intestati successionem admitteretur. quæ exceptio approbatur l.posthumus.6.§.si quis ex his.ff.d.tt.cuius uerba uide ẽ.reg.prox.except.1. Concordat l.filio.16.§.contra tab.ff.eod.tt.his uerbis:* Contra tabulas filij possessionem iure manumissionis pater accepit: postea filia defuncti, quam ipse exhæredauit, quæstionem inofficiosi testamẽti rectè pertulit. possessio quam pater accepit, ad irritũ recidit. Nam priore iudicio de iure patris, non de iure testamenti quæsitum est. Et ideo uniuersam hæreditatem filiæ cum fructibus restitui necesse est.

III. *Regula: Alijs quoq; ab intestato hæredibus uenientibus uictoria rescissi testamenti prodest, ut ab intestato succedant. quæ regula approbatur l. qui repudiantis.17.in prin. ibi: unde si de inofficioso. ff.de inoff.test.cuius uerba uide ẽ.cap.prox.repl.14. Huius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi *alter ab intestato ueniens, etiam exhæredatus uel præteritus inofficiosi querela non egit, aut agens nõ obtinuit. quæ exceptio approbatur d.l.17.in prin. Cõcordat l.si ponas.23.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.d.repl.14. Concordat item l.filio.16.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Filio qui de inofficioso matris testamento contra fratrem institutum pro parte egit & obtinuit: filia quę non egit, aut quæ non obtinuit, in hæreditatem legitimam fratri non concurrit. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi alter adhuc agere possit de inofficioso, nec repudiauerit, uel agens nondum succubuerit. quæ replicatio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ. d.repl.14.dupl.1. Altera exceptio uidetur: Nisi alter ab intestato ueniens, hæres institutus fuerit, & ex testamento hæreditatem adierit. hoc enim casu, tanquam ab intestato hæreditate repudiata, uidetur repellendus. uerùm hæc exceptio reprobatur l. mater. 19.ff.de inoff.test.his uerbis:* Mater decedens extraneum

traneum ex dodrante hæredem instituit, filiam unam ex quadrãte, alteram præterijt: hæc de inofficioso egit, & obtinuit. Quæro, scriptæ filiæ quomodo succurrendum sit? Paulus respondit, filia præterita id uindicare debet, quod intestata matre habitura esset. Et quanquam dici potest, eam quæ omissa est (etiamsi totam hæreditatem petat, & obtineat) solam ab intestato habituram uniuersam successionem, quemadmodum si altera omissa esset legitimam hæreditatem: sed non est admittendum, ut aduersus fororem audiatur agendo de inofficioso. Præterea dicendum est, non esse omittenti similem eam, quæ ex testamento adijt. Et ideo ab extraneo semissem uindicandum: & defendendum totum semissem esse auferendum, quasi totus semis ad hanc pertineat. Secundum quod non in totum testamentum infirmatur, sed pro parte intestata efficitur, licet quasi furiosæ ultimum iudicium eius damnetur. Cęterùm si quis putauerit, filia obtinente totum testamentũ infirmari: dicendum est, etiam institutã ab intestato posse adire hæreditatem. nec enim quæ ex testamento adijt, quod putabat ualere: repudiare legitimam hæreditatem uidetur, quã nescit sibi deferri: cum & hi qui sciant, ius suum, eligentes id quod putant sibi competere, non amittant. Quod euenit in patrono, qui iudicium defuncti, falsa opinione motus, amplexus est. Is enim non uidetur bonorum possessionem contra tabulas repudiasse. Ex quibus apparet, non rectè totam hæreditatem præteritam uindicare: cùm rescisso testamento etiam institutæ saluum ius sit adeundæ hæreditatis. *Concordat l.si ponas.23.§.quod si exhæredatus.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.cap.4.quæst.2.except.28.*

IIII. *Regula: Nec legata, nec libertates ex testamento debentur. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur ẽ. reg.1. item j. lib. prox. cap.6.except.86.*

V. *Regula, De confusis actionibus reo restituendis, proponitur l.eũ qui.21.§.fin.ff.de inoff.test. his uerbis:* Paulus respondit, euicta hæreditate per inofficiosi querelam ab eo qui hæres institutus esset, &c. *Concordant ea quæ habentur j.li.48. cap.18.reg.2.except.3.*

VI. *Regula: Si hæres sub hac conditione, Si seruum suum manumisisset, institutus seruum manumiserit: precium serui à manumisso repetet. quæ regula approbatur l.si sub.26.ff.de inoff.testam. his uerbis:* Si sub hac cõditione fuerit hæres institutus, Si Stichum manumisisset, & manumiserit: & posteaquam manumisit, inofficiosum uel iniustum testamentum pronuncietur: æquum est, huic quoq; succurri, ut serui preciũ à manumisso accipiat, ne frustra seruum perdat.

VII. *Regula: Si actor inofficioso testamento agens nõ obtinuerit: perdit etiam id quod ei in testamento est relictum. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ habentur j.lib.prox.cap.9.causa 17.*

IX. ADFINIA REmedia.

I. *Regula: Si iniquè exhæredatus uel præteritus possideat hæreditatem, per exceptionem querelam inofficiosi testamenti potest proponere. quæ regula approbatur l.Papinianus.8.§.si filius.ff.de inoff.test.his uerbis:* Si filius exhæredatus in possessione sit hæreditatis: scriptus quidẽ hæres petet hæreditatem, filius uerò in modum contradictionis querelam inducet: quemadmodũ ageret, si non possideret, sed peteret.

II. *Regula: De querela inofficiosæ donationis, si parens ad interuertendam inofficiosi testamenti querelã uni filiorum totum patrimonium donauit, uide j. lib. 35.cap.4.*

III. *Regula, De succedendo in uirilem portionem cum scriptis hæredibus, proponitur l. si mater.3. C. de inoff.test. cuius uerba uide ẽ.cap.4.except.9.*

IIII. *Regula: De actione ad supplendam legitimam uide j.cap.prox.*

V. *Regula: De contra tabulas bonorum possessione uide j.cap.8. Alia adfinia remedia uide ẽ.cap.4.exc.32.*

DE TERTIA ACTIONE ad supplendam legitimam.
Cap. VII.

PRima regula: Si iniquè exhæredato uel præterito aliquid à defuncto sit relictum: non datur inofficiosi querela, sed ad supplendam legitimam agitur. quæ actio seu regula approbatur l. omni modo. 30.in prin. usq; ad §.imputari. C.de inoff.test. his uerbis: Omni modo testatorũ uoluntatibus prospicientes, magnam & innumerabilem occasionem subuertendæ eorum dispositionis amputare censemus, & in certis casibus, in quibus de inofficiosis defunctorum testamentis, uel alio modo subuertendis moueri solebant actiones, certa & statuta lege tam mortuis consulere, quàm liberis eorum, uel alijs personis, quibus eadem actio competere poterat: ut siue adijciatur in testamento de adimplenda legitima portione, siue non: firmum quidem testamentum sit, liceat uerò ijs personis, quæ testamentum quasi inofficiosum, uel alio modo subuertendum queri poterant, id quod minus portione legitima sibi relictum est, ad implendum eam sine ullo grauamine uel mora exigere: si tamen non ingrati legitimis modis arguantur, cum eos scilicet ingratos circa se fuisse, testator edixit. Nam si nullam eorum quasi ingratorum fecerit mentionem: non licebit eius hæredibus ingratos eos nominare, & huiusmodi quæstionem introducere. Et hæc quidem

quidem de ijs personis statuimus, quarum mentionem testantes fecerint, & aliquam eis quantitatem in hæreditate, uel legato, uel fideicommisso, licet minorem legitima portione, reliquerint. Sin uerò uel præterierint aliquam eorum personam iam natam, uel ante testamentum quidem conceptam, adhuc uerò in uentre constitutam, uel exhæredatione, uel alia eorum mentione facta, nihil eis penitùs reliquerint: tunc uetera iura locum habere sancimus, nullam ex præsente promulgatione nouationem acceptura. *Concordat l. quæ nuper. 31. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 2. Concordat item l. quoniam. 32. in prin. C. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 5. repl. 5. dupl. 4. Concordat item l. si quis. 34. in fine. ibi: nisi certa quantitas. C. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. proxim. quæst. 2. reg. 5. except. 4. Concordat item Nouell. c. 115. §. hæc autem ita. cuius uerba uide §. lib. 28. cap. 16. except. 185. Concordat item Instit. de inoff. testam. §. sed hæc ita, his uerbis*: Sed hæc ita accipienda sunt, si nihil eis penitùs à testatoribus testamento relictum est, quod nostra constitutio ad uerecundiam naturæ introduxit. Sin uerò quantacunque pars hæreditatis uel res eis fuerit relicta: de inofficioso querela quiescente, id quod eis deest, usque ad quartam legitimæ partis repleatur: licet non fuerit adiectum, boni uiri arbitratu debere eam compleri. *Concordat item l. ff non. 25. in prin. ibi: at si minus. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 5. repl. 4. Huius regulæ exceptio prima uidetur esse: Nisi in testamento non sit adiectum, ut legitima repleatur. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Licet non fuerit adiectum, boni uiri arbitratu debere eam compleri. *Concordat d. l. 30. in prin. ibi: ut siue adijciatur in testamento. Concordat item l. scimus. 36. in prin. C. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 5. replic. 16. Altera exceptio uidetur: Nisi testamentum sit nuncupatiuum. Et hæc exceptio reprobatur l. quæ nuper. 31. C. de inoff. test. his uerbis*: Quæ nuper ad testamenta conseruanda, nec facilè retractanda sanximus, ut portione legitima minimè illis personis derelicta, quæ ad inofficiosi testamenti querelam ex prioribus uocabantur legibus: non pericliteretur testamenta, sed quod deest legitimæ portioni, id est, quartæ parti, scilicet ab intestato successionis, tantùm repleatur: exceptis illis, quibus nihil in testamento derelictum est, in quibus prisca iura illibata seruamus: etiam ad testamenta sine scriptis facienda, locum habere sancimus. *Plures propositæ regulæ exceptiones uide §. cap. 4. & cap. 5.*

II. **Regula**: *Quibus & aduersus quos competat actio proposita: item quando & quamdiu: uide §. capite proxim.*

DE CONTRA TABVLAS bonorum possessione, quarta actio. Cap. VIII.

I. CAVSA, EX QVA COMpetit hæc actio, cum suis exceptionibus.

Si liberi, uel parentes testatoris, uel alij quos ex aliqua parte hæredes instituj necesse est, de quibus infrà quæst. proxim. dicetur, in testamento præteriti sint: datur his contra tabulas bonorum possessio. quæ regula approbatur Institut. de bonor. possess. §. sunt autem. cuius uerba uide §. lib. 28. cap. 2. quæst. 4. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi mi*les liberos suos præterierit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt §. lib. 28. capite 15. repl. 14. Altera exceptio est*: Nisi is de *cuius bonis agitur, in adoptiua familia fuerit. Hæc exceptio reprobatur l. si pater. 17. ff. contra tabulas, his uerbis*: Si pater se dederit in adoptionem, nec sequatur eum filius emancipatus ab eo antea factus: quia in alia familia sit pater, in alia filius, bonorum possessionem contra tabulas non potest filius eius habere. Et ita Iulianus scripsit. Marcellus autem ait, iniquum sibi uideri, excludi eos à bonorum possessione, cum pater se dederit in adoptionem. Vbi enim non datur filius in adoptionem, sed pater se dat: nullum patrem filio adsignat. Quæ sententia non est sine ratione. *Concordat l. non tantùm. 3. §. si pater. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. 29. cap. 1. quæst. 1. except. 2. replic. 3. Concordat item l. ex duobus. 14. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si filius emancipatus, sublato filio & emancipato, adrogandum se dederit, & mortuo adoptiuo patre decesserit: & contra patris & contra aui tabulas ex decreto hunc admitti, minimè dubitari debet: ne alioquin ab omnibus bonis excludatur. *Concordat item l. ult. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si is qui filium & ex eo nepotem in potestate habebat, filium in adoptionem dedit, nepote retento in potestate: postea filius emancipatus à patre adoptiuo decessit, extraneis hæredibus institutis: filius huiusmodi, qui in potestate aui remansit, cõtra tabulas patris sui bonorum possessionem petere poterit, quamuis nunquam in potestate huius fuerit. Ideo nec debuisse in potestate esse, uidetur. Nam si aliter obseruatur, nec si emancipatus filius fuerit, nepos ex eo, qui in potestate aui remansit, bonorum possessionem contra tabulas petere poterit. Idemq; iuris est, si emancipato filio nepos ex eo in potestate aui remansit, & postea patri suo in adoptionem datus fuerit: idemq; contra tabulas aui, bonorum possessionem aui petere poterit: quia per adoptionem in aliena familia nõ fuerit.

fuerit. *Tertia exceptio est*: Nisi *is de cuius bonis agitur, in potestate patris sui remansit, nepote emancipato. hoc enim casu uidetur, quòd huic nepoti præterito contra tabulas patris sui bonorum possessio sit denegãda. uerùm exceptio hæc reprobatur l. si emancipatus. 6. in prin. ibi: nepote quoq; ff. de bonor. possess. contra tab. his uerbis*: Nepote solo emancipato, & auo mortuo, deinde patre eius: nepos præteritus accipiet patris bonorum possessionem: quia suus hæres patri futurus esset, etsi de potestate aui non exisset. *Quarta exceptio est*: Nisi *fœmina liberos suos præterierit. Hæc exceptio approbatur l. illud. 4. §. ad testamenta. ff. d. tt. his uerbis*: Ad testamenta fœminarum edictum contra tabulas bonorum possessionis non pertinet: quia suos hæredes nõ habent. *Concordat l. filiam. 15. C. de inofficios. testam. cuius uerba uide §. cap. 4. except. 33. Quinta exceptio*: Nisi *emancipati liberi præteriti sint. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. & sui iuris. ff. de bonor. possess. contra tab. his uerbis*: Et sui iuris factos liberos in bonorum possessionem Prætor inducit. Siue igitur emancipati sunt, siue aliàs exierunt de patris potestate, admittuntur ad bonorum possessionem. Sed ad adoptiui patris non possunt. Vt enim quis admitti possit, ex liberis eum esse oportet. *Concordat Instit. de exhæredat. liberorum. §. emancipatos. cuius uerba uide §. lib. 28. cap. 15. replicat. 1. Concordat item Instit. de hæred. quæ ab intest. §. eadem hæc, his uerbis*: Eadem hæc obseruantur & in ea bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis liberis præteritis, id est, neque hæredibus institutis, neque ut oportet exhæredatis, Prætor pollicetur. Nam eos quidem qui in potestate mortis tempore fuerint, & emancipatos uocat Prætor ad eandem bonorum possessionem: eos uerò qui in adoptiua familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptiuos liberos emancipatos ab adoptiuo patre, sicut ab intestato, ita longè minus contra tabulas testamenti ad bona eius non admittit: quia desinunt in numero liberorum eius esse. *Planè admittitur exceptio proposita in adoptiuis emancipatis, ut ex iam dictis constat. de qua re uide §. exception. 9. distinct. 1. Sexta exceptio est*: Nisi *præteriti liberi in aliena uel adoptiua familia sint. Hæc exceptio approbatur uerbis d. §. eadem hæc, iam propositis hisce*: Eos uerò qui in adoptiua familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis parens moreretur, repellit. *Concordat l. non tantùm. 3. §. si emancipatus. ff. contra tabulas, his uerbis*: Si emancipatus filius præteritus, ante petitam bonorum possessionem adrogandum se dederit: amittit contra tabulas bonorum possessionem. *Concordat item Instit. de hæred. quæ ab intestato. §. sed ea omnia. ibi: testamento autem. cuius uerba uide §. libro 29. capite 2. exceptione. 3. in fine. Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: Nisi *non in totum præteriti sint liberi, sed ex aliqua parte hæredes instituti. tunc enim, quamuis in adoptiua familia sint, nihilominus contra tabulas bonorum possessionem accipere possunt. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l. non putauit. 8. §. in adoptionem. ff. de bonor. possess. contra tabul. his uerbis*: In adoptionem datos filios non submoueri uoluit Prætor, si modò hæredes instituti sint. Et hoc iustissimè eum fecisse, Labeo ait. nec enim in totum extranei sunt. Ergo si fuerint hæredes scripti, accipient quidem contra tabulas bonorum possessionem: sed ipsi soli non committent edictum, nisi fuerit alius præteritus ex liberis, qui solent committere edictum. Sed si ipse scriptus non sit, sed alius qui adquirere hæreditatẽ potest: non est in ea causa, ut eum ad bonorum possessionem contra tabulas admittamus. *Concordat l. si post. 10. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si post mortem testatoris hæres institutus filius in adoptionem se dederit: bonorum possessionem contra tabulas accipere potest. Quia scriptis hæredibus institutis non solet nocere adoptio. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est*: Nisi *ab alio non committatur edictum. quæ duplicatio approbatur uerbis d. §. in adoptionem, iam propositis hisce*: Sed ipsi soli non committent edictum, nisi fuerit alius præteritus ex liberis, qui solent committere edictum. *Altera duplicatio est*: Nisi *alio gradu hæredes sint instituti, quàm contra quem bonorum possessio petitur. quæ duplicatio approbatur d. l. 8. §. datur, his uerbis*: Datur ei qui in adoptiua familia est, contra tabulas bonorum possessio, si eo gradu hæres scriptus sit, contra quẽ peti potest bonorum possessio. *Tertia duplicatio est*: Nisi *filius adoptiuus, alij in adoptionem dati, hæres scriptus, contra tabulas bonorum possessionem petat. Hæc duplicatio approbatur d. l. 8. §. ut autem, his uerbis*: Vt autem admittantur ad bonorum possessionem, ex liberis eos esse oportet. Cæterùm si adoptiuum filium dedi in adoptionem, & hæredem scripsi: commisso per alios edicto, bonorum possessio contra tabulas ei non dabitur. *Quarta duplicatio est*: Nisi *nepote in adoptionem dato, & hærede instituto, pater eius adhuc uiuat. quæ duplicatio approbatur l. cum emancipatus. 13. §. qui duos. ff. de bonor. possess. contra tab. his uerbis*: Qui duos filios, & ex altero eorum nepotem habebat, eum in adoptionem dedit, & hæredem instituit, præterito altero filio, quæritur, quid in his seruari debeat, utrum in partem patris sui admittatur, an uirilem portionem habeat? Iulianus respondit: In adoptionẽ datus nepos, & hæres scriptus, quãdiu pater eius aut in potestate aut emancipatus est, nõ potest

contra

contra tabulas bonorum possessionem accipere. Sed etsi pater eius, antequam bonorum possessionem acciperet, decesserit: nõ admittitur nepos ad bonorum possessionem. *Quinta duplicatio uidetur: Nisi non extraneo, sed auo materno in adoptionem datus sit hæres scriptus filius. Hæc duplicatio reprobatur l. si post. 10. §. 1. ff. d. tt. his uerbis:* Etsi filius in adoptionem datus auo materno, hæres institutus sit à patre naturali: commisso per alium edicto, magis est ut bonorũ possessionem accipere possit. nec enim exigimus ut adeat hæreditatem, sed sufficit ut ei delata sit, adquiriq; possit. *Sexta duplicatio est: Nisi ex institutione filius alij in adoptionem datus, hæreditatem adijt. Hæc duplicatio reprobatur d. l. 10. §. si in adoptionem, his uerbis:* Si in adoptionem datus, posteaquam iussu patris adoptiui hæreditatem adijt, emancipatus fuerit: potest contra tabulas bonorum possessionem accipere, hæreditatemq; ipse potius habebit, quàm pater adoptiuus. Illud notandum est, quòd etsi adierit hæreditatem in adoptionem datus, contra tabulas ei detur: aliàs autem, si quis legatum, siue portionem sibi datam agnouerit, à contra tabulas bonorum possessione repellendus est. *Septima duplicatio est: Nisi in adoptionem datus, inutiliter hæres sit institutus, ut ei hæreditas ex institutione deferri non possit. Hæc duplicatio constat ex uerbis d. §. 1. ẽ. dupl. 5. propositis hisce:* Sufficit ut ei delata sit, adquiriq; possit. *Concordat l. si in adoptionem. 11. in prin. ibi: idem puto. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. dupl. proxim. Octaua duplicatio est: Nisi conditio, sub qua institutus est, defecerit. quæ duplicatio approbatur d. l. 11. in prin. his uerbis:* Si in adoptionem datus, sub conditione scriptus sit hæres à naturali patre, alio committente contra tabulas edictum, & ipse ueniet: sed si defecerit conditio, repellitur ab ea possessione. Idem puto & in eo qui purè quidem, licet non iure, scriptus sit hæres. *Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Sed & plures huiusmodi duplicationes uide ẽ. except. 13. Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi pater adoptiuus mortuus sit. Hæc replicatio reprobatur l. utrum autem. 9. ff. de bon. possess. contr. tab. his uerbis:* Vtrum pater adoptiuus uiuat, an defunctus sit, nihil interest. nam hoc solum quæritur, an in adoptiua familia sit. *Tertia replicatio est: Nisi à patre adoptiuo rursus fuerit emancipatus. Hæc replicatio approbatur l. si emancipatus. 6. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Adoptio tamdiu nocet, quãdiu quis in aliena familia est. Cęterùm emancipatus ad bonorum possessionem parentum naturalium uenit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi post mortem demum testatoris ab adoptiuo patre sit emancipatus. quæ duplicatio approbatur ibidẽ. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 2. except. 3. repl. 1. Quarta replicatio est: Nisi præteritus parenti suo in adoptionem sit datus, uel in eius familia manserit. Hæc replicatio approbatur l. non tantùm. 3. §. si quis filio. ff. d. tt. his uerbis:* Si quis filio suo emancipato nepotẽ, quem ex eo retinuerat, dederit in adoptionem: nepos iste ad cõtra tabulas bonorum possessionem aui sui admittitur, patre eius antè defuncto. Quia in eius est familia, qui & ipse admitti potuit ad bonorum possessionẽ contra tabulas. Idemq; est, etsi emancipatus filium, quem post emancipationem quæsierat, patri suo in adoptionem dederit, & decesserit. nam & hic nepos iste ad bonorum possessionem patris sui admitti debet, quasi non sit in aliena familia. *Concordat l. si retentus. 7. ff. eod. tt. his uerbis:* Si retentus fuerit in potestate nepos, filio emancipato: admittitur nepos uiuo auo ad patris bonorũ possessionem. *Concordat item l. ult. ibi: nam si alter. item ibi: idemq; ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. 2. Concordat item l. emancipato. 4. ff. de coniung. cum emancip. liberis. cuius uerba uide ẽ. lib. proxim. cap. 4. quæst. 3. reg. 1. Concordat item Instit. de hæred. quæ ab intestato. §. sed ea omnia. ibi: nostra autem constit. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 2. except. 3. in fine. Hæc de sexta exceptione eiusq; replicationibus sint dicta. Sed & plura de ea uide ẽ. lib. 28. cap. 15. except. 176. repl. 2. Septima exceptio est: Nisi nepos testatoris præteritus, ex patre in adoptiua familia constituto sit natus. Hæc exceptio approbatur l. si emancipatus. 6. §. si filius. ff. de bonor. possess. contra tab. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 4. except. 8. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nepos in adoptiua familia natus, postea sit emancipatus. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d. l. 6. §. planè si is. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 2. except. 3. repl. 1. Concordat l. ex duobus. 14. §. penult. ff. eod. tt. his uerbis:* Filius in adoptiua familia uxore ducta filium sustulit, eumque post mortem patris adoptiui emancipauit. hunc nepotem contra tabulas aui naturalis decreto posse petere bonorum possessionẽ, Africanus respondit. *Altera replicatio est: Nisi antequam filius se adrogandum daret, nepos ex eo natus sit. Hæc replicatio approbatur d. l. 14. §. fin. cuius uerba uide ẽ. except. 2. Octaua exceptio est: Nisi nepos præteritus habeat patrem adhuc uiuentem. Hæc exceptio approbatur l. si emancipatus. 6. §. 1. ff. de bonor. poss. contra tabul. his uerbis:* Si filium & nepotem emancipauerit: uiuente quidem filio nepos non ueniet: post mortem autem eius ad bonorum possessionem aui ueniet. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi filio emancipato, & nepote in potestate retento, uterq; præteritus sit. quæ replicatio approbatur d. l. 6. §. filio, his uerbis:* Filio emãcipato, si nepos retentus sit, & utriq; præteriti: utriq; accipient bonorũ possessionẽ. *Plura de hac repl. uide ẽ. li. 29. cap. 4. Sed & plura de proposita exceptione uide ẽ. li. 28. cap. 15. repl. 5. itẽ ĩ. exc. 15. Nona exceptio est: Nisi adoptiui liberi, non*

non naturales præteriti sint. Hæc exceptio reprobatur l. 1. in prin. ff. d. tt. his uerbis: In contra tabulas bonorum possessione liberos accipere debemus siue naturales, siue adoptiuos: si neque instituti, neque exhæredati sunt. *Planè admittitur exceptio proposita, si adoptiui liberi rursus fuerint emancipati. quæ distinctio approbatur Inst. de hæred. quæ ab intest. §. eadem hæc, in fine. cuius uerba uide ẽ. except. 5. Concordat Inst. eod. tt. §. sed ea omnia. ibi: testamẽto autem. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 2. except. 3. in fine. Concordat item l. 1. §. & sui iuris, in fine. ff. contra tabulas. cuius uerba uide ẽ. d. except. 5. Decima exceptio est: Nisi posthumi liberi præteriti sint. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. hæc autem, his uerbis:* Hæc clausula etiam ad posthumos uidetur pertinere. *Vndecima exceptio est: Nisi præteritus apud hostes fuit. Hæc exceptio reprobatur d. §. hæc autem, his uerbis:* Et si ab hostibus postliminio redierint filij, Pomponius putat ad contra tabulas bonorum possessionẽ eos admitti. *Concordat l. 1. §. qui ab hostib. ff. de collat. bonor. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. except. 10. Duodecima exceptio est: Nisi præteriti hæredes institui non possint. Hæc exceptio approbatur l. non tantùm. 3. §. liberi. ff. de bonor. possess. contra tabul. his uerbis:* Liberi qui instituti hæredes non possunt, nèc contra tabulas bonorum possessionem petere possunt. Hæc autem uerba, Instituti non possunt: ad mortis tempus referuntur. *Decimatertia exceptio: Nisi non præteritus, sed hæres institutus sit actor. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. §. si quis ex liberis, hisce uerbis:* Si quis ex liberis hæres scriptus sit, ad contra tabulas bonorum possessionẽ uocari non debet. cum enim possit secundum tabulas habere possessionem, quod bonum est ei contra tabulas dari? *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi alius præteritus committat edictum. quæ replicatio approbatur d. §. si quis, in fine, his uerbis:* Planè si alius committat edictum: & ipse ad contra tabulas bonorum possessionem admittetur. *Huius replicationis duplicatio prima hæc esse uidetur: Nisi præteritus posthumus nondum sit natus. Hæc duplicatio reprobatur l. illud. 4. §. fin. ff. de bonor. possess. contra tabul. cuius uerba uide ẽ. lib. 28. cap. 22. reg. 1. except. 1. repl. 3. Altera duplicatio uidetur esse: Nisi præteritus contra tabulas bonorum possessionem non petat. Et hæc duplicatio reprobatur l. si post. 10. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Hi qui propter alios contra tabulas bonorum possessionem petunt, non expectant ut præteriti bonorum possessionem accipiant: uerùm ipsi quoque bonorum possessionem contra tabulas petere possunt. Cum enim semel beneficio aliorum ad id beneficium fuerint admissi: iam non curant, petant illi nécne bonorum possessionem. *Concordat l. nonnunquã. 14. in prin. ff. de legatis præstandis, contra tabul. bonor. possess. petita. cuius uerba uide ĩ. quæst. 4. reg. 1. except. 1. Tertia duplicatio est: Nisi actor hæres institutus, ex institutione hæreditatem adierit. quæ duplicatio approbatur l. ex duob. 14. in prin. ff. de bonor. possess. contra tab. his uerbis:* Ex duobus filijs emancipatis alter hæres institutus est, alter præteritus: si institutus adierit, quamuis uerbis edicti parum expressum sit, tamẽ non posse eum petere bonorum possessionem, Africanus respondit: quia iudicium patris secutus sit. Nec enim emancipatum, si legatum acceperit, admitti ad bonorũ possessionem, siue ab hæredibus institutis, siue ab his qui contra tabulas petierint, acceperit. Sed illud obseruãdum ait, ut Prætor eum qui hæres institutus adierit, in eam partem qua scriptus sit, tueri debeat: dum tamen non ampliorem, quàm habiturus esset, si bonorum possessionẽ accepisset: ut hactenus deteriorem causam suam fecerit. Quòd si ex minore parte sit institutus, eam duntaxat retinere possit, & quòd extraneis quoque legata præstare cogatur. Quòd si is qui in potestate est, hæres institutus sit, quoniam necessarius hæres sit: non aliud dici posse, quàm & ipsum petere posse bonorum possessionem, si modò hæreditati se non immiscuerit. tunc enim, quia iudicium patris comprobasse uideatur, eodẽ loco, quo emancipatum, haberi debere. *Huius duplicationis prima triplicatio hæc est: Nisi in adoptiua familia cõstitutus hæres institutus ex institutione adierit. quæ triplicatio approbatur l. si post. 10. §. si in adoptionem. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. 6. repl. 1. duplic. 6. Altera triplicatio est: Nisi non ipse actor, sed seruus eius hæres scriptus sit. Hæc triplicatio reprobatur l. non tantùm. 3. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si quis ex liberis non sit scriptus hæres, sed seruus eius scriptus sit, eumq; iusserit adire hæreditatem: denegari debet ei bonorum possessio contra tabulas. Idemq; est, etsi legatum relictum sibi uel seruo suo elegerit. Nam & hic dicimus, bonorũ possessionem cõtra tabulas debere denegari. *Quarta duplicatio est: Nisi idem exhæredatus & institutus sit. Hæc duplicatio reprobatur l. non putauit. 8. §. si exhæredatus, ff. de bonor. possess. contra tabul. his uerbis:* Si exhæredatus sit filius & institutus: obtinente eo gradu, in quo institutus est, putat Vlpianus, cõmisso edicto ab alio filio, contra tabulas eũ bonorum possessionẽ petere posse. *Quinta duplicatio est: Nisi sub conditione hæres sit institutus actor. Hæc duplicatio approbatur l. non tantùm. 3. §. sed si sub. ff. eod. tt. his uerbis:* Sed si sub conditione scriptus sit, bonorum possessionem contra tabulas accipere non potest. Et ita Iulianus quoq; lib. XXIII. Digest. scripsit. Quid ergo, si defecerit conditio? uerum est, eum contra tabulas accipere bonorũ possessionem. *Concordat l. sub conditione. 18. in prin. ff. eod. tt. cu-*

tt. cuius uerba uide ĩ.excepti.prox.repl.4. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi conditio defecerit.quæ triplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce: Quid ergo, si defecerit conditio, &c. *Altera triplicatio uidetur esse: Nisi sub ea conditione, quæ in ipsius potestate non est,hæres sit institutus.Hæc triplicatio reprobatur d.l.3.§.si sub ea, his uerbis:* Si sub ea conditione filius emancipatus hęres sit institutus, quæ in ipsius potestate nõ est: quia scriptus hæres est,bonorum possessionem secundũ tabulas accipere potest & debet,nec contra tabulas potest.Et si fortè defecerit conditio, tuendus erit à Prætore in tantum, quantum ferret, si contra tabulas bonorum possessionem accepisset. Sed & si nepos sub huiusmodi conditione scriptus sit hæres:idem erit dicendum. *Sexta duplicatio est: Nisi nepos præteritus habeat patrem adhuc uiuentem. quæ duplicatio ipso quidem iure subsistit,uerùm eius triplicatio prima hæc est: Nisi pater nepotis fit exhæredatus uel emancipatus, nepote in potestate testatoris retento. quæ triplicatio approbatur l.ult.in prin. ff.de legatis præst.contra tab.bonor.possess.petita,his uerbis:* Qui filiũ emancipauerat,& nepotem ex eo in potestate retinuerat,testamento filium exhæredauit, nepotem ex alia qua parte hęredem instituit,& alium filium emancipatum præterijt.potest defendi,nepotem quoq; bonorũ possessionem contra tabulas petere posse. nam pro ea parte, qua quisq; intestato suus hæres esset, si pater suus hæres non esset, bonorum possessio defertur. *Altera triplicatio est: Nisi pater nepotis in adoptionem alij sit datus. quæ triplicatio approbatur d.l.ult.§.is cuius,his uerbis:* Is cuius filius in adoptione erat, nepotem qué filius postea procreauerat, scripsit hæredem, emancipatũ filium præterijt. habet nepos ex edicto bonorum possessionem:tuendus est tamen exẽplo parentum & liberorum, quibus legata præstare coguntur, qui bonorũ possessionẽ contra tabulas acceperunt. *Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione,eiusq; duplicationibus sint dicta. Altera replicatio uidetur: Nisi sub conditione hæres sit institutus. Hæc replicatio reprobatur, sed & admittitur certo casu,l.nõ tantùm.3.§.sed si sub. ff.de bonor.possess.contra tabul.cuius uerba uide ĩ.replic.prox.dupl.5. Decimaquarta exceptio est: Nisi actor sit exhæredatus,non præteritus.Hæc exceptio approbatur l.non putauit.8.in prin. ff. de bonor.possess. contra tabulas, his uerbis:* Non putauit Prætor, exhæredatione notatos & remotos ad contra tabulas bonorum possessionem admittendos:sicut nec iure ciuili testamenta parẽtum turbant. Sanè si uelint inofficiosi querelam instituere, in ipsorũ est arbitrio. *Concordat l.ult.ff.de liberis & posthumis, hisce uerbis:* Si filio emancipato exhæredato,is qui in potestate est,præteritus sit:ipse quidé emancipatus,etsi cõtra tabulas petat,nihil agit: ab intestato autem & suus & emancipatus uenient. *Huius exceptionis replicatio prima hæc uidetur esse:Nisi per alium sit edicti commissum. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Is qui in potestate est,præteritus sit, &c. *Concordat l.si post.10.§.exhæredati.ff.de bonor.possess.contra tabul.his uerbis:* Exhæredati liberi quèadmodum edictum non committunt, ita nec commisso per alios edicto cum illis ueniũt ad bonorum possessionem:unaq; eis quere la supereſt,si de inofficioso dicant. *Concordat item l.filiũ.20.in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ. lib.29.cap.7. except.3.in prin. Altera replicatio est: Nisi inutiliter sit exhæredatus. Hæc replicatio approbatur l. nõ putauit.8.§.non quæuis. ff.contra tabul. his uerbis:* Nõ quæuis exhęredatio submouet filium à contra tabulas bonorum possessione,sed quę ritè facta est. *Huius replicationis species sunt replicationes duæ proximè sequentes. Tertia replicatio est: Nisi ab uno ex hæredib.actor sit exhæredatus. Hæc replicatio approbatur d.l.8.§.si ab uno,his uerbis:* Si ab uno ex hæredibus sit filius exhęredatus,Marcellus libro IX.Digest. scribit,filium non uideri exhæredatum. Idcirco contra tabulas bonorum possessionẽ peti posse contra utrunq; hæredem. *Quarta replicatio est: Nisi sub conditione sit exhæredatus. Hæc replicatio approbatur l.sub cõditione.18.in prin. ff.eod.tt.his uerbis:* Sub conditione exhæredatus,contra tabulas bonorum possessionem petet:licet sub conditione hæres institutus à contra tabulas bonorum possessione excludatur: certo enim iudicio liberi à parentum successione remouendi sunt. *Quinta replicatio est: Nisi in priore testamento exhæredatus, in posteriore præteritus sit. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l.si duob.12.§.si prius.ff.de bonor.poss.contra tabul.his uerbis:* Si prius testamẽtum extet iure factum,quo filius exhæredatus est:sequens imperfectum,in quo præteritus sit filius: posteriore testamento præteritus rectè petet bonorum possessionem. Si remoto quoq; filio potiores sint in ea hæreditate posteriore testamento scripti hæredes:ita ius habet,ut cum is,contra quem filius petat bonorum possessionem,amoto filio possit obtinere hæreditatem:filius quoque rectè uideatur petere bonorũ possessionem. Si uerò ille non possit obtinere hæreditatem:filius quoq; excludatur. *Sexta replicatio est: Nisi ab alio gradu,quàm cõtra quem petitur bonorũ possessio, sit exhæredatus. Hæc replicatio approbatur l.non putauit.8.§.1.ff.de bonor.possess.cõtra tab.his uerbis:* Aliqua tabularum parte exhæredem scribi non sufficit, sed eo gradu, contra quem petitur bonorũ possessio.Vnde si à primo gradu exhæredatus sit filius, à secundo præteritus, & primo gradu scripti non

non petierint bonorum possessionem: poterit contra tabulas accipere bonorum possessionem. *Septima replicatio est: Nisi à secundo gradu exhæredatus,à primo gradu sit præteritus. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur d.l.8.§.à primo,cum sequentibus,his uerbis:* A primo gradu præteritus est filius, à secundo exhæredatus. si primo gradu scripti, non sint in rebus humanis mortis testatoris tempore:dicendum est, contra tabulas bonorum possessionem præteritum petere nõ posse.Hęreditas enim in secundo gradu uersatur, nõ in primo,ex quo neque adiri hæreditas,neque bonorum possessio peti potest. Sed si post mortem testatoris decesserint hęredes scripti: idem Marcellus putat, contra tabulas bonorum possessionem semel natam competere.Sed & si defecerit conditio institutionis: adhuc tantundem dicit, præteritum ab eo gradu filium contra tabulas bonorum possessionem petiturum.Idem scribit,& si posthumus, qui institutus fuit, non fuerit natus. nam adhuc contra tabulas bonorum possessionem competere filio,Marcellus ait. *Octaua replicatio uidetur: Nisi actor suã manu se exhæredem scripserit. Hæc replicatio reprobatur d.l.8.§.si quis sua, his uerbis:* Si quis sua manu exhęredem se scripserit:an contra tabulas bonorum possessionem possit accipere,uideamus? Et Marcellus lib. IX. Digest. nocere ei hanc exhæredationem ait : quia senatus hoc pro non scripto non facit,quod contra eum est. *Nona replicatio est:Nisi filius adoptatus ante adoptionem fuerit exhæredatus. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur d.l.8.§.sẽ quis emancipatum, his uerbis:* Si quis emancipatum filium exhæredauerit, eumque postea adrogauerit:Papinianus libro secũdo Quæstionum ait, iura naturalia in eo præualere: idcirco exhæredationem nocere. Sed in extraneo adoptato Marcelli sententiã probat,ut exhæredatio ei adrogato postea non noceat. *Decima replicatio est: Nisi filius, dum apud hostes esset,sit exhæredatus.Hæc replicatio reprobatur d.§.si quis, in fine, his uerbis:* Postliminio reuerso filio , dicendum est, exhæredationem antea factam nocere. *Vndecima replicatio est: Nisi actor, dum in adoptiua esset familia, sit exhæredatus. Hæc replicatio reprobatur d.l.8.§.si filium, his uerbis:* Si filium in adoptiua familia constitutum pater naturalis exhæredauerit,deinde sit filius emancipatus:nocebit ei exhæredatio. *Duodecima replicatio est: Nisi à scriptis hæredibus hæreditas non sit adita. Hæc replicatio approbatur l.filium.20. in prin. ibi:sed cum exhæredatio. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ. lib. 29. cap. 7.except.3.in prin. Hæc de decimaquarta exceptione. Decimaquinta exceptio est : Nisi pater præteriti hæres institutus sit, uel exhæredatus. Hæc exceptio approbatur l.illud.4.§.si quis filium. ff.de bonor. possess. contra tab. his uerbis:* Si quis filium, quem in potestate habuit, instituerit hæredem uel exhæredauerit,& ex eo nepotem omiserit: bonorum possesioni locus non est. Quia non erat nepos suus hæres futurus. Eadem sunt & in sequentibus gradibus. *Concordat l.1.§.si pater. ff.de coniung. cum emancip. liber. cuius uerba uide ĩ.lib.29.cap.4.except.2. Concordat item l. si emancipatus.6.§.1. ff.de bonor.possess. contra tabul. cuius uerba uide ĩ. except. 8. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi pater emancipatus, nepos ex eo in potestate aui retentus præteritus sit. quæ replicatio approbatur l. qui filium. 25. in prin. ff. de legatis præst. contra tab.bonor. possess. petita. cuius uerba uide ĩ.except.13.repl.1.dupl.6. tripl.1. Plures huius exceptionis replicationes uide ĩ. lib.28.cap.15. replicat.5. Decimasexta exceptio est: Nisi filius præteriti hæres sit institutus. Hæc exceptio reprobatur l. si ponas. 23. in prin.ff.de inoff.test.cuius uerba uide ĩ.cap.4.quæst. 2. exception.28. Planè admittitur exceptio hæc, si filius in præteriti sit potestate, exemplo serui. de quo ĩ. except.prox. Decimaseptima exceptio est: Nisi seruus præteriti hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur l. non tantùm. 3. §. fin. ff. de bonor. possess. contra tabul.cuius uerba uide ĩ.except.13.repl.1. dupl. 3.tripl.2. Decimaoctaua exceptio : Nisi actor hæres institutus ex institutione hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d. dupl. 3. Sed & concordat l.si post. 10.§.si in adoptionem.ibi:alias autem.ff.de bonor. possess. contra tabul. cuius uerba uide ĩ.except.6.repl.1. dupl. 6. Decimanona exceptio est : Nisi legatum sibi uel seruo suo relictum præteritus agnouerit. Hæc exceptio approbatur d.l. 3. §.fin. Cui concordat d.§.si in adoptionem.ibi:alias autem. Concordat item l.ex duob.14.in prin. ibi:nec enim.ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.except.13.repl.1.dupl. 3. Concordat item l.filium.5. §.constituere. ff.de legatis præst. contra tab. bonor. possess. petita. cuius uerba uide ĩ.lib.33.cap.15.quæst.2.de liberis,except.7. Concordat item l. si filius. 30. ff.de minorib. 25. annis. cuius uerba uide ĩ.lib.49.cap.4. quæst.4. except.27. Vicesima exceptio est : Nisi præterito fideicommissaria hæreditas sit relicta sub hac conditione, Si aui potestate esset liberatus. quæ exceptio approbatur l. si emancip.16. ff.de bon.possess. contra tab. his uerbis:* Si emancipatus filius nepoti in potestate aui relicto ab extraneo hærede fideicommissariam hæreditatem,si liberatus aui potestate fuisset,reliquisset: si suspectus auus sit,quasi consumpturus bona nepotis, non esse ei dãdam bonorum possessionẽ,Pomponius ait. *Vicesimaprima exceptio est: Nisi non naturalis nepos sit præteritus, sed à filio adoptatus. Hæc exceptio approbatur l.ult.§.fin.ff.d.tt.his uerbis:* Si emancipatus filius meus adoptauerit extraneũ filiũ: is qui adoptatus est filius,cõtra tabulas meas bonorũ possessionem petere nõ poterit: quia nunquam nepotis loco apud me fuit.

Vicesimasecunda exceptio est: Nisi nepos præteritus ex uxore contra uoluntatem aui ducta, uel ignominiosa natus sit. Hæc exceptio reprobatur l. non tantùm. 3. §. si emancipatus. ff. de bon. poss. contra tab. his uerbis: Si emancipatus filius, uxore non ex uoluntate patris ducta, filiũ fuerit sortitus, deinde nepos patre iam mortuo ad bonorum possessionem aui uelit uenire: admittendus est ad eam. Non enim per rescisionem is qui filius iustus est, efficietur non filius: cum rescisio quo magis admittatur, non quo minus adhibeatur. Nã etsi tam ignominiosam duxerit uxorem filius, ut dedecori sit tam ipsi quàm patri, mulierẽ talem habere: dicemus & ex ea natum ad bonorum possessionem aui admitti: cũ possitauus iure suo uti, eúmque exhęredare. nec enim minus in hoc nepote is qui de inofficioso cogniturus est, merita nepotis quàm patris eius delicta perpẽdet. *Vicesimaterția exceptio est: Nisi testamentum, in quo actor præteritus est, iniustum sit, aut ruptum, irritúmue. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. quod uulgò. 19. ff. d. tt. his uerbis*: Quod uulgò dicitur, liberis datam bonorum possessionẽ contra legem esse: sic intelligendum est, ut sufficiat extitisse tabulas mortis patris tempore, ex quibus uel adiri hęreditas, uel secũdum eas bonorũ possessio peti possit: quãuis neutrum eorum postea secutum sit, uel sequi potuerit. Nam si uel omnes instituti substitutiq; ante testatorem decesserint, uel is scriptus hæres fuerit, cum quo testamenti factio non fuit: peti cõtra tabulas bonorum possessionem inane est, quæ sine effectu foret. *Concordat l. si duob. 12. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. except. 14. repl. 5. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi mortis testatoris tempore testamentum ualuit. tunc enim, quamuis postea ruptum irritúmue sit factum, nihilominus contra tabulas bonorum possessio cõpetit. quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce*: Quamuis neutrum eorum postea secutum sit, uel sequi potuerit. *Huius exemplum proponitur l. illud. 4. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Illud notandum est, quòd bonorum possessio cõtra tabulas, quæ liberis promittitur, locũ habet, siue quis hæres extiterit, siue nõ. Et hoc est quod dicimus, contra ipsum testamentũ liberis competere bonorum possessionem. Quod in patrono contrà est. *Concordat l. filium. 20. in prin. ibi: quod si hi repud. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 7. except. 3. in prin. Concordat item l. sed & si. 10. in fine. ff. de legatis præstandis, contra tab. bonor. possess. petita. cuius uerba uide ẽ. lib. 33. cap. 15. quæst. 1. except. 5. Vicesimaquarta exceptio est: Nisi ante testatorem hæredes instituti decesserint. Hæc exceptio, quæ species est exceptionis præcedentis, approbatur d. l. 10. in fine. ibi: quod si neque. cuius uerba uide ẽ. d. quæst. 1. except. 7. Cui concordat l. quod uulgò. 19. in fine. ff. de bonor. possess. contra tabul. cuius uerba uide ẽ. except. prox. in prin. Hæc de exceptionibus propositæ quæstionis. Sed & plures huiusmodi exceptiones uide ẽ. lib. 28. cap. 15.*

II. QVIBVS BONORVM POSsessio contra tabulas competit?

I. *Regula, De liberis defuncti præteritis, proponitur l. 1. §. uocantur. ff. de bonor. possess. contra tabul. his uerbis*: Vocantur ad cõtra tabulas bonorum possessionẽ liberi eo iure, eoq; ordine, quo uocantur ad successionem ex iure ciuili. *Huius regulæ exceptiones uide ẽ. quæst. prox.*

II. *Regula, De parentibus defuncti præteritis, proponitur l. 1. in prin. ff. si à parente quis manumissus, his uerbis*: Emancipatus à parente, in ea causa est, ut in contra tabulas bonorum possessione liberti patiatur exitum. Quod æquissimum Prætori uisum est: quia à parente beneficium habuit bonorum quærendorum. Quippe si filius familiâs esset, quodcunque sibi adquireret, eius emolumẽtum patri adquireret. Et ideo ium est in hoc, ut parens exemplo patroni ad cõtra tabulas bonorũ possessionem admittatur. Enumerantur igitur edicto personę manumissorum, sic: In eo qui à patre, auóue paterno,, proauóue patre ni aui patre. *Cõcordat l. æquissimum. 5. in fine. ff. ad Senatusc. Tertyll. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 1. reg. 3. except. 1. repl. 1. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi adoptiuus parens sit. Hæc exceptio approbatur l. 2. §. sed neq; auus. ibi: sed nec ad bonor. possess. ff. ad S. C. Tertyll. cuius uerba uide ẽ. d. cap. 1. reg. 5. except. 14. repl. 1. Altera exceptio est: Nisi filius defuncti exhæredatus inofficiosum testamentum dicat. Hæc exceptio approbatur l. filio. 16. §. contra. ff. de inoff. test. cuius uerba uide ẽ. cap. 6. quæst. 8. reg. 2. except. 1. Tertia exceptio est: Nisi pater defuncti superfit. tunc enim excluditur auus. quæ exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi defunctus nepos ab auo fuerit manumissus seu emancipatus. quæ replicatio approbatur l. 1. §. nepos. ff. si à parente quis manumissus. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 5. reg. 1. except. 8. Quarta exceptio est: Nisi parens accepta pecunia defunctum emancipauit. Hæc exceptio approbatur d. l. 1. §. si parens, his uerbis*: Si parens uel accepit pecuniam, ut emanciparet, uel postea uinus in eum filius, quantum satis est, contulit, ne iudicia eius inquietaret: exceptione doli repelletur. *Quinta exceptio est: Nisi parẽs à defuncto filio quid accepit, ne testamentum eius inquietaret. Hæc exceptio approbatur uerbis d. §. si parens, iam propositis. Sexta exceptio est: Nisi defunctus testator miles fuerit. Hæc exceptio approbatur d. l. 1. §. est & alius, his uerbis*: Est & alius casus, quo bonorum possessionem contra tabulas parens non accipit: si fortè filius militare cœperit. Nam diuus Pius rescripsit, patrem ad contra tabulas bonorum possessionem uenire non posse. *Septima exceptio est: Nisi parens coactus defunctum emancipauerit.*

quæ

quæ exceptio approbatur l. ult. ff. si à parente quis, hisce uerbis: Diuus Traianus filium, quem pater malè contra pietatem afficiebat, coegit emancipare. Quo postea defuncto, pater ut manumissor bonorum possessionem sibi competere dicebat. Sed consilio Neratij Prisci & Aristonis ei propter necessitatem soluendæ pietatis denegata est. *Octaua exceptio est: Nisi defunctus à parente actore non fuerit emancipatus. Hæc exceptio constat ex prædictis. Sed ui detur iure nouo mutata & sublata esse Nouell. c. 115. §. atq; hæc quidem. cuius uerba uide ẽ. lib. 28. cap. 16. exc. 185. Reliquas exceptiones uide ẽ. quæst. prox.*

III. *Regula, De fratribus defuncti, liberis parentis manumissoris. Hisce contra tabulas bonorum possessio non competit. quæ regula approbatur l. 1. §. penult. ff. si à parente quis, hisce uerbis*: Liberos manumissoris non uenire ad cõtra tabulas bonorum possessionem filij, constat: quamuis patroni ueniant.

IIII. *Regula: De patrono eiusq; liberis uide ẽ. lib. 20. cap. 7. & cap. 8.*

V. *Regula, De hærede eius, cui bonorum possessio contra tabulas competit, proponitur l. illud. 4. §. fin. cum lege sequente. ff. de bonor. possess. contra tabul. cuius uerba cum reliquis huc pertinentibus uide ẽ. lib. 28. cap. 22. reg. 1.*

III. QVID ET QVANTVM ueniat in contra tabulas bonorum possessione?

I. *Regula: Omne ius, quod hæres scriptus habet, acto ri restituere cogitur. quæ regula approbatur l. cum emancipatus. 13. in prin. ff. de bonor. possess. contra tabul. his uerbis*: Cùm emancipatus bonorum possessionem contra tabulas accipit: scriptus hæres ei hęreditatem petenti, cogendus est & prædia & seruos hæreditarios præstare. Omne enim ius, quod per causam hæreditariam scriptus hæres nanciscitur, ad eum transferri æquum est, quem Prætor hæredis loco constituit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi parenti manumissori contra tabulas bonorum possessio competat. hic enim non maiorem partem scripto hæredi auferet, quàm patronus auferret. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. Pacuuius. 3. in prin. ff. si à parente quis manumissus, his uerbis*: Pacuuius ait, si turpes personas (ueluti meretricem) à parente manumissus hæredes fecisset: totorum bonorum contra tabulas possessio parenti datur, aut constitutæ partis, si non turpis hæres esset institutus. *Altera exceptio est: Nisi hæres institutus sit ex liberis defuncti, qui etiam ab intestato cum actore hæres futurus erat. hic enim partem, quam ab intestato habiturus erat, facit. quæ exceptio approbatur l. non putauit. 8. §. fin. ff. de bonor. possess. contra tabul. cuius uerba cum concordantibus uide ẽ. reg. prox. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi hæres institutus contra tabulas bonorum possessionem habere non possit. hoc enim casu, quamuis sit ex liberis defuncti, partem non facit. quæ replicatio approbatur l. si post. 10. §. liberi. ff. d. tt. his uerbis*: Liberi qui contra tabulas habere non possunt, nec partem faciunt, si per alios committatur edictum. Quod enim bonum est eis fauere, ut partem faciant, nihil habituri?

II. *Regula: Si unus ex liberis defuncti hæres sit institutus: commisso per alium edicto, in contra tabulas bonorum possessione tãtam partem habebit, quantam ab intestato habiturus esset, non ex qua scriptus est hæres. quæ regula approbatur l. non putauit. 8. §. fin. ff. de bonor. possess. contr. tab. his uerbis*: Nõ est nouum, ut emãcipatus præteritus plus iuris scriptis hæredibus fratribus suis tribuat, quàm habituri essent, si soli fuissent. Quippe si filius, qui in potestate patris est, ex duodecima parte hæres scribatur, emancipato præterito: dimidiam partem beneficio emancipati occupat, qui si emancipatum fratrem non haberet, duodecimam partẽ habiturus esset. Nam etsi ex parte minima sit hæres institutus, non pro ea parte qua institutus est, tuendus est commisso edicto, sed amplius per bonorum possessionem habere potest. Prætoris enim propositum est, cum contra tabulas bonorum possessionem dat, eas partes unicuique liberorum tribuere, quas intestato patre mortuo in hæreditate habiturus esset, si in potestate mansisset. Et ideo, siue emancipatus, siue is qui in potestate mãsit, siue in adoptionem datus, ex minima parte hæres scriptus sit: non redigitur ad eam portionem, ex qua institutus est, sed uirilem accipit. *Concordat l. cum emancipatus. 13. §. si pater. ff. eod. tt. his uerbis*: Si pater, emancipato filio præterito, hæredes duos scripserit, filium quem in potestate habebat, & alterum quẽ in adoptionem dederat, ex quo duos nepotes in familia reliquerat, qui & ipsi testamẽto præteriti sint: bonorum possessionem pro parte tertia is qui emancipatus est, pro parte tertia is qui in potestate remansit, pro parte qui in adoptionem datus est, & filij eius simul habebunt: ita ut sextans patri, sextãs nepotibus cedat. *Concordat item d. l. 13. §. fin. cuius uerba uide ẽ. lib. 29. cap. 2. except. 10. repl. 6. Concordat item l. si in adoptionem. 11. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Exemplo iuris legitimi & bonorum possessio contra tabulas distribuitur. Igitur nepotes ex uno filio unam partem habebunt. *Concordat item l. 1. §. filio. ff. de coniung. cum emancip. liberis, hisce uerbis*: Filio in potestate ex besse, emancipato ex triente hærede instituto: Iulianus ait, nepotem præteritum, petita contra tabulas bonorum possessione, patruo sextantem, patri unciam ablaturum. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi hæres institutus ex testamento adire, quàm contra tabulas bonorum possessionem*

sionem petere malit. hoc enim casu ea pars, ex qua in-
stitutus est, illi debetur. quæ exceptio approbatur si-
mul & distinguitur l.ex duob.14. §.sed illud. ff.de bo-
nor. possess.contra tab. cuius uerba uide ẽ.quæst.1. ex-
cept.13.repl.1.dupl.3. Concordat l.filium.5.§.sed si por-
tio. ibi: ad eum autem. ff.de legatis præst. contra tab.
cuius uerba uide j.lib.33.cap.15.quæst.4.reg.1. Concor-
dat item l.is qui.15. §.sed si unus.ibi:ita autem tuendus.
ff.cod.tt.cuius uerba uide j.lib.33.cap.15.quæst.3.reg.2.
except.1.

III. *Regula: Si cum duo essent emancipati fratres,*
& unus qui in potestate manserat, unus ex emancipa-
tis non contulerit:portio eius non utrique fratri,sed al-
teri tantùm,qui in potestate mansit,accedit.quæ regula
approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ.lib.prox.cap.
4.quæst.6.reg.2.

IIII. EVENTVS CONTRA TABULAS BONORUM POSSESSIONIS.

I. *Regula:Legata & fideicommissa ex eo testamen-*
to,contra quod bonorum possessio accepta est, non de-
bentur. quæ regula approbatur l.ita tamen.27. §.quo-
ties.ff. ad S.C.Trebell. cuius uerba uide j.lib.34. cap.3.
quæst. 2. except. 31. Huius regulæ exceptio prima hæc
est: Nisi solus hæres institutus, commisso per alium edi-
cto, contra tabulas bonorum possessionem acceperit.
Hæc exceptio approbatur l.nonnunquam.14. in prin.
ff. de legatis præst. contra tabul. bonor. possess. petita,
his uerbis: Nonnunquam contra tabulas bonorum possessionem quis habet iure secundum tabulas bonorum possessionis:utputa hæres institutus est emancipatus filius, alius emancipatus filius præteritus: institutus accepit contra tabulas bonorum possessionem,præteritus omisit:apertissimum est,ut cogatur omnibus perinde legata præstare, atque si commissum edictum non fuisset. Nec enim occasio emancipati præteriti debet institutum lucro adficere, cum præteritus iure suo non utatur. *Concordat l.is qui.15. §.*
sed si unus.ibi:sed si solus.ff.cod.tt.his uerbis: Si unus emancipatus hæres scriptus sit,alter præteritus,& utriq; contra tabulas bonorum possessionem acceperint: & institutus eadem præstat,quæ præteritus. Sed si solus hæres institutus contra tabulas bonorum possessionem acceperit: omnibus debebit legata præstare,perinde atq; si adijsset hæreditatẽ. *Altera exceptio est:Nisi hæres institutus,commisso per*
alium edicto, & contra tabulas bonorum possessione
ab alio accepta,is possessione ista, quam etiam accipere
poterat,repudiata, ex testamento hæreditatem adierit.
Hæc exceptio approbatur l.si duo.16.in fine.ff.de lega-
tis præstandis, contra tab.bonor. possess.accepta. cuius
uerba uide j.lib.33.cap.15.quæst.1.except.9. Concordat
l.uirilis.8.§.si adierit. ff.cod.tt. cuius uerba uide j.reg.
ult. Item concordat l.ex duob.14.§.sed illud obseruan-
dum. ibi:& quod extraneis. ff. de bonor.possess.contra
tab.cuius uerba uide ẽ.quæst.1.except.13.repl.1.dupl.2.
Contradicit l.is qui.15. §.sed si unus.ibi:de scripto. ff.de
legatis præst. contra tabul. bonor. possess. petita. cuius
uerba uide j.lib.33.cap.15.quæst.3.reg.2.except.1. Ter-
tia exceptio uidetur:Nisi hæredi instituto & legatis o-
nerato portio sua sit conseruata. Hæc exceptio repro-
batur l.filium.5. §.fin. ff.d.tt. cuius uerba uide j.lib.33.
cap.15.quæst.4. reg. 5. Quarta exceptio est: Nisi cum
ab impuberis substituto relicta legata essent,is ex substi-
tutione hæres extiterit. Hæc exceptio approbatur d.l.
5.in prin.his uerbis: Filium quis impuberem hæredem scripsit,eiq; substituit,emancipatum autem filium præterijt: deinde uterq; filius acceperunt bonorum possessionem: legata sunt etiam à substituto impuberis relicta, non tantùm liberis & parentibus,uerùm etiam extraneis.quæritur,an mortuo impubere cogatur substitutus ea præstare? Et siquidem ab impubere relicta sunt,solis liberis parentibusq; præstanda sunt. Sin uerò à substituto impuberis: omnibus eum præstare oportet,habita ratione legis Falcidiæ: scilicet ut partis dimidiæ, quæ ad eum ex bonis patris peruenit, quartã, id est, totius assis sescunciam retineat. Sed si impubes ex uncia duntaxat institutus hæres fuerit:magis est semissem usque legata præstaturum, habita ratione legis Falcidię. Licet enim ex uncia fuerit hæres impubes institutus : tamẽ quod accessit, augebit legata à substituto relicta. *Concordat l.ex duob.32.§.fin.ff.de uulgari*
substit.cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.14. exc.172. Item
concordat l.etsi contra.33. ff.cod.tt. cuius uerba uide j.
lib.33.cap.7.reg.20.Concordat item l.ult.§.fin.ff.de leg.
3. cuius uerba uide d. reg. 20. Quinta exceptio est:
Nisi non legatum, sed mortis causa donatum sit. Hæc
exceptio reprobatur l. sed & si.3. in prin. ibi: si autem
except. ff.de legatis præstandis contra tab. cuius uerba
uide j.lib.33.cap.15.quæst. 4. reg. 2. Sexta exceptio
est: Nisi parentibus, liberis defuncti, uel alijs similibus
exceptis personis legata sint relicta. Hæc exceptio ap-
probatur simul & distinguitur j. lib.33. cap.15. Septi-
ma exceptio est: Nisi alicui legatum sit relictum, ita ut
exceptis personis restituat. Hæc exceptio approbatur
d.l.5.§.sed si proponas. ff.de legatis præst. his uerbis:
Si proponas extero legatum, rogatumque eum præstare hoc alicui ex liberis parentibusq;: consequenter dicemus, præstari debere. Hoc amplius, etsi extraneo relictum sit sub hoc modo,ut alicui ex liberis præstet: æquissimum erit dicere, non debere ei prætorem denegare actionem.

II. *Regula: Ei qui contra tabulas bonorum possessionem accepit, denegatur petitio, item retentio lega-*
torum, & aliarum rerum, quas ex defuncti uoluntate
habet. quæ regula approbatur simul & distinguitur
per ea quæ habentur j.lib.proxim.cap.9.causa 17.

III. *Regula: Patri manumissori, qui contra ta-*
bulas bonorum possessionem accepit, nihilominus ius
antiquum conseruatur. quæ regula approbatur l.1.§.
fin. ff.si à parente, his uerbis: Patrem, accepta contra

contra tabulas bonorum possessione: & ius antiquum, quod & sine manumissione habebat,posse sibi defendere,Iulianus scripsit. Nec enim nocere debet ei, quòd iura patro natus habebat,cum sit & pater.

IIII. *Regula, De actione de dolo, proponitur l.nõ*
putauit.8.§.si adierit. ff.de bonor.possess.contra tabul.
his uerbis: Si adierit hæreditatem is cui uirilis conseruatur: libertates competent exnecessitate per additionem. Veruntamen uidendum est, an de dolo actione tenetur qui adijt? Et magis est,ut si denunciante eo qui præteritus accepit contra tabulas bonorum possessionem, hic adijt hæreditatem, pollicente eo portionem uirilem: sit quod ei imputetur, & de dolo (malo) actione teneatur. Damno enim afficit hæreditatem, dum competunt libertates.

V. ADFINIA REMEDIA.

I. *Regula: Exhæredatis non competit bonorũ pos-*
sessio contra tabulas, sed querela de inofficioso testamẽ-
to.quæ regula approbatur d.l.8.in prin. & l.si post.10.
§.exhæredati.ff.de bonor.possess.contra tabul. quarum
legum uerba uide ẽ.quæst.1.except.14. Concordat l.fi-
lium.20.in prin.ibi:sed quemadmodum. ff.cod.tt. cuius
uerba uide ẽ.lib.29.cap.7.except.3.in prin.

II. *Regula: Etiam ab intestato bonorum possessio*
competit. quæ regula approbatur l.ult. ff.de liberis &
posthumis. cuius uerba uide ẽ. d. except. 14. in prin.
Concordat l.maximum uicium.4. §.sancimus.C.de libe-
ris præteritis. cuius uerba uide ẽ. lib.28. cap.15.except.
176.repl.4. Huius regulæ exceptio hæc est:Nisi non is
qui in potestate defuncti mansit,sed emancipatus præ-
teritus, omissa contra tabulas bonorum possessione, ab
intestato bonorum possessionem petat: huic enim illa
successio denegatur. quæ exceptio approbatur l.2. ff.si
tabulæ test. nullæ extab. cuius uerba uide ẽ. lib.28. cap.
15.repl.18. Hactenus de bonorum possessione contra tabulas.

DE VENTRE IN POSSESSIONEM mittendo, quinta actio.
Cap. IX.

PRIMO: *Ratio huius actionis proponitur l.1.in*
prin.ff.de uentre in possess.mittendo, his uerbis:
Sicuti liberorum eorum qui iam in rebus humanis sunt,curam Prætor habuit: ita etiam eos qui nondum nati sunt, propter spem nascendi nõ neglexit.Nam & hac parte edicti eos intuitus est,dum uentrem mittit in possessionem uice contra tabulas bonorum possessionis.

II. CAVSA HVIVS actionis.

Si posthumo competat bonorum possessio,uenter,id
est,mulier prægnans in bona defuncti mittenda est.quæ
causa approbatur l.ubicunque.7. in prin. ff. cod. tt. his
uerbis: Vbicunque ab intestato uenter admittitur,scilicet si talis fuerit,qui in utero est, ut si in rebus humanis esset, bonorum possessionem petere possit(ut in omnibus partib. edicti)pro superstite habetur is qui in utero est. *Concordat l.uli.ibi:nam & uentrem.ff.cod.tt.cu-*
ius uerba uide ẽ. lib.29. cap.7. except.14. Huius causæ
seu regulæ exceptio prima hæc est: Nisi posthumi pa-
ter adhuc uiuat. quæ exceptio ipso quidem iure subsi-
stit: uerum eius replicatio prima hæc est: Nisi post-
humus natus patri in bonis sui iungatur. quæ replicatio
approbatur l.1.§.si pater. ff.de uentre in possess.mitten-
do, his uerbis: Si pater nutu prægnante filium emancipauerit, non in totum repelli uterus debet.nanque natus solet patri ex nouo edicto iungi. Et generaliter,quibus casibus patri iungitur natus, admittendus est uenter in possessionem. *Altera replicatio est: Nisi pater*
posthumi apud hostes sit.quæ replicatio approbatur d.
l.1.§.si filius, his uerbis: Si filius ab hostibus captus sit,uxor eius prægnãs in possessionem bonorum soceri mittenda est. Nam aliquo casu spes est,id quod nascitur,inter suos hæredes futurum:utputa si pater eius apud hostes decedat.

II. *Exceptio est: Nisi posthumus sit exhæredatus.*
Hæc exceptio approbatur d.l.1.§.toties,his uerbis: Toties mittitur in possessionem uenter, si non est exhęredatus,& id quod in utero erit,inter suos hæredes futurum erit. *Huius exceptio*
nis replicatio prima hæc est: Nisi exhæredatus aliquo
casu hæres existere posit. Hæc replicatio approbatur
d.l.1.§.sed etsi incertum, his uerbis: Sed etsi incertum sit, aliquo tamen casu possit existere, quo qui editur,suus futurus situ ẽtrem mittemus. æquius enim est,uel fructus nonnun quam impendia fieri, quàm denegari aliquando alimẽta ei, qui dominus bonorum aliquo casu futurus est. Quare etsi ita exhæredatio facta sit,Si mihi filius unus nascetur, exhæres esto:quia filia nasci potest,uel plures filij,uel filius & filia:uenter in possessionem mittetur.Sanctius est enim,sub incerto eius qui edetur, ali etiam eum qui exhæredatus sit:quàm eũ qui non sit exhæredatus fame necari: ratumq; esse debet,quod dimi nutum est,quamuis is nascatur,qui repellitur.Idem erit dicendum,etsi mulier,quæ fuit in possessione,abortum fecisset. *Huius re-*
plicationis species etiam sunt replicationes sequentes.
Altera replicatio est: Nisi sub conditione sit exhæreda-
tus posthumus. Hæc replicatio approbatur d.l.1. §.sed
etsi sub,his uerbis: Sed etsi sub conditione posthumus sit exhęredatus: pẽdente cõditione, Pedij sententiam admittimus, existimantis posse uentrem in possessionem mitti: quia sub incerto utilius sit uentrẽ ali. *Tertia replica*
tio est: Nisi à substitutis exhæredatus, ab institutis præ-
teritus sit. Hæc replicatio approbatur d.l.1.§.si uẽter, his
uerbis; Si uenter ab institutis exhæredatus

sit,à substitutis præteritus:Marcellus negat, in possessionem eum mitti posse uiuentibus institutis, quia exhæredatus sit. Quod uerum est.Per contrarium autem,si ab institutis præteritus sit uenter, à substitutis exhæredatus: uiuis institutis mittendum esse in possessionem. Quòd si non uiuant, negat mittendum:quia ad eum gradum deuoluta sit hæreditas,à quo exhæredatus est. *Quarta replicatio est: Nisi exhæredatio ita sit facta,Qui mihi intra tres menses mortis meæ natus erit, exhæres esto:* uel,*Qui post tres menses.* Hæc replicatio approbatur *d.l.1.§.sed & si quis,hisce uerbis*: Sed & si quis uentrem ita exhæredasset, Qui mihi intra menses tres mortis meæ natus erit, exhæres esto: uel, Qui post tres menses:uenter in possessionem utique mittetur. quia aliquo casu suus hęres futurus est.Et sanè benignio rem esse Prætorem in hanc partem oportebit:ne qui sperat ur,ante uitam necetur.

III. *Exceptio est: Nisi posthumus natus, defuncto suus hæres futurus non est.* Hæc exceptio approbatur *l.1.§.tories.ff.de uentre in possess.mittendo.cuius uerba uide* ℨ.*except.prox. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi posthumus filius sit defuncti. tunc enim, quamuis in aui potestatem sit recasurus, nihilominus in patris defuncti bona uenter mittendus.* quæ replicatio approbatur *d.l.1.§.etiam ex,his uerbis*: Etiam ex emancipato uenter ad possessionem admittitur. Vnde apud Iulianum libro XXVII. Digest. quæritur, si emancipatus quis sit uxore iam prægnante, deinde decesserit, & pater eius mortuus sit: an uenter in possessionem emancipati patris mitti possit? Et rectissimè scripsit, rationem non esse,cur uenter, quem edictum admittit, repelli debeat. Est enim æquissimum partui consuli, qui natus bonorum possessionem accepturus est. Sed etsi auus uiueret,similiter uentrem admitteremus. *Altera replicatio est: Nisi posthumus nepos sit defuncti. quæ replicatio approbatur d.l.1.§.si filius. ibi: etsi hic nepos, his uerbis:* Si filius in adoptionem datus decesserit prægnante uxore, tunc deinde adoptator defunctus fuerit: admittetur uenter in possessionem aui adoptiui. Sed an etiam in eius qui in adoptionem dederat, filius mittetur,uideamus? Et si hic nepos posthumus hæres ab auo naturali instituτus sit,mittetur in possessionem: & nato eo,si nemo ex libe ris sit alius, bonorum possessio secundum tabulas dari potest: aut si sint liberi præteriti,etiam contra tabulas cum ipsis potest accipere. *Tertia replicatio est: Nisi mater posthumi aliunde se alere non possit. tunc enim, quamuis posthumus defuncto suus hæres futurus non est, tamen uenter in possessionem mittitur. quæ replicatio approbatur l.extraneo.6.ff.de uentre in possess.mittẽdo, his uerbis*: Extraneo posthumo hærede instituto, non aliter uenter in possessionem mittitur, nisi mater aliunde se alere non possit: ne fortè ei qui natus bonorum possessor futurus est, denegasse alimenta uideamur. *Concordat l. uli.ff.eod.tt.cuius uerba uide* ℨ.*lib.29.cap.7.exc.14.*

IIII. *Exceptio: Nisi posthumus nepos sit defuncto ex filio adoptiuo. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.si filius.ff.de uentre in possess.mitt. cuius uerba uide* ℨ.*exc. prox.repl.2.*

V. *Exceptio: Nisi posthumus hæres negetur. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. ubicunque.7.§.interdum.ff.d.tt.his uerbis*: Interdum non passim,sed cum causę cognitione mitti uenter in possessionem debet,si quis sit qui controuersiam referat. Sed hoc tantùm ad eum uentrem erit referendum, qui cum liberis admittitur.Cæterùm si mittatur Vnde legitimi, uel ex qua alia parte: dicendum est, non esse causæ cognitionem necessariam. Nec enim æquum est, in tempus pubertatis uentrem uesci de alieno, in tempus pubertatis dilata controuersia. Sedenim placet omnes controuersias,quæ quasi status controuersiam continent, in tempus pubertatis differri: sed non ut in possessione sit status controuersia dilata, sed sine possessione. *Concordat l.1. §.& generaliter.ff.eod.tt. cuius uerba uide* ℨ. *except. proxim. Propositæ exceptionis species, necnon & replicationes uide in exceptionibus duabus proximè sequentibus.*

VI. *Exceptio: Nisi mulier uxor defuncti negetur, uel ex eo prægnans esse. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. 1. §.si ea quæ. ff.de uentre in possess. mitt. his uerbis*: Si ea quæ in possessionem ultro ire, uxor negetur, uel nurus esse uel fuisse, uel ex eo prægnans non esse contendatur: decretum interponit Prætor exemplo Carboniani edicti. Et ita diuus Hadrianus Claudio Proculo prætori rescripsit, ut summatim de re cognosceret: & si manifestam calumniam uideret eius, quæ uentris nomine in possessionem mitti desiderat, nihil noui decerneret: si dubitari de re posset, operam daret, ne quod præiudicium fieret ei quod in utero est, sed uentrem in possessionem mitti oportere. Apparet itaque, nisi manifesta sit calumniatrix mulier: debere eam decretum eligere. Et ubi omnino iustè dubitari poterit,an ex eo prægnans sit: decreto tuendam esse, ne præiudicium partui fiat. Idemque est, etsi mulieri status controuersia fiat. Et generaliter, ex quibus causis Carbonianam bonorum possessionem puero Prætor dare solitus est,ex ijsdem causis uentri quoque subuenire Prætorem debere,nõ dubitamus:eo facilius,quòd fauorabilior est causa partus,quàm pueri. Partui enim in hoc fauetur, ut in lucem producatur:puero,ut in familiam inducatur. Partus enim iste alendus est, qui etsi non tantùm parenti,cuius esse dicitur, uerùm etiam reipublicæ nascitur. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi non sit manifesta mulieris calumnia, sed probabilis dubitatio. tunc enim nihilominus uenter in possessionem est mittendus.quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis. Cui concordat l.si quis.3.§.fin.ff. ne uis fiat ei qui in possess. missus erit. cuius uerba uide* ℨ.*lib.23.cap.7.quæst.4.except.2.repl.1.*

VII. Exceptio: *Nisi mulier status controuersiam patiatur.*Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur *uerbis d.§.si ea quæ,*ℨ.*proposititis hisce*: Idemque est,etsi mulieri status controuersia fiat. *Concordat d.l.3.§.fin.*

VIII. Exceptio: *Nisi mulier mortis tempore defuncto uxor non fuit. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.rectissimè. ff. de uentre in possess. mittendo, his uerbis*: Rectissimè Prætor nusquam uxoris mentionem fecit:quia fieri potest,ut mortis tempore uxor non fuerit, quæ se ex eo prægnãtem dicit.

IX. Exceptio: *Nisi aliunde se mulier alere possit. Hæc exceptio reprobatur l. curator. 5. in prin. ff.d.tt. his uerbis*: Curator uentris alimenta mulieri statuere debet: nec ad rem pertinet, an dotem habeat, unde sustentare se possit: quia uidentur quæ ita præstantur, ipsi præstari qui in utero est.

X. Exceptio:*Nisi mulier prægnans non sit.Hæc exceptio approbatur l.1.§.1.ff.d.tt.his uerbis*: Prægnantem esse mulierem oportet omnimodò,nec dicere se prægnantem sufficit. Quare nec tenet datio bonorum possessionis, nisi uerè prægnans fuit & mortis tempore,& eo quo se mitti in possessionem petit. *Huius exceptionis replicatio est:Nisi deferente aduersario,mulier se prægnantem esse iurauerit. quæ replicatio approbatur l.cum mulier.10.ff.de Carboniano edicto,his uerbis*: Cùm mulier deferente hærede iurauerit se prægnantem, bonorum possessio ex edicto Carboniano dari debet: uel denegari,si illa hæredi detulit iusiurandum, cùm causa cognita datur possessio:ne aut hæredi bonorũ possessio data faciat præiudicium, aut denegata ius ordinarium eripiat pupillo. *Concordant ea quæ proponuntur* ℨ.*quæst.5.reg.18.except.1.*

XI. Exceptio: *Nisi nemo alius sit,cui bonorũ possessio competit.Hæc exceptio reprobatur l.ubicunque. 7.§.fin. ff. de uentre in possess. mittendo, his uerbis*: Quamuis Prætor uentrem in possessionem mittat,cum his quibus possessionem dederit: attamen etiam solus uenter admittetur ad bonorum possessionem.

III. QVI IN POSSESSIONEM SINT MITTENDI?

Si defunctus duas fecerit prægnantes, uterq; uenter in possessionem mittendus. Quæ regula approbatur l. 1. §.si quis prima. ff. de uentre in possess.mittendo, his uerbis:Si quis prima uxore prægnante facta, mox aliam duxerit, eamque prægnantem fecerit,diemq; suum obierit:edictum ambobus sufficit,uidelicet cum nemo contendit, nec calumniatricem dicit.

IIII. QVANDO MITTENDUS?

Si posthumus ab instituτis exhæredatus, à substitutis præteritus sit: non nisi hæreditate substitutis delata, in possessionem posthumus mittendus. Quæ regula approbatur d.l.1. §.si uenter. cuius uerba uide ℨ.*quæst.2. except.2.repl.3.*

V. EVENTVS ET IVRA missi uentris.

I. *Regula:Non possidet uenter,sed magis custodiam rerum & obseruationem præstat. Quæ regula approbatur l. cum legati.12. ff.quibus ex causis in possess. eatur.cuius uerba uide* ℨ.*lib.23.cap.2.except.13.*

II.*Regula:Ex bonis uenter est alendus. Quæ regula approbatur l. curator.5.in prin. ff.de uentre in possess.mittendo.cuius uerba uide* ℨ.*quæst.2.except.9. Plura de hac re uide* ℨ.*reg.6.*

III.*Regula:Quamdiu uenter in possessione esse debeat,definitur l.1.§.fin.cum lege sequente. ff.eod.tt. his uerbis*: Tamdiu uenter in possessione esse debet, quamdiu aut pariat, aut abortum faciat, aut certum sit eam non esse prægnãtem. Et si sciens prudensq; se prægnantem non esse, consumpserit: de suo id eam consumpsisse,Labeo ait. Sed & si enim ediderit, qui repulsus est, discedere debet. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi partui moueatur controuersia status. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.ubicunque.7.§.interdum.ff.eod.tt.cuius uerba uide* ℨ. *quæst.2.except.5.*

IIII. *Regula, De curatore uentri & bonis dando, proponitur l. 1. §.quoties. ff. de uentre in possess. mittendo,his uerbis*: Quoties uenter in possessionem mittitur, solet mulier curatorem uentri petere,solet & bonis. Sed siquidem tantùm uentri curator datus sit: creditoribus permittendum est in custodia bonorum esse.Si uerò non tantùm uentri,sed etiam bonis curator datus est:possunt esse securi creditores,cum periculum ad curatorem pertineat. Idcirco curatorem bonis ex inquisitione dandum (idoneum scilicet) oportet creditores curare, uel si quis alius est, qui non edito partu successionẽ speret.Hoc iure utimur, ut idem curator & bonis & uentri detur. Sed si creditores instẽt,uel qui speret se successurum: diligentius atq; circũspectius id fieri debebit: & plures (si desiderentur) dandi sunt. *De eodem curatore proponitur d.l.1.§. eligitur, usq; ad §.fin.his uerbis*: Eligitur curator aut ex his qui tutores dati sunt posthumo, aut necessarijs adfinibusq;, aut ex substitutis,aut ex amicis defuncti, aut ex creditoribus:sed is utique qui idoneus uidebitur. At si de

si de personis eorum quæstio moueatur: uir bonus eligitur. Quòd si nondum curator constitutus sit: quia plerunq; aut non petitur, aut tardius petitur, aut serius datur: Seruius aiebat, res hæreditarias hæredem instituti uel substituti obsignare non debere, sed tantùm pernumerare, & mulieri adsignare. Idem ait, ad custodiẽda ea quæ sine custodia salua esse non possunt, custodem ab hærede ponendum, utputa pecoris, & si nondum messis uindemiáue facta sit. Et si fuerit controuersia, quantum deminui oporteat: arbitrum dandum. Curatore autẽ constituto, hæc omnia cessare puto. Conscribi tamẽ curatori debent & uendenti, & inuentarium rerum facienti. *De officijs curatoris uentri dati proponitur d.l. 1. §. mulier. cuius uerba uide ĩ.reg.6. Sed & alia eius officia uide ĩ.reg.7.& 8.*

V. *Regula: Si curator bonis constitutus non sit, inuentarium conscribendum, & custos rerum ponendus. quæ regula constat ex uerbis iam propositis hisce*: Quòd si nondum curator constitutus sit, &c. *Concordat d.l. 1. §. quoties, cuius uerba uide ẽ. reg. prox. in prin.*

VI. *Regula: De uictu, uestitu & habitatione uentri ex hæreditate præstandis, proponitur l.1. §. mulier, cum §. sequente. ff. de uentre in possess. mittendo, his uerbis*: Mulier in possessionem missa, ea sola, sine quibus fœtus sustineri, & ad partum usque produci non possit, sumere ex bonis debet: & in hanc rem curator constituendus est, qui cibum & potum & uestitum & tectum mulieri præstet pro facultatibus defuncti, & pro dignitate eius atq; mulieris. Deminutio autẽ ad hos sumptus fieri debet primùm ex pecunia numerata: si ea non fuerit, ex his rebus quæ patrimonia onerare magis impendio, quàm augere fructib. consueuerũt. *Concordat l. habitatio. 4. ff. eod. tt. his uerbis*: Habitatio quoq;, si domum defunctus non habuit, concedenda erit mulieri. Seruis quoq; mulieris, qui necessarij sunt ad ministerium eius, secundum dignitatem cibaria præstanda sunt. *Concordat item l. curator. 5. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. quæst. 2. except. 9.*

VII. *Regula, De officio curatoris uentri dati, proponitur d.l. 1. §. idem si periculum est, his uerbis*: Si periculum est, ne interim res usucapiantur, ne debitores tempore liberentur: idem curator curare debet. Ita igitur curam hoc quoque officio administrabit, quo solent curatores arq; tutores pupillorum. *Aliud officium eius proponitur d.l. 5. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Curator uentri datus, soluendi debiti rationem habere debet, utique eius quod sub pœna aut pignoribus precioſis debetur. *Plura eius officia uide ẽ. reg. 4.*

VIII. *Regula, De nihil deminuendo ex bonis, præterquam quod ad alendum uentrem pertinet, proponitur l. 1. §. mulier. ff. de uentre in possess. mittendo. cuius uerba uide ẽ. reg. 6.*

IX. *Regula: Id quod ad alendum uentrem ex bonis consumptum est, ratum manet, nec repetitur. Quæ regula approbatur l. sumptus. 3. ff. d. tt. his uerbis*: Sumptus ab ea facti bona fide, non repetentur. *Concordat l. 1. §. sed etsi incertum, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. quæst. 2. except. 2. repl. 1. Concordat itẽ l. unica. §. interesse. ff. si mulier uentris nomine in possess. his uerbis*: Interesse uidetur primùm de alimentis, quæ in uentrem sunt erogata: nec enim aliàs hæc repetuntur, nisi per calumniam in possessionem uenit. Cæterùm si res calumnia caret: nihil præstabit mulier, quasi sine causa alta sit sub prætextu uẽtris. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi mulier sciens se prægnantem non esse, in possessione fuerit. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Nisi per calumniam in possessionem uenit. *Concordat l. 1. §. fin. ff. de uentre in possess. mittendo. cuius uerba uide ẽ. reg. 5. Plura de hac exceptione uide ĩ. cap. prox. Altera exceptio uidetur: Nisi is qui natus est, repellatur. Tertia exceptio uidetur: Nisi mulier abortum fecerit. Hæ duæ exceptiones reprobantur d. §. sed etsi incertum, in fine.*

X. *Regula: Quod ad alendum uentrem consumptũ est, uelut æs alienum deducitur. Quæ regula approbatur l. cum uenter. 9. ff. de uentre in possess. mittendo, his uerbis*: Cum uẽter mittitur in possessionem, quod in uentris alimenta deminutum est, detrahitur uelut æs alienum.

DE ACTIONE, SI MVLIER possessionem ad alium transtulit.

XI. *Regula: Ratio huius actionis proponitur l. 1. in prin. ff. si uentris nomine muliere, his uerbis*: Hoc edicto rectissimè Prætor prospexit, ne dum in fauorem partus possessionem pollicetur, alijs prædæ occasionem præbeat. Idcirco constituit actionem in mulierem, quæ in alium dolo malo hanc possessionẽ transtulit. Nec solùm mulierẽ Prætor coercet, uerũ eum quoq;, in cuius potestate ea fuit, scilicet si dolo ipsorũ alius in possessionẽ fuerit admissus, actionẽq; in tantum pollicetur in eos, quanti interfuerit eius qui experitur.

XII. Regula, *De causa huius actionis eiusq; exceptionibus. Si mulier possessionem ad alium transtulit, actio proposita competit. Quæ regula approbatur uerbis ẽ. reg prox. propositis. Cuius exceptio prima hæc est: Nisi sine dolo malo possessionem ad alium transtulerit. Quæ exceptio approbatur uerbis ẽ. reg. proxim. propositis hisce*: Quæ in alium dolo malo hanc possessionem transtulit. *Declaratur exceptio hæc l. 2. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Dolo facit mulier, non quæ in possessionem uenientem non prohibeat: sed quæ circumscribendi alicuius causa clam & per quandã machinationem in possessionem introducat. *Altera*

tera exceptio est: Nisi ab eo qui in possessione est, id quod ei abest, actor consequi possit. Hæc exceptio approbatur d.l. 2. §. si & patris, hisce uerbis: Si & patris & filiæ factum arguetur: in alterum, quẽ actor uelit, reddenda est actio: quia in id quod agentis interest, datur. Ideo si id quod ei abest, ab eo qui in possessione est, seruari possit (præter sumptus litis causa factos) inutilis erit ei hæc actio.

XIII. *Regula: Aduersus quos competit actio proposita? De ipsa muliere & patre eius, in cuius est potestate, proponitur uerbis iam propositis hisce*: Si & patris & filiæ factum arguetur: in alterum quẽ actor uelit, reddenda est actio. *Concordat l. 1. in prin. ibi: nec solum. ff. si uentris nomine muliere. cuius uerba uide ẽ. reg. 11. in prin. Concordat item d.l. 1. §. fin. cuius uerba uide ĩ. reg. 15.*

XIIII. *Regula: Quid ueniat in actione proposita? De eo quod actoris interest, proponitur d.l. 1. in prin. ibi: actionemq; in tãtum. Concordat l. 2. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. reg. 12. except. 2. Declaratur regula hæc d.l. 1. §. interest, his uerbis*: Interest eius qui experitur, admissum alium in possessionem non fuisse: cum forte bona fide fructus perceptos consumpserit, aut si prædo uenerit in possessionem, à quo fructus consequi non possit: quia soluendo non est.

XV. *Regula: Quamdiu detur actio hæc? Perpetua est. Quæ regula approbatur d.l. 1. §. fin. his uerbis*: Hæc actio etiam post annum dabitur: quia rei habet persecutionem. Et si filia sit quæ dolo fecit: in patrem dabitur actio, si quid ad eum peruenerit.

XVI. *Regula: Ad fine remedium proponitur d.l. 1. §. necessariò, his uerbis*: Necessariò Prætor adiecit, ut qui per dolum uenit in possessionem, cogatur decedere. Coget autẽ eũ decedere, non prætoria potestate uel manu ministrorũ: sed melius & ciuilius faciet, si eum per interdictũ ad ius ordinarium remiserit.

DE ACTIONE, SI MVLIER VENtris nomine in possessione calumniæ causa esse dicetur.

XVII. *Regula: Ratio huius actionis proponitur l. unica. §. hoc edictum. ff. si mulier uentris nomine, his uerbis*: Hoc edictum ex eadẽ causa proficiscitur, qua superius. Debet enim Prætor, quẽadmodum facilis est circa bonorum possessionem mulieri dandam uẽtris nomine, ita calumniam eius impunitam nõ relinquere.

XVIII. *Regula, De causa huius actionis. Si mulier calumniæ causa in possessione sit. Hæc causa declaratur d.l. unica. §. per calumniam, his uerbis*: Per calumniam in possessione fuisse uidetur, quæ sciens prudensque se prægnantem non esse, uoluerit in possessionem uenire. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi hærede deferente, mulier iurauerit se prægnantem esse. quæ exceptio approbatur d.l. unica, in prin. his uerbis*: Si de possessione uentris nomine quæratur, & deferente hærede mulier iurauerit se prægnantem esse: seruandum est iusiurandum, nec tenebitur mulier quasi calumniæ causa fuerit in possessionem missa: nec uis ei facienda est post iusiurandum. Si tamen peperit, quæretur ueritas, an ex eo prægnans fuerit? Alteri enim nec prodest, nec nocet iusiurandum inter alios factum: nec partui igitur nocebit. *Concordat l. ait prætor. 3. §. quacunq;. ibi: unde Marcellus. ff. de iureiurando. cuius uerba uide ẽ. lib. 7. cap. 7. quæst. 1. exc. 11.*

XIX. *Regula: Quibus competat actio proposita, definitur d.l. unica. §. competit, his uerbis*: Competit actio ei, cuius interfuit in possessionẽ missum non esse: utputa uel cohæredi speranti partum, uel ei qui subſtitutus fuit, uel qui ab intestato, si partus non fuisset, succedere potuit. *Huius exemplum seu species proponitur d.l. unica. §. nonnunquam, his uerbis*: Nonnunquam augebitur hoc quod interest: si quis fortè dubitans an prægnans sit, excluſus sit hæreditate. Nam hæredi eius qui excluſus est, dandam hanc actionem, Iulianus ait. Si quidem eius quoq; interfuit, non fuisse calũniæ causa in possessione mulierem: quia hoc si non fuisset, adeundo hæreditatem institutus hæredi suo locupletiorem hæreditatem suam relinqueret. Sed & hoc imputatur mulieri, quòd deminuta sunt multa in hæreditate: dum hic contemplatione uentris non attingit hæreditatem. *Concordat d.l. unica. §. idem Iulianus, his uerbis*: Idem Iulianus lib. XIX. Digest. sic ait: Si subſtitutus manente muliere in potestate decesserit: hæres eius eadem actione precium hæreditatis à muliere exiget. Sed an decedant legata, cæteraq; onera hæreditatis, uidendum? Et mihi uidetur potius dici posse, legatarios cum muliere usuros hac actione: quia & ipsorum interfuit adiri hæreditatem.

XX. *Regula: Aduersus quos actio proposita competat? De patre mulieris proponitur d.l. unica. §. in parentem, his uerbis*: In parentem etiam Prætor actionem pollicetur: si modò per eum factũ sit, ut in possessionem per calumniam ueniret. *Concordat d.l. unica. §. fin. his uerbis*: Si dolus filiæ familiãs interuenerit, & particeps doli pater fuerit: suo nomine tenebitur.

XXI. *Regula: Quid ueniat in hac actione? De eo quod actoris interest, proponitur d.l. unica. §. simili modo, his uerbis*: Et hic, quanti agentis interfuit, Prætor actionem hanc pollicetur. *Declaratur illud interesse d.l. unica. §. interesse. cuius uerba uide ẽ. reg. 9. item §. nonnunquam, cum sequentibus, cuius uerba uide ẽ. reg. 19.*

XXII. *Regula: Quamdiu actio proposita competat, definitur d.l. unica. §. hanc autẽ, his uerbis*: Hanc actionem Prætor intra annum utilem pollicetur, ultrà non: uidelicet quasi pœnalem,

XXIII.

XXIII. *Regula: Eucetus. De libertatibus testamento relictis conseruandis, proponitur d.l.unica.§. penult. his uerbis:* Libertatibus subueniendũ erit aduersus eum, qui propter hæreditatẽ hac actione aget: scilicet ut fideicommissarias cogatur is præstare, qui precium etiam eorum utique consequitur. Sed & directis credo Prætorem succurrere oportere, ut interuentu suo tueatur eorum libertates. *Ait Iurisconsultus:* Qui propter hæreditatem hac actione aget. *De hoc uide ſ. reg.19.§.nonnunquã, cum sequentibus. Hæc de uentre in possessionem mittendo.*

DE CARBONIANO EDICTO. sexta actio. Cap. X.

PRIMO: *Ratio huius edicti eiusq; actionis proponitur l.Carbonianum.3.§.duæ autem sunt.ibi:diuus enim Hadrianus.ff.de Carboniano edicto. cuius uerba uide ſ.quæst.prox.except.19.*

II. CAVSAE HVIVS ACTIONIS, earumq; exceptiones.

I. *Causa generalis: Si impuberi, cui bonorum possessio competit, controuersia fiat, an inter liberos sit: nihilominus ei bonorum possessio datur, & controuersia in tempus pubertatis differtur. Quæ causa approbatur l.1.in prin. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Si cui controuersia fiet, an inter liberos sit, & impubes sit: causa cognita perinde possessio datur, ac si nulla de ea re controuersia esset, & iudicium in tempus pubertatis causa cognita differtur. *Concordat d.l.3.§.duæ autem. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.except.19. Concordat item l.2.C.eod.tt.his uerbis:* Carbonianum edictum sub personis legitimis indubitato matrimonio, custodito partu, & probata legitima successione, defertur: scilicet ut in possessione nouus hæres constitutus, usq; ad pubertatis annos sine inquietudine rebus utatur interdum alienis.

II. *Causa: Si impubes ex defuncto conceptus negetur, uel ex matrimonio. Hæc causa specialis approbatur d.l.3.§.si mater. ff.eod.tt.his uerbis:* Si mater impuberis subiecti partus rea postulata, causam obtinuerit: poterit adhuc superesse status quæstio. utputa si dicatur aut non esse ex ipso defuncto cõceptus, aut ex ipso quidem, sed non ex matrimonio.

III. *Causa: Si suppositus esse dicatur impubes. Hæc causa approbatur l.1.§.fin. ff. d.tt. his uerbis:* Si mater subiecti partus arguatur: an differenda sit quæstio propter statum pueri, quæritur? Et siquidem pupilli status in dubium deducitur, differri quæstio in tempus pubertatis debet: cum metus esse possit, ne minus idoneè defendatur. Cum uerò mater rea postulatur: utiq; integra fide & maiore constantia causam defensuram recenti tempore, dubium non est: cognitionem q; fieri oportet, & post cuctum cognitionis (si suppositum partum apparuerit) actiones hæreditariæ puero denegandæ sunt: omniaq; perinde habenda, atq; si hæres scriptus nõ fuisset. *Concordat l.quod Labeo.9.ff.eod.tt.his uerbis:* Quod Labeo scribit, Quoties suppositus est se dicitur pupillus, cum quo de patris eius hæreditate controuersia est, curare Prætorẽ debere, uti is in possessione sit: de eo puto eum uelle intelligi, qui post mortem patrisfamiliãs, qui se sine liberis decedere credidit, filius eius esse dici cœpit. Nam eius qui agnitus est ab eo, de cuius bonis quæritur, iustior in ea re causa est, quàm posthumi.

IIII. *Causa: Si mater suppositi partus arguatur. Hæc causa reprobatur l.1.§.fin. ff. de Carboniano edicto. cuius uerba uide ſ. causa prox.*

V. *Causa: Si mater impuberis adulterij accusetur. Hæc causa reprobatur l.Titia.13.ff.de Carboniano edicto, his uerbis:* Titia post mortẽ mariti sui posthumam enixa est: eidem Titiæ crimen adulterij Sempronius tandem apud Præsidem prouinciæ obiecit. quæro, an in tempus pubertatis adulterij quæstio differri debeat, ne præiudicium posthumæ fiat? Paulus respondit, si ei pupillę, de qua quæritur, bonorum quæstio paternorum non moueatur: sine causa tutores desiderare adulterij quoque quæstionem in tempus pubertatis pupillæ differri. *Planè admittitur causa proposita, si pupillæ quæstio bonorum etiam moueatur. quæ distinctio patet ex uerbis iam propositis hisce:* Si ei pupillæ, &c. *Cui concordat l.si uentris.8. ff. de uentre in possess.mittendo. cuius uerba uide ſ.lib.4.cap.7.quæst.5.reg.6.*

VI. *Causa: Si mater impuberis serua dicatur. Hæc causa reprobatur l.si impubes.7.§.si mater. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Si mater eius, cui & de libertate & de hæreditate paterna controuersia sit, in quæstionem libertatis uocatur: iudicium de matre non semper in tempus pubertatis differendũ erit. Nam & ipse qui subiectus esse dicitur, ex causa repræsentari solet.

VII. *Causa: Si impubes negetur iure adoptatus. Hæc causa approbatur d.l.7.in prin.his uerbis:* Si impubes negetur iure adoptatus, & ideo paternæ hæreditatis ei controuersia fiat: non erit iniquum, simile Carboniano decretum interponi.

VIII. *Causa: Si impubes in adoptionem datus esse dicatur. Hæc causa approbatur d.l.7.§.1.his uerbis:* Si impubes in adoptionem datus esse dicatur, & ideo negetur naturalis patris hæreditas ad eum pertinere: quia & hoc casu quæritur, an iure filij obtinere hæreditatem possit: locus erit Carboniano edicto.

IX. *Causa; Si impubes non in defuncti patris, sed superstitis aui potestate esse dicatur. Hæc causa approbatur*

l.alter l.decessit.8.§.item emancipatus. ff. de Carboniano edicto, his uerbis: Si emancipatus decessit intestatò, superstite filio impubere, qui se ei suum esse dicit: ego contendo, ante emancipationem conceptum, atq; ideo in mea potestate esse, & bona emancipati ad me pertinere. Et quidem hunc filium esse cõstat, sed hactenus de statu eius quæritur, in potestate patris fuerit, nécne? Sententia tamẽ edicti proculdubiò ex Carboniano admittitur.

X. *Causa: Si impubes, emancipato patre, in potestate aui retentus esse negetur. Hæc causa approbatur l.1. §. si quis non. ff. d.tt. cuius uerba uide ſ.except.15.*

XI. *Causa: Si impubes seruus dicatur. Hæc causa approbatur d.l.1.§.sed etsi quis, hisce uerbis:* Si quis nõ tantùm ex liberis negetur esse, uerùm seruus etiam esse dicatur, fortè ex ancilla editus: Iulianus scripsit, adhuc Carboniano locum esse: quod & diuus Pius rescripsit. Nã uel magis consulendum est his, quibus maius periculum intenditur. Nam si aliter obseruetur, inuenta etiit ratio, quemadmodũ audacissimus quisq; eo maiore iniuria impuberem afficiat, quo & plura & grauiora de eo mẽtiatur. Sed etsi ipse defunctus seruus esse dicatur: idem erit dicendum. *Concordat l.1.C.eod.tt.cuius uerba uide ſ.except.23.*

XII. *Causa: Si defunctus seruus fuisse dicatur. Hæc causa approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed etsi ipse defunctus seruus esse dicatur: idem erit dicendum.

XIII. *Causa: Si defunctus filiusfamiliãs esse dicatur. Hæc causa approbatur l.decessit.8.in prin. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Decesserit, quem ego filium meum, & in mea potestate esse dico: exisset impubes, qui eum patremfamiliãs, & ad se hæreditatem pertinere dicat. decretum necessarium esse, Africanus respondit.

XIIII. *Causa: Si de testamento sit controuersia, uel de hæreditate, non de statu impuberis. Hæc causa reprobatur l.1. §. si quis filium. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Si quis filium suum hæredem instituerit ex minima parte, sic: Ille qui ex illa natus est, hæres esto. nõ quasi filium suum: deinde hic contendat, patrem intestatũ decessisse, seq; ei suum hæredem esse: interest, cohæredes eius utrum negẽt eum filiũ suum, an uerò contendant testamentum ualere. Si testamentum ualere contendunt: controuersia non est differenda, & Carbonianum edictum cessat. Quòd si filium eum negant, & ad ipsos potius quasi ad consanguineos hæreditatem pertinere dicunt: data bonorum possessione impuberi, controuersia in tempus pubertatis differtur. *Concordat l.Carbonianum.3.§.quamuis. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.except.5.repl.2. Hactenus propositæ actionis causæ sunt enumeratæ. Sequũtur nunc harum causarum, quæ quidem approbatæ sunt, exceptiones.*

I. *Exceptio: Nisi pubes sit is, cui cõtrouersia sit. Quæ exceptio approbatur d.l.3.§.puberi. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Puberi, quãuis minori uigintiquinq; annis, Carbonianum non succurrit. Sed si, cum esset pubes, quasi impubes obrepserit, bonorumq; possessionem acceperit: dicendum erit, nihil eum egisse. Nam etsi impubes esset, mox pubes factus: finire turbonorum possessionis emolumentum. *Plura de hac except. uide ſ.quæst.ult.reg 11.*

II. *Exceptio: Nisi fœminæ controuersia moueatur. Hæc exceptio reprobatur l.1.§. non solùm. ff. d. tt. his uerbis:* Non solùm tantùm masculi, sed & fœminæ ex uirili sexu descendentes, Carboniani commodum habebunt.

III. *Exceptio: Nisi ei cui controuersia sit, bonorum possessio non competat. Hæc exceptio approbatur d.l. 1.§. & generaliter, his uerbis:* Generaliter dicemus, his demum Carbonianum competere, quibus contra tabulas bonorum possessio competit: his uerò non competere, qui repelluntur à contra tabulas bonorum possessione. *Concordat l.2.C.de Carboniano edicto. cuius uerba uide ſ. causa 1.*

IIII. *Exceptio: Nisi exhæredatus sit is, cui controuersia fit. Hæc exceptio approbatur d.l.1.§. Pomponius, his uerbis:* Pomponius libro LXXIX. ad edictum scripsit, cum filius hæres uel exhæres scriptus est, Carbonianum edictum cessare, quãuis filius esse negetur: quia uel qua si scriptus habet bonorũ possessionem, etiamsi filius non sit: uel repellitur quasi exhæredatus, etsi filius esse uideatur: nisi fortè posthumus (inquit) sit hæres institutus, & natus negetur esse filius, sed subiectus esse dicatur. Quo casu eius partis tantùm danda est ei bonorum possessio, ex qua institutus est. *Concordat l.si impubes.7.§.cum uerò. ff.eod.tt. his uerbis:* Cum proponitur exhæredatũ esse, non est necessarium controuersiam pubertatis differri: quia non de ipsius filij, sed de testamenti iure quæritur. *Concordat item l. cum sine.11.ff.eod.tt.his uerbis:* Cũ sine beneficio Prætoris, qui patitur controuersiã filius, hæres esse potest, fortè quia scriptus est: edicto Carboniano locus non est: similiter ac cum certum est, quamuis filius sit, eum tamẽ hæredem non fore: ueluti si Titio hærede instituto, posthumus aut impubes exhæredatus negetur filius. Nec ad rẽ pertinet, quòd interest illius in quibusdam filium esse, ueluti propter fratris ex alia matre nati bona, uel iura libertorum, & sepulchrorum. Istos enim casus ad Carbonianum constat non pertinere. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi exhæredatus sit causa adiecta hac, quasi testatoris filius non sit. Quæ replicatio approbatur l.1.§. idem ait. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Pomponius ait, cum quidam exhæredem scri-

psisset filium, quòd diceret eum ex adulterio conceptum: quasi fieret ei hæc controuersia, an inter liberos sit, ex hac parte edicti ei bonorum possessionem competere: cum si sine elogio exhæres scriptus esset, nõ haberet bonorum possessionem. Idemque est, etsi ita sit scriptus: Quisquis est, qui filiũ meum se esse dicit, exhæres esto: quia non est filius exhæredatus. *Altera replicatio est: Nisi ab intestato exhæredatus hæreditatem petat. Hæc replicatio approbatur l. si impubes. 7. §. interdum. ff. eod. tt. his uerbis:* Interdum etiam exhæredatus filius ex Carboniano decreto bonorum possessionem accipiet: si non contra tabulas petit bonorum possessionem, sed ab intestato Vnde liberi: quia neget tabulas testamenti patris tales esse, ut secundum eas bonorum possessio dari possit, & dicatur non esse filius. *Tertia replicatio est: Nisi exhæredatus de inofficioso testamento agat. Hæc replicatio reprobatur l. qui de inoff. 20. ff. de inoff. test. his uerbis:* Qui de inofficioso uult dicere, si & negetur filius, Carbonianam bonorũ possessionem non debet accipere. Toties enim ea indulgenda est, quoties si uerè filius esset, hæres esset, aut bonorum possessor: ut interim & possideat, & alatur, & in actionibus præiudicium non patiatur. Qui uerò de inofficioso dicit, nec actiones mouere debet, nec aliam ullam, quàm hæreditatis petitionẽ exercere: ne aliàs unquam melioris sit conditionis, quàm si confiteatur aduersarius.

V. Exceptio: *Nisi hæres institutus sit is, cui controuersia fit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. Pomponius. ff. de Carboniano edicto. cuius uerba uide §. except. prox. in prin. Concordat l. cum sine. 11. ff. eod. tt. cuius uerba uide item §. except. prox. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi posthumus hæres institutus, dicatur esse partus subiectus. quæ replicatio approbatur d. §. Pomponius. ibi: nisi forte. Concordat l. Carbon. 3. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Carbonianum edictum aptatum est ad contra tabulas bonorum possessionem, & intestati: cũ & in secundum tabulas in quibusdam casibus possit uideri necessarium edictum: ueluti si paterfamiliàs ita instituerit, Posthumus hæres esto, uel posthuma hæres esto: & negetur esse uerum, quod in testamento scriptum est. *Alterius replicationis loco notandum, quòd quæstio status nihilominus in tempus pubertatis differatur. quæ replicatio approbatur d. l. 3. §. 1. his uerbis:* Quamuis scripto hæredi non promitti bonorũ possessionem ex edicto Carboniano, certum sit: tamen quæstionem status in tempus pubertatis differri proculdubio est. Ergo, &c.

VI. Exceptio: *Nisi is cui controuersia fit, non possideat hæreditatem, sed petat: uel contrà. Hæc exceptio reprobatur d. l. 3. §. parui refert. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Parui refert, utrum petitor sit impubes, an possessor qui status controuersiam patitur. Nam siue possideat, siue petat, in tempus pubertatis differtur. *Concordat d. l. 3. §. si duo. ibi: siue petitor. cuius uerba uide §. quæst. 5. reg. 11. except. 2.*

VII. Exceptio: *Nisi impubes intra legitimum tempus ordinariam bonorum possessionem non agnoscat. Hæc exceptio approbatur l. Carbonianum. 3. §. fin. cum lege sequente. ff. d. tt. his uerbis:* Oportebit hunc qui se filium dicit, nõ solùm Carbonianam bonorum possessionem accipere, uerùm etiam ordinariam agnoscere. Currũt enim tempora ad utranq; bonorũ possessionem separatim. Ordinariæ quidem, ex quo patrem suum decessisse scit, & facultatem bonorum possessionis petendæ habuit: Carbonianæ uerò eo tempore, ex quo controuersiam sibi fieri cognouit. Ideo si ex prima parte edicti bonorum possessionem non petierit: aliàs poterit ex sequenti parte edicti ad exemplum Carboniani accipere bonorũ possessionem, aliàs non poterit. Nam si confestim post patris mortem controuersia ei facta fuerit, an inter liberos bonorum possessionẽ accipere possit: simul ad utriusque edicti causam annus cessisse uidebitur. Sin uerò interposito tempore scierit cõtrouersiam sibi moueri: poterit etiã finito tempore, intra quod ex prima parte bonorum possessionem acceperat, ex sequenti bonorum possessionem petere. Quam cum acceperit, perpetuò possessor his actionibus utetur. Sed si post pubertatem contra eum iudicatum fuerit: denegabuntur ei actiones.

VIII. Exceptio: *Nisi ab intestato hæreditatem impubes petat. Hæc exceptio reprobatur l. de bonis. 6. §. huic. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Huic edicto locus est, etiam si ab intestato ad bonorũ possessionem ueniant liberi: tametsi ex inferioribus partibus petant, qua legitimi uocantur: quoniam sui sunt. uel ex illa quæ cognatis datur. *Concordat d. l. 3. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 5. repl. 1.*

IX. Exceptio: *Nisi de inofficioso testamento impubes agat. Hæc exceptio approbatur l. qui de inofficioso. 20. ff. de inoffic. testam. cuius uerba uide §. except. 4. replic. 3.*

X. Exceptio: *Nisi ex testamento hæreditatem impubes petat. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt §. except. 5.*

XI. Exceptio: *Nisi de bonis impuberi controuersia non fiat. Hæc exceptio approbatur l. de bonis. 6. §. ita demum. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Ita demum huic edicto locus est, si & hæreditatis controuersia sit. Nam si tantùm status, quia (puta) seruus dicatur esse, nec ulla bonorum controuersia sit: hoc casu liberale iudicium statim explicandum erit. *Concordat*

cordat l. Titia. 15. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. causa 5.

XII. Exceptio: *Nisi de alia quàm paterna hæreditate impuberi moueatur controuersia. Hæc exceptio approbatur l. si impubes. 7. §. si pupillus. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Si pupillus liberti paterni bonorum possessionem peteret, negaretur autem filius patroni esse: quia de paternis ei bonis nulla controuersia fieret, differendum hoc iudicium non est. Si uerò post interpositum decretum Carbonianum hęc quoq; controuersia moueretur: hoc iudicium in id tempus differri debet. *Concordat l. cum sine. 11. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 4. in prin. Item concordat l. Carbonianum. 3. §. si is qui. ff. eod. tt. his uerbis:* Siis qui status controuersiam filio faciebat, & solum se filium dicebat, decesserit, & mater ei hęres extiterit: si quidem eandem controuersiam impuberi mater faciat, qui se ex alia natũ affirmat, quam filius eius faciebat, scilicet ut neget eum filium, idcirco q; ad se totam hæreditatem ex persona filij sui defuncti pertinere debere: in tempus pubertatis differri, Iulianus ait: quia nihil interfit, suo an hæreditario nomine controuersiam faciat. Planè si mater non negat, hunc quoq; defuncti filiũ esse, idcirco q; defuncti partem dimidiam hæreditatis solam sibi uindicet ex bonis paternis: non erit iudicium in tempus pubertatis differendũ. Non enim de paternis, sed de fraternis bonis impuberi fit controuersia. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi de materna hæreditate impuberi cõtrouersia fiat. Hæc replicatio partim approbatur, partim reprobatur l. de bonis. 6. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* De bonis matris, an decretum interponendum sit, quæritur? Et decretum quidem non est interponendum: dilatio autem longissima danda est, quæ in tempus pubertatis extrahet negocium. *Altera replicatio est: Nisi simul de paterna & alia hæreditate impuberi moueatur controuersia: tunc enim utriusq; hæreditatis controuersia in tempus pubertatis differenda. quæ replicatio approbatur d. l. 6. §. 1. his uerbis:* Planè si de paternis simul & de maternis bonis controuersia sit, uel etiam de fratris: & has controuersias in tẽpus pubertatis differendas esse, Iulianus respondit. *Concordat l. si impubes. 7. §. si pupillus. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. ead. except. in prin.*

XIII. Exceptio: *Nisi non de hæreditate, sed de legatis uel fideicommissis impuberi controuersia fiat. Hæc exceptio reprobatur l. Carbonianum. 3. in prin. ibi: & cum de fideicommissis. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Et cum de fideicommissis uel legatis quæritur, differri potest causa in tempus pubertatis. Id enim diuus Pius Coldio Hadriano rescripsit.

XIIII. Exceptio: *Nisi debitores hæreditarij ab impubere conuenti, negent illum defuncti filium esse. Hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. cum extaret, his uerbis:* Cum extaret impubes, qui se filium defuncti diceret, debitoresq; negarent eum esse filium defuncti, & intestati hæreditatem ad agnatũ, qui fortè trans mare abierat, pertinere: necessarium erit puero Carbonianum edictũ. Sed & absenti erit prospiciendum, ut cautio præstetur.

XV. Exceptio: *Nisi ab ipso testatore uel patre impubes filius sit negatus. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. si quis non. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Si quis non ab aliquo hanc controuersiã patiatur, quòd inter liberos nõ sit, sed ab ipso patre: utputa nepos, qui se retentum in potestate aui dicit, ab emancipato patre, cui coniungi desideratan differri debeat? Et magis est, ut differatur. Parui enim refert, quis ei controuersiam faciat: cum etsi testator eum negauerit ex liberis, non tamen exhæredem scripserit, Carboniano posse esse locus.

XVI. Exceptio: *Nisi fiscus impuberi controuersiam faciat. Hæc exceptio reprobatur d. l. 1. §. sed etsi fiscus, his uerbis:* Etsi fiscus faciat impuberi controuersiam, Carbonianum edictum potest locum habere.

XVII. Exceptio: *Nisi manifesta impuberis calumnia sit. Hæc exceptio approbatur l. Carbonianum. 3. §. causæ cognitio. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Causæ cognitio in eo uertitur, ut si manifesta calumnia appareat eorũ qui infantibus bonorũ possessionem peterent, non detur bonorum possessio. Summatim ergo, cum petitur ex Carboniano bonorũ possessio, debet Prætor cognoscere: & si quidem absolutam causam inuenerit, euidenterq; probetur filium non esse: negare debet ei bonorũ possessionem Carbonianam. Si uerò ambiguam causam, hoc est, uel modicũ pro puero facientem, ut non uideatur euidenter filius non esse: dabit ei Carbonianam bonorum possessionem.

XVIII. Exceptio: *Nisi uenter non sit inspectus, nec ea quæ de inspiciendo uentre Prætor cauit, obseruata. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. si cui uentrem. ff. de inspiciendo uentre. cuius uerba uide §. lib. 16. cap. 7. quæst. 2. reg. 2. Huius exceptionis replicationes uide §. lib. 29. cap. 2. except. 9. distinct. 1.*

XIX. Exceptio: *Nisi non expediat pupillo differri controuersiam. Hæc exceptio approbatur d. l. 3. §. duæ autem sunt. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Duæ sunt causæ cognitiones. Vna dandæ Carbonianæ possessionis, quæ habet commodũ illud, ut perinde atq; si nullam controuersiã pateretur impubes, possessionem accipiat. Alia est causæ cognitio illa, utrum debeat differri in tempus pubertatis cognitio, an repræsentari? Hoc enim diligentissimè Prætori examinandum est, an expediat pupillo repræsentari cognitionẽ, an potius

differri in tẽpus pubertatis? Et maximè inquirere hoc à cognatis, matre, tutoribusq; pupilli debet. Finge esse testes quosdã, qui dilata controuersia aut mutabunt consiliũ, aut decedent, aut propter tẽporis interuallum nõ eandem fidem habebunt. Vel finge esse anum obstetricẽ, uel ancillas, quæ ueritatẽ pro partu possunt insinuare, uel instrumenta satis idonea ad uictoriã, uel quędam alia argumenta: ut maius damnum patiatur pupillus, quòd differtur cognitio, quàm cõpendiũ, quòd non repræsentatur. Finge pupillũ satisdare nõ posse, & admissos in possessionem, qui de hæreditate controuersiã faciũt, multa posse subtrahere, nouare, moliri. Aut stulti, aut iniqui Prætoris erit, rem in tempus pubertatis differre, cum summo eius incõmodo cui consultum uelit. Diuus enim Hadrianus ita rescripsit: Quòd in tempus pubertatis res differri solet, pupillorum causa fit, ne de statu periclitentur, antequã se tueri possint. Cæterùm si idoneos habeant, à quibus defendantur, & tam expeditã causam, ut ipsorũ interfit maturè de eo iudicari, & tutores eorũ iudicio experiri uolũt: non debet aduersus pupillos obseruari, quod pro ipsis excogitatũ est: & pẽdère status eorũ, cum iam possit indubitatus esse.

XX. *Exceptio: Nisi uiuant adhuc subiecti partus participes. Hæc exceptio approbatur l.2.ff.d.tt.his uerbis:* Licet mulier, quæ partũ subiecisse dicitur, decesserit: tamen si participes malefícij sint, in præsenti cognoscendum est. Si nemo autem sit, qui puniri possit, quia omnes participes facinoris fortè decesserint: secundũ Carbonianum edictum, in tempus pubertatis differenda est cognitio. *Concordat l.1.§. fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.causa 3.*

XXI. *Exceptio: Nisi, etiamsi contra impuberem iudicaretur in status causa, nihilominus hæres sit futurus. Hæc exceptio approbatur l.cum sine.11.ff.de Carboniano edicto. cuius uerba uide §.except.4. in prin.*

XXII. *Exceptio: Nisi idoneos habeat pupillus, à quibus defendatur: eiusq; tutores experiri uelint. Hæc exceptio approbatur l. Carbonianum.3. §.duæ autem. ibi: cæterùm si.ff.de Carboniano edicto. cuius uerba uide §.except.19.*

XXIII. *Exceptio: Nisi pupillus non satisdet. Hæc exceptio approbatur l.sed & si.5.§.fin.ff.de Carboniano edicto, his uerbis:* Cũ in satisdatione & pupilus & aduersarius eius cessant, curator constituẽdus est, qui bona administret, & quãdoque ei qui iudicio uicerit, restituat. Quid tamen, si tutores pupilli uelint administrare? nõ erunt audiendi, nisi satisdederint nomine pupilli, aut curatores quoq; ijdẽ ipsi sint constituti. *Concordat l.penult.& ult.ff.eod.tt. his uerbis:* Hæc bonorũ possessio, si satisdatũ sit, nõ tantùm ad possessionẽ adipiscendã, sed ad res etiã persequendas, & debitũ exigendũ, & collationem bonorũ & dotis, & omniũ quæ conferri diximus, prodest. Sed sicuti de bonis paternis emancipato cauetur, ita de istis quæ ipsi conferũt, cauendum est. *Concordat item l.prætor.3.§.emancipatus.ff.de coll.tt.bon. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.4.quæst.4. except.4. Concordat item l.Carbonianũ.3. §.cũ extaret, in fine.ff.de Carboniano edicto. cuius uerba uide §. except.14. Concordat item l.1.C.eod.tt.his uerbis:* Si tibi ac filio tuo ab his, cõtra quos supplicas, status mouetur quæstio: perspicis præmaturè rerum, quas uelut de patris successione filius tuus uindicat, restitutionẽ postulari: cum si in pupillari permaneat ætate, secundum formam edicti Carboniani data bonorum possessione, satisdatione impleta, tunc demum in possessionem eum constitui conueniat: uel hac non oblata, portionẽ ab omnibus, quam uindicat, possideri: seruitutis uerò quæstionem in tempus differri pubertatis. *Huius replicatio prima hæc est: Nisi quoad cõtrouersiam in pubertatis tempus differendã. huic enim parti exceptio proposita non obstat. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Vel hac nõ oblata, &c. *Altera replicatio est, Quòd impubes nè hilominus cum cæteris in possessionem admittatur, & cæteri cum impubere. Quæ replicatio itidem approbatur uerbis iam dictis. Plura de hac re uide §. quæst.ult. reg.5.repl.3.*

XXIIII. *Exceptio: Nisi delato iureiurãdo à matre impuberis, aduersus eam iuratum sit, eam prægnantẽ nõ esse. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ proposita sunt §.cap.prox.quæst.2. exc.10. itẽ quæst.5.reg.18.*

XXV. *Exceptio: Nisi uiuo patre impuberis controuersia status sit cœpta. Hæc exceptio reprobatur l. si uerò.5.§.illud tenendum, in fine.ff.de agnoscendis uel alendis liberis. cuius uerba uide §.lib.16.cap.7.quæst.2. except.7. in prin.*

XXVI. *Exceptio: Nisi annus ex eo tempore, quo sciuit controuersiam sibi moueri impubes, excesserit. Hæc exceptio approbatur l.Carbonianum.3.§.fin. cum lege sequente.ff.de Carboniano edicto, his uerbis:* Hæc possessio intra annum datur, sicuti ordinariæ quoq;, quæ liberis dantur, intra annum dantur. Sed oportebit, &c. *Reliqua uerba uide §.except.7.*

III. QVAMDIV COMPETIT?

I. *Regula: Intra annum. Quæ regula approbatur d. l.3.§.fin. cum lege sequente.*

II. *Regula: Si impubes pubes factus sit, expirat hæc bonorum possessio. Quæ regula approbatur 7. quæst. 5.reg.11.*

IIII. QVAE *differendã? uide §. quæst.2. except.12. repl.2. Sed & alia huius loci regula proponitur d.l.3.§. si quis liber.ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Si quis liber & hæres esse iussus sit, & status controuersiã impuberi faciat, qui filius esse, & testamentum patris rupisse dicatur: Iulianus ait, utraq; iudicia, & hęreditatis & libertatis, in tempus pubertatis differenda. Neutrum enim eorum ita explicari potest, ut nõ conditioni, &c.

V. QVOMODO COMPETAT? item adiuncta & euentus.

I. *Regula: Causa cognita, competit bonorum possessio. Quæ regula approbatur l.1.in prin.ff.de Carboniano edicto. cuius uerba uide §.quæst.2.in prin. Declaratur causæ cognitio l.Carbonianum.3. §.causæ cognitio. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.quæst.2.except.17. Declaratur item d.l.3.§.duæ autem. cuius uerba uide d.quæst. 2.except.19.*

II. *Regula: Perinde impuberi competit bonorum possessio, ac si nulla ei controuersia moueretur. Quæ regula approbatur d.l.1. in prin. item d. §.duæ autem. Item concordat l. si impubes.7. §.quoties. ff.eod.tt. his uerbis:* Quoties Carbonianum decretum interponitur: eodẽ loco rem haberi oportet, quo esset, si nulla controuersia fieret ei, qui bonorum acceperit possessionem.

III. *Regula: Impubes possessor sit, non hæres. Quæ regula approbatur d. l.3. §. missum. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Missum ex Carboniano in possessionẽ, studeant Prætores possessorem constituere. Quòd si cœperit aut hæreditatem petere quasi bonorũ possessor Carbonianus, aut singulas res: rectissimè Iulianus libro XXXIII. Digest. scribit, exceptione eum submouendũ. Contentũ enim esse debere hac prærogatiua, quòd possessorẽ eum Prætor tantisper cõstituat. Si igitur uult hæreditatem aut singulas res petere: petat (inquit) directa actione quasi hæres, ut ea petitione iudicari possit, an quasi ex liberis hæres sit: ne præsumptio Carbonianæ bonorũ possessionis iniuriam aduersarijs adferat. Quæ sententia habet rationẽ & æquitatem.

IIII. *Regula: Impubes actiones hæreditarias exercere non potest. Quæ regula approbatur uerbis §.reg. proxim. propositis. Cui tamen contradicere uidetur l. hæc bonorum.15. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. quæst.2. except.23.*

V. *Regula: Cæteri hæredes nihilominus hæreditatem adire, & simul in possessione esse possunt. quæ regula approbatur l.sed & si.5.in prin. ff.de Carboniano edicto, his uerbis:* Si is qui controuersiam impuberi facit, ex liberis sit: eueniet, ut siue caueat is cui status controuersia sit, siue non caueat, attamen simul sit in possessione. *Concordat l.1.§.ita autem. ibi: sed etsi ex Carboniano. ff.si tabulæ testam. nullæ extab. cuius uerba uide §. lib.29. cap.15. quæst.1. except.8. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi alio iure impuberi uerè filio, alio iure cæteris hæredibus competat bonorum possessio. hoc enim casu, Carboniana bonorũ possessione impuberi data, cæteri hæredes interim nõ admittuntur. Quæ exceptio approbatur l.scriptus.12.in prin.§.eod.tt. cuius uerba uide §. lib.28.cap.12.reg.1.except.1.repl.3. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cæteri quoq; hæredes ex liberis sint defuncti, ut quacunq; ratione impubes, etiamsi uerè filius esset, succederet: alios fratres suos non excluderet. quæ replicatio approbatur uerbis d.l.5. in prin. paulò superius propositis. Altera replicatio est: Nisi impubes uel non sit filius, uel ordinarium bonorũ possessionẽ omiserit, uel intra legitimũ tempus nõ agnouerit. Quæ replicatio approbatur l.si impubes.7. §.fin.ff. d.tt.his uerbis:* Quæsitum est, an simul & pupillus ex Carboniano, & scripti hæredes secundum tabulas bonorũ possessionem haberent? Iulianus respondit, Si filius non esset, aut non accepisset contra tabulas uel ab intestato bonorum possessionem: simul & ipsum ex Carboniano, & scriptos hæredes secundum tabulas habituros bonorum possessionem. *Tertia replicatio est: Nisi impubes non satisdet. Hæc replicatio approbatur l.1. §.1. ff.de Carboniano edicto, his uerbis:* Eum qui controuersiam facit, si pro pupillo satis ei non detur, simul in possessione eorum bonorum esse Prætor iubet. *Huius replicationis duplicatio hæc esse uidetur: Nisi cæteri quoq; hæredes non satisdent. Hæc duplicatio reprobatur l.sed & si.5.§.quoties. ff.d. tt.his uerbis:* Quoties impubes satis non dat: mittitur in possessionem eius aduersarius, siue satisdet, siue non det. Et si uelit aduersarius committi sibi administrationem: satisdare debet pupillo. Cæterùm si satis non det: debet curator cõstitui, per quem bona administrentur. Aduersarius autẽ si satisfecerit: res quæ tẽpore petituræ, aut deteriores futuræ sunt, distrahere debet. Item à debitoribus qui tempore liberabuntur, exigere debet. Cætera cum pupillo possidebit. *Ait Iurisconsultus:* Cæterùm si satis non det, debet curator constitui. *Huic concordat d.l.5.§.fin. cuius uerba uide §.quæst.2.except.23.*

VI. *Regula, De impubere ex bonis alendo, proponitur d.l.5.§.an autem.ff.de Carboniano edicto, his uerbis:* An uescendi causa deminuere possit is qui ex Carboniano missus est, uideamus? Et siquidem satis impubes dedit: siue decreuit Præses, siue non: deminuet uescendi causa, & hoc minus restituet hæreditatis petitori. Quòd si satisdare nõ potuit, & aliter alere se uidetur non posse: deminuendi causa usq; ad id quod alimentis eius necessarium est, mittendus est: nec minũ debet uideri, hæreditatem propter alimẽta minui eiũs quę fortasse iudicabitur filiũ non esse: cum omnium edictis uenter in possessionem mittatur, & alimenta mulieri præstentur propter eum qui potest nõ nasci: & maior cura adhiberi debeat, ne fame pereat filius, quàm ne minor hæreditas ad petitorem perueniat, si apparuerit filium non esse. *Concordat l.de inofficioso.20.ibi: & alatur.ff.de inoff.test. cuius uerba uide §.quæst.2.except.4.repl.5.*

VII. *Regula, De sumptibus in studia & alia necessaria pupillo præstandis, proponitur l. de bonis. 6. §. nõ solùm. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Non solùm alimenta præstari debent pupillo, sed & in studia & cæteras necessarias impensas debet impendi pro modo facultatum.

VIII. *Regula: Is qui simul cum pupillo in possessionem missus est, ex bonis alendus non est, nec quidquam ex ijs deminuet. Quæ regula approbatur d. l. 6. §. qui pupillo, his uerbis:* Qui pupillo controuersiam facit, si simul cum eo in possessionem missus est, ali ex bonis defuncti nõ debebit, nec quidquam de bonis deminuere. Hæc enim possessio pro satisdatione cedit.

IX. *Regula, De actionibus hæreditarijs inferendis & excipiendis, proponitur l. sed & si. 5. §. 1. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Si impubes non defendatur, idcircoq; missus sit in possessionem, & etiam aduersarius eius: actiones hæreditarias quis exercebit? & Iulianus ait lib. XXXIII. Digest. curatoré constitui debere, qui omnia curet, & actiones exerceat. Denique scribit etiá, eum qui cũ impubere missus est in possessionẽ, actiones posse aduersus curatorem intendere, nec esse prohibendum. Nullum enim per hoc præiudiciũ hæreditari fieri. Nam & aduersus ipsum pupillũ, si satisdedisset, rectè experiretur. *De actionibus item excipiendis tractatur l. si impubes. 7. §. cum autem ex. ff. eod. tt. his uerbis:* Cũ ex duobus fratribus ex hoc decreto missis, alter pro parte sua paternâ hæreditatẽ non defendit: compellitur alter totã defendere, aut uniuersa creditoribus cedere. *De eadẽ re proponitur §. reg. 4.*

X. *Regula: Ne instrumenta hæreditaria in potestatem aduersariorum pupilli redigantur, proponitur d. l. 5. §. maximè, his uerbis:* Maximè puto, si missus fuerit in possessionem aduersarius, desiderandum à Prætore, ne instrumẽta in possessionem suam redigat. Cæterùm decipietur pupillus, dũ uel instruitur eis aduersarius, uel etiam intercipere ea potest.

XI. *Regula: Si missus pubes factus sit, expirat hæc possessio. Quæ regula approbatur l. Carbonianum. 3. §. puberi, in fine. ff. de Carboniano edicto. cuius uerba uide §. quæst. 2. except. 1. Concordat l. 2. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide §. d. quæst. 2. causa 1. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cum duo impuberes controuersiam paterentur, unus tantùm eorum pubes sit factus. quæ exceptio approbatur d. l. 3. §. ibidẽ, his uerbis:* Iulianus quærit, si duo impuberes patiãtur status controuersiam, & alter eorum pubuerit, expectari alterius quoque pubertas debet: scilicet ut sic de utriusq; statu agatur, ne aliquod præiudicium fiat impuberi propter puberis personam. *Altera exceptio est: Nisi cum duo impuberes essent, & alter alteri controuersiam faciat. hoc enim casu, quamuis unus ex illis pubes factus sit, nihilominus durat possessio. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur d. l. 3. §. si duo, his uerbis:* Si duo impuberes inuicem status controuersiam faciant: interest, utrum quisque se solum filium dicat, an & se. Nam & si se solum dicat filium, dicendum est debere controuersiam ad utriusq; pubertatem differri, siue petitor, siue possessor sit. Si uerò alter se solum, alter & se dicat, si quidem ille adoleuerit, qui se solum dicat: adhuc differtur cõtrouersia propter pueritiam eius, qui & se esse dicit: sed de parte, non de toto. De parte enim utiq; hic litigatur. Quòd si ille adoleuerit, qui & se dicit, ille impubes sit qui se solum dicit: non differtur controuersia. Nec enim patitur impubes controuersiã status: cum hic impubes & se dicat, & illum non neget filium.

XII. *Regula: Post pubertatem missus rei, non actoris partes sustinet. Quæ regula approbatur l. de bonis. 6. §. fin. ff. de Carboniano edicto, his uerbis:* Post pubertatem quæritur, an actoris partes sustinere debeat, qui ex Carboniano missus est in possessionem? Et responsum est, rei partes eum sustinere debere: maximè si cauit. Sed etsi nõ cauerit, sed nunc paratus sit cauere, quasi possessor conueniendus est. Quòd si nunc non caueat: possessio transfertur aduersario satis offerente, perinde atq; si nũc primùm ab eo peteretur hæreditas. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non cauerit impubes. Quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Quòd si nunc non caueat, possessio transfertur, &c. *Huius replicatio hæc est: Nisi adhuc cauere sit paratus. Quæ replicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed etsi non cauerit, sed nũc paratus sit, &c. *Altera exceptio est: Nisi post decretam Carbonianam bonorum possessionem, antequam corporalem possessionem nactus sit impubes, pubes sit factus. Quæ exceptio approbatur l. quæritur. 14. ff. eod. tt. his uerbis:* Quæritur, an impubes, qui bonorũ possessionem ex Carboniano edicto accepit, si antequã possessio ad eum translata fuerit, pubes factus sit: petitoris partibus fungi debeat? Scæuola respondit, in eo quod à possessore peteret, probationem ei incumbere.

XIII. *Regula: Si post pubertatem contra impuberem iudicatum fuerit, denegantur ei actiones. Quæ regula approbatur l. ideo. 4. in fine. ff. de Carboniano edicto. cuius uerba uide §. quæst. 2. except. 7. Hactenus de Carboniano edicto.*

DE INTERDICTO QVORVM bonorum, septima actio.
Cap. XI.

PRIMO: *Verba huius interdicti proponũtur l. 1. in prin. ff. quorũ bonorũ, hæc scilicet:* Ait Prætor: Quorũ bonorũ ex edicto meo illi possessio data est: quod de his bonis pro hærede

rede aut pro possessore possides, possidére ue, si nihil usucaptũ esset: quod quidem dolo malo feceris, ut id desineres possidere, id illi restituas.

II. GENVS *huius interdicti, & nomen, proponitur d. l. 1. §. fin. his uerbis:* Hoc interdictum resti tutorium est, & ad uniuersitatẽ bonorum, non ad singulas res pertinet, & appellatur Quorum bonorum, & est adipiscendæ possessionis uniuersorum bonorum. *Concordat Inst. de interdictis. §. sequens. ibi: adipiscendæ. cuius uerba uide §. lib. 23. cap. 5. quæst. 4. diuis. 2.*

III. CAVSA HVIVS interdicti.

Si actori bonorum possessio competat, hoc interdicto possessionem corporalem adipiscitur. Quæ causa seu regula approbatur uerbis interdicti paulò superius propositis. Concordat l. 1. C. quorum bonorum, his uerbis: Hæreditatẽ eius quem patrem tuum fuisse dicis, petiturus, iudicibus qui super ea re cognituri erunt, de fide intentionis allega. Quamuis enim bonorum possessionem ut præteritus agnouisti: tamen interdicto Quorum bonorum non aliter possessor cõstitui poteris, quàm si te filium defuncti esse, & ad hæreditatem uel bonorum possessionem admissum probaueris. *Concordat item l. 2. C. eod. tt. his uerbis:* Si ex interdicto sororis patruelis intestatæ, sine liberis defunctæ, rectè petita bonorum possessione quæsiti successionem, ac negocium integrum est: quæ cum moreretur, eius fuerunt, secundum interdicti Quorum bonorum tenorem ab ijs qui pro hærede uel pro possessore possidẽt, dolóue malo fecerint, quo magis desierint possidere: tibi rector prouinciæ restitui efficiet. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi res sint usucaptæ. Quæ exceptio approbatur uerbis interdicti §. eod. cap. in prin. propositis hisce:* Si nihil usucaptum esset.

IIII. QVIBVS COMpetit?

De proximioribus bonorum possessoribus. Hi ulterioribus præferuntur. Quæ regula approbatur exemplo l. 3. C. quorum bonorum. cuius uerba uide §. lib. 29. cap. 11. quæst. 1. except. 1.

V. ADVERSVS QVOS competit?

1. *Regula, De possessore. Hic regulariter hoc interdicto tenetur. cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non pro hærede, neque pro possessore, sed titulo possideat. Quæ exceptio elicitur ex uerbis interdicti §. eod. cap. in princ. propositis hisce:* Quod de his bonis pro hærede, aut pro possessore possides, &c. *Concordat d. l. 2. C. quorum bonorum, uerbis paulò superius propositis hisce:* Ab ijs qui pro hærede uel pro possessore possident, &c. *Declaratur Instit. de interdictis. §. pro hærede. cuius uerba uide §. lib. 23. cap. 5. quæst. 4. diuis. 2. Altera exceptio est: Nisi iuris possessor sit, seu debitor hæreditarius. Quæ exceptio approbatur l. 2. ff. quorum bonorum, his uerbis:* Interdicto Quorum bonorum debitores hęreditarij non tenentur, sed tantùm corporum possessores.

II. *Regula, De eo qui dolo malo possidere desijt, proponitur uerbis interdicti §. eod. cap. in prin. expositis hisce:* Quod quidem dolo malo feceris, &c. *Cui concordat l. 2. C. quorum bonorum, §. quæst. proxim. propositis hisce:* Dolóue malo fecerint, &c.

VI. EVENTVS.

Proprietati nihil hoc interdicto præiudicatur. Quæ regula approbatur l. 3. in fine. C. quorum bonorum. cuius uerba uide §. lib. 29. cap. 11. quæst. 1. except. 1.

DE MISSIONE IN POSSESsionem ex l. 3. C. de edicto diui Hadriani tollendo, actio oĉana.
Cap. XII.

PRIMO: *Verba huius legis proponuntur d. l. 3. hæc scilicet:* Edicto diui Hadriani, quod sub occasione uicesimæ hæreditatum introductum est, cum multis ambagibus, & difficultatibus, & indiscretis narrationibus penitùs quiescente, quia uicesima hæreditatis à nostra recessit republica: antiquatis nihilominus & alijs omnibus, quæ circa repletionem uel interpretationem eiusdem edicti promulgata sunt: sancimus, ut si quis ex asse, uel ex parte institutus, competenti iudici testamentum ostenderit non cancellatum, neq; abolitum, neq; ex quacunque suæ formæ parte uiciatum, sed quod prima figura sine omni uituperatione appareat, & depositionibus testiũ legitimi numeri uallatum sit: mittatur quidem in possessionem earum rerum quæ testatoris mortis tempore fuerunt, non autem legitimo modo ab alio detineatur, & eam testificatione publicarum personarum accipiat. Sin autem aliquis contradictor extiterit: tunc in iudicio competenti causæ in possessionem missionis & subsecutæ contradictionis uentilentur, & ei possessio adquiratur, qui potiora ex legitimis modis iura ostẽderit: siue quis missus est, siue qui antea detinens contradicendum putauit. Nullis angustijs tẽporum huiusmodi missione coartãda: sed siue tardius, siue prematurè aliquis missus est, legis tantummodò arbitriũ requiratur, & causa, unde uel missio uel cõtradictio exoriatur. Siue enim post annale tẽpus, siue post maioris æui curricula aliquis fuerit missus (si tamen ex legitimè formato testamẽto missio procedat) nullũ ei temporis obstaculũ obijciatur: nisi tãtum temporis effluxerit, quod possit uel possessori plenissimè securitatem

super dominio præstare, uel ipsi qui missus est, omnem intentionem excludere. Si enim uel ex una parte, uel ex utroque latere temporis prolixitas occurrerit: manifestissimum est, non solùm missionem, sed etiam ipsam principalem causam esse sopitam. *Ait Imp.* Edicto diui Hadriani, quod sub occasione uicesimæ hæreditatum introductũ est, cum multis ambagibus, & difficultatibus, & indiscretis narrationibus penitùs quiescente: quia uicesima hæreditatis à nostra recessit republica. *Ad hæc uerba intelligenda sciendum est, ab Augusto Imperatore legem de uicesima latam, quæ iubebat uicesimam partem hæreditatum testamento relictarum, fisco dependi. Hanc legem Hadrianus Imperator confirmauit, hoc addito:* Ne qua mora fieret necessario uectigali, ut non solùm statim post mortem testatoris tabulæ aperirentur: sed & scriptus hæres, qui hanc uicesimam dependet, mittatur in possessionem. *Cum autem Lex illa de uicesima hæreditatis fisco dependenda esset sublata: placuit Imperatori Iustiniano legem quoque Hadriani, quæ eius occasione lata est, & multis ambagibus difficultatibusq; implicita, tolli, aliamq; de mittendo hærede scripto in possessionem rerum hæreditariarum, magis expeditam in eius locum substituere.*

II. CAVSA, EX QVA DAtur actio proposita.

Si quis in testamento hæres scriptus sit, potest ui constitutionis propositæ exhibito testamento coram iudice petere, ut in possessionem rerum hæreditariarum mittatur. Quæ causa constat ex uerbis propositæ legis hisce: Sancimus, ut si quis ex asse, &c. *Huius causæ exceptio prima hæc est:* Nisi testamentum cancellatum uel imperfectum appareat, uel alio uicio uisibili laboret. *Quæ exceptio approbatur uerbis d.l. 3.ſ.propositis hisce:* Testamentum ostenderit non cancellatum, neq; abolitum, neque ex quacunque suæ formæ parte uiciatum, sed quod prima figura sine omni uituperatione appareat, & depositionibus testium legitimi numeri uallatum sit, &c. *Concordat d. l.3. uerbis ſ.propositis hisce:* Si tamen ex legitimè formato testamento missio procedat. *Altera exceptio est:* Nisi alius contradictor existat. *Hæc exceptio approbatur uerbis eiusdem legis ſ. propositis hisce:* Sin autem aliquis contradictor extiterit: tunc in iudicio competenti causæ in possessionem missionis & subsecutæ contradictionis uentilentur, & ei possessio adquiratur, qui potiora ex legitimis modis iura ostenderit, siue quis missus est, siue qui antea detinens contradicendum putauit. *Huius exceptionis replicatio hæc est:* Nisi causa altiorem indaginem requirat: tunc enim cõtradictione non obstante, nihilominus scriptus hæres in possessionem est mittendus. *Quæ replicatio approbatur exemplis l.2. C.d.tt.de edicto diui Hadr.toll.his uerbis:* Quamuis quis se filium defuncti præteritum esse alleget, aut falsum, uel inofficiosum testamentum, seu alio uicio subiectum, uel seruus defunctus esse dicatur: tamen scriptus hæres in possessionem mitti solet.

III. QVI MITTENDI, SEV quibus hæc actio competit?

De instituto & substituto simul agente, proponitur l.1. C.d.tt.de edicto diui Hadr.toll. his uerbis: Cum inter institutum & substitutum controuersia moueatur: eum qui primo loco institutus est, induci in possessionem oportet.

IIII. QVID VENIAT IN actione proposita?

De bonis quæ mortis tempore testatoris fuerunt, proponitur d.l.3.uerbis ſ. propositis hisce: Mittatur quidem in possessionem earum rerum quę testatoris mortis tempore fuerunt.

V. VBI COMPETAT actio proposita?

Ibi, ubi res hæreditariæ sunt. quæ regula approbatur l.unica, in princ. C.ubi de hæreditate agatur. cuius uerba uide ſ.cap.1. quæſt.6.reg.1.

VI. QVAMDIV COMpetit?

Tamdiu competit, quamdiu etiam petitio hæreditatis. quæ regula approbatur uerbis d.l.3. ſ. eod. cap. in prin. propositis hisce: Nullis angustijs temporum huiusmodi missione coartanda, &c.

VII. EVENTVS.

Nihilominus proprietatis actio seu petitorium iudicium superest. Quæ regula constat ex uerbis d.l.3.ſ. propositis hisce: Sin autem aliquis contradictor extiterit, &c.

Hactenus de actionibus quæ pro hæreditate persequenda competunt, est dictum. Sed & ad eas quoque pertinet familiæ erciscundæ iudicium: de quo tamen alio loco commodiore, infrà scilicet parte proxima, libro penult. tractabitur. De successionibus igitur tam ex testamento, quàm ab intestato, satis sit dictum. Nunc de legatis & fideicommissis, eorumq; actionibus est dicendum.

DIGE-

DIGESTORVM LIBER TRICESIMVS SECVNDVS:

DE LEGATIS ET FIdeicommissis.

DE DEFINITIONE AC DIFferentijs legatorum & fideicommissorum: necnon de numero legatorum, utrum scilicet unum, an plura sint legata. Cap. I.

I. DEFINITIO LEgati.

LEgati appellatio *in lege* XII. *Tabularum latissimè patet. Nam ita Pomponius l.uerbis.120. ff.de uerb. signif.* Verbis legis XII. Tabularum, *(inquit)* Vti quisq; legasset suæ rei, ita ius esto: latissima potestas tributa uidetur, & hęredes instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoq; constituendi. Sed interpretatione *(idem inquit)* coangustatum est uel legum, uel authoritate iura constituentium. *Definitur autem legatum Instit.de legatis.ſ.1.his uerbis:* Legatum est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda. *Concordat l.legatum.113.ff.de leg.1.his uerbis:* Legatum est delibatio hæreditatis, qua testator ex eo quod uniuersum hæredis foret, alicui quid collatum uelit. *Concordat item l.legatum.37.ff.de leg.2.ubi Modestinus:* Legatum *(inquit)* est donatio testamento relicta.

II. DIFFERENTIAE INTER legata & fideicommissa.

Porrò inter legata & fideicommissa hodie nulla ferè est differentia, præterquàm in uerbis quibus quid relinquitur. Nam siquidem testator directis utatur uerbis in relinquendo, legatum dicitur: puta, Titio fundum do lego: Donum meam filius meus Seius præcipito, sibiq; habeto. Sin autem orationem ad personam hæredis, uel alterius cui aliquid mandat, conuertat, fideicommissum appellatur: puta, Rogo te hæres, ut Titio fundum illum præstes: Volo ut filio meo Seio, tuo cohæredi, donum meam concedas: Rogo te Titi, ut fundum quem tibi legaui, post mortem tuam Seio filio meo reddas, restituas, &c. Hæc quidem differentia est inter *legatum & fideicommissum, in uerbis consistens: reipsa autem propè nihil differunt, ut paulò inferius demonstrabitur: quanquam olim plures inter legata & fideicommissa fuerunt differentiæ. Inter has prima & præcipua erat, quòd legata obligatoria erant, fideicommissa nequaquam. Quæ differentia proponitur simul & tollitur Instit. de fideicommissarijs hæreditatibus, in princ. hisce uerbis:* Sciendum est, omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse: quia nemo inuitus cogebatur præstare id de quo rogatus erat: quibus enim non poterant hæreditatem uel legata relinquere, si relinquebant, fidei committebant eorum qui capere ex testamento poterant hæreditatem. & ideo fideicommissa appellata sunt, quia nullo uinculo iuris, sed tantùm pudore eorum qui rogabantur, continebantur. Postea diuus Augustus primus, semel iterumq; gratia personarum motus, uel quia per ipsius salutem rogatus quis diceretur, aut ob insignem quorundam perfidiam, iusserit cõsulibus authoritatem suam interponere. Quod quia iustum uidebatur, & populare erat, paulatim conuersum est in assiduam iurisdictionem: tantusque eorum fauor factus est, ut paulatim etiam Prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem fideicommissarium appellabant. *Concordat Inst.eod.tt.ſ. & quia prima. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.10. de probationibus, reg.1. Secunda legatorum & fideicommissorum differentia erat, quòd à legatario fideicommissum quidem relinqui poterat, legatum uerò non poterat relinqui. quæ differentia approbatur Instit. de singulis rebus per fideicommissum relictis, in prin. ibi: quamuis, hisce uerbis:* Potest quis uel ipsum hæredem rogare, ut alicui restituat: uel legatario, quamuis à legatario legari non possit. *Tertia differentia erat, quòd intestatus moriturus fideicommissum relinquere poterat, legatum non poterat. Quæ differentia approbatur Instit. de fideicommiss. hæreditat. ſ. præterea intestatus. cuius uerba uide ſ. cap.3.except.9. Quarta differentia est, quòd hæreditas per legatum directis uerbis in codicillis relinqui non potest, per fideicommissum potest. Quæ differentia approbatur Instit.de codicillis. ſ.codicillis. ibi: directò autem. cuius uerba uide ſ.lib.28.cap.25.quæſt.4. except.12. Quinta differentia erat, quòd seruus, cui directis quidem uerbis in testamento libertas erat relicta, testatoris omniumq; eius hæredum efficiebatur libertus: cui autem per fideicommissum libertas erat relicta, is eius solius libertus fiebat, cuius fidei commissum erat, ut seruum manumitteret. Quæ differentia approbatur Instit. de singulis rebus per fideicommiss. relictis. ſ.qui autem, his uerbis:* Qui ex fideicommissi causa manumittitur, non testatoris fit libertus, etiamsi testatoris seruus sit: sed eius qui manumittit. At is qui directo testamento liber esse iubetur, ipsius testatoris libertus fit, qui etiam Orcinus appellatur.

Plura

Plura de hac re uide ff. lib.20. capite 1. quæst. 4. reg.8.

Sexta differentia erat, quòd fideicommissum post mortem hæredis uel legatarij relinqui poterat, legatum nõ poterat. Quæ differentia proponitur ac tollitur Instit. de leg. §. post mortem. cuius uerba uide ĩ. cap.5. except. 75. Hæ *& eiusmodi aliæ differentiæ erant inter legata & fideicommissa. Quas differentias Imperator Iustinianus sustulit Instit. de leg. §. sed non usq;, his uerbis:* Cum anti quitatem inuenimus, legata quidem strictè concludentem, fideicommissis autem (quæ ex uoluntate magis descendebant defunctorum) pinguiorem naturam indulgentem: necessarium esse duximus, omnia legata fideicommissis exæquare, ut nulla sit inter ea differentia: sed quod deest legatis, hoc repleatur ex natura fideicommissorum: & si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. Sed ne in primis legum cunabulis permixtim de his exponendo studiosis adolescentibus quandam introducamus difficultatẽ, operæprecium esse duximus, interim separatim prius de legatis, & postea de fideicõmissis tractare, ut natura utriusq; iuris cognita, facilè possint permixtionem eorum eruditi subtilioribus auribus accipere. *Concordat l.2. §. & omnia. C. communia de legatis. cuius uerba uide ĩ. except.74. in prin. Concordat item l.1. ff. de leg.1. his uerbis:* Per omnia exæquata sunt legata fideicommissis. *Hisce uerbis quamuis regulariter quidem omnes differentiæ legatorum & fideicommissorum sunt sublatæ, tamen credo quasdam reperiri posse, quæ sublatæ non sint: qualis est supradicta quarta differentia. nec enim existimandum puto, quemadmodum hæreditas per fideicommissum in codicillis nullam solennitatem desiderantibus dari potest, aut ab intestato relinqui: ita quoq; legari posse, uel directis relinqui uerbis, aut contrà. Regulariter tamen, quidquid in hoc Commentario de legatis dicetur, de fideicommissis quoque accipiendum erit, & contrà. Quod & de mortis causa donatione dici potest.* Vnde Paulus Iurisconsultus: Et fideicommissum (*inquit*) & mortis causa donatio, appellatione legati continentur. *l. & fideicommissum. 85. ff. de leg. 3.* Et Imp. Iustinianus: Mortis causa donationes (*inquit*) ad exemplum legatorũ redactæ sunt per omnia. *Inst. de donation. §. hæ mortis causa.*

III. DIVISIO LEGATORUM.

Porrò legatorum genera olim quidem quatuor fuerunt: unum quod appellabatur per uindicationem, alterum per damnationem, tertium sinendi modo, quartum denicq; per præceptionem. quæ legatorum diuisio proponitur ac tollitur Instit. de leg. §. sed olim quidem. de qua re uide ĩ. cap.6. except.74. in prin.

IIII. DE NVMERO LEGATORUM.

De numero legatorum interdũ solet quæri, utrum scilicet unum, an plura sint legata? cuius loci regulas hic proponam. Harum prima hæc est: Tot sunt legata, quot res in legato expressæ. Quæ regula approbatur l.2. ff. de leg.2. his uerbis: Quoties nominatim plures res in legato exprimuntur, plura legata sunt. Vnde Paulus: Si ancilla cum suis natis legata sit, duo legata sunt separata. *l. & si.3. ff. de peculio legato.* Ait Iurisconsultus: Nominatim exprimuntur. Ex *his uerbis prima aduersus regulam propositam exceptio elicitur talis: Nisi res non nominatim singulæ in legato sint expressæ. Quæ exceptio approbatur etiam per exempla d.l.2. his uerbis:* Si autem supellex, aut argentum, aut peculium, aut instrumentum legatum sit, unum legatum est. *Concordat l. grege. 6. ff. eod. tt. his uerbis:* Grege legato, non plura, sed unum legatum est: idemq; dicemus peculio legato, aut ueste, aut argento, & similibus. *Secunda exceptio est: Nisi plures res alternatiuè legentur. Hæc exceptio approbatur l. si illud. 27. ff. de leg.2. his uerbis:* Si illud aut illud legatum sit, unum legatum est. *Concordat l. cum illud. 25. in prin. ff. quando dies legati cedat. cuius uerba uide paulò inferius except.4. Concordat item l. si ex toto. 8. §. si ita legatum. ibi: quia unum. ff. de leg.1. cuius uerba uide ĩ. libro 34. cap.11. quæst.1. except.15. Planè quoad repudiationem legati, censentur duo legata, non unum: ut scilicet alterum agnosci, alterum repudiari possit. secundum ea quæ dicentur ĩ. cap.7. causa 29. except.4. Vnde l. planè. 34. §. fin. ff. de leg.1. dicitur:* Si Titio ita legetur, Fundum Seianum uel usumfructum eius sibi habeto: duo esse legata, & in arbitrio eius esse, an uelit usumfructum uindicare. *Concordat l. si quis. 8. §. 1. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si ita legetur, Sempronio decem: aut si noluerit, Stichum hominem lego. hoc casu duo legata sunt, sed uno contentus esse debet. *Tertia exceptio est: Nisi plures res sub contrarijs conditionibus fuerint legatæ. Quæ exceptio approbatur l. illud aut illud. 27. in prin. ff. de leg.2. his uerbis:* Si sub contrarijs conditionibus aliud atq; aliud legatum est, unum legatum esse arbitramur, neq; refert hæredum, & eorum quibus legatum est, diuersas personas esse. ueluti si ita legatum est: Si Nerua consul factus erit, Titius hæres Attio det fundum: si non erit Nerua consul factus, Seius hæres Mæuio centum dato. *Quarta exceptio est: Nisi alterum purè, alterum sub conditione legetur. Hæc exceptio approbatur l. cum illud. 25. in prin. ff. quando dies legati cedit, his uerbis:* Cum illud aut illud legatur, enumeratio plurium rerum disiunctiuo modo comprehensa, plura legata non facit: nec aliud probari poterit, si fundũ alterum purè, uel alterum sub conditione legauerit. nam pendẽte conditione, non erit electio: nec si moriatur, ad hæredẽ transijsse legatũ uidebitur. *Huius exceptionis exemplũ etiam proponitur l. cum fine. 19. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap.5. reg.50. exc.2. Planè si ita legetur, Sempronio*

Sempronio decem: aut si noluerit, Stichum hominem lego: duo sunt legata. de quo uide paulò superius except. 2. in fin. Quinta exceptio *est: Nisi ita legatum sit, Si pœnum non dederit, centũ dato. hoc enim casu non sunt duo legata, sed unum conditionale. Quæ exceptio approbatur d.l.19. in prin. ibi: quòd si ita. ff. quando dies legati cedit. cuius uerba uide ĩ. d. reg.50. except.2. Sexta exceptio est: Nisi plurib. rebus legatis testator adiecerit, semel tãtùm se uelle præstari: tunc enim unum est legatũ. Quæ exceptio approbatur l. si ita. 14. in prin. ff. de leg.1. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 5. reg. 53. Hæc de prima regula, eiusq; exceptionibus sint dicta.*

II. *Regula: Fundo instructo, uel cum instrumento legato, duo sunt legata, non unum. Quæ regula approbatur l.1. in prin. ff. de instructo uel instrum. legato, his uerbis:* Siue cum instrumento fundus legatus est, siue instructus, duo legata intelliguntur.

III. *Regula: Annuum legatum non unum est legatum, sed plura. Quæ regula approbatur l. si in singulos. 4. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Si in singulos annos alicui legatum sit, Sabinus, cuius sententia uera est, plura legata esse ait, & primi anni purum, sequentium conditionale: uideri enim hanc ineſſe conditionem, Si uiuat, &c. *Concordat l. cum in annos, 11. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap.2. except.19. repl.9. Concordat item l. cum in. 10. cum lege sequente. ff. quando dies legati cedat. cuius uerba uide ĩ. lib. proxim. cap.8. reg.2. Concordat item l. cum in. 23. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap.3. except.19. repl.8. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi legatum cum præfinitione annorum in plures pensiones exonerandi hæredis gratia sit diuisum. Quæ exceptio approbatur l. si cum. 20. ff. quando dies leg. ced. his uerbis:* Si cum præfinitione annorum legatum fuerit, ueluti Titio dena usque ad annos decem: Iulianus lib. XIII. Digest. scribit interesse, & si quidem alimentorum nomine legatum fuerit, plura esse legata, & futurorum annorum legatum legatariũ mortuum ad hæredem non transmittere: si uerò non pro alimentis legauit, sed in plures pensiones diuisit exonerandi hæredis gratia, hoc casu ait omnium annorum unum esse legatum, & intra decennium decedentem legatarium etiam futurorum annorũ legatum ad hæredem suum transmittere: quæ sententia uera est. *Concordat l. Firmio. 26. §. pater. ff. eod. tt. his uerbis:* Pater annua tot ex fructu bonorum quæ uxori legauit, accessura filij patrimonio præter exhibitionem quam æquè matri mandauit, ad annum ætatis eius uicesimumquintũ uxorem præstare uoluit. non plura, sed unum esse fideicommissum, certis pensionibus diuisum, apparuit: & ideo filio intra ætatem suprascriptam uita functo, relidui temporis ad hæredem eius fideicommissum transmitti: sed non initio cuiusque anni peti pecuniam oportere, quòd ex fructibus uxori datis pater filio præberi uoluit. Cæterùm si pecuniam annuam pater alimentis filij destinasset, non dubiè persona deficiẽte, causa præstandi uidetur extincta. *Concordat item l. nec semel. 12. §. 1. ibi: nisi fortè. ff. eod. tt. his uerbis:* Nisi fortè euidens sit uoluntas testatoris, in annuas pensiones ideo diuidentis, quoniam non legatario consultum, sed hæredi prospectũ uoluit, ne urgeretur ad solutionem. *Concordat deniq; l. codicillis. 18. in prin. ff. de annuis legatis. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap.1. quæst.3. reg.1. except.5. repl.2.*

IIII. *Regula, De numero legatorum, proponitur l. cum ususfr. 11. ff. de usufructu legato, his uerbis:* Cum ususfructus alternis annis legatur, non unum, sed plura legata sunt. aliud est in seruitute aquæ & uiæ: uiæ enim seruitus una est, quia natura sui habet intermissionem.

V. *Regula huius loci proponitur l. damnat. 15. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Damnas esto hæres, Titium finere in illa domo habitare, quoad uiuet: unum uidetur esse legatum.

Hactenus de definitione legati, item de differentijs legatorum ac fideicommissorum, de speciebus cognatis ac diuisione, necnon de numero legatorum est dictum. Nunc de effectibus legati dicetur: deinde, de exceptionibus aduersus legata competentibus: tertiò, de causis amittendi legati: quartò, de actione legatorum, eiusq; adsinibus remedijs: postremò, de quibusdam legatorum speciebus.

DE EFFECTIBVS Legati. Cap. II.

HOc capite primùm de iure quod legatario in re legata, præsertim aduersus hæredem competit, dicetur. Deinde, de actionibus & exceptionibus hæredi aduersus legatarium competentibus. Tertiò, de actionibus, quæ legatario aduersus extraneum dantur. Quartò, de actionibus & exceptionibus extraneo aduersus legatarium competentibus. Quintò, de actionibus quæ hæredi aduersus extraneum competunt. Postremò, de actionibus & exceptionibus quæ extraneo aduersus hæredem dantur.

Primi ergo generis regula prima hæc est, Quòd dominium rei legatæ ad legatarium pertineat. Quæ regula approbatur l. legatum. 82. ff. de leg.2. his uerbis: Legatum ita dominium rei legatarij facit, ut hæreditas hæredis res singulas: quod eò pertinet, ut si purè res relicta sit, & legatarius non repudiauerit defuncti uoluntatem, recta uia dominium quod hæreditatis fuit, ad legatarium transeat, nunquá factum hæredis. *Cõcordat l. à Titio. 66. §. fin. ff. de furtis, his uerbis:* Ea quæ legãtur, recta uia ab eo qui legauit, ad eum cui legata sunt, transeunt. *Ait Iurisconsultus:* Si purè res relicta sit. Ex *his uerbis elici potest prima aduersus regulam propositam exceptio talis: Nisi non purè, sed sub cõditione res sit legata.*

hoc enim casu pendente conditione dominium est hæredis. Cui concordat l.si fur decerpserit.14. ibi:exemplo.ff.de usufr.& quemadmodum,his uerbis: Res sub conditione legata,interim hæredis est:existente autem conditione,ad legatariũ transit. *Concordat item l.omnia.32.§.1.ff.de leg.2.cuius uerba uide ẽ.eod.cap.reg.10. Ait insuper* I.C. Et legatarius non repudiauerit defuncti uolũtatem. *Ex his uerbis elicitur secunda exceptio hæc: Nisi legatarius repudiauerit legatum. Cui concordat l.si tibi homo.83.§.cum seruus.ff.de leg.1.his uerbis:* Cum seruus legatur, & ipsius serui status, & omniũ quæ personam eius attingunt, in suspenso est.nam si legatarius repulerit à se legatum, nunquam eius fuisse uidebitur: si non repulerit,ex die aditæ hæreditatis eius intelligitur.Secundum hanc regulam,& de iure eorum quæ per traditionem seruus acceperit, aut stipulatus fuerit, deque his quæ legata uel donata ei fuerint,statuetur,ut uel hæredi uel legatario seruus singula gessisse existimetur. *Concordat item l.seruum filij.44.§.1.ff.de leg.1.his uerbis:* Si quis rem sibi legatam ignorans adhuc legauerit, postea cognouerit & uoluerit ad se pertinere, legatum ualebit: quia ubi legatarius non repudiauit,retrò ipsius fuisse uidetur res,ex quo adita est hæreditas: si uerò repudiauerit, retrò uidetur repudiata fuisse hæredis. *Tertia propositæ regulæ exceptio est: Nisi res aliena legata sit.hoc enim casu, quamuis legatarius legatum agnouerit,tamen tam quam dominus eam rem uindicare non potest: sed personalem tantùm habet actionem aduersus hæredem,nisi in casu. de qua re uide ẽ.lib.prox.cap.11.reg.1.in fine. Quarta exceptio est: Nisi nondum adita fuerit hæreditas.tunc enim legatarij res non censetur. l.& eleganter.7. §.item si seruum.ff.de dolo malo. cuius uerba uide ẽ. lib.49.cap.3.quæst.4.causa 6.* Hæc de prima regula,eiusq; exceptionibus sint dicta. Planè quæcunque exceptiones legatis opponi possunt, eædem propositæ quoq; regulæ non ineptè opponentur.

II.*Regula:Hæres rem legatam alienare non potest, nec pignori obligare. Quæ regula approbatur l.si duob.3.§.sed quia nostra.C.communia de leg.hisce uerbis:* Nemo ea quæ per legatum uel purè,uel sub certo die relicta sunt,uel quæ restitui alijs disposita sunt, uel substitutione posita, secundum ueteres dispositiones puret esse in posterum alienanda, uel pignoris uel hypothecæ titulo assignanda, uel mãcipia manumittenda: sed sciat, quòd hoc quod alienum est, non liceat ei, utpote sui patrimonij existens, alieno iuri adplicare. quia satis absurdum est,& irrationabile,rem quam in suis bonis purè non possidet, eam ad alios posse transferre,uel hypothecæ pignorisue nomine obligare uel manumittere, & alienam spem decipere. Sin autem sub conditione, uel sub incerta die fuerit relictum legatum uel fideicõmissum uniuersitatis, uel speciale, uel substitutione, uel restitutione: melius quidem faciet,etsi in his casibus caueat ab omni uẽditione uel hypotheca, ne se grauioribus oneribus euictionis nomine supponat. Sin autem per auariciæ cupidinem, propterspem conditionis minimè implendæ, ad uenditionem uel hypothecam prosiluerit: sciat quòd conditione impleta, ab initio causa in irritum deuocetur: & sic intelligenda est,quasi nec scripta,nec penitùs fuerat celebrata, ut nec usucapio, nec longi temporis præscriptio, contra legatarium uel fideicõmissarium procedat. Quod similiter obtinere censemus in huiusmodi legatis,siue purè,siue sub die certo, siue sub conditione, siue sub incerta die relicta sint. Sed in his omnibus casibus legatario quidem, uel fideicommissario omnis licentia pateat rem uindicare,& sibi adsignare,nullo obstaculo ei à detentatorib.opponendo. Emptor autem sciens rei grauamen,aduersus uenditorem actionem habeat tãtùm ad restitutionem precij, neque duplæ stipulatione, neq; melioratione locum habente: cum sufficiat ei saltem pro precio,quod sciens dedit pro aliena re, sibi satisfieri, creditori nihilominus pignoraticia contraria actione aduersus debitorem competente, ut ex omni parte omniq; studio id quod sem per properamus, ad effectum perducatur, & ultima elogia defunctorum legitimum finem sortiantur: bonæ fidei proculdubiò emptoribus integra iura,& nullo modo ex hac constitutione diminuta, contra uenditores habentibus. *Leges concordantes uide ẽ. cap.11.causa 54.exempl.2.in prin. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi sub conditione legatum sit relictum. hoc enim casu alienatio rei ab hærede facta ualet. Quæ exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt paulò superius reg.prox.except.1. Huius tamen exceptionis replicatio hæc est: Nisi postea legati conditio extiterit. Quæ replicatio approbatur supradictis uerbis hisce:* Sin autem sub conditione,uel sub incerta die fuerit relictum legatum uel fideicommissum uniuersitatis, uel speciale, uel substitutione, uel restitutione: melius quidem faciet, etsi in his casibus caueat ab omni uenditione uel hypotheca, ne se grauioribus oneribus euictionis nomine supponat. Sin autem per auariciæ cupidinem, &c. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi legatarius legatum repudiauerit.Et hæc exceptio constat ex ijs quæ dicta sunt ẽ.reg.prox.except.2.Cui concordat l.quædam sunt.16. ff.de reb.dubijs. cuius uerba uide ẽ. cap.11.causa 54.exemplo 2. in princ. Tertia exceptio est: Nisi cum hæres damnatus esset, fundum aut centum dare,utrum uellet,fundum uẽdiderit. Quæ exceptio approbatur l.si quando,106.§.fin. ff.de leg.1.*

*cuius uerba uide ẽ.lib.34. cap.11.quæst.1.except.22.replic.7. Quarta exceptio est:Nisi hæres prædium,ex cuius reditu annuum quid relictum est, alienauerit: hoc enim casu ualet alienatio, saluo iure legati. Quæ exceptio approbatur l.nihil.117.in prin. ff.de leg.1. his uerbis:*Nihil proponitur,cur prohibeatur hæres ædificia distrahere,è quorũ reditu sportulæ sint relictæ, salua tamen causa legati. *Concordat l.fundi.38.in prin. ff.de usufr.leg. cuius legis uerba hæc sunt:* Fundi Trebatiani reditus uxori meæ, quoad uiuet, dari uolo. quæro, an possit tutor hæredis fundum uendere, & legatario quantitatem offerre annuam, quam uiuus pæterfam. ex locatione fundi redigere consueuerat? Scæuola respondit, posse.Item quæro,an habitare impunè prohiberi possit? respõdit,non esse obstrictum hæredem ad habitationem præstandam. Item quæro,an compellendus sit hæres reficere prædium? Respondit, si hæredis facto minores reditus facti essent,legatarium rectè desiderare quod ob eam rem deminutum sit. Item quæro, quo distet hoc legatum ab usufructu? respondit, ex his quæ suprà responsa essent, intelligi differẽtiam. *Concordat item l.liberto.21.in prin.ff.de ann.leg. cuius uerba uide ẽ.libro 34.cap.8.quæst.4.except.6. Plures propositæ regulæ exceptiones uide ẽ. cap.11. causa 54. exemplo 2.item lib.34.cap.3.membr.3.reg.16.*

III. *Regula: Legatario rei legatæ nomine personalis,in rem & hypothecaria competit actio. Quæ regula approbatur inst.de leg.§.nostra autem. cuius uerba cum alijs ad propositam regulam pertinentibus uide ẽ. lib.prox.cap.11.reg.1.*

IIII. *Regula:* Hæres *legatario regulariter de euictione rei legatæ non tenetur. Quæ regula approbatur l.si à substituto.45.§.fin.ff.de leg.1.his uerbis:* Si certus homo legatus est, talis dari debet, qualis est. *Concordat l.de euict.69.ff.ad senatusc.Treb. his uerbis:*De euictione prædiorum uel mancipiorum,uel cæterarum rerum cauere hæres, cum restituit hæreditatem, non debet: quinimò in contrarium caueri hæredi oportet, si quid ex his euictum esset, quæ ab ipso hærede uenissent.*Item concordat l.cum pater.79.§.euictis.ff.de leg.2.bis uerbis:* Euictis prædijs,quæ pater, qui se dominum esse crediderat, uerbis fideicommisi reliquit filio, nulla cum fratribus & cohæredib. actio erit. Si tamen inter filios diuisionem fecit, arbiter coniectura uoluntatis non patietur eum partes cohæredibus prælegatas restituere, nisi parati fuerint & ipsi patris iudicium fratri conseruare. *Concordat item l.Stichо. 86.§.fin.ff.de usufr.leg.ubi cùm proposita essent uerba quæ habentur ẽ. cap.7. repl.generali 7. hæc subijciuntur:* Quæsitum est, si aliquo casu legatarijs auferri possit, an repetitionem ab hæredibus Stichi eius nepotes habere possint:Scæuola respondit,uideri Stichum (si post mortem eorum quibus proprietas legata esset, testamentum fecisset) potius quod habere se crederet, quàm quod onerare hæredes uellet,legasse. *Ex uerbis iam propositis,præterquã quòd regula proposita ijs approbatur, prima etiã eius exceptio elici potest,hæc scilicet:Nisi testator sciẽs rem alienam legauerit.Loquuntur enim leges propositæ eo casu, quo testator rem suam esse credidit, uel credidisse uidetur, quo casu legatum nullius est momenti: altero autem casu,quo scilicet testator sciens rem alienã legat, ualet legatum. de quo uide ẽ.cap.5.except.49. Secunda propositæ regulæ exceptio est:Nisi parens diuisionẽ bonorũ inter liberos fecit: hoc casu,si una aliqua res euincatur, ei cui euincitur, eius euictionis nomine datur aduersus fratres suos actio & exceptio. Quæ exceptio approbatur l.cum pater.79.§.euictis.ibi:si tamen.ff.de leg.2. cuius uerba uide paulò superius ead.reg. in prin. Tertia propositæ regulæ exceptio est:Nisi non certa aliqua species,sed genus legatum sit: hoc enim casu hæres legatario de euictione rei,quã soluit,tenetur. Quæ exceptio approbatur l.si à substituto.45.§.hæres. ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ. lib.prox.cap.7.reg.1.excep.2. repl.2. Concordat l.qui concubinam.29.§.si hæres.ff.de leg.3.cuius uerba uide ẽ.lib.34.cap.11.quæst.1.excep.22. repl.4. Item concordat l.hæres.58. ff.de euictione, his uerbis:*Hæres seruum non nominatim legatum tradidit, & de dolo repromisit: postea seruus euictus est. agere cum hærede legatarius ex testamẽto poterit,quamuis hæres alienum esse seruum ignouerit. *Concordat item l.si domus.70.§.de euictione.ff.de leg.1.his uerbis:* De euictione an cauere debeat is qui seruũ præstat ex causa legati,uideamus. Et regulariter dicendum est, quoties sine iudicio præstita res legata euincitur, posse eam ex testamẽto peti:cæterùm si iudicio petita est, officio iudicis cautio necessaria est, ut fit ex stipulatu actio. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est:Nisi legatarium,cui de re tradita fuit mota quæstio,non denunciauerit hæredi. Hæc replicatio approbatur l.qui concubinam.29.§.si hæres,in fin.ff.de leg.3. his uerbis:* Sed hoc amplius air, debere te, priusquam iudicium accipiatur, denũciare hæredi. nam si aliter feceris,agenti ex testamento opponetur tibi doli mali exceptio. *Quarta exceptio est:Nisi cum is qui prædiũ reip.emerat,illud legauerit,imperator postea uenditiones prædiorum reip.rescindat, restituto precio. hoc enim casu legatario quoq; precium ab hæredibus restituendum. Quæ exceptio approbatur l.qui solidum.80. §.1. ff.de leg.2.bis uerbis:* Cum post mortem emptoris, uenditiones prædiorum reip.optimus maximusq; princeps noster Seuerus Augustus rescindi,hæredib.precio restituto, iussisset: de pecunia legatario, cui prædium emptor ex ea possessione legauerat,coniectura uoluntatis,pro modo æstimationis partem soluendam esse,Papinianus respondit.

V. Regula: *Si seruus ex causa legati solutus, legatario furtum fecerit, legatario eo nomine aduersus hæredem actio competit. Quæ regula approbatur l. si generaliter. 107. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si generaliter hæres seruum, quem ipse uoluerit, dare iussus, sciens furem dederit, isq; furtum legatario fecerit: de dolo agi posse, Africanus ait. Sed quoniam illud uerum sit, hæredem in hoc teneri, ut non pessimum det: ad hoc tenetur, ut & alium hominem præstet, & hunc pro noxæ deditione relinquat.

¶ *Hactenus iura & actiones, quæ competunt legatario aduersus hæredem. Plura huiusmodi iura uide ẏ. de actione legatorum, eiusq; adsinib. remedijs. Sequuntur nunc actiones & exceptiones, quæ hæredi occasione legati aduersus legatarium competunt.*

VI. Regula: *Si hæres in rem legatam sumptus fecit, potest eos repetere, uel per exceptionem retinere. de qua re uide ẏ. lib. prox. cap. 7. reg. 22.*

VII. Regula: *Si seruus legatus hæredi furtum fecerit, competit ei eo nomine aduersus legatarium tam actio quàm exceptio. Quæ regula approbatur l. à Titio. 66. ff. de furtis, hisce uerbis:* A Titio hærede homo Seio legatus, ante aditam hæreditatem Titio furtum fecit. Si adita hæreditate Seius legatum ad se pertinere uoluerit, furti eius serui nomine aget cum eo Titius: quia nec tunc, cum faceret furtum, eius fuerit. Et ut maximè quis existimet, si seruus esse cœperit eius cui furtum fecerat, tolli furti actionem, ut nec si alienatus sit, agi possit eo nomine: ne post aditam quidem hæreditatem Titij factus est: quia ea quæ legantur, recta uia ab eo qui legauit, ad eum cui legata sunt, transeunt. *Concordat l. si seruus. 69. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si seruus Titij furtum mihi fecerit, deinde Titius, hærede me instituto, seruum tibi legauerit: non est iniquum, talem seruum tibi tradi, qualis apud Titium fuit: id est, ut me indemnem præstes furti nomine, quod is fecerat apud Titium. nam etsi fundus, qui meo fundo seruiebat, legatus tibi fuerit: non aliter à me tibi præstari debet, quàm ut pristinam seruitutẽ recipiam. nec dissimile est ei, qui mandatu alicuius seruum emit, uel ei qui seruum redhibet: quia & ipsi non aliter restituere seruum coguntur, quàm ut ratio habeatur furti, quod ab eo seruo factum fuerit, uel antequã negotium contraheretur, uel postea. Quare etsi post aditam hæreditatem seruus legatus hæredi furtum fecerit, ita præstari debebit, ut ob hoc delictum quasi litis æstimatio à legatario sufferatur hæredi.

VIII. Regula: *Si prædium legatum hæredis prædio seruit, competit ei eo nomine aduersus legatarium tam actio quàm exceptio. Quæ regula approbatur d. l. 69. ibi: nam etsi fundus. Concordat l. legatum. 113. §. fin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ẏ. lib. prox. cap. 6. reg. 1. in princ. Concordat item l. cum filius. 78. §. dominus. ibi: diuersum. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẏ. lib. proxim. cap. 5. reg. 17. except. 4.*

IX. Regula: *Si cum testator duo prædia haberet iuncta, alterum legauerit, potest hæres alteri quod retinet, seruitutem excipere. Quæ regula approbatur l. testatrix. 20. in princ. ff. si seruitus uindicetur, his uerbis:* Testatrix fundo quem legauerat, casas iunctas habuit. quæsitum est, si hæ fundo legato non cederent, cumq; legatarius uindicasset, an iste fundus aliquam seruitutem casis deberet: aut si ex fideicommissi causa sibi dari legatarius desideraret, hæredes seruitutem aliquam casis excipere deberent? Respondit Scæuola, debere. *Concordat l. Olympico. 40. in prin. ff. de seruit. urban. præd. ubi idem Scæuola:* Olympico (*inquit*) habitationem & horreum, quod in ea habitatione erat, quoad uiueret legauit. iuxta eandem domum hortus & cœnaculum, quod Olympico legatum non est, fuêre: ad hortum autem & cœnaculum semper per domum, cuius habitatio relicta erat, aditus fuit. quæsitum est, an Olympicus aditum præstare deberet? Respondi, seruitutem quidem non esse, sed hæredem tranfire per domum ad ea quæ commemorata sunt posse, dum non noceat legatario. *Propositæ regulæ contradicit l. seruum. 44. §. fin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ẏ. libro prox. cap. 6. reg. 2. except. 3. Sed & cõtradicunt ea quæ habentur ẏ. d. cap. 6. reg. 3.*

X. Regula: *Si legatarius rem legatam propria authoritate occupauit, hæredi interdicto. Quorum legatorum tenetur. de quo ẏ. lib. 23. cap. 6. Sed & rem legatam hæres pendente legati conditione potest uindicare. Quod approbatur l. omnia. 32. §. fundum. ff. de leg. 2. his uerbis:* Fundum ante conditionem completam, ab hærede non traditum, sed à legatario detentum, hæres uindicare cum fructibus poterit.

XI. Regula: *Si legatarius conditioni & modo legati non paret, eo nomine hæredi tenetur. Quæ regula approbatur l. 2. C. de his quæ sub modo. cuius uerba uide ẏ. cap. 6. except. 74. §. præterea uerba. Sed & approbatur exemplo l. quidam. 17. ff. de usufructu legat. his uerbis:* Quidam prædia reipub. legauit, de quorum reditu quotannis ludos ediuoluit. & adiecit: Quæ legata peto, Decuriones, & rogo ne in aliam speciem aut alios usus conuertere uelitis. Resp. per quadriennium continuum ludos non edidit. quæro, an reditus quos quadriennio resp. percepit, restituere debeat hæredibus, uel compensare in aliam speciem legati ex eodem testamento? Scæuola respondit, & inuitis hæredibus possessione adprehensa, percepros fructus restituendos esse, & non erogatum secundum defuncti uoluntatem, in alia quæ deberentur compensari. *Simile exemplum*

exemplum proponitur l. liberto. 21. §. Lucius. ff. de annuis legatis. cuius uerba uide ẏ. cap. 9. causa 15. in prin. Sed & plura de regula proposita eiusq; exceptionibus uide ẏ. d. causa 15. item ẏ. lib. prox. cap. 9. caut. 1 & 2. item cap. 41.

XII. Regula: *Si creditori compensandi debiti causa legatum est, legato accepto creditor debitum petens, exceptione submouetur. Quæ regula approbatur exemplo l. tutor. 26. ff. de liberatione legata, his uerbis:* Tutor decedens, alijs hæredibus scriptis, pupillo suo, cuius tutelam gessit, tertiam partem bonorum dari uoluit, si hæredibus suis tutelæ causa controuersiam non fecerit, sed eo nomine omnes liberauerit. pupillus legatum pertulit, & postea nihilominus petijt, quidquid ex distractione aliáue causa ad tutorem suum ex tutela peruenerit. quæro, an uerbis testamenti ab his exactionibus excludatur? Scæuola respondit: Si priusquam conditioni parêret, fideicommissum percepisset, & pergeret petere id, in quo contra conditionem faceret, doli mali exceptionem obstaturam: nisi paratus esset, quod ex causa fideicommissi percepisset, reddere: quod ei ætatis beneficio indulgendum est. *Hisce uerbis regula proposita approbatur, simul & duæ eius exceptiones denotantur, quarum prima hæc est: Nisi legatum non perceperit legatarius. Secunda exceptio est: Nisi cum legatum minor annis uigintiquinq; percepisset, id restituere sit paratus. Tertia exceptio est: Nisi non compensandi debiti animo legatum sit. Quæ exceptio ipso iure subsistit, eiusq; exemplum proponitur l. Titia. 19. §. qui Marco. ff. de annuis legatis. cuius uerba uide ẏ. cap. 8. causa 4. except. 2. Quarta exceptio est: Nisi ipsum debitum creditori sit legatum, sed non totum: tunc enim, quamuis id quod sibi legatum est, ex testamento perceperit, nihilominus id quod deest, petere potest. Quæ exceptio approbatur l. Aurelius. 28. §. eum qui. ibi: idem quæsijt. ff. de liberat. legata. cuius uerba uide ẏ. cap. 9. causa 29. except. 5. repl. 2.*

¶ *Hactenus de actionibus & exceptionibus hæredi aduersus legatarium ratione legati competentibus sit dictum. Plura ad hunc locum pertinentia uide ẏ. inter causas amittendi legati: item lib. prox. cap. 9. de cautionibus ab actore præstandis, &c. Sequitur nunc de actionibus, quæ legatario ratione legati aduersus extraneum competunt.*

XIII. Regula: *Legatarijs regulariter actiones hæreditariæ non competunt. Quæ regula approbatur l. quoties. 13. C. de hæred. inst. hisce uerbis:* Quoties certi quidam ex certa re scripti sunt hæredes, uel certis rebus pro sua institutione cõtenti esse iussi sunt, quos legatariorum loco haberi certum est: alij uerò ex certa parte, uel sine parte, qui pro ueterũ legum tenore ad certam unciarum institutionem referũtur: eos tantummodò omnibus hæreditarijs actionibus uti uel cõueniri decernimus, qui ex certa parte, uel sine parte scripti fuerint, nec aliquam deminutionem earundem actionum occasione hæredũ ex certa re scriptorum fieri. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi actio ratione rei legatæ sit acquisita. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur exemplo eorum quæ dicentur ẏ. lib. prox. cap. 4. de seruis legatis, reg. 3. Secunda exceptio est: Nisi hæreditas alicuius sit legata, hoc enim casu eius hæreditatis actiones legatario debentur. Quæ exceptio approbatur l. cũ filius. 78. §. 1. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẏ. reg. prox. exc. 4. Sed & plura de hac re uide ẏ. reg. prox. item libro 34. cap. 4. Nunc de ijs actionibus & exceptionibus dicendum, quæ extraneo aduersus legatariũ ratione rei legatæ competere uidẽtur, item de ære alieno hæreditario.*

XIIII. Regula: *Legatarius actionibus hæreditarijs non tenetur. Quæ regula approbatur l. creditores. 7. C. de actionibus hæreditarijs, his uerbis:* Creditores hæreditarios aduersus legatarios non habere personalem actionẽ, conuenit: quippe cum euidentissimè lex XII. Tabularum hæredes huic rei faciat obnoxios. *Concordat l. quoties. 13. C. de hæred. instit. cuius uerba uide ẏ. reg. prox. in prin. Prima propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi non personalis, sed in rem legatam sit actio. ea enim quoniam in quemuis rei possessorem competit, etiam aduersus legatarium qui rem possidet, danda est: ueluti hypothecaria, & alia similis actio realis. Planè si res legata pignori sit obligata, ideoq; legatarius hypothecaria conueniri possit, datur illi actio ex testamento aduersus hæredem, ut pignus luat. de qua re dicetur ẏ. cap. 5. except. 50. item lib. proxim. cap. 3. reg. 2. Idemq; dicendum, si ob præteritum uectigal, uel tributum, uel aliud onus reale legatarius conueniri possit. Vnde Paulus:* Hæres (*inquit*) cogitur legati prædij soluere præteritum uectigal, uel tributum, uel salarium, uel cloacariũ, uel pro aquæ forma. *l. cùm seruus. 39. §. hæres. ff. de legat. 1. Planè ob onus reale, cuius dies post acceptum legatum cessit, legatarius omnimodò tenetur, nec illi aduersus hæredem dandus est regressus, quamuis usufructus rei tantùm illi sit legatus. quod approbatur l. quæro. 28. ff. de usufructu legato, his uerbis:* Quæro, si usus fructus fundi legatus est, & eidem fundo indictiones temporariæ indictæ sint, quid iuris sit? Paulus respondit, idem iuris esse in his speciebus quæ postea indicuntur, quod in uectigalibus dependendis responsum est: ideoq; hoc onus ad fructuarium pertinere. *Planè si conductor prædium quod conduxit, alteri legauerit utendum fruendum, hæres mercedem conductionis etiam in futurum tenetur præstare. Quæ distinctio approbatur l. qui concubinam. 29. §. qui hortos. ff. de leg. 3. his uerbis:* Qui hortos publicos à republ. conductos habebat, eorum hortorum fructus usque ad lustrum quo conducti essent, Aufidio legauerat, & hæredem eam conditionem eorum hortorum ei damnauerat dare, sinereq; eum uti & frui. Iaboleanus

nus respondit, hæredem teneri finere frui: hoc amplius, hæredem quoque mercedem hortorum reipubl. præstaturum. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi aliqua negociatione legata, eius nomine actio sit danda: ea enim aduersus legatarium qui legatum agnouit, dabitur. quæ exceptio approbatur l. cum pater. 79. §. mensæ. ff. de leg. 2. his uerbis:* Mensæ negocium ex causa fideicommissi cum indemnitate hæredum per cautionem susceptum, emptioni simile uidetur: & ideo non erit quærendum, amplius in ære alieno sit, quàm in quæstu. *Tertia exceptio est: Nisi peculium legatum sit. eius enim actiones legatario, & in legatarium datur, non quidem directò, sed per cessionem & cautionem. de qua re uide ĩ. libro 34. cap. 34. quæst. 3. Quarta exceptio est: Nisi hæreditas in totum uel pro parte sit legata, uel per fideicommissum relicta: hoc enim casu actiones in legatarium, uel fideicommissarium transeunt. de qua re dicetur ĩ. libro 34. cap. 4. Sed & approbatur l. cum filius. 78. §. 1. ff. de leg. 2. his uerbis:* Lucio Sempronio lego omnem hæreditatem Publij Mæuij: Sempronius ea demum onera suscipiet, quæ Mæuianæ hæreditatis fuerũt, & in diem mortis eius, qui hæres Mæuij extitit, perseuerauerunt: sicut uice mutua præstabuntur actiones, quæ ei præstari potuerunt. *Concordat l. si quis. 8. §. fin. cum l. sequente. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si cui certam partem hæreditatis legauero, diuus Hadrianus rescripsit, ut neque precia manumissorum, neque funeris impensa deduceretur. Cum autem pars bonorum ita legatur, Bonorum meorum quæ sunt cum moriar: & manumissorum de medio deducenda sunt. *Propositæ exceptionis replicatio hæc esse uidetur: Nisi non pars bonorum, sed æstimatio partis præstetur. Quæ tamen replicatio reprobatur l. generali. 32. §. fin. in fine. ff. de usufructu legato. cuius uerba uide ĩ. lib. proxim. cap. 3. reg. 15. except. 2. Quinta exceptio est: Nisi hæres sese rei legatæ nomine obligauerit: tunc enim legatarius ei cauere debet de indemnitate. de qua re uide ĩ. lib. proxim. cap. 9. caut. 6 & 9. Sexta exceptio est: Nisi hæreditas non sit soluendo: tunc enim, si hæres confecto inuentario, hæreditatem adijt, nec bona defuncti creditoribus hæreditarijs sufficiant: datur creditoribus actio in legatarios pro quantitate legatorum. Quæ exceptio approbatur l. ultim. §. etsi præfatum. ibi: sin uerò creditores. C. de iure deliberandi, his uerbis:* Si creditores, qui & post emensum patrimoniũ necdum completi sunt, superueniant, neque ipsum hæredem inquietare concedantur, neque eos qui ab eo comparauerunt res, quarum precia in legata uel fideicommissa, uel alios creditores processerunt: licentia creditoribus non deneganda aduersus legatarios uenire, & uel hypothecis, uel indebiti conditione uti, & hæc quæ acceperint recuperare: cum satis absurdum est, creditoribus quidem ius suum persequentibus legitimum auxilium denegari, legatarijs uerò, qui pro lucro certant, partes suas leges accommodare.

¶ *Nunc de ijs actionibus quæ hæredi aduersus extraneum, non legatarium, occasione legati competunt, dicendum.*

XV. *Regula: Si unus hæredum legatum in solidum soluit, competit ei eo nomine actio aduersus cohæredes. de qua re uide ĩ. lib. 44. cap. 9.*

XVI. *Regula: Hæres qui hæreditatem uendidit, actione legatorum conuentus, actionem eo nomine aduersus hæreditatis emptorem habet. Quæ regula approbatur l. 2. C. de legatis. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 2. reg. 1. except. 5.*

XVII. *Regula: Si respubl. uel pupillus, à quo alicui legatum est, ob illud legatum tardius solutum aliquod damnum patitur: in administratores & tutores suos actionem habet. Quæ regula approbatur l. qui solidum. 80. §. etiam. ff. de leg. 2. his uerbis:* Etiam respubl. post moram fideicommissi usuras præstare cogitur: sed damnum, si quod ex ea re fuerit secutum, ab his sarciendum erit, qui post dictam sententiam iudicatum soluere supersederunt: nec aliud seruabitur in litis sumptibus, si ratio litigandi non fuit: ignauiam etenim prætendentes audiri non oportet. quod in tutoribus quoque probatur. *Idem dicendum est, si tutor à legatario non exegit cautionem. de quo ĩ. lib. proxim. capite 9. caut. 3. quæst. 7.*

¶ *Sequitur postremò de actionibus & exceptionibus, quæ extraneo ratione legatorum aduersus hæredem dantur.*

XVIII. *Regula: Colono à legatario expulso competit actio aduersus hæredem. Quæ regula approbatur l. nihil proponi. 117. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Fructus ex fundo purè legato post aditam hæreditatem à legatario perceptos ad ipsum pertinere: colonum autem cum hærede ex conducto habere actionem. *Concordat l. qui fundum. 32. ibi: quòd si colonus. ff. locati & conducti, his uerbis:* Quòd si colonus uellet colere, & ab eo cui legatus esset fundus, prohiberetur: cum hærede actionem habere colonum, & hoc detrimentum ad hæredem pertinere.

XIX. *Regula: Debitori hæreditario, à quo debitum alij legatum est, exceptio aduersus hæredem competit. Quæ regula approbatur l. si pecunia. 76. ibi: nam si conueniatur. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ĩ. capite 4. except. 4. repl. 12. exemplo 4.*

DE EXCEPTIONIBVS aduersus legata. Cap. III.

HActenus de effectibus legatorum tractatum est. Quamuis autem regulariter legata sint præstanda, ut patet ex lege XII. Tabularum, cuius

ius uerba proposita sunt S. *cap. 1. in princ. item ex lege Falcidia, cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 1. in prin. item Instit. de fideicommissarijs hæred. in princ. cuius uerba uide* S. *cap. 1. differentia 1. item Nouell. 22. §. atq; hoc primum. cuius uerba uide* S. *lib. 28. cap. 6. in prin. tamen regula hæc plures recipit exceptiones, sumptas partim ex persona testatoris legantis, partim ex persona legatarij, partim ex persona eius à quo legatum est, partim ex re legata, partim denique ex alijs legati circumstantijs: de quibus nunc ordine dicetur. Et primum de ijs exceptionibus, quæ sumuntur ex persona ipsius testatoris legantis.*

I. Exceptio: *Nisi testator ius testandi non habuerit. Hæc exceptio approbatur l. 2. ff. de leg. 1. his uerbis:* Sciendum est, eos demum fideicommissum posse relinquere, qui testandi ius habent. *Huius exceptionis species sunt exceptiones proximè sequentes.*

II. Exceptio: *Nisi furiosus legauerit. Hæc exceptio approbatur l. ne codicill. 5. C. de codicillis, hisce uerbis:* Ne codicillos quidem furentẽ posse facere, certissimi iuris est. Si igitur scriptura uelut codicillorum patris tui fuit prolata, ut aliquid ex hoc peti possit: adseuerationi tuæ, mentis eum compotem fuisse negantis, fidem adesse probari conuenit.

III. Exceptio: *Nisi filiusfamilias uel seruus legauerit. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. sed si. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si filiusfamilias uel seruus fideicommissum reliquerit, non ualet. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi postea sui iuris effectus decesserit. Hæc replicatio approbatur d. §. sed si, his uerbis:* Si tamen manumissi decessisse proponantur, constanter dicemus fideicommissum relictum uideri, quasi nunc datum, cum mors ei contigit, uidelicet si duravuerit uoluntas post manumissionem. *Hæc replicatio recipit duplicationem hanc: Nisi in testamento, quod fecit, fideicommissum reliquerit. Quæ duplicatio approbatur d. §. sed si, in fine, his uerbis:* Hæc utique nemo credet in testamentis nos esse probaturos: quia nihil in testamento ualet, quoties ipsum testamentum non ualet: sed ualet, si aliàs fideicommissum quis reliquerit. *Secunda replicatio est: Nisi filiusfamilias miles sit. Quæ replicatio approbatur l. filiusfam. 111. in princ. ff. de leg. 1. his uerbis:* Filiusfamilias miles uel ueteranus, licet sine testamento decedat, potest fideicommittere à patre: quia etiam testamentum facere potest. *Concordat l. 1. §. hoc autem, in fine. ff. ad* S. C. *Trebell. his uerbis:* In filij quoque familias militis iudicio, qui de castrensi peculio uel quasi castrensi testari potest, senatusconsultum locum habet.

IIII. Exceptio: *Nisi de statu suo dubitet testator. Hæc exceptio approbatur l. 1. in princ. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si incertus quis sit, captiuus an à latrunculis obsessus sit, testamentum facere non potest: sed etsi sui iuris sit ignarus, puterq; se per errorem, quia à latronibus captus est, seruum esse uelut hostium: uel relegatus, nihil se à captiuo differre putet: non posse fideicõmittere certum est: quia nec testari potest, qui an liceat sibi testari dubitat.

V. Exceptio: *Nisi aqua & igni ei sit interdictum. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. hi quibus. ff. de leg. 3. his uerbis:* Hi quibus aqua & igni interdictũ est, fideicõmissum relinquere non possunt: quia nec testamenti faciendi ius habent, cũ sint ἀπόλιδες, id est, sine ciuitate.

VI. Exceptio: *Nisi deportatus sit. Hæc exceptio approbatur d. l. 1. §. deportatos. ibi à præfecto, his uerbis:* A præfecto prætorio, uel eo qui uice præfecti ex mandatis principis cognoscit, item à præfecto urbi deportatos (quia ei quoque epistola diui Seueri & Imperatoris nostri ius deportandi datum est) statim amittere ciuitatem: & ideo nec testamenti faciendi ius, nec fideicommittendi constat habere. Deportatos autem eos accipere debemus, quibus princeps insulas adnotauit, uel de quibus deportandis scripsit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi princeps sententiam præsidis uel præfecti de deportando nondum comprobauerit. Hæc replicatio approbatur d. §. deportatos, his uerbis:* Cæterùm priusquam factum præsidis comprobet (scilicet princeps) nondum amississe quis ciuitatem uidetur: proinde si antè decessisset, ciuis decessisse uidetur, & fideicommissum, quod antè reliquerat quàm sententiam pateretur, ualet: sed etsi post sentẽtiam, antequam Imperator noster comprobet, ualebit quod factum est: quia certum statum usque adhuc habuit. *d. §. deportatos.*

Secunda replicatio est: Nisi deportatus indulgentia Principis sit restitutus. Hæc replicatio approbatur d. l. 1. §. si quis plane, his uerbis: Si quis planè in insulam deportatus codicillos ibi fecerit, & indulgentia Imperatoris restitutus, ijsdem codicillis durantibus decesserit: potest defendi fideicommissum ualere, si modò in eadem uoluntate durauit.

VII. Exceptio: *Nisi capitali sententia damnatus sit. Hæc exceptio ipso iure subsistit, quia ita damnatus ciuitatem amittit, ut suo loco dicetur. Huius autem exceptionis replicatio hæc est: Nisi miles ex militari delicto sit damnatus. Quæ replicatio approbatur l. si quis. 22. §. miles. ff. de leg. 3. his uerbis:* Miles, in eum ex militari delicto capitali dicta sententia, permittente eo in ipsa sententia qui damnauit, sicut testamenti faciendi, ita fideicommissi relinquendi potestatem consequitur. *Plura de hac re uide* S. *lib. 28. cap. 6. except. 13. replic. 6. item cap. 18. duplic. 3.*

VIII. Exceptio: *Nisi testator non sit soluendo. Hæc*

exceptio approbatur simul & distinguitur ƒ. cap.12. causa 68.

IX. Exceptio: *Nisi is qui legauit, intestatus decesserit. Hæc exceptio reprobatur Instit. de fideicomm. hæredit. §. præterea, his uerbis:* Intestatus quoque moriturus potest rogare eum, ad quem bona sua uel legitimo iure, uel honorario pertinere intelligit, ut hæreditatem suam totam, partémue eius, aut rem aliquam (ueluti fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat: cum alioqui legata, nisi ex testamento, non ualeant. *Concordat Instit. de codicillis. §. non tantùm. cuius uerba uide §. lib.28. cap.25. quæst.4. except.7. Item concordat l. non idcirco. 4. C. de codicillis. cuius uerba uide d. except.7. Concordat item l. si per. 3. C. ad Senatusconſ. Trebell. cuius uerba uide ƒ. lib.34. cap.1. quæſt.4. reg.2. Item concordat l. & sine. 5. C. eod. tt. cuius uerba uide ƒ. cap.6. except.72. Item concordat l. filiusfamilias. 11. in prin. ff. de leg.1. cuius uerba uide §. except.3. replic.2. Concordat item d. l. 11. §. qui intestatò, his uerbis:* Qui intestatò decedit, & scit bona sua ad fiscum peruentura uacantia: fidei fisci committere potest. *Concordat item l. Titia. 13. ff. de inoff. testam. cuius uerba uide ƒ. cap.6. except.86. replic.5. Concordat item l. ult. §. Lucius. ff. de legat.2. ubi Scæuola:* L. Titius (*inquit*) intestatò moriturus, cum haberet uxorem, & ex ea filiam emancipatam, codicillis hæc uerba inseruit: Pertinent hi codicilli ad uxorem & filiam. primùm rogo, sic inter uos agatis, ut me uiuo egistis: item que rogo, quidquid aut ego reliquero, aut uos ipsi habetis, commune uobis sit. Filia intestati patris bonorum possessionem accepit. quæritur, an aliqua pars hæreditatis Lucij Titij ex causa fideicomissi à filia matri debeatur, & quota? Respondi, secundum ea quæ proponerentur, dimidiam partem deberi, si modò uxor parata esset in commune bona sua conferre. *Concordat iisdem uerbis l. Lucius. 78. in princ. §. ad S. C. Trebellianum. Planè si testamentum in quo legatum relictum est, uel iniustum sit, uel ruptum, aut irritum factum, ob eamq; causam ab intestato locus sit: nec legata ex eo testamento peti possunt, ut infrà suis locis demonstrabitur.*

¶ Hactenus primi generis exceptiones, ex persona testatoris legantis desumptæ, propositæ sunt: sequitur secundum genus, earum scilicet exceptionum, quæ sumuntur ex persona legatarij.

X. Exceptio: *Nisi nomen legatarij adscriptum non sit. Hæc exceptio approbatur l. Paulus. 5. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Paulus respondit: Cum nomen fideicommissarij testamento adscriptum non sit, nulli personæ, neque certæ, neque incertæ, datum fideicommissum uideri, indubitatum est. *Planè huius exceptionis replicatio proponitur l. quem. 26. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Quem hæredi meo dixero uelle me liberum esse, liber esto. Cui ut dare damnas sit hæres meus dixero, ei hæres meus damnas dare esto. testatoris uoluntas (si quibusdam argumentis apparebit de quo dixit) adimplenda est. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi postea testator nominem designauerit. Quæ duplicatio approbatur l. quæro. 18. ff. de usufruct. legato, his uerbis:* Qui plures habebat libertos, testamento suo dixit, se habitationem relinquere his quos codicillis designasset. cum nullum postea designauerit, quæro, an omnes admitti debeant? Respondi, Si patronus, qui se designaturum personas libertorum pollicitus est, nullum postea designauit: legatũ habitationis perfectum esse non uideri, non existente cui datum intelligi possit.

XI. Exceptio: *Nisi incertæ personæ sit legatum. Hæc exceptio iure quidem antiquo approbatur Instit. de legatis. §. incertis, hisce uerbis:* Incertis personis neque legata, neque fideicommissa olim relinqui concessum erat. Nam ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, ut diuus Hadrianus rescripsit. Libertas quoque incertæ personæ non uidebatur posse dari: quia placebat nominatim seruos liberari. *Declaratur proposita exceptio d. §. incertis, hisce uerbis:* Incerta autem persona uidebatur, quam incerta opinione animo suo testator subijciebat. ueluti si quis ita dicat: Quicunque filio meo filiam suam in matrimonium dederit, ei hæres meus illum fundum dato. Illud quoque, quod ijs relinquebatur, qui post testamentum scriptum primi consules designati essent, æquè incertæ personæ legari uidebatur: & deniq; multæ aliæ huiusmodi species sunt. *Dicti iuris antiqui, quo exceptio proposita approbatur, replicatio prima hæc erat: Nisi ex certis personis incertæ legatum sit. Quæ replicatio approbatur Instit. d. tt. §. sub certa, his uerbis:* Sub certa uerò demonstratione, id est, ex certis personis, incertæ personæ rectè legabatur: ueluti, Ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei hæres meus illam rem dato. *Secunda replicatio hæc erat: Nisi huiusmodi legatum solutum sit. quæ replicatio approbatur Instit. d. tt. §. incertis autem personis, hisce uerbis:* Incertis autem personis legata uel fideicommissa relicta, & per errorem soluta, repeti non posse, sacris constitutionib. cautum erat. *Tertia replicatio erat: Nisi pauperibus erat relictum. Quæ replicatio approbatur l. id quod. 24. C. de episcopis & clericis, hisce uerbis:* Id quod pauperibus testamento uel codicillis relinquitur, non ut incertis personis relictum euanescat, sed omnibus modis ratũ firmũmque consistat. *Quarta replicatio erat: Nisi in redemptionem captiuorum sit relictum. Quæ replicatio approbatur l. nulli. 28. in princ. C. d. tt. his uerbis:* Nulli licere decernimus dispositiones pij testatoris infringere, uel improbamẽte uiolare, adserendo incertum esse legatum uel fideicommissum, quod redemptioni relinquitur captiuorũ: sed modis omnibus exactum pro uoluntate testatoris piæ rei negocio proficere. *Quinta replicatio hæc est: Nisi conditionis implendæ causa incertæ personæ sit relictum. Hæc replicatio approbatur l. Paulus. 4. ff. de reb. dubijs, hisce uerbis:* Paulus respondit, id quod conditionis implendæ causa dandum est, sine dubio certis & incertis personis dari debere, ut fideicommissi petitio possit competere. *Sexta replicatio proponitur & approbatur l. quidam. 6. ff. d. tt. his uerbis:* Quidam relegatus facto testamento, post hæredis institutionem, & post legata quibusdam data ita subiecit: Si quis ex hæredibus cæterisq; amicis, quorum hoc testamẽto mentionem habui, siue quis alius restitutionem mihi impetrauerit ab Imperatore, & antè decessero quàm ei gratias egerim, uolo dari ei qui id egerit, à cæteris hæredibus aureos tot. Vnus ex his quos hæredes scripserat, impetrauit ei restitutionem, & antequam id sciret decessit. Cum de fideicommisso quæreretur, an deberetur? consultus Iulianus respondit, deberi: sed etsi non hæres uel legatarius, sed alius ex amicis curauit eum restitui, & ei fideicommissum præstari. *Possunt insuper replicationum loco hic annotari exceptiones proximè sequentes. Sed satis de iure antiquo sit dictum. Iure autem nouo exceptio proposita reprobatur, ut dictis replicationibus non sit opus. Reprobatur autem Instit. de leg. §. sed nec huiusmodi. ubi cum dictum esset de legato incertis personis relicto, iure antiquo reprobato, tandem subijciuntur hæc uerba:* Sed nec huiusmodi species penitùs est sine iusta emendatione relicta, cum in nostro Codice constitutio posita sit, per quam & huic parti medemur, non solùm in hæreditatibus, sed etiam in legatis & fideicommissis: quod euidenter ex ipsius constitutionis lectione clarescit. *Constitutio, cuius hic fit mentio, nõ extat: uerùm ex dicto loco exceptionem propositam ista constitutione fuisse reprobatam, iusq; antiquum mutatum, constat, maximè ex uerbis quæ ibidem subijciuntur, hisce nimirum:* Tutor autem nec per nostram constitutionem incertus dari debet. *Ex hisce inquam uerbis constat, propositam exceptionem dicta constitutione fuisse reprobatam. cum enim ista constitutio tutorem incertum dari prohibuerit, in cæteris, ut incertis personis legaretur, permisisse uidetur.*

XII. Exceptio: *Nisi ita legatum sit, illi aut illi do lego. Hæc exceptio reprobatur l. cum quidam. 4. C. de uerb. sign. his uerbis:* Cum quidam sic uel institutionem, uel fideicommissum, uel libertatem, uel tutelam scripsisset, Ille aut ille mihi hæres esto: uel, Illi aut illi do lego, uel Dari uolo: uel, Illum aut illum liberum, aut Tutorem esse uolo, uel Iubeo: dubitabatur, utrùmne inutilis sit huiusmodi institutio, & legatum & fideicommissum, & libertas & tutoris datio, an occupantis melior conditio sit, an ambo in huiusmodi lucra uel munia uocentur, & an secundum aliquem ordinem admittatur, an uterque omnimodò: cum alij institutionibus primum quasi institutum admitti, secundum quasi substitutum, alij in fideicommissis posteriorem solum acceptarum fideicommissum existimauerunt, quasi recentiore uoluntate testatoris utentem: & si quis eorum altercationem figillatim exponere maluerit, nihil prohibet non leue libri uolumen extendere, ut sic explicari possit tanta authorum uarietas: cum non solùm iuris authores, sed etiam ipsæ principales constitutiones, quas ipsi authores retulerunt, inter se uariasse uidentur. Melius itaque nobis uisum est, omni huiusmodi uerbositate exposita, coniunctionem AVT pro ET accipi, ut uideatur copulatiuo modo esse prolatum, ut & primam personam inducat, & secundam non expellat. Quemadmodum enim, uerbi gratia, in interdicto Quod ui aut clàm, AVT coniunctio pro ET apertissimè posita est: ita & in omnibus huiusmodi casibus, siue institutionum, siue legatorum, siue fideicommissorum, uel libertatum, seu tutelarum, hoc esse intelligendum, & ambo uenire æqua lance ad hæreditatem, ambo legata similiter accipiant, fideicommissum in utrunq; diuidatur, libertas utrunque capiat, tutoris ambo fungantur officio: sic nemo defraudetur à commodo testatoris, sic maior prouidentia pupillis inferatur: ne dũ dubitatur apud quem debeat esse tutela, in medio res pupillorum depereant. Sed hæc quidem sancimus, cum in personas huiusmodi proferatur scriptura, &c. *Hæc quidem constitutione exceptio proposita reprobatur: sed quòd coniunctionem AVT pro ET interpretatur, perquàm durum est. Neq; enim uera est ratio, quam adfert, quòd in interdicto Quod ui aut clam, AVT pro ET sumatur: cum longè aliud sit ui, aliud clàm facere, nec possit utrunq; eodem tempore fieri. Melius itaq; uidetur Pomponius interpretatus esse dictam particulam AVT. ait enim:* Hæredis est potestas in eligendo. *l. si ita. 44. §. fin. ff. de leg. 2. Ita etiam in proposito casu, si testator rogauerit hæredem, ut Titio aut Seio decem præstet, probabilius uidetur testatorem hæredi potestatem eligendi concessisse. Sed prævalet legum authoritas rationi disputandi. Planè si Titio aut Seio, utri hæres uellet, legatum relictum sit, propositæ constitutioni locus non est, sed hæres alteri dando ab utroq; liberatur. l. si Titio. 26. ff. de leg. 2.*

XIII. Exceptio: *Nisi ita legatum sit, illi aut illi, uter eorum prior Capitolium ascenderit. Et hæc exceptio reprobatur l. si seruus.105. §. huiusmodi. ff. de leg. 1. his uerbis:* Huiusmodi legatum, Illi aut illi, uter eorum prior Capitolium ascenderit: utile esse, euidenti argumento probari, ait Africanus: quòd constet, usufructu libertis legato, ei qui eorum superuixerit, proprietatem utiliter legari. idq; & de hærede instituendo dicendum existimauit.

XIIII. Exceptio: *Nisi ei cui hæres uolet, legatum sit. Hæc exceptio reprobatur l. utrum.8. §. cum quidam. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Cum quidam, pluribus hæredibus institutis, unius fidei commisisset, ut cum moreretur, uni ex cohæredibus, cui ipsi uellet, restitueret eam partem hæreditatis, quæ ad eum peruenisset: uerissimum est, utile esse fideicommissum: nec enim in arbitrio eius qui rogatus est, positum est, an omnino uelit restituere, sed cui potius restituat. plurimum enim interest, utrum in potestate eius quem testator obligari cogitat, faciat, si uelit dare: an imposita necessitate dandi, soli ei distribuēdi liberum arbitrium concedat. *Plura de hac re uide ī. cap. 6. except. 79. repl. 4.*

XV. Exceptio: *Nisi ei qui nouissimus superuixerit, sit legatum. Et hæc exceptio reprobatur l. quoties. 82. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Quoties libertis ususfructus legatur, & ei qui nouissimus superuixerit proprietas, utile est legatum. existimo enim omnibus libertis proprietatem sub hac conditione, Si nouissimus superuixerit, dari. *Concordat l. si seruus. 105. §. huiusmodi. ff. de leg. 1. cuius uerba uide paulò superius except. 13.*

XVI. Exceptio: *Nisi ita sit legatum, Illis qui testamentum meum signauerint. Et hæc exceptio reprobatur l. si quis. 15. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Si quis ita scripserit, Illis qui testamentum meum signauerunt, hæres meus dato decem: Trebatius utile legatum esse putat. quod Pomponius uerius esse existimat: quia ipsum testamentum confirmatur testibus adhibitis: quod uerum esse existimo.

XVII. Exceptio: *Nisi ita sit legatum: Lucio & Titio, uel alteri horum do lego. Hæc exceptio reprobatur l. si quis testamento. 78. §. his uerbis. ff. de leg. 1. hisce uerbis:* His uerbis, Lucio & Titio, eorúmue cui fundum do lego, utiliter legatur: & si uterque uixerit, utriq;: si alter, alteri totum debebitur.

XVIII. Exceptio: *Nisi non appareat de quo testator senserit. De hac re dicetur ī. lib. prox. cap. 1. quæst. 3. item ī. hoc libro, cap. 6. except. 93.*

XIX. Exceptio: *Nisi ei sit legatum, qui capax non est, & cum quo testamenti factio non est. Hæc exceptio approbatur Institut. de leg. §. legari, his uerbis:* Legari illis solùm potest, cum quibus testamenti factio est. *Cum ijs autem testamenti factio est, qui ex alieno testamento uel ipsi capere possunt, uel alijs adquirere. Instit. de hær. qual. & differ. §. testamenti. Exempla uide ī. except. 20. 28 & 29. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non ob delictum legatarius capere non posßit, sed propter uitiū corporis sui, uel propter aliā probabilem causam. Hæc replicatio approbatur l. seruo alieno. 110. §. si quid alicui. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si quid alicui licitè fuerit relictum, quod ipse quidem propter corporis sui uitium, uel propter qualitatem relicti, uel aliam quamcunq; probabilem causam habere non potuit, alius tamē habere potuit: quanti solet comparari, tantam æstimationem accipiet. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testator ignorauit legatarium talem esse, qui capere non posßit. Quæ duplicatio approbatur exemplo l. fideicommissa. 11. §. si seruo alieno. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si seruo alieno militia relinquatur, an domino queratur legatum, quæritur? & aut scit seruum esse, & dico æstimationem deberi: aut ignorauit, & denegari fideicommissi persecutio debet: quia si scisset seruum, non reliquisset. *Sanè subijcitur ibidem elegans clausula, ad propositam replicationem pertinens, hisce uerbis:* Ex his apparet, cum per fideicommissum quid relinquitur, præstandum ipsum quod relictum est: cum uerò ipsum præstari non potest, æstimationem eius præstandam. *Secunda replicatio hæc est: Nisi legatarius qui capere non potest, alij restituere rogatus sit. Quæ replicatio approbatur l. si fidei. 28. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si fidei meæ committatur, ut quod mihi relictum fuerit suprà quàm capere possum, alij restituam, posse me id capere constat. *Concordat l. cum ei. 43. ff. de leg. 2. ubi Modestinus:* Cum ei qui partē capiebat (*inquit*) legatum esset ut alij restitueret, placuit solidum capere posse. *Concordat item l. mortuo. 50. §. Labeo, in fine. ff. de leg. 2. ubi Paulus:* Sed Proculus (*inquit*) si quis hæredem suum eum fundum, cuius commercium is hæres non habeat, dare iusserit ei qui eius commercium habet, putat hęredem obligatum esse: quod uerius est, uel in ipsam rem, si hæc in bonis testatoris fuerit: uel si non est, in eius æstimationem. *Concordat item l. cogi. 16. §. hi qui solidum. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide ī. lib. 34. cap. 3. membr. 2. except. 7. Tertia replicatio est: Nisi ei qui solidum capere non potest, legatum sit sub hac conditione, Si hæredi tot dedisset. Hæc replicatio approbatur l. sed si. 60. §. 1. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Cuidam non solidum capienti, amplius lege concessa portione relictum est, si hæredi ali quid dedisset. quæritur, an id quod conditionis implendę causa dederit, consequi ex causa legati possit, quasi nō capiati id quod eroget: an uerò id extrà sit, nec ideo magis ex bonis testatoris amplius capiat, quàm capturus

Donel. lib. 3 cap. 11. lit. F.

Donel. lib. 3 cap. 11. lit. G. Oldrado

capturus esset, si siné cōditione legatū esset? Et Iulianus rectissimè scribit, tanto amplius eum capturum, quantum conditionis implendæ causa dare eum oporteret: nec interesse, hæredi an extraneo dare iussus sit: quia computatione facta, quæ semper in persona eius introduceretur, non amplius lege concessa portione ad eum subsideret. *Quarta replicatio hæc est: Nisi ei qui non est capax, aliquid amplius quàm capere non potest, sit legatum. hoc enim quod excedit, debetur. Cuius replicationis duplicatio est: Nisi id quod excedit, lex Falcidia minuat. quæ duplicatio approbatur l. quoties. 67. ff. ad l. Falcidiam, hisce uerbis:* Quoties cuidam amplius legatum est, quàm ei capere licet, & lex Falcidia locum habet: prius Falcidię ratio habēda est, scilicet ut subducto eo quod lex Falcidia exceperit, reliquum, si non excedat statutam legis portionem, debeatur. *Quinta replicatio hæc est: Nisi testator ei qui capere non potest, soluendi animo legauerit. Hæc replicatio approbatur l. qui testam. 27. ff. de probation. hisce uerbis:* Qui testamentum faciebat, ei qui usque ad certum modum capere poterat, legauit licitam quantitatem: deinde ita locutus est: Titio centum do lego, quæ mihi pertulit: quæ ideo ei non caui, quòd omnes fortunas & substantiam, si quam à matre susceperat, in sinu meo habui sine ulla cautione. item: Eidem Titio reddi & solui uolo de substantia mea centum quinquaginta, quæ ego ex reditibus prædiorum eius, quorum ipse fructum percepi & distraxi: item de calendario, si qua à matre receperat Titius, in rem meam conuerti. quæro, an Titius ea exigere potest? Respondi, si Titius suprascripta ex ratione sua ad testatorem peruenisse probare potuerit, exigi. uideri enim, eo quòd ille plus capere non poterat, in fraudem legis hoc in testamento adiectisse. Ex *his uerbis, præterquam quòd replicatio proposita approbatur, simul etiam eius duplicatio elicitur, talis: Nisi legatarius debitum non probauerit. tunc enim uidentur in fraudem legis ista uerba adiecta. Cui concordat l. cum quis. 35. §. Titia. ff. de legatis 3. his uerbis:* Titia honestissima fœmina, cum in negotijs suis opera Callimachi semper uteretur, qui ex testamento capere non poterat, testamento facto manu sua ita cauit, *διαθέμενον καὶ βάλλομαι πολλὰ καλλιμάχῳ μισθοῦ χάριν ὧν ἐλευθερίας μυρίας*: id est, Constituí, dariq́ue uolo Callimacho mercedis loco decem millia denariūm. quæro, an hæc pecunia ex causa mercedis ab hæredibus Titiæ exigi possit? Scæuola respondit, non idcirco quòd scriptum sit, exigi posse in fraudem legis relictum. *Sexta replicatio hæc est: Nisi ita legatum sit, Si quando capere poterit. Hæc replicatio approbatur l. in tempus. 60. in princip. ff. de hæredibus instituendis, hisce uerbis:* In tempus capiendæ hæreditatis instituí hæredem posse, beneuolentiæ est. Veluti: Lucius Titius, cum capere potuerit, hæres esto. Idem & in legato. *Septima replicatio est: Nisi miles ei qui capere non potest, legauerit. Hæc replicatio approbatur l. si deportati. 7. §. si miles. ff. de legatis 3. his uerbis:* Si miles deportato fideicommissum reliquerit, uerius est, quod & Marcellus probat, capere eum posse. *Concordat l. ex testamento. 5. C. de test. militis. cuius uerba uide §. lib. 28. cap. 11. except. 82. replic. 6. Octaua replicatio est: Nisi cum in singulos annos relictum esset, legatarius quibusdam annis capere posßit, uel capere rursus coperit. Nona replicatio est: Nisi seruo plurium sit relictum, quorum quidam capere posßit. Hæ duæ replicationes approbantur l. cum in. 23. ff. quando dies legati cedit, his uerbis:* Cum in annos singulos relinquitur legatum, sine dubio per annos singulos inspecta conditione legatarij capere potest: & si plurium seruus sit, singulorum dominorum erunt personæ spectandæ. *Concordat l. cum in. 11. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Cum in annos singulos legatur, plura legata esse placet, & per singula legata ius capiendi inspicietur. Idem in seruo inspiciendum est ex persona dominorum. *Decima replicatio est: Nisi ei qui capere non potest, conditionis implendæ causa quid dandum sit. Hæc replicatio reprobatur l. quod condit. 36. in princip. ff. de mortis causa donatione, his uerbis:* Quod conditionis implendæ gratia datur, licet non ex bonis mortui proficiscatur, capere tamen supra modum non poterit is, cui certum modum ad capiendum lex concessit.

XX. Exceptio: *Nisi uir uxori, uel uxor uiro, inter quos matrimonium non constitit, legauerit. Hæc exceptio approbatur l. qui contra. 4. C. de incestis & inutilibus nuptijs, hisce uerbis:* Qui contra legum præcepta, uel contra mandata constitutionesq; principum nuptias fortè contraxerit, nihil ex eodem matrimonio, siue ante nuptias donatum, siue deinceps quoquo modo datum fuerit, consequatur: idq; totum, quod ab alterius liberalitate in alterum processerit, ut indigno indignæ subla tum, fisco uindicari sancimus: exceptis tam fœminis, quàm uiris, qui aut errore acerrimo, non affectato insimulatóue, neque ex uili causa decepti sunt, aut ætatis lubrico lapsi: quos tamen ita demum legis nostræ laqueis eximi placuit, si aut errore comperto, aut ubi ad legitimos peruenerint annos, coniunctionem huiusmodi sine ulla procrastinatione diremerint. *Concordat l. si quis. 6. C. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. 14. cap. 2. quæst. 3. reg. 6. Concordat item l. uxori. 27. ff. de usufructu legato. cuius uerba uide ī. ca. 7. repl. 4. dupl. 1. Concordat item l. Claudius. 13. ff. de his quæ ut indignis,*

XIII. Exceptio: *Nisi ita legatum sit, illi aut illi, uter eorum prior Capitolium ascenderit. Et hæc exceptio reprobatur l. si seruus.105. §. huiusmodi. ff. de leg. 1. his uerbis:* Huiusmodi legatum, Illi aut illi, uter eorum prior Capitolium ascenderit: utile esse, euidenti argumento probari, ait Africanus: quòd constet, usufructu libertis legato, ei qui eorum superuixerit, proprietatem utiliter legari. idq; & de hærede instituendo dicendum existimauit.

XIIII. Exceptio: *Nisi ei cui hæres uolet, legatum sit. Hæc exceptio reprobatur l. utrum. 8. §. cum quidam. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Cum quidam, pluribus hæredibus institutis, unius fidei commisisset, ut cum moreretur, uni ex cohæredibus, cui ipsi uellet, restitueret eam partem hæreditatis, quæ ad eum peruenisset: ueri simum est, utile esse fideicommissum: nec enim in arbitrio eius qui rogatus est, positum est, an omnino uelit restituere, sed cui potius restituat. plurimum enim interest, utrum in potestate eius quem testator obligari cogitat, faciat, si uelit dare: an imposita necessitate dandi, soli ei distribuēdi liberum arbitrium concedat. *Plura de hac re uide ĩ. cap. 6. except. 79. repl. 4.*

XV. Exceptio: *Nisi ei qui nouissimus superuixerit, sit legatum. Et hæc exceptio reprobatur l. quoties. 82. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Quoties libertis usus fructus legatur, & ei qui nouissimus superuixerit proprietas, utile est legatum. existimo enim omnibus libertis proprietatem sub hac conditione, Si nouissimus superuixerit, dari. *Concordat l. si seruus. 105. §. huiusmodi. ff. de leg. 1. cuius uerba uide paulò superius except. 13.*

XVI. Exceptio: *Nisi ita sit legatum, Illis qui testamentum meum signauerint. Et hæc exceptio reprobatur l. si quis. 15. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Si quis ita scripserit, Illis qui testamentum meum signauerunt, hæres meus dato decem: Trebatius utile legatum esse putat. quod Pomponius uerius esse existimat: quia ipsum testamentum confirmatur testibus adhibitis: quod uerum esse existimo.

XVII. Exceptio: *Nisi ita sit legatum: Lucio & Titio, uel alteri horum do lego. Hæc exceptio reprobatur l. si quis testamento. 78. §. his uerbis. ff. de leg. 1. hisce uerbis:* His uerbis, Lucio & Titio, eorúmue cui fundum do lego, utiliter legatur: & si uterque uixerit, utriq;: si alter, alteri totum debebitur.

XVIII. Exceptio: *Nisi non appareat de quo testator senserit. De hac re dicetur ĩ. lib. prox. cap. 1. quæst. 3. item ĩ. hoc libro, cap. 6. except. 93.*

XIX. Exceptio: *Nisi ei sit legatum, qui capax non est, & cum quo testamenti factio non est. Hæc exceptio approbatur Institut. de leg. §. legari, his uerbis:* Legari illis solùm potest, cum quibus testamenti factio est. *Cum ijs autem testamenti factio est, qui ex alieno testamento uel ipsi capere possunt, uel alijs adquirere. Instit. de hær. qual. & differ. §. testamenti. Exempla uide ĩ. except. 20. 28 & 29. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non ob delictum legatarius capere non posit, sed propter uitiũ corporis sui, uel propter aliã probabilem causam. Hæc replicatio approbatur l. seruo alieno. 110. §. si quid alicui. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si quid alicui licitè fuerit relictum, quod ipse quidem propter corporis sui uitium, uel propter qualitatem relicti, uel aliam quamcunq; probabilem causam habere non potuit, alius tamẽ habere potuit: quanti solet comparari, tantam æstimationem accipiet. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testator ignorauit legatarium talem esse, qui capere non posit. Quæ duplicatio approbatur exemplo l. fideicommissa. 11. §. si seruo alieno. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si seruo alieno militia relinquatur, an domino quęratur legatum, quæritur? & aut scit seruum esse, & dico æstimationem deberi: aut ignorauit, & denegari fideicommissi persecutio debet: quia si scisset seruum, non reliquisset. *Sanè subijcitur ibidem elegans clausula, ad propositam replicationem pertinens, hisce uerbis:* Ex his apparet, cum per fideicommissum quid relinquitur, præstandum ipsum quod relictum est: cum uerò ipsũ præstari non potest, æstimationem eius præstandam. *Secunda replicatio hæc est: Nisi legatarius qui capere non potest, alij restituere rogatus sit. Quæ replicatio approbatur l. si fidei. 28. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si fidei meæ committatur, ut quod mihi relictum fuerit suprà quàm capere possum, alij restituam, posse me id capere constat. *Concordat l. cum ei. 43. ff. de leg. 2. ubi Modestinus:* Cum ei qui partẽ capiebat (*inquit*) legatum esset ut alij restitueret, placuit solidum capere posse. *Concordat item l. mortuo. 50. §. Labeo, in fine. ff. de leg. 2. ubi Paulus:* Sed Proculus (*inquit*) si quis hæredem suum eum fundum, cuius commercium is hæres non habeat, dare iusserit ei qui eius commercium habet, putat hęredem obligatum esse: quod uerius est, uel in ipsam rem, si hæc in bonis testatoris fuerit: uel si non est, in eius æstimationem. *Concordat item l. cogi. 16. §. hi qui solidum. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 3. membr. 2. except. 7. Tertia replicatio est: Nisi ei qui solidum capere non potest, legatum sit sub hac conditione, Si hæredi tot dedisset. Hæc replicatio approbatur l. sed si. 60. §. 1. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Cuidam non solidum capienti, amplius lege concessa portione relictum est, si hæredi aliquid dedisset. quæritur, an id quod conditionis implendę causa dederit, consequi ex causa legati possit, quasi nõ capiati id quod eroget: an uerò id extrà sit, nec ideo magis ex bonis testatoris amplius capiat, quàm capturus

Donel. lib. 8 cap. 11. lit. F.

Donel. lib. 8 cap. 11 lit. K. Oldrado lit. G.

capturus esset, si sine cõditione legatũ esset? Et Iulianus rectissimè scribit, tanto amplius eum capturum, quantum conditionis implendæ causa dare eum oporteret: nec interesse, hæredi an extraneo dare iussus sit: quia computatione facta, quæ semper in persona eius introduceretur, non amplius lege concessa portione ad eum subsideret. *Quarta replicatio hæc est: Nisi ei qui non est capax, aliquid amplius quàm capere non potest, sit legatum. hoc enim quod excedit, debetur. Cuius replicationis duplicatio est: Nisi id quod excedit, lex Falcidia minuat. quæ duplicatio approbatur l. quotics. 67. ff. ad l. Falcidiam, hisce uerbis:* Quoties cuidam amplius legatum est, quàm ei capere licet, & lex Falcidia locum habet: prius Falcidię ratio habẽda est, scilicet ut subducto eo quod lex Falcidia exceperit, reliquum, si non excedat statutam legis portionem, debeatur. *Quinta replicatio hæc est: Nisi testator ei qui capere non potest, soluendi animo legauerit. Hæc replicatio approbatur l. qui testam. 27. ff. de probation. hisce uerbis:* Qui testamentum faciebat, ei qui usque ad certum modum capere poterat, legauit licitam quantitatem: deinde ita locutus est: Titio centum do lego, quæ mihi pertulit: quæ ideo ei non cani, quòd omnes fortunas & substantiam, si quam à matre susceperat, in sinu meo habui sine ulla cautione. item: Eidem Titio reddi & solui uolo de substantia mea centum quinquaginta, quæ ego ex reditibus prædiorum eius, quorum ipse fructum percepi & distraxi: item de calendario, si qua à matre receperat Titius, in rem meam conuerti. quæro, an Titius ea exigere potest? Respondi, si Titius suprascripta ex ratione sua ad testatorem peruenisse probare potuerit, exigi. uideri enim, eo quòd ille plus capere non poterat, in fraudem legis hoc in testamento adiectisse. *Ex his uerbis, præterquam quòd replicatio proposita approbatur, simul etiam eius duplicatio elicitur, talis: Nisi legatarius debitum non probauerit. tunc enim uidentur in fraudem legis ista uerba adiecta. Cui concordat l. cum quis. 35. §. Titia. ff. de legatis 3. his uerbis:* Titia honestissima fœmina, cum in negotijs suis opera Callimachi semper uteretur, qui ex testamento capere non poterat, testamento facto manu sua ita cauit, *δυϑέντων μοι βίβλους ἀοβλίου Καλλιμάχῳ αὐδεῦ χαρίν ἀδικαίαν μνᾶς*: id est, Constitui, dariq; uolo Callimacho mercedis loco decem millia denariũm. quæro, an hæc pecunia ex causa mercedis ab hæredibus Titiæ exigi possit? Scæuola respondit, non idcirco quòd scriptum sit, exigi posse in fraudem legis relictum. *Sexta replicatio hæc est: Nisi ita legatum sit, Si quando capere poterit. Hæc replicatio approbatur l. in tempus. 60. in princip. ff. de hæredibus instituendis, hisce uerbis:* In tempus capiendæ hæreditatis institui hæredem posse, benuolentiæ est. Veluti: Lucius Titius, cum capere potuerit, hæres esto. Idem & in legato. *Septima replicatio est: Nisi miles ei qui capere non potest, legauerit. Hæc replicatio approbatur l. si deportati. 7. §. si miles. ff. de legatis 3. his uerbis:* Si miles deportato fideicommissum reliquerit, uerius est, quod & Marcellus probat, capere eum posse. *Concordat l. ex testamento. 5. C. de test. militis. cuius uerba uide ẽ. lib. 28. cap. 11. except. 82. replic. 6. Octaua replicatio est: Nisi cum in singulos annos relictum esset, legatarius quibusdam annis capere posset, uel capere rursus coperit. Nona replicatio est: Nisi seruo plurium sit relictum, quorum quidam capere possit. Hæ duæ replicationes approbantur l. cum in. 23. ff. quando dies legati cedit, his uerbis:* Cum in annos singulos relinquitur legatum, sine dubio per annos singulos inspecta conditione legatarij capere potest: & si plurium seruus sit, singulorum dominorum erunt personæ spectandæ. *Concordat l. cum in. 11. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Cum in annos singulos legatur, plura legata esse placet, & per singula legata ius capiendi inspicietur. Idem in seruo inspiciendum est ex persona dominorum. *Decima replicatio est: Nisi ei qui capere non potest, conditionis implendæ causa quid dandum sit. Hæc replicatio reprobatur l. quod condit. 36. in princip. ff. de mortis causa donatione, his uerbis:* Quod conditionis implendæ gratia datur, licet non ex bonis mortui proficiscatur, capere tamen supra modum non poterit is, cui certum modum ad capiendum lex concessit.

XX. Exceptio: *Nisi uir uxori, uel uxor uiro, inter quos matrimonium non constitit, legauerit. Hæc exceptio approbatur l. qui contra. 4. C. de incestis & inutilibus nuptijs, hisce uerbis:* Qui contra legum præcepta, uel contra mandata constitutionesq; principum nuptias fortè contraxerit, nihil ex eodem matrimonio, siue ante nuptias donatum, siue deinceps quoquo modo datum fuerit, consequatur: idq; totum, quod ab alterius liberalitate in alterum processerit, ut indigno indignæ ue sublatum, fisco uindicari sancimus: exceptis tam fœminis, quàm uiris, qui aut errore acerrimo, non affectato insimulatóue, neque ex uili causa decepti sunt, aut ætatis lubrico lapsi: quos tamen ita demum legis nostræ laqueis eximi placuit, si aut errore comperto, aut ubi ad legitimos peruenerint annos, coniunctionem huiusmodi sine ulla procrastinatione diremerint. *Concordat l. si quis. 6. C. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. 14. cap. 2. quæst. 3. reg. 6. Concordat item l. uxori. 27. ff. de usufructu legato. cuius uerba uide ĩ. ca. 7. repl. 4. dupl. 1. Concordat item l. Claudius. 13. ff. de his quæ ut indignis,*

gnis, hisce uerbis: Mæuius in adulterio Semproniæ damnatus, eandem Sempronium non damnatam duxit in uxorem, qui moriens eam hæredem reliquit. quæro, an iustum matrimonium fuerit, & an mulier ad hæreditatem admittatur? Respondi, neque tale matrimonium stare, neq; hæreditatis lucrum ad mulierē, sed quod relictum est, ad fiscum pertinere: sed etsi talis mulier uirum hæredem instituerit, & ab eo quasi ab indigno hæreditatem auferri dicimus. *Concordat item l.2. §. item si quis. ff.d.tt. his uerbis*: Si quis contra mandata duxerit uxorem ex ea prouincia, in qua officium aliquod gerit, quod ei ex testamento uxoris adquisitum est: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, retinere eum non posse, tanquam si tutor pupillam contra decretum amplissimi ordinis in domum suam duxisset. Vtroque ergo casu, etsi ex asse hæres institutus adierit hæreditatem, fisco locus fit: nam quasi indigno ei auferetur hæreditas. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per errorem illegitimum contraxerint matrimonium. Quæ replicatio approbatur supradictis uerbis hisce*: Exceptis tam fœminis, quàm uiris, qui aut errore acerrimo, non affectato insimulatóue, neq; ex uili causa decepti sunt, &c. *Secunda replicatio hæc est: Nisi minores annis matrimonium contraxerint. Quæ replicatio itidem approbatur supradictis uerbis hisce*: Aut ætatis lubrico lapsi, &c. *Aduersus iam dictas duas replicationes, duplicatio in d.l. introducitur, hisce uerbis*: Quos tamen ita demum legis nostræ laqueis eximi placuit, si aut errore comperto, aut ubi ad legitimos peruenerint annos, coniunctionem huiusmodi sine ulla procrastinatione diremerint. *Tertia replicatio est: Nisi tutor pupillam suam, uel is qui officium aliquod gerit, aliquam ex ea prouincia in uxorem duxerit, eiq; aliquid in testamento suo reliquerit: hoc enim casu mulieri ex testamento nō denegatur actio. Hæc replicatio approbatur l.2. §. per contrarium. ff. de his quæ ut indignis, &c. hisce uerbis*: Per contrarium ducta tam ab eo qui officium in prouincia gerebat, quàm à tutore illicitè, magis est ut dicatur capere ex testamento, nec quasi indignam esse repellendam. *Concordat l. præfectus. 64. ff. de ritu nuptiarum. cuius uerba uide ſ. lib. 14. cap. 3. except. 24. Concordat item l. ult. ff. de leg. 1. ubi Martianus*: Si tutor pupillam suam contra Senatusconsultum uxorem duxit, illa quidem ex testamento eius capere potest, ipse autem non potest: & meritò. delinquunt enim qui prohibitas nuptias contrahunt, & meritò puniendi sunt: quod imputari non potest mulieri, quæ à tutore decepta est. *Quarta replicatio est: Nisi miles uxori suæ, cum qua antea adulterium commiserat, aliquid legauerit. Hæc replicatio reprobatur l. mulierem. 14. ff. de his quæ ut indignis, &c. hisce uerbis*: Mulierem quæ stupro cognita in contubernio militis fuit (etsi sacramento miles solutus, intra annum mortem obierit) non admitti ad testamentum iure militiæ factū, & id quod relictum est, ad fiscum pertinere, proximè tibi respondi. *Quinta replicatio est: Nisi cum ea quæ se patroni concubinam esse non patitur, stuprum sit commissum, eiq; aliquid relictū. Hæc replicatio approbatur l. cum secundis. 16. §. quoniam. ff. d. tt. hisce uerbis*: Quoniam stuprum in ea contrahi non placuit, quæ se nō patroni concubinam esse patitur: eius qui concubinā habuit, quod testamento relictū est, actio non denegabitur: idq; in testamento Cocceij Cassiani, clarissimi uiri, qui Rufinam ingenuam pleno amore dilexerat, optimi maximiq; principes nostri iudicauerunt.

XXI. *Exceptio: Nisi ei qui qúæue ex sese liberos non habet, legauerit. Hæc exceptio reprobatur l. 2. C. de infirmandis pœnis cœlibatus, hisce uerbis*: Inter uiros & uxores rationem cessare ex lege Papia decimarum: & quamuis non interueniant liberi, ex suis quoq; eos solidum capere testamentis (nisi lex alia imminuerit) derelicta decernimus. tantū igitur posthæc maritus uel uxor sibi inuicē derelinquant, quantum superstitis amor exegerit.

XXII. *Exceptio: Nisi cœlibi, uel ei quæ non nubit, sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l. 1. C. d. tt. hisce uerbis*: Qui iure uetere cœlibes habebantur, imminentibus legū terroribus liberentur, atq; ita uiuant, ac si numero maritorum matrimonij fœdere fulcirentur: sitq; omnibus æqua conditio capessendi, quod quisq; mereatur. nec uerò quisquam orbus habeatur, & proposita huic nomini damna non noceant. Quam rem & circa fœminas existimamus, earumq; ceruicibus impositā iuris imperitia, uelut quædā iuga, soluimus promiscuè omnibus.

XXIII. *Exceptio: Nisi ei qui in rerum natura nō est, legetur. Hæc exceptio approbatur l. si eo. 4. ff. de his quæ pro non scripto, hisce uerbis*: Si eo tempore, quo alicui legatum adscribebatur, in rebus humanis non erat, pro non scripto hoc habetur. *Concordat l. unica. §. & cum triplici. & §. in primo. C. de caducis tollendis. cuius uerba uide ſ. libro 32. capite 10. causa 4. 2. except. 1. replic. 2. Concordat item l. quidam. 14. §. ego autem. ff. de iure codicillorum. cuius uerba uide ſ. cap. 4. except. 39. replic. 2. Huius exceptionis replicatio est*: Nisi posthumo, qui adhuc in utero est, legetur. *Quæ replicatio approbatur quidem, sed recipit duplicationem hanc: Nisi alieno posthumo sit legatum. Quæ duplicatio iure quidem antiquo approbatur, Instit. de legatis. §. posthumo, his uerbis*: Posthumo quoq; alieno inutiliter antea legabatur. *Declaratur insuper ibidem proposita duplicatio, his uerbis*: Est autem alienus posthumus

posthumus, qui natus inter suos hæres testatori futurus non est: ideoq; ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus auo. *Huius duplicationis iure antiquo approbatæ distinctio seu triplicatio hæc erat: Nisi fratri posthumo per fideicommissum relinquatur. Quæ triplicatio approbatur l. penultima. ff. de legat. 1. his uerbis*: Fratri posthumo fideicommissum dari potest: sola enim uoluntas seruatur in fideicommissis. *Hæc quidem de iure antiquo: uerum iure nouo supradicta duplicatio reprobatur, ut etiam alieno posthumo legatum relictum ualeat. Reprobatur autem inst. d. §. posthumo. ibi sed nec huiusmodi. de quo uide ſ. except. 11. in fine.*

XXIIII. *Exceptio: Nisi ei qui in hostium potestate est, sit legatum. Hæc exceptio approbatur l. si seruo. 98. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si ei qui in hostium potestate est, legatū fuerit, & is apud hostes decesserit: nullius momenti legatum erit, quamuis postliminio confirmari potuit. *Concordat l. si eo. 4. in fine. ff. de his quæ pro non scriptis, &c. his uerbis*: Et si in hostium potestate erat, quo tempore testamentum fiebat, is cui legatum adscribebatur, neque ab hostibus redijt: pro non scripto erit. Et ita Iulianus scribit: *Ait iurisconsultus*: Quamuis postliminio confirmari potuit. *Ex hisce uerbis colligitur aduersus propositā exceptionē replicatio hæc: Nisi ab hostibus sit reuersus legatarius. Secunda replicatio est: Nisi seruo eius qui apud hostes est, sit legatum. Hæc replicatio approbatur l. 1. ff. de captiuis, hisce uerbis*: Si legatum sit seruo eius, postea quam ille ad hostes peruenit, hoc habebūt hæredes eius: quia etsi captiuitatis eius tempore decessisset, adquisitū foret hęredi.

XXV. *Exceptio: Nisi seruo sit legatum. Hæc exceptio reprobatur l. si mihi. 12. §. regula. ff. de leg. 1. his uerbis*: Regula iuris ciuilis est, quæ efficit, ut quibus ipsis legare possumus, eorum quoque seruis legare possimus. *Sit igitur huius loci regula hæc, Quòd legatum seruo relictum sit utile. cuius regulæ exceptiones hæ sunt. Prima: Nisi seruo id sit legatum, quod libero legari non possit. Quæ exceptio approbatur l. etsi. 5. ff. de seruitute legata, hisce uerbis*: Etsi maximè testamenti factio cum seruis alienis ex persona dominorum est: ea tamen quæ seruis relinquuntur, ita ualent, si liberis relicta possent ualere. sic ad fundum domini uia seruo frustra legatur. *Concordat l. debitor. 84. §. fin. ibi: & ideo. ff. de leg. 2. cuius uerba uide paulò ſ. except. prox. repl. 2. Secunda exceptio hæc est: Nisi legatū in persona domini non consistat. Quæ exceptio patet ex uerbis suprà propositis hisce*: Vt quibus ipsis legare possumus, eorum quoq; seruis legare possimus. *Sequitur ergo, ut quibus ipsis legare non possumus, eorum quoq; seruis non possimus legare. Huius exemplū proponitur l. si deportati. 7. in prin. ff. de leg. 3. hisce uerbis*: Si deportati seruo fideicommissum fuerit adscriptum, ad fiscum pertinere dicendum est. *Huius exempli duæ replicationes in d. l. proponuntur, hisce uerbis*: Nisi si eum deportatus uiuo testatore alienauerit, uel fuerit restitutus: tunc enim ad ipsum pertinere debebit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi seruo hæreditario sit legatum. hoc enim casu, quamuis hæres scriptus non sit capax, tamen legatum seruo relictum ualet. Quæ replicatio approbatur l. si mihi & Titio. §. 7. §. si eo hærede. ff. de leg. 2. hisce uerbis*: Si eo hærede instituto, qui uel nihil, uel non totum capere potest, seruo hæreditario legatum fuerit: tractantibus nobis de capacitate, uidendum est, utrum hæredis, an defuncti persona, an neutrius spectari debeat? Et post multas uarietates placet, ut (quia nullus est dominus, in cuius persona de capacitate quæri possit) sine ullo impedimento adquiratur legatum hæreditati: atq; ob id omnimodò ad eum pertineat, quicunque postea hæres extiterit, secundum quod accipere potest: reliqua autē pars ad eos quī iure uocantur, uenit. *Altera replicatio hæc est: Nisi res domini, uel id quod domino debetur, seruo eius legetur. Hæc replicatio approbatur l. debitor. 84. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis*: Seruo alieno posse rem domini legari, Valens scribit: item id quod domino eius purè debetur. cum enim seruo alieno aliquid in testamento damus, domini persona ad hoc tantùm inspicitur, ut sit cum eo testamenti factio. cæterùm ex persona serui constitit legatum: & ideo rectissimè Iulianus definit, id demum seruo alieno legari posse, quod ipse liber factus capere posset, &c. *Et paulo pòst*: Ex illo igitur præcepto, quod diximus serui inspici personam in testamentis, dicimus & seruo hæreditario legari posse. ita non mirum, si res domini, & quod ei debetur, seruo eius purè legari possint, quamuis domino eius utiliter legari non possent. *Tertia exceptio hæc est: Nisi proprio seruo quis leget. Hæc exceptio approbatur l. seruis. 4. C. de legatis, hisce uerbis*: Seruis testamento dominorum, non data libertate, legatum seu fideicommissum relictum non ualet, nec conualescere potest, licet post mortem testatoris libertatem aliqua ratione consecuti sunt. *Concordat l. codicillis. 91. in prin. ff. de leg. 2. ubi Scæuola*: Codicillis Caio Seio centum legauit (*inquit*) eiusque fidei commisit, ut ancillæ testatoris ea daret. quæro, an utile fideicommissum sit, quod legatarius ancillæ testatoris dare iussus est? Respondi, non esse. *Concordat item l. si transferam. 20. ff. de adimendis legatis. cuius uerba uide ſ. cap. 8. causa 3. except. 2. Concordat item l. ex fideicom. 28. C. de fideicommissis, hisce uerbis*: Ex fideicommisso sub cōditione sine libertate seruis proprijs inutiliter dato libertas peti non potest. Vi-

deamus propositæ exceptionis replicationes, quarum prima hæc est: Nisi testator seruum manumiserit, uel libertatem simul ei reliquerit. Hæc replicatio approbatur l. qui fideicom. 8. C. de fideicommissis, his uerbis: Qui fideicommissariam libertatem meruerit, legata seu fideicommissa à defuncto sibi data suo iure persequitur. Concordat l. conficiuntur. 8. §. si ei seruo. ff. de iure codicillorum. ubi Paulus: Si ei seruo (inquit) qui testamento legatũ acceperit, libertas codicillis detur: utile legatum esse dicemus, quasi ab initio constiterit legatum. Concordat item l. si quis. 9. in prin. ff. de manumiss. test. ubi Vlpianus: Si quis ita sit legatus (inquit) ut manumittatur, & si manumissus non fuerit, liber esse iussus est, eiq; legetur: & libertatem competere, & legatum deberi, sæpe rescriptum est. Concordat l. quidam. 19. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. duplic. 4. triplic. 4. Concordat item l. quæsitum. 88. §. duobus. ff. de leg. 1. ubi Iulianus: Duobus hæredibus institutis, alteri Stichum legauerat, & eidem Sticho decem: cum Stichus uiuo testatore ad libertatem peruenerit, totum legatum ei debebitur. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi minor uiginti annis seruum suum manumiserit, eiq; quid legauerit. Hæc duplicatio approbatur ita, ut licet is seruus alienatus ad libertatem peruenerit, tamen nihilomagis legatum ualet. Approbatur autem l. si minor. 99. ff. de leg. 1. his uerbis: Si minor uiginti annis dominus seruum causa non probata manumiserit, & postea legatum ei dederit, isq; alienatus ad libertatem profectus fuerit: legatum non capit. nam perinde nullius momenti est legatum, ac si sine libertate datum fuisset. Secunda duplicatio hæc est: Nisi fideicommissariam seruo libertatem dominus reliquerit. Hæc duplicatio reprobatur l. si quis. 86. ff. de leg. 2. his uerbis: Si quis seruo suo fideicommissariam libertatem reliquit, & aliud quid adscripsit: quidam dicunt, quia placeat ab hærede eum manumitti debere, futurum esse ut non admittatur ad fideicommissum: sed hoc iniquum est. in huiusmodi enim persona utriusquè quodammodò dies cesserit, & libertatis & pecuniæ petendæ: adeò ut putem, si mora fiat præstandæ libertati, etiam fideicommisso moram uideri factam, & usurarum onus accedere. Nam & cætera quæ medio tempore adquisiuit domino, dum moratur præstare libertatem, eidem restitui oportere, rectissimè responsum est. Tertia duplicatio est: Nisi ex die acceperit libertatem seruus, legatum purè. Hæc duplicatio reprobatur l. qui concubinam. 29. §. cum in testamento. ff. de leg. 3. his uerbis: Cum in testamento scriptum esset, Sticho seruo meo hæres quinq; dato, & si Stichus hæredi meo per biennium seruierit, liber esto: post biennium legatum deberi existimo: quia in id tempus & libertas & legatum referri debent. quod & Trebatius respondit. Concordat l. seruus. 16. ff. de annuis legatis, his uerbis: Seruus post decem annos liber esse iussus est, legatumq; ei ex die mortis testatoris domini in annos singulos relictum est. eorum quidem annorum, quibus iam liber erit, legatum debebitur: interim autem hæres ei alimenta præstare compellitur. Concordat item l. seruo alieno. 110. §. 1. ff. de leg. 1. hisce uerbis: Si quis post tempus libertatem seruo suo dederit, & interea rogauerit hæredem, donec ad libertatem perueniat, cibaria ei dare: testatoris uoluntati obtemperandum esse, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Quarta duplicatio est: Nisi libertatem sub conditione acceperit, legatum purè. Hæc duplicatio approbatur l. nam cum. 8. in fine. ff. quando dies legatorum, his uerbis: Inutile fieret legatum, si dies eius cessisset, antequam libertas competeret. quod euenit, si seruo purè legetur, & liber esse sub conditione iubeatur, & pendens conditio inueniatur etiam post aditam hæreditatem. Concordat l. cum seruus. 80. in prin. ff. de condit. & demonstr. his uerbis: Cum seruus ita liber esse iussus sit, Si rationes reddiderit, eique fundum hæres dare damnas esto: uideamus, utrum conditio libertati proposita sit, an uerò & legato? & quidem si libertati soli accipiamus propositam, nullus tractatus amplius supereſt: nam legatum purum inuenitur, & ideo inutile sit. Quòd si conditio etiam legato insita sit (quod quidam rectè putant) simul cum libertate dies quoque legati utiliter cedit. Propositæ duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi sub eadem conditione legatum sit, sub qua libertas est relicta. Quæ triplicatio constat ex iam dictis. Secunda triplicatio est: Nisi conditio ante aditam hæreditatem impleri possit, uel sit impleta. Quæ triplicatio constat ex uerbis supradictis hisce: Et pendens conditio inueniatur etiam post aditam hæreditatem. Approbatur etiam l. Iulianus. 84. §. fin. ff. de condit. & demonstr. his uerbis: Cum libertas sub conditione, legatum autem præsenti die datum est: in hoc quæstio est, an constiterit legatum? Etenim nec Catonianæ sententiæ locum in proposito esse: quia etsi statim testator decesisset, non tamen omnimodò inutile esset legatum, cum posset conditio libertatis ante aditam hæreditatem impleri, & legatum manumisso deberi. Planè subijcitur ibidem distinctio, hisce uerbis: Nisi fortè necessarius hæres extitisset. tunc enim omnimodò inutile erit legatum ipso iure: quia sub conditione acceperit libertatem. Concordat l. quæsitum. 88. §. præsenti. ff. de leg. 1. his uerbis: Præsenti quidem die data libertate, seruo legari uel purè uel sub conditione poterit. Cum uerò

ro libertas sub conditione data fuerit, aliàs utiliter, aliàs inutiliter purè legabatur. Nam si ea conditio libertatis fuerit, ut patrefamiliàs statim mortuo posit ante aditam hæreditatem existere cõditio: ueluti, Stichus, si decem Titio dederit, uel Capitolium ascenderit, liber esto: utile legatum est. Huiusmodi autem conditiones post aditam hæreditatem inutile legatum efficient. Necessario autem hærede scripto ex asse: etiã hæ conditiones, quæ ante aditam hæreditatem impleri possunt, inutile legatum efficient. Tertia triplicatio hæc est: Nisi pendente conditione libertatis, seruus sit manumissus uel alienatus. Hæc triplicatio approbatur l. qui filio. 38. §. si quis seruum. ff. de hæredibus instit. hisce uerbis: Cum seruus sub conditione liber esse iubetur, & legatum purè accepit: si pendente conditione manumissus uel alienatus fuerit, legatum habebit, aut domino adquiret, quamuis mortis tempore conditio libertatis extincta fuerit. Si uerò post defectum conditionis manumissus aut alienatus fuerit: legatum ad irritum recidit. Quarta triplicatio est: Nisi sub hac conditione, Si hæres seruum non manumiserit: liber esse iussus sit. quæ triplicatio approbatur l. quidam. 19. ff. de manumiss. test. his uerbis: Quidam hæredem suum rogauerat, ut seruum manumitteret: deinde si hæres eum non manumisisset, liberum esse iusserat, eiq; legauerat. Licet enim hæres non manumiserit: plerique existimant, hunc ex testamento libertatem consequi. Sed hoc legatum quoque ei debetur. Concordat l. si quis. 9. in princip. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. eod. replicat. in princip. Hæc de quarta duplicatione. Quinta duplicatio est: Nisi conditio libertatis defecerit. Hæc duplicatio ipso iure subsistit, sed eius triplicatio prima hæc est: Nisi sub hac conditione, Si meus erit: libertas seruo sit relicta. hoc enim casu, quamuis conditio libertatis deficiat, nihilominus legatum ualet. Quæ triplicatio approbatur l. si intra. 45. §. fin. ff. de condit. & demonstr. his uerbis: Seruo libertatem ita dedit: Ille, si meus erit, liber esto. legatum uel hæreditatem sine conditione ei dedit, deinde eum alienauit. debebitur domino eius legatum uel hæreditas, & iussu eius adiri poterit. nam id expresit, Si meus erit, in libertate danda: quo futurum erat, uti impediretur libertas, etiamsi expressum non esset. Sæpenumerò tamen mutatur rei effectus, quanquã id expresserit testator: quod etsi non fecisset, ineset tamen. Secunda triplicatio hæc est: Nisi ante defectam conditionem seruus fuerit manumissus uel alienatus. Quæ triplicatio patet ex uerbis l. qui filio. 38. §. si quis seruum. ff. de hæred. instit. paulò superius dupl. proxim. tripl. 3. propositis hisce: Si pendente conditione manumissus, &c. Huius triplicationis distinctio hæc est: Nisi post defectum conditionis sit manumissus. de quo ĩ. prox. Sexta duplicatio est: Nisi cum antea cum legato libertas seruo sub conditione esset relicta, seruus manumissus fuerit, postquam conditio libertatis defecerat. Hæc duplicatio approbatur d. §. si quis seruum, in fine, hisce uerbis: Si uerò post defectum conditionis manumissus aut alienatus fuerit, legatum ad irritum recidit. Septima duplicatio est: Nisi libertas serui adita hæreditate extrinsecus suspendatur. Hæc duplicatio approbatur l. cum filius. 78. §. seruus. ff. de leg. 2. his uerbis: Seruus purè manumissus, cui libertas propter iuris impedimentum post aditam hæreditatem non competit, quòd status eius extrinsecus suspenditur, fortè propter adulterij quæstionem: ex eodem testamento neque legata, neque fideicommissa purè data sperare potest, quia dies inutiliter cedit. Octaua duplicatio: Nisi seruo libertas postea rursus sit adepta. Hæc duplicatio approbatur l. ultim. §. fin. ff. de adimend. leg. hisce uerbis: Cum libertas adimitur, legata seruis relicta nihil attinet adimi. Huius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi iam alienato libertas à testatore adimatur. Quæ triplicatio reprobatur si seruo. 26. ff. eod. tt. his uerbis: Si seruo cum libertate dato legato & alienato adimatur libertas, quamuis alienato inutiliter adimatur, tamen legatum ad emptorem non perueniet: & meritò. constitit enim ademptio, quia posit redimi: sicut datio, cum in eum confertur, qui faciendi testamenti tempore fuit testatoris, deinde alienato codicillis libertas datur. Secunda triplicatio hæc est: Nisi iam manumisso libertas testamento relicta, rursus sit adempta. Hæc triplicatio approbatur d. l. 26. in fine, hisce uerbis: Quid ergo, si eum quem liberum esse quis iusserat, manumiserit uiuus, deinde codicillis libertatem ei ademerit, uideamus an perdiderit legatum uana ademptione libertatis? quod quidam putant: sed superuacua scriptura non nocet legato. Nona duplicatio hæc est: Nisi ab alio quàm à testatore seruus manumissus fuerit. Hæc duplicatio approbatur l. seruis. 4. in fine. C. de legatis. cuius uerba uide ĩ. in principio huius tertiæ exceptionis. Huius triplicatio est: Nisi ab hærede ex causa fideicommissi manumittatur. Hæc triplicatio approbatur l. si quis. 86. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. dupl. 2. Decima duplicatio est: Nisi libertate seruo relicta, testator uiuus eum manumiserit. Hæc duplicatio reprobatur l. si quis. 4. ff. de man. test. de quo uide ĩ. lib. 34. cap. 5. except. 14. Hæc de prima replicatione aduersus propositam tertiam exceptionem. Secunda replicatio est: Nisi statuliber sit. Hæc replicatio reprobatur l. statuliberum. 11. in principio ff. de leg. 2. his uerbis: Statuliberum ab hærede ne tunc quidem, cum dubia eius sit ex testamento libertas, legatum sine libertate accipere posse, Labeo ait: quia seruus eius esset. Concordat l. cum quæsit. 30. §. imperator. ff. de

fideicommiß.libertatibus, his uerbis: Imp.noſter Antoninus reſcripſit,eum cui fideicommiſſaria libertas deberetur,ſine libertate aliquid ex teſtamento hæredis accipere non poſſe. *Planè admittitur propoſita replicatio duobus potiſſimùm caſibus,d.l.11.in prim.propoſitis.Quorum primus proponitur hiſce uerbis:* Sed ſi hæres eandem conditionem legato inſerat, quæ libertati à teſtatore datæ propoſita fuerit, ualet legatum. *Alter caſus proponitur ibidem his uerbis:* Nam etſi,cum moreretur hæres, ſeruus liber eſſe iuſſus eſſet,rectè ſine libertate ei ab hærede legari poſſe cõſtitit:quòd ſuperuacuum ſit ei libertatem dare, quam ex teſtamento hęredis capturus non ſit,ſed teſtatoris. *Tertia replicatio eſt: Niſi ſeruus cui legatum eſt,à teſtatore fuerit alienatus, uel alij legatus. Hæc replicatio approbatur l.ſeruo.71.in prim.ff.de leg. 1.his uerbis:* Seruo legato legari poſſe,receptum eſt: quia adita hæreditate ſtatim ſeruus adquiritur legatario, deinde ſequitur legatum. *Concordat l. quæſitum eſt.88. §. ſi quis Stichum.ff.eod.tt.ubi Iulianus:* Si quis Stichũ legauerit, & eundem alienauerit, uel manumiſerit, deinde codicillis eidem dederit legatum,uel manumiſſo uel emptori debebitur. *Concordat d.l.88. §.ſeruo legato, his uerbis:* Seruo legato legatum datum eſt: ſi alienatus à teſtatore fuerit, legatum ad emptorem pertinebit. *Concordat d.l.88. §.cum ſeruus. ibi:hoc amplius,his uerbis:* Etiam ipſi ſeruo, cum liber erit,ſi fideicommiſſum à Titio,cui legatus eſt,dari poteſt. *Concordat item l. ſi à pluribus.104.§.ſin.ff.eod.tt.ubi Africanus:* Si quis ſeruum, cui aliquid ſine libertate legauerit, cum morietur ipſe ſeruus, leget: minimè dubitandum eſt, quin utile legatum futurum ſit, propterea ſcilicet quòd moriente ſeruo, id quod ipſi legatum erit, ad eum cui ipſe legatus fuerit, peruenturum ſit. *Concordat item l. ſi optio.13. in prim.ff. de optione legata. ubi Paulus:* Si optio ſerui data mihi fuit, & Sticho aliquid teſtator ſine libertate legauit:tunc ſequens legatum conſiſtit,cùm tota familia ad unum Stichum reciderit, ut quaſi purè legato utiliter ſit legatum. nec aduerſatur Catoniana, ſi uoluntarius hæres inſtitutus ſit:quia poteſt ante aditam hęreditatem,etiam ſi ſtatim deceſſerit,familia minui. *Sequitur ibidem duplicatio, hiſce uerbis:* Quòd ſi neceſſarius hæres inſtitutus ſit, ſequens legatum propter Catonianam inutile eſt. *Similem diſtinctionem uide paulò §.replic.1. dupl.4.tripl.2. Alia duplicatio hæc eſt: Niſi cùm ſeruo libertas ſub conditione legata eſſet, poſt defectum conditionis ſit alienatus. Hæc duplicatio approbatur l.qui filio.38.§.ſi quis ſeruum,in fine.ff.de hæred.inſtit.cuius uerba uide §.repl.1.dupl.6. Tertia duplicatio eſt:Niſi in ſeruo legato pars propter legem Falcidiam apud hæredem remaneat. Hæc duplicatio reprobatur l.Plautius.49. in prim.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Plautius: Seruo quem tibi legaueram, fundum legaui. Atilicinus,Nerua, Sabinus, primùm in ſeruo rationem legis Falcidiæ habendã, & quota pars ex eo decederet,eam partem in fundo legato inutilem futuram, deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiæ portionem deceſſuram, ſicut ex omnibus legatis. Caſsius, quòd ſeruo pars lege Falcidia decedat, incipere ſeruum fieri communem hæredis & legatarij. Communi autem ſeruo cum legatum ſit, totum pertinere ad ſocium: quia in eam perſonam legatum conſiſtere poſsit:qua ratione ſemel ex fundo partem lege Falcidia deceſſuram. Paulus: Caſsij ſententia utimur. nam & diuus Pius reſcripſit,ſeruo cõmuni fideicommiſſum datum totum ad ſocium pertinere. *Quarta replicatio eſt: Niſi ſeruus alij cum teſtatore ſit communis. Hæc replicatio approbatur iam propoſitis uerbis hiſce:* Communi autem ſeruo cum legatum ſit, totum pertinere ad ſocium: quia in eam perſonam legatum conſiſtere poſsit. *& paulo pòſt:* Diuus Pius reſcripſit, ſeruo communi fideicommiſſum datum totum ad ſocium pertinere. *Concordat item l. ſi eros.11. in fine. ff. de option . legata. cuius uerba uide §.lib.34. cap.11.quæſt.6.reg.3. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi ſocius, qui ſeruum cum teſtatore habet communem, hæres ſit inſtitutus. Quæ duplicatio approbatur l. ſi ſocius.87. in prim. ff. de hæredibus inſtituen. cuius uerba proponuntur paulò inferius, except.5.replic.3. Quinta replicatio hæc eſt: Niſi ſeruo proprio ſub conditione teſtator legauerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 87. ibi: planè ſub conditione. cuius uerba uide §.d.replic.3. Huius duplicatio uidetur poni l. Stichus.39. ibi: at quid in legato. ff.de manumiß. teſtam. cuius uerba uide §. lit.19. cap.7.except.65. Sexta replicatio hæc eſt: Niſi cum ſeruum cum libertate ſubſtituiſſet teſtator, poſtea legatum ei dederit hoc modo,Si hæres non erit. Hæc replicatio approbatur l.diuus.26.ff.d.tt.his uerbis:* Diuus Pius & diui fratres fauorabiliter reſcripſerunt, cùm ſeruo cum libertate ſubſtituto legatum erat, ſi hæres non eſſet, non adſcripta libertate: perinde haberi, atq; ſi adſcripta eſſet libertas. *Septima replicatio eſt: Niſi ſeruis proprijs alimenta ſint relicta: ea enim illis officio iudicis ſunt præſtanda. Quæ replicatio approbatur l. ſeruos.17. ff. de alimentis legatis, hiſce uerbis:* Seruos ad cuſtodiam templi reliquerat, & his ab hærede legauerat,his uerbis:Peto, fideiq; tuæ committo, ut des præſtes in memoriam meam pediſſequis meis, quos ad curam templi reliqui, ſingulis menſtrua cibaria,& annua ueſtiaria certa.quęſitum eſt, cum templum nõdum eſſet extructum, ex die mortis, an uerò ex eo tẽpore, quo templum

plum explicitum fuerit, percipere ſerui legatum debeant? Scæuola reſpondit,officio iudicis hæredem compellendum ſeruis relicta præſtare,donec templum extrueretur. *Concordat l.ſeruo alieno.110. §.1.ff.de leg.1. cuius uerba uide §.repl.1.duplic.3.* Octaua replicatio eſt: *Niſi cùm ſeruo proprio legatum eſſet,& teſtator optionem ſeruorum legaſſet, legatarius cum ſeruum, cui legatum eſt, optauerit. Hæc replicatio reprobatur l.ſeruo.15.ff. de option.leg. cuius uerba uide §. lib.34. cap.11. quæſt. 6.reg.3. Planè admittitur replicatio hæc, ſi tota familia ad unum illum ſeruum reciderit, ut nullus alius poſsit optari. Quod approbatur l.ſi optio.13.in prim. ff.eod. tt. cuius uerba uide §.repl.3. Nonæ replicationis loco notandum, quòd quamuis hæres ad legatum ſeruo relictum præſtandum cogi non poſsit:tamen ut id præſtet,lege admoneatur,l.quidam.5.§.illo uidelicet obſeruando.C.de neceſſarijs & ſeruis hæred.cuius uerba uide §.lib.28.cap.11.except.98.in fine,diſtinct.1.* Decima replicatio eſt: *Niſi miles iure militari teſtatus,ſeruo ſuo legauerit. quæ replicatio approbatur l.Lucius.40. §.1.ff.de militari teſt.his uerbis:* Paulus reſpondit, ex teſtamento eius qui iure militari teſtatus eſſet, ſeruum qui (licet ſub conditione) legatum meruit, etiam libertatem poſſe ſibi uendicare. *Concordat Nouell.78.§.unde ſi cui. uerſ.de inde ſimiles. Hæc de tertia exceptione eius regulæ,qua propoſita 23.exceptio reprobatur.* Quarta exceptio eſt: *Niſi ſeruo hæreditario ſit legatum. Hæc exceptio reprobatur l.legatum.113. §.ſeruo. ff.de leg.1. his uerbis:* Seruo hæreditario rectè legatur, licet hæreditas adita non ſit: quia hæreditas perſonæ defuncti,qui eam reliquit,uice fungitur. *Concordat l.debitor.84.§.fin.ff.de leg.2. cuius uerba uide §.except.2.replic.2.Planè uidetur admitti hæc exceptio, ſi hæres ſcriptus non ſit capax, uel legatum in eius perſona non conſiſtat. Quæ tamen diſtinctio reprobatur l.ſi mihi.57.§.fin.ff.de leg.1. de quo paulò ſuperius d.except.2.* Quinta exceptio eſt: *Niſi ſeruo hæredis legetur.Hæc exceptio approbatur Inſtit.de legat.§.an ſeruo hæredis,hiſce uerbis:* An ſeruo hæredis rectè legemus,quęritur? & conſtat, purè inutiliter legari, nec quidquam proficere, ſi uiuo teſtatore de poteſtate hæredis exierit: quia quod inutile foret legatum,ſi ſtatim poſt factum teſtamentum deceſsiſſet teſtator, hoc non debet ideo ualere,quia diutius teſtator uixerit. *Concordat l. cùm filiofam.11. in prim. ibi:ac tum demum. ff.de leg.1. de quo §.except.36. item l.in ratione.30.§.penult.ff.ad l.Falcid. cuius uerba uide §. libro 34. capite 2.quæſt.5. reg.20. Ait Imperator:* Nec quidquam proficere, ſi uiuo teſtatore de poteſtate hæredis exierit. *Hiſce uerbis reprobatur prima aduerſus propoſitam exceptionem replicatio, hæc ſcilicet: Niſi ſeruus uiuo teſtatore hæredis eſſe deſierit. Secunda replicatio eſt:Niſi ſub conditione ei ſit legatum. Hæc replicatio approbatur Inſtit. d. §.an ſeruo, his uerbis:* Sub conditione uerò rectè legatur ſeruo, ut requiramus, an quo tempore dies legati cedit,in poteſtate hæredis non ſit. *Concordat l.ſi ſocius.87.ibi:quoniam & proprio. ff.de hæred. inſtit. cuius uerba uide §. replic. proxim. Concordat item d.l.30. §.penult. Tertia replicatio eſt: Niſi ſeruo communi teſtatori cum hærede legatum ſit. Hæc replicatio reprobatur d.l.87. his uerbis:* Si ſocius hæres inſtitutus ſit ex aſſe, & ſeruo communi legetur purè ſine libertate: hoc legatum non conſtitit. planè ſub conditione ei utiliter & ſine libertate legabitur: quoniam & proprio ſeruo ab hærede rectè ſub conditione legatur. *Quarta replicatio eſt: Niſi hæredis fidei commiſſum ſit,ut ſeruum manumittat.Hæc replicatio approbatur l.ſi legatarius.8.§.ſeruo. ff.de leg. 3.his uerbis:* Seruo hæredis fideicommiſſum utiliter non relinquitur,niſi fidei eius commiſerit,ut ſeruum manumittat. *Sexta exceptio proponitur & reprobatur l.ſeruo.110. in prim. ff. de leg.1.his uerbis:* Seruo alieno ita legari poteſt, quoad ſeruiret, uel ſi fortè ſeruus Titij erit:ut & Marcellus ait. *Septima exceptio eſt: Niſi ſeruo pœnæ relictum ſit. Hæc exceptio approbatur l.quidam.17.in prim. ff.de pœnis. cuius uerba uide §.lib.3. cap.3. quæſt.4. de pœna qua libertas adimitur. Concordat l.in metallum.12.ff.de iure fiſci,hiſce uerbis:* In metallum damnatis libertas adimitur: cum etiam uerberibus ſeruilibus coerceantur. Sanè per huiuſmodi perſonas fiſco nihil adquiri, diuus Pius reſcripſit. Et ideo quod legatum erat ei, qui poſtea in metallum damnatus erat,ad fiſcum non pertinere reſcripſit:magisq; ait pœnæ eos,quàm fiſci ſeruos eſſe. *Sanè propoſitæ exceptionis ſpecies ſunt §.except.28.& except.29.* Hactenus *de legato ſeruis relicto,cum ſuis exceptionibus & exceptionum replicationibus ſit dictum.*

XXVI. *Exceptio: Niſi domino ſerui hæredis inſtituti ſit legatum. Hæc exceptio reprobatur Inſtit. de leg.§.an ſeruo hæredis, in fine,hiſce uerbis:* Hæredi inſtituto ſeruo,quin domino rectè etiam ſine conditione legetur,nõ dubitatur.Nam etſi ſtatim poſt factum teſtamentum deceſſerit teſtator,non tamen apud eum qui hæres ſit, dies legati cedere intelligitur: cum hęreditas à legato ſeparata ſit, & poſsit per eum ſeruum alius hęres effici,ſi priuſquam iuſſu domini adeat, in alterius poteſtatem translatus ſit,uel manumiſſus ipſe hęres efficitur, quib. caſibus utile eſt legatũ. Quòd ſi in eadem cauſa permanſerit, & iuſſu legatarij adierit,euaneſcit legatum. *Planè ex uerbis hiſce poſtremis caſus conſtat, quo exceptio propoſita admittitur: Si ſcilicet ſeruus iuſſu domini legatarij adierit hæreditatem, & ita legatarius per ſeruum hæres efficiatur.hoc enim caſu legatum euaneſcit. Cui concordat l.ſi à ſeruo.20.ff.ad l.Falc.cuius uerba uide §.lib. 34.cap.2 quæſt.5.reg.20.*

XXVII. *Exceptio: Niſi hæredi ſit legatum.* Hæc

exceptio approbatur l. legatum.113. §.1. ff.de leg.1. his uerbis: Hæredi à semetipso legatum dari non potest, à cohærede potest. *Concordat l. & quidem.18. in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.lib. prox.causa 35.in prin. Concordat item l.planè.34.§.si duobus.ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.lib.proxim.cap.7. reg.15. Item concordat l. quæsitum.88. §. præsente. ff. eod.tt. cuius uerba uide ẽ.tertia except.repl.1.dupl.4. tripl.2.Concordat item l.Iulianus.84.§.fin.in fine.ff.de condit.& demonstrat. cuius uerba uide d.tripl.2. Ait Iurisconsultus:* A' cohærede potest. *Hisce uerbis replicatio prima approbatur, hæc scilicet: Nisi hæredi à cohærede sit legatũ. Vnde Vlpianus:* Si uni ex hæredibus fuerit legatum, hoc deberi ei officio iudicis familiæ ercisc undę, manifestum est.*l.qui filiabus.17.§.fin.ff.de leg.1. Aliud exemplum proponitur l.post emancipationem.38.in prin.ff.de leg. 3. cuius uerba uide ĩ.except.54.repl.1. Huius repl.duplicatio prima hæc est:* Nisi hæreditate sese abstinuerit. *Quæ tamẽ duplicatio reprobatur d.l.17.§.fin.ff.de leg. 2. de qua re dicetur ĩ. inter causas omittendi legati, in persona legatarij consistentes. Sed & alias duplicationes uide in loco de iudicio familiæ ercisc undæ, de prælegatis. Secunda replicatio approbatur in casu l.Titia.35.§.1.ff.de legat.2.his uerbis:* Lucius Titius in testamento suo ita cauit: Οὐαλερίᾳ Στρατονίκῃ τῇ γλυκυτάτῃ μου θυγατρὶ, χαίρειν. Βούλομαι αὐτὴν παρὰ ἐμοῦ λαβεῖν χωρίον Γαζέων σὺν τοῖς οὐθένασιν αὐτῆ πᾶσιν. Οὐαλερίῳ Ἀλεξάνδρῳ τῷ γλυκυτάτῳ μου υἱῷ. ἐξαίρετον βούλομαι αὐτὸν παρ' ἐμοῦ λαβεῖν σύγκλητον ἀμπελῶνα Κορικούδαν, σὺν οἷς ἔχω οὐθένασι πᾶσιν. id est: Octauianæ Stratonicę dulcissimę filię meæ S. Volo ut ipsa à semetipsa prædium Gazam cum omnibus eius dotibus accipiat. Octauiano Alexádro dulcissimo filio meo: Volo ut ipse à seipso possessionem Comianam agniferá, cum uniuersis dotibus quæ in ea sunt, præcipiat, inq; eximium habeat. Quæro, an huiusmodi scriptura integrum prædium singulis datum esse uideatur, an uerò partem hæreditariam duntaxat contineat, cum inutiliter à seipso quenquam eorum, quam habebat partem, accipere uoluerit? Modestinus respondit, non sic interpretandam scripturam de qua quæritur, ut fideicommissum inutile fiat. Item quæro, si integrum prædium relictum esse uideatur, an precium portionis fratri & cohæredi soluendum sit: ut hoc ipso, quod à semetipso accipere præcepit, precio illato integrum eum habere uoluerit? Idem respondit, ad solutionem precij fideicommissarium minimè compellendum. *Tertia replicatio est: Nisi patri à filio hærede instituto sit legatum. hoc enim casu, quamuis pater per filium hæres effici possit, legatum tamen ei relictum ualet. quæ replicatio approbatur l.à filio.25. ff.de legat.1. cuius uerba uide ĩ. except. 36. replic.1. Quarta replicatio est: Nisi hæreditas hæredi auferatur tanquam indigno, quòd tacitam fidem accommodauerit. Hæc replicatio approbatur l. eum qui.18.§.fin.ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ĩ.cap.9.causa 39.except.8.Reliqua huius loci uide in iudicio familiæ ercisc undæ.*

XXVII. Exceptio: *Nisi in metallum damnato sit relictum. Hæc exceptio approbatur l.quidam.17.in prin.ff.de pœnis. cuius uerba uide ẽ.lib.3. cap.3. quæst. 4. de pœna qua libertas adimitur. Concordat l. in metallum.12.ff.de iure fisci. cuius uerba uide ẽ. except.25. septima except. Item concordat l. fi in.3. in prin. ff. de his quæ pro non scriptis hab.his uerbis:* Si in metallum damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est. *Ait Iurisconsult.* Extra causam alimentorum. *Ex his uerbis elicitur replicatio hæc: Nisi in metallum damnato, in alimenta quid fit relictum: hoc enim ei debebitur. Concordat l. is cui.11. ff. de aliment. legatis. cuius uerba uide ĩ. libro 34. capite 9. quæst.1. exceptione 2.*

XXIX. Exceptio: *Nisi ei qui in perpetua uincula damnatus est, legatum sit relictum. Hæc exceptio approbatur l.1. C.qui non poss.ad libert.peru. his uerbis:* Cum diuus Claudius, pater meus, constituerit, à præfidibus prouinciarum, uel qui coercendorum maleficiorum potestatem habent, in perpetua uincula damnatos ad libertatem perduci non posse: hi qui intra tempora pœnæ liberi & hæredes esse iussi sunt, aut legatum fideicommissúmue acceperunt, neq; libertatem adipisci, nec quidquam eorum quæ de his data sunt, capere possunt. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi pœna sit liberatus. quæ replicatio approbatur d.l.1. his uerbis:* Quòd si pœnæ tempus compleuerint, iam omni uinculo exoluti, & quasi ad pristinam uel simplicem seruitutis conditionem redacti, & libertatem, & si qua testamentis dominorum illo tempore defunctorum acceperunt, sine ulla quæstione pœnæ præteritæ consequantur.

XXX. Exceptio: *Nisi testibus testamenti, uel eis qui testamentum dictauerint, sit legatum. Hæc exceptio reprobatur l. dictantibus.22. C. de testamentis, hisce uerbis:* Dictantibus testamenta, uel aliam quamlibet ultimam uoluntatem, legatum, uel fideicommissum, uel quodcunque aliud quolibet legitimo titulo, testatorem posse relinquere, minimè dubitandum est. Testibus etiam ad efficiendam uoluntatem adhibitis, pro suo libitu quod uoluerit testator relinquere non prohibetur.

XXXI. Exceptio: *Nisi collegio sit legatum. Hæc exceptio reprobatur l. cum Senatus.21. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Cum Senatus temporibus diui Marci permiserit collegijs legari, nulla dubitatio est, quin si corpori, cui licet coire, legatum sit, debeatur: cui autem non licet, si legetur, non ualebit, nisi singulis legetur.

gatur. hi enim non quasi collegium, sed quasi certi homines admittentur ad legatum. *Hisce uerbis exceptio proposita reprobatur, sub conditione tamen hac: Si collegium sit licitum. Ergo si collegijs illicitis legatum sit, exceptio locum habet.*

XXXII. Exceptio: *Nisi ciuitati legatum sit. Et hæc exceptio reprobatur l. si quid.114. ff. de leg.1. his uerbis:* Si quid relictum sit ciuitatibus, omne ualet, siue in distributionem relinquatur, siue in opus, siue in alimenta, siue in eruditionem puerorum, siue quid aliud. *Concordat l.ciuitatibus.119. in prin. ff.eod.tt. ubi Paulus:* Ciuitatibus (*inquit*) etiam legari potest quod ad honorem ornatumq; ciuitatis pertineat: ad ornatum, puta quod ad instruendum forum, theatrum, stadium, legatum fuerit: ad honorem, puta quod ad edendum munus, uenationem, ludos scenicos, ludos Circenses, aut quod ad diuisionem singulorum ciuium, uel epulum relictum fuerit: hoc amplius, quod in alimenta ætatis infirmæ, puta senioribus uel pueris puellisq; relictum fuerit, ad honorem ciuitatis pertinere uidetur.

XXXIII. Exceptio: *Nisi parti ciuitatis sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l.si quis.32. §.fin.ff.de leg.1.his uerbis:* Si parti ciuitatis aliquid sit relictum, quod ad ornatum uel compendium reipubl. spectet, sine dubio debebitur.

XXXIIII. Exceptio: *Nisi uicis relictum sit. Et hæc exceptio reprobatur l.si hæres.72. §.fin. ff.de leg. 1. his uerbis:* Vicis legata perinde licere capere, atq; ciuitatibus, rescripto Imperatoris nostri significatur.

DE EXCEPTIONIBVS ADuersus legata, sumptis ex persona eius, à quo legatum relictum est.
Cap. IIII.

HActenus secundi generis exceptiones contra legata, ex persona legatarij desumptæ, propositæ sunt: sequitur tertium genus, earum scilicet exceptionum, quæ sumuntur ex persona eius à quo legatur.

XXXV. Exceptio: *Nisi à semetipso alicui legetur. De hac exceptione uide ẽ.except.27. Item: Nisi non ab hærede, sed à legatario sit relictum. Hæc exceptio reprobatur Instit. de fideicom. hæred. §. cum quoq;, his uerbis:* Eum quoq;, cui aliquid restituitur, potest rogare ut id rursum alij, aut totum, aut partem, uel etiam aliquid aliud restituat. *Concordat l.ex facto.17. §.non tantùm. ff.ad S. C. Trebell. his uerbis:* Non tantùm si hæredem quem scripsero, potero rogare ut hæredem faciat aliquem: uerùm etiam si legatum illi, uel quid aliud reliquero, uam hactenus erit obligatus, quatenus quid ad eum peruenit. *Plura de hac re uide ĩ.except.40.repl.12.*

XXXVI. Exceptio: *Nisi ab eo legatum sit, cum quo legatario non potest esse actio. Hæc exceptio approbatur l. cùm filiofam.11. in prin.ff.de leg.1. his uerbis:* Cùm filio fam. uel seruo alieno legatum uel hereditas datur, fideicommitti patri uel domino potest: actunc demum ex persona ipsorũ fideicommissum uires capit, cùm ipsis per quos commodum hæreditatis uel legati patri dominóue quæritur, fideicommissum hæreditatis relinquitur. *Ait Iurisconsultus:* Ex persona ipsorum fideicommissum uires capit: *hoc est, ex uoluntate eorum, puta domini uel patris, fideicommissum pendet, utrum uelint præstare nécne, cùm actione cogi non possint. Concordat Instit. de leg. §. an seruo hæredis. de quo uide ẽ.except. 25.except.5. Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi non seruo à domino, sed contrà domino à seruo legetur: *uel non filio à patre, sed patri à filio. quo casu ualet legatum. quæ replicatio approbatur Instit. de leg. §. an seruo hæredis, in fine. de quo uide ẽ.except.26. item approbatur l.à filio.25. ff.de leg.1. his uerbis:* A' filio hærede etiam purè patri legari potest: nec interest, an die legati cedente in patris potestate sit. Igitur etsi iussu patris adita sit hæreditas, imputabitur ei in Falcidiam. *Concordat l. cum legato.17. in fine. ff. quando dies leg. cedat. ubi Iulianus:* Perinde igitur (*inquit*) hoc est, de quo quæritur, ac si filio hærede instituto, patri legatum esset. quod consistere intelligitur eo, quòd quamuis statim paterfam. moriatur, potest emancipatus adire hę reditatem, ut patri legatum debeat. *Concordat item l.quæsitum.88. in prin.ff.de leg.2. cuius uerba proponentur paulò inferius except.27. Secunda replicatio est:* Nisi in id tempus fideicommissum relictum sit filio à patre, quo filius sui iuris sit. *quæ replicatio approbatur l.filiam.17.ff.de auro argento legato, his uerbis:* Filiam in potestate patris manentem mater scripsit hæredem, eiq; patrem Mæuium substituit, & ita scripsit: Quisquis mihi hæres erit, fidei eius committo, uti ornamenta mea omnia, aurum, argentum, & uestimenta, quibus ego usa sum, ne uæneant, & filiæ meæ reseruentur. quęsitum est, cùm filia recusante pater ex substitutione hæres extitisset, & intestatò decessisset, filia autem bonis eius abstineret, an fideicommissum petere posset? Respondi, secundum ea quæ proponerentur, uideri utiliter patris fidei commissum. Claudius. quoniam uerbo seruandi, quod scriptum est, uideri in id tempus dilatum fideicommissum, quo sui iuris futura esset ea, cui dabatur. *Proposita replicatio approbatur etiam in fideicommisso seruo à domino relicto, l.quidam.25. §.si seruo. ff.ad Senatusconf. Trebellian. his uerbis:* Si seruo hærede scripto, dominus rogatus est eidem seruo restituere hæreditatem, cùm liber esset: utile fideicommissum est. *Concordat l.cogi.16. §.si pater. &*

§.sed si seruo.ff.ad S.C.Trebellian. cuius uerba uide ĩ. lib.34.cap.3.membr.2.except.16.& except.17.

XXXVII. Exceptio: *Nisi ab eo sit legatum, qui in eiusdem est potestate, in cuius est legatarius. Hæc exceptio reprobatur l. quæsitum.88. in prin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Quæsitum est, si filius familiâs, qui filium habebat, hæres institutus fuisset, cum esset uterq; in potestate aliena, an ab eo filio eius legari posset? Respondi: Cũ possit à filio patri legari, consequens est, ut uel fratri ipsius, uel filio, uel etiam seruo patris sui legetur.

XXXVIII. Exceptio: *Nisi à surdo, muto uel ignorante relinquatur. Et hæc exceptio reprobatur l. cũ pater. 79. §. surdo. ff. de leg. 2. his uerbis:* Surdo & muto, qui legatum accipit, ut cum morietur restituat, recte mandatur. nam & ignorantes adstringuntur fideicommisso, quibus ignorantibus emolumentum ex testamento quæritur.

XXXIX. Exceptio: *Nisi ab eo qui in rerum natura non est, sit relictum. Hæc exceptio approbatur l. unica. §. in primo itaq; ibi: nullo grauamine. C. de caducis tollen. cuius uerba uide ĩ. libro prox. cap. 10. causa 42. except. 1. repl. 2. Concordat l. quidam. 14. in prin. ff. de iure codicill. cuius uerba proponentur paulò inferius repl. 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi à nondum nato sit relictum, isq; postea natus hæres existat. quæ replicatio approbatur l. 1. §. penult. ff. de leg. 3. his uerbis:* Eius qui nondum natus est, fidei committere possumus, si modò natus nobis successurus sit. *Concordat l. ab exhæred. 123. §. fin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ĩ. libro proxim. capite 10. causa 42. except. 1. exemplo 2. Secunda replicatio est:* Nisi duobus hæredibus institutis, *ab altero qui in rerum natura non est, legatum sit: tunc enim legatum debetur. quæ replicatio approbatur l. quidam. 14. ff. de iure codicill. his uerbis:* Quidam referunt (quantum repero) apud Iulianum Sabini & Cassij & Proculi exposita esse in quæstione huiusmodi controuersiam, an legata, quæ posteaquam institui mortem obierint, codicillis adscripta uel adempta sunt, à substitutis debeantur: id est, an perinde datio & ademptio etiam hoc tempore codicillis facta ualeat, ac si in testamento facta esset? quod Sabinum & Cassium respondisse aiunt, Proculo dissentiente: nimirum autem Sabini & Cassij collectio, quam & ipsi reddunt, illa est, quòd codicilli pro parte testamenti habeantur, obseruationémque & legem iuris inde traditam seruent. Ego autem (Scæuola) ausim sententiam Proculi uerissimam dicere. ut enim nullius momenti est legatum, quod datum est ei qui tempore codicillorum in rebus humanis non est, licet testamenti tempore fuerit (esse enim debet, cui detur: deinde sic quæri, an datum consistat: ut non antè iuris ratio, quàm persona quærenda sit) ita in proposito, quod post hæredis obitum codicillis legatum uel ademptum est, nullius momenti est: quia hæres, ad quem sermonem conferat, in rebus humanis non est, eaq; ademptio & datio nunc uana efficietur. Hæc in eo hærede, qui ex asse institutus erit, dato substituto, ita ut ab instituto codicilli confirmarentur. Quòd si duo instituti sint, substitutis datis, unusq; eorum decesserit: utilia uidentur legata. sed circa cohæredem erit tractatus, núquid totum legatum debeat, si, Quisquis mihi hæres erit, legatũ erit: an uerò non, quia sit substitutus hæres, qui partẽ faciat, licet ipse non debeat? Idem etiam potest circa nomina expressa tractari. multoque magis solum cohæredem totum debere puto: quia is adiunctus sit, qui etiam tunc, cum adiungebatur, in rebus humanis non erat.

XL. Exceptio: *Nisi ab eo qui nihil, uel minus quàm ab eo relictum est, ex testamento percipit, sit relictum. Hæc exceptio approbatur l. ab eo. 9. C. de fideicommiss. his uerbis:* Ab eo qui neq; legatum, neq; fideicommissum, neq; hæreditatem, uel mortis causa donationem accepit, nihil per fideicommissum relinqui potest. *Concordat l. filiusfamiliâs. 111. §. apud. ff. de leg. 1. ubi Martianus:* Placet (*inquit*) non plus posse rogari quem restituere, quàm ei relictum esset. *Concordat item l. 1. §. sciendum. ff. de leg. 3. ubi Vlpianus:* Sciendum est (*inquit*) eorum fidei committi posse, ad quos aliquid peruenturum est morte eius, uel dum eis datur, uel dum eis non adimitur. *Concordat item l. sed & si. 6. in fine. ff. eod. tt. ubi Paulus:* Nec recipiendum est (*inquit*) ut cui nihil dederis, eum rogando obliges. *Concordat item l. planè. 91. §. fin. ff. de leg. 1. ubi Iulianus:* Is demum pecuniam ex causa fideicommissi præstare cogendus est, qui aliquid eiusdem generis, uel simile ex testamento consequitur. *Concordat item l. 2. §. si is qui. ibi: nemimem enim. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide ĩ. libro 34. capite 4. except. 6. replic. 1. dupl. 2. Concordat item l. ex facto. 17. §. non tantùm, in fine. ff. eod. tt. ubi Vlpianus:* Hactenus erit obligatus (*inquit*) quatenus quid ad eum peruenit. *Concordat item l. filiusfamil. 111. §. ut quis, in fine. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ĩ. cap. 5. except. 60. replic. 1. Concordat item l. cum pater. 79. §. qui dotale. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. lib. 15. cap. 9. quæst. 5. except. 20. Concordat item l. si cum. 15. ff. de iur. cod. ubi Paulus:* Cùm ea testatoris uoluntas fuerit, ut ex uniuersa hæreditate legata erogarentur: dicendũ, scriptis hæredibus profuturâ doli exceptionẽ, si amplius quàm hæreditaria portio petatur. *Cõcordat itẽ l. Imperat. 72. in prin. ibi: sed etsi. ff. de leg. 2. his uerbis:* Etsi legatũ percepit, non amplius ex causa fideicommissi cogendus erit

erit soluere, quàm perceperit. *Concordat item Instit. de sing. rebus per fideicomm. relictis. §. potest autem, his uerbis:* Hoc solum obseruandum est, ne plus quisquam roget ut alicui restituere, quàm ipse ex testamẽto ceperit. nam quod amplius est, inutiliter relinquitur. *Concordat item l. nomen. 33. §. uni ex hæred. ff. de leg. 3. his uerbis:* Vni ex hæredibus per præceptionem reliquit ea quę ex patrimonio sui uiri Aretonis ei supererant, eiusq; fidei commisit hæc eadem restituere pronepti, cum esset annis sedecim, in quibus hæc uerba adiecit: Item rogo, uti reliquum æs alienum, quod ex bonis Aretonis debetur, omnibus creditoribus ex reditibus eorum bonorum soluas, reddas, satisq; facias. quæsitum est, si probauerit hæres, non sufficere reditum bonorum ad totius debiti solutionem, an nihilominus tamen ipse debeat agnoscere onus æris alieni? Scæuola respondit, manifestè proponi, ex reditibus bonorum eorum iussum alienum æs, non de proprio soluere. *Hactenus leges, quibus exceptio proposita partim approbatur, partim declaratur, sunt propositæ: nunc replicationes huius exceptionis proponendæ sunt. Prima replicatio hæc est, Quòd is qui aliquid ex testamento accepit, quamuis non in maiorem partem obligetur, tamen in tantum obligatur, quantum percepit: ut ex supradictis constat. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi aliquid etiam conditionis implendæ causa dederit grauatus: hoc enim ex legato deducetur. quæ duplicatio approbatur l. non amplius. 26. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Non amplius legatorum nomine ad quenquam pertinere uidetur, quàm quod deducto eo, quod explendæ conditionis causa datum esset, supereſt. *Vide insuper ĩ. replic. 12. duplic. 6. Sed & alias huiusmodi duplicationes uide ĩ. d. replic. 12. Secunda replicatio hæc est, Quòd ad præstandam actionem teneatur. quæ replicatio approbatur l. Imp. 72. in princ. ff. de leg. 2. his uerbis:* Imperator Antoninus rescripsit, legatarium, si nihil ex legato accepit, ei cui debet fideicommissum, actionibus suis posse cedere, nec id cogendum soluere. *Concordat l. si legatarius. 8. in prin. ff. de leg. 3. ubi Paulus:* Si legatarius, à quo fideicommissum datum est, petierit legatum: id tãtùm quod periudicem exegerit, præstare fideicommissario cogetur: uel, si non exegerit, actionem cedere. ad eum enim litis periculum spectare iniquum est, si non culpa legatarij lis perierit. *Ex hisce uerbis posterioribus elici potest tertia replicatio, hæc scilicet: Nisi culpa legatarij acciderit, quo minus perceperit. Sed & plura de secunda replicatione uide ĩ. lib. prox. cap. 3. reg. 7. Item de tertia replicatione uide plura ĩ. cap. 10. causa 42. cum sequentibus. Quarta replicatio est:* Nisi *post tempus fideicõmissum relictum sit, ut medio tempore, ratione fructuum & usurarum, legatario ex re legata maius lucrum accedat. Hæc replicatio approbatur l. Imperator. 72. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Cum quidam filio suo, ex parte hæredi instituto, patruum eius cohæredem ei dedisset, & ab eo petijsset, ut filium suum pro uirili portione filijs suis cohæredem faceret: siquidem minus esset in uirili portione, quàm fratris hæreditas habuit, nihil amplius peti posse: quòd si plus, etiam fructuum, quos patruus percepit, uel cum percipere potuerit, dolo non percepit, habendam esse rationem responsum est, non secus quàm si centum legatis, rogetur post tempus maiorem quantitatem restituere. *Concordat l. filiusfamiliâs. 111. §. apud Marcellum. ff. de leg. 1. his uerbis:* Apud Marcellum talis quæstio agitatur: Quidam ab eo cui fundum legauerat, fideicõmiserat, ut eum fundum post mortem suam restitueret Sempronio: eiusdem legatarij fidei commiserat, ut Titio daret centum. quæritur, quid iuris sit? & ait Marcellus, Si Titio testator centum ex fructibus, quos uiuus legatarius perciperet, reliquisset, & legatarius post tantum temporis decessisset, ut ex fructibus centum fierent: Titium centum accepturum. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi cum legatarius post mortem suam plus quàm ei legatum est, restituere esset rogatus, statim mortuus sit. quæ duplicatio approbatur d. §. apud Marcellum, his uerbis:* Si post acceptum legatum confestim decessisset legatarius, Titij fideicõmissum extingui: quia placet non plus posse rogari quem restituere, quàm ei relictum esset. *Secunda duplicatio est:* Nisi *non in diem, sed purè unũ fideicommissum sit relictum. Hæc duplicatio reprobatur in casu d. §. apud Marcellum. ibi: sed etsi Titij, his uerbis:* Sed etsi Titij fideicommissum non esset in tempus mortis legatarij collatũ, ait Marcellus, confestim fideicommissum Titio dandum, sed cautione exacta, quanto amplius ceperit reddi: quam cautionem ita committi, si prius legatarius decesserit, quàm ex fructibus centum perciperet. sed uix est, ut legatarium ex reditib. uoluerit antè dare, quàm fructus percepisset. Certè erit legatarius audiendus, si uelit totum fundum præstare, si de restituẽdo caueatur. absurdum enim est, de suo eum præstare centũ: maximè, si fundus centum, uel non multò pluris sit. quo iure utimur. *Tertia duplicatio est: Nisi nõ fructus uel usuras rogatus ex legato perceperit, sed ex alia causa lucrum ex legato senserit: hoc enim casu ad præstandum fideicõmissum non tenetur. quæ duplicatio approbatur l. Imperator. 72. §. si cẽtum. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si centum legatis duplũ restituere rogatus sit, ad summam legati uidebitur constitisse: si autem post tempus fideicommissum relictum sit, usurarum duntaxat additamentum admitteretur: nec mutanda sententia erit,

quòd fortè legato percepto magnum emolumentum ex aliquo negocio consecutus est, aut pœnam stipulationis imminentem euasit. *Quinta replicatio est: Nisi pecunia legata, rem propriam, quamuis maioris æstimationis, legatarius restituere sit rogatus. Hæc replicatio approbatur d.§.si cètum.ibi:hoc ita,his uerbis:* Hoc ita,si quantitas cum quantitate conferatur. enimuerò si pecunia accepta rogatus sit rem propriã, quanquam maiore precio æstimaretur, restituere,non est audiendus legatarius legato percepto, si uelit computare: non enim æquitas hoc probare patitur,ut quod legatorum nomine perceperit, legatarius offerat. *Sexta replicatio est: Nisi legatarius, qui nihil percepit, defuncto stipulanti promisit se restituturum. Hæc replicatio approbatur l.cum quis.35.§.pater. ff.de leg.3. his uerbis:* Pater emancipato filio bona sua uniuersa, exceptis duobus seruis, non mortis causa donauit,& stipulatus est à filio in hæc uerba: Quæ tibi mancipia, quæque prædia donationis causa tradidi, cessi, per te non fieri dolo malo,neq; per eum ad quẽ ea res pertinebit, quo minus ea mancipia, quæq; ex his adgnata erunt,eaq; prædia cũ instrumento,cum ego uolam, uel cum morieris, quæq; eorum extabunt, neque dolo malo aut fraude,factóue tuo, eiúsq; ad quẽ ea res pertinebit, ita in rerum natura aut in potestate esse desijssent: si uiuam, mihi aut cui ego uolam reddantur,restituãtur:stipulatus est Lucius Titius pater, spopondit Lucius Titius filius.Idem pater decedẽs fideicommissariam epistolã ad filium suum scripsit in hæc uerba: Lucio Titio filio suo salutem. Certus de tua pietate, fidei tuæ committo,ut des præstes illi & illi certam pecuniam, & Lucrionem seruum meum liberũ esse uolo. quęsitum est,cum filius nec patris bonorum possessionem acceperit, nec hæres ei extiterit, an ex epistola fideicommissa & libertatem prẽstare debeat? Respondi, etsi neq; hæreditatem adisset, neq; bonorum possessionem petijsset, & nihil ex hæreditate possideret: tamen nihilominus & ex stipulatu ab hæredib.patris,& fideicommisso ab his quorum interest,quasi debitorem conueniri posse,maximè post constitutionem diui Pij,quæ hoc induxit. *Planè propositæ replicationi uidentur contraria ea quæ habentur ĩ.ead.except.repl.12.dupl.1.tripl.5. Septima replicatio est: Nisi rogatus dominus uel pater sit eius qui aliquid ex testamento percipit. Hæc replicatio approbatur l.cùm fil.11.in prin.ff.de legat.1.his uerbis:* Cùm filiofamiliãs uel seruo alieno legatum uel hæreditas datur,fideicommitti patri uel domino potest. *Concordat l.si alienus.64.in prin.ff. de leg.2.his uerbis:* Si alienus seruus hæres institutus fuerit,à domino eius fideicõmissum relinqui potest. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi legatum uel hæreditas seruo uel filio relicta, ad dominum uel patrem rogatum non perueniat. quæ duplicatio approbatur d.l.64. his uerbis:* Sed ita hoc fideicommissum dominus præstare debet, si per seruum factus sit hæres: quòd si, antequam iussu eius adiretur hæreditas, seruus manumissus fuerit, & suo arbitrio adierit hæreditatem, dominus id debiturus non est, quia hæres factus non est: sed nec seruus,quia rogatus non est. *Planè aduersus eum, ad quem emolumentum peruenit, utilis actio datur, ut subijcit ibidem iurisconsultus, his uerbis:* Itaque utilis actio hoc casu competit, ut is ad quem emolumentum hæreditatis pertinerit,& fideicommissum præstare compellatur. *Quod loco primæ triplicationis est notandum. cui concordat l.à patre.4. ff.de leg.3. ubi Paulus:* A patre uel domino relictum fideicommissum,si hæreditas ei non quæratur,ab emancipato filio, uel seruo manumisso utilibus actionib.postulatur: penes eos enim quæsitæ hæreditatis emolumentum remanet. *Secunda triplicatio est: Nisi dominus seruum uendiderit:tunc enim nihilominus fideicommissum præstare cogitur. quæ triplicatio approbatur cum distinctione l. planè.91.§.1.ff.de legat.1. cuius uerba uide ĩ.lib. prox. cap.2.reg.9. Octaua replicatio est: Nisi rogatus tutor uel curator sit eius qui aliquid ex testamento percipit. Hæc replicatio approbatur l.etiam.20. C.de fideicommissis, hisce uerbis:* Etiam à pupillorum tutoribus uelut ab ipsis relicta fideicommissa debentur. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi tutor uel curator inutiliter sit datus. Hæc duplicatio reprobatur l.peto.71. §.mater filio. ff. de leg.2.his uerbis:* Mater filio impubere hærede instituto, tutorem eidem scripsit, eiusq; fidei commisit, ut si filius suus intra decimum quartũ annum decessisset, restitueret hæreditatem Sempronio. non ideo minus fideicõmissum rectè datum intelligi debet, quia tutorem dare mater non potuit. nam etsi pater non iure facto testamento tutoris fidei cõmiserit,æquè præstabitur,quemadmodum si iure fuisset factum testamentum. sufficit enim,ut ab impubere fideicommissum datum ab eo dari uideatur, quẽ is qui dabat,tutorem dederat, uel etiam tutorem fore arbitrabatur. Idem in curatore impuberis uel minoris annis debet probari. *Concordat l.codicillis.34. §.fin. ff. de usufruct. legato. ubi Scæuola inquit:* Qui Sempronium ex parte decima, & Mæuiam ex parte decima, alumnum ex reliquis partibus instituerat hæredes, curatorem alumno dedit, cùm iure facere putaret: & curatoris fidei commisit,ne pateretur fundum uenire,sed cum Sempronia & Mæuia nutricib. suis frueretur reditu eius. & in ima parte testamenti ita adiecit:

Omnem

Omnem uoluntatem meam fidei heredum meorum cõmitto. quæsitum est,an tertias partes ususfructus fundi nutrices ex fideicommisso petere possint,quamuis curator ei receptus sit, quem iure dare non potuit alumno? Respondi,secundum ea quæ proponerentur, utiliter fideicommisso uoluntatem suam confirmasse. Id igitur cuiq; dedisse,ut & nutrices unà cum alumno reditu fundi uterentur. *Secunda duplicatio hæc est: Nisi tutor sit à tutela excusatus, uel ex alia causa tutor esse non posit. Hæc duplicatio reprobatur d.§.mater filio,his uerbis:* Nec interest,tutor rectè datus uiuo patre moriatur, uel aliquo priuilegio excusetur, uel tutor esse non possit propter eius ætatem cui tutor fuerat datus: quibus certè casib.fideicommissum non intercidit, quod à pupillo datum uidetur. *Tertia duplicatio hæc est: Nisi ipsi pupillo à tutore fideicommissum sit relictum. quæ duplicatio approbatur d.§.mater filio,in fin.his uerbis:* Hac deniq; ratione placuit, à tutore, qui nihil accepit, fideicõmissum relinqui pupillo non posse: quoniam quod ab eo relinquitur extero, non ipsius proprio,sed pupilli iure debeatur. *Nona replicatio est: Nisi rogatus administrator sit reipub. cui legatum est. Hæc replicatio approbatur l.si fuerit.5.in princ. ff.de leg.3. his uerbis:* Si fuerit municipio legatum relictũ, ab his qui rempub.gerunt, fideicommissum dari potest. *Decima replicatio est: Nisi rogatus hæres sit eius qui aliquid ex testamento percepit. Hæc replicatio approbatur d.l.9.in fine,his uerbis:* Si quis non ab hærede uel legatario,sed ab hæredis uel legatarij hærede fideicommissum reliquerit, hoc ualere benignum est. *Concordat l.1.§.sciendum.ibi:non tantum.ff.eod.tit.his uerbis:* Non tantùm proximi bonorũ possessoris,uerùm inferioris quoq; fidei committere possumus. *Concordat item l. si quis.15.§.fin.ff.de liberat.legata.ubi Vlpianus:* Hæredis hęres *(inquit)* potest damnari,ne exigat debitorem. *Sed etsi sic fideicommissum dedero ab hærede meo (Paulus inquit l.sed etsi.6. in princ. ff.de leg.3.) Te rogo Luci Titi, ut ab hærede tuo petas dari Mæuio decem aureos: utile erit fideicommissum, scilicet ut mortuo Titio ab hærede eius pẽti possit. idq; & Iulianus respondit. Et planè,si quis fidei commiserit eius, ad quem impuberis filij hæreditas est peruentura, si impubes pubes fit factus, euanescit fideicommissum. quæ duplicatio approbatur l.si fundum.89. §.fin. cum l.sequente.ff.de leg.1.his uerbis:* Sicuti conceditur unicuiq; ab eo, ad quem legitima eius hæreditas uel bonorum possessio peruentura est, fideicõmissum dare: ita ab eo,ad quem impuberis filij legitima hæreditas uel bonorum possessio peruentura est, fideicommissa rectè dabũtur:quod fideicommissum hactenus, quatenus impubes decedat, nalebit: cæterùm si pubes factus decesserit,euanescit fideicommissum. *Vndecima replicatio hæc est: Nisi rogatus in testamento sit manumissus. Hæc replicatio reprobatur l.planè.91. §. fin. ff.de leg.1.his uerbis:* Qui testamento manumittitur, & neq; legatum, neq; hæreditatem capit, fideicommissum prætare cogẽdus non est. *Videtur admitti replicatio hæc, si uice operarum manumissus aliquid dare iussus sit. quæ tamen distinctio itidem reprobatur ibidem l.seq.92.his uerbis:* Videndum est tamen, nunquid si uice operarum rogauerit eum aliquid dare, debeat hoc fideicommissum ualere? Quod nequaquam dicendum est: quia nec operæ imponi huiusmodi liberto possunt, nec impositæ exiguntur,quamuis testator ita cauerit. *Duodecima replicatio est: Nisi aliunde à testatore quid acceperit rogatus: tunc enim,quamuis ex testamento nihil percipiat, nihilominus tenetur. quæ replicatio approbatur primùm in eo cui mortis causa donatum est, l.cum pater.79.§.1.ff.de leg.2.his uerbis:* Eorũ quibus mortis causa donatum est, fidei committi quoquo tempore potest: quod fideicommissum hæredi, scilicet salua Falcidiæ ratione, quam in his quoq; donationibus exemplo legatorum locum habere placuit, præstabunt. *Concordat l.si mulier.3.in princ. ff.de leg.3.his uerbis:* Si mortis causa auxerit marito dotem mulier,uel in matrimoniũ eius mortis causa redierit: potest dici fideicõmissum ab eo deberi. *Concordant item ea quæ habentur ĩ. lib.35.cap.6.quæst.2.reg.2. Huius replicationis in exemplo proposito duplicatio hæc est: Nisi fructuarius proprietario usumfructum mortis causa cesserit. quæ tamẽ duplicatio reprobatur d.l.2.§.fin.his uerbis:* Sed si habenti tibi proprietatem, usumfructum mortis causa cessero,potest dici fideicõmittere me posse. nec quicquã moueat, quòd ususfructus solet morte extinguĩ: nam medij potius temporis,quo uiuat qui donauit, commodũ cogitamus. *Secundò replicatio proposita approbatur in eo cui inter uiuos donatum est, l.cum quis.35.§.pater.ff.de leg.3. cuius uerba uide ĩ.replic.6. Concordat l.Titia.89.§.Lucius. ff.de leg.2. cuius uerba hæc sunt:* Lucius Titius, cum haberet quinq; liberos, uniuersos emãcipauit,& in unum filium Caium Seium amplissimas facultates donationib.contulit, & modicum sibi residuũ reseruauit, & uniuersos liberos cum uxore scripsit hæredes:in eodem testamento duas possessiones, quas retinuerat, eidẽ Caio Seio prælegauit:& ab eo petijt,ut ex reditib.prædioriũ,quæ uiuus ei donauerat,Mæuiæ filiç tot aureos daret,item alteri fratri alios tot:qui cõuentus à Mæuia sorore sua legem Falcidiã implorat. quæro,cum sanctissimus Imperator(ut suprà scriptũ est) contra uoluntatẽ donantis ea quæ donata sunt,reuocari prœceperit:an Caius Seius cõpellendus sit secũdum uoluntatem patris,

ex do-

ex donationib.fideicõmissum præstare hæredi sororis? Paulus respondit, post literas Imperatoris nostri dubitari non oportere, quin in hac quoq; specie, de qua quæritur, subueniẽdum sit liberis, quorum portio in unum filium donationib.collatis imminuta est, præsertim cum Imp.noster contra uoluntatem patris subuenerit.in proposita autem causa etiam uolũtas patris pro his qui fideicommissa petũt,intercedit: sed etsi lex Falcidia intercedat, fideicommissa in solidum esse prẽstanda propter immodicarum donationum rationem. *Tertiò approbatur repli catio proposita in eo cui testator debitum acceptum tulit,l.si mulier.3.in prin.ff.de leg.3.his uerbis*: Si mulier dotem stipulata fuerit, & acceptotulerit marito dotem, in hoc ut fideicõmissum det: dicendum est,fideicommissum deberi. percepisse enim aliquid à muliere uidetur: hoc ita,si mortis causa donatura mulier marito fecit acceptum. *Quod autem ait iurisconsultus*: Hoc ita,si mortis causa donatura, &c. *Hoc ideo dicit, quia simplex donatio inter maritum & uxorem non ualet. Planè replicatio in casu proposito admittit duplicationem hanc: Nisi pignoris tantùm obligationem testator ei,cuius fidei commisit,acceptam tulerit. quæ duplicatio approbatur d.l.3.§.fin.ff.de leg.3. his uerbis*: Si autem pignus debitori liberauero mortis causa,& eius fidei commisero,nõ potest ualere fideicommissum. *Quartò approbatur replicatio proposita in debitore testatoris,l. si pecunia.76.ff.de leg.2.his uerbis*: Si pecunia apud aliquem deposita, eius fidei commissum fuerit,ut eam pecuniam præstet: fideicõmissum ex rescripto diui Pij debebitur, quasi uideatur hæres rogatus remittere id debitori.nam si conueniatur debitor ab hærede,doli exceptione uti potest: quæres utile fideicommissum facit. quod cum ita se habeat, ab omni debitore fideicommissum relinqui potest. *Vnde Africanus iurisconsultus*: Qui margarita Titio pignori dederat (*inquit*) filium hæredem instituit, & filiam exhæredauit.deinde ita cauit: Te Titi rogo,fideiq; tuæ committo,ut margarita, quæ tibi pignori dedi,uendas: & deducto omni debito tuo, quod amplius erit, id omne filiæ meæ restituas. Ex ea scriptura filiam à fratre fideicommissum petere posse, ut is actiones suas aduersus debitorem ei præstaret. hoc enim casu eum qui creditor fuisset, debitorem intelligẽdum, eius scilicet, quo precium pignoris summã debiti excedat. *l.si seruus.105. §.qui margarita. ff.de leg.1. huius propositi exempli duplicationem uide paulò inferiùs duplic.10. Postremò approbatur replicatio proposita in eo, qui permissu creditoris donantis debitum à debitore est stipulatus: eius enim fidei committere creditor potest. Quod approbatur exemplo l.Seia.10.ff.de dote relegata,his uerbis*: Seia,cum nuberet Lucio Titio, dedit dotis nomine centum aureos: & adhibuit Quintum Mutiũ,qui nihil numerauit:sed dotem stipulatus est,si morte mulieris solutum fuerit matrimoniũ. Seia moriens testamento suo ita cauit: Lucio Titio marito meo, cui maximas gratias ago, dari uolo ultra dotem,quam ei dedi,tot aureos. quæro, cum instituit Quintus Mutius conuenire Lucium Titium ex stipulatu actione,an repellere eum maritus possit ex uerbis testamenti? Respondi: Si Quintus Mutius mandatu Seiæ, non donationis causa stipulatus est, hæredibus mulieris eum teneri, & ideo Quintum Mutium exceptione repellendum esse: quòd si donationis causa Seia stipulari permisisset, uideri eum in eum casum, qui morte mulieris extitit, mortis causa stipulatum, & ideo fidei eius committi potuisse in eum casum dicẽdum fore. *Concordat l.cum pater.79.§.mater. ff.de leg.2. cuius uerba uide ȝ. lib.prox. cap.1. quæst.1. except.16. Ex his quæ hactenus proposita sunt, constat, eum qui à testatore aliquod emolumentum, quamuis non ex testamento,percepit,fideicommisso grauari potuisse: atque ob id replicationem propositã regulariter esse ueram, ipsoq; iure subsistere. Cuius replicationis duplicationes nunc sunt proponendæ. Harum prima hæc est: Nisi rogatus perceperit id quod sibi etiam sine legato, uel alia donatione debetur. Hæc duplicatio approbatur l. si deportati.7.§.fin.ff.de leg.3.his uerbis*: Si quis creditori suo legauerit id quod debet, fidei eius committi non poterit, nisi commodum aliquod ex legato consequatur, fortè exceptionis timore leuatus: uel si quid in diem debitum fuerit,uel sub conditione. *Concordat l.uerbis.5.ubi: quare nec fideicommitti.ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ȝ.lib.34.cap.1.except.17.repl.1. Huius duplicationis exemplum etiam est*: Si quis rem quæ est legatarij,ei leget. *Quod proponitur l.cum quis. 35.in prin.ff.de leg.3.bis uerbis*: Cũ quis decedens Seiæ matri fundum, qui prius matris erat, legauerat,ab ea petijt,ut eundem, cum moreretur,Flauiæ Albinæ coniugi suæ restitueret. post mortem testatoris mater apud magistratum professa est,nihil se aduersus uoluntatem filij sui facturam: paratamq; esse, fundum Flauię Albinæ tradere,si sibi annua bima præstarentur redituum nomine: sed neque possessionem tradidit,neque annua bima accepit. quæsitum est,an fundum iure alij uendere posset? Respondit, Si de iure legati fideique commissi quæreretur, secundum ea quæ proponerentur, necualuisse quod matri suũ legabat,neq; onus fideicõmissi processisse, si modò nihil præterea mater cepisset. *Aliud exemplum est l.cum quis.2. §.uxor igitur.ff.de dote relegata.cuius hæc sunt uerba*: Vxor, si rogetur uel dotem, uel quod pro dote

dote legatum est, uel quod in uicem dotis adscriptum est, restituere: non cogetur,nisi eatenus, quatenus diximus, restituere, &c. *Concordat d.l.2.§.fin.cuius uerba uide ȝ.Item concordat l.1.§.idem Iulianus.ff.eod.tt. cuius uerba uide ȝ.lib. 34.cap.1. except.17. Aliud exemplum proponitur in d.l.2. §.nam & si quis, hisce uerbis*: Si quis, cum à nuru dotem accepisset, filium suum hæredem instituerit,eumq; rogauerit,quidquid ad eum ex hæreditate peruenisset,restituere, mox uxoris morte dotem fuerit lucratus: id non restituet, quod ex dote percepit: quia matrimonij causa id lucratus est, non ex patris iudicio. *Aliud exemplum est: Si à patrono, qui ex debita parte hæres institutus est, sit relictum. quod proponitur l.cum patronus.29.in prin. ff.de leg.2.his uerbis*: Patronus ex debita parte institutus, fideicommissum relictum ab eo præstare non cogitur. *Quæ autem sit debita pars patroni,uide instit.de successione libertorum. Aliud exemplum est: Si à testatoris patre, qui bonorum possessionem accepit,quid sit relictum. nam nec hic fideicommissa præstare compellitur. Quod approbatur l. Paconius ait.3.§.fin.ff.si à parente quis manumissus fuerit,his uerbis*: Si filius emancipatus testamento suo patrem suum præterierit, siue hæredem instituerit, fideicommissa non cogetur pater præstare ex sua parte,quæ ei debetur, etiamsi adierit hæreditatem. Sed etsi filia uel neptis manumissa sit, & pater uel auus præteritus petat bonorum possessionem, eadem quæ & in filio dicenda sunt. *Aliud exemplum est: Si cum hæres rogatus esset uni è familia fundum relinquere, is ei fundum relinquens, rogauerit eum ut fundum extero restituat. Quod exemplũ proponitur l.si unum.69.§.sed etsi fundum.ff.de leg.2. cuius uerba uide ȝ. lib.34.cap.penult. except.4. Aliud demum exemplum est in filio, qui præteritus contra tabulas bonorum possessionem accepit, uel de inofficioso testamento egit. Quod proponitur l.quidam.31. C.de fideicommissis,hisce uerbis*: Quidam filium suum à sacris paternis remisit, & postea testamento condito eum præterijt, nullo ei penitùs relicto,alijs hæredibus derelictis: ipsum autem, quem neque hæredem, neq; exhæredatum fecit, fideicommisso prægrauauit. quærebatur, si utile esset huiusmodi fideicommissum? Tota igitur antiqua dubietate super hoc exposita, nobis in hoc casu placuit,ut emancipatus (utpote iniuria à patre affectus) non compellatur fideicommissum à sua persona relictũ prẽstare: quod etiam in alijs personis,quas exhęredari necesse est,locum habere censemus. *Concordat l.2.ff.de leg.3.ubi Caius*: A filio præterito(*inquit*) licet suus hæres erit, fideicommissum felin qui non potest. *Simile exemplum proponitur in patrono præterito l.alieno.31.§.si patronus.ff.de fideicom.libertatibus, his uerbis*: Si patronus contra tabulas bonorum possessionem acceperit, quia eum præterierit libertus: non cogetur uendere seruum proprium, quem rogatus erat à liberto suo manumittere. *Ex hisce exemplis,quæ hactenus proposita sunt, patet, fideicommissa ab ijs qui suum,& quod sibi debetur perceperũt, relicta non esse præstanda: & propositam duplicationẽ regulariter ueram esse. Cuius duplicationis triplicatio prima hæc est: Nisi rogatus præter debitam portionem & aliud quiddam perceperit. quæ triplicatio approbatur in patrono l.si libertus.42.in prin.ff.de bonis libertorum,his uerbis*: Si libertus patrono, quod ad debitam portionem attinet, satisfaciat, inuito tamen aliquid extorquere conetur,quid statuendum est,quæritur? quid enim, si ex parte debita instituto decẽ præterea legentur, & rogetur seruũ propriũ,qui sit decem uel minoris precij,manumittere? iniquum est,& legatum uelle accipere,& libertatem seruo non dare:sed parte debita accepta,& legato temperare, & libertatẽ imponere non cogi: ne seruum fortè de se malè meritum cogatur manumittere. Quid ergo,si solo hærede eodem instituto, idem libertus petierit? Si substitutum habebit, æquè decreti remedium poterit procedere, ut accepta debita portione,cætera pars ad substitutum perueniat: ita,ut si fortè seruus redimi potuisset,præstaretur libertas. Cessante uerò substitutione,patronum hæreditatem liberti amplectẽtem Prætor,qui de fideicommissis cognoscit,libertatem seruo eum imponere coget. *Concordat l.2.§.fin.ff.de dote relegata.ubi Vlpianus*: Id quidem quod pro dote maritus uxori reliquit,non cogetur restituere,nisi plus sit in eo,quàm in quantitate dotis: residuum uerò, quod præterea illi relictum est, cum fructibus cogetur restituere. habebit igitur præcipuam dotem cum fructibus suis:id uerò quod extrinsecus ei relictum est, cum fructib.qui ad eam peruenerint, restituet. *Concordat item l.1. §.idem Iulianus quærit.ff.eod.tt.cuius uerba uide ȝ.lib.34.cap.1.except. 17. Concordat item l.filiusfam.111.§.1.ff.de leg.1.his uerbis*: Si libertus ab intestato decesserit, à patrono potest usq; ad partem debitam fideicommissum relinquere: quia si testamentũ faceret,licebat ei partem debitam solam relinquere. *Planè si quid præter debitam portionem sub conditione fuerit relictum, fideicommissum quoq; datum conditionale erit. l.si,v.1.44. in prin. ff.eod.tit. Aliud propositæ triplicationis exemplũ est l.si unũ.69. §.sed etsi fundum.ff.de leg.2. cuius uerba uide ȝ.lib.34. cap.15.quæst.1.except.4. Secunda triplicatio est: Nisi rogatus qui debitum percipit, aliquod cõmodum ex eo legato sentiat. Hæc triplicatio approbatur,simul & exẽplis declaratur l.si deportati.7.§.fin.ff.de leg.3.cuius uerba uide ſ. in principio propositæ duplicationis. Huius triplicationis exẽplum citã proponitur l.2.in prin. ff.de*

ff.de dote relegata.ubi Vlpianus: Cum quis uxori suæ(*inquit*)dotem relegauit, fideiq; commissum ab ea reliquit, hoc fideicommissum ex commodo, quod ex relegatione mulier sensit, æstimabitur.& ita Cellsus quoq; lib.XX. Digest.scripsit. Quòd si necessariæ fuerunt impensæ, quæ ipso iure dotē minuunt, amplius dici potest, si tanta quantitas dotis, quantum maritus accepit,ei relegata sit: oportere dici, etiam eam quantitatem posse fideicommisso erogari, quæ ipso iure dotē minuit:esse enim mulierem legatariam,nemo est qui dubitet. *Concordat ead.leg.§.& ideo hæres,his uerbis*: Et hæres instituta,rogataque hæreditatis quantitatem restituere, id demum restituet,quod quantitatem dotis excedit, idq; quod ex repræsentationis commodo sentit. *Concordat item vl.l.2.§.mulier.ibi:saluo eo.cuius uerba uide j.lib.prox.cap.4.de eo quod ad rogat.reg.3. Planè si rem quis debeat ex stipulatu,creditoris,cui rem legauerit, fidei committere nō poterit, licet ex legato commodum sentire uideatur:quòd dominium nāciscitur statim,nec expectet ex stipulatu actionem. fortassis quis dicat & sumptum litis,quem sustineret,si ex stipulatione litigaret,eum lucrariſed nequaquam dicendum est,huius fidei committere me posse.l. si mulier.3.§.si rem.ff.de leg.3. Tertia triplicatio hæc est:Nisi non id quod debetur,sed aliud pro debito fit rogato relictum. Hæc triplicatio reprobatur exemplo dotis, l.2.§.sed etsi non dos.ff.de dote relegata, his uerbis*: Etsi non dos,sed pro dote aliquid uxori fuerit legatum, adhuc quasi dos relegata accipitur. Hocamplius Iulianus scripsit,etsi nō fuerit adiectum pro dote esse legatum: hoc tamen animo relictum,adhuc eius esse conditionis. Vxor igitur,si rogetur uel dotem, uel quod pro dote legatum est,uel quod in uicem dotis sibi adscriptum est, restituere, non cogetur, &c. *Concordat ead. lege §. mulier. cuius uerba uide j.lib.prox.cap.4. de eo quod ad rog. peruenit legato, reg.3. Quarta triplicatio est: Nisi non ei cui debetur, sed seruo eius relictum sit,vtq; fideicommisso sit grauatus. Et hæc triplicatio reprobatur exemplo l.si patronus.45.ff.de bonis libertorum, his uerbis*: Si patronus ex sexta, & seruus eius ex reliqua parte sit hæres institutus, nec ex serui portione fideicommissum debetur:at si seruus duntaxat hæres institutus est, puto nec hic ex debita portione præstandum. *Quinta triplicatio est:Nisi is cui debitum relictum est, promiserit se fideicommissum soluturum.Hæc triplicatio reprobatur l.si patronus.20.in prin. ff.de donat.his uerbis*: Si patronus ex debita parte hæres instituatur, & libertus eius fidei commisit ut quid daret, & hoc stipulanti fideicommissario promiserit: non erit cogendus soluere,ne pars ex legibus uerecundiæ patronali debita minuatur.*Concordat l.cum quis.35.in prin. ff.de legat.3. cuius uerba uide §.in principio propositæ duplicationis. Sexta triplicatio est: Nisi ab intestato succeſſurus erat defuncto rogatus.hoc enim casu,quamuis etiam sine testamento id quod percepit, perceptu-*

rus erat:tamen nihilominus legato grauatur. Quæ triplicatio approbatur per ea quæ proposita sunt §.except.9. Hæc de prima duplicatione, cum suis triplicationibus. Secunda duplicatio hæc est: Nisi grauatus casu fortuito, non iudicio testatoris quid perceperit. Hæc duplicatio approbatur l.sed & si.6.§.fin. ff.de legat.3.his uerbis: Sic fideicommissum dari non poterit,Si Stichus Seij factus iussu eius hæreditatem adierit, rogo det. quoniam qui fortuitò,non iudicio testatoris consequitur hæreditatem uel legatum, non debet onerari:nec recipiendum est,ut cui nihil dederis, eum rogando obliges. *Tertia duplicatio hæc est: Nisi rogatus conditionis implendæ causa perceperit.Hæc duplicatio reprobatur l.quidam.93.§.fin. ff.de leg.1.his uerbis*: Cui statuliber pecuniam dare iussus est, is rogari potest, ut eandem pecuniam alicui restituat. nam cum possit testator codicillis purè libertatem dare, & hoc modo conditionē extinguere, cur non etiam per fideicommissum eandem pecuniam adimendi potestatem habeat? *Quarta duplicatio est: Nisi non ex causa institutionis, sed ex causa legati rogatus percipiat. Hæc duplicatio reprobatur instit.de singulis rebus per fideicomm.relictis, in princ.his uerbis*: Potest tamen quis uel ipsum hæredem rogare, ut alicui restituat, uel legatarium, quamuis à legatario legari non possit. *Vnde Iulianus*: Cum seruus Titio(*inquit*) & eidem seruo aliquid legatur, fideicommitti potest, ut aut seruum alicui restituat, uel ea quæ seruo legata sunt. *l.quæsitum.88.§. cum seruus.ff.de legat.1. Quinta duplicatio hæc est: Nisi rogatus ab intestato succedat. Hæc duplicatio uidetur quidem approbari argumento eorum quæ posita sunt §.dupl.1.in prin. sed reprobatur. de qua re dictum §.except.9. Sexta duplicatio est: Nisi rogatus tantum quantum percepit, conditionis implendæ causa hæredi dare teneatur. Hæc duplicatio approbatur l. ciuitatibus.119.§.fin ff.de legat.1.his uerbis*: Eum cui sub conditione fundus legatus est, si centum hæredi dedisset: si tantum sit in precio fundi, quantum hæredi dare iussus est, non est cogendus legatarius fideicommissum à se relictum præstare: quoniam nihil ex testamento uidetur capere, qui tantum erogat,quantum accipit. *Concordat l.non amplius.26.in prin.ff.de legat.1. cuius uerba uide §.repl.2. Septima duplicatio hæc est:Nisi rogato ita seruus sit legatus,ut eum manumittat.Hæc duplicatio approbatur l.plane.91.§.fin. ff.de legat.1.his uerbis*: Fideicommissum præstare cogēdus ne is quidem est, qui seruum legatum rogatus fuerat manumittere. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est:Nisi uice operarum rogatus sit aliquid dare. quæ tamen triplicatio reprobatur ibid.l.sequente, his uerbis*: Videndum

Videndum est tamen, nunquid si uice operarum rogauerit eum aliquid dare, debeat hoc fideicommissum ualere? quod nequaquam dicendum est: quia nec operæ huiusmodi liberto imponi possunt, nec impositæ exiguntur,quamuis testator ita cauerit. *Altera triplicatio hæc est: Nisi ex die uel sub conditione manumittere sit rogatus. Hæc triplicatio approbatur l. si mulier.3. §. Iulianus. ff.de legat.3. his uerbis*: Iulianus scribit, Si seruus mihi legatus sit, eumque manumittere rogatus sim, fideicommissum à me relinqui non posse, scilicet si purè roger. nam si sub conditione,uel in diem, propter fructum medij temporis posse me obligari, nec Iulianus dubitaret. *Octaua duplicatio hæc est: Nisi res rogato legata perierit. Hæc duplicatio approbatur l.quidam.93.§.si tibi.ff.de legat.1. his uerbis*: Si tibi seruus legatus fuerit, & petitum à te, ut Titio aliquid præstares usque ad precium serui: deinde seruus decesserit, nihil fideicommissi nomine præstare cogendus eris. *Nona duplicatio hæc est: Nisi rogatus id quod ei relictum est, capere nō possit.de hoc uide §.except.19.repl.2. Hæc de 40 exceptione, cum suis replicationibus, & replicationum duplicationibus sint dicta: quanquam duplicationis loco hic etiam annotari potuit j.except.42.*

XLI. *Exceptio: Nisi ab eo cui inutiliter legatum est,fideicommissum sit relictum. Item:Nisi ab eo qui nihil præter suum,uel id quod sibi debebatur percepit,sit relictum.De hisce & aliis similibus exceptionibus uide duplicationes proximè præcedentes.*

XLII. *Exceptio: Nisi ab exhæredati substituto uel legitimo sit relictum. Hæc exceptio approbatur l. cum quidam. 24. C. de legatis, hisce uerbis*: Cum quidam suum filium familiâs impuberem exheredatum fecit, aliis heredibus scriptis, eidem autem pupillo alium substitutum reliquit, maximam scilicet ostendens ad suum filium affectionem, cui nihil quidem emolumenti reliquit,sed post exhæredationis iniuriam etiam substitutionem ei addidit,& à substituto legatum reliquit: quærebatur, si huiusmodi legatum uel fideicommissum potest ualere? Sed etsi legatum eidem exhæredato filio pater reliquerit, & substituerit ei exhæredato facto aliquem extraneum: iterum certabatur, si saltem per eundem modum fideicommissum potest relinquere? Cum igitur antiquitas quidem hoc diuersè tractare maluit, nobis autem huiusmodi iurgia superuacua esse uidentur:sancimus,nullo legato,nullo fideicommisso huiusmodi substitutum, qui exhæredato pupillo datus est, prægrauari: nec si ipsam rem,quam pupillo legauit,à substituto eius uel legare, uel fideicommittere uoluit. *Concordat l.ab exhæredati.125.in prin. ff.de leg.1.ubi Paulus*: Ab exhæredati substituto (*inquit*) inutiliter legatum datur: ergo nec à legitimo exhæredati fideicommissum dari potest:quod & legitimi eo iure præstare coguntur, quasi scripti fuissent. *Concordat item l. planè.91.in prin.ff.de leg.1. his uerbis*: Planè si filium impuberem exhæredauerit, fideicommissum legitimus hæres præstare cogendus non erit,nisi idem & patri hæres fuerit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi exhæredato legatum sit relictum.quæ tamen replicatio reprobatur supradictis uerbis hisce*: Nec si ipsam rem, quam pupillo legauit. *Secunda replicatio hæc est:Nisi substitutus exhæredati,uel legitimus patri quoque hæres existat: tunc enim debetur legatum. quæ replicatio approbatur d.l.91.in prin. ibi:nisi idem & patri hæres fuerit. Concordat l.qui fundum.86.§.qui filios.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis*: Qui filios duos impuberes habebat, alterum hæredem instituit,alterum exhæredauit:deinde exhæredatum instituto substituit,ac postea exhæredato Mæuium, & ab eo legauit: & exhæredatus fratri impuberi extitit hæres, deinde impubes decessit:cùm iudicio patris facultates paternæ per causam hæreditariam ex substitutione ad eum peruenianṭ, potest dici legata ab eo relicta præstanda esse,habita ratione legis Falcidiæ in his bonis, quæ pater mortis tempore reliquerit. Nec huic contrarium est, quòd cùm exhæredato pater legatum dederit, nihilo magis substitutus legatis obligabitur:quia eo casu non hereditatis paternæ portio, sed legatum ad eum peruenit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi non ex iudicio patris, sed alio modo bona paterna ad exhæredatum peruenerint. quæ duplicatio approbatur d.§.qui filios,his uerbis*: Dicet aliquis, Quid ergo, si exhæredatus filius non ex substitutione fratri suo hæres extiterit, sed aut lege,aut per interpositam personam,atque ita impubes decesserit? sic quoque existimandus erit substitutus legata minimè debere: nam quantum interfit, exhæredatus filius ex substitutione fratri suo hæres existat, an alio modo, uel ex eo apparet, quòd aliàs ab eo legare pater potuit, aliàs non potuit. Est igitur rationi congruens,ne plus iuris circa personam substituti testator habeat,quàm habuerat in eo cui eum substituebat. *Concordat l. si pater.101.in prin. ff.de leg.3. his uerbis*: Si pater exhæredato filio substituit hæredem extraneum, deinde ille extraneus hunc filium hæredem instituat,& hæres factus intra pubertatem decedat: puto à substituto ei filio omnino legata præstari non debere: quia non directò, sed per successionem ad filium hæreditas patris peruenit. Plus ego in fratre,qui cum hæres extitisset patri,exhæredatum fratrem hæredem instituit, accepi, substitutum eius legatum,

non debere, ac ne quidem si intestato fratri successerit: quia non principaliter, sed per successionem bona fratris ad eum perueneruntur. *Tertia replicatio est: Nisi miles ab exhæredati substituto legauerit. Hæc replicatio reprobatur l. miles. 41. §. si miles. ff. de militari test. his uerbis*: Si miles exhæredauerit filium, uel sciens eum filium suum esse, silentio præterierit: an legatum à substituto ei dari possit, quæritur? Trypho ninus dixit, nõ posse, licet ampla legata reliquerit.

XLIII. *Exceptio: Nisi à diuersis legatum sit relictũ. Hæc exceptio reprobatur l. quid ergo. 53. §. si quis. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si quis duos hæredes scripserit, & damnauerit unumquemq; solidam rem legatario præstare, idem est atq; si duobus testamentis legatum esset. nam etsi mihi & filio uel seruo meo esset eodem testamẽto legatum, sine dubio ualeret legatum utriusq; ut & Marcellus apud Iulianum adijcit. *De hac lege plura dicentur ĩ. in causa amittendi legati hac, Si res legata ad legatarium peruenerit.*

DE EXCEPTIONIBVS in re legata consistentibus. Cap. V.

HActenus exceptiones aduersus legata, in persona testatoris, legatarij, & eius à quo legatum relictum est consistentes, propositæ sunt: sequitur nunc quartum exceptionum genus, earum scilicet quæ in re legata consistunt.

XLIIII. *Exceptio: Nisi certa res uel summa expressa non sit. Hæc exceptio absq; cuiusquam indignatione iusta est: quoniam quemadmodum nec emptio nec uenditio sine re quæ ueneat, potest intelligi: l. nec emptio. 8. in prin. ff. de contrab. empt. ita quoq; nec legatum, sine re quæ legatur. Vnde Vlpianus*: Si quantitas (*inquit*) non sit adiecta, euidenti ratione nihil debebitur: quia non apparet quantum fuerit legatum. *l. si sic. 47. §. 1. ff. de legat. 1. Huius autem exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi res sit expressa, in quam legatum sit erogandum. quæ replicatio approbatur exemplo l. quædam. 30. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 7. reg. 1. Secunda replicatio hæc est: Nisi ita legatum sit: Quantum in codicillis Titio legauero, uel quantum ei per epistolam scripsero. Hæc replicatio approbatur l. si ita. 77. ff. de cõdit. & demonst. his uerbis*: Si ita scripsero, Quantum codicillis Titio legauero: licet codicillis legatum explicetur, tamen ex testamento ualet sola quantitas, quæ in codicillis delata est. Nam & apud ueteres legata talia fuerunt: Quantum ei per epistolam scripsero, quantum ex illa actione detraxero, hæres dato. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testator postea nihil in codicillis demonstrauerit. quæ duplicatio approbatur quidem ipso iure, recipit tamen triplicationem l. cum pater. 79. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis*: Vicos ciuitati relictos, qui proprios fines habebant, ex causa fideicommissi non ideo minus deberi placuit, quòd testator fines eorum significaturum, & certaminis formã, quam celebrari singulis annis uoluit, alia scriptura se declaraturum promisit, ac postea morte præuentus non fecit. *Tertia replicatio est: Nisi genus uel optio sit relicta. de qua re dicetur ĩ. lib. 34. cap. 11. Quarta replicatio est: Nisi testator scripserit, se tertio cuidam, puta Polliano, indicasse, quantam partem uellet legatam. Quæ replicatio approbatur l. Theop. 14. ff. de dote relegata, his uerbis*: Theopompus, &c. *Plura ad hanc exceptionem pertimentia uide ĩ. lib. prox. cap. 7. regula 1.*

XLV. *Exceptio: Nisi res quæ legata est, nulla sit, uel non inueniatur. Hæc exceptio approbatur l. cum ita. 33. §. species. ff. de leg. 2. his uerbis*: Species nominatim legatæ, si non reperiantur, nec dolo hæredis deesse probentur, peri ex eodem testamento non possunt. *Hunc pertimet quod Vlpianus ait*: Si mihi quod Titius debet, fuerit legatum, neq; Titius debeat: sciendum est, nullum esse legatum. Et quidem si quantitas non sit adiecta, euidenti ratione nihil debebitur: quia non apparet quantum fuerit legatum. Nam etsi quod ego Titio debeo, ei legauero, quantitate non adiecta: constat nullum esse legatum. *l. si sic. 74. §. 1. ff. de leg. 1. Concordat l. legaui. 25. §. contrà autem. ff. de liberatione legata. l. si non. 2. & l. refert. 5. C. de falsa causa adiecta. Papinianus quoq;*: Hæres meus (*inquit*) Titio dato quod mihi Seius pupillus debet. Si Seius pupillus sine tutoris authoritate numos accepisset, nec locupletior factus esset, & petitor ad præsens debitum uerba retulisset: quia nihil ei debet, nullius momenti legatũ erit. *l. cum illud. 25. §. hæres. ff. quando dies legat. ced. Planè subijcit Iurisc.* Quòd si uerbo debiti naturalem obligationem & futuram solutionem cogitauit, interim nihil Titius petet, quasi tacitè conditio inserta sit. non secus, acsi ita dixisset: Titio dato quod pupillus soluerit. uel si legasset quod ex fructibus natum erit, uel fructus qui in illo fundo nascerentur. Contrarium non est, quòd si medio tempore legatarius moriatur, & postea partus edatur, fructus proueniant, pupillus pecuniam exoluat hęres legatarij petitionem habet. nanque dies legati, cui conditio non adscribitur, quamuis extrinsecus expectanda sit, cedit. *Ex his uerbis prima aduersus exceptionem propositam replicatio constat, talis scilicet: Nisi aliquando res existere posit. de qua ĩ. excepta proxima dicetur. Ait Iurisconsultus*: Contrarium non est, &c. *Præoccupat id quod obijci potuit. de qua re dicetur ĩ. lib. prox. cap. 3. in prin. Secunda replicatio est: Nisi id quod debet legauerit, certa quantitate adiecta: tunc enim utile est legatum, quamuis nihil debeat. Hæc replicatio approbatur l. si sic. 74. §. 1. ibi: cum si decem. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si decem, quæ Titio

Titio debeam, legauero, nec quicquam Titio debeam, falsa demonstratio nõ perimit legatum: ut in legato dotis Iulianus respondit. *Concordat item Inst. de legatis. §. sed si uxori. ibi: sed si quam. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. capite 10. quæst. 1. except. 1. Concordat item l. cum quidam. 21. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. cap. proxim. except. 74. in prin. Concordat item l. Lucius. 90. §. quisquis. ff. eod. tt. his uerbis*: Quisquis mihi hæres erit, fundat me debere Demetrio patruo meo denariũm tria milia, & deposita apud me à Seleuco patruo meo denariũm tria milia, quæ etiam protinus reddi ac solui ei iubeo. Quæsitum est, an se non, &c. *Concordat item l. 2. C. de falsa causa adiecta legato. cuius uerba uide ĩ. except. 70. Concordat item l. si non. 3. C. eod. tt. his uerbis*: Si non designata certa quantitate, &c. *Concordat denique l. refert. 5. C. eod. tt. cuius uerba uide d. except. 70. Planè si quis legauerit id quod sibi debetur, nihilq; ei debeatur: quamuis certam quantitatem adiecerit, tamen legatum non ualet: quod primæ duplicationis loco notandum. quæ duplicatio approbatur d. l. si sic. 74. §. si mihi. ff. de leg. 1. his uerbis*: Quòd si addiderit, Decem quę mihi Titius debet, lego: sine dubio nihil erit in legato. nam inter falsam demonstrationem & falsam conditionem siue causam multum interest. Proinde etsi Titio decem, quæ mihi Seius debet, legauero, nullum erit legatum: esse enim debitor debet. nam etsi uiuus exegisset, extingueretur legatum: & si debitor maneret, actiones aduersus eũ hæres meus duntaxat præstare cogeretur. *Concordat l. legaui. 25. in prin. ibi: quòd si nihil. ff. de liberatione legata. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 13. quæst. 1. except. 3. repl. 2. Secunda duplicatio hæc est: Nisi quis id quod non debebat, ignorans tanquam debitum, non legandi animo legauerit. Hæc duplicatio approbatur l. qui uxori. 19. in prin. ff. de auro argento legato, his uerbis*: Qui uxori suæ legauerat bonorum suorum decimam, & mancipia, & species argenti quas expresserat, eidem annulos & uestem reddi ab hæredibus petit, quasi propria uxoris fuissent. quæsitum est, si uxoris non fuerint, an præstari ex causa legati deberent? Respondit, legandi animo dedisse ea uideri, nisi contrarium ab hęrede probetur. *Tertia duplicatio: Nisi legatarius tanquã debitum petens succubuerit. Hæc duplicatio reprobatur l. Lucius. 91. §. Semproniæ. ff. de legat. 3. his uerbis*: Semproniæ mulieri meę reddi iubeo ab hęredibus meis centum aureos, quos mutuo acceperam. quæsitum est, si hanc pecuniam ut debitam Sempronia petens uicta sit, an fideicommissum peti possit? respondi, secundum ea quæ proponerentur, posse ex causa fideicommissi peti, quod apparuisset non fuisse ex alia causa debitum. *Concordat l. Aurelius. 28. §. fin. ff. de liberat. legata. cuius uerba uide ĩ. except. 54. replicat. 5. Quartæ duplicationis loco notandum, quòd replicatio proposita tantùm locum habeat in eo quod debet legato: in alijs autem non facilè admittatur, nisi corpus certum exeat falsa demonstratione legatum. Nec enim si ita legatum sit, Decem quæ in arca sunt: legatum utile est, si nihil in arca inueniatur, quamuis certa quantitas adiecta sit. de quo ĩ. replic. ultim. Quinta duplicatio est: Nisi dominus seruo legauerit, quod ei debet. Hæc duplicatio reprobatur l. quibus dieb. 39. §. dominus. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis*: Dominus seruo aureos quinque sic legauerat, Hæres meus Stichoseruo meo, quem testamento liberum esse iussi, aureos quinque, quos in tabulis debeo, dato: nihil seruo legatum esse, Namusa Seruium respondisse scribit: quia dominus seruo nihil debere potuisset. Ego puto, secundum mentem testatoris naturale magis, quàm ciuile debitum spectandum esse. Et eo iure utimur. *Tertia replicatio est: Nisi non species, sed genus legatum sit. tunc enim, quamuis nihil eiusmodi in hæreditate defuncti inueniatur, nihilominus legatum ualet. Quæ replicatio approbatur l. cũ ita. 33. §. species. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. in principio exceptionis propositæ. Dicit autem ibi Iurisconsultus*: Species nominatim legatæ, &c. *Ergo si non species, sed genus legatum sit, propositæ exceptioni locus non est. Huius exemplum proponitur l. si cui. 3. in prin. ff. de tritico, uino legato, his uerbis*: Si cui uinum sit legatum centum amphorarum, cum nullum uinum reliquisset, uinum hæredem empturum, & præstaturum, non acetum, quod uini numero fuit. *Vnde & Paulus*: Si pecunia legata (*inquit*) in bonis legantis non sit, soluendo tamen hæreditas sit: hæres pecuniam legatam dare compellitur, siue de suo, siue ex uenditione rerum hæreditariarum, siue unde uoluerit. *l. si pecunia. 12. in prin. ff. de leg. 2. Concordat l. hæredes. 25. §. fin. cum l. sequente. ff. familiæ erciscundæ. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 2. reg. 1. except. 1. repl. 4. dupl. 1. Huius replicationis prima duplicatio hæc est: Nisi res immobilis generaliter sit legata. Quæ duplicatio approbatur exemplo domus, l. si domus. 70. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si domus alicui simpliciter sit legata, neq; adiectum sit quæ domus, cogentur hæredes quam domum uolent ex his quas testator habebat, legatario dare: quòd si nullas ædes reliquerit, magis derisorium est, quàm utile legatum. *Planè hæc lex duplici modo legitur: alterã lecturam uide ĩ. lib. 34. cap. 11. except. 2. Secunda duplicatio est: Nisi electio sit relicta. Quæ duplicatio approbatur l. si ita. 64. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si ita legatum sit, Seio seruos decem do, præter eos decem quos Titio legaui: siquidem decem tantùm inueniantur in hæreditate, inutile est legatum: si uerò ampliores post eos quos Titius elegit, in cęteris ualet legatum, sed non in ampliores quàm decem qui legati sunt: quòd si minus, in tantos, quanti inue-

nianctur. *Quarta replicatio hæc est: Nisi aliquid ex eo quod legatum est, inueniatur: id enim ex causa legati debetur.* Quæ replicatio approbatur *l. si quis seruũ. 8. §. si quis legauerit. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si quis legauerit ex illo dolio amphoras decem: etsi non decem, sed pauciores inueniri possint, non extinguitur legatum: sed hoc tantummodò accipit, quod inuenitur. *De hac replicatione plura uide ĩ. cap. 11. causa 31. exc. 8. Hæc de 45 exceptione. Sed & plura ad eam pertinentia uide ĩ. exc. 70. de falsa demonstratione: item ĩ. lib. 34. cap. 5. memb. 2. specie 2.*

XLVI. *Exceptio: Nisi res legata in rerum natura non sit. Hæc exceptio cùm per se constet, tum approbatur etiã l. si seruus. 105. §. qui quinq;. ibi: ut uerò quinq;. ff. de leg. 1. his uerbis:* Qui quinq; in arca habebat, ita legauit, uel stipulanti promisit, Decẽ quæ in arca habeo: & legatum & stipulatio ualebit, ita tamen, ut sola quinq; uel ex testamento, uel ex stipulatione debeantur: ut ue rò quinq; quæ deerunt ex testamento peti possint, uix ratio patitur. nam quodammodò certum corpus, quod in rerum natura nõ sit, legatum uidetur. *Eius autem exemplum proponitur l. quidam. 7. §. fin. ff. de tritico legato, his uerbis:* Lucio Titio tritici modios centum, qui singuli pondo centum pendeant, hæres dato. Ofilius nihil legatum esse (quod etiam Labeo probat) quoniam eiusmodi triticum in rerum natura non esset: quod uerum puto. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi aliquãdo res existere possit, ut fructus futuri, &c. Hæc replicatio approbatur Institut. de leg. §. ea quoq; res, his uerbis:* Ea quoq; res, quæ in rerum natura nõ est, si modò futura est, rectè legatur: ueluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit. *Concordat l. quod in rerũ. 24. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Quod in rerum natura adhuc non sit, legari posse, ueluti, Quidquid illa ancilla peperisset, constitit: uel ita, Ex uino quod in fundo meo nasciturũ est, uel fœtu, tantum dato. *Concordat item l. etiam. 17. ff. de leg. 3. ubi Martianus:* Etiam ea quæ futura sunt (*inquit*) legari possunt, ut insula, uel in mari, uel in fluminibus nata. *Huius loci est quod idem Martianus ait:* Hæres testatoris (*inquiens*) legata, quæ in profundo esse dicũtur, quando cunq; apparuerint præstat. *l. hæres. 15. ff. de leg. 3.*

XLVII. *Exceptio: Nisi res cuius commercium nõ est, sit legata. Hæc exceptio approbatur Instit. de leg. §. non solùm, his uerbis:* Si talis sit res, cuius commercium non est, uel ădipisci non potest, nec æstimatio eius debetur: ueluti si campum Martium, uel basilicas, uel templa, uel quæ publico usui destinata sunt, legauerit. nam nullius momenti tale legatum est. *Concordat l. cum seruus. 39. §. fin. ff. de leg. 1. ubi* Paulus Iurisconsultus: Si Salustianos hortos (*inquit*) qui sunt Augusti, uel fundum Albanum, qui principalibus usib. deseruit, legauerit quis, furiosi est talia legata testamento adscribere. Item campum Martium, aut forum Romanum, uel ædem sacram legari non posse constat. Sed & ea prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonij redacta sub procuratore patrimonij sunt, si legentur, nec æstimatio eorum debet præstari: quoniam commercium eorum, nisi iussu principis, non est, cùm distrahi non soleant. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi legatarius rei legatæ commercium habere non possit, alius possit. Quæ replicatio approbatur l. sed si res. 40. ff. de leg. 1. his uerbis:* Sed si res aliena, cuius commercium legatarius non habet, ei cui ius possidendi non est, per fideicommissum relinquatur: puto æstimationem deberi. *Concordat l. filiusfamilias. 111. §. si quid alicui. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. exceptione. 19. repl. 1. ubi etiam propositæ replicationis duplicatio proponitur. Sed & alia eius duplicatio hæc est: Nisi ob delictum legatarius rei legatæ commercium non habeat. Quæ duplicatio approbatur l. mortuo boue. 50. §. Labeo. ff. de leg. 2. his uerbis:* Labeo refert, agrum, cuius commercium non habes, legari tibi posse, Trebatium respondisse: quod meritò Priscus Fulcinius falsum esse aiebat. *Sed & approbatur duplicatio hæc per ea quæ dicta sunt ĩ. except. 19. ad quam exceptionem etiam pertinet. Alia propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi is à quo legatum est, eius rei commercium non habeat, alius habeat. Hæc replicatio approbatur d. §. Labeo, in fine. de qua re uide ĩ. except. 19. repl. 2. Tertia replicatio hæc est: Nisi quis ius quod in re sacra uel religiosa habet, legauerit. Hæc replicatio approbatur exẽplo l. monumenta. 14. C. de legatis, his uerbis:* Monumenta quidem legari non posse, manifestũ est: ius autem mortuum inferendi legare, nemo prohibetur.

XLVIII. *Exceptio: Nisi res hostium, uel quæ apud hostes est, sit legata. Hæc exceptio reprobatur l. seruus. 95. ff. de leg. 1. his uerbis:* Seruus ab hostibus captus rectè legatur, hoc enim iure post liminij fit. quemadmodum enim hæredem instituere possumus seruum, qui in hostium potestate est: ita legare eum quoque possumus. *Concordat l. id quod. 9. ff. de leg. 1. his uerbis:* Id quod apud hostes est, legari posse Octauenus scripsit, & postliminij iure consistere. *Cõcordat item l. ab omnib. 101. §. etiam. ff. eod. tt. his uerbis:* Etiam rem hostiũ posse legari, Sabinus ait, si aliquo casu emi possit.

XLIX. *Exceptio: Nisi res aliena sit legata. Hæc exceptio reprobatur inst. de leg. §. nõ solùm, his uerbis:* Non solùm testatoris uel hæredis res, sed etiam aliena legari potest, ita ut hæres cogatur redimere eam, & præstare: uel si eam nõ potest redimere, æstimationem eius dare. *Concordat Inst. de singulis reb. per fideic. rel. §. potest autem, his uerbis:* Potest nõ solùm proprias res testator

testator per fideicommissum relinquere, sed & hæredis aut legatarij, aut fideicommissarij, aut cuiuslibet alterius. Itaq; & legatarius & fideicommissarius non solùm de ea re rogari potest, ut eam alicui restituat, quę ei relicta sit, sed etiam de alia, siue ipsius, siue aliena sit. *Concordat item l. cum alienam. 10. C. de legatis. cuius uerba uide ĩ. distinct. 3. repl. 1. Planè ius quo proposita exceptio reprobatur, recipit quasdã distinctiones, quarum prima hæc est: Nisi dominus rem uendere nolit. Quæ tamẽ distinctio reprobatur supradictis uerbis hisce:* Vel si eam non potest redimere, æstimationem eius dare. *Concordat l. non dubium. 14. §. fin. ff. de leg. 3. ubi Caius:* Sed etsi cui legatum relictum est (*inquit*) ut alienam rem redimat, uel præstet: si redimere nõ possit, quòd dominus id nõ uendat, uel immodico precio uendat, iustam æstimationem inferet. *Concordat item l. qui concubinam. 29. §. fin. ff. eod. tit. ubi ita dicitur:* Si ædes alienas ut dares damnatus fis, neq; eas ulla conditione emere possis, æstimare iudicem oportere, Ateius scribit, quanti ædes sint, ut precio soluto hæres liberetur. Idem iuris est, & si cùm potuisses emere, non emeris. *Secunda distinctio hæc est: Nisi res Cæsaris sit, uel alia cuius commercium non est. Hæc distinctio approbatur l. cum seruus. 39. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Constat etiam res alienas legari posse, utiq; si parari possint, etiãsi difficilis earum paratio sit, &c. *De hac distinctione uide ĩ. except. 47. Tertia distinctio, qua exceptio proposita admittitur, hæc est: Nisi testator rem suam esse putauit, uel alienam esse ignorauit. Quæ distinctio approbatur Institut. de legatis. §. quod autem dix. his uerbis:* Quod diximus, alienam rem posse legari, ita intelligendum est, si defunctus sciebat alienam rem esse, non si ignorabat: forsitan enim, si sciuisset alienam rem esse, non legasset. & ita diuus Pius rescripsit. Et uerius est, ipsum qui agit, id est legatarium, probare oportere sciuisse alienam rem legare defunctum, non hæredem probare oportere ignorasse alienam: quia semper necessitas probandi incumbit ei qui agit. *Concordat l. si unum. 69. §. si rem tuam. ibi: nam succursum. ff. de leg. 2. cuius uerba uide paulò ĩ. repl. 2. Huius distinctionis replicatio prima hæc est: Nisi cognato, uel uxori defuncti legatum sit relictum. Hæc replicatio approbatur l. cum alienam. 10. C. de legatis, hisce uerbis:* Cum alienam rem quis reliquerit, si quidem sciens, tam ex legato, quàm ex fideicommisso, ab eo qui legatum seu fideicommissum meruit, peti potest. Quòd si suam esse putauit, non aliter ualet relictum, nisi proximæ personæ, uel uxori, uel alij personæ datum sit, cui legaturus esset, etsi sciisset rem alienam esse. *Concordat l. Quintus. 11. in fine. ff. de auro, argento & mundo legato. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 4. de ijs quæ alicuius causa, reg. 2. except. 4. Secũda replicatio hæc est: Nisi rem hæredis quasi suam testator leget. Hæc replicatio approbatur l. si unum. 69. §. si rem. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si rem tuam, quam existimabam meam, te hærede instituto, Titio legem, non est Neratij Prisci sententiæ, nec constitutioni locus, qua cauetur, non cogendum præstare legatum hæredem. nam succursum est hæredibus, ne cogantur redimere, quod testator suum existimans reliquit. sunt enim magis in legandis suis rebus, quàm in alienis comparandis, & onerandis hæredibus faciliores uoluntates: quod in hac specie non euenit, cum dominium rei sit apud hæredem. *Tertia replicatio est: Nisi postea res legata testatoris sit facta. Hæc replicatio approbatur exemplo castrensis peculij, l. seruum. 44. in prin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide paulò ĩ. distinct. 6. Quarta replicatio est: Nisi legatarius rem usucauerit. Quæ replicatio approbatur l. Sticho. 36. in prin. ff. de usufr. leg. cuius uerba uide ĩ. in fine capitis sequentis. Quarta distinctio hæc est: Nisi maritus fundum dotalẽ legauerit. Hæc distinctio approbatur l. dotalem. 16. ff. de militari testamento, his uerbis:* Dotalem fundum si legauerit miles, non erit ratum legatum propter legem Iuliam. *Quinta distinctio est: Nisi fructuarius rem, cuius habet usumfructum, legauerit. Quæ distinctio approbatur l. uxor. 20. C. de leg. hisce uerbis:* Vxor patrui tui, si testata decesserit, res tuas, tantùm usumfructum earum habens, non potuit legare. *Concordat l. quod in. 24. §. si usumfructum. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si usumfructum habeam, eumque legauerim: nisi postea proprietatem eius nactus sim, inutile legatum est. *Sexta distinctio hæc est: Nisi pater rem filij castrensis peculij legauerit. Quæ distinctio reprobatur quidem, sed sub conditione hac: Si mortuo filio peculium apud patrem remanserit. l. seruum. 44. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Seruum filij sui castrensis peculij legare pater potest: & si uiuo patre mortuus sit filius, & apud patrem peculium remanserit, constitit legatum: cum enim filius iure suo non utitur, retrò creditur pater dominium in seruo peculiari habuisse. *Concordat item l. proponebatur. 9. §. idem referebam. ff. de castrensi peculio, ubi Iurisconsultus:* Idem referebam (*inquit*) etsi rem peculiarem filij pater legauerit: nam eodem casu quo libertatem competere diximus, legatum quoque uel debebitur, uel impedietur. *Septima distinctio est: Nisi seruus alienus hæres institutus legetur. Hæc distinctio approbatur l. legatum. 113. §. alienus. ff. de leg. 1. his uerbis:* Alienus seruus hæres institutus legari ipse à se nec totus, nec pro parte potest. *Octaua distinctio est: Nisi hæredis uel legatarij res ab eo relinquatur. Hæc distinctio reprobatur Inst. de sing. reb. per fid. rel. §. 1. cuius uerba uide ĩ. ead. except. in prin. Concordat Inst. de legatis. §. non solùm. cuius uerba itidem uide ĩ. ead. except. in prin. Concordat item l. hæredum.*

dum.25.C.de fideicommiſſis, his uerbis: Hæredum etiam res proprias per fideicommiſſum relinqui poſſe, non ambigitur. *Nona diſtinctio eſt*: *Niſi res legatarij ei legetur.* *De hac re uide ĵ. except.53.*

L. *Exceptio: Niſi res alij obligata legata ſit. Hæc exceptio reprobatur Inſt. de legatis. §. ſed & ſi rem, his uerbis*: Si rem obligatam creditori, aliquis legauerit, neceſſe habet hæres eam luere. *Plura de hac re uide ĵ.lib.prox.cap.3.reg.3. Sanè ſi quis eum cui prædium debet, in compenſationem debiti hæredem inſtituit, & ab eo prædium iſtud alij legauit: quamuis is hæreditatem repudiauerit, tamen nihilominus prædij legatum alij debetur. l.cum pater.79. §.cum pater. ff. de leg.2. cuius uerba uide ĵ. cap.10. cauſa 42. exemplo 1.*

L I. *Exceptio: Niſi rem litigioſam legauit. Hæc exceptio reprobatur l. cenſemus.4. §. fin. C. de litigioſis, hiſce uerbis*: Exceptis uidelicet huius ſanctionis diſpoſitione ijs, qui uel per legati uel fideicommiſi cauſam tales res uel actiones dederint uel acceperint. *Planè hoc caſu non tranſfertur iudicium in legatarium, ſed precium rei ab hærede ei ſoluendum: quod diſtinctionis loco notandum. quæ diſtinctio approbatur l.quicunq;.3. C. eod.tt. his uerbis*: Quicunque rem litigioſam, uel ambiguum chirographum, quodlibet deniq; mobile ſiue immobile fiſco noſtro, uel potentiori, ſeu alijs perſonis in teſtamento ſiue in codicillo legauerit, fideiue commiſerit, aut per hæreditatem reliquerit: nullam fiſcus noſter uel alia perſona licentiam habeat iurgiorum, neciudicium ſubeat: ſed æſtimatio eius litis ineatur, præſtanda ijs, quibus actiones uel res litigioſæ relictæ ſunt: eandemq; litem ipſi hæredes peragant, ſuarum actionum periculo ea quæ litigioſa fuerant relicta, uindicantes. Quod & de chirographis placet, ut hæredes relictorum fiſco uel alijs perſonis præſentem pecuniam numerent, & iudicio eos quos obnoxios exiſtimant, perſequantur. *Planè diſtinctio hæc corrigitur per Nouell.cõſt.112.§.illud quoq;, ubi & alia propoſitæ exceptionis diſtinctio introducitur, talis ſcilicet: Niſi hæres teſtatoris in iudicio ſuccubuerit: tunc enim nihil debetur. uerba eius hæc ſunt*: Illud per præſentem legem noſtram ſancimus, ut ſi quempiam ex ijs qui de talibus litigant, cùm humanis excedit, contingat aliquid rerum, quarũ de dominio mouetur controuerſia, perulti mam uoluntatem legati nomine relinquere: ſiquidem hæres iudiciaria ſententia earum dominus comprobatus fuerit, tunc legatarius omnibus modis id quod ipſi relictum eſt, ferat. Sin hæres in iudicio deteriorem ſententiam reportauerit; locum legatarius ad alteram rem pro eodem legato ab hærede exigendam non habet: quando quidem teſtator, qui litigioſam rem eſſe nouit, litis euentum legatario reliquerit. Vnde licentiam damus legatario, ut ſi hoc ſibi expedire putauerit, ſocium ſe in litem addat, ne quam fortè negligentiam poſtea aut proditionem poſsit hæredi opponere.

L II. *Exceptio: Niſi rem alij debitam legauit. Hæc exceptio reprobatur l. qui fundum. 32. in fine. ff. locati & conducti, his uerbis*: Qui fundum colendum in plures annos locauerat, deceſsit, & eum fundum legauit. ſi colonus uellet colere, & ab eo cui legatus eſſet fundus, prohiberetur: cum hærede actionem habere colonum, & hoc detrimentum ad hæredem pertinere: ſicuti ſi quis rem quam uendidiſſet, necdum tradidiſſet, alij legaſſet, hæres eius emptori & legatario eſſet obligatus. *Sanè ſi rem alij legatam teſtator poſtea alij legauerit, prius legatum uidetur ademptum, & poſterius debetur. de qua re ĵ. dicetur.*

L III. *Exceptio: Niſi res legatarij ei ſit legata. Hæc exceptio approbatur Inſt. de leg. §. ſed ſi rẽ, his uerbis*: Si rem legatarij quis ei legauerit, inutile eſt legatum: quia quod proprium eſt ipſius, amplius eius fieri non poteſt: & licet alienauerit eam, non debetur nec ipſa res, nec æſtimatio eius. *Concordat l. Mæuius.68. §. duorum, in fin. ff. de leg.2. cuius uerba uide ĵ. cap.11. cauſa 57. exc.5. Item concordat d.l.68. §. fundo, in fine. cuius uerba uide ĵ. repl.7. Cõcordat item l. cum quis.35. in prin. ff. de leg.3. cuius uerba uide* 5. *exc.40. repl.12. dupl.1. Concordat item l. proprias.13. C. de legatis, his uerbis*: Proprias tuas res legari uel fideicommitti tibi nõ potuiſſe, manifeſtum eſt. *Ait Imp.* Et licet alienauerit eam, non debetur, &c. *Hiſce uerbis reprobatur prima aduerſus exceptionem propoſitam replicatio, hæc ſcilicet: Niſi legatarius rem alienauerit. Concordat l. cætera.41. §. tractari. ibi: quemadmodum. ff. de leg.1. cuius uerba uide ĵ. exc.65. repl.1. Contradicit l.1. in fin. ff. de regula Catoniana. ubi Celſus* I.C. Si tibi legatus eſt fundus, qui ſcribendi teſtamenti tempore tuus eſt, ſi eum uiuo teſtatore alienaueris, legatum tibi debetur: quod non debetur, ſi teſtator ſtatim deceſsiſſet. *Secunda replicatio hæc eſt: Niſi ſub conditione ſit legata. Hæc replicatio approbatur l. mea res. 96. ff. de cond. & demon. his uerbis*: Mea res ſub cõditione legari mihi poteſt: quia in huiuſmodi legatis non teſtamẽti facti tempus, ſed conditionis expletæ ſpectari oportet. *Concordat l. cætera.41. §. tractari. ibi: ſed ſi ſub. ff. de leg.1. ubi Paulus*: Sed ſi ſub cõditione legetur, poterit legatum ualere, ſi exiſtentis conditionis tempore mea non ſit, ſecundum eos qui & emi rem meam ſub conditione, & promitti mihi ſtipulanti, & legari poſſe aiunt. *Tertia replicatio hæc eſt: Niſi ita legatũ ſit, Quandocunq; res eius non erit. Hæc replicatio approbatur l. hæredem.18. ff. de leg.2. his uerbis*: Hæredem meũ ita tibi obligare poſſum, ut ſi quãdoq;, cũ ego moriar, tuus ſeruus Stichus nõ erit, dare eum tibi dãnas ſit. *Quarta replicatio eſt: Niſi emptor uẽditori rem emptam nondum traditã legauerit. Hæc replicatio approbatur l. cũ ſeruus.39. §. ſi Titius. ff. de leg.1. his uerbis*: Si Titius rem à me emiſſet, & eandem mihi legaſſet, antequã ei traderẽ: mox ei tradidero, & preciũ recepero: uidetur quidẽ is prima facie rẽ mihi meã legaſſe, & ideo legatũ non cõſiſtere: ſed ex empto actione liberatus utiq; per legatũ rẽ uendicare potero, quã tradidit. Sed ſi nondũ erat ſolutũ mihi preciũ, Iulianus ſcribit, ex uendito quidẽ me acturum, ut preciũ cõſequar: ex teſtamento uerò, ut rem quã uendidi & tradidi, recipiam. Idem ſubiungit, Si preciũ quidem mihi erat ſolutum, rem autẽ nondum tradideram, ex teſtamẽto me agẽtem liberationem conſequi. *Quinta replicatio eſt: Niſi res pignori alij ſit obligata. Hæc replicatio approbatur l. ſi tibi.83. in prin. ff. de leg.1. his uerbis*: Si tibi homo, quem pignori dederas, legatus ab alio fuerit: actionem ex teſtamento habebis aduerſus hæredem, ut pignus luatur. *Sexta replicatio eſt: Niſi teſtator aliquod ius in re habuit. Hæc replicatio approbatur l. ſi domus.70. §. fin. ff. de leg.1. his uerbis*: Si fundus municipum uectigalis ipſis municipibus ſit legatus, an legatũ conſtat petiq; poſsit, uideamus? & Iul. lib.33. Digeſtorum ſcribit, Quamuis fundus uectigalis municipum ſit, attamen quia aliquod ius in eo is qui legauit habet, ualere legatum. *Cõcordat l. ſi tibi.83. §. fin. ff. eod.tt. ubi Iulianus*: Valet legatum (*inquit*) ſi ſuperficies legata ſit ei cuius in ſolo fuerit, licet is dominus ſoli ſit. nã conſequetur ut hac ſeruitute liberetur, & ſuperficiẽ lucrifaciat. *Concordat item l. 1. ff. de lib. leg. cuius hæc ſunt uerba*: Omnibus debitoribus ea quæ debẽt etiam rectè legantur, licet domini eorum ſint. Iulianus ſcripſit, Si res pignori data legetur debitori à creditore, ualere legatum, & habere eum actionem, ut pignus recipiat, priuſquam pecuniam ſoluat. Sic autẽ loquitur Iulianus, quaſi debitũ non debeat lucrari: ſed ſi alia teſtãtis uoluntas fuit, & ad hoc perueniretur exemplo luitionis. *Septima replicatio hæc eſt: Niſi alius ius aliquod in re legata habeat. Hæc replicat. reprobatur l. Mæuius.68. §. pen. ff. de leg.2. his uerbis*: Fũdo legato, ſi uſusfructus alienus ſit, nihilominus petendus eſt ab hærede, &c. Si autem res mea mihi legetur, legatum propter iſtas cauſas non ualebit. *Planè admittitur replicatio propoſita, ſi res legata alij ſit obligata pignori. de quo paulò* 5. *repl.5. eſt dictum. Octaua replicatio eſt: Niſi res alicuius ſeruo eius legetur. Hæc replicatio approbatur l. debitor.84. §. fin. ff. de leg.2. his uerbis*: Seruo alieno poſſe rem domini legari, Valens ſcribit, item id quod domino eius purè debetur, &c. *Et paulo pòſt in fine*: Non mirum, ſi res domini, & quod ei debetur, ſeruo eius purè legari poſsint, quamuis dominus eius utiliter legari non poſſent. *Nona replicatio: Niſi liberatio debitori legetur. Approbatur hæc replicatio l. 1. in prin. ff. de lib. leg. cuius uerba uide ĵ. lib.34. cap.13. in prin.*

L IIII. *Exceptio: Niſi debitum creditori ſit legatũ. Hæc exceptio approbatur Inſtit. de leg. §. ex contrario, his uerbis*: Si debitor creditori ſuo quod debet legauerit, inutile eſt legatũ, ſi nihil plus eſt in legato, quàm in debito: quia nihil amplius per legatum habet. *Concordat l. ſi autem. 29. ff. de leg.1. his uerbis*: Si neq; modo, neq; tempore, neq; conditione, neq; loco debitum differatur: inutile eſt legatum. *Concordat item l. legaui.25. §. contra autem. ff. de liber. legat. his uerbis*: Si debitor creditori leget, nullam utilitatẽ uideo, ſi ſine quantitate legauerit. Sed etſi id demonſtraret, quod debere ſe cõfitetur: nulla utilitas eſt, niſi in his ſpeciebus, in quibus emolumẽtum debiti ampliatur. Quòd ſi centum aureos, quos ſe debere dixit, legauit: ſiquidem debet, inutile eſt legatũ. Quòd ſi non fuit debitor, placuit utile eſſe legatũ. Certa enim nummorum quantitas ſimilis eſt Stichо legato cum demõſtratione falſa. Idque & diuus Pius reſcripſit, certa pecunia dotis nomine accepta legata. *Concordat item l. cum pater.29. in prin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ĵ. cap. prox. except.91. Concordat item l. Aurelius. 28. §. fin. ff. de liber. legata, his uerbis*: Quidã ita legauit, Semproniæ uxori meæ reddi iubeo ab hæredibus meis quinquaginta, ea quæ mutuò acceperã chirographo particulatim in mea negocia. quæſitum eſt, an ſi uerè uxoris debitor fuerit, fideicommiſſum conſtiterit? Reſpondit: Si debitor fuiſſet, nullum eſſe fideicommiſſum. *Vlpianus quoq;*: Si mihi Sempronius (*inquit*) à Titio hærede legauerit, Titiusq; mihi ſub eadem conditione eandem rem legauerit, exiſtẽte conditione capiam legatum ex teſtamento Sẽpronij. *l. ſi mihi.97. ff. de leg.1. Aliud exemplum eſt l. ſi quando.106. in prin. ff. de leg.1. cuius uerba uide ĵ. repl.7. in fine. itẽ l. ſi unũ. 69. in prin. ff. de leg.2. cuius uerba uide ĵ. repl.11. Aliud exemplum proponitur l. qui fructus. 25. ff. de uſufructu legato, his uerbis*: Qui fructus prædiorũ uxori reliquit, poſt mortẽ eius prædia cũ reditib. ad hæredes ſuos redire uoluit, imperitia lapſus: nullũ fideicõmiſſum dicimus, neq; proprietates neq; fructus ad eos reuerti debere. Etenim reditus futuri, nõ præteriti tẽporis demõſtrati uidentur. *Ait Imp.* Si nihil plus eſt in legato, quàm in debito. *Ex his uerbis elici poteſt prima aduerſus exceptionẽ propoſitã replicatio hæc: Niſi plus ſit in legato, quã in debito. Concordat l. Mæuius.68. in prin. ibi: debitor aũt. ff. de leg.2. ubi Papinianus*: Debitor (*inquit*) nõ ſemper quod debet, iure legat: ſed ita, ſi plus ſit in ſpecie legati, &c. *Concordat item l. legaui.25. §. cõtra. ibi: niſi in his ſpeciebus. ff. de lib. leg. cuius uerba uide paulò* 5. *Huius repli-*

cationis ſpecies & exempla ſunt replicationes ſequentes. Secunda replicatio hæc eſt: Niſi interſit creditoris. *Hæc replicatio approbatur ſimul & declaratur l. ſi debitor. 11. ff. de liber. leg. his uerbis:* Si debitor fideiuſſorem ſuũ ab hærede ſuo liberari iuſſerit, an fideiuſſor liberari debeat? Reſpondi, debere. Item quæſitum eſt, an quia mandati actione hæredes tenerentur, inutile legatum eſſet, quemadmodum quod debitor creditori ſuo legat? Reſpondi, Quoties debitor creditori ſuo legaret, ita inutile eſſe legatum, ſi nihil intereſſet creditoris ex teſtamento potius agere, quàm ex priſtina obligatione. nam etſi Titius mandauerit Mæuio, ut pecuniam promitteret, deinde liberari eum iuſſerit à ſtipulatore: manifeſtum eſt, quantum interſit promiſſoris liberari potius, quàm præſtare ex ſtipulatu, deinde mandati agere. *Tertia replicatio eſt:* Niſi actione ex ſtipulatu debeatur. *Hæc replicatio approbatur l. ſi creditori. 28. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Marcellus putat, rem quam ex ſtipulatu mihi debes, ſi mihi legaueris, utile eſſe legatum, ut neque Falcidia hoc minuat. *Quarta replicatio eſt:* Niſi honoraria actione debeatur. *Hæc replicatio approbatur d. l. 28. §. 1. his uerbis:* Ariſto ait, id quod honoraria actione mihi debetur, ſi legetur mihi, legatum ualere, quia ciuilis mihi datur actio pro honoraria. *Quinta replicatio eſt:* Niſi ex cauſa dotis debeatur. *Hæc replicatio approbatur Inſtit. de leg. §. ſed ſi uxori, his uerbis:* Sed ſi uxori maritus dotem legauerit, ualet legatum: quia plenius eſt legatum, quàm de dote actio. *Hiſce uerbis exceptio propoſita approbatur, ſimul etiam ratio eius indicatur. Ait enim Imp.* Quia plenius eſt legatum, quàm de dote actio. *Plenius eſt, quia actio legati ſtatim mortuo teſtatore competit: dotis autem actio iure quidem antiquo annua bima trima die, iure autem nouo poſt annum matrimonio ſoluto. l. unica. §. exactio. C. de rei uxoriæ actione. Huic concordat l. 1. §. uerum eſt. ff. de dote relegata, his uerbis:* Verum eſt, in dote relegata commodum eſſe repræſentationis, quoniam annua die dos præſtetur. Eſt & illud, quòd ob res donatas hodie poſt S. C. nulla ſit exactio, ſi modò uoluntatem non mutauit teſtator. *Item concordat l. debitor. 84. in prin. ibi: ſic & in dote. ff. de leg. 2. cuius uerba uide paulò ſ.* Diuerſum eſt, *ſi uxor marito, uel ſocer genero dotem promiſſam legauerit. hoc enim caſu non ualet legatum. l. cum pater. 29. in prin. ff. de iure dotium. cuius uerba uide ſ. except. 91. in fin. Sexta replicatio eſt:* Niſi ex die, *uel ſub conditione debeatur. Hæc replicatio approbatur Inſtitut. de leg. §. ex contrario, his uerbis:* Quòd ſi in diem uel ſub conditione debitum ei purè legauerit, utile eſt legatum propter repræſentationem. *Concordat l. debitor. 84. in prin. ff. de leg. 2. hiſce uerbis:* Debitor decem legauit creditori, qui ei poſt annum ſub pignore debebat. non (ut quidam putant) medij temporis tantùm commodum ex teſtamento debetur, ſed tota decem peti poſſunt: nec tollitur petitio, ſi interim annus ſuperuenit. nam ſufficit quòd utiliter dies ceſſit. quòd ſi uiuo teſtatore annus ſuperueniat, dicendum erit, inutile efficile legatum, quanquam conſtiterit ab initio. Sic & in dote relegata reſponſum eſt, totam eam ex teſtamento peti poſſe: aliòquin ſecundum illam ſententiam, Si interfuerit tantùm eſt in legato: quid dicemus, ſi fundus legatus ſit ex die debitus? nam nec pecunia peti poteſt, quæ non eſt legata: nec pars fundi faciè inuenietur, quæ poſsit peti pro commodo. *Concordat l. idem eſt. 14. ff. de lib. leg. cuius uerba uide ſ. replicat. 7. Huius replicationis duplicatio hæc eſt:* Niſi dies uel conditio debiti uiuo teſtatore exiterit. *Quæ duplicatio reprobatur Inſtitut. de leg. §. ex contrario, in fine, his uerbis:* Quòd ſi uiuo teſtatore dies uenerit, uel conditio extiterit, Papinianus ſcripſit, utile eſſe nihilominus legatum: quia ſemel conſtitit. quod & uerum eſt. non enim placuit ſententia exiſtimantium extinctum eſſe legatum: quia in eam cauſam peruenerit, à qua incipere non poteſt. *Concordat l. uerbis. 5. §. fin. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Nec ſi uiuo teſtatore dies uenerit, aut conditio fuerit impleta, fiet irritum, quod ſemel competit. *Contradicit d. l. 84. in prin. ibi:* quòd ſi uiuo. *ff. de leg. 2. cuius uerba uide ſ. ead. replicat. in prin. Sed & alia duplicatio hæc eſt:* Niſi idem ſub eadem conditione legauerit. *Hæc duplicatio approbatur l. Mæuius. 68. in prin. ibi: ſi enim idem. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si idem ſub eadem conditione reliquit, quod emolumentum legatũ futurum eſt? *Septima replicatio hæc eſt:* Niſi creditor exceptione ſubmoueri potuit, *& debitum nullum ſit. Hæc replicatio approbatur l. ſi creditori. 28. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si creditori meo, tutus aduerſus eum exceptione, id quod ei debeo legem, utile legatum eſt: quia remiſſa ei exceptio uidetur. *Concordat l. ſi creditor. 13. in fine, cum lege ſequente. ff. de liberat. legata, his uerbis:* Si debitor, qui ſe exceptione perpetua tueri poterat, creditori legauerit: intelligẽdum erit, exceptionem eum remittere creditorũ uoluiſſe. Idem eſt, etſi in diem debitor fuerit, uel ſub conditione. *Concordat item l. legatum. 25. in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. ead. except. in prin. uide inſuper ſ. eod. tt. except. 45. replicat. 2. Vnde Africanus iuriſconſultus:* Si quando quis uxori ſuæ ea quæ uiuus donauerat, uulgari modo leget, non de alijs donationibus eum uideri ſentire ait, quàm de his quæ iure ualiturę nõ ſunt. Alioquin fruſtra ei legaturus ſit, ſi ita exprimat: Quę uxori meę iure donauero, ea ei lego. uel ita: Quę uxori manumiſſionis cauſa donauero, nã inutile legatũ futurũ eſt.

l. ſi

l. ſi quando. 106. in prin. ff. de leg. 1. Aliud propoſitæ repli cationis exemplum proponitur l. petitor. 30. ff. de liber. leg. his uerbis: Petitor uel poſſeſſor damnauit hæredem ſuum, ne centumuirale iudicium exerceat. de effectu legati quæritur? & dictũ eſt, ita demum utile uideri legatum eſſe, ſi malã cauſam aduerſarius teſtatoris habuerit, ut litigante hærede uinci debuerit: tunc enim non tantùm litis emolumentum, ſed etiam ſumptus hæres legatario præſtare cogitur. nam in bona cauſa nihil uidetur eſſe in legato: ſed nec propter ſumptus, quod quidam exiſtimauerunt. *Octaua repl. catio eſt:* Niſi creditor debitum petens ſuccubuerit. *Hæc replicatio approbatur l. Aurelius. 28. §. fin. ff. de liberat. legat. his uerbis:* Idem quæſijt, Si hanc pecuniam ut debitam apud iudicem petierit, & uicta fuerit, an fideicommiſſum peti poſsit? Reſpondit Scæuola, ſecundum ea quæ proponuntur, poſſe ex cauſa fideicommiſi peti, quod apparuiſſet nõ fuiſſe ex alia cauſa debitum. *Concordat l. Lucius. 91. §. Sempronię. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ſ. except. 45. replicat. 1. duplicat. 3. Nona replicatio eſt:* Niſi alterius quàm creditoris interſit legatum ſolui: *tunc enim, quamuis legatum in perſona creditoris ſit inutile, alteri tamen cuius intereſt, datur ex teſtamento actio. quæ replicatio approbatur, ſimul & exemplis declaratur, l. ſi cui. 49. §. ſi Titio. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si Titio decem, quæ ego debeo, legauero, & rogauero eadem creditori præſtare, fideicommiſſum quidem in creditoris perſona non ualet, quia nihil eius intereſt: hęres uerò poteſt cum legatario agere, quia ipſius intereſt creditori ſolui, ne eum conueniat. Ergo propter hoc ualebit legatum. Sed etſi teſtator decem mihi ſub fideiuſſore debuit, fideicommiſſi petitio non ſolùm hæredi, ſed & fideiuſſori competit. intereſt enim eius ſolui mihi, quàm ipſum conuentum mandati actionem intendere: nec intereſt, ſoluendo ſit, nec ne. Iulianus quærit, ſi fideiuſſor creditori legaſſet quod ei deberet, an legatum ualeret? & ait, creditoris quidem nihil intereſſe, uerùm debitorem habere ex teſtamento actionem. intereſt enim ipſius liberari: quippe conueniri à fideiuſſoris hærede non poterit. Quòd ſi idem fideiuſſor Titio leget, & fidei eius commiſerit ut creditori ſoluat, & debitor & fideiuſſoris hæres agere cum Titio ex cauſa fideicommiſi poterunt: quia utriuſque intereſt legatum ſoluere. *Aliud propoſitæ replicationis exemplum proponitur l. Aurelius. 28. §. eum qui. ff. de liberat. leg. his uerbis:* Eum qui tutelam ipſius adminiſtrauerat, & fratrem unum & alios ſcripſerat hæredes, & tutori legauit, quæ impenderat in ſe & fratrem ipſius, decem. quæſitum eſt, an utile eſſet in perſona eius fideicommiſſum? Reſpondit, Si id dederit per fideicommiſſum, quod debebatur, peti non poſſe. Idem quæſijt, Si in tutoris perſona inutile eſſet, an in perſona fratris utile uideretur: quoniam illi proficeret, cuius & ipſius tutelam adminiſtraſſet? Reſpondit, fratri utiliter eſſe legatum, cùm ſuo debito liberetur. *Aliud exemplum proponitur l. ſi filia. 20. §. item Papinianus. ff. familiæ erciſcundæ, his uerbis:* Papinianus, &c. *Similia exempla uide ſ. lib. proxim. cap. 1. quæſt. 3. reg. 3. Decima replicatio eſt:* Niſi id quod domino debetur, *ſeruo eius legetur. Hæc replicatio approbatur l. debitor. 84. §. fin. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ſ. except. 53. replicat. 8. Vndecima replicatio:* Niſi cum ex pluribus uni cui uellet deberet, unumq; elegiſſet, mutandæ uoluntatis poteſtatem habens, *ei quod debet legauerit. Hæc replicatio reprobatur l. ſi unum. 69. in prin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si unum ex familia propter fideicommiſſum à ſe, cum moreretur, relictum, hæres eligere debet: ei quem elegit, fruſtra teſtamento ſuo legat, quod poſteaquam electus eſt, ex alio teſtamento petere poteſt. Vtrum ergo non conſtitit quod datur, quaſi creditori relictum: an quamdiu poteſt mutari uoluntas, non rectè creditori comparabitur? Siue tamen duret electio, fuiſſe uidetur creditor: ſiue mutetur, ex neutro teſtamento petitio competit. *Duodecima replicatio eſt:* Niſi alia res ſimul cum debito ſit legata: *in hac enim conſiſtit legatum. Quæ replicatio approbatur exemplo l. poſt emancip. 38. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Poſt emancipationem patris, ſuſcepta filia à patruo, ut legitimo hærede, petierat, ut partem hæreditatis auunculo ſuo daret, & agros duos: ad utrumq; autem ut proximum cognatum ſucceſsio eius pertinuit per bonorum poſſeſsionem. quæſitum eſt, cum in parte hęreditatis fideicommiſſum non conſtiterit, quòd eam ſuo iure per bonorũ poſſeſsionem auunculus habiturus eſſet, an nihilominus in parte agrorum conſiſtat, ut Titius partes agrorum duas (id eſt, unam quã ſuo iure per bonorum poſſeſsionem habeat, alteram uerò partem ex cauſa fideicommiſi) petere debeat? Scæuola reſpondit, petere poſſe. *Decimatertia replicatio eſt:* Niſi alius, non ipſe teſtator debeat; *tunc enim intereſt creditoris, duos potius reos habere. Quæ replicatio approbatur l. liberationem. 3. §. fin. ff. de liberat. leg. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 1. quæſt. 3. reg. 3. Hæc de 54. exceptione, cum ſuis replicationibus.*

L V. Exceptio: *Niſi res incorporalis ſit legata. Hæc exceptio reprobatur inſt. de leg. §. tam autem, his uerbis:* Tã corporales res legari poſſunt, quàm incorporales. *Concordat l. cætera. 4. 1. in prin. ff. de leg. 1. ubi Paulus:* Corpora legari omnia, & iura, & ſeruitutes poſſunt. *Vnde Mætianus:* Seruitus quoq; (*inquit*) prædiũ habenti rectè legatur. *l. etiam ea. 17. in fine. ff. de leg. 3. Huius etiam exemplum eſt l.*

est l.qui concubinam.29.§.qui hortos. ff.de leg.3. cuius uerba uide ℨ.*cap.2.reg.14. except.1. Planè admittitur exceptio proposita,si ius aliquod personale quis habẽs, id alteri legauerit. cuius exemplum est exceptio sequens prox.*

LVI. Exceptio:*Nisi fructuarius usumfructum legauerit.Hæc exceptio approbatur l.quod in.24.§.si usum fructum.ff.de leg.1.his uerbis*: Si usumfructum habeam, eumq; legauerim,nisi postea propriatem eius nactus sim, inutile legatum est. *Ait Iurisc*ō*sultus*: Nisi postea proprietatem eius nactus sim. *Ex his uerbis patet replicatio aduersus exceptionem propositam,hæc scilicet: Nisi proprietatẽ rei testator fit nactus. De hac exceptione dictum etiam est* ℨ.*lib.24.cap.1.except.15.*

LVII. Exceptio: *Nisi ut aliquid fiat, uel non fiat, per fideicommissum fit relictum.Hæc exceptio reprobatur.de qua re uide* ℨ.*lib.34.cap.26.*

LVIII. Exceptio:*Nisi hæreditas sit legata.Hæc exceptio reprobatur l.mulier.22.§.fin.ff.ad S.C.Treb. his uerbis*: Legari posse etiã portionẽ hæreditatis,placet nobis. *Itẽ: Nisi singulæ res per fideicommissum relinquantur.Hæc exceptio reprobatur Inst.de singulis reb.per fideic.relictis,in prin.hisce uerbis*: Potest quis etiam singulas res per fideicõmissum relinquere: ueluti fundum, argentum, hominem, uestem & pecuniam numeratã.

LIX. Exceptio:*Nisi nuda proprietas legetur. Hæc exceptio reprobatur l.antiquitas.14.C.de usufructu, cuius uerba uide* ℨ.*lib.24.cap.3.exc.1.Vnde Vlpianus quo aque*: Si purè proprietas (*inquit*)legata erit, ea ad legatarium perueniet, quamuis fructuarius hæres sit institutus. *l.si purè.4.ff.de usufructu legato. Sed & à municipib.hæredib.scriptis detracto usufructu legari proprietas potest:quia non utendo possunt usumfructum amittere. l. Mœuius. 68. §. fin.ff. de leg.1.*

LX. Exceptio: *Nisi quis hæreditatem suam alteri restituere rogetur. Hæc exceptio approbatur l.ex facto. 17. in prim. ff.ad S. C. Treb. his uerbis*: Ex facto tractatum est,an per fideicommissum rogari quis possit, ut aliquem hæredem faciat? Et Senatus censuit,rogari quidem quem,ut aliquem hæredem faciat,non posse: uerùm uideri per hoc rogasse,ut hereditatem suam ei restituat: id est, quidquid ex hæreditate sua consecutus esset, ut ei restitueret. *Ex his uerbis constat,propositam quidem exceptionem approbari, ueruntamen rogatum ad hæreditatem ipsius testatoris restituendam teneri:quod loco primæ replicationis est notandum.Concordat l.filiusfam.111.§.ut quis hæredem.ff.de leg.1.his uerbis*: Vt quis hæredem instituat aliquem, rogari non potest. Planè Senatus censuit,perinde habendum,atq; si rogasset hæreditatem restitui. *Secunda replicatio est:Nisi partẽ suæ hæreditatis restituere rogetur. Quæ replicatio approbatur d.§.ut quis hæredem,his uerbis*: Quid ergo,si hæres post mortem suam rogatus fuerit hæreditatis suæ (id est,rogati) partem quartã restituere? uerius esse existimo, quod & Scæuola notat,& Papyrius Fronto scribit,ualere fideicommissum,atq; si de hæreditate sua (id est,testatoris) restituenda rogatus esset: & eatenus restituendam,quatenus hæreditas testatoris pateretur.*Concordat l.imperator.72.§.cum quidam.ff.de leg.2. cuius uerba uide* ℨ.*cap.prox.exc.40.repl.4. Tertia replicatio est: Nisi hæreditatem Titij,cui succeßit, restituere rogetur. Quæ replicatio approbatur l.ex facto.17.§.1.ff.ad S.C. Treb.his uerbis*: Iulianus quoq; fideicommissum tale ualere ait, Fidei tuæ committo, ut hæreditatem Titij restituas:cum esset is qui rogatus erat,à Titio hæres institutus. *Concordat l.ita tamen.27.§.Trebell.ff.d.tt.cuius uerba uide* ℨ. *lib.34.cap.3.membr.2.except.22.*

LXI. Exceptio:*Nisi aqua sit legata. Hæc exceptio reprobatur l.si idem.14.§.fin.ff.de alim.leg. hisce uerbis*: Quidam libertis suis, ut alimenta, ita aquam quoq; per fideicommissum reliquerat.consulebar de fideicommisso, cum in ea regione Africę,uel fortè Aegypti res agi proponeretur,ubi aqua uænalis est.dicebam igitur esse emolumentum fideicommissi,siue quis habens cisternas id reliquerit, siue non:ut sit in fideicommisso,quanti quis sibi esset aquam comparaturus.nec uideri inutile esse fideicommissum,quasi seruitute prædij non possessori uicinæ possessionis relicta. nam etsi haustus aquæ, ut pecoris ad aquam appulsus,est seruitus personæ:tamen ei qui uicinus non est,inutiliter relinquitur. In eadem causa erunt gestandi, uel in tuo uuas premendi, uel areæ tuæ ad frumenta cæteraq; legumina exprimẽda utendi. hæc enim aqua personæ relinquitur.

LXII. Exceptio:*Nisi seruus hæres institutus legatus sit. Hæc exceptio approbatur l.legatum.113. §.alienus.ff.de leg.1.cuius uerba uide* ℨ.*except.49.dist.ñ.7.*

LXIII. Exceptio: *Nisi seruus, cui libertas relicta est,legatus sit. Hæc exceptio approbatur l.si idem.14. in prin.ff.de leg.2.his uerbis*: Si idẽ seruus & legatus,& liber esse iussus sit,fauor libertatis prę ualet. *Concordat l.si quis eum.14.in prin.ff.de uulgari substit.his uerbis*: Si quis eum quẽ in testamẽto suo legauit, rursus à substituto filij liberũ esse iusserit: liber erit, quasi legato adẽpto. Nam & in legato & in testamẽto nouissima scriptura erit spectãda:sicut in eodem testamento codicillis confirmatis obseruaretur. *Cõcordat item l.si seruus.16.§.fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide* ℨ.*lib.28.cap.13.exc. 127. Concordat item l.Titio. 94.§.fin.ff.de cond.& demonst.cuius uerba uide* ℨ.*lib. 34.cap.7.condit.1.reg.1.exc.1.repl.1. Item concordat l. si peculiũ. 10.§.si seruus.ff.de manumiß.test. his uerbis*: Si seruus legatus liber esse iussus est, liber est. *Concordat item l.Iulianus.40.ff.eod.tt.his uerbis*: Iulianus ait, cum idem homo & per fideicõmissum detur alicui, & liber esse iubeatur: hæredem libertatem debere præstare. Non enim cogetur(inquit)ex causa fideicõmissi æstimationem sufferre, cum debitam libertatem reddiderit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:Nisi libertas competere non posit. Quæ replicatio approbatur l.qui testam.38.ff.de leg.1.his uerbis*: Qui testamento inutiliter manumissus est,legari eodem testamento potest: quia toties efficacior est libertas legato, quoties utiliter data est. *Concordat l.si seruus.105. §.si seruus alienus.ff.de leg.1.his uerbis*: Si seruus alienus liber esse iussus, & legatus sit, peti eum ex legato posse,ait Africanus. nam cum libertas nullius momenti sit,absurdum esse per eam legatum infirmari : quod alioquin ualeret, etsi solum datum fuisset. *Concordat l. seruum. 44. §.si idem seruus. ff.eod. tt. ubi Paulus*: Si idem seruus (*inquit*) & legatus & liber esse iussus sit,interdum procedere solum legatum poterit:utputa si in fraudem creditoris data erit libertas, uel si is sit seruus,qui in perpetuam seruitutem uenierit. idẽ erit,etsi seruus est fortè pignori datus. *Sed & huius replicationis species sunt replicationes quæ sequuntur. Secunda replicatio est: Nisi sub conditione libertas relicta sit. Hæc replicatio approbatur l.si post.67. §.si purè. ff.de leg.1.his uerbis*: Si purè legatus seruus sub conditione liber esse iussus fuerit,sub contraria conditione ualet legatum: & ideo existente conditione legatum perimetur, deficiente ad legatarium pertinebit. *Concordat l.si seruum.20.ff.de usufructu legato, his uerbis*: Si seruum sub conditione liberum esse iubeam , & usumfructum eius tibi legauero,ualet legatũ. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi conditio libertatis extiterit. Quæ duplicatio approbatur uerbis supradictis hisce*: Et ideo existente conditione legatum perimetur. *Secunda duplicatio est* : *Nisi pendente libertatis conditione legatarius decesserit. Quæ duplicatio approbatur d. §.si purè, his uerbis*: Et ideo si pendente conditione legatarius decesserit, postea quam defecerit conditio,ad hæredem legatarij non pertinet legatum. *Tertia duplicatio est:Nisi legatarius non caueat,existente cõditione libertatis seruum restitui. quæ duplicatio approbatur l.Iulianus.40. §.sed & cum. ff. de manumiss.test.his uerbis*: Cum sub conditione seruo libertas per fideicommissum datur,& ipse præsenti die legatur : non aliter hæres tradere eum cogetur,quàm ut caueatur, existente conditione libertati eum restiturum iri. Nam in omnibus ferè causis fideicõmissarias libertates pro directò datis habẽdas. *Tertia replicatio est: Nisi ex die libertas relicta sit,uel post tempus. Hæc replicatio reprobatur d.l.67. §.fin. his uerbis*: Quòd si idem purè legatus sit,& ex die liber esse iussus fuerit, omnimodò inutile legatum est:quia diem uenturam certum est: & ita Iulianus quoq; sensit. Vnde ait:Si seruus Titio legatus sit, & idem post mortem Titij liber esse iussus fuerit, inutile legatum est: quia moriturum Titium certum est. *Planè hisce posterioribus uerbis contradicit l.peculium.67.§.fin.ff.de leg.2. cuius uerba hæc sunt*: Titio Stichus legatus,post mortem Titij libertatem accepit. & legatum adita hęreditate, & libertas post mortem Titij competit. Idemque est, etsi moriente Titio liber esse iussus est. *Quarta replicatio est: Nisi cum ab instituto legatus esset , & à substituto libertas ei relicta, substitutus hæres non existat. Hæc replicatio approbatur l. si quis.78. §.fin. ff.de leg.1. his uerbis*: A' filio impubere legatus, & à substituto liber esse iussus , siquidem pupillus ad pubertatem peruenerit, ab eo cui legatus fuerat uindicabitur: mortuo uerò pupillo, libertas competet. *Quinta replicatio est: Nisi post libertatem adscriptam seruus sit legatus , eiq; libertas adempta. Hæc replicatio approbatur l. si peculium. 10. §.si seruus. ff. de manumiss.test. his uerbis*: Si prius liber esse iussus, postea legatus sit: siquidem euidens uoluntas sit testatoris, qui ademit libertatem (cum placeat hodie etiam libertates adimi posse) & legato eum cedere puto. Quòd si in obscuro sit, tunc fauorabilius respondetur, liberum fore. *Concordat l. si seruus. 50. ff. de fideicommiss. libertat. his uerbis*: Si seruus legatus , & per fideicommissum manumissus sit : Serbidius Scæuola consultus, putabat nouissimam scripturam ualere,siue libertas sit,siue legatum: quia cum libertatem datam postea placeat adimi, & per legatum constat posse adimi. Sed si in obscuro sit, qua mente post libertatem legauerit eundem seruum , in obscuro libertatem præualere. Quæ sententia mihi quoque uerior esse uidetur. *Concordat item l.si idem.14.in princip.ff.de leg.2.his uerbis*: Sin autem & in posteriore scriptura legatus est, & euidens ademptio libertatis ostenditur, legatum propter defuncti uoluntatem præualebit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi non euidenter constet, testatorem per sequens legatum libertatem antea datam adimere uoluisse. quæ duplicatio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Et euidens ademptio libertatis ostenditur. *Item uerbis d. l. 50. iam propositis hisce*: Sed si in obscuro sit, qua mente post libertatem,&c. *Item uerbis d.§.si seruus,* ℨ. *propositis hisce*: Quòd si in obscuro sit, tunc fauorabilius respondetur, liberum fore. *Concordat item l. Lucius.40. §.item Lucius.ff.de militari test.cuius uerba uide* ℨ.*lib.28.cap.11.except.98.repl.9. Sexta replicatio est: Nisi cum uni seruus legatus esset , ita ut eum manumitteret:alteri sit legatus sub hac conditione,Si à primo manumissus non fuerit. Quæ replicatio approbatur l. si quis. 78. §.Stichum. ff.de legat.1. his uerbis*: Stichũ Sempronio do lego: si Sempronius Stichum

Stichum intra annũ non manumiserit, eundem Stichum Titio do lego. quæsitum est, quid iuris esset? Iulianus respondit, Sempronium interim totum habiturum: & si quidem intra annum manumisisset, liberũ eum effecturum: si autem hoc non fecisset, totum ad Titium pertinere. *Septima replicatio est: Nisi æstimationem serui, cui libertatem reliquit, testator legatario solui uoluit. Hæc replicatio approbatur l. Iulianus. 40. §. fin. ff. de manumiss. test. his uerbis:* Ofilius ait, si adimendi legati causa fideicommissam libertatem testator dedisset: ea uera esse. Si uerò onerari hęredem à testatore legatarius ostenderit: æstimationem nihilominus legatario præstandam.

LXIIII. *Exceptio: Nisi statuliber legatus sit. Hæc exceptio approbatur quidem, sed sub hac conditione, Nisi conditio libertatis defecerit: l. si quis. 78. §. penult. ff. de leg. 1. his uerbis:* Cùm statuliber sub conditione legatus est, & pendente conditione legati, conditio statutæ libertatis defecit: legatum utile fit. nam sicut statuta libertas tunc perimit legatum, cum uires accipit: ita legatũ quoq; non antè perimi potest, quàm dies eius cesserit. *Concordat l. seruum. 44. §. pen. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap. 11. causa 53. exemplo 3. Item concordat l. cum ita. 9. §. fin. ff. de option. legata. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 11. quæst. 1. except. 12.*

LXV. *Exceptio: Nisi res legata ædibus iuncta sit. Hæc exceptio approbatur l. cætera. 41. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Ea quæ ædibus iuncta sunt, legari non possunt: quia hæc legari non posse, Senatus censuit, Auiola & Pensa consulibus. *Concordat ead. lege §. item prohibentur. cuius uerba uide ĩ. repl. 7. Item concordat l. senatus. 43. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap. 11. causa 53. exemplo 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi res postea ab ædibus sit separata. quæ tamen replicatio reprobatur d. l. 41. §. tractari, his uerbis:* Tractari poterit, & quando marmora uel columnæ fuerint separatæ ab ædibus, an legatum conualescat? Et si quidem ab initio non constitit legatum, ex pòst facto non conualescet. Quemadmodum nec res mea legata mihi, si post testamentum factum fuerit alienata: quia uires ab initio legatum non habuerit. *Planè sequitur ibidem distinctio, his uerbis:* Sed si sub conditione legetur, poterit legatum ualere, si existentis conditionis tempore ædibus iuncta non sit. *Secunda replicatio est: Nisi quis binas ædes habens, alteras legauerit: & ex alteris aliquid iunctum, ei cui ædes legauerit. Hæc replicatio reprobatur d. l. 41. §. item quæri, his uerbis:* Item quæri potest, si quis binas ædes habens, alteras legauerit, & ex alteris aliquid iũctum, ei cui ædes legauerit, an legatum ualeat? mouet quæstionem, quòd ex Senatusconsulto & constitutionibus licet nobis ex ædibus nostris in alias ædes transferre possessoribus earum futuris (id est, non distracturis:) & ita Imp. noster & diuus Seuerus rescripserunt. nunquid ergo & legari ei possit, cui aliam domum leget? sed negandum erit: quia cum legatum est, non est possessor futurus. *Tertia replicatio est: Nisi cùm duobus unam domum legasset, ex ea alteri eorum marmora legauerit ad extructionem alterius domus, quam ei soli etiam legauerat. item: Nisi domum legauerit detractis marmoribus, ut ea hæres alij domui hæreditariæ adhiberet. Hæc replicatio approbatur, certo tamen modo, d. l. 41. §. si duobus, his uerbis:* Si duobus domum legauerit Sempronianam, & ex ea alteri eorum marmora ad extructionem domus Seianæ, quam ei legauerat: non malè agitabatur, an ualeat, quia dominus est utriusque legatarius: & quid si quis domum deductis marmoribus legauerit, quæ uoluit hæredem habere ad extruẽdam domum, quam retinebat in hæreditate? Sed melius dicetur, in utroque detractionem non ualere: legatum tamen ualebit, ut æstimatio eorum præstetur. *Quarta replicatio est: Nisi ad opus reipub. faciendum sit legatum. Hæc replicatio approbatur d. l. 41. §. sed & si quis, hisce uerbis:* Sed & si quis ad opus reipub. faciendum legauit, puto ualere legatum. nam & Papinianus refert, Imperatorem nostrum & diuum Seuerum constituisse, eos qui reipub. ad opus promiserunt, posse quid detrahere ex ædibus suis urbanis atque rusticis, eoque ad id opus uti: quia hi quoque non promercij causa id haberent. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ad opus alterius reipub. quàm in cuius territorio ædes sunt, legatum sit. Quæ duplicatio approbatur ibidem, his uerbis:* Sed uideamus, utrum ei soli ciuitati legari possit, in cuius territorio est, an & de alia ciuitate in aliam transferri possit? & puto non esse permittendum: quanquam constitutum sit, ut de domo quam aliquis habet, ei permittatur in domum alterius ciuitatis transferre. *Quinta replicatio est: Nisi ædes non in urbe, sed in alia ciuitate sint sitæ. Hæc replicatio reprobatur d. l. 41. §. hoc Senatusc. his uerbis:* Hoc Senatusconsultum non tantùm ad urbem, sed & ad alias ciuitates pertinet. *Sexta replicatio est: Nisi non ædibus, sed alij ædificio iunctum sit id quod est legatum. Hæc replicatio reprobatur d. l. 41. §. hoc senatusc. his uerbis:* Hoc senatusconsultum non tantùm ad ædes, sed & ad balnea, uel aliud quod ædificium uel porticus in ædibus, uel tabernas, uel popinas extenditur. *Septima replicatio est: Nisi non sint affixa. Quæ replicatio approbatur d. l. 41. §. item prohibentur, his uerbis:* Prohibentur hæc legari, quæ non aliàs præstari possunt, quàm ut ædibus detrahantur uel subducantur: id est, marmora, uel columnæ. Idem & in tegulis, tignis, & ostijs

stijs Senatus censuit: sed & in bibliothecis parietibus inhærentibus. Sed si cancelli uel uela sint, legari poterunt non tantùm fistulæ uel castella: sed & automataria & cantari, per quos aquæ saliunt, poterunt legari, maximè si impositicij sint. Quid ergo in statuis dicendum? si quidem inhærent parietibus, non licebit: si uerò aliàs existant, dubitari potest: uerum enimuerò mens Senatusconsulti plenius accipienda est, ut si quæ ibi fuerint perpetuò quasi portio ædiũ, distrahi non possint. proinde dicendum est, nec tabulas ædium adfixas, & parietibus adiunctas, uel singula sigilla adæquata legari posse. *Ait Iurisconsultus:* Mens Senatusconsulti plenius accipienda est, ut si quæ ibi fuerint perpetuò quasi portio ædium, distrahi non possint, &c. *Hisce uerbis introducitur prima aduersus replicationem propositam duplicatio, hæc scilicet: Nisi in ædibus fuerint perpetuò quasi portio ædium. tunc enim, quamuis adfixa non sint, distrahi tamen & legari non possunt. Altera duplicatio est: Nisi ad hoc sit parata res, ut ædibus adiungatur. quæ tamen duplicatio reprobatur d. l. 41. §. fin. his uerbis:* Sed si parauit quędam testator quasi translaturus in aliam domum, & hæc legauit: dubitari poterit, an ualeat? & puto ualere. *Octaua replicatio est: Nisi maritus diætam quam in uxoris hortis fecerat, quos in dotem acceperat, legauerit. Hæc replicatio approbatur l. Senatus. 43. §. Marcellus. ff. de leg. 1. his uerbis:* Marcellus scribit, si maritus diætam in uxoris hortis, quos in dotem acceperat, fecerit, posse eum hæc detrahere quę usui eius futura sint, sine mulieris tamen damno: neq; hoc ei Senatusconsultum futurum impedimento. Ergo si non est ei obfuturum quo minus detrahat, dici oportebit, posse eum hæc legare quæ detrahere potest. *Concordat l. Marcellus. 45. ff. de donat. inter uir. & uxorem. cuius uerba uide ĩ. lib. 35. cap. 8. except. 35. Nona replicatio est: Nisi illicitè sit ædificatum. Hæc replicatio approbatur l. fideicommissa. 11. §. si quis illicitè. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si quis illicitè ædificasset, id est, hoc quod dirui constitutiones iubent, an fideicommisso relinquere ex eo quid possit, uideamus? & puto posse. cum enim dirui necesse sit, nulla dubitatio est, quin senatusconsultum impedimento non sit. *Decima replicatio est: Nisi sine domus iniuria res auferri possit. Hæc replicatio approbatur l. nutu. 21. §. fin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Columnis ædium uel tignis per fideicommissum relictis, ea tantummodò amplissimus ordo præstari uoluit (nulla æstimationis facta mẽtione) quæ sine domus iniuria auferri possunt.

LXVI. *Exceptio: Nisi res alij iuncta legata sit. Hæc exceptio reprobatur l. si gemma. 18. ff. de auro argento legato, his uerbis:* Si gemma ex annulo legetur, uel aliæ materiæ iunctæ, uel emblemata: rectè legantur, & separantur, & præstanda sunt.

LXVII. *Exceptio: Nisi inquilini sine prædijs, quibus adhærent, legentur. Hæc exceptio approbatur l. si inquilinos. 109. in princ. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si inquilinos sine prædijs, quibus adhærent, legauerit, inutile est legatum: sed an æstimatio debeatur, ex uoluntate defuncti statuendum esse, diui Marcus & Commodus rescripserunt.

DE RELIQVIS EXCEptionibus aduersus legata. Cap. VI.

SVperiore Capite quarti generis exceptiones aduersus legata, ex re legata desumptæ, propositæ sunt. Sequitur quintum genus, earum scilicet quæ sumuntur ex causa & modo legati.

LXVIII. *Exceptio: Nisi pœnæ nomine sit legatum. Hæc exceptio iure quidem antiquo approbatur, l. 1. ff. de his quæ pœnæ causa, his uerbis:* Filio etiam familiâs uel seruo hærede instituto, si in patris dominiue pœnam illicitè uel probrosè datum est, nullius momenti legatum esse, Africanus respondit. non enim id solùm, quod in hæredis, sed omne quod in cuiusq; lucrum aliquod ex ultima uoluntate sententis pœnam in testamento scriptũ sit, nullius momenti habendum esse. *Huius exceptionis replicatio prima hæc erat: Nisi præteritum, nõ futurum factum legato fuerit punitum. Quæ replicatio approbatur exemplo l. si ita. 22. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Si ita legatum, &c. *Altera replicatio erat: Nisi conditionaliter, non pœnæ nomine esset legatum. Quæ replicatio ipso quidem iure subsistit: uerùm quando conditio, quando pœna intelligẽda sit, declaratur l. 2. ff. de his quæ pœnæ causa, his uerbis:* Pœnam, &c. *Planè iure nouo exceptio proposita reprobatur inst. de leg. §. pœnæ quoq;, his uerbis:* Pœnæ nomine inutiliter antea legabatur, & adimebatur uel transferebatur. Et in tantum hæc regula obseruabatur, ut quamplurimis principalibus constitutionibus significaretur, nec principem agnoscere quod ei pœnę nomine legatum sit: nec ex militis quidem testamento talia legata ualebant, quamuis aliæ militum uoluntates in ordinãdis testamentis ualde obseruabãtur: quinetiam nec libertates pœnæ nomine dari posse placebat: eo amplius, nec hæredem pœnæ nomine adijci posse Sabinus existimabat, ueluti si quis ita dicat: Titius hæres esto: Si Titius filiam suam in matrimonium Seio collocauerit, Seius quoque hæres esto. Nihil enim intererat, qua ratione Titius coerceretur, utrũ legati datione, an cohęredis adiectione. Sed huiusmodi scrupulositas nobis nõ placuit: & generaliter ea quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta uel adem-

pta,uel in alium translata,nihil distare à cæteris legatis constituimus,uel in dando,uel in adimendo,uel in transferendo. *Concordat l.unica. C.de his quæ pœnæ nomine in test.his uerbis:* Superuacuam obseruationē ueterum, per quam uoluntates testatorum ad effectum duci impediebātur,amputamus:præcipientes nullum ualere, dicendo pœnæ nomine quædam esse relicta uel adempta in supremis testantium uoluntatibus, ea infirmare: sed licere testanti pro implenda sua uoluntate uel pecuniam dari præcipere,uel aliam pecuniariam pœnam inferre quibus uoluerit,tam in adimendis hæreditatibus,uel legatis, uel fideicommissis, uel libertatibus, quàm in præcipiendo ad alias personas eas transferri ab eo cui relicta ab initio sunt,uel aliquid alijs ab eo dari, si minus dispositionibus suis hæres,uel legatarius,uel libertate donatus paruit. *Declaratur exceptio proposita Inst.d.§.pœnæ quoq;,his uerbis:* Pœnæ autem nomine legari uidetur,quod coercendi hæredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat,aut non faciat. ueluti si quis ita scripserit: Hæres meus,si filiam suam in matrimonium Titio collocauerit: uel ex diuerso, Si non collocauerit, dato decem aureos Seio. aut si ita scripserit, Hæres meus, si seruum Stichum alienauerit: uel ex diuerso, Si non alienauerit, Titio decem aureos dato.

LXIX. Exceptio: *Nisi error interuenerit. Hæc exceptio approbatur l.quoties.9.in prin. ff.de hæredibus instit.his uerbis:* Si in re quis errauerit(utputa dum uult lancem relinquere, uestem leget) neutrum debebitur:hoc siue ipse scripsit,siue scribendum dictauit. *Concordat l.si quis.4.in principio.ibi:sed si in corpore.ff.de leg.1.cuius uerba uide ȝ.replic.prox. Proinde si quis rem alienam legauerit, suam esse putans,non ualet legatum: ut ostensum est ȝ.cap.prox.except.49.distinct.3. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nō in re,nec in corpore, sed in nomine sit erratum. Quæ replicatio approbatur d.l.4.his uerbis:* Si quis in fundi uocabulo errauit, & Cornelianum pro Semproniano nominauit, debebitur Sempronianus. Sed si in corpore errauerit,non debebitur. *Concordat Instit.de leg. §.siquidem in nomine.ubi Imp.Iustinian.* Siquidem in nomine(*inquit*)cognomine,prænomine,agnomine legatarij testator errauerit,cū de persona constat,nihilominus ualet legatum. Idemq; in hæredibus seruatur,& rectè.Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur,nihil interest. *Concordat item l.demonstratio. 17.in prin. ff.de condit.& demonst.ubi Caius Iurisconſ.* Etsi in persona legatarij designanda (*inquit*) aliquid erratum fuerit, constet autem cui legare noluerit: perinde ualet legatum, ac si nullus error interuenisset. *Concordat item l. si Fortidianum.7.C.de legatis,his uerbis:* Error nominum in scriptura factus(si modò de mancipijs uel de possessionibus legatis non ambigitur)ius legati dati non minuit. *Plura de hac replicatione uide ȝ.de falsa demonstratione,except. prox. Planè propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi crassus error nominis sit, & supina ignorantia. Quæ duplicatio approbatur exemplis l.si quis.4. §.1.ff.de leg.1.his uerbis:* Quòd si quis,cum uult uestem legare,supellectilem adscribit,dum putat supellectilis appellatione uestem cōtineri: Pomponius scribit, uestem non deberi.quemadmodum si quis putet auri appellatione electrum uel aurichalcum contineri,uel(quod stultius) uestis appellatione etiam argentum contineri: rerum enim uocabula immutabilia esse, hominum mutabilia. *Huius duplicationis ratio est: Quia non stultis,sed errantibus subuenitur. l.plurimum.3.in fin. l.nec supina.6. & l.regula 9.§.quòd si ideo. ff.de iuris ignorantia. Secunda replicatio hæc est: Nisi testator rem quam legat, alienam, uel ipsius legatarij esse putauit. Quæ replicatio approbatur Instit. de legatis. §.si quis rem suam,his uerbis:* Si quis rem suam quasi alienam legauerit, ualet legatum. nam plus ualet quod in ueritate est,quàm quod in opinione. Sed etsi legatarij esse putauit, ualere constat: quia exitum uoluntas defuncti habere potest. *Idem multò magis dicendum est, si quis rem sibi legatam ignorans adhuc legauerit, postea; cognouerit & uoluerit ad se pertinere. nam ualebit legatum (Paulus ait l.seruum.44.§.1. & l.si quis. 78.§.si Titius.ff.de legat.1.) quia ubi legatarius non repudiauit,retrò ipsius fuisse uidetur res,ex quo adita hæreditas est. Tertia replicatio est: Nisi plus uel minus scriptum sit,quàm legare uoluit. Hæc replicatio approbare l.qui quartā.15.in prin.ff.de leg.1.his uerbis:* Qui quartam partem bonorum legare uoluit, dimidiam scripsit: Proculus rectè ait, posse defendi quartam legatam, quia ineffet dimidiæ. idem erit, etsi quinquaginta uoluit legare,& centum scripta sint: quinquaginta enim debebūtur.Sed etsi plus legare uoluit,& minus scripsit,ualet legatum.

LXX. Exceptio: *Nisi falsa demonstratio interuenerit. Hæc exceptio reprobatur Inst.de legatis.§.huic proxima,his uerbis:* Huic proxima est illa iuris regula, falsa demonstratione legatum non perimi: ueluti si quis ita legauerit,Stichum seruum meum uernam do lego. licet enim non uerna,sed emptus sit,si tamen de seruo constat,utile est legatum.Et conuenienter, si ita demonstrauerit, Stichum seruū,quem à Seio emi: sitq; ab alio emptus,utile est legatum,si de seruo constat. *Concordat l.demonstrat.17.in princ. ff.de condit.&demonstr. his uerbis* Demonstratio falsa est,ueluti si ita scriptum sit: Seruum Stichum, quem de Titio emi:

Fundum

Fundum Tusculanum, qui mihi à Seio donatus est.Nam si constet de quo homine,& de quo fundo senserit testator: ad rem non pertinet,si is quem se emisse significauit,donatus sit: aut quem donatum sibi esse significauit,emerit. Igitur & si ita seruus legatus sit, Stichum coquum,Stichum sutorem Titio lego:licet neq; coquus,neq; sutor sit,ad legatarium pertinebit,si de eo sensisse testatorem conuenerit.Nam etsi in persona,&c. *Reliqua uerba uide §.except.prox.repl.1. Concordat item l.falsa.32.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Falsa demonstratio neq; legatario, neq; fideicommissario nocet,neq; hæredi instituto:ueluti si fratrem dixerit, uel sororem, uel nepotem,uel quodlibet tale.Et hoc ita iuris ciuilis ratione,& constitutionibus diuorum Severi & Antonini cautum est. *Concordat item l. si nominatim.33.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si nominatim alicui legetur ita,Lucio Titio: an per demonstrationem corporis,uel artificij,uel officij,uel necessitudinis,uel adfinitatis,nihil interest. Nam demonstratio plerunque uice nominis fungitur,nec interest falsa,an uera sit:si certum sit,quem testator demonstrauerit.*Concordat item l.quibus.39.§.qui dotalem. ff.eod.tt.his uerbis:* Qui dotalem fundum nullum habebat,ita legauerat:Fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit,ei hæres dato. Labeo,Ofilius, Trebatius responderunt,fundum nihilominus legatū esse:quia cum fundus Cornelianus in rerum natura sit,demonstratio falsa non perimit. *Concordat l.2. C.de falsa causa adiecta, his uerbis:* Etiamsi ueritas debiti non subest, falsa demōstratio non perimit legatum, sed ex testamento eius quoq; nomine competit actio. *Concordat item l.ult.C.eod.tt.his uerbis:* Refert,largiter dotem reddi tibi maritus,an quę instrumento dotali conscripta sunt, legati seu precarijs uerbis statuit: quippe cùm superiore quidē casu datum probanti repeti tantum, posteriore uerò (nihil nocente falsa demonstratione) quod significatum est instrumento, postulari possit. *Concordat item l.Quintus.11.ibi: quia certo corpore.ff.de auro legato. cuius uerba uide ȝ.lib.prox.cap.4. de ijs quæ alicuius causa parata sunt legatis,reg.2.except.4. Concordat item l.penult. ff.de reb.dubijs. cuius uerba uide ȝ.lib.prox.cap.4.de seruis legatis,reg.18. Concordat item l.his uerbis.100. §.paterfam.ff.de leg.3.his uerbis:* Paterfamiliās ita legauit: Lances numero duas leues, quas de sigillaribus emi,dari uolo. is de sigillaribus leues quidē non emerat, lances autem emptas habebat,& dictauerat testamētum ante triduum quàm moreretur.quæsitum est, an hæ lances, quas emptas de sigillaribus habebat,legato cedant:cum nullas alias de sigillaribus emerit, nec legauerit? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, deberi eas quas de sigillaribus emisset. *Huius etiam exceptionis reprobatæ exempla simul & distinctiones uide §.except.prox.item except.45. Huc etiam referri potest l.si seruus.105.§.sed etsi ei.ff.de leg. 11.ubi Africanus:* Sed etsi ei cui nihil legatū est (*inquit*)cum hac adiectione, Hoc amplius,aliquid legetur: minimè dubitandū est,quin id quod ita legatum erit,debeatur,&c. *Aliud huius exceptionis reprobatæ exemplum proponitur l. patronus.34.§.libertis.ff.de leg.3.his uerbis:* Libertis quos nominauerat,ita legauit:Fūdum Trebatianum,qui est in regione Arelatia : item fundum Satrianum, qui est in regione Niphana,cum taberna dari uolo. quæsitū est, cum inter fundos, quos suprà legauit, sit quidam fundus uocabulo Satrianus, in regione tamen Niphana non sit: an ex causa fideicommissi libertis debeatur? Scæuola respōdit, Si nullus esset Satrianus in regione Niphana,& de eo sensisse testatorem certum sit, qui alibi esset, non minus deberi, quamuis in regione designāda lapsus esset. *Inter conditionem igitur & demonstrationem hoc interest,quòd si deficiat conditio, deficiat etiam legatum: demonstratione autem deficiente seu falsa existēte, non uiciatur legatum. Hoc est quod Vlpianus:* Inter falsam demonstrationem(*inquit*) & falsam conditionem siue causam multum interest. *l. si sic.74.§.nam inter.ff.de leg.1.Sanè Florentinus:* Inter demonstrationem(*inquit*)& conditionē hoc interest,quòd demonstratio plerunq; factā rem ostendit,cōditio futuram. *l.si nominatim. 33.§.fin.ff.de condit.& demonstrat. Conditio igitur in futurum tempus concepta est,demonstratio in præteritum uel præsens. Cuius elegans exemplum proponitur l.Stichum.6.ff.de leg.1. cuius uerba uide ȝ.cap.8. causa 5.except.1.repl.1. Vide insuper de except.proposita ȝ. lib.34.cap.5.membr.2.reg.3.*

LXXI. Exceptio: *Nisi causa legati falsa sit, uel nulla. Hæc exceptio reprobatur Instit.de leg. §.longè magis, hisce uerbis:* Longè magis legato falsa causa adiecta non nocet: ueluti cum quis ita dixerit, Titio, quia me absente negocia mea curauit,Stichum do lego:uel ita,Titio, quia patrocinio eius capitali crimine liberatus sum,Stichum do lego.licet enim neq; negocia testatoris unquam gesserit Titius, neq; patrocinio eius liberatus sit : legatum tamen ualet.Sed si cōditionaliter enunciata fuerit causa,aliud iuris est.ueluti hoc modo:Titio,si negocia mea curauerit,fundum meum do lego. *Concordat l.demonstratio.17.§. quod autem iuris.ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Quod iuris est in falsa demonstratione,hoc uel magis est in falsa causa. ueluti ita:Titio fundū do,quia negocia mea curauit. Item: Fundum Titius filius meus præcipito:quia frater eius ex arca tot aureos sumpsit.Licet

enim frater huius pecuniã ex arca non sum
pserit,utile tamen legatum est. *Cõcordat item l.cum tale.70.§.falsam.ff.eod.tt.cuius uerba uide paulò inferius distin.2. Planè exceptio proposita quibusdam distinctionibus admittitur.* Prima distinctio hæc est: *Nisi causa conditionaliter fuerit enunciata.* Quæ distinctio approbatur *supradictis uerbis hisce*: Sed si conditionaliter enũciata fuerit causa, aliud iuris est,&c. *Cui concordat d.l.17.§.quod autem iuris,in fine,his uerbis*: At si conditionaliter concepta sit causa: ueluti hoc modo, Titio, si negocia mea curauit,fundum do: Titius filius,si frater eius cẽtum ex arca sumpsit,fundum præcipito. ita utile erit legatum, si & ille negocia mea curauit,& huius frater centum ex arca sumpsit. *Secũda distinctio hæc est: Nisi probetur aliàs legaturum non fuisse. Quæ distinctio approbatur d.l.70.§.falsam.ff.de cond.& demonstrat.his uerbis*:Falsam causam legato non obesse,uerius est: quia ratio legãdi legato non cohæret, sed plerunq; doli exceptio locum habebit, si probetur aliàs legaturum non fuisse. *Tertia distinctio est:Nisi cum hæc causa,quia rogatus aliquid acceperit,legato uel fideicommisso adiecta esset,ille nihil acceperit. Quæ distinctio approbatur exemplo l.Titia.35.in prin.ff.de leg.2.his uerbis*: Titia cùm testamẽto facto decederet, hæredibus instítutis Mæuia & Sempronio filijs suis ex æquis partibus,petijt à Mæuia,ut Stichum seruum suum manumitteret, in hæc uerba: A te autem Mæuia, filia charissima, peto, ut Stichum seruum tuum manumittas,cùm in ministerium tuum tot capita seruorum tibi his codicillis legauero: nec legauit.quæro,quid his uerbis relictũ uideatur,cùm (ut suprà comprehensum est,duobus hæredibus instítutis defunctam testatricem,& mancipia hæreditaria duarũ personarum fuisse) & codicillis nihil relictum sit de præstandis mancipijs,nec posit utile fideicommissum putari, quod datum non sit: cum & legasse se dixerit, nec adiecerit speciem legati, nec ab hærede, uti præstarentur mancipia, petierit? Modestinus respondit, ex uerbis cõsultationi insertis Mæuiam neq; legati, neq; fideicommissi petitionem habere, neq; libertatem seruo suo dare compelli. *Planè pro ea parte, quam rogatus accepit,tenetur,licet non acceperit totum. Quod replicationis loco notandum.quæ replicatio approbatur l.epist.75.in prin. ff.ad S.C.Trebell.his uerbis*: Epistolam ad hæredem suum in hæc uerba scripsit:Titius Cornelio hæredi suo S. A te peto Corneli, quoniã ad te deuoluta est pars matris meæ,item pars Sempronij curatoris quondam mei contraria fortuna,si per hoc totus as meus apud te esse speratur,uti reddas restituas Caio Seio uncias quatuor. Quæsitum est, cum Sępronius in integrum restitutus sit ab Imperatore, à quo fuerat deportatus, & adierit hæreditatem: an is quoque rogatus sit,ut ex sua portione restituat hæreditatem? respondi, Sempronium quidem non proponi rogatum: Cornelium autem hæredem debere pro rata portione maternarum defuncti rerum restitutionem Seio facere. *Quarta distinctio est*: Nisi *legatum sit,ut aliquid faciat. hoc enim legatum sub modo est, non causa adiecta. Ideoq; nisi fecerit,legatum ei auferetur.de quo j.cap.7.causa 15. Sequuntur nunc sexti generis exceptiones,desumptæ ex forma & uerbis legati & fideicommissi.*

LXXII.*Exceptio*: *Nisi sine uerbis uel sine scriptura relinquatur. Hæc exceptio reprobatur l.& in.22.C.de fideicommissis, hisce uerbis*: Et in epistola uel libello uel sine scriptura, imò etiam nutu fideicommissum relinqui posse adhibitis testibus,nulla dubitatio est. *Huic concordat l.& sine.5.C.de Senatusc.Trebell.his uerbis*: Et sine scriptura per fideicommissum hęreditas rectè relinquitur. Igitur si te uxor tua & priuignum suum,in discrimine mortis constituta,designauit uelle successionem obtinere usq; ad dodrantem, eius uoluntatem ratam seruari conuenit:cum intestatò ei succedentes de restituẽdo fideicommisso conuentos ultra quartam, ære alieno deducto, quantum penes eos sententia Senatusconsulti relinqui præcepit,tãtum obtinere posse præstiterit. *Item concordat l.nutu.21.in prin.ff. de leg.3.ubi Paulus*; Nutu etiam relinquitur fideicommissum (*inquit*) dum modò is nutu relinquat,qui & loqui potest: nisi superueniens morbus ei impedimento sit. *Planè ex traditione clauium, & assignatione rerum non præsumitur fideicommissum. Quod innuit Papinianus l.cum pater.79. §.pater pluribus.ff. de leg.2.his uerbis*: Pater pluribus filijs hæredibus instítutis, moriens claues & annulum custodię causa maiori natu filiæ tradidit, & libertum eidem filiæ, qui præsens erat, & res quas sub cura sua habuit,assignari iussit. commune filiorum negocium gestum intelligebatur, nec ob eam rem apud arbitrum diuisionis præcipuam causam filiæ fore.

LXXIII. *Exceptio*: *Nisi imperfecta sit scriptura,& quædam uerba omissa.Hæc exceptio reprobatur l.si unum.69.§.si omissa.ff.de leg.2. his uerbis*: Si omissa fideicõmissi uerba sint,& cætera quæ leguntur,cum his quæ scribi debuerũt, congruant:rectè datum & minus scriptũ exemplo institutionis legatorumq; intelligetur: quam sententiam optimus quoque Imper. noster Seuerus secutus est. *Vnde Alfenus*:Si in testamento scriptũ esset(*inquit*)Hæres meus aureos centum Licinio damnas esto: neq; adscripsisset dare, deberi ei legatum constat. *l.si in test.103. ff.de leg.1. Et Imp.Gordianus ait*: Verbum

Verbum Volo licet desit, tamen quia additum perfectum sensum facit,pro adiecto habendum est.*l.uerbum.10.C.de fideicommissis. Ait lex*: Et cætera quæ leguntur, cum his quæ scribi debuerunt, congruant, &c. *Ex his uerbis elicitur distinctio, qua exceptio proposita approbatur,hæc scilicet:Nisi scripta non congruant omissis. cui concordat l.cum pater.79.§.cùm imperfecta.ff.de leg.2.ubi Papinianus*:Cùm imperfecta scriptura inuenitur (*inquit*) ita demũ uerbum legati uel fideicommissi,quod præcedit uel sequitur, ad communionem assumitur, si dicto scriptum congruat. *V. sup. fol. 2990 versus*

LXXIIII.*Exceptio*: *Nisi non solennibus & directis uerbis sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l. in legatis.21.C.de leg.hisce uerbis*: In legatis uel fideicommissis uerborum necessaria non sit obseruãtia, ita ut nihil prorsus interfit, quis talem uoluntatem uerborum casus excepe rit,aut quis loquendi usus effuderit. *Concordat l.2.in princ. C.communia de leg.& fideicomm. ubi Imp.Iustinianus*:Omne uerbum (*inquit*) significãs testatoris legitimum sensum legare uel fideicõmittere uolentis,utile atq; ualidum est sine directis uerbis:quale est,Iubeo: siue precarijs utetur testator,quale est,Rogo,uolo,mando,fideicommitto: siue iuramẽtum interposuerit,&c. *Concordat item Instit.de leg.§. sed olim quidem. ubi Imp.Iust.* Sed olim quidem (*inquit*)erant legatorum genera quatuor,per uindicationem,per damnationem, sinendi modo,per præceptionem:& certa quędam uerba cuiq; generi legatorum adsignata erant, per quæ singula genera legatorum significabantur. Sed ex constitutionibus diuorum Principũ solennitas huiusmodi uerborum penitùs sublata est. Nostra autem constitutio, quam cum magna fecimus lucubratione, defunctorum uoluntates ualidiores esse cupientes, & non uerbis,sed uoluntatibus eorum fauentes, disposuit, ut omnibus legatis una sit natura: & quibuscunque uerbis aliquid relictum sit, liceat legatarijs id persequi, &c. *Concordat item Instit. de singulis reb.per fideicom.rel.§.fin.cuius hæc sunt uerba*: Verba fideicommissorum hæc maximè in usu habentur: Pero, rogo, uolo, mando, fideì tuæ cõmitto: quæ perinde singula firma sunt, atque si omnia in unum congesta essent.*Concordat item l.fideicom.11.in prin.ff.de leg. 3.ubi Vlpianus*: Fideicommissa(*inquit*)quocunque sermone relinqui possunt, non solùm Latina uel Græca,sed etiam Punica uel Gallicana, uel alterius cuiuscunq; gẽtis lingua. *Vnde & Neratius*: Et eo modo relictum(*inquit*) Exigo, desidero ut des,fideicommissum ualer: sed & ita,Volo hæreditatem meam Titij esse,Scio hæreditatẽ meam restituturum te Titio. *l.& eo modo.115.ff.de legat.1. Et Vlpianus*: Etiam hoc modo (*inquit*) Cupio ut des, credo te daturum: fideicommissum est. *l.etiam. 112.ff.eod.tt. Papinianus quoq;*:Marcus Imperator (*inquit*)rescripsit,uerba quibus testator ita caurat, Non dubitare se, quodcunq; uxor eius cepisset, liberis suis reddituram: pro fideicommisso accipienda.quod rescriptum (*inquit*) summam habet utilitatem, ne scilicet honor bene trãsacti matrimonij,& fides etiam communium liberorum decipiat patrem,qui melius de matre præsumpserat.Et ideo princeps prouidentissimus,& iuris religiosissimus,cum fideicommissi uerba cessare animaduerteret,eum sermonem pro fideicommisso rescripsit accipiendum. *l.si unum.69.§.fin.ff.de leg.2. Scæuola quoq;*: Propositũ est,non habentem liberos,nec cognatos,in discrimine uitæ constitutum per infirmitatem,accersitis amicis, Caio Seio contubernali dixisse,quòd uelit ei relinquere prędia quæ nominasset, eaq; dicta in testationem Caium Seium redegisse,etiam ipso testatore interrogato,an ea dixisset? & responso eius tali *Mælig.* inserto,quæsitum est,an prædia quæ destinata essent,ex causa fideicommissi ad Caium Seium pertinerẽt? Respondi,Super hoc nec dubitandum esse,quin fideicommissum ualeat. *l.Pamphilo.37.§.propositum.ff.de leg.3. Sed etsi quis non dare,sed reddere iubeat,ualet legatum:quia(mquit Labeo)qui reddere iubetur, simul & dare iubetur. l.hæres.98. in prin. ff.de leg.3.l.cum quidam.21.ff.de leg.2.Item si hæres iussus sit facere ut Lucius centum habeat, Caius Iurisconsultus ait, cogendus est hæres centum dare: quia nemo facere potest ut ego habeam centum,nisi mihi dederit. l.si hæres.72.in princ. ff.de leg.1. Item si testator dixit,Rogo quidquid aut ego reliquero, aut uos ipsi habetis, commune uobis sit: fideicommissum ualet. l.testamento.91. §.Lucius.ff.de leg.2.cuius uerba uide j.lib.prox.cap.5. reg.14. Concordat l.Lucius.78.in prin.ff.ad S.C.Treb. cuius uerba uide j.d.reg.14. Vlpianus etiã ait*:Si quis ita cauerit,Peto ut illi des,aut illi fideicommissum relinquas,aut illi libertatem adscribas:admittẽda sunt. nam cum in hæredum institutione senatus utile censuit,de cæteris quoq; idem erit accipiendum. *l.ex facto.17.§. si quis cauerit.ff.ad S.C.Treb. Sed etsi quis ita dixerit, Scio omnia ea quæ tibi relinquo,ad filios meos perueniura:fideicõmisso æquiparatur. Nam ita Scæuola*:Pamphilo liberto hoc amplius quàm codicillis reliqui,dari uolo centũ: & scio, omnia quæ tibi Pamphile relinquo,ad filios meos peruentura, cum affectionẽ tuam circa eos bene perspectam habeam.quæro,an uerbis suprascriptis Pãphili fidei commiserit,ut post mortem filijs defuncti centum restituat? respondi, Secundum ea quæ proponerentur, non uideri quidem (quantũ ad uerba testatoris pertinet) fideicõmissum Pamphilo ut

centum restitueret: sed cum sentētiam defuncti à liberto decipi satis inhumanum sit, centū ei relictos filijs testatoris debere restitui: quia in simili specie & imperator noster diuus Marcus hoc constituit. *l.Pamphilo.17.in prin.ff.de leg.3.*Idē *Scæuola alibi:*Pater*(inquit)*filios hęredes scripserat,& adiecerat:Prędia quæ ad eos ex bonis meis perueńtura sunt, nulla ex causa abalienent,sed conseruent successioni suæ,deq; ea re inuicem sibi caueāt. Ex his uerbis quæsitū est, an prædia per fideicommissum relicta uideantur? Respondi,nihil de fideicommisso proponi. *l.pater.36.§.pater filium.ff.de leg.3.Ait Scæuola:*Nihil de fideicōmisso proponi. *Id est,dubitari. Ita ego quidem interpretor,quamuis alij aliam adferant interpretationē. Vel dic,ut in proximo præcedente casu dicitur.Sed etsi quis ita scripserit, Sufficiāt tibi uineæ,uel fundus,fideicommissum est:quoniam & illud fideicōmissum esse arbitramur (inquit Vlpianus) Contentus esto illa re. l.fideicommissa.ii. §.si quis ita. ff.de leg.1.* Et *l.peto.71.in prin.ff.de leg.2.Papinianus:* Peto*(inquit)*Luci Titi, ut contentus sis centum aureis: fideicōmissum ualere placuit,idq; rescriptū est. Quid ergo, si cum hæredē ex parte instituisset, ita locutus est:Peto pro parte tua contentus sis Luci Titi centū aureis? petere poterunt cohæredes partem hæreditatis, eo retinente siue præcipiente id quo contentum esse uoluit defunctus. Sine dubio facilius est hoc probare,quàm probari potuit illud, cum fideicommissum ibi petatur ab his quibus testator locutus nō est. Idem dicemus,si cum ex asse scripsisset hæredem, eius gratia qui legitimus hæres futurus esset,ita loquatur: Peto pro hęreditate,quam tibi reliqui,quæ ad fratrē meum iure legitimo rediret, contentus sis centum aureis. *Planè pater qui filio semissem dederat,& sororibus eius impuberib.quadrantes, quib.fratrem tutorem dedit,ita fuerat locutus : Fili contentus eris pro tuo semisse duocentis aureis, & uos filiæ pro uestris quadrantibus centenis aureis. uice mutua liberis fideicōmissum hæreditatis reliquisse non uidebatur(inquit Papinianus)sed æstimationem (ut à parentib.frugi fieri solet)patrimonij sui feciſſe:nec idcirco fratrem iudicio tutelæ bonæ fidei rationes quandoque præscriptione demonstratæ quantitatis excussurum. l. cum pater.79.§.pater qui.ff.de leg.2. Casu igitur proposito excepto,si quis certa re uel parte contentus esse iussus sit,tam ipsi qui iussus est,ex fideicommisso competit actio,pro ea re uel parte qua contētus esse iussus est, quàm aliis pro reliqua parte.* Vnde *Scæuola quoq;:*Nuptura*(inquit)*duob.filijs, quos ex priore matrimonio habebat,mādauit, ut uiginti quæ doti dabat,stipularentur in omnem casum, quo solui posset matrimonium,ut etiam alterutri ex his tota dos soluatur.cōstante matrimonio uno ex filijs mortuo, uxor per epistolam petijt à superstite filio,uti quandoq; partem dimidiam duntaxat dotis exigat,& ea contentus eat: alteram autem partem apud maritum eius remanere cōcedat. quæsitū est, postea in matrimonio muliere defuncta,an maritus, si de tota dote conuenia tur à filio, doli mali exceptione se tueri possit? & an ultrò ex causa fideicōmissi actio ei competat, ut de parte obligationis accepto ei feratur? Respondi, exceptionem utilē fore,& ultrò ex fideicōmisso peti posse. Idem quærit,an de reliqua dimidia parte mādati actio utilis sit hæredibus mulieris aduersus filium eius? Respondi,secundū ea quæ proponerentur (maximè post literas ad filium scriptas)nō fore utilem. quoniam in his expressit, ut contentus esset dimidia parte dotis: quib.uerbis satis fideicōmissum filio relinqui placuit. *l.cum quis.35.§.nuptura. ff.de leg.3. Huic simile est & illud, Si quis retenta certa aliqua re uel parte, hæreditatē restituere est rogatus. nā & huic ex fideicommisso tam actio quām exceptio cōpetit.* Vt *de idem Scæuola:*Sciam ex dodrāte*(inquit)*Mæuiam ex quadrante instituit hæredes. fideī Seiæ cōmisit in hæc uerba: A te peto,tuæq; fidei committo, ut quidquid ex hæreditate mea ad te peruenerit, restituas filio tuo,retentis tibi hortis meis. quæsitum est,cum generali capite fideicōmisisset,quisquis hęres erit de omnibus, ut præstaret quodcunque legasset: an cum dodrantem hęreditatis restitueret, hortos in assem uēdicare Seia debeat? Respondi,Etiam hæredis fidei cōmissum uideri, ut quadrātem,quem in his hortis haberet,Seię redderet. *l.post emancipationē. 38.§.fin.ff.de leg.3.Concordat l.fideicommissa.11.§.cum esset.ff.de leg.3. cuius uerba uide ī.cap.10.causa 42.excepț.2. Concordat item l.si seruus.105.§.qui margarit. in fin.ff.de leg.1. cuius uerba uide ī. lib.proxim.cap.2. reg.2.excepț.4.. Contradicit l.in ratione.30.§.tametsi. ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide paulò inferius eadem except.§.postremò,in fine. Porrò ex parte dimidia hæredi instituto per præceptionem fundum legauit quis,& ab eo ita petijt:*Peto ut uelis cohæredem tibi recipere in fundo Iuliano meo, quem hoc amplius te præcipere iubsi,Clodium uerum nepotem meum,cognatum tuum. quæsitum est, an pars fundi ex causa fideicommissi nepoti debeatur? Respondit Scæuola,debere. *l.pater.36.§.fin. & l.91.§ fin.ff.de leg.3. Sed etsi sic fideicommissum dedero ab hærede meo, Te rogo Luci Titi,ut ab hærede tuo petas dari Mæuio decem aureos: utile erit fideicommissum, scilicet ut mortuo Titio ab hærede eius peti possit. idq; & Iulianus respondit. l.sed etsi.6.in prin.ff.de leg.3. Papinianus quoq;:*Miles*(inquit)*ad sororem epistolam,quam post mortem suam aperiri mandauit, talem scripsit: Scire te uolo, donare me tibi aureos octingentos. fideicommissum deberi sorori constitit: nec aliud probandum in cuiuslibet suprema uoluntate. Placet enim consistere fideicommissum, ac si defunctus cum eo loquatur, quem precariò remunerat. *l.miles.77. in prine.ff.de leg.2. Idem Papinianus:* Donationis prædiorum epistolam *(inquit)* ignoráte filio mater in æde sacra uerbis fideicōmissi non subnixam deposuit, & literas tales ad æditū misit: Instrumentū uoluntatis meę post mortē meā filio meo tradi uolo. cū plurib. hæredib. intestatò diē suū obijsset,intelligi fideicōmissum filio relictū respondi. non enim quęri oportet,cū quo de supremis quis loquatur,sed in quē uoluntatis intētio dirigatur. *l.cum pater.79.§.donationis.ff.d.tt.Sed & si testator uni nepotum plus dari iußit , reliquis nepotibus etiā uiriles partes uidentur legatæ. quod approbatur l. eum filius.78.§.pater.ff.de leg.2. cuius uerba uide ī.li. prox.cap.7.reg.1.in fine.Præterea uerba enūciatiua in modū causæ prolata fideicommissum inducūt.quod approbatur exemplo l.emptor.65.§.fin. ff.de rei uendicatione,his uerbis:* Ancilla quæ nō est in dotē data, sed in peculiū filiæ concessa est, peculio filię non legato, mancipiū hæreditariū esse cōuenit. Si tamē pater dotis ac peculij contemplatione filiā exhæredauit,& ea ratione reddita nihil eo testamento reliquit,aut eo minus legauit: filiā defensio tuebitur uoluntatis. *Aliud exemplū proponitur l.pater.17.§.auus.ff. de doli mali exc.his uerbis:* Auus nepotibus ex filia legauit singulis centena , & adiecit hæc uerba: Ignoscite,nam potuerā uobis amplius relinquere,nisi me frōto pater uester malè accepisset,cui dederā mutuò quindecim, quæ ab eo recuperare non potui: postremò hostes mihi ferè omnem substantiā abstulerunt. Quęsitū est,an si aui hæres ab his nepotibus , patris sui hæredibus , petat quindecim,cōtra uoluntatē defuncti facere uideatur,& an doli mali exceptione summoueatur? Respōdi,exceptionem obstaturā. *Sed & aliud exemplum proponitur l. Titia.35.§.fin.ff.de leg.2. his uerbis:* Titia cū nuberet Caio Seio, dedit in dotem prędia, & quasdā alias res. postea decedens codicillis ita cauit: *Γάϊον Σέϊον ἢ αὖ-λρα μη ωεφαπεκατὸν μικί σοι, ὦ θύγατερ, ᾧ βέλομαι λοιβλῶναι εἰς βίν χρῆσιν ἢ ἐπιμαρτίων κατοχλὴν πάμπο Νακλώνμ,λὺ ἐρθασα ἀεδωπῦα εἰς πρῶτα,σιὸ σῶμα σι τοὶς ἐμφερομενοις τῇ προικί,ᾗ κατὰ μηδεὶ ὀνοχλη θῆναι αὖτ ωαρὰ ᾗ πρωτὸς. ἔχαι γὰ μοῦ μετὰ τελευτῆλὶ αὖ ἢ σὰ,ᾗ ἢ τέκνων συ.* Id est: Caiū Seium uirum meū cōmendo tibi filia Ofera, cui uolo dari ad uitæ usumfructū & participationē castelli Nucleorū, quā perueni dedisse in dotē cū corporibus quæ inferūtur doti, & in nihilū molestari eū de dote: erūt enim post mortē eius tua,& filiorū tuorū. Præterea alia multa huic eidem marito legauit, ut quādiu uiueret haberet. Quæro,an propter hæc, quæ codicillis ei extra dotem relicta sunt, possit post mortē Caij Seij ex causa fideicōmissi petitio filiæ & hæredi Titiæ competere & earū rerū nomine,quas in dotem Caius Seius accepit? Modestinus respōdit: Licet non ea uerba proponantur, ex quibus filia testatricis fideicōmissum à Caio Seio,postquam præstiterit quæ testamēto legata sunt,petere possit: tamen nihil prohibet,propter uoluntatē testatricis post mortem Caij Seij fideicōmissum peti. *Planè proposita fideicommissi species non admittitur in casu d.l.15. in prin. proposito. cuius uerba uide ē.except.71. dissim.3. Præterea uerba sub specie modi & cōditionis prolata, fideicommissum inducunt. Quod approbatur l.2. C.de his quæ sub modo legata relin.hisce uerbis:* Ex his uerbis, Titio decē milia uel insulā relinquo,ita ut quinq; milia ex ijs,uel eandem insulam Męuio restituat: licet antea neq; legati,neq; fideicōmissi petitio nascebatur,tamen in libertate à diuo Seuero hoc admissum est. Sed & in pecuniarijs causis uoluntatis tuendę gratia non immeritò recipiendū, ut etiā ex huiusmodi uerbis,siue ad conditionē,siue ad modū respiciāt,siue ad dandū uel faciendū aliquid, fideicommissi actio omnifariè nascatur,uidelicet in cōditionibus post exitū earū. *Ait Imperator:* Siue ad conditionē,siue ad modū respiciāt,&c. *Hisce uerbis uidetur constitui, quòd si alicui quid legatū sit, Si Mæuio decē dedisset , Mæuiū ex testamēto ad præstāda sibi decem agere posse. uerùm huic interpretationi repugnant quodammodò uerba quæ ibidē sequuntur,hæc:* Videlicet in cōditionibus post exitū earum. *Nisi quis hæc uerba accipiat ita , ut is cui sub conditione hac, Si Mæuio decem dedisset, insula legata est, non nisi postquàm insulam ex causa legati acceperit,ad decem Mæuio præstanda per actionē cogi possit: quod habet rationē. Sed & supradictæ interpretationi repugnat l.si quis.8.cum l.sequente.ff.si quis omissa causa test.cuius hæc sunt uerba:* Si quis sub conditione dandorū decem: uel qua alia, quæ in dando uel in faciendo fuit,hæres institutus,omissa causa testamenti ab intestato possideat hæreditatem: uidendum est,an huic,in cuius personam conditio collata est , subueniri debeat? & magis est, ne subueniatur : neque enim legatarius est. sed etsi adhuc parendi conditioni tempus habeat, hac parte edicti nō tenetur. *Hæc (inquam) lex dictæ legi eiusq; interpretationi uidetur repugnare : nisi quis dicat alteram per alteram corrigi atq; mutari , quod potest admitti. Sed & contradicit l.in ratione.30.§.tametsi. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Tametsi in legis Falcidiæ ratione, quę conditionis implendæ causa hæredi sunt data, in quartam non computantur: tamen id quod non figura conditionis accipere iussus est ab eo cui hæreditatem restituere rogatus est , Celso & Iuliano nostro placuit computari , quemadmodum si ea summa hæres uendere eas res iussus esset : quia

non conditionis implendæ causa, sed quodámodò pro precio inferre sunt iussi. Quo loco amplius quæritũ est, an fideicommissarius quoq; inuitus cogatur dare eam summam, & recipere hæreditatem, quasi & ipsius fidei commissum esset? Sed & id uerissimi le non est: cùm talis oratio magis ipsius causa, quàm contra ipsum posita uideatur. *Sed & contradicit l. pater. 8. ff. de dotis collat. cuius uerba uide ẽ. lib. 30. cap. 5. quæst. 1. except. 3. Sanè si cui libertas relicta sit, Si Mæuio decem dedisset, & hæres statuliberum prohibeat, ne decem det Mæuio: statuliber nihilominus, quasi impleta conditione, ad libertatem peruenit: & Mæuius, quem testator decem accipere uoluit, aduersus hæredem in factum actione agere potest, ut testatori pareatur. l. dedi. 3. ſ. fin. ff. de condict. causa data. Postremò legati quoq; forma seu species est, Si quis hæres institutus sit, excepta certa aliqua re, puta fundo uel ædibus. Quæ forma proponitur l. si quis ita. 72. ff. de hæred. inst. his uerbis:* Si quis ita hæres institutus fuerit, Excepto fundo, excepto usufructu, hæres esto: perinde erit iure ciuili, atq; si sine ea re hæres institutus esset: idq; authoritate Galli Aquilij factum est. *Concordat l. Caius. 88. in prin. ff. de legat. 2. his uerbis:* Cajus Seius pronepos meus, hæres mihi esto ex semisse bonorum meorum, excepta domo mea & paterna, in quibus habito, cum omnibus quæ ibi sunt: quæ omnia scias ad portionem hæreditatis, quã tibi dedi, non pertinere. quæro, cum sit in his domibus argentum, nomina debitorum, supellex, mancipia: an hæc omnia quæ illic inueniuntur, ad alios hæredes institutos debeant pertinere? Paulus respondit, nomina debitorum non contineri, sed omnium hæc esse communia: in cæteris nullum pronepoti locum esse. *Ex his quæ hactenus proposita sunt, constat, quibuscunq; uerbis quid sit relictum, posse eo nomine actionem institui, proposita exceptione non obstante. Habet tamen hæc regula suas etiam distinctiones, quarum prima hæc est: Nisi per modum consilij & causæ finalis relictũ sit. Quæ distinctio approbatur exemplo l. Iuniano. 66. ſ. ex his uerbis. ff. de leg. 2. hisce uerbis:* Ex his uerbis, Curate agros attendere, & ita fiet, ut filius meus filios uestros uobis condonet: fideicommissum peti non posse. *Item approbatur alio exemplo l. generali. 32. in prin. ff. de usufructu legato, his uerbis:* Generali capite proposito, quidam in testamẽto suo ita adiecit: Felici, quẽ liberum esse iussi, usum fructum fundi Vestigiani lego: cuius proprietatem puto te Felicem consecuturum, si nõ contenderis cum hærede meo, sed potius concordaueris: sed & tu hæres omnia fac ut amici sitis, hoc enim uobis expediet. Quæsitũ est, an uiuente hærede exigere possit Felix proprietatẽ fundi? Respõdi, nihil proponi, cur Felici proprietas fundi legata uideretur. *Aliud itẽ exemplum propositæ distinctionis proponitur l. cum pater. 79. ſ. mando. ff. de leg. 2. his uerbis:* Mando filiæ meæ, pro salute ipsius solicitus, ut quoad liberos tollat, testamentũ non faciat: ita enim poterit sine periculo uiuere. Fideicommissariam hæreditatem cohæredi sorori non uideri relictam apparuit, quòd non de pecunia sua testari, sed obtentu consilij derogare iuri, testamentũ fieri prohibendo, uoluit. *Huic contradicit l. qui filiũ. 74. in prin. ff. ad S. C. Treb. cuius hæc sunt uerba:* Qui filium & filiam habebat, testamentum fecerat, & ita de filia sua cauerat, *Ἐντέλλομαί σοι μὴ διαθέσθαι περὶ τέκνων σοι γενέσθαι.* hoc est: Demando tibi, ne prius testamentũ facias, quàm liberos habeas. pronunciauit Imperator, fideicõmissum ex hac scriptura deberi, quasi per hoc quòd prohibuisset eam testari, petijsset ut fratrem suũ hæredem faceret: sic enim accipiendã eam scripturam, ac si hæreditatem suam rogasset eam restituere. *Planè distinctio proposita replicationem recipit l. fideicommissa. 11. ſ. hæc uerba. ff. de leg. 3. his uerbis:* Hęc uerba, Te fili rogo, ut prędia, quæ ad te peruenerint, pro tua diligentia diligas, & curam eorum agas, ut possint ad filios tuos peruenire: licet nõ satis expriműt fideicommissum, sed magis consilium quàm necessitatem relinquendi: tamen ea prædia in nepotibus post mortem patris eorum uim fideicommissi uidentur continere. *Hæc de prima distinctione reprobatæ exceptionis. Secunda distinctio proponitur d. l. 11. ſ. si ita quis, his uerbis:* Si ita quis scripserit, Illum tibi cõmendo: diuus Pius rescripsit, fideicõmissum non deberi. aliud est enim personam commendare, aliud uoluntatem suam fideicommittentis hæredibus insinuare. *Tertia distinctio proponitur l. uxori ẽ. 39. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Vxorem & filium communem hæredes instituit, & uxoris fidei commisit in hæc uerba: Peto à te domina uxor, ne ex fundo Titiano partem tibi uindices, cũ scias me uniuersam emptionem eius fundi fecisse, sed beneficio affectionis & pietatis, quam tibi debui, eandem emptionem (cùm numis meis comparassem) tecum communicasse. quæsitum est, an eum fundum in solidum filij esse uoluerit? Respondit, eum de quo quæreretur, perinde rationem in fundo haberi uoluisse, ac si uniuersus hæreditarius esset, ut pro parte dimidia & uxor & filius agrum ut hæreditarium habeant. *Quarta distinctio proponitur l. Lucius. 78. ſ. filiam. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Filiam suam hæredem scripsit, & nepotem quem ex ea habebat, ei substituit, & ita cauit: Lucio Titio, fratris mei filio, genero meo, ducentos aureos relinquo, quo legato scio illum contentum esse: quoniam scripsi uniuersam rem meam eo, quòd

quòd filiam meam & nepotem meum hæredes scripsi, uniuersam substantiam eis communicasse, quos inuicem commendo fidei patris. Filia adita hæreditate diuertit à marito. quæsitum est, an Titius quondam eius maritus suo uel filij sui nomine ex fideicommisso communionem bonorũ consequi possit, uiua quondam uxore sua, uel post mortem eius? Respondi, nihil fideicommissi datum genero proponi, præter ducentos aureos. *Quinta distinctio est, falsa legati demonstratio. Quæ proponitur l. cum tale. 70. ſ. fin. ff. de cond. & demonstr. his uerbis:* Falsam legati demonstrationem nõ facere legatum, Sabinus respondit: ueluti si quis, cùm Titio nihil legasset, ita scriptum reliquerit, Ex centum quæ Titio legaui, quinquaginta hæres Seio dato. idq; sumpsit ex defuncti uoluntate: quia non animo legandi, sed deminuendi legatum, quod falso datum existimaret, ita scriberet: propter falsam tamen demonstrationem legati non plus Seius ad sequetur, quàm si uere demonstratũ fuisset. *Hæc de sexti generis exceptionibus contra legata, quæ desumptæ sunt ex forma & uerbis legati ac fideicommissi. Sequuntur nunc septimi generis exceptiones, desumptæ ex tempore ex quo & ad quod, item ex conditione sub qua legatur. Sciendum autem est, liberum esse uel purè uel sub conditione relinquere fideicommissum, uel ex certo die. inst. de fideic. hæred. ſ. potest autem quisq;.*

LXXV. *Exceptio:* Nisi post mortem hæredis uel legatarij sit legatum. *Hæc exceptio reprobatur instit. de leg. ſ. post mortem, his uerbis:* Post mortem quoque hæredis aut legatarij, simili modo inutiliter legabatur: ueluti si quis ita dicat, Cum hæres meus mortuus fuerit, do lego. item, Pridie quàm hæres aut legatarius morietur. Sed simili modo & hoc correximus, firmitatem huiusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem præstantes, ne in hoc casu deterior causa legatorum, quàm fideicommissorum inueniatur. *Concordat l. scrupulosam. 11. C. de contrab. stipul. cuius uerba uide ẽ. lib. 37. cap. 3. except. 35. in iuris mutatione.*

LXXVI. *Exceptio:* Nisi tam angusto tempore legatum sit, quo præstari non potest. *Hæc exceptio reprobatur l. si mihi. 12. ſ. si, quis. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si quis seruos, quos Gadibus haberet, eo testamento, quod Romæ morans fecerat, triduo quo mortuus fuerit, hæredem dare mihi damnauerit: ratum esse legatum, & angustias temporis nihil legato nocere. *Est igitur hic replicatio constituenda aduersus exceptionem inferiorem 87.*

LXXVII. *Exceptio:* Nisi ad certum tempus sit legatum. *Hæc exceptio reprobatur l. ult. C. de legatis, hisce uerbis:* Illud quod de legatis uel fideicommissis temporalibus, utpote irritis, à legum conditoribus definitum est, emendare prospeximus, sancientes & talem legatorum uel fideicommissorũ speciem ualere, & firmitatem habere. Cum enim iam constitutum est, fieri posse temporales donationes & contractus: consequens est, etiam legata uel fideicommissa, quæ ad tempus relicta sunt, ad eandem similitudinem confirmari, post completum uidelicet tempus ad hæredem ijsdem legatis uel fideicommissis remeantibus, necessitatem habente legatario uel fideicommissario cautionem in personam hæredis exponere, ut ei post transactum tempus res, non culpa eius deterior facta, restituatur. *Proinde seruo alieno ita legari potest, quoad seruiat, uel quoad seruus Titij erit. l. seruo alieno. 110. in prin. ff. de legat. 1. & l. debitor. 84. ſ. seruo. ibi: calumniosa. ff. de leg. 2. Et filiofamiliâs (Cæsus ait) quoad in potestate patris est, in annos singulos dena dari possunt. l. ult. ff. de annuis legatis.*

LXXVIII. *Exceptio:* Nisi sub turpi, impossibili, uel alia huiusmodi conditione sit legatum. *De hisce & alijs similibus exceptionibus uide ẽ. lib. 34. cap. 5.*

LXXIX. *Exceptio:* Nisi sub hac conditione, Si hæres uolet, legatum sit. *Hæc exceptio approbatur l. senatus. 43. ſ. legatum. ff. de leg. 1. his uerbis:* Legatum in aliena uoluntate poni potest, in hæredis non potest. *Concordat l. fideicommissa. 11. ſ. quanquam. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ẽ. proximè. Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi ita sit legatum, Si fuerit arbitratus hæres, si putauerit, &c. *Hæc replicatio approbatur d. ſ. quanquam, his uerbis:* Quanquam fideicommissum non debeatur ita relictum, Si uolueris: tamen si ita adscriptum fuerit, Si fueris arbitratus, si putaueris, si existimaueris, si utile tibi fuerit uisum, uel uidebitur: debebitur. non enim plenum arbitrium uoluntatis hæredi dedit, sed quasi uiro bono fideicommissum relictum. *Concordat l. si sic. 74. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si sic legatum uel fideicommissum sit relictum, Si existimauerit hæres, si comprobauerit, si iustum putauerit: & legatum & fideicommissum debebitur. quoniam quasi bono uiro potius eã commissum est, non in meram uoluntatem hæredis collatum. *Secunda replicatio est:* Nisi *ita legatum sit, Nisi hæres meus noluerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 11. ſ. sic fideicommissum, his uerbis:* Sic fideicõmissum relictũ, Nisi hæres meus noluerit illi decem dare, uolo: quasi conditionale fideicommissum est, & primam uoluntatem exigit. ideoq; post primam uoluntatem non erit arbitrium hæredi dicendi se noluisse. *Tertia replicatio est:* Nisi *ita sit legatum, Cum hæres noluerit. Quæ replicatio approbatur d. l. 11. ſ. hoc autem legatũ. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 8. reg. 5. Concordat l. fideicommissa. 46. ſ. penult. ff. de*

ff.de fideicom. libertat. his uerbis: Quanquam in hæredis arbitrium conferri, an deberetur, non posſit: quando tamen debeatur, conferri poteſt. *Concordat item l.Claudius.17.ff.eod.tt. cuius uerba uide ℨ.libro 19. cap.7. except.69. replic.2. Quarta replicatio eſt: Niſi uni ex pluribus, cui hæres uoluerit, ſit legatum. Hæc replicatio approbatur l. utrum.8. §. cum quidam. ff. de rebus dubijs, his uerbis:* Cum quidam, pluribus hæredibus inſtitutis, unius fidei commiſiſſet, ut cum moreretur, uni ex cohæredibus, cui ipſe uellet, reſtitueret eam partem hæreditatis, quæ ad eum peruenisſet: ueriſimum eſt, utile eſſe fideicommiſſum. nec enim in arbitrio eius qui rogatus eſt, poſitum eſt, an omnino uelit reſtituere, ſed cui potius reſtituat. plurimùm enim intereſt, utrũ in poteſtate eius, quem teſtator obligare cogitat, faciat ſi uelit dare: an impoſita neceſsitate dandi, ſoli ei diſtribuendi liberum arbitrium concedat. *Concordat l.fideicommiſſa.46.ff.de fideicommiſſ. libertat. cuius uerba uide ℨ.libro 19. cap.6. except.29. Quinta replicatio: Niſi non expreſſè, ſed tacitè hæredis uoluntati permittatur. Hæc replicatio approbatur exemplo l.ſi ita.3. ff.de leg.2. his uerbis:* Si ita legetur, Hæres dare damnas eſto, ſi in Capitolium non aſcenderit: utile legatũ eſt: quamuis in poteſtate eius ſit aſcendere, uel non aſcendere. *Sexta replicatio eſt: Niſi libertas ſub propoſita conditione relinquatur. Hæc replicatio approbatur d.l.46.in prin.ff.de fideicommiſſ.libertat. cuius uerba uide ℨ.lib.19.cap.7.except.69.*

LXXX. *Exceptio: Niſi ita ſit legatum, Si Titius uoluerit, hæres meus Mæuio dato. quæ exceptio approbatur l. nonnunquam.50. in fine. ff. de condit. & demonſtr.cuius uerba uide ℸ.except.prox. Concordat l. illa.32.in prin.ff.de hæredibus inſtit.his uerbis:* Illa inſtitutio, Quos Titius uolúerit, ideo uitioſa eſt, quòd alieno arbitrio permiſſa eſt. nam ſatis conſtanter ueteres decreuerunt, teſtamentorum iura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendere. *Concordat l.captatoriæ.61.ff.de legat.1. his uerbis:* Captatoriæ ſcripturæ ſimili modo neque in hæreditatibus, neque in legatis ualent. *Concordat item l. ſi quis.66. §.atquin ſi quis. ff.de hæred.inſtit. cuius uerba uide ℸ.except.proxim. Concordat item l.captatorias.68. ff.eod.tt. cuius uerba uide ℨ. lib.28.cap.9. except.51. Contradicit l.ſenatus.43. §.legatum. ff.de leg.2. cuius uerba uide paulò ſuperius except. proxim. in prin.* Iam dictæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: *Niſi ita ſit legatum: Si Titius arbitratus fuerit, uel arbitrari uoluerit. Quæ replicatio approbatur l. 1. ff. de leg. 2. his uerbis:* In arbitrium alterius conferri legatum ueluti conditio poteſt. quid enim intereſt, Si Titius in Capitolium aſcenderit, mihi legetur: an, Si uoluerit? Sed cum ita legatum ſit pupillo ſiue pupillæ, Arbitrio tutorum: neque conditio ineſt legato, neq; mora: cum placeat in teſtamentis legatum in alterius arbitrium collatum, pro uiri boni arbitrio accipi. quæ enim mora eſt in boni uiri arbitrio, quod iniectum legato uelut certam quantitatem exprimit, pro uiribus uidelicet patrimonij? *Secunda propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi conditio hæc, Si Titius uoluerit: tacitè inſit legato, non expreſſa. Hæc replicatio approbatur per ea quæ proponuntur ℸ.proximè.*

LXXXI. *Exceptio: Niſi ita ſit legatum Titio, Sẽ Mæuius in Capitolium aſcenderit. Hæc exceptio uidetur approbari ratione exceptionis præcedentis: uerùm reprobatur l.nonnunquam.50.ff.de condit.& demonſtr. his uerbis:* Nonnunquam contingit, ut quædam nominatim expreſſa officiant, quamuis omiſſa tacitè intelligi potuiſſent, nec eſſent obfutura. quod euenit, ſi alicui ita legatur, Titio decem do lego, ſi Mæuius Capitolium aſcenderit. nam quamuis in arbitrio Mæuij ſit, an Capitolium aſcendat, & uelit efficere, ut Titio legatum debeatur: non tamen poterit aliàs uerbis utiliter legari, Si Mæuius uoluerit, Titio decem do. nam in alienam uoluntatem conferri legatum non poteſt. Inde dictum: Expreſſa nocent: non expreſſa, non nocent. *Concordat l.ſi quis.66. ff.de hæred.inſtituen.his uerbis:* Si quis Sempronium hæredem inſtituerit ſub hac conditione, Si Titius in Capitolium aſcenderit: quamuis non aliàs hæres eſſe poſsit Sempronius, niſi Titius aſcendiſſet in Capitolium, & hoc ipſum in poteſtate ſit poſitum Titij: quia tamen ſcriptura non eſt expreſſa uoluntas Titij, erit utilis ea inſtitutio. Atquin ſi quis ita ſcripſerit, Si Titius uoluerit. Sempronius hæres eſto: non ualet inſtitutio. quædam enim in teſtamentis, ſi exprimantur, nullum effectum habent: quando ſi uerbis tegantur, licet eandem ſignificationem habeant, quam haberent expreſſa, momentum tamen aliquod habeant. ſic enim filij exhæredatio cum eo ualet, Si quis hæres exiſtat: & tamen nemo dubitat, quin ſi ita aliquis filium exhæredauerit, Titius hæres eſto: & cum hæres erit Titius, filius exhæres eſto: nullius momenti ſit exhæredatio.

LXXXII. *Exceptio: Niſi alicui quinquaginta ſint legata, ita, ſi quinquaginta dediſſet. Quæ exceptio approbatur l.ſi fundus. 65. in fine. ff. ad l. Falcidiam. cuius uerba uide ℸ.libro 34.capite 1.except.27. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi fundus quinquaginta dignus legatus ſit, ita, ſi quinquaginta dediſſet. Quæ replicatio approbatur d. l.65. in princip. Concordat l. ſi cui.56. ff. de leg.2. his uerbis:* Si cui fundus centum dignus legatus fuerit: ſi centum hæredi uel cuilibet alij dederit, derit, uberrimũ uidetur eſſe legatum. Nam aliquando intereſt legatarij, fundum potius habere, quàm centum. Sæpe enim confines fundos etiam ſupra iuſtam æſtimationem intereſt noſtra adquirere. *Concordat item l.ſi cui.49.§.fin.ff.de leg.1.cuius uerba uide ℸ.lib.prox. cap.5.reg 46.*

LXXXIII. *Exceptio: Niſi ſub hac conditione, ſi hæres ſeruum alienaſſet, is ſit legatus. Quæ exceptio uidetur approbari l. Stichus.39. uerſ. at quid in legato. ff.de manumiſſ.teſtam. cuius uerba uide ℨ.lib.19.cap.7. except.65. Nunc ad octauum genus exceptionũ tranſeundũ. quod ſumitur ex loco & tempore quo legatur.*

LXXXIII. *Exceptio: Niſi ante hæredis inſtitutionem ſit legatum. Hæc exceptio reprobatur Inſtit.de leg.§.ante, his uerbis:* Ante hæredis inſtitutionem inutiliter antea legabatur, ſcilicet quia teſtamenta uim ex inſtitutione hæredis accipiunt, & ob id ueluti caput atque fundamentum intelligitur totius teſtamenti hæredis inſtitutio. Pari ratione nec libertas ante hæredis inſtitutionem dari poterat: ſed quia inciuile eſſe putauimus, ſcripturæ ordinem quidem ſequi (quod & ipſi antiquitati uituperandum fuerat uiſum) ſperni autem teſtatoris uoluntatem, per noſtrã Conſtitutionem & hoc uitium emendauimus, ut liceat & ante hæredis inſtitutionem, & inter medias hæredum inſtitutiones legatum relinquere, & multò magis libertatẽ, cuius uſus fauorabilior eſt. *Concordat l.ambiguitates.24.C.de teſtamentis.cuius uerba uide ℨ.lib.28. cap.19. except.8. Nonum genus exceptionum earum eſt, quæ ſumuntur ex inſtrumento, in quo legatum relictum eſt: cuius generis exceptiones nunc ſequuntur.*

LXXXIIII. *Exceptio: Niſi in teſtamento non iure facto, & imperfecto legatum ſit relictum. Hæc exceptio approbatur l.ex ea.29.in prin. ff.qui teſtam.facere poſſint, his uerbis:* Ex ea ſcriptura, quæ ad teſtamentum faciendum parabatur, ſi nullo iure teſtamentũ perfectum eſſet, nec ea quæ fideicommiſſorum uerba haberent, peti poſſe, Paulus reſpondit. *Concordat l.fideicommiſſa.11. §.1. ff.de leg.3. ubi Vlpianus:* Quoties quis exemplum teſtamenti præparat, & prius decedit, quàm teſtatur, non ualent quaſi ex codicillis, quæ in exemplo ſcripta ſunt, licet uerba fideicommiſſi ſcripta habeant: & ita diuũ Pium decreuiſſe, Mætianus ſcribit. *Concordat item l.ſi ueritas.25.C.de fideicommiſſis. cuius uerba uide ℸ.repl.9. Item concordat l.ex teſtam. 29.C.eod.tt.his uerbis:* Ex teſtamento quod iure non ualet, nec fideicõmiſſum quidem, ſi nõ inteſtato quoq; ſuccedentes rogati probentur, peti poteſt. *Item concordat l.ſi quis.8.§.illud quoq;.C.de codicillis. cuius uerba uide ℨ.lib.28.cap.25. quæſt.3. ſpecie 1. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi in teſtamento adiectum ſit, Hocq; ratũ eſſe uolo, quacunq; ratione licebit aut poterit. Quæ replicatio approbatur l.ex ea.29.§.fin. ff.qui teſtam. facere poſſint, his uerbis:* Paulus reſpõdit, ex his uerbis, τοῦτον τὸ διαθήκην βέβαιον εἶναι νομίσειν ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίαις: hoc eſt, Hocq; teſtamentũ ratum eſſe uolo, quacunq; ratione eſſe uel licebit uel poterit: quę ſcripturæ paterfamiliàs addidit: uideri eum uoluiſſe omnimodò ualere ea quæ reliquit, etiáſi inteſtatus deceſsiſſet. *Concordat l.penult.§.fin.ff.de leg.2.ubi Scæuola:* Lucius Titius (*inquit*) hoc meum teſtamentum ſcripſi ſine ullo iuriſperito, rationẽ animi mei potius ſecutus, quàm miſeram & nimiá diligentiam: etſi minus aliquid legitimè, minúsue peritè fecero, pro iure legitimo haberi debet hominis ſani uolũtas. deinde hæredes inſtituit. quæſitũ eſt, inteſtati eius bonorum poſſeſsione petita, an portiones adſcriptæ ex cauſa fideicommiſsi peri poſsint? Reſpõdi, ſecundũ ea quę proponerentur, poſſe. *Secunda replicatio eſt: Niſi adiecerit teſtator, ſe uelle hoc uice codicillorũ ualere. Quæ replicatio approbatur l.ſi miles.3.§.fin. ff.de militari teſtamento, his uerbis:* Pleriq; pagani ſolent, cũ teſtamentũ faciũt, per ſcripturã adijcere, uelle hoc etiá uice codicillorũ ualere: nec quiſquá dixerit, ſi imperfectũ ſit teſtamentum, codicillos nõ eſſe, &c. *Concordat l.ſi quis.8.§.illud quoq;.C.de codicillis. cuius uerba uide ℨ.lib.28.cap. 25. quæſt.2. ſpecie 1. Tertia replicatio eſt: Niſi iureiurando præſtari rogauerit teſtator. Quæ replicatio approbatur l. cum pater.79. §.filius. ff. de legat.2. his uerbis:* Filius matrẽ hæredem ſcripſerat, & fideicõmiſſa tabulis data cum iuriſiurandi religione præſtari rogauerat. cum teſtamentũ nullo iure factũ eſſet, nihilominus matrẽ legitimam hæredẽ cogendam fideicõmiſſa præſtare reſpondi. nã enixæ uoluntatis preces ad omnẽ ſucceſsionis ſpeciem porrectæ uidebantur. *Quarta replicatio eſt: Niſi imperatori ſit relictũ. Hæc replicatio reprobatur l.ex imperfecto. 23.ff.de leg.3.his uerbis:* Ex imperfecto teſtamento legata uel fideicõmiſſa Imperatorẽ uendicare, inuerecundũ eſt: decet enim tantæ maieſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe uidetur. *Concordat l.hac conſultiſſima.7. C.qui teſt.facer.poſſ. cuius uerba uide ℨ.lib.28.cap.17. repl.5. Concordat item l.ex imperfecto.3.C.de teſtamentis. cuius uerba uide d.repl.5. Concordat itẽ l.nolumus. 20.C.eod.tt. cuius uerba uide ℨ.lib.28.cap.21.except.33. repl.1. dupl.3. Quinta replicatio eſt:* Niſi ob iniquam exhæredationẽ uel prætermiſſionẽ iniuſtũ ſit teſtamentũ. *Hæc replicatio approbatur Nouell.c.115. §.ſanè ſi uſu-ueniat. ubi cũ imp.Iuſtinianus teſtamentũ, in quo liberi iniquè eſſent exhæredati, quãtũ ad hæredũ inſtitutionẽ pertinet, iniuſtũ cõſtituiſſet, ut ab inteſtato locus ſit, ſubijcit tandẽ hæc uerba:* Sanè ſi uſu ueniat, ut in talib. quibuſdã teſtamẽtis legata aliqua, aut fideicõmiſſa, aut libertates, aut tutorũ dationes relinquantur, aut quæcũq; alia legibus coguita

cognita capitula nominentur: hæc omnia impleri iubemus, & illis præstari, quibus relicta sunt, perinde quasi ex parte testamẽtum non subuersum rescissumque ualeret. *Concordat d.c.115. §.si hæc ita. cuius uerba uide ſ. lib. 28.cap.16.except.185. Sexta replicatio est: Nisi impedimentum, ob quod iniustum est testamentum, uiuo tetore cessauerit. Hæc replicatio approbatur l. posthumus.12.ff.de iniusto,rupto & irr.test.bis uerbis:* Posthumus præterius uiuo testatore natus decessit. licet iuris scrupulositate, nimiaq; subtilitate testamentum ruptum uideatur: attamen si signatum fuerit testamentum, bonorum possessionem secundum tabulas accipere hæres scriptus poterit, remq; obtinebit, ut Imp. noster & diuus Hadrianus rescripserunt. Idcirco legatarij & fideicommissarij habebunt ea quæ sibi relicta sunt, securi. Idem & circa iniustum & irritum testamentum erit dicendum, si bonorũ possessio data fuerit ei, qui rem ab intestato auferre possit. *Ait Iurisconsultus:* Idem & circa iniustum. *De hac re uide ſ.lib.28. cap.15. replicat. 19.distinct.2. Planè replicatio proposita reprobari potius quàm approbari uidetur, secundum ea quæ dicentur paulò inferius in replicationibus generalioribus. Septima replicatio est: Nisi ob id non ualeat testamentum, quòd testator filium suum defunctum falsò putãs, alium instituit hæredem. Quæ replicatio approbatur l. cum mater.28. ff.de inofficioso testamento. de qua re infrà quoq; dicetur except.86. repl.1. Octaua replicatio hæc est: Nisi ijdem hæredes, à quibus relictum est, ex priore testamento iure facto succedant. Hæc replicatio reprobatur l.si iure.18. in fine.ff.de leg.3. cuius uerba uide ſ. except.prox. repl.1. Nona replicatio hæc est: Nisi legatum ex iniusto testamento sit solutum, uel nonatio sit facta. Hæc replicatio elicitur ex l.si ueritas. 23.C.de fideicommiſſis. cuius hæc sunt uerba:* Si ueritas uel solennitas iuris deest, nec amplexus parentis uoluntatem relicta dedisti, uel transactionis causa stipulantibus promisisti, negociumque integrum est, ad solutionem urgeri non potes. *Decima replicatio est l.in testam.38. ff. de fideicommiſſ. libertat. in hæc uerba:* In testamento quidam, quod perfectum non erat, alumnæ suæ libertatem & fideicommissa dedit. cum omnia filij ueluti ab intestato gessissent, quæsijt Imperator, an rectè ex causa fideicommisi manumissa fuissent? & interlocutus est, etiamsi nihil ab intestato pater petijsset, pios tamen filios debuisse manumittere eam quam pater dilexisset. Pronunciauit igitur, eam rectè manumissam, & ideo fideicommissa etiam ei præstanda. *Vndecima replicatio est: Nisi testamento iure facto, uel ab intestato in scriptura minus solenni petierit. Quæ replicatio approbatur l.ex in.22. C.de fideicommiſſis, his uerbis:* Et in epistola, uel libello, uel sine scriptura, imò etiam nutu fideicommissum relinqui posse adhibitis testibus, nulla dubitatio est. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cum antea in testamento significasset, si quid obsignatũ recepisset, id uice codicillorũ ualere: postea in epistola non obsignata fideicommissa reliquerit. Hæc duplicatio reprobatur l.testamento.91.in prin.ff.de leg.2. his uerbis:* Testamento filium & uxorem suam hæredes instituit, postea epistolã scripsisse dicitur, qua & quidquid in peculio habuit filius, ei donauit, & adiecit se præcipua hæc eum suiq; iuris & post mortem suã habere uelle. quæro, cùm testamento significauerit, si quid obsignatũ recepisset, id uice codicillorum ualere: epistola autem non sit obsignata, an quæ epistola continentur, ad filium pertineant? Respondi, si fides epistolæ relictę constaret, deberi, quæ in ea dari se uelle significauit. *Duodecima replicatio est: Nisi ab intestato quoq; fideicommissum testator uoluit præstari. Hæc replicatio approbatur per ea quæ dicta sunt ſ. cap.3. except.8. item ſ. cap.10.causa 42.except.1.repl.6. Concordat l.ex testamento.29.ibi: si non intestato. C.de fideicom. cuius uerba uide ſ.ead.except.in prin. Reliquas huius loci replicationes uide alibi de iniusto testamento.*

Duplicatio generalis.

Planè iam dictarum replicationum duplicatio generalis hæc est: Nisi actor tanquam ex testamento petierit. quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur ſ.lib.28.cap.25.quæſt.3.reg.1.in fine.

LXXXV. *Exceptio: Nisi testamentum ruptum sit, aut irritum factum. Hæc exceptio approbatur l. si quis.83.ff.de leg.2.bis uerbis:* Si quis testamento facto à filijs suis, quos hæredes instituisset, fideicommissum reliquerit, non ut à legitimis hæredibus, sed ut à scriptis filijs, & testamentum aliquo casu irritum factum sit, filij ab intestato uenientes fideicommissum ex testamento præstare compelli non possunt. *Concordat l.1.in prin.C.de codicillis. ubi Imp.Alexander:* Rupto quidem testamento posthumi adgnatione, codicillos quoq; ad testamentum pertinentes non ualere, in dubium non uenit. *Quibus autem modis testamenta rumpantur uel irrita fiant, dictum ſ. libro 28.cap.19. cum sequentibus. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi posterius testamentum non sit iure factũ. Quæ replicatio approbatur l. si iure.18. ff.de leg.3. his uerbis:* Si iure testamẽto facto fideicommissum tibi reliquero, deinde aliud postea fecero non iure, in quo fideicommissum relinquam tibi, uel aliud quàm quod priore testamento uel omnino sit relictum: uidendum est, an mens mea hæc fuerit facientis postea testamentum, ut nolim ratum esse priore testamẽto tibi relictum: quia uoluntate nuda fideicõmissa infirmantur. sed nix id obtinere potest: fortasis ideo, quòd ita demum à priore testamento recedi uelim,

lim, si posterius ualiturum sit, & nunc ex posteriore testamento fideicommissum ei nõ debeatur, etiamsi ijdem hæredes utroque testamento instituti ex priore extiterint. *Secũda replicatio est: Nisi tacitum sit fideicommissum. Hæc replicatio approbatur hac ratione, quia rogatus tenetur probare etiam in fideicommisso mutatam esse uoluntatem testatoris: alioquin in posteriore testamento censetur repetitum, uel saltem ex sua cautione rogatus tenetur. Quod approbatur l.cum tacitum.8. ff.de probationibus, his uerbis:* Cum tacitum fideicommissum ab eo datur, qui tam in primo, quàm in secundo testamento pro eadem parte uel postea pro maiore hęres scribitur: probatio mutatæ uoluntatis ei debet incũbere, qui conuenitur: cum secreti suscepti ratio plerunque dominis rerum persuadet eos ita hæredes scribere, quorum fidem elegerunt. *Concordat l. Statius. 48. ff.de iure fisci. ubi Paulus:* Statius Florus (*inquit*) testamento scripto hæredis sui Pompeij tacitè fidei commiserat, ut non capienti fundum & certę pecunię quantitatem daret: & eo nomine cautionem à Pompeio exigi curauerat, se restituturum ea quæ ei per præceptionem dederat. postea idem Florus, facto secundo testamento, & eodem Pompeio & Faustino hæredibus institutis, nullas præceptiones Pompeio dederat. Hæc persona quæ capere non poterat, se detulerat. Consulti Imperatores à procuratoribus rescripserunt, si non probaretur mutatam uoluntatem, præstandum esse fideicommissum. atq; ita Pompeius cõdemnatus desiderabat id onus esse hæreditatis oportere, quia præceptiones non acceperat: nec posse uideri pro parte in prima uoluntate testatorem perseuerasse, sed in uniuerso pronunciauit: nec testamentum prius extare: nec si dedisset in primo testamento, ex posteriore peti potuisse, nisi petitum esset. Placuit, quia non probabat sibi datas præceptiones, ex sola sua cautione solum fideicommissum præstare debere. *Tertia replicatio hæc est: Nisi in posteriore testamento testator comprehenderit, fidei hæredis se committere, ut prius testamentum ualeat. Quæ replicatio approbatur l.post humus.12.§.fin.ff.de iniusto testam.bis uerbis:* Si paganus, qui habebat iam factum testamentũ, aliud fecisset, & in eo comprehendisset, fidei hæredis se committere, ut priores tabulę ualerent: omnimodò prius testamentum ruptum est: quo rupto, quæri poterit, an uice codicillorum id ualere debeat, cum & hęc uerba sint fideicommisi? Et fine dubio, uniuersa quæ illic scripta sunt, in causa fideicommisi erunt, non solùm legata & fideicommissa, sed & libertates & hæredis institutio. *Quarta replicatio est: Nisi post ruptum testamentum testator præcedens legatum confirmauit. Hæc replicatio approbatur l.1. C. de codicillis, hisce uerbis:* Rupto quidem testamento posthumi adgnatione, codicillos quoque ad testamentum pertinentes non ualere, in dubium nõ uenit. Sed cum post ruptum testamentum patrem pupillorum uestrorum literas emisisse proponatis, quibus præcedens iudicium confirmauit: Prætor nihil contra ius fecit, si nouissimam eius uoluntatem secutus, relictum testamento reip. fideicommissum, ut ex codicillis relictum, præstandum esse pronunciauit. *Quinta replicatio est: Nisi testator nomen tantùm hæredis, à quo legata relicta sunt, mutauit. Hæc replicatio approbatur l.cum quidam.12.in fin. ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ſ. lib.28.cap. 21.except.33.repl.3. Concordat l.cum secundis.16.§ fin. ff.eod.tt. de qua re dicetur ſ.inter causas legati amittendi, consistentes in persona eius, à quo est legatum relictum. Sed & alias huiusmodi replicationes uide ſ. lib. 28.cap.19.cum sequentib.item infrà cap.8.causa 42.except.1.repl.6.de non adita hæreditate. Item ſ.inter adiuncta actionis legatorum de priore & posteriore scriptura. Est insuper propositæ exceptionis species exceptio inferior proxima.*

LXXXVI. *Exceptio: Nisi testamentum tanquã inofficiosum sit rescissum. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt ſ. lib.prox. cap. 6. quæſt. 8. reg.1. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi testator putans filium suum mortuum, cum præterierit, indeq; testamentum sit rescissum. Hæc replicatio approbatur l.cum mater.28.ff.de inoff.test. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.4.quæſt.2. except.16. Concordat l.ult. in fine. ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ſ. lib.28. cap.21. except.31. replicat.11. Altera replicatio est: Nisi libertas per fideicommissum relicta, præstita sit. Hæc replicatio approbatur l.cum ex.4. C. de inoff. test. bis uerbis:* Cum ex causa fideicommisi secundum decretum Prætoris in libertate morati sitis, filios etiam suscepueritis: quamuis postea domini uestri testamentum inofficiosum sit pronunciatum agente filio, non est æquum fieri uobis libertatis quæstionem. *Tertia replicatio est: Nisi libertate relicta, post quinquennium querela inofficiosi testamenti mota sit. hoc enim casu nihilominus libertas legata debetur. quæ replicatio approbatur l.Papinianus.8.§.fin. ff. de inoff. testam. bis uerbis:* Planè si post quinquennium inofficiosum dici cœptum est, ex magna & iusta causa libertates non esse reuocandas, quæ competierunt uel præstitæ sunt, sed uiginti aureos à singulis præstandos uictori. *Quarta replicatio est: Nisi fideicommissaria libertas sit relicta. Hæc replicatio approbatur l. si autem. 9. ff.eod. tt. bis uerbis:* Si autem intra quinquennium egerit, libertates non competunt. Sed Paulus sit, præstaturum uictorem fideicommissarias libertates solùm uiginti aureis, & in hoc casu à singulis præstandis. *Quinta replicatio est: Nisi etiam ab hæredibus*

ab intestato uenientibus sit relictum. Hæc replicatio reprobatur l. patronus. 24. §. fin. ff. de leg. 3. his uerbis: Apud Scæuolam Claudius notat: Nec fideicommissa ab intestato data debentur ab eo, cuius de inofficioso testamento constitisset: quia crederetur quasi furiosus testamentum facere non potuisse: ideoque nec aliud quid pertinens ad suprema eius iudicia ualet. *Concordat l. Titia. 13. ff. de inoffic. test. cuius hæc sunt uerba:* Titia filiam hæredem instituit: filio legatum dedit eodem testamento, & ita cauit: Omnia ea quæ suprà dari fieri iussi, ea dari fieri uolo ab omni hærede bonorúmue possessore, qui mihi erit etiam iure intestati. Item ea quæ dari fieri iussero, ea uti dentur fiant, fidei eius committo. Quæsitum est, si soror centumuirali iudicio obtinuerit, an fideicommissa ex capite suprascripto debeantur? si hoc quæratur, an iure eorum quos quis sibi ab intestato hæredes bonorúmue possessores futuros credat, fidei committi possit? Respondit Scæuola, posse. Paulus notat & probat, nec fideicommissa ab intestato data deberi quasi à demente. *Sexta replicatio est: Nisi facta sit collusio inter hæredem & exhæredatum. Quæ replicatio approbatur l. si seruus plurium. 50. §. penult. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si hæres subiecit delatorem sibi, ut eius hæreditas adiudicaretur fisco, & oneribus careret, uel minus plenè defendit causam: non se exonerat exemplo eius, qui colluserit de hæreditate litigauit. *Sanè si suspecta collusio sit (inquit Vlpianus) legatarijs inter scriptos hæredes, & eum qui de inofficioso testamento agit, adesse etiam legatarios, & uoluntatem defuncti tueri constitutum est: eisq; permissum est etiam appellare, si contra testamentum pronunciatum fuerit. l. si suspecta. 29. in prin. ff. de inoffi. test. Septima replicatio est: Nisi pro parte testamentum per inofficiosi querelam rescissum sit, pro parte non. tunc enim ex ea parte, quæ rescissa non est, legata debentur. Quæ replicatio approbatur l. cum filius. 78. in prin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Cum filius diuersis tribunalibus actionem inofficiosi testamenti matris protulisset, atque item uariæ sententiæ iudicum extitissent: hæredem qui filium uicerat, pro partibus quas alijs cohæredibus abstulit filius, non habiturum præceptiones sibi datas, non magis quàm cæteros legatarios actiones, constitit. *Ait Iurisconsultus:* Pro partibus quas alijs cohæredibus abstulit filius, &c. *Ex his colligi potest, quòd pro reliqua parte, qua filius succubuit, legata debeantur. Concordat l. cùm duob. 13. C. de inofficioso testamento. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 6. quæſt. 8. reg. 1. except. 5. Planè libertas relicta in hoc casu, in solidum debetur: ut sequitur in d. l. 78. his uerbis:* Sed libertatem ex testamento competere placuit, cum pro parte filius de testamento matris litigasset. *Cui concordat d. l. 13. in fine. Hæc tamen distinctio ad seruitutes, quæ similiter diuidi non possunt, non pertinet: ut d. l. 78. sequitur, his uerbis:* Quod non erit trahendũ ad seruitutes, quæ pro parte minui non possunt. *Subijcit tamen Iurisconsultus:* Planè petetur integrè seruitus ab eo qui filium uicit, partis autem æstimatio præstabitur. at si paratus erit filius precio accepto seruitutem præbere, doli exceptione legatarius submouebitur, si non offerat partis æstimationem, exemplo scilicet legis Falcidiæ. *Hactenus propositæ exceptionis replicationes enumeratæ sunt: quarum tamen plures uide ſ. lib. prox. cap. 6. quæſt. 8. reg. 1.*

Mutatio iuris.

Planè iure nouo exceptio proposita mutatur ac reprobatur Nouell. 115. §. cæterum si hæc obseruata. uerſ. sanè si usueniat. item §. si hæc ita obseruata, in fine. cuius uerba uide ſ. lib. 28. cap. 16. except. 185.

LXXXVII. *Exceptio: Nisi contra tabulas bonorum possessio sit petita. hoc enim casu legata non debentur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ proposita sunt ſ. lib. prox. cap. 8. quæſt. 4. reg. 1. Hæc de exceptionibus, quæ sumuntur ex testamento, in quo est legatum. Sed & plures huius generis exceptiones uide ẏ. inter causas amittendi legati, in testamento & hæreditate consistentes. Decimum genus exceptionum contra legata, sumptum est ex qualitate legati, cuius generis species hæ sunt.*

LXXXVIII. *Exceptio: Nisi contra ius & bonos mores legatum sit. Hæc exceptio approbatur l. si inquilinos. 109. §. si quis scripserit. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si quis scripserit testamento fieri, quod contra ius est uel bonos mores, non ualet: ueluti si quis scripserit contra legem aliquid, uel contra edictum prætoris, uel etiam turpe aliquid. Diui Seuerus & Antoninus rescripsérunt, iusiurandum contra uim legum & authoritatem iuris in testamẽto scriptum, nullius esse momenti. *Concordat Inſt. de leg. §. fin. his uerbis:* Excipimus ea quæ impossibilia sunt, uel legibus interdicta, aut aliàs probrosa. Huiusmodi enim testamentorum dispositiones ualere, facta meorum temporum non patitur. *Concordat l. unica, in fine. C. de his quæ pœnæ, his uerbis:* Quòd si aliquid facere uel legibus interdictum, uel aliàs probrosum, uel etiam impossibile iussus aliquis eorum fuerit: tunc sine ullo damno, etiam neglecto testatoris præcepto, seruabitur. *Concordat l. si legatum. 3. §. fin. ff. de annuis legatis. ubi Vlpianus:* Si cui certa quantitas (*inquit*) legetur, & quoad præstetur, in singulos annos certum aliquid, ueluti usuras, iusserit testator præstari, legatum ualet: sed in usuris hactenus debet ualere, quatenus modum probabilem usurarum non excedat.

LXXXIX. *Exceptio: Nisi turpe legatum sit, & probrosum. Hæc exceptio approbatur l. turpia. 54. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Turpia legata, quę denotandi

notandi magis legatarij gratia scribuntur, odio scribentis pro non scriptis habentur. *Concordat l. unica. §. fin. C. de his quæ pœnæ. & Inſt. de leg. §. fin. quorum uerba uide ſ. except. prox.*

XC. *Exceptio:* Nisi *ineptum sit legatum. Hæc exceptio approbatur l. seruo alieno. 110. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Ineptas uoluntates defunctorum circa sepulturam: ueluti ut uestes, aut quæ alia superuacua ei in funus impendantur: non ualere, Papinianus libro tertio scribit.

XCI. *Exceptio:* Nisi *nullius, præterquam testatoris, interfit. De hac exceptione uide ẏ. lib. 34. cap. ult. except. 4.*

XCII. *Exceptio:* Nisi *impossibile sit legatum. Hæc exceptio approbatur Inſt. de leg. §. fin. cuius uerba uide ſ. except. 88. Concordat l. unica, in fine. C. de his quæ pœnæ. cuius uerba uide d. except. 88. Huius exceptionis replicatio proponitur ſ. except. 76.*

XCIII. *Exceptio:* Nisi *dubium sit legatum, & incertum. Hæc exceptio approbatur l. 2. ff. de his quæ pro non scriptis, & c. hisce uerbis:* Quæ in testamento scripta essent, neque intelligerentur quid significarent, ea perinde esse, ac si scripta non essent: reliqua autem per seipsa ualere. *Vnde Modestinus:* Si quis de pluribus unum manumitti uoluerit (*inquit*) nec appareat de quo manumittendo testator senserit, nulli eorum fideicommissaria libertas competit. *l. si quis. 28. ff. de reb. dub. Et Vlpianus:* Si fuerit legatum relictum (*inquit*) Ex cognatis meis, qui primus Capitolium ascẽderit: si simul duo uenisse dicantur, nec appareat quis prior uenerit, an impediatur legatum? uel si ei qui monumentum fecerit, & plures fecerint? uel ei qui maximus natu est, & duo pares ætate sint? Sed etsi legatum Sempronio amico fuerit relictum, & duo sint æqua charitate coniuncti: aut si duobus eiusdem nominis fuerit legatum (puta Sempronijs) mox Sempronio ademptum sit, nec appareat cui ademptum sit, utrum datio in utriusque persona infringatur, an ademptio nulla sit, quęri potest: item si ex pluribus seruis eiusdem nominis uni, uel quibusdam libertas relicta est? & uerius est, in his omnibus etiam legata & libertates impediri, ademptionem autem in utrunq; ualere. *l. si fuerit. 11. in prin. ff. de rebus dub. Planè quod de ademptione dicit, ei contradicit l. si quis. 3. §. si duobus. ff. de adim. leg. ubi idem Vlpianus:* Si duobus Titijs (*inquit*) separatim legauerit, & uni ademerit, nec appareat cui ademptũ sit, utrique legatum debetur: quemadmodum & in dando, si non appareat cui datum sit, dicimus neutri legatum. *Propositæ exceptionis prima replicatio hæc est: Nisi in ipsa re relicta dubium sit legatum: puta, si non appareat de quo senserit testator. hoc enim casu non in totum inutile est legatum, sed electio est penes hæredem, quam rem dare uelit. de qua re ẏ. lib. 34. cap. 11. dicetur. Sed & approbatur replicatio proposita l. ubi. 22. in prin. ff. de reb. dubijs, hisce uerbis:* Vbi est uerborum ambiguitas, ualet quod actum est: ueluti cùm Stichum stipulor, & sint plures Stichi: uel hominem Carthagini, cum sint duę Carthagines. *Concordat l. qui habebat. 29. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẏ. lib. prox. cap. 4. de seruis legatis, reg. 18. Idem dicendum, si rei legatæ quantitas uel summa non sit adiecta. nam interdum nihilominus ualet. de quo uide ẏ. lib. prox. cap. 7. reg. 1. Sed & si testator artificium doceri iusserit, nec genus artificij adiecerit, non ob id inutile censetur legatum. l. Stichus. 12. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ẏ. lib. prox. cap. 5. reg. 6. Idq; notandum loco secundæ replicationis. Tertia replicatio est:* Nisi *cum dubium esset legatum in persona legatarij, unus probauerit de se sensisse testatorem. Quæ replicatio approbatur l. falsa. 32. in prin. ibi: sed si controuersia. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Si controuersia sit de nomine inter plures, qui probauerit sensisse de se defunctum, ille admittetur. *Quarta replicatio proponitur l. si quis. 17. §. fin. ff. de legat. 2. his uerbis:* Si hæres damnatus esset, decem uni ex libertis dare, & non constiterit cui daret: hæres omnibus eadẽ decem præstare cogendus est. *Sed de hac re uide ẏ. lib. prox. cap. 1. quæſt. 3. reg. 6. except. 3. repl. 1. Planè in rebus dubijs atq; perperam scriptis ita interpretatio facienda est, ut testatoris uoluntas magis ualeat quàm pereat. de quo dicetur ẏ. inter adiuncta actionis legatorum. Sequitur nunc postremum genus exceptionum, earum scilicet quæ sumuntur ex antecedentibus legatum.*

XCIIII. *Exceptio: Nisi eandem rem antea alij quoque legauit testator. Hæc exceptio reprobatur: quia hoc casu priori ademisse legatum uidetur, & in posteriorem transtulisse. De qua re dicetur ẏ. cap. 8. de adempt. & transl. legatorum.*

XCV. *Exceptio: Nisi antea legatum ademptum sit. Hæc exceptio approbatur l. si mihi. 12. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Interdum in legatis non posterior, sed præcedens scriptura ualet. nam si ita scripsero: Quod Titio infrà legauero, id neque do, neque lego. quod infrà legatum erit, non ualebit. *Concordat l. si ita. 14. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẏ. lib. prox. cap. 5. reg. 51. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi testator postea specialiter dixerit, prioris uoluntatis se pœnituisse. Quæ replicatio approbatur l. si quis. 22. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si quis in principio testamenti adscripserit: Cui bis legauero, semel deberi uolo. postea eodẽ testamento uel codicillis sciens sæpe eidem legauerit, suprema uoluntas potior habetur. nemo enim eâ sibi legẽ potest dicere, ut à priore ei recedere non liceat. Sed hoc ita locũ habebit, si specialiter dixerit prioris uolũtatis se pœnituisse, & uoluisse ut legatarius plura legata accipiat.

XCV I. *Exceptio: Nisi rem legatam antea pro legatario promiserit testator, uel soluerit. Hæc exceptio approbatur l.huiusmodi.81.§.cum pater. ff.de leg.1.his uerbis:* Cum pater pro filia sua dotis nomine centum promisisset, deinde eidem centum eadem legasset: doli mali exceptione hæres tutus erit, si & gener ex promissione, & puella ex testamento agere instituerint. conuenire enim inter eos oportet, ut alterutra actione contenti sint. *Concordat l.filia.11.C.de legatis. cuius uerba uide §.cap.8.causa 6. Huius exceptionis replicatio est: Nisi filia probet patrem duplicare legatum uoluisse. Quæ replicatio approbatur l.cum pater.29.§.& siquidem.ff.de iure dotium. cuius uerba hæc sunt:* Cum pater dotem pro filia promittit, & dotem legat: siquidem marito legat, uidendum est an legatū ualeat? & non puto ualere. Nam cum creditori debitor legat id quod debet, nullum legatum est. Quòd si filiæ legauit, ualet legatum: dos enim ex promissione marito debetur, legatum filiæ. Et siquidem hoc animo testatorem esse filia ostenderit, ut duplicaret ei legatum: habebit utrumque, & dotem quam maritus persecutus fuerit, & legatum ex causa legati. Quòd si alterutrum uoluerit habere, si mulier legatum petat, opposita doli exceptione, non aliàs cogetur ei hæres legatum soluere, quàm si cauerit indemnem hoc nomine hæredem futurum aduersus maritum ex promissione agentem. sed si maritus agat, nihil de indemnitate cauere eum oportebit: uerùm mulier post eum agens, exceptione repelletur, quia semel dos præstita est. *Hactenus undecim exceptionum genera aduersus legata cum suis speciebus proposita sunt. Superest unum genus exceptionum, earum scilicet quæ sumuntur ex consequentibus legatum: cuius generis species hæc est*

XCVII. *Exceptio: Nisi legatum in eam causam peruenerit, à qua incipere non potest. Hæc exceptio approbatur l.si m.3.in fine. ff. de his quæ pro non scriptis, &c.his uerbis:* Si seruo alieno quid legatum fuerit, & postea à testatore redemptus sit, legatum extinguitur. nam quæ in eam causam peruenerunt, à qua incipere non possunt, pro non scriptis habentur. *Plures huius exceptionis species & exempla proponentur §.cap.8. Sed & reliquæ propositi generis species in d.cap.prox.proponentur. Continet enim hoc genus causas amittendi legati iure dati: quæ non incommodè hic etiam exceptionum loco possent proponi. Sed & plures exceptiones contra legata licet uidere §. in singulis legatorum speciebus. Nunc aliquot replicationes aduersus hactenus enumeratas exceptiones, generaliores nobis sunt proponendæ.*

REPLICATIONES GENERALES aduersus hactenus propositas exceptiones. Cap. VII.

Prima replicatio: Nisi res in eum casum reciderit, à quo ab initio consistere potuit. Hæc replicatio reprobatur regula Catoniana l.1.in prin. ff. de regula Catoniana, his uerbis: Catoniana regula sic definit, quod, si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum, quandocunque decesserit, non ualere. *Concordat l.quod init.29. ff. de reg.iuris. ubi Paulus:* Quod initio uitiosum est (*inquit*) non potest tractu temporis conualescere. *Concordat item l.omnia.201.ff.eod.tt.ubi Vlpianus:* Omnia (*inquit*) quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum euentus capiunt, si initium sine uitio ceperint. *Licinius quoque Iurisconsultus:* Quæ ab initio inutilis fuit institutio (*inquit*) temporis tractu conualescere non potest. *l.pen.ff.d.tt. Huius regulæ exemplum est: Si quis rem meam mihi legauerit, eamq; postea alienauero: non enim conualescit legatum rei meæ. Item: Si quis marmora & columnas legauerit ædibus iunctas. quamuis enim postea fuerint separatæ, non conualescit legatum. l.cætera.41.§.1.ff.de leg.1. Planè regula Catoniana plures recipit exceptiones seu distinctiones, quibus replicatio proposita admittitur. Prima distinctio hæc est, Nisi legatum sit conditionale. Quæ distinctio approbatur d.l.41.§.1.in fine.ff.de leg.1.his uerbis:* Purum legatum Catoniana regula impedit, conditionale non: quia ad conditionalia Catoniana non pertinet. *Concordat l.placet.4. ff.de reg. Catoniana. ubi Vlpianus:* Placet (*inquit*) Catonis regulam ad conditionales institutiones non pertinere. *Proinde Paulus:* Si sub cōditione legetur (*inquit*) poterit legatum ualere, si existentis conditionis tempore res mea non sit, uel ædibus iuncta non sit, secundum eos qui & emi rem meam sub conditione, & promitti mihi stipulanti, & legari posse aiunt. *d.l.41.§.1. Secunda distinctio hæc est: Nisi tale sit legatum, cuius dies non nisi adita hæreditate cedit. Hæc distinctio approbatur l.Catoniana. 3.ff.de regula Catoniana, his uerbis:* Catoniana regula non pertinet ad hæreditates, neque ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, sed post aditam hæreditatem cedit. *Quæ autem huiusmodi sint legata, dicetur §.lib.prox.cap.8. reg.1.except.12.cum sequentibus. Sanè eius exemplum proponitur l.cum legato.17.ff.quando dies leg.ced. cuius uerba uide §.d.cap.8.reg.1. except.15. Tertia distinctio habetur l.ult.ff.de reg.Caton. his uerbis:* Regula Catoniana ad nouas leges non pertinet. *Quas nouas leges hic denotat Iurisconsultus, glossa dubitat, & ego ignoro: nisi eas leges intelligat, quæ post regulam Catonianam latæ in certis casibus contra istam regulam aliquid constituerunt. Quarta distinctio habetur l.2. ff.d.tt.his uerbis:* Sed etsi sic legauerit,

Si filia mea Titio nupta erit: sufficere uisum est, si mortis tempore nupta inueniatur, licet testamenti facti tempore fuerit impubes. *Quinta distinctio habetur l.1.§.1.ff.dicto tt.his uerbis:* Definitio regulæ Catonianæ in quibusdam falsa est. quid enim, si quis ita legauerit: Si post calendas mortuus fuero, Titio dato? an cauillamur? nam hoc modo, si statim mortuus fuerit, non esse datum legatum uerius est, quàm inutiliter datū. *Sexta distinctio est: Nisi pater rem filij castrensis peculij legauerit. hoc enim casu, si pater statim decederet, nullius momenti esset legatum: cum rem tanquam suam futuram legauerit, quæ tamen uiuo filio ipsius non est. Quæ distinctio approbatur l.seruum.44.in prin.ff.de legat.1.cuius uerba uide §.cap.4.except.49.distinct.6. Sed & plures sunt propositæ regulæ distinctiones, quæ suis insertæ sunt locis.*

11. *Replicatio: Nisi legatum inutiliter datum, postea repetitum sit. Hæc replicatio approbatur l. legata.19. in prin. ff.de leg.1. his uerbis:* Legata inutiliter data Papinianus putat libris Quæstionum confirmari per repetitionem, id est, per hanc scripturam, postea fortè in codicillis factam: Hoc amplius ei hæres meus dato. Et diuersum esse in illa scriptura: Quas pecunias legaui, quibus dies adpositus non est, annua, bima, trima die hæres meus dare damnas esto. non enim hoc egisse testatorem, ut confirmaret quæ inutilia essent, sed ut diem utilibus prorogaret. Idem eodem loco & in substituto impuberi scribit: ut si fuerit ab impubere inutiliter legatum, substitutus hoc debeat, si hoc amplius legatum ab eo sit relictum aliquid, nec ille patri hæres extiterit, aut impubes decesserit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi tempus tantùm legati soluendi, hæredis causa in repetitione sit adiectum. Quæ duplicatio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Et diuersum esse, &c.

111. *Replicatio: Nisi legatum inutiliter datum, postea sub conditione sit ademptum. Hæc replicatio reprobatur l.legata.14.in prin. ff.de adimendis legatis, hisce uerbis:* Legata inutiliter data ademptione nō confirmantur: ueluti seruo à domino hæredē instituto purè legatum si sub conditione adimatur. nam purè legatum si sub cōditione adimatur, sub contraria conditione datū intelligitur, & ideo confirmatur: ademptio autem quo minus, non quo magis legatum debeatur, interuenit.

1111. *Replicatio: Nisi hæres legatum inutiliter datū agnouit uel soluit. Hæc replicatio approbatur l. non dubium.16. §.illud etiam. C.de testamentis, hisce uerbis:* Illud adijciendum est, ut qui ex testamento uel ab intestato hæres extiterit, etsi uoluntas defuncti circa legata, seu fideicommissa, seu libertates, legibus non sit subnixa: tamē si sua sponte agnouerit, implēdi eam necessitatem habeat. *Concordat l.2.C.de fideicommissis, hisce uerbis:* Etsi inutiliter fideicommissum relictum est, tamen si hęredes comprobata uoluntate defuncti prædia ex causa fideicommissi auo tuo præstiterunt, frustra ab hæredibus eius de ea re quæstio tibi mouetur, cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi uoluntati satisfactum esse uideatur. *Concordat l.si ueritas.23. ibi: nec amplexus. C.eod.tt. cuius uerba uide §.cap.prox.except.84.repl.9. Item concordat l.regula est.9.§.sed & imperatores. ff.de iuris & facti ignorant. his uerbis:* Impp. Seuerus & Antoninus in hæc uerba rescripserunt: Quod ex causa fideicommissi indebitum datum est, si non per errorem solutum fit, repeti nō potest. Quamobrē Gargiliani hæredes, qui cum ex testamēto eius pecuniam ad opus aquæductus reipub. Cyrenensium relictam soluerint, nō solùm cautiones non exegerunt, quæ interponi solēt, ut quod amplius cepissēt municipes, quàm per legem Falcidiam licuisset, redderent: uerumetiam stipulati sunt, ne ea summa in alios usus conuerteretur, & scientes prudentesque pasi sunt eam pecuniam in opus aquæductus impendi: frustra postulant reddi sibi à republica Cyrenensium, quasi plus debito dederint: cum sit utrunq; iniquum, & pecuniam, quæ ad opus aquæductus data est, repeti: & rēpubl. ex corpore patrimonij sui impendere in id opus, quod totum alienæ liberalitatis gloriam repræsenter.

Quòd si ideo repetitionem se eius pecuniæ habere dicunt, quòd imperitia lapsi, legis Falcidiæ beneficio usi non sint: sciant ignorantiam facti, non iuris prodesse: nec stultis solere succurri, sed errantibus. Et licet municipum mentio in hac epistola fiat: tamen & in qualibet persona idem obseruabitur. Sed nec quòd in opere aquæductus relicta esse pecunia proponitur, in hunc solum casum cessare repetitionem dicendum est. Nam initium constitutionis generale est. Demonstrat enim, si non per errorem solutum sit fideicommissum: quod indebitum fuit, non posse repeti. Item & illa pars æquè generalis est, ut qui iuris ignorantia legis Falcidiæ beneficio usi non sunt, nec possint repetere. Vt secundum hoc possit dici, etiamsi pecunia, quæ per fideicommissum relicta est, quæque soluta est, non ad aliquid faciendum relicta sit: & licet consumpta non sit, sed extet apud eum cui soluta est: cessare repetitionem. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi per errorem & ignorantiam hæres soluit. Quæ duplicatio approbatur l.fideicom.7. C. de condict.indeb. his uerbis:* Fideicommissum uel legatum indebitum, per errorem facti solutū, repeti posse, explorati iuris est. *Concordat l. uxori. 27. ff.de usufruct.*

usufruct. legato, his uerbis: Vxori maritus per fideicommissum usumfructum & alia & dotem reliquit: hæredes usumfructum ei concesserunt: post biennium illicitum matrimonium fuisse pronunciatum est. quæsitum est, an id quod præterito tempore possedit, ab ea repeti possit? Scæuola respondit, id quod fructus nomine percepisset, repeti posse. *Hæc duplicatio habet suas triplicationes, quarum prima hæc est: Nisi per triennium legatum annuum sit solutum. Quæ triplicatio approbatur l. 1. C. de fideicommissis, his uerbis*: Demetrium si probaueris petijsse de matre hæredeque sua, ut tibi alimenta menstrua, & uestiarium annuum præstaret, eamque secutam uoluntatem filij sui per multum temporis: id est, non minus in tali causa triennio ea præstitisse: ut in futurum quoque ea præstentur, & si qua in præteritum præstita non sunt, ut exoluantur, impetrabis. *Secunda triplicatio hæc est: Nisi Ecclesijs & alijs uenerabilibus locis relicta sint legata. Quæ triplicatio approbatur Institut. de oblig. quæ qua si ex contract. nasc. §. fin. his uerbis*: Ex quibusdam causis repeti non potest, quod per errorem non debitum solutum sit. sic namque definierunt ueteres, ex quibus causis inficiando lis crescit, ex ijs causis non debitum solutum repeti non posse: ueluti ex lege Aquilia, item ex legato. Quod ueteres quidem in ijs legatis locum habere uoluerunt, quæ certa constituta per damnationem cuique legata fuerant: nostra autem constitutio, cum unam naturam omnibus legatis & fideicommissis indulsit, huiusmodi augmentum in omnibus legatis & fideicommissis extendi uoluit: sed non omnibus legatarijs hoc præbuit, sed tantummodò in ijs legatis & fideicommissis, quæ sacrosanctis Ecclesijs, & cæteris uenerabilibus locis, quæ religionis uel pietatis intuitu honorantur, relicta sunt: quæ si indebita soluantur, non repetuntur. *Tertia triplicatio est: Nisi iuris ignorantia lapsus soluit. Hæc triplicatio specialiter approbatur l. regula est. 9. §. quòd si ideo. & §. fin. ff. de iuris ignorantia. cuius uerba uide* s. *eod. repl. in prin.*

V. Replicatio: *Nisi legatum inutiliter datum, in stipulationem deductum sit. Hæc replicatio approbatur l. fideicommissum. 62. ff. de condict. indebiti, his uerbis*: Fideicommissum in stipulatione deductũ, tametsi non debitum fuisset: quia tamen à sciente fidei explendæ causa promissum esset, debetur. *Concordat l. si uerita. 23. C. de fideicommiss. cuius uerba uide* s. *cap. prox. except. 84. repl. 9.*

VI. Replicatio: *Nisi hæres legatum negauerit. Hæc replicatio approbatur Institut. de fideicom. hæred. §. fin. his uerbis*: Quòd si is, à quo relictum dicitur, postquam negauerit, confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatẽ recurrat: omnino soluere cogendus est.

VII. Replicatio: *Nisi legatarius rẽ usuceperit. Hæc replicatio approbatur l. Sticho. 36. in prin. ff. de usufructu legato, his uerbis*: Sticho testamento manumisso usus fructus fundi erat legatus, & cum is uti frui desijsset, fidei hæredum testator commiserat, uti eum fundum darent Lucio Titio: sed Stichus testamento suo eiusdem fundi proprietatem nepotibus suis legauit, & hæredes Stichi ex testamento eius legatarijs nepotibus eum fundum tradiderunt. quæsitum est, cum nepotes legatarij ignorauerint conditionem fundi suprascripti, priore testamento datam, & plusquam statuto tempore possederint, an eum fundum sibi acquisierint? Respondi, secundum ea quæ proponerentur, legatarios sibi adquisiuisse. *Planè habet replicatio proposita suas etiam duplicationes, quas uide* s. *lib. 22.*

VIII. Replicatio: *Nisi pro legato uel fideicommisso inutili sit iudicatum. Hæc replicatio approbatur l. Seruo. 65. §. cum prætor. ff. ad S. C. Treb. his uerbis*: Cum prætor causa cognita per errorem, uel ambitiosè iubet hæreditatem ex fideicommisso restitui: etiam publicè interest restitui propter rerum iudicatarum authoritatem.

IX. Replicatio: *Nisi testator cauerit, ne leges in suo testamento habeant locum. Hæc replicatio reprobatur l. nemo. 55. ff. de leg. 1. his uerbis*: Nemo potest in testamẽto suo cauere, ne leges in suo testamẽto locum habeant: quia nec tempore, aut loco, aut conditione finiri obligatio hæredis legatorum nomine potest. *Hæc de replicationibus aduersus supradictas exceptiones generaliter ib. sint dicta. Hoc tamen non est dissimulandum, iam enumeratas replicationes non sine discrimine omnibus suprad. exceptionibus obstare: sed esse quasdã exceptiones, quæ nulla istarum replicationum elidantur.*

DE CAVSIS AMITTENDI legati, in persona testatoris consistentibus. Cap. VIII.

HActenus de exceptionibus aduersus legata: sequitur de causis legatorum corrũpentibus, ex quibus legata utiliter data, irrita fiunt atq; amittuntur: quarum quædam in persona testatoris positæ sunt, quædam in persona ipsius legatarij, quædam in persona eius à quo legatum relictum est, aliæ in re legata, aliæ in alijs legati circumstantijs: quæ nunc ordine proponentur, & primùm eæ quæ in persona testatoris cõsistunt: quanquam quædam etiam huius generis causæ propositæ sunt s. *in primo genere exceptionum contra legata, cap. 3.* Quæ enim ibi exceptionum loco dicta sunt, eorũ quædam etiam hoc in loco non incommodè possent tractari. Verùm ne sæpius eadem proponamus, ijs quæ ibi proposita sunt omissis, ad reliqua accedamus.

I. Causa: Prima igitur amittendi legati causa hæc sit, Si testatoris memoria sit damnata. Quæ causa approbatur &

tur l. cum filius. 78. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis: Repetẽdorum legatorum facultas ex eo testamẽto solutorum dãda est, quod irritum esse, post defuncti memoriam damnatam apparuit: modò si iam legatis solutis crimen perduellionis illatum est.

II. Causa: *Ademptio legati. quæ causa approbatur l. si ita sit. 13. in prin. ff. de legat. 1. his uerbis*: Quod adẽptum est, nec datum uidetur, secũdum Celsi & Marcelli sententiam, quæ uera est. *Concordat l. datum. 17. C. de legatis, his uerbis*: Datum legatum adimi tam purè, quàm sub conditione, non liberis tantùm, sed etiam ingenuis, placuit. *Huius causæ exceptiones plures sunt.*

I. Exceptio: *Nisi non solenniter sit ademptum. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. fin. ff. de adimendis legatis, hisce uerbis*: Non solùm legata, sed & fideicõmissa adimi possunt, & quidem nuda uoluntate. *Concordat l. si iure. 18. ff. de leg. 3. ibi: quia uoluntate. cuius uerba uide* s. *cap. 6. exc. 85. repl. 1. Concordat item l. fideicom. 27. C. de fideicommissis. ubi* Imp. Diocle. Fideicommissum, eius (*inquit*) qui reliquerat pœnitẽtia probata, successores nunquã præstare compelluntur. *Proinde Paulus quoq;*: Nihil interest (*inquit*) inducatur quod scriptum est, an adimatur. *l. nihil. 16. ff. de adim. legatis. Et* Imp. *Iustinianus*: Ademptio legatorũ firma est (*inquit*) siue contrarijs uerbis fiat: ueluti si quis ita quid legauerit, Do lego: ita adimatur, Non do, non lego. siue non cõtrarijs, sed alijs quibuscũq; uerbis. *Inst. de adempt. legat. in prin. Sed et diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, cum testator postrema scriptura, quapiam ratione motus, pessimum libertum esse adiecisset, ea quæ priore scriptura ei relicta fuerant, adempta uideri. l. diui. 13. ff. adim. legatis.* Et *Paulus*: Libertus (*inquit*) qui in priore parte testamenti legatum acceperat, & ingratus postea eadem scriptura à testatore appellatus est: commutata uolũtate, actionem ex testamento habere non potest. *l. libertus. 29. ff. d. tit. Papinianus quoq; lib. 19. Quæstionum ait, si post legata sæpius adscripta testator subijciat, semel præstari uelle, & hoc ante impletum testamentum fecerit, ipso iure uideri cætera legata adempta. l. si ita. 14. in fine. ff. de legat. 1. Ipso iure, inquit iurisconsultus: quia si post perfectum testamentum eadem scripsisset in epistola uel codicillis, non nisi per exceptionem uiderentur adempta.* Est denique & *adimendi forma, si legatarius rogetur alij restituere. Quæ forma proponitur l. generali. 32. §. uxori. ibi: idem quæsijt. ff. de usufructu legato, his uerbis*: Idẽ quæsijt, cùm eodem testamento ita cauerit: A te peto uxor, uti ex usufructu quem tibi præstari uolo in annum uicesimum quintũ, contenta sis annuis quadringẽtis: quod amplius fuerit, rationibus hæredis hæredúmue meorum inferatur: an recessum uideatur à superiore capite, ideoque uxor non amplius habeat ex usufructu, quàm annuos quadringentos? Scæuola respondit, satis id quod quæreretur, apertè uerba quę proponerentur, declarare.

II. Exceptio: *Nisi sub conditione ademerit. Et hæc exceptio reprobatur l. datum. 17. C. de legatis, hisce uerbis*: Datum legatum adimi tam purè, quàm sub conditione, placuit.

III. Exceptio: *Nisi antequam legasset, ademit. Et hæc exceptio reprobatur l. si mihi. 12. §. fin. ff. de leg. 1. de quo uide* s. *cap. 6. except. 95.*

IIII. Exceptio: *Nisi non in eodem testamento ademptum sit, sed in codicillis. Hæc exceptio reprobatur Instit. de adempt. leg. in prin. his uerbis*: Ademptio legatorum, siue eodem testamento adimantur, siue codicillis, firma est. *Concordat Inst. eod. tt. §. fin. ibi: siue eodem testamento. cuius uerba uide* s. *causa prox. in prin.*

V. Exceptio: *Nisi pœnæ nomine ademptum sit. Et hæc exceptio reprobatur. de qua re dictum est* s. *cap. 6. in prin.*

VI. Exceptio: *Nisi aliud quàm legatum est, ademptum sit. Hæc exceptio ipso iure subsistit. unde Vlpianus*: Si loci usumfructũ leget testator (*inquit*) & iter adimat, non ualet ademptio, nec uiriatur legatum: sicuti qui proprietatem fundi legat, iter adimendo legatum nõ minuit. *l. si quis. 3. §. si loci. ff. de adim. legatis. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi fundo legato usus fructus uel proprietas adimatur. Quæ replicatio approbatur l. 2. ff. de adim. leg. his uerbis*: Fundo legato adimita potest, Fundum illi præter usumfructum neq; do, neq; lego: ut usus fructus in legato relinquatur. sed & fructus adimi potest, ut proprietas relinquatur. *Secunda replicatio est: Nisi homine legato Stichus adimatur. Quæ replicatio approbatur l. qui hom. 11. cum l. sequẽte. ff. eod. tt. his uerbis*: Qui hominem legat, & Stichum adimit, non perimit legatum, sed extenuat, ut Stichum legatarius eligere non possit. *Tertia replicatio est: Nisi pars eius quod relictum est, sit adẽpta. Hæc replicatio approbatur l. ult. in prin. ff. de adim. leg. hisce uerbis*: Detrahere legatis uel adijcere, si nihil præter numeratam pecuniam legatum sit, promptum est. Cum uerò res corporales interueniunt, & scriptura difficilior sit, & obscura ob id portio. *Cõcordat l. si quis. 3. §. cum Titio. ff. d. tt. cuius uerba uide* s. *causa 4. in prin. Concordat item l. 2. in fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Item pars fundi legati adimi potest. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi seruitus uel alia res, quæ diuisionem non recipit, pro parte sit adempta. Quæ duplicatio approbatur exemplo uiæ & libertatis relictæ, l. legata. 14. §. fin. ff. d. tt. his uerbis*: Quibus ex causis datio legati inutilis est, ex eisdem causis etiã ademptio inefficax habetur: ueluti si uiam pro parte adimas, aut pro parte liberum esse uetes. *Altera duplicatio est: Nisi actu legato iter adimatur. Quæ duplicatio approbatur l. 1. ff. d. tt. his uerbis*: Qui actu legato iter adimit, nihil adimit: qa nũquã actus sine itinere esse potest.

VII. Exceptio: *Nisi pars adimatur. Hæc exceptio reprobatur.de qua re uide ſ. proximè.*

VIII. Exceptio: *Nisi plus quàm datum eſt, ademptum ſit. Hæc exceptio reprobatur l.ſi quis.3. §.ſi quis plus. ff. de adim. leg. hiſce uerbis:* Si quis plus quàm dedit ademerit, ademptio ualet: ueluti ſi quis uiginti legauerit, & quadraginta ademerit.

IX. Exceptio: *Niſi conditio adempta ſit. Et hæc exceptio reprobatur d.l.3.§.conditio, hiſce uerbis:* Conditio legati an adimi poſsit, uel hæreditatis uel ſtatuliberi, uidendum? & Iulianus ſcribit, in ſtatulibero detractam conditionem non repræſentare libertatem. Papinianus quoq; ſcribit, generaliter conditionem adimi non poſſe: nec enim datur conditio (inquit) ſed adſcribitur. quod autem adſcribitur, non poteſt adimi: ſed quod datur. ſed melius eſt ſenſum magis, quàm uerba amplecti: & conditiones ſicut adſcribi, ita adimi poſſe.

X. Exceptio: *Niſi non appareat, cui ademptum ſit. Hæc exceptio approbatur d.l.3.§.ſi duob. ff. de adim. legatis, his uerbis:* Si duobus Titijs ſeparatim legauerit, & uni ademerit, nec appareat cui ademptum ſit, utriq; legatum debetur: quem admodum & in dando, ſi non appareat cui datum ſit, dicimus neutri legatum. *Concordat l.ſi fuerit. 11. in prin. ff. de reb. dub. cuius uerba uide ſ. cap. 6. except. 93.*

XI. Exceptio: *Niſi alij quàm cui datum eſt, adimatur. Hæc exceptio approbatur l. legatum. 21. ff. de adim. leg. hiſce uerbis:* Legatum nulli alij adimi poteſt, quàm cui datum eſt: quapropter ſi filio aut ſeruo alieno legatũ fuerit, domino aut patri adimi non poteſt.

XII. Exceptio: *Niſi ſeruo legato, & poſtea manumiſſo, legatum adimatur. Hæc exceptio approbatur l.ſi ſeruus. 27. §. fin. ff. de adim. leg. his uerbis:* Seruo legato, & inter uiuos manumiſſo, ſi legatum adimatur, nullius mométi ademptio eſt. Igitur legatum, quod ipſi datum eſt, capiet. nã etſi rurſus in ſeruitutem inciderit, non tamen legatum eius reſuſcitabitur: nouus enim homo uidetur eſſe.

XIII. Exceptio: *Niſi cùm ſeruo legato legatũ eſſet, ei alienato adimatur. Hæc exceptio reprobatur d.l.17. in prin. his uerbis:* Seruus legatus eſt, & ei aliquid, ſi alienato eo adimatur quod legatum eſt, ualet ademptio: quia & legatum poteſt procedere, ſi redimatur.

XIIII. Exceptio: *Niſi is à quo legatum eſt, uolente teſtatore legatario cauit, ſe legatum reſtituturum. Hæc exceptio reprobatur l.cum quis. 35. §. qui teſtam. ff. de legat. 3. his uerbis:* Qui teſtamento hæredem ſcripſerat, ducenta Mæuio legauit, & fidei eius cõmiſit, ut centũ daret Glaucæ Tychæ, Elpidræ aũt quinquaginta: poſtea Mæuius uolẽte teſtatore literas emiſit ad eas, ſecundum uoluntatẽ teſtatoris ſe reſtituturũ: poſtea teſtator fecit codicillos, quib. & hoc præcepit, ut præter hos codicillos, ſi quid aliud prolatum eſſet, non ualeret. quæſitum eſt, an Mæuius, qui ducenta accepit, quia mutauit uoluntatem teſtator de ea epiſtola, à mulierib. conueniri ex cauſa fideicommiſſi poſsit? Reſpondit Scæuola, ſecundum ea quæ proponerentur, fruſtra Męuium conueniri, ſiue ducenta, ſiue prædium pro his accepiſſet.

XV. Exceptio: *Niſi fundũ, quem primùm purè, deinde ſub cõditione eidẽ legauit, ita adimat, Fundũ quẽ ſub cõditione legaui. Hæc exceptio reprobatur l.ſi gs.3.§.ſi Titio. ff. de adim. leg. his uerbis:* Si Titio fundus purè, eidemq; ſub conditione legatus ſit, deinde poſtea ademptus ſit ſic, Titio fundum, quem ſub conditione legaui, hęres meus ne dato: ex nulla datione debetur, niſi ſpecialiter dixerit, purè eũ legatum uelle acciperẽ.

XVI. Exceptio: *Niſi conditio adẽptionis defecerit. Hæc exceptio proponetur paulò ſ. cauſ. prox. except. 3.*

XVII. Exceptio: *Niſi teſtator poſt ademptionẽ mutauerit uoluntatem. Hæc exceptio approbatur l.ſi quis. 22. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide paulò inferius reg. 1.*

XVIII. Exceptio: *Niſi talis ſit caſus, quo datio quoque legati inutilis eſſet. Hæc exceptio approbatur l. legata. 14. §. fin. ff. de adim. leg. cuius uerba uide ſ. eod. ca. exc. 6. repl. 3. dupl. 1.* Hactenus exceptiones contra ademptionẽ legatorũ ſunt propoſitæ. Supereſt alius huius adẽptionis locus, Quid ſcilicet & quantũ ademptum ſit. cuius loci regula prima hæc eſt: Si nõ apparet quid ſit adẽptum, maius ademptum eſſe exiſtimandum eſt. *Quæ regula approbatur l.ſi ita. 13. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 5. reg. 53. Secunda huius loci regula eſt,* Quòd ea quæ non ſunt adempta uel mutata, ualẽt. *Quæ regula approbatur l. alumnæ. 30. §. qui filias. ff. de adimẽ. dis legatis, hiſce uerbis:* Qui filias ex diſparibus portionibus teſtamento hæredes inſtituerat, penè omniũ bonorum ſuorũ eodem teſtamento diuiſionẽ fecit: deinde hæc uerba adiecit, τὰ δὲ λοιπὰ πάντα τῶν ὑπαρχόντων μου, ὁμοίως τὰ τῆς πληρονομίας βάρη, ἔγκλειμα τῶν ἀδυνατούντων γάμους τῶν Σεκούνδων, ἢ τῆς ἐξ αὐτῶν πορείας. hoc eſt: Reliqua aũt omnia de mea ſubſtantia, quemadmodũ & hęreditatis onera, pertinebunt ſolummodò ad Primam & Secũdam filias meas, aut quæ ex his ſuperſtes erit. Poſtea codicillis longè aliam diuiſionẽ fecit bonorum ſuorum inter eaſdem, inter quas & teſtamento diuiſerat: quædam tamen nulli nominatim dedit. quæſitum eſt, an Prima & Secunda filiæ ex uerbis teſtamenti conſequi poſsint, ut ſolæ habeant ea, quæ nominatim nulli relicta ſunt in diuiſione, quæ nouiſsimè à patre facta eſt? Reſpondit Scæuola, non à tota uoluntate receſſum uideri: ſed his tantùm rebus, quas reformaſſet. *Concordant propoſitæ regulæ*

gulæ ea quæ habentur ſ. lib. prox. cap. 7. reg. 25. except. 7. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi cum uni hæredum prælegatum eſſet, alteri quoq; ex cauſa exæquationis prælegauerit. tunc enim, ſi priori prælegatũ ademptum eſt, alteri quoq; prælegatum ademptum eſſe uidetur. *Quæ exceptio approbatur l. alteri. 25. ff. de adimend. leg. cuius uerba uide ſ. cauſa 5. in fine. Tertia huius loci regula habetur l. Paula. 27. §. 1. ff. de leg. 3. his uerbis:* Pompeius Hermippus filium Hermippum ex dodrante, filiam Titianam ex quadrãte hæredes inſtituerat, & prædia certa ſingulis prælegauerat: præterea ſi ſine liberis Hermippus moreretur, aliam poſſeſſionem filię dari iuſſerat: poſt teſtamentum factis codicillis certa filiæ prædia dederat, eamq; his contentam eſſe uoluit pro omni hæreditate, & his quæ in teſtamento reliquerat. Hermippi bona ad fiſcum peruenerant: Titiana ſoror fideicommiſſum petebat. quærebatur, utrum pro hæreditate tantùm, an & pro his quæ poſt mortem frater rogatus erat reſtituere, pater eam uoluiſſet accipere ea, quæ codicillis reliquerat? mihi ab omni uoluntate receſſum uidebatur. placuit autem humanius interpretari, ea ſola quæ uiuente fratre acceptura erat, adempta uideri, non etiam quę poſt mortem eius reliquerat, ſi ſine liberis decederet: & ita pronunciauit. *Quarta huius loci regula eſt,* Quòd ſi alterius hæredis in teſtamento nomẽ inductum eſt, portio tantùm hæreditatis, non etiam prælegata ei uideantur adempta. *Quæ regula approbatur l. cum quidam. 22. ff. de his quibus ut indig. &c. hiſce uerbis:* Diuus Marcus in eius perſona, cuius nomen peracto teſtaméto teſtator induxerat, iudicauit hęreditatẽ ei auferendã. de præceptionibus eidem datis uoluntatis erit quæſtio, & legatum ei non denegabitur, niſi hoc euidenter teſtatorem uoluiſſe appareat. *Hæc de ſecunda amittendi legati cauſa.*

III. *Cauſa: Translatio legati, & ſi teſtator eandem rem poſtea alij legauerit. Quæ approbatur l. ſicut. 5. ff. de adim. leg. hiſce uerbis:* Sicut adimi legatum poteſt, ita & ad alterum transferri: ueluti hoc modo, Quod Titio legaui, id Seio do lego. quæ res in perſona Titij tacitam ademptionem continet. *Concordat inſtit. de adempt. legat. §. transferri, his uerbis:* Transferri quoque legatum ab alio ad alium poteſt: ueluti ſi quis ita dixerit, Hominẽ Stichum, quem Titio legaui, Seio do lego: ſiue in eodem teſtamento, ſiue in codicillis hoc fecerit. Quo caſu ſimul & Titio adimi uidetur, & Seio dari. *Sanè translatio legati quadruplex eſt. Quæ diuiſio approbatur & declaratur l. translatio. 6. ff. de adim. leg. his uerbis:* Translatio legati fit quatuor modis. aut enim à perſona in perſonã transfertur: aut ab eo qui dare iuſſus eſt transfertur, ut alijs detur: aut cum res pro re datur, ut pro fundo decem aureis aut quod purè datum eſt, transfertur ſub cõditione. Sed ſi id quod à Titio dedi, à Mæuio dem: quamuis ſoleant eſſe duo eiuſdem rei debitores: tamen uerius eſt, hoc caſu ademptum eſſe legatum. nam cum dico, Quod Titium dare damnaui, Seium dare damnas eſto: uideor dicere, ne Titius det. Item, ſi pro fundo decem legentur, quidam putant non eſſe legatum prius ademptum. ſed uerius eſt ademptum eſſe: nouiſsima enim uoluntas ſeruatur. *Exempla propoſitæ cauſæ ſunt l. alumnæ. 30. §. Titia. ff. de adim. leg. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 7. reg. 25. except. 1. Cõcordat item l. cum quæſtio. 23. in prin. C. de legatis. cuius uerba uide ſ. Planè cauſa propoſita præter exceptiones paulo ſ. enumeratas, & alias recipit: de quibus ſequitur.*

I. Exceptio: *Niſi poſt mortem legatarij translatum ſit. Hæc exceptio reprobatur l.ſi quis. 3. in prin. ff. de adim. leg. hiſce uerbis:* Si quis ita legauerit, Titio fundũ do lego: ſi Titius deceſſerit, Sempronio hæres meus dare damnas eſto: rectè translatum legatum uidetur. Sed etſi iam mortuo eo, cui legatũ erat, eaſdem res tráſtulerit: Sempronio debetur.

II. Exceptio: *Niſi legatum in perſona eius ad quẽ translatum eſt, deficiat. Hæc exceptio reprobatur l. ſi tranſ. 20. ff. de adim. leg. hiſce uerbis:* Si tranſferam legatum in eum, cum quo nobis teſtamenti factio nõ eſt, ſiue in ſeruũ proprium, cui ſine libertate legauero: licet eis non debeatur, nec illi tamẽ debebitur, cui fuit ademptum. *Concordat l. planè. 34. in prin. ff. de leg. 1. ubi Vlpianus:* Vbi transferre uoluit legatũ in nouiſsimũ, priori nõ debebitur: tametſi nouiſsimus talis ſit, in cuius perſona legatum non conſtitit.

III. Exceptio: *Niſi conditio translationis defecerit. Hæc exceptio approbatur l. quod ſi. 7. ff. de adim. leg. hiſce uerbis:* Quòd ſi alij legetur ſub conditione, quod alij purè legatum eſt, nõ plenè receſſum uidetur à primo: ſed ita demum, ſi conditio ſequentis extiterit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt:* Niſi diuerſum ſenſerit teſtator. *Quæ replicatio approbatur d. l. 7. his uerbis:* Cæterùm ſi hoc animo fuerit teſtator, ut omnimodò receſſum à primo putauerit: dicendum erit, à primo ademptum legatum. *Secunda replicatio hæc eſt:* Niſi is à quo legatũ translatum eſt, pendente conditione deceſſerit. *Quæ replicatio approbatur l.ſi leg. 10. in prin. ff. d. tit. his uerbis:* Si legatũ purè datũ Titio adimatur ſub conditione, & pendente cõditione Titius deceſſerit: quamuis cõditio defecerit, ad hæredem Titij legatum nõ pertinebit. nam legatum, cum ſub conditione adimitur, perinde eſt ac ſi ſub contraria cõditione datum fuiſſet.

IIII. Exceptio: *Niſi is ad quem legatum translatum eſt, uiuo teſtatore deceſſerit. Hæc exceptio approbatur*

narium cum uino, & uasis, & instrumento, & institoribus, quos secum habere consueuerat. quæsitum est, cùm uiuo testatore insula, in qua cœnaculum fuit, quod ei legatum erat, exusta sit, & post biennium eodem loco cõstituta noua, & horreum quod eidem legatum erat, à testatore uenierit, uini autẽ uenditio dilata sit, ut ex eo commodè ueniretur an uniuersa legata Pardula cõsequi possit? Scæuola respondit, ea in quibus uoluntas mutata esset, non deberi. *Concordat item l. prædia. 28. §. liberto. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 4. de ijs quæ ibi sunt legatis, reg. 1. except. 11. Concordat item l. Lucius. 22. in fine. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. cap. 11. causa 57. except. 12. repl. 3. Concordat item propositæ exceptioni eiusq; regulæ l. scribit. 35. §. fin. ff. de auro, argento legato. ubi Pomponius:* Quintus Mutius (*inquit*) si maritus uxori, cum haberet quinque pondo auri, legasset ita: Aurum quodcunque uxoris causa paratum est, uti hæres uxori det. etiamsi libra auri inde ueniisset, & mortis tempore amplius quàm quatuor libræ non deprehenderentur, in totis quinque libris hęredem esse obligatum: quoniam articulus Est, præsentis temporis demonstrationem in se contineret. Quod ipsum (quantum ad iuris obligationem pertinet) rectè dicetur, id est, ut ipso iure hæres sit obligatus. Verùm sciendum, si in hoc alienauerit testator inde libram, quòd deminuere uellet ex legato uxoris suæ, tunc mutata uoluntas defuncti locum facit doli mali exceptioni, ut si perseueret mulier in petendis quinque libris, exceptione doli mali submoueatur: sed si ex necessitate aliqua compulsus testator, non quòd uellet deminuere ex legato, tunc mulieri ipso iure quinque libræ auri debebuntur, nec doli mali exceptio nocebit aduersus petentem. *Ex hisce uerbis Pauli, & alijs prædictis constat, causam propositam ipso quidem iure reprobari, admitti autem per exceptionem hanc: Si adimendi animo testator alienasset. Verùm ob commodiorem tractationem, fingimus causam propositam regulariter esse ueram, & elidi per exceptionem hanc: Nisi non adimendi legati animo, sed ex causa necessitatis testator rem legatam alienauerit. unde Imp. Iustinianus:* Si quis partem rei legatæ alienauerit, pars quæ non est alienata, omnino debetur: pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit. *Inst. de legat. §. si rem suam. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per uerbum futuri temporis res legata demonstrata fuerit. Hæc replicatio approbatur d. l. 35. §. fin. in fine, his uerbis:* Quòd si ita legasset uxori, Aurum quod eius causa paratum erit: tunc rectissimè scribit Quintus Mutius, ut hęc scriptura habeat in se deminutionem legati, & augmentum: ideoque ipso iure, alienata libra auri, amplius quatuor pondo non remanebunt in obligatione: nec erit utendum distinctione, qua ex causa alienauerit testator. *Huic concordat l. nuper. 83. in fine. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 5. quæst. 2. specie 3. Concordat item l. Stichum. 5. ff. de leg. 1. ubi Iulianus:* Stichum (*inquit*) qui meus erit cum moriar, hæres meus dato. magis conditionem legato inieciſſe, quàm demõstrare uoluisse patrem familiâs, apparet: eo quòd si demonstrandi causa hæc oratio poneretur, ita concepta esset, Stichum qui meus est: non, Qui meus erit. Sed conditio talis accipi debet, Quatenus meus erit: ut si totum alienauerit, extinguatur legatum: si partem, pro ea parte debeatur, quæ testatoris mortis tempore fuerit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testator rem rursus redemerit. Quæ duplicatio approbatur l. filiæ. 27. §. fin. ff. de condit. & demonstrat. cuius uerba uide ĩ. except. 2. Secunda replicatio est: Nisi testator rẽ donauerit. Quæ replicatio approbatur l. rem. 18. ff. de adim. leg. hisce uerbis:* Rem legatam testator uiuus alij donauit. omnimodò extinguitur legatum: nec distinguimus, utrum propter necessitatem rei familiaris, an mera uoluntate donauerit: ut si necessitate donauerit, legatum debeatur: si mera uoluntate, non debeatur. hęc enim distinctio in donantis munificentiam non cadit, cũ nemo in necessitatibus liberalis existat. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi donatio inutilis sit. Hæc duplicatio reprobatur l. legatum. 24. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Pater hortos instructos filiæ legauit, postea quædam ex mancipijs hortorum uxori donauit, siue donationem confirmauit, siue non cõfirmauit, posterior uoluntas filiæ legato potior erit: sed etsi non ualeat donatio, tamen minuisse filiæ legatum pater intelligitur. *Tertia replicatio est: nisi cum quis rem ignorans sibi legatam alij legasset, postea cognoscens suum legatum repudiauerit: hoc enim casu, perinde ac si eam alij postea donasset, uidetur legatum extingui. Quæ replicatio approbari uidetur l. seruum filij. 44. §. 1. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ĩ. cap. 2. reg. 2. except. 2. Hæc de prima exceptione cũ suis replicationibus.*

II. Exceptio: *Nisi testator rem alienatam postea receperit. Hæc exceptio reprobatur l. cum seruus. ex ff. de adim. leg. hisce uerbis:* Cum seruus legatus à testatore & alienatus, rursus redemptus sit à testatore: non debetur legatario, opposita exceptione doli mali. Sanè si probet legatarius nouam uoluntatem testatoris, non submouebitur. *Hisce uerbis posterioribus distinctio approbatur, qua exceptio proposita admittitur. Sed & alia huiusmodi distinctio habetur l. filiæ. 27. §. fin. ff. de condit. & demonstr. hisce uerbis:* Titia uxor mea optato Philargyrum puerum, & Agatheam ancillam, qui mei erunt cum moriar, is qui testamenti tempore habuit, uendidit: postea ancillas emit, & ex his uni Agatheæ nomen imposuit: quæsitum est, an hæc legata uideretur? respondit Paulus, legatam uideri. *Huius distinctionis ratio hæc est: quia testator per uerbum futuri temporis ancillam legatam demonstrauit. de qua re uide paulò superius except. 1. repl. 1.*

III. Exceptio: *Nisi inutilis sit alienatio. Et hæc exceptio reprobatur l. legatum. 24. §. fin. ff. de adim. leg. cuius uerba uide paulò superius except. 1. repl. 2. in fine.*

IIII. Exceptio: *Nisi pars tantùm rei legatæ sit alienata, uel una res ex pluribus rebus legatis. tunc enim nihilominus altera pars uel res non alienata debetur. Quæ exceptio approbatur Instit. de legatis. §. si rem suam, in fine, his uerbis:* Si quis partem rei legatæ alienauerit: pars quæ non est alienata, omnino debetur: pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi re principali cum accessione legata, res principalis fuerit alienata: tunc enim nec accessio debetur. Hæc replicatio approbatur Instit. d. tt. §. si quis ancillas, in fine, his uerbis:* Si seruus fuerit cum peculio legatus, mortuo seruo, uel manumisso uel alienato, peculij legatum extinguitur. Idem est, si fundus instructus, uel cum instrumento legatus fuerit: nam fundo alienato, & instrumenti legatum extinguitur. *Concordat l. 2. §. fin. ff. de instructo uel instr. legato, his uerbis:* Fundo cum instrumento legato & alienato, instrumentum non uindicabitur ex sententia defuncti. *Concordat item l. si cui. 5. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. proximè. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi ita legetur, Fundus & instrumentum. Quæ duplicatio approbatur d. l. 5. his uerbis:* Si cui fundum & instrumentum eius legare uis, nihil interest quomodo leges, Fundum cũ instrumento: an, Fundum & instrumentũ: an, Fundum instructum. Paulus: Imò contrà: nam inter ea legata hoc interest, quòd si fundo alienato mortuus fuerit qui ita legauit, ex hac scriptura, Fundum cum instrumento, nihil erit legatum: ex cæteris poterit instrumentum esse legatum. *Ait Iurisconsultus:* Ex cæteris, &c. *Hisce uerbis uidetur Iurisconsultus innuere, etiam fundo instructo legato, fundi alienatione non extingui instrumenti legatum: cui tamen contradicit d. §. si quis ancillas, in fine. Secunda propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi alteras res ex causa exæquationis alteri sit legata. Quæ replicatio approbatur l. alteri. 25. ff. de adim. leg. hisce uerbis:* Alteri ex hæredibus præceptionem prędij dedit: mox alteri præstari aduersus debitorem actiones ad eum finem mandauit, quo prędium fuerat comparatum. cum postea distracto prædio citra ullam offensam eius qui præceptionem acceperat, precium in corpus patrimonij redegisset, nõ esse præstandas actiones cohæredi, Papinianus respondit.

VI. *Causa amittendi legati: Si testator rem filiæ legatam, postea pro ea in dotem dedit. quæ causa approbatur l. filia. 11. C. de legatis, hisce uerbis:* Filia legatorum non habet actionem, si ea quæ ei testamento reliquit, uiuus postea pater in dotem dedit. *Concordat l. huiusmodi. 81. §. cum pater. ff. de legatis 1. cuius uerba uide ẽ. except. 96. Huius causæ duæ potißimùm exceptiones sunt. Prima: Nisi non tota res pro filia in dotem sit data. Altera: Nisi hæres testatoris dotem sibi soluto matrimonio reddi stipulatus sit. Quæ duæ exceptiones approbantur l. cum pater. 79. §. pater. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. lib. 15. cap. 7. reg. 6. except. 2.*

VII. *Causa: Si testator pecunia legata aliquid emit, uel eam in alios usus conuertit. Hæc causa reprobatur l. quidam. 93. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Quidam testamẽto uel codicillis ita legauit: Aureos quadringentos Pamphilæ dari uolo, ita ut infrà scriptum est. A' Iulio actore aureos tot, & in castris quos habeo tot, & in numerato quos habeo tot, & in numerato quos habeo tot. Post multos annos eadem uoluntate manente decesit, cum omnes summæ in alios usus translatæ essent: quæro, an debeatur fideicommissum? Respondit Vlpianus, uerisimilius esse patrẽfamiliâs demonstrare potius hæredibus uoluisse, unde aureos quadringentos sine incommodo rei familiaris contrahere possent, quàm condi-
tionem fideicommisso inieciſſe, quod initio purè datum esset: & ideo quadringentũ Pamphilæ debebuntur. *Concordat l. pater. 23. ff. de adim. leg. his uerbis:* Pater inter filios facultatibus diuisis, filiam ex ratione primipili commodorum trecentos aureos accipere uoluit, ac postea de pecunia commodorũ possessionem comparauit: nihilominus fratres & cohæredes sorori fideicommissum præstabũt. Non enim absumptum uidetur, quod in corpus patrimonij uersum est. Cũ autem inter filios diuiso patrimonio, res indiuisas ad omnes cohæredes pertinere uoluisset: ita possessionem ex commodis comparatam diuidi placuit, ut in eam superflui precij filia portionem hæreditariâ accipiat. hoc enim eueniet in bonis pecunia relicta.

VIII. *Causa: Si actione legata testator debitum ipse exegit, uel accepto tulit, &c. De hisce & alijs huiusmodi causis dicetur ĩ. de actione legata.*

IX. *Causa: Si seruo legato, testator eum postea in fundum transtulit, ut ibi perpetuò esset. Hæc causa approbatur l. filio. 31. in prin. ff. de adim. leg. hisce uerbis:* Filio ex parte hærede instituto, duos fundos cum mancipijs & instrumento omnis legauit. Idem uxori plura legata & seruos Stichum & Damam legauit: sed cum in altero ex fundis filio prælegatis cognouisset uillicum non esse, Stichum misit, & tam rei rusticæ, quàm rationibus fundi præfecit. quę-

situm est, Stichus utrum ad uxorem, an ad filium pertineret? Respondit Scæuola, cum memor erat eorum, quæ testamento cauisset, Stichum his prædijs, in quæ translatus est, actorem cedere, nec uxorem posse Stichum ex fideicommisi causa petere. *Sed & plures huius generis causas uide in sequentibus, ueluti: Si testator lana legata uestimentum ex ea fecit, uel rei legatæ aliquid detraxit, &c. uide ff. cap. 11. de causis quæ in re legata consistunt.*

DE CAVSIS AMITTENdi legati, in persona legatarij consistentibus. Cap. IX.

HActenus causæ amittendi legati, *in persona testatoris consistentes, propositæ sunt: quanquã plures huiusmodi causæ proponentur infrà in sequentibus. Nunc ãd secundum genus causarum transeundum est, earum scilicet quæ in persona legatarij consistunt.*

X. *Causa: Si legatarius ante diem legati cedentem mortuus sit. Hæc causa approbatur l. si post. 5. in prin. ff. quando dies leg. cedit, his uerbis:* Si post diem legati cedentem legatarius decesserit, ad hæredem suum transfert legatum: ergo per contrarium, si ante diem legati cedentem legatarius decesserit, ad hæredem suũ non transfert legatum. *Dies autem legati regulariter cedere dicitur, à die mortis testatoris, nisi sub conditione uel post diem incertum legatum relictum sit: tunc enim, si mortuo testatore conditio nondum extitit, uel dies nõdum uenit, regula illa fallit, & non nisi conditione existente uel die ueniẽte dies legati cedit, aliter atq; si post diem certum legatum sit relictum. tunc enim, quamuis mortuo testatore dies nondum uenerit, legati tamẽ dies nihilominus ceßisse dicitur. de qua re infrà dicetur lib. prox. cap. 8. Si ergo legatarius uiuo testatore mortuus fuerit, extinguitur legatum, nec ad hæredem eius quidquam transit. l. unica. §. & cum triplici. ibi: uel uiuo testatore. C. de caduc. tollendis. quod & in persona Augustæ responsum est.* Nam ita Papinianus: Si Augustæ legaueris (*inquit*) & ea inter homines esse desierit, deficit quod ei relictũ est, sicuti diuus Hadrianus in Plotinæ, & proximè Imperator Antoninus in Faustinę Augustę persona constituit, cũ ea antè inter homines esse desijsset, quàm testator decederet. *l. si Augustæ. 59. ff. de leg. 2. Sed etsi legatarius simul cũ testatore decesserit, idẽ iuris est.* Nam *idem est (inquit Paulus) si dos uxori prælegata sit, & simul cum marito perierit. l. idem est. 18. ff. de reb. dub. Præterea etsi post mortẽ testatoris legatarius decesserit, ante conditionẽ tamẽ, sub qua legatũ relictũ est, existentẽ: ante diem legati cedentem decesßit, nihilq; ad hæredem suũ transmittit. Hoc est quod Vlpianus ait:* Intercidit legatum (*inquiens*) si ea persona decesserit, cui legatũ est sub conditione. *l. intercidit. 57. in prin. ff. de condit. & demonstr.* Idem *Vlpianus alibi:* Hoc legatum (*inquit*) Cum uoluerit, tractum habet, quamdiu uiuatis, à quo fideicõmissum relictum est: sed si fideicõmissarius, antequã hęres cõstituat, decesserit, ad hæredem suũ nihil trãstulisse uidetur. cõditionale enim esse legatũ, nemini dubiũ est: & pendente cõditione legati, uideri decessisse fideicommissariũ. *l. fideicommissa. 11. §. sic fideicom. in fin. ff. de leg. 3.* Caius quoq; ita *risconsultus:* Si ita expressum erit, (*inquit*) Titio, si uoluerit, do lego: apud Labeonem Proculus notat, nõ aliter ad hæredẽ legatarij pertinere, quàm si ipse legatarius uoluerit ad se pertinere: quia cõditio personæ iniuncta uideatur. *l. si ita. 67. ff. de condit. & demonstr.* Concordat *l. si ita. 64. §. illi si uolet. ff. de leg. 1. Si ergo legatarius, antequam constituat, decesserit, hæredi eius nihil debebitur.* Celsus quoq;: Si ita scriptũ fuerit (*inquit*) Titius ex parte tertia, Mæuius ex parte tertia hæredes sunto: Titius, si intra tertias calendas nauis ex Asia uenerit, ex reliqua parte hæres esto. si decesserit Titius, antequam cõditio existat, deinde cõditio extiterit: tũ sextans qui in pendẽti fuit, nõ Titij hæredi, sed Mæuio adcrescet. nam cũ adhuc dubiũ esset, Titio an Mæuio is sextans datus esset, Titius decesßit, nec potest intelligi datus ei, qui tẽpore dandi in rerũ natura non fuit. *l. si liber. 57. §. si ita scriptũ. ff. de hæred. instituẽd.* Africanus etiã *iurisconsultus:* In testamento ita scriptũ erat: Stichus & Pamphila liberi sunto, & si in matrimoniũ coierint, hęres meus his centũ dare damnas esto. Stichus ante apertas tabulas decesßit. respondit, partẽ Stichi defectam esse. nã cum uni legatũ sit, Titio, si Seiam uxorẽ duxerit, hæres meus centũ dato: si ipse decedat, nihil ad hæredem suum eum transmittere: quia morte eius conditio defecisse intelligatur. *l. in test. 30. ff. de condit. & demonstr.* Porrò *quod dictũ est, si legatarius ante existentem legati conditionem decesserit, extingui legatũ: idem etiam obtinet, si cũ post diem incertum legatum relictũ esset, legatarius ante diem illum existentem fuerit mortuus.* Quod *declaratur simul & approbatur l. 1. §. dies. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Dies incertus est, cũ ita scribitur, Hæres meus, cum morietur, decem dato. nam diem incertum habet mors eius: & ideo si legatarius antè decesserit, ad hæredẽ eius legatũ non transit: quia non cesßit dies uiuo eo, quãuis certum fuerit hæredem morituũ. *Concordat l. si pecunia. 12. §. fin. ff. de leg. 2. bis uerbis:* Quod ita legatum est, Hæres, cũ morietur, Lucio Titio dato decem: cùm incerta die legatũ est, ad hæredes legatarij nõ pertinet, si uiuo hærede decesserit. *Concordat item l. hæres. 77. §. 1. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Hæres meus, cum ipse morietur, centũ Titio dato. legatũ sub conditione relictũ est. Quamuis enim hęredem esse moriturũ certum sit: tamen incertum est, an legatario uiuo dies legati nõ cedat:

dat: & nõ est certum, ad eum peruenturum legatum. *Concordat item l. si, cum. 4. ff. quando dies legati cedat, his uerbis:* Si, Cum hæres morietur, legetur: conditionale legatum est. Deniq; uiuo hærede defunctus legatarius ad hęredem non transfert. *Concordat item l. huiusmodi. 13. in fin. ff. cod. tt. ubi Pomponius:* Tale legatum, Cum morietur hæres, dato: certum est debitum: & tamen ad hæredem legatarij non transit, si uiuo hærede decedat. *Proinde & si quis ita legauerit, Si pœnum intra calendas non dederit, centum dato: & legatarius ante calendas decesserit, hæredi suo neq; pœnum relinquet, quæ legata non est: neq; centũ, quia dies legati nõ ceßit. l. cũ fine. 19. §. quòd si ita. ff. quando dies legat. cedit. Pomponius quoq;:* Si Titio, cum annorum quatuordecim esset factus, legatum fuerit, & is ante decimũ quartum annum decesserit: uerum est, ad hæredem eius legatum non transire: quoniam nõ solùm diem, sed & conditionem hoc legatum in se contineat, si effectus esset annorum quatuordecim: qui autem in rerum natura non sit, annorũ quatuordecim non esse intelligitur: nec interest, utrum scribatur, Si annorum quatuordecim factus erit: an prio re scriptura per conditionẽ tempus demonstretur, sequente per tempus conditio: utro biq; enim eadem conditio est. *l. si Titio. 22. in prin. ff. d. tt. Concordat l. si cui. 49. §. hoc autem legatum. ff. de leg. 1. Planè propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi testator tempus potius solutionis legatarij causa prorogare, quàm conditionem legato adijcere uoluit. quæ exceptio approbatur l. Seius. 46. ff. ad S. C. Treb. his uerbis:* Seius Saturninus archicubernius ex classe Britannica testamento fiduciarium reliquit hęredem Valerium Maximum trierarchũ, à quo petijt, ut filio suo Seio Oceano, cum ad annos sedecim perueniisset, hæreditatem restitueret. Seius Oceanus, antequã impleret annos, defunctus est. Nunc Manlius Seneca, qui se auunculum Seij Oceani dicit, proximitatis nomine hęc bona petit: Maximus autẽ trierarchus sibi eam uindicat ideo, quia defunctus est is cui restituere iussus erat. quęro ergo, utrum hęc bona ad Valerium Maximum trierarchum hæredem fiduciariũ pertineant, an ad Manlium Senecam, qui se pueri defuncti auunculum esse dicit? Respondit Iabolenus: Si Seius Oceanus, cui fideicommissaria hæreditas ex testamento Seij Saturnini, cum annos sedecim haberet, à Valerio Maximo fiduciario hærede restitui debebat, priusquã præfinitum tempus ætatis impleret, decesßit: fiduciaria hæreditas ad eum pertinet, ad quẽ cętera bona Oceani peruenerunt: quoniam dies fideicommissi uiuo Oceano cesßit: scilicet, si prorogando tempus solutionis, tutelam magis hæredi fiduciario permisisse, quàm incertũ diem fideicommissi cõstituisse uideatur. *Concordat l. pen. C. quando dies leg. ced. ubi Imp. Alexander:* Ex his uerbis, (*inquit*) Do lego Heliæ Seuerinæ filiæ meæ & Secundæ decem, quæ legata accipere debebit, cum ad legitimũ ætatum peruenerit: nõ conditio fideicommisso uel legato inserta, sed petitio in tempus legitimæ ætatis dilata uidetur. Et ideo, si Aelia Seuerina filia testatoris, cui legatum relictum est, die legati cedente, uita functa est, ad hæredem suum actionem transmisit: scilicet, ut eo tempore solutio fiat, quo Seuerina, si rebus humanis subtracta non fuisset, uicesimum quintum annum ętatis implesset. non cœptum enim annum, sed impletum (si de emolumento relicti fideicommissi tractatur) expectandũ esse, prudentibus placuit. *Concordat item l. Firmio. 26. §. cum ab hæredibus. ff. quando dies leg. ced. ubi Papinianus:* Cum ab hęredibus (*inquit*) alumno centum dari uoluisset testator, eamq; pecuniam ad alium transferri, ut in annum uicesimum quintũ trientes usuras eius summæ perciperet alumnus, ac post eam ætatẽ sortem ipsam: intra uicesimum quintũ annum eo defuncto, transmissum ad hæredem pueri fideicõmissum respondi. nam certam ætatem sortis soluendæ præstitutam uideri, nõ purè fideicommisso relicto conditionem insertam. *Causa igitur propositæ recipit hanc exceptionem: Nisi tempus solutionis potius, quàm conditionis causa sit adiectum. Cui etiam concordat l. si cum. 20. §. quando dies legat. cedat. cuius uerba uide ff. cap. 1. quæst. 5. reg. 3. except. 1. Secunda exceptio est:* Nisi *ita sit legatum, Cum morietur legatarius. quæ exceptio approbatur l. si cum. 4. in fine. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis:* Si uerò, cum ipse legatarius moritur, ei legetur: certum est, legatum ad hæredem transmitti. *Concordat l. hæres. 77. in prin. ff. de cond. & demon. his uerbis:* Hæres meus, cũ morietur Titius, centum ei dato. purum legatũ est: quia nõ conditione, sed mora suspenditur. non potest enim conditio non existere. *Huic similis est exceptio: Si cũ quis sub cõditione hæres institutus esset, & si hæres nõ esset, ei legatum esset, pendente institutionis conditione mortuus sit. tunc enim, cum conditio legati morte legatarij impleatur, non ita accipiendum est, ac si ante conditionem legati existentem decesßisset: sed legatũ ad hæredem transmittit. quod notandum loco tertiæ exceptionis. quæ approbatur l. ab omnibus. 101. §. cum quidam. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ff. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 4. Quarta exceptio est:* Nisi *dies certus legato adiectus sit, puta calendis Martijs. hoc enim casu, quamuis ante diem uenientẽ mortuus fuerit legatarius, nihilominus legatũ ad hæredes transmittit. De qua exceptione cum suis replicationibus dicetur ff. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 1. Quinta exceptio est:* Nisi *cõditio talis sit, quæ remitti soleat: ueluti si conditio falsa sit, impoßibilis, probrosa, contra*

leges, &c. quibus casibus conditio legato adiecta pro nulla habetur, & dies legati statim post mortem testatoris cedit, etiam ante existentem legati conditionem, & per consequens proposita amittendi legati causa locum nõ habet. quæ exceptio approbatur exẽplo l. quæ sub. 8. §. fin. ff. de cond. inst. cuius uerba uide ẽ. lib. 34. cap. 6. exc. 4. repl. 3. Quæ aũt sint istiusmodi conditiones, uide d. cap. 6. Sexta exceptio est: Nisi principi sit legatum relictum. hic enim, quamuis ante diem legati cedentem mortuus fuerit, tamen legatum non extinguitur, sed ad successorem eius pertinet. quæ exceptio approbatur l. quod principi. 58. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. cap. 13. reg. 4. except. 3. Diuersum obseruatur in principis uxore Augusta. de quo uide ẽ. cod. cau. in prin. Septima exceptio est: Nisi cùm filio uel seruo relictum esset, pater dominiusue adhuc uiuat. Hæc exceptio reprobatur l. si habitatio. 9. ff. quando dies legati cedat. cuius uerba uide ẽ. causa 12. distinct. 1. Plures huiusmodi exceptiones uide ẽ. lib. prox. cap. 8. Nunc ad reliquas amittendi legati causas transeundum.

XI. Causa: Si legatarius ante apertas testamenti tabulas decesserat, lege Papia legatum fiebat caducũ: quæ tamen lex tollitur, & causa proposita reprobatur l. uni ca, in prin. C. de cad. toll. hisce uerbis: Et nomen & materiam caducorũ ex bellis ortam & auctam ciuilibus, quæ in se populus Rom. mouebat, necessariũ duximus, Patres conscripti, in pacificis nostri Imperij temporibus ab orbe Romano recludere, ut quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas sopiret: & quemadmodũ in multis capitulis lex Papia ab anterioribus principibus emendata fuit, uel per desuetudinẽ abolita: ita & à nobis circa caducorũ obseruationem inuidiosum suum amittat uigorem, qui & ipsis prudentissimis uiris displicuit, multas inuenientibus uias, per quas caducum ne fieret. Sed & ipsis testamentorũ conditoribus sic grauissima caducorum obseruatio uisa est, ut substitutiones introducerent, ne fiant caduca: & si facta sint, ad certas personas reuertere disponerent, uias recludentes, quas lex Papia posuit in caducis: quod & nos fieri concedimus. Et eum lex Papia ius antiquum, quod ante eam in omnibus simpliciter uersabatur, suis machinationibus & angustijs circumcludens, solis parentibus & liberis testatoris, usq; ad tertium gradum, si scripti fuerant hæredes, suum imponere iugum erubuit, ius antiquũ intactum eis conseruans: nos omnibus nostris subiectis sine differentia personarũ hoc concedimus. Cũ igitur materiã & exordium caducorum lex Papia ab additionibus quæ circa defunctorũ hæreditates procedebant, sumpsit, & ideo non à morte testatoris, sed ab apertura tabularum dies cedere legatorũ lenatusconsulta, quæ circa legem Papiam introducta sunt, censuerũt, ut quod in medio deficiat, hoc caducum fiat: primùm hoc corrigẽtes, & antiquum statum renouantes, sancimus, omnes habere licentiam à morte testatoris adire hæreditatem, similiq; modo legatorũ uel fideicommissorũ purè, uel in diem certam relictorũ diem à morte testatoris cedere. Hisce uerbis extenditur etiam l. unica. §. quod scilicet. C. de his qui ante apertas tab. hæred. transf. cuius uerba uide ẽ. lib. 28. cap. 22. reg. 1. except. 1. repl. 1. in prin. Cum enim ibi statuatur, liberos legata & fideicommissa à parentibus sibi relicta, licet ante apertas tabulas de cesserint, ad hæredes suos transmittere, hoc ad alios etiam uerbis propositis extenditur.

XII. Causa: Si legatarius ante aditam hæreditatem decesserit. Hæc causa reprobatur l. hæredis. 7. ff. quando dies leg. ced. his uerbis: Hæredis aditio moram legati quidem petitioni facit, cessioni diei non facit. Proinde siue purè institutus tardius adeat, siue sub conditione, nec per conditionẽ impediatur: legatarius securus est. Sed etsi nondũ natus sit hęres institutus, aut apud hostes sit: similiter legatario nõ nocebit, eo quòd dies legati cesserit. Inde dicimus, etsi à substituto legatum sit relictum, quandiu institutus deliberat, defuncto legatario non nocebit, si hæres institutus postea repudiarit: nam ad hæredẽ suum transtulit petitionẽ. tantundem est, si ab impuberis substituto legetur: nam ad hæredem suum legatũ transfert. Planè huius regulæ, quæ causa proposita reprobatur, distinctiones potißimùm tres sunt. Prima distinctio est: Nisi talis res legata sit, quæ personæ cohæret. Hæc distinctio approbatur l. si habit. 9. ff. quando dies leg. ced. his uerbis: Si habitatio filiofamil. uel seruo legata sit, puto non adquiri domino uel patri legatum, si ante aditam hæreditatem filius uel seruus decesserit. nam cum personæ cohæreat, rectè dicitur ante aditam hæreditatem diem non cedere. Planè si alia etiam res alternatiuè simul legata sit, in ea re dies legati etiam ante aditam hæreditatem cedit. Quod approbatur l. si usus fr. 14. in prin. ff. eod. tit. his uerbis: Si usus fructus aut decem, utrum legatarius uoluerit, sint legata, utrũq; spectandum, & mortẽ testatoris, & additionem hęreditatis: mortem propter decem, additionem propter usumfructũ. quamuis enim electio sit legatarij, tamẽ nondũ electioni locus esse potest, cũ proponatur nondũ testatorem decessisse, aut eo mortuo hæreditas nondũ adita. Inde quærit Iulianus, si post mortem testatoris legatarius decedat, an ad hæredẽ transferatur decem legatum? Et lib. 30. Dig. scribit, posse dici decẽ transtulisse, quia mortuo legatario dies legati cedat, &c. Secunda distinctio est: Nisi seruo testatoris manumisso, uel alij legato, legatum sit. Hæc distinctio approbatur l. hæredis. 7. in fine, cum lege sequente. ff. quando dies leg. ced. his uerbis: Interdum aditio hæredis legatis moram

ram facit: ũtputa, si seruo manumisso, uel ei cui seruus legatus est, & seruo aliquid legatum sit. nam seruo legati relicti ante aditam hæreditatem dies non cedit. Nam cum libertas non prius competat, quàm adita hæreditate: æquissimum uisum est, nec legati diem antecedere: alioquin inutile fieret legatum, si dies eius cessisset, antequam libertas competeret: quod euenit, si seruo purè legetur, & liber esse sub conditione iubeatur, & pendens conditio inueniatur etiam post aditam hæreditatem. Ait Iurisconsultus: Quod euenit, &c. De hoc etiam dictum est ẽ. cap. 3. except. 25. eius except. 3. repl. 1. dupl. 4. Tertia distinctio hæc est: Nisi hæredi sit prælegatum. huic enim ante aditam hæreditatem dies legati cedere non uidetur. Hæc distinctio reprobatur l. miles. 77. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis: Pro parte hæres institutus, cui præceptiones erant relictæ, post diem legatorum cedentem, ante aditam hæreditatem uita decessit. partem hæreditatis ad cohæredes substitutos pertinere placuit: præceptionum autem portiones, quæ pro parte cohæredum constiterunt, ad hæredes eius transmitti.

XIII. Causa: Si legatarius, antequam sciret sibi legatum esse, decesit. Et hæc causa reprobatur l. ultim. C. quando dies leg. ced. his uerbis: Si fideicommissum ab intestato fuerit sorori tuæ relictum codicillis, & posteaquam dies fideicommissi cessit, rebus humanis (licet ignorans fideicommissum) decesserit: actionem huiusmodi adquiri potuisse, dissimulare non poteris, salua scilicet ab intestato succedenti quarta portione. L. 81 §. 5. L. 44 §. 1. Bela. 1.

XIIII. Causa: Si legatarius, antequam rem nactus sit, decesit. Et hæc causa reprobatur l. si Pont. 3. C. d. tit. his uerbis: Si Pontionilla ad eam ætatem peruenit, cui legatum uel fideicommissum derelictum erat: petitionem ad hęredes transmisit, licet antè decesserit, quàm consequeretur legatum uel fideicommissum. Hactenus de morte legatarij est dictum: sed & alia huc pertinentia uide ẽ. lib. prox. cap. 8.

XV. Causa: Si legatarius iussa testatoris non fecerit, & modum non impleuerit. Hæc causa approbatur Nouell. c. 1. §. his autem à nobis definitis, cum sequentibus, hisce uerbis: Sancimus, ut his qui uel hæredes ab aliquibus scripti sunt, uel fideicommissa, siue ea uniuersorum bonorum, siue specialia sunt, aut legata meruerant, omnimodò necessitas incumbat implendi eius quod testator, aut qui legato eos honorauit, constituit: modò quod iniunctum est, legitimum sit, nec ulla id lex prohibeat: aut ut maximè honoratus facere omittat, ratum nihilominus fore expressis uerbis demonstret. Si quis autem, quod à testatore dispositum est, non impleat, sed dum quod iussus est facere recusat, decreto iudiciario admonitus per integrum annum ea quę honorato relicti nomine competunt extraxerit: si quidem ex illorum numero est, qui ne cessariò aliquid lege capiunt, in maiorem autem partem, quàm lex requirit, hęres scriptus est: tantum capiat duntaxat, quantum illi in rationem tuentis iure successionis ab intestato lex dari concedit: quod reliquum est, id totum auferatur. si uerò nulla huiusmodi persona in institutionibus subsit, sed spontaneam liberalitatem testator in nouissima sua contulerit, deinde scriptus hæres intra tempus antè à nobis dictum imperata non faciat: auferantur illi quidem quæ relicta sunt, ut neque occasione Falcidiæ, neque ulla alia de causa quidquam possit capere. Huius legis ratio proponitur d. const. 1. §. neque quisquam, his uerbis: Neque quisquam legi huic indignetur, si talibus quodammodò relictis priuetur: sed animo reputans, quòd omnibus omnino hominib. uitę finis mors sit, non tantùm spectet quid ipse ab alijs accipiat, sed potius recogitet quòd & ipse moriturus alijs mandata dabit: & nisi ab hac ei lege auxilium feratur, nihil eorum quæ uel summo cum studio præceperit, ad effectum perueniet. Est & alia huius legis ratio: quia scilicet modus pro conditione sumitur. Nam ita Imp. Antonius: In legatis (inquit) & fideicommissis etiam modus adscriptus pro conditione obseruatur. l. 1. C. de his quæ sub modo. Modus autem adscriptus, seu sub modo legatum uidetur, si testator legatario aliquid præceperit. Nam si cui in hoc legatum sit (Caius Iurisc. ait) ut ex eo aliquid faciat, puta ut monumentum testatori, uel opus aut epulum municipibus faceret, uel ut ex eo partem alij restitueret, sub modo legatum uidetur. l. demonstratio. 17. §. fin. ff. de condit. & demonstr. Concordat d. const. 1. §. illud quoque prospeximus, in fine, his uerbis: Prospeximus, ne tempus in eiusmodi quæstionibus in longum producatur. Sancimus enim, ne qua huiusmodi quæstio aut controuersia anni spaciũ excedat, necessitatem hæredi imponentes, ut omnino ab adita hæreditate intra annũ & legata soluat, & à testatore relicta pro cuiusque rei natura præstet, omnia denique faciat quæ suprà diximus. Ac quemadmodũ iam antè diximus, anno initium damus ex admonitione iudiciario decreto facta. Nam si culpa hæredis annus prætereat, tunc & ipse relictis excidet, & alij ad ea peruenient, quos antea uocauimus. Propositæ causæ exemplũ est l. liberto. 21. §. Lucius. ff. de annuis leg. cuius hæc sunt uerba: Lucius Titius testamento patriæ suæ ciuitati Sebastenorum centum legauit, ut annis alternis ex usuris eiusdem certamina sub nomine ipsius celebrarentur, & adiecit hæc uerba: Quòd si conditione suprascri

pta recipere legatam sibi pecuniam ciuitas Sebastenorum noluerit, nullo modo hæredes meos ei obligatos esse uolo, sed habere sibi pecuniam. posteà præses prouinciæ ex nominibus debitorum hæreditariorum ele git idonea nomina, & in causam legati reipub. adiudicauit: post cuius sententiam respub. adiudicatas à plerisque sibi pecunias percepit. quæsitum est, an si respub. conditionibus testamento adscriptis postea non paruerit, legatum ad filios hæredes pertineat? Respondit Scæuola, rempub. testatoris uoluntati parêre compellendam: ac nisi faciat, in his quidem summis, quæ per numerationem uel nouationem solutæ sunt, utili repetitione hæredes adiuuandos: ab his uerò nominibus, quæ neque soluerunt reipub. neque nouatione abscesserunt à pristina obligatione, non prohibendos quo minus debitum petant. *Aliud exemplum proponitur l. quidam. 17. ff. de usufruct. leg. his uerbis*: Quidã prædia reipub. legauit, de quorum reditu quotannis ludos edi uoluit, & adiecit: Quæ legata peto decuriones, & rogo ne in aliam speciem, aut alios usus conuertere uelitis. Respub. per quadriennium continuum ludos non edidit. quæro, an reditus, quos quadriennio respub. percepit, restituere debeat hæredibus, uel compensare in aliam speciẽ legati ex eodem testamento? Respõdit Scæuola, & inuitis hæredibus possessione apprehensa perceptos fructus restituendos esse, & non erogatum secundum defuncti uoluntatem, in alia quæ deberentur compensari. *Aliud etiam propositæ causæ exemplum proponitur l. cum alimenta. 22. §. fin. ff. de admend. leg. hisce uerbis*: Qui fratris sui libertis alimenta debebat, is testamento uineas cum hac adiectione reliquerat, Vt habeant unde se pascant. si pro alimentis uineas reliquisset, non aliter eis ex fideicommissi causa eas præstari debere, quàm si testamenti obligatione hæredes liberassent: aut si id omissum fuisset, & postea ex testamento agerent, doli mali exceptione tutum hæredem futurum, scilicet si non minus ualent uineæ, quàm alimentorum æstimatio. Illam autem adiectionem, Vt habeant unde se pascant: magis ad causam prælegandi, quàm ad usumfructum cõstituendum pertinere. *Hactenus exempla: nunc exceptiones causæ propositæ uideamus. Ait autem in suprà proposita constitutione Imp. Iustinian.* Modò quod iniunctum est, legitimum sit, nec ulla id lex prohibeat. *Hisce uerbis prima aduersus causam propositam exceptio approbatur, hæc scilicet*: Nisi contra leges sit id quod legatarius facere iussus est. *Huius exemplum proponitur l. si quis. 36. ff. de cond. & demonstr. hisce uerbis*: Si quis eum quem ipse manumittere non poterat, legarit, ita ut eum legatarius manumitteret: etsi à legato non repellatur, nõ est cõpellẽdus ut manumittat: quoniã toties secundũ uoluntatem testatoris facere compellitur, quoties contra legẽ nihil sit futurũ. idq; Neratius scribit: & tamẽ à legato eũ non esse repellendũ: quoniã magis legatarium aliquod cõmodum testator in hoc seruo, quàm hæredẽ habere uoluisset. *Aliud propositæ exceptionis exemplum proponitur l. legatũ. 16. ff. de usufruct. legato, his uerbis*: Legatũ ciuitati relictũ est, ut ex reditib. quotãnis in ea ciuitate memorię defuncti conseruandæ gratia spectaculũ celebretur, quod illis celebrare non licet. quæro, quid de legato existimes? Modestinus respondit, Cum testator spectaculũ edi uoluerit in ciuitate, sed tale quod ibi celebrare non licet, iniquũ esse hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus destinauit, lucro hęredum cedere. igitur adhibitis hęredibus & primoribus ciuitatis, diſpiciendum esse, in quam rẽ conuerti debeat fideicommissum, ut memoria testatoris alio & licito genere celebretur. *Concordat item l. unica. §. fin. C. de his quæ pœnæ. cuius uerba uide §. cap. 6. exc. 8. Ait insuper Imperator Iustinianus*: Aut maximè honoratus facere omittat, ratũ nihilominus fore expressis uerbis demonstret. *Hisce uerbis secunda exceptio approbatur, hæc scilicet: Nisi testator specialiter expresserit, quamuis legatarius non fecerit quod iussus est, nihilominus illi legatum præstandum. Tertia exceptio est*: Nisi *legatarius ex eorum numero sit, quibus necessariò aliquid in testamento est relictum. quæ exceptio approbatur in suprà dictis l. imp. Iustiniani uerbis hisce*: Si quidem ex illorũ numero est, qui necessariò aliquid lege capiunt, tantum capiat dum taxat, quantum illi in rationem trientis iure successionis ab intestato lex dari concedit. *Quæ autem sint huiusmodi personæ, Imp. Iustinianus in d. const. 1. §. principiò igitur, declarat, his uerbis*: Principiò illud considerandum, quòd his qui testamenta condunt, partim lex necessitatem imponit, ut certam bonorum partẽ certis personis attribuant, perinde quasi ea iure quodam naturæ illis debeatur: quo in genere censentur filij & nepotes, patres & matres, interdum etiam fratres, & si quid præterea personarum inter eos, qui uel ex nobis sunt, uel ex quibus nos sumus, leges enumerarunt: partim nulla imminet necessitas, &c. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi huiusmodi personis plus quàm illis ex lege debetur, relictum sit. quæ replicatio approbatur in suprà dicti 4. uerbis, hisce nimirum*: In maiorem autem partem, quàm lex requirit, institutus hæres scriptus est: quod reliquum est, id totum auferatur. *Concordat d. const. 1. §. sed neque patronorum, his uerbis*: Neque patronorum successiones excipimus. Nam & illic legitima illis

illis portione, quam nos definiuimus, conseruata: si quid illis ultra hanc relictum sit, & à libertis rogati ut quidpiam præstent, deinde id facere recusent: sancimus, ut idem ordo obtineat, quem sub initio sacræ huius constitutionis protulimus: nempe ut legitima quidem portio in talib. apud eos salua & incolumis permaneat, reliqua uerò ea uia procedant, quam modò in huiusmodi casibus aperuimus, maximè postquam in ea constitutione, quam de iure patronatus tulimus, libertinorũ successiones quodammodò ad instar ingenuorum redegimus. *De hac exceptione uide plura §. cap. 4. except. 40. replic. 12. duplic. 1. Quarta exceptio est: Nisi annus, ex quo ad obtemperandum testatoris uoluntati à iudice admonitus est, nondum præterijt. Hæc exceptio approbatur in suprà positis uerbis hisce*: Si quis autem, quod à testatore dispositum est, non impleat, sed dum quod iussus est facere recusat, decreto iudiciario admonitus per integrum annum ea quæ honorato relicti nomine competunt extraxerit, &c. *Ergo si ille annus nondum præterijt, ex proposita constitutione aduersus legatarium ad legatum restituendum agi non potest. Anno autem initium datur ex admonitione iudiciario decreto facta. Elicitur insuper ex his quinta exceptio talis: Nisi legatarius decreto iudicis ad obtemperandum non sit admonitus. d. constit. 1. §. illud quoq; ibi: ac quemadm. cuius uerba uide §. cad. causa, in prin. Sexta exceptio hæc est: Nisi pupillus sit legatarius, aut minor uigintiquinq; annis. quæ exceptio approbatur d. constit. 1. §. pupillis sanè, his uerbis*: Pupillis sanè & ætate minoribus lex nostra nihil præiudicat: nam si quid ex causis à nobis enumeratis damni acceperint, duplici potiuntur auxilio, tum ut restitutionem in integrum petant, tum ut curatores negligentiæ condemnent. *Septima exceptio est: Nisi non in scriptis testamentum sit factum. Hæc exceptio reprobatur d. constit. 1. §. quoniam uerò, his uerbis*: Quoniam duplex ratio testamentorum existit, ut uel in dispositionem scripto comprehensam deferatur, uel in uoluntatem sine scripto consistentem: omnia hæc eodem modo & ex æquo obseruari, tam in testamentis absq; scripto consistentibus, quàm in quauis ultima uoluntate & persona sancimus, siue ea priuata sit, siue militaris, siue facerdotalis, siue ex regio comitatu, siue qualiscunque tandem: in uniuersum enim omnibus hanc legem hominibus communem ponimus. *Octaua exceptio est*: Nisi *non stet per legatarium, quo minus iussa testatoris faciat. Hæc exceptio approbatur exemplo l. si Titio. 94. in princ. ff. de legat. 1. his uerbis*: Si Titio pecunia legata fuerit, & eius fidei commissum, ut alienum seruum manumitteret, nec dominus eum uendere uelit: nihilominus legatum capiet: quia per eum non stat, quo minus fideicommissum præstet: nam etsi mortuus fuisset seruus, etiam à legato non submoueretur. *Aliud propositæ exceptionis exemplum proponitur l. Lucius. 90. §. quisquis. ff. de leg. 2. his uerbis*: Quisquis mihi hæres hæredêsue erunt: hoc amplius Lucius Eutychus, quàm quod eum hæredem institui, è media hæreditate sumito, sibiq; habeto unà cum Pamphilo, quem liberum esse iubeo, instrumentum tabernæ ferrariæ, ita ut negocium exerceant. Lucius Eutychus uiua testatrice decessit: pars hæreditatis eius ad cohæredem pertinuit. quæro, an Pamphilus eodem testamento manumissus ad petitionem partis instrumenti admitti possit, licet taberna, ut uoluit testatrix, exerceri non possit? Scæuola respondit, admitti. *Plura de hac exceptione dicentur §. in loco de conditionibus. Nona exceptio hæc est: Nisi testator modum legato rursus ademit, uel ad alium transtulit. Hæc exceptio reprobatur l. alumnæ. 30. §. Seia. ff. de adimen. legatis, hisce uerbis*: Seia liberta ab hęredibus petierat, ut si in prouincia decessisset, sexaginta Lucio Titio darentur, ut is corpus eius curaret, & in patriam reportaret. & adiecerat hæc uerba: Cui concedi uolo, si quid ex ea pecunia supererit. Eadem die codicillos ad hæredes suos ita scripserat: Peto à uobis, ut siue in prouincia, siue in uia aliquid mihi humanitùs acciderit, corpus meum curetis & in Campaniam, & in monumentum filiorum meorum reportari. quæsitum est, an id quod superfuerit ex sexaginta, Lucio Titio tacitè ademerit? Respondit Scæuola, ademptum uideri. *Planè si testator adempto modo nihilominus legatum præstari uoluerit, nihilominus debetur legatum. de quo dictum paulò superius excepit. 2. Decima exceptio: Nisi non appareat, ad cuius exemplum & similitudinem testator opus fieri uoluit. Hæc exceptio approbatur l. in testam. 26. ff. de condit. & demonstr. his uerbis*: In testamento quidam scripserat, ut sibi monumentum ad exemplum eius, quod in uia Salaria esset Publij Septimij Demetrij, fieret: & nisi factum esset, hæredes magna pecunia mulctarentur. Et cum id monumentum Publij Septimij Demetrij nullum reperiretur, sed Publij Septimij Damæ esset, ad quod exemplum suspicabantur eum, qui testamentum fecerat, monumentum sibi fieri uoluisse: quærebant hæredes, cuiusmodi monumentum se facere oporteret: & si ob eam rem nullum monumentum fecissent, quia non reperiretur ad quod exemplum facerẽt, num pœna tenerentur? Alfenus respondit, si intelligeretur, quod monumentum demonstrare uoluisset is qui testamentum fecisset

tametsi in scriptura ita non esset: tamen ad id quod ille se demonstrare animo sensisset, fieri debere. Sin autem uoluntas eius ignoraretur, pœnam quidem nullâ uim habere: quoniam ad quod exemplum fieri iussisset monumentum, id nusquam extaret: tamen omnimodò secundum substantiam & dignitatem defuncti extrui debere. *Vndecima exceptio est: Nisi cum iussisset testator aliquid in foro fieri, non appareat de quo foro senserit. Hæc exceptio tractatur l.quæ conditio.38. §.fin.ff.d.tt. his uerbis*: Cum in testamento scriptum erat, ut aliquid in foro fiat, neq; adscriptum erat in quo foro: Labeo ait, si non appareat quid mortuus senserit, in eius municipij foro faciendum, in quo is qui testamentum fecit, domicilium habuerit. Quam sententiam ego quoque probo. *Præter hactenus propositas exceptiones plures quoq; causa proposita recipit. nam quæcunq; exceptiones legatis legatorumq; actioni obstant, eædem etiam causæ propositæ possunt opponi. Sed & quæcunq; aduersus defectum conditionis exceptiones infrà de conditionibus proponentur, huc non inepte possunt referri: quoniam modus legati conditioni æquiparatur, ut dictum est suprà. Proinde reliquæ exceptiones ex dicto loco petendæ: item j. libro prox.ex cap.9.de caut.modi impl.item ex cap.41. Planè propositæ causæ adfine remedium est, quòd hæres rogatus uel iussus à defuncto non quidem perdet, quod ex testamẽto percepit, ob id quòd testatori non paret: sed tertiam quantitatem ultra id quod restituere rogatus est, restituere teneatur, quod approbatur l.si quis. 33.in prin. C.de inoff.test. cuius uerba uide §.lib.prox. cap.5.repl.15. Sed & ad modum implendum potest urgeri, de quo §. cap.2.reg.12. item per exceptionem ad cauendum, de quo j.lib.prox.cap.9.*

XVI. *Causa amittendi legati: Si legatarius liberis testatoris tutor datus, sese à tutela excusauit. Hæc causa approbatur l.post legatum. 5. §.amittere. ff. de his quæ ut indignis, &c.his uerbis*: Amittere id quod testamento meruit, & eum placuit, qui tutor datus excusauit se à tutela. *Concordat l. Nesennius.32. §. rectè ergo. ff.de excusationibus. ubi Paulus*: Rectè placuit, eum qui recusat onus quod testator reliquit, & ab eo quod petit, quódq; idem dedit, repelli debere. *Concordat item l.si legatarius.25.in fine.C.de legatis. cuius uerba uide j.cap.13.reg.7. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi non à defuncto tutor datus sit, sed ab alijs tutor petitus uel nominatus. Hæc exceptio approbatur d. §.amittere.ibi: diuersum, his uerbis*: Diuersum puto in eo qui legatum tantùm meruit, & à matre pupilli tutor petitus excusare se maluit: hic enim nihil contra iudicium defuncti fecit. *Concordat d.l.32.in prin.cum l.ex his.34.ff. de excusat.tutor. ubi Paulus*: Si testamento quidem tutor non sit scriptus, legatum tamen acceperit, datusq; à Prætore tutor excuset se, an æquè repellendus sit à legato? Respondeo, non esse his similem eum, quem Prætor tutorem dedit, cum posset uti immunitate: hic enim nihil fecit contra iudicium testatoris. nam quem ille non dedit tutorem, eum uoluisse tutelam administrare filij, dicere non possumus. *Secunda exceptio est: Nisi non iure testamento tutor sit datus. Hæc exceptio reprobatur d.l.32. his uerbis*: Nesennius Apollinaris Iulio Paulo. Mater filium suum pupillum, uel quiuis alius extraneus extraneum æquè pupillum scripsit hæredem, & Titio legatum dedit, eumq; eidem pupillo tutorem adscripsit. Titius confirmatus excusauit se à tutela. quæro, an legatum amittat? & an aliquid interfit, si à patre uel emancipato pupillo tutor datus sit, uel puberi curator? Respondit Paulus: Qui non iure datus uel curator uel tutor à patre est, confirmatus à Prætore excusationis beneficio uti maluit, repellendus est à legato: idq; & Scæuolæ nostro placuit. Nam & Prætor, qui eum cõfirmat tutorem, defuncti sequitur iudicium. Idem in matris testamento dicendum est. Similis est matri quiuis extraneus, qui pupillum hæredem instituit, eiq; & in tutore dãdo prospicere uoluit: quales sunt alumni nostri. Rectè ergo placuit, eum qui recusat onus quod testator reliquit, & ab eo quod petit, quodq; idem dedit, repelli debere. *Concordat l.ult.ff.de confir.tutore, his uerbis*: Quidam testamẽto nepotib. curatorem dedit, fideicõmisso ei relicto. quæsitum est, an administrare curator compelli debeat? Scæuola respondit, curatorem quidem non esse: sed cum aliquid testamento ei datum esset, teneri eum ex fideicommisso, si non curam susciperet: nisi id quod ei datum esset, nollet petere, aut reddere paratus esset. Item quæsitum est, an iste curator satisdare nepotibus debeat? Respondit, quasi curatorem non debere: sed cum fideicõmissum peti ab eo posset, fideicommissi nomine satisdare debere. *Tertia exceptio est: Nisi is datus sit tutor, qui etiamsi uellet, non posset esse tutor. Hæc exceptio approbatur l.ab administ.8.C.de legatis, hisce uerbis*: Ab administratione tutelæ religio sacramenti Marcellum, quem uobis à patre tutorem datum testamento proponitis, eripit: quæ res quo minus legatum consequatur, non impedit. nec enim iniustè ab ea petitione repellitur, cum etiamsi uellet tutelam administrare, prohibeatur. *Quarta exceptio est: Nisi aliàs testator illi legatum dedisset, etiam sine tutela. Hæc exceptio approbatur l.Nesennius.32. §.fin. ff.de excusationibus, his uerbis*: Non semper existimo eum qui onus tutelæ recusauit, repellendum à legato: sed ita demum, si legatũ ei ideò adscriptũ appareat, quòd eidem tutelam pupillorum iniunxit, non

non quòd alioquin daturus esset, etiam sine tutela. *Quinta exceptio est: Nisi filius testatoris sit cui legatum est, quiq; tutor est datus. Hæc exceptio approbatur l.tutor.28. §.quæ tutoribus. ff.de excusationibus, his uerbis*: Quæ tutoribus remunerandæ fidei causa testamẽto parentis relinquuntur, post excusationem ab hæredibus extraneis quoq; retineri placuit. quod non habebit locũ in persona filij, quem pater impuberi fratri cohæredem & tutorem dedit: cum iudicium patris ut filius, non ut tutor, promeruit. *Sexta exceptio est: Nisi cum in testamento legatum datum esset, in codicillis postea factis tutor datus sit. Hæc exceptio approbatur, sed cum conditione, d.l.32. §.fin. cum l.sequente. ff.de excusat. his uerbis*: Id apparere poterit, si posteris testamento legatum adscriptum, codicillis uerò postea factis tutorem datum. in hoc enim legato potest dici, non ideo ei relictum, quia & tutorem esse uoluerit testator. Sed hæc nimium scrupulosa sunt, nec admittenda, nisi euidenter patet expresserit, uelle se darẽ, etiamsi tutelam non administrauerit: semper enim legatum aut antecedit, aut sequitur tutelam. *Septima exceptio est: Nisi non ipsi tutori dato, sed eius filio legatum sit relictum. Hæc exceptio reprobatur, sub conditione tamen, l.qui tutelam.28.in princ. ff.de testam. tutela, his uerbis*: Qui tutelam testamento mandatam excusationis iure suscipere noluit, ab his quoq; legatis submouendus erit, quæ filijs eius relicta sunt: modò si legata filij non affectione propria, sed in honorẽ patris meruerunt. *Octaua exceptio est: Nisi ab extraneo hæredetutori dato legatum sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l.tutor.28.§.quæ tutoribus. ff.de excusat. cuius uerba uide paulò superius except.5. Nona exceptio est: Nisi alij restituere sit rogatus. Hæc exceptio approbatur l.legatarius.27. ff.d.tt. his uerbis*: Legatarius, qui rogatus est alij omne legatum restituere, si malit se excusare à tutela, legatum propter fideicommissarium consequitur: cui similis est qui de falso egit, nec obtinuit. *Decima exceptio est: Nisi à rerum prouincialium uel Italicarum administratione tantùm se excusset. Hæc exceptio reprobatur l.etiamsi.108. ff.de leg.i. his uerbis*: Etiamsi partis bonorum se excusauerit tutor, puta Italicarum uel prouincialium rerum, totum quod testamẽto datum est, ei auferetur. & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. *Vndecima exceptio est: Nisi non à tutela se excuset, sed nolit administrare tutelam. Hæc exceptio reprobatur l.quid autem.35.ff.dẽ excusationibus, his uerbis*: Quid si se non excusauerit, sed administrare noluerit, contentus quòd cæteri idonei sint? & hic poterit conueniri, si ab illis res seruari non potuit. sed hoc non quærendũ est: sed contumacia punienda est eius, qui quodammodò se excusauit. *Duodecima exceptio est: Nisi non se excusauit, sed ut suspectus à tutela remotus est. Hæc exceptio itidem reprobatur d.l.35. in fine, his uerbis*: Multò magis quis dicere debebit indignum iudicio patris, qui ut suspectus remotus est à tutela. *Decimatertia exceptio est: Nisi non legatum ei sit, sed pupillo sit substitutus. Hæc exceptio approbatur l.amicis.36.in prin. ff.de excusationibus, his uerbis*: Amicissimos quidem & fidelissimos parentes liberis tutores eligere solere, & ideo ad suscipiendum onus tutelæ etiam honore legati eos persequi. sed cum proponatur is de quo quæritur, in testamento legatum meruisse, & item pupillo substitutus: nõ est uerisimile, tunc demum eum testatorẽ substituere uoluisse, si & tutelam suscepisset: & ideo eum de quo quæritur, à legato quidẽ, si adhuc uiueret pupillus, repellendum fuisse: à substitutione autem nõ esse submouendum, cùm eo casu etiam suscepta tutela finiretur. *Hæc de 16.amittendi legati causa.*

XVII. *Causa: Si legatarius testamentum impugnauit, falsum aut inofficiosum dixit, amittit legatum in eo relictum. Hæc causa approbatur l.qui falsas.6.C. ad l.Corneliam de falsis, hisce uerbis*: Qui falsas tabulas dixerit, nec obtinuerit, ad defuncti iudicium aspirare non potest. *Concordat l. post legatum.5.§.1.ff.de his quæ ut indignis, his uerbis*: Qui legatum consecutus, postea falsum dixit: amittere debebit quod consecutus est. *Concordat d.l.5. §.ei qui tutor. cuius uerba uide §. lib.17. cap.6.quæst.1.causa 55. Concordat item l.si test.6.in fine.ff.de petitione hæred. ubi Vlpianus*: Si testamentum falsum esse dicatur (inquit) ei qui falsum accusat, si suscepta cognitio est, legatum nõ est dandum. *Idem dicendum de eo qui inofficiosum dixit testamentum; nec obtinuit. Quod approbatur l.Papinianus.8.§.meminisse. ff.de inoff.test. his uerbis*: Meminisse oportebit, eum qui testamentum inofficiosum improbè dixit, si non obtinuit, id quod in testamento accepit perdere, & id fisco uindicari, quasi indigno ablatum. *Idem iuris est, si legatarius contra tabulas bonorum possessionem petijt. l.z. in prin. ff.de his quæ ut indignis, &c.ubi Martianus*: Aufertur hæreditas ex asse (inquit) & ad fiscum pertinet, si emancipatus filius contra tabulas bonorum possessionem patris ut præteritus petierit, & ex substitutione impuberis adierit hæreditatem. *Concordat l.sub conditione.18.§.ei qui.ff.de bonor.possess. contra tabul. his uerbis*: Ei qui contra tabulas bonorum possessionẽ acceperit, tam legati quàm fideicommissi exactio, sed & mortis causa donationis retentio denegatur: nec interest, per semetipsum, an per aliũ quærat. *Huius causæ exceptiones plures sunt; quarũ prima hæc est: Nisi non falsum nec inofficiosum, sed iniustum dixit testamentum. Hæc exceptio approbatur l.si test.24.ff.de his quæ ut indignis, hisce uerbis*: Si testa-

Si testamẽtum patris iure factum filius negauerit: quoniam de iure disputauit, non iudicium impugnauit aut accusauit, retinet defuncti uoluntatem. *Concordat l.post legatum. 5.§.1.ff.eod.tt.ubi Paulus:* Ille qui non iure factũ contẽdit, nec obtinuit, non repellitur ab eo quod meruit. *Secunda exceptio hæc est: Nisi nõ suo, sed pupilli sui nomine testamentum impugnat, item aduocatus fisci nomine. Hæc exceptio approbatur l.aduersus. 30.§.fin.ff.de inoff.test. his uerbis:* Tutoribus pupilli nomine sine periculo eius quod eis testamento datum est, agere de inofficioso uel falso testamento, diui Seuerus & Antoninus permiserunt. *Concordat instit.eod.tt.§.sed si econtrario, his uerbis:* Si pupilli nomine, cui nihil relictum fuerat, de inofficioso egerit, & superatus est: ipse tutor, quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit. *Concordat item l.tutorem. 22.ff.de his quæ ut indig. ubi Triphoninus:* Tutorem (*inquit*) qui sui pupilli nomine falsum uel inofficiosum testamentum dixit, non perdere sua legata, si non obtinuerit, optima ratione defenditur: quia officij necesitas, & tutoris fides excusata esse debet, &c. *Huic similis est aduocatus fisci. Nam aduocatum fisci (Paulus ait) qui intentionem delatoris exequitur, in omnibus officij necessitas satis excusat. l.post legatum. 5.§.aduocatum. ff.de his quæ ut indignis, &c. Tertia exceptio est: Nisi pater filij sui nomine egerit. Hæc exceptio approbatur l.filius. 22.§.itẽ quæreb. ff.de inoff.testam. his uerbis:* Quærebatur, si non obtinuisset pater in accusando iure filij, an quod patri datum est publicaretur? quoniam alij commodum uictoriæ parat, & in hac causa nihil ex officio patris, sed totum de meritis filij agitur: inclinandum est, non perdere patrem sibi datum, si secũdum testamentum pronunciatum sit. *Concordat eod.l.§.fin.cuius hæc sunt uerba:* Item, si adrogauero eum, qui instituerat litem de inofficioso testamento eius, qui mihi legatum dedit, litemq; peregero nomine filij, nec obtinuero, perdere me legatum non oportet: quoniam indignum est, ut auferatur mihi à fisco id quod derelictum est, cum non proprio nomine, sed iure cuiusdam successionis egi. *Quarta exceptio est: Nisi eius nomine, cui hæres legatarius existit, accusauerit. Hæc exceptio approbatur d.l.22.§.multò, his uerbis:* Multò magis si mihi legatum testator dederit, cuius de inofficioso testamento filius agens decesserit, me hærede relicto, egoq; hæreditariam causam peregi, & uictus sum: id quod mihi ex eo testamento relictum est, non perdam, utiq; si iam defunctus agere cœperat. *Quinta exceptio est: Nisi accessorium, non principale testamentum impugnauit. Hæc exceptio approbatur l.post legatum. 5.§.qui principale, in fine. ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide 7. except. prox. Concordat l. hæredi. 15. in prim. ff. eod. tit. ubi Papinianus:* Hæredi, qui falsos codicillos esse dixit, neque obtinuit, hæreditas non aufertur. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi in isto accessorio legatum accusatori sit relictum. quæ replicatio approbatur d.l.15. his uerbis:* Si tamen aliquid à cohærede codicillis acceperit, eius actio denegabitur. Itaq; si bonorum inter hęredes diuisionem defunctus codicillis fecerit, partes quidem hæreditarias, in quibus legatum consistere non potuit, tenebit: sed Falcidiæ beneficio non utetur, si tantum in amissis portionibus erit, quod Falcidiam æquitate compensationis recuset. *Sexta exceptio est: Nisi non in testamento principali, quod impugnat, sed in secundis tabulis uel codicillis legatum sit relictum. Hæc exceptio reprobatur d.l.5.§.qui principale. ff.de his quæ ut indignis, &c. his uerbis:* Qui principale testamentum arguit, & à secundis tabulis repellendus est, item à codicillis ad testamentum factis, licet non confirmatis. non idem sequendum est, si secundas tabulas uel codicillos coarguit: quia non utrunq; hoc casu improbasse uidetur. *Septima exceptio est: Nisi legatarius minor sit ætate. Hæc exceptio approbatur d.l.5.§.ætati, hisce uerbis:* Ætati eius qui accusauit, ignoscitur, & maximè si tutor uel curator dicere falsum uel inofficiosum uoluit: & ita Impp. Seuerus & Antoninus rescripserunt. *Huic quodammodò contradicit l.tutorem. 22. in fine. ff.d.tt. ubi cum dixisset Iurisconsultus, Tutorem pupilli sui nomine testamentum impugnantem non perdere legatum in eo testamento sibi relictum, subijcit hæc uerba:* Deniq; pupillo relicta in eo testamento, nisi à principe conseruata sint, pereunt. *Contradicit item l.2. ibi: quam adimi pupillo necesse erit secundum iuris formam. C.eod. tt. cuius uerba uide 3. lib. 18. cap. 9. quæst. 1. causa 3. Octaua exceptio est: Nisi filiusfamilias, cui legatum est, accusauerit. Hæc exceptio approbatur cum conditione l.post legatum. 5.§.si filiusfamil. ff.de his quæ ut indig. his uerbis:* Si filiusfamilias falsum accusauerit testamentum, uidendum est, an denegari debeat actio patri? & puto, si inuito patre accusauit, non esse denegandam patri actionem. *Nona exceptio est: Nisi non ipsi accusatori, sed seruo eius uel filio sit legatũ. Hæc exceptio reprobatur cum conditione d.l.5.§.si pater, hisce uerbis:* Si pater accusauerit testamẽtum, uel dominus, denegabitur ei actio etiam eius quod filio eius uel seruo legatum est, si ad ipsos emolumentum rei peruenturum est: quod si personam illorum spectet, diuersum dicendum est. *Decima exceptio est: Nisi non ipsi accusatori, sed ei cui hæres existit, sit legatum. Hæc exceptio approbatur d.l.5.§.qui accusauit, hisce uerbis:* Qui accusauit falsum, hæres legatario extitit, uel hæredi scripto. nihil huic nocere, dicẽdum est. Similis est ei, & qui inofficiosum dixit.

Concordat

Concordat l.qui Titij. 7.ff.eod.tt.ubi Modestinus: Qui Titij testamentum falsum dixit, nec obtinuit, hæredi eius hæres existere prohibendus non est: quia non principaliter in Titij hæreditatem succedit. *Vndecima exceptio est: Nisi accusator ab accusatione destitit. Hæc exceptio approbatur l.alia. 8. C.de his quibus ut indignis, &c. his uerbis:* Alia causa est eius, qui falsi instituta accusatione, ad finem usq; quod insimulabat perduxit, & contrariam sententiam meruit: alia eius, qui inchoatam accusationem non pertulit: cum in illius quidem partem succedat fiscus: hic autem, qui contrariam iudicis sententiam non sustinuit, suæ partis non perdat persecutionem. *Concordat l.Papinianus. 8.§.meminisse. ibi: sed ei demum. ff.de inoff.test. ubi Vlpianus:* Sed ei demum aufertur (*inquit*) quod testamento datum est, qui usque ad sententiam in iudicium lite improba perseuerauerit. Cæterùm si ante sententiam destitit uel decesit, non ei aufertur quod datum est. *Duodecima exceptio est: Nisi absente accusatore secundũ præsentem fuerit pronunciatum. Hæc exceptio approbatur d.§.meminisse, his uerbis:* Proinde etiamsi absente eo secundum præsentem pronuncietur, potest dici conseruandũ ei quod accepit. *Decimatertia exceptio est: Nisi alij restituere fuerit rogatus. Hæc exceptio approbatur d.§.meminisse, in fine, his uerbis:* Eo autem solo carere quis debet, cuius emolumentũ ad eum pertineret. Cæterùm si id rogatus fuit restituere, non debet iniuria fieri. Vnde non malè Papinianus libro secundo Responsorum refert, Si hæres fuerit institutus, & rogatus restituere hæreditatẽ, deinde in querela inofficiosi non obtinuit: id quod iure Falcidiæ potuit habere, solum perdere. *Concordat l.legatarius. 27. in fine. ff.de excusationib. cuius uerba uide 3. causa prox. except. 9. Decimaquarta exceptio est: Nisi non testamẽto actori sit relictum, sed ex alia causa ei adquisitum. Hæc exceptio approbatur l.etiamsi. 11.ff.de inoff.test. his uerbis:* Etiamsi querela inofficiosi testamẽti non obtinuit, non ideo tamen donationes, quas uiuus ei perfecisse proponitur, infirmari, neq; in dotem antè datorum partem uindicari posse, Modestinus respondit. *Concordat l.post legatum. 5.§. penult.ff.de his quæ ut indignis, &c. ubi Paulus:* Qui mortis causa donationem accepit à testatore (*inquit*) non est similis in hac causa legatario. *Aliud exemplum habetur l.Papinianus. 8.§.si quis impubes, in fin.ff.de inoff.test. Huius exceptionis replicatio est: Nisi conditionis implendæ causa quid alicui dandum sit: hoc enim casu propositæ causæ locus est, quamuis legatum non uideatur esse. quæ replicatio approbatur d.§.penul. his uerbis:* Alia causa est eius qui propter testamentum à legatario uel à statulibero accipere iussus est: hic enim ut indignus repellitur: & Falcidię beneficium hæredi scripto auferri debere, diuus Pius & diuus Marcus putauerunt. *Decimæquintæ exceptionis loco potest hic annotari inferius causa 26. item Decimæsextæ exceptionis loco causa 27. item Decimæseptimæ exceptionis loco causa 28.*

XVIII. *Causa: Si legatarius alium qui testamentum impugnat, testimonio suo uel alio modo iuuit. Hæc causa approbatur l.post legatum. 5.§. his quoq;, cum sequentibus. ff.de his quæ ut indignis, &c. his uerbis:* His quoq; qui testimonio suo intentionem adiuuerunt accusatoris, deneganda est actio: idemq; diuus Seuerus decreuit. Sunt qui putant (& rectè) & ei denegandam, qui accusatori adfuerit, & fideiussor pro eo extiterit. Quidam & præsidem indignum putant, qui testamentum falsum pronunciauit, si appellatione intercedente hæres scriptus obtinuit. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi aduocatus fisci delatorem adiuuit. Hæc exceptio approbatur d.l.5.§.aduocatum, his uerbis:* Aduocatum fisci, qui intentionem delatoris exequitur, in omnibus officij necessitas satis excusat. *Secunda exceptio hæc est: Nisi libertas relicta sit. Hæc exceptio reprobatur d.l.5.§.an libertas, his uerbis:* An libertas ei seruo data, qui testimonio suo infringere uoluerit testamentum, auferri debeat, uidendum est? fideicommissum utiq; non est dignus consequi: & de libertate diuus Pius iudicauit, ea esse priuandum.

XIX. *Causa: Si legatarius testamẽtum celauit. Hæc causa approbatur l.si leg. 25. C.de leg. hisce uerbis:* Si legatarius celauerit testamentum, & postea hoc in lucem emerserit, an possit legatum sibi relictum ex eo testamento uindicare, dubitabatur? quod omnimodò inhibẽdum esse censemus, ut non accipiat fructum suæ calliditatis, qui hæredem uoluit etiam hæreditate defraudare: sed huiusmodi legatũ illi quidem auferatur, maneat autem quasi pro non scripto apud hæredem, ut qui alij nocendum esse existimauit, ipse suam sentiat iacturam.

XX. *Causa: Si legatarius testatori maledixit. Hæc causa approbatur l.si inimicitiæ. 9. ff.de his quæ ut indignis, &c. cuius uerba uide paulò 3. causa 23.*

XXI. *Causa: Si legatarius testatori statuas quæstionem mouit. Hæc causa approbatur d.l.9.*

XXII. *Causa: Si legatarius testatorem de crimine capitali accusauit. Hæc causa approbatur exemplo l. pen.§.Seia.ff.de adimend.leg. his uerbis:* Seia testamento suo legauit Titio auri pondo quinque. Titius accusabat eam, quòd patrẽ suũ mandasset interficiendum. Seia post institutam accusationem codicillos confecit, nec ademit Titio priuigno legatum, & ante finem accusationis decesit acta causa. pronunciatum est, patrem Titij scelere Seiæ nõ interemptum. quæro, cùm codicillis legatum,

tum, quod in testamẽto Titio dederat,non ademerit,an ab hæredib. Seiæ Titio debeatur? Respondit Scæuola,secundum ea quæ proponerentur, non deberi. *Approbatur eadem causa alio exemplo l.1.ff.de his quæ ut indignis,hisce uerbis*: Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, quasi indignum carere legato seu fideicõmisso libertum,quæ ei ex testamento patroni relicta fuerant, cum patronum suum post mortem eius quasi illicitæ mercis negociatorẽ detulerat,quamuis & præmium meruerit.

XXIII. *Causa: Si inimicitiæ capitales inter testatorem & legatarium interuenerint. Hæc causa approbatur l.si inim.9.ff.de his quæ ut indignis,&c. bis uerbis*:Si inimicitiæ capitales interuenerint inter legatarium & testatorem, & uerisimile esse cœperit testatorem noluisse legatum siue fideicommissum præstari ei,cui adscriptum relictum est: magis est,ut legatum ab eo peti non possit. sed & si palàm & apertè testatori maledixerit, & infaustas uoces aduersus eum iactauerit, idem erit dicendum. Si etiam status eius controuersiam mouit, denegatur eius quod testamẽto acceperit persecutio: ex qua specie statim fisco defertur. *Concordat l.si quis.3.§.fin.ff.de adim. leg.cuius uerba ỹ.proximè sequuntur. item l.ex parte. 22.ff.eod.tt. cuius uerba uide ỹ.except.3. Propositæ causæ exceptio prima hæc est: Nisi non capitales inimicitiæ interfecerint, sed leuis offensa. Hæc exceptio approbatur d.l.3.§.fin. hisce uerbis*: Quæritur, an etiam inimicitijs interpositis,fideicommissum non debeatur? Et siquidem capitales uel grauissimæ inimicitiæ interfecerint,ademptum uidetur quod relictum est: sin autem leuis offensa, manet fideicommissum. secundum hoc & in legato tractamus, doli mali exceptione opposita. *Secunda exceptio est:Nisi in gratiam redierint. Hæc exceptio approbatur l.quòd si.4.ff.eod.tt.bis uerbis*:Quòd si iterum in gratiam redierũt, & pœnituit testatorem prioris offensæ, legatum uel fideicommissum relictum redintegratur:ambulatoria enim est uoluntas defuncti usque ad uitæ supremum exitum. *Tertia exceptio est: Nisi non legatum, sed hæreditas sit relicta.Hæc exceptio approbatur l.ex parte.22.ff.eod.tt.bis uerbis*: Ex parte hæres institutus etiam legatũ acceperat: eum testator inimicitijs grauissimis persecutus, cum testamentum aliud facere instituisset, nec perficere potuisset,præterijt.hæreditariæ quidem actiones ei non denegabũtur, sed legatum si petat, exceptione doli mali submouebitur.

XXIIII. *Causa: Si negligentia & culpa legatarij testator sit mortuus. Hæc causa approbatur l.indignũ. 3.ff.de his quæ ut indignis,&c.bis uerbis*:Indignum esse diuus Pius illum decreuit (ut & Marcellus lib.XII.Digest.refert) qui manifestissimè comprobatus sit id egisse,ut per negligentiam & culpam suam mulier,à qua hæres institutus erat,moreretur.

XXV. *Causa:Si legatarius uel hæres testatoris adhuc uiuentis bona donauerit. Hæc causa approbatur l.2.§.fin.ff.de his quæ ut indignis,&c.bis uerbis*: Idẽ erit, si quis uiui ignorãtis bona, uel partem bonorum alicuius cognati donauerit: nam quasi indigno aufertur. *Concordat l. quidam. 30.§.fin.cum lege sequente.ff.de donationibus,bis uerbis*: Donationem quidem partis bonorum proximæ cognatæ uiuentis nullam fuisse constabat: uerùm ei qui donauit, ac postea iure prætorio successit, quoniam aduersus bonos mores & ius gentium festinasset, actiones hereditarias in totum denegandas, Papinianus respondit: nam ei ut indigno aufertur hæreditas.

XXVI. *Causa: Si legatarius contra hæredem egit, quòd dolo illius factum sit, quo minus testator testamentum mutaret. Hæc causa reprobatur l.Lucius.90. §.Sempronia. ff.de legat.2. bis uerbis*: Sempronia substituta hæredi instituto legata accepit,si hæres non esset. mouit contra institutum actionem, quòd dolo eius factum esse dicebat, quo minus testatrix, uolens primo loco scribere eam hæredem, testamentum mutaret:nec obtinuit.quæro,an legati persecutionem saluam haberet? Respondi,secundum ea quæ proponerentur, saluam habere.

XXVII. *Causa: Si legatarius unum hæredẽ quasi per falsum adscriptum accusauit. Et hæc causa reprobatur l.Papim.4. ff.de his quæ ut indignis, hisce uerbis*: Papinianus lib.V.Quæstion.ait,Si quis unũ hæredem quasi per falsum adscriptum accusauit, legatum ei non auferri à cohærede relictum,quem non inquietauit.

XXVIII. *Causa: Si legatarius matrem eius, cui substitutus est, subiecti partus ream postulauit. Hæc causa approbatur l.cùm secundis.16. in princ.ff.de his quæ ut indignis, &c. hisce uerbis*: Cum secundis tabulis pater impuberi filio fratris filios, cohæredibus datis, substituisset, ac substituti fratris filij post mortem pueri matrem eius partus subiecti ream postulassent, ut hæreditatem patrui legitimam obtinerent: uictis auferendam esse partem hereditatis ex causa substitutionis,Papinianus respondit: quia sententiam secundum se dictam ex testamento non haberent.

XXIX. *Causa: Si legatarius legatum repudiauit, eius actio illi denegatur. quæ causa approbatur l.legatarius.38.§.1.ff.de leg.1.bis uerbis*: Si legatum nobis relictũ constituerimus nolle ad nos pertinere, pro eo erit, quasi ne legatũ quidem sit.*Concordat l.seruum.44.§.1.ibi:si uerò repudiauerit.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. cap.2. reg.1. except.2. Concordat*

Concordat item l.si tibi homo.83.§.cum seruus. ff.eod. tt.cuius uerba uide ẽ.d.except.2. Concordat item l.ex repudiatione.26.in prin.C.de fideicommiß. cuius uerba uide paulò ỹ. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi alius quàm legatarius repudiauit. Hæc exceptio approbatur d.l.26.C.de fideicommiß.hisce uerbis: Ex repudiatione fideicommissi doli mali exceptio(iusta causa intercedente)tunc opponitur, quando ipse cui fideicommissum relictum est, repudiatione usus fuerit. Vnde cùm hoc non te, sed patrem feciſſe asseueres,qui tibi nocere non potuit:nihil tibi obesse potest. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi filius, cui legatum est, sit in potestate patris repudiantis. tunc enim, quia patri per filium legatum adquiritur,repudiare quoq; illud potest, exemplo domini,de quo sequitur. Secunda replicatio:Nisi dominus serui legatum repudiauit.Hæc replicatio approbatur l.legatum.7.ff.de leg.1. bis uerbis*: Legatum seruo delatum dominus potest repudiare. *Secunda exceptio est: Nisi repudians de suo iure sit incertus. Hæc exceptio approbatur l.in repud.23. ff.de adquiren.hæred. his uerbis*: In repudianda hæreditate uel legato certus esse debet de suo iure is qui repudiat. *Tertia exceptio est: Nisi non omittendi legati animo fecit. Hæc exceptio approbatur exemplo l.Titia.33.§.Lucia.ff.de leg.2.bis uerbis*: Lucia Titia intestata moriẽs, à filijs suis per fideicommissum alieno seruo domum reliquit post mortem filij: ijdemq; hæredes, cùm diuiderent hæreditatem matris, diuiserunt etiam domum, in qua diuisione dominus serui fideicõmissarij quasi testis adfuit. quæro, an fideicommissi persecutionem adquisitam sibi per seruum, eo quòd interfuit diuisioni, amisisse uideatur? Modestinus respondit, fideicommissum ipso iure amissum nõ esse, quod ne repudiatum quidem uideri potest: sed nec dominũ per doli exceptionem submoueri, nisi euidenter apparuerit, omittẽdi fideicommissi causa hoc feciſſe. *Quarta exceptio est: Nisi aliud legatum,uel ex alia causa debitum repudiauit.Hæc exceptio approbatur l.sed duobus.5. in princ. ff.de leg.2. his uerbis*: Duobus legatis relictis,unum quidem repudiare,alterum uerò amplecti posse,respondetur. *Huius exceptionis exemplum est l.si Titio.10. ff.de usufruct. legato. cuius hæc sunt uerba*: Si Titio fundus, & eiusdem fundi ususfructus legatus fuerit, erit in potestate eius, fundum an usumfructum uindicare malit: & si fundum elegerit,necessariò plenã proprietatem habebit, licet usumfructum à se repulerit: si uerò usumfructum habere maluerit, & proprietatem fundi repulerit, solum usumfructum habebit. *Aliud exemplum proponitur l.si seruo.98. in princ. ff.de leg.1. bis uerbis*: Si seruo meo Stichus legatus fuerit testamento,idq; legatum repudiauero, deinde prolatis codicillis apparuerit mihi quoque eundem Stichum legatum esse:nihilominus eundem uindicare possum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi id quod repudiauit,onus habuit annexum.Hæc replicatio approbatur d.l.5.bis uerbis*:Sed si unum ex legatis onus habeat, & hoc repellatur, non idem dicendum est. pone eum cui decem & Stichus legatus est, rogatum seruum manumittere. si Falcidia locum habet,ex decem utriusque legati quarta deducetur. Igitur repudiato seruo non euitabitur onus deductionis, sed legatarius ex pecunia duas quartas relinquet. *Huius replicationis elegans etiam proponitur exemplũ l. à filio.15.in prin. ff.de alimentl.leg. cuius uerba uide ỹ. lib.34.cap.9.quæst.1.except.8. Concordat item l.si legatario.22. in prin. ff.de fideicomm.libertatib. cuius uerba uide ẽ. lib.19.cap.8. except.14.replic.4. Secunda replicatio est:Nisi cùm duobus eadem res esset legata, & utriusq; ius in unius personam deuenisset, is legatum ex alterutrius persona repudiauerit: tunc enim ex alterius persona non nisi pro parte debetur. quæ replicatio approbatur exemplo l.si mihi.57.in prin. ff.de leg.2.bis uerbis*: Si mihi & Titio eadem res legata fuerit, & is decedente legati decesserit, me hærede relicto: & uel ex mea propria causa,uel ex hæreditaria legatum repudiauero: magis placere uideo,partem defecisse. *Aliud exemplum proponitur,sed cum distinctione, l.si mihi.61. ff.eod.tt. bis uerbis*: Si mihi purè, seruo meo uel purè, uel sub conditione eadem res legata sit, egoq; legatum, quod mihi datum est, repudiem: deinde conditione existẽte,id quod seruo meo legatum est, uelim ad me pertinere:partem legati deficere,responsum est: nisi quis dubitet,an existente conditione,si seruus uiuat, omnimodò legatum meum fiat, quod semel ad me pertinere uoluerit: quod æquius esse uidetur. idẽ est,etsi duobus seruis meis eadem res legatur. *Concordat l.si duobus.41.ff.de leg.2.bis uerbis*: Si duobus seruis meis eadem res legata est, & alterius serui nomine ad me eam pertinere nolo: totum ad me pertinebit. Quia partem alterius serui per alterum seruum adquiro, perinde ac si meo & alterius seruo esset legatum. *Tertia replicatio est: Nisi cùm eadem res eidem ab instituto & à substituto legata esset, ab instituto legatum repudiauit: tunc enim nec à substituto ei debetur. quæ replicatio approbatur l.si quis. 78.§.si patersum. ff.de leg.1. bis uerbis*: Si paterfamiliãs ab impubere filio Titio fundum legauerit, & à substituto eundem eidem Titio, & pupillus patri hæres extiterit: siue uindicauerit Titius legatũ, siue repudiauerit (quamuis filius impubes decesserit) à substituto uindicare non poterit: hoc enim quod rursus à substituto legatur,perinde habendum

est,ac si repetitum esset legatum. Quare etsi purè à filio, sub conditione à substituto legatum fuerit, perinde omnia seruabuntur, ac si tantum à filio legatum fuisset. *Huius replicationis prima duplicatio hæc est: Nisi inutiliter ab instituto repudiauerit, puta pendente legati conditione. Hæc duplicatio approbatur d.§.si patersam. in fine,his uerbis:* Contrà autem,si à filio sub conditione,à substituto purè legatum fuerit,& pupillus pendẽte conditione decesserit: ex substitutione sola legatum ualebit. *Secunda duplicatio est: Nisi à substituto plus sit legatum:hoc enim quod excedit, nihilominus à substituto peti potest. quæ duplicatio approbatur l.quid ergo.53.in prin. ff.de leg.1.his uerbis:* Quid ergo,si maiorẽ quantitatem à substituto reliquit? quod excedit, hoc erit quod à substituto relictum est: quod uerò concurrit cum summa superioribus tabulis inscripta,inde debebitur. *Hæc de quarta exceptione cum suis replicationibus. Quinta exceptio est: Nisi pro parte legatum fuerit repudiatum. Hæc exceptio approbatur l.neminem.4.ff.de leg.2.his uerbis:* Neminem eiusdem rei legatæ sibi partem uelle, & partem nolle,uerius est. *Concordat l.legatarius.38.in princ. ff.de leg.1. his uerbis:* Legatarius pro parte adquirere,pro parte repudiare legatum non potest: hæredes eius possunt, ut alter eorum partem suam adquirat,alter repudiet. *Concordat item l.grege.6.ff.de leg.2.ubi Paulus:* Grege legato *(inquit)* non possunt quædam sperni,quædam uindicari: quia non plura, sed unum legatum est. Idemq; dicemus peculio legato,aut uestе,aut argento & similibus. *Concordat item l. si cui.60.ff.eod.tt.ubi Caius:* Si cui res legata fuerit, & omnino aliqua ex parte noluerit suã esse, totam adquirit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:Nisi cùm pluribus legatum debeatur, unus ex ijs legatũ pro sua parte repudiauerit. quæ replicatio approbatur supradicto exemplo hæredum legatarij. Aliud exemplum proponitur l.uxorem.39.§. agri plagam. ff.de leg.3. his uerbis:* Agri plagam, quæ est in regione illa, Mæuijs Publio & Caio transscribi uolo,precio facto uiri boni arbitratu, & hæreditati illato, duplæ euictione expromissa, ita ut reliquis hæredibus sub pœna centum promittant, eam agri plagam partémue eius ad Seiam posteróue eius non peruenturam quaquam ratione.quæsitum est,an legatum ualeat,cum Publius emere uelit, Caius nolit? Respondit Scæuola, eum qui fideicommissum sibi præstari uelit, posse partem dimidiam eius agri, qui legatus est, petere, quamuis alter prosequi nolit. Item quæsitum est, cautio quæ interponi debet secundum uoluntatem, pro quota parte cuiq; hæredum præstanda sit? Respondit,pro ea portione,quæ ex fideicommisso præstatur. *Aliud exemplum proponitur l.si quis.78. §.si seruo. ff.de leg.1. his uerbis:* Si seruo communi res legata fuisset, potest alter dominus agnoscere legatum, alter repellere.nam in hac causa seruus communis quasi duo serui sunt. *Secunda replicatio est: Nisi creditor,cui debitum legatum est,legatum amplectatur.quæ replicatio approbatur l.Aurelius.28. §.eum qui.ibidem quæsijt.ff.de liberat.legat. ubi cum quondam pupillus tutori suo legasset id quod in tutelam ipsius expenderat,subijciuntur hæc uerba:* Si tutor amplecteretur fideicommissum, ita ut in quibusdam stari uelit uerbis testamenti, à quibusdam autem recedat, quòd minorem quantitatẽ sumptuum dicat fideicommisso contineri, quàm ipse erogauerat: an audiri deberet?Respondit Scæuola,non impediri eum scriptura testamenti, quo minus omne quod sibi deberi probasset,petere posset. *Tertia replicatio est: Nisi pluribus relictis,quasdam repudiauerit, quasdam non. Hæc replicatio approbatur l.si duob.5. in princ. ff.de leg.2. de qua re uide §.except.proxim. Quarta replicatio est: Nisi ita sit legatum, Titio fundum Seianum, uel usumfructum eius do lego. quæ replicatio approbatur l. Lucio.23.ff.de leg.2. his uerbis:* Lucio Titio fundum Seianum,uel usumfructum fundi Seiani lego. potest legatarius uel fundum uendicare,uel usumfructum: quod facere non potest is,cui tantùm fundus legatus est. *Concordat l.planè.34. §.fin.ff. de leg.1. cuius uerba uide paulò §.cap.1.quæst.5.reg.1.except.2. Idem iuris est, si fundum & eius usumfructum legauit. Quod approbatur l.si Titio.10. ff.de usufr.leg. cuius uerba uide §. except.prox. in princ. Quinta replicatio proponitur d.l.34.§.fin.his uerbis:* Si quis ita leget,Titio fundum do lego, ut eum pro parte habeat: mihi uidetur posse dici,partem habiturum. uideri enim fundi appellatione non totum fundum,sed partem appellasse.nam & pars fundi, fundus rectè appellatur. *Sexta exceptio est: Nisi genere legato, species sit repudiata. Hæc exceptio approbatur l.homine.18.ff.de optione legata, his uerbis:* Homine legato,Neratius ait, nihil agi repudiato Pamphilo;itaque eum ipsum eligi posse. *Septima exceptio est: Nisi ante diem uel conditionem legati existentem repudiauit. Hæc exceptio approbatur l.si ita.46. §.si sub. ff.de leg.2. his uerbis:* Si sub conditione uel ex die certa nobis legatum sit,ante conditionem uel diem certum repudiare non possumus: nam nec pertinet ad nos, antequam dies ueniat, uel conditio existat. *Octaua exceptio est: Nisi legatarius, postquam rem legatam uendidit ac tradidit, repudiauit. Hæc exceptio approbatur l.si partem.19. §.fin.ff.quemadmodum seruit.amitt.his uerbis:* Si per fundum meum uiam tibi legauero, & intra tempus, quàm nescires tibi legatam seruitutem, fundum tuum uendideris: ad emptorem uia pertinebit, ut iam nec ius repudiandi

diandi legatum tibi possit contingere, cum ad re fundus non pertineat. *Nona exceptio est:Nisi alij rem restituere fuerit rogatus.De hac re dicetur j. inter causas amittendi legati,in persona eius, à quo legatum relictum est,consistentes.Hæc de 29.amittendi legati causa.*

XXX. *Causa:Si conditio legatarij sit mutata. Hæc causa ipso quidem iure subsistit, eiusq; exemplum proponitur in eo,qui in metallum est damnatus, l.si in metallum.3. ff.de his quæ pro non scriptis, &c. cuius uerba proponentur j. lib.32.cap.13.quæst.1.reg.13. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi legatarius in pristinum statum sit restitutus. Hæc exceptio approbatur l. si liber.57.§.si hæres.ff.de hæred.instituend.his uerbis:* Si hæres institutus scribendi testamẽti tempore ciuis Romanus fuit,deinde ei aqua & igni interdictum est: hæres fit,si intra illud tempus, quo testator decesit, redierit: aut si sub conditione hæres institutus est, quo tempore conditio extitit. idem & in legatis, & in bonorum possessionibus. *Concordat l.cum qui.102. ff.de condit.& demonst.ubi Paulus:* Eum qui post apertum testamentum *(inquit)* deportatus & restitutus est, fideicommissum petere posse,cuius conditio postea extiterit,quàm ciuitatem Romanam recipiat. *Concordat item l.intercidit.57.ff.eod.tt.cuius uerba uide paulò j. Ex his autem quæ dicta sunt patet, quòd si legatarius non ante, sed post diem legati cedentem in pristinum statum sit restitutus, exceptionem propositam ei non prodesse. Quod notandum loco primæ replicationis. Secunda replicatio est:Nisi seruus sit factus legatarius. tunc enim, quamuis ante diem legati cedentem libertatem receperit, tamen non uidetur ualere legatum semel extinctum. quæ replicatio approbatur l.intercidit.57.ff.de condit.& demonstr.his uerbis:* Intercidit legatum,si ea persona decesserit,cui legatum est sub conditione. Quid ergo, si non decesserit, sed in ciuitate esse desierit? puta alicui legatum, si consul fuerit,& is in insulam deportatus est: nunquid non interim extinguitur legatum, quia restitui in ciuitatem potest? quod probabilius esse arbitror.Non idem erit dicendum, si ea pœna in eum statuta fuerit, quæ irrogat seruitutem: quia seruitus morti assimilatur.*Hæc de prima exceptione. Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi libertus cui legatum est, ingenuus sit factus. Hæc exceptio approbatur l.falsa demonstratio.32. §.sed etsi cui. ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Sed etsi cui quasi liberto,id est,inter libertos legatum fuerit, non idcirco legatum amittit, quia postea annulos ab Imperatore acceperit: nam honor eius auctus est, non conditio mutata: & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

XXXI. *Causa: Si, cùm cognatis legatum esset,aliquis ex ijs cognatus esse desierit. Hæc causa reprobatur l.si cognatis.20.in prin. ff.de rebus dubijs,hisce uerbis:* Si cognatis legatum sit, & hi cognati quidem esse desierint,in ciuitate autem maneant: dicendum,deberi legatum. Cognati enim testamenti facti tempore fuerunt. Proinde si per adoptionem fuit cognatus,postea; fuerit emancipatus, nihilominus debetur ei legatum. Ait Iurisconsultus: In ciuitate autem maneant. Ex *his uerbis elicitur distinctio, sub qua causa proposita admittitur: si scilicet maxima uel media capitis deminutio interueniat,per quam non solùm cognatio, sed etiam ciuitas amittatur.tunc enim extinguitur legatum. de qua re dictum est §. causa proxima.*

XXXII. *Causa: Si uxor à marito, qui ei legauit, diuertit,& mortis tempore uxor eius non sit. Hæc causa approbatur l.item legato.47.§.fin. ff.de legat.3. his uerbis:* Si uxori aurum, quod eius causa paratum est,legatum sit: ut legatũ ualeat,mortis tempore uxorẽ esse debere,scripsit Proculus.& uerum est:separatio enim dissoluit legatum. *Concordat l.uxori.3.ff.de auro & argento legato.ubi Celsus:* Vxori legauit,quæ eius causa parata sunt,& ante mortem diuertit. non deberi, quia adempta uideantur, Proculus ait. nimirum facti quæstio est: nam potest nec repudiante adimere uoluisse. *Ex his uerbis posterioribus elicitur exceptio hæc: Nisi legatum adimi noluerit testator.*

XXXIII. *Causa: Si cùm marito uel uxori legasset, breui tempore matrimonium durauit. Hæc causa reprobatur l.non tantùm.19. C.de legatis, hisce uerbis:* Non tantùm duorum mensium, sed etiam minoris temporis maritus uxoris testamento scriptus succedit: nec legata, nec fideicommissa seu donationes temporis huius angustia capi prohibet. *Concordat l.si mihi.12. §.1. ff.de leg.1. ubi Pomponius ait angustias temporis nihil legato nocere.*

XXXIIII. *Causa:Si fideicommissarius directam ex testamento petierit hæreditatẽ, postea ex fideicommisso agens non admittitur. Hæc causa approbatur l. si quis.8.in princ. C.de codicillis. cuius uerba cum alijs huc pertinentibus uide §. lib.28. cap.25. quæst.3. reg.1. except.1.replic.1.*

XXXV. *Causa: Si hæres,cui prælegatum est,hæreditatem repudiauit,uel non adijt. Hæc causa reprobatur l.qui filiab.17.§.fin.cum lege sequente. ff.de leg. 1. his uerbis:* Si uni ex heredibus fuerit legatum, hoc deberi ei officio iudicis familiæ erciscundæ, manifestum est: sed etsi abstinuerit se hæreditate, consequi eum posse hoc legatum constat. Et quidem totum legatum petere potest, quamuis à semetipso inutiliter legatum fuisset. *Concordat l.filio pater.84.ff.eod.tt.ubi Papinianus:* Filio pater,quem in potestate retinuit, hærede pro parte instituto, legatum quoq; reliquit. durissima sententia est existimantium, denegandam ei legati petitionem,si patris abstinuerit hæreditate. non enim impugnatur iudicium

est,ac si repetitum esset legatum. Quare etsi purè à filio, sub conditione à substituto legatum fuerit, petinde omnia seruabuntur, ac si tantum à filio legatum fuisset. *Huius replicationis prima duplicatio hæc est: Nisi inutiliter ab instituto repudiauerit, puta pendente legati conditione. Hæc duplicatio approbatur d. §. si patersam. in fine, his uerbis:* Contrà autem, si à filio sub conditione, à substituto purè legatum fuerit, & pupillus pendẽte conditione decesserit: ex substitutione sola legatum ualebit. *Secunda duplicatio est: Nisi à substituto plus sit legatum: hoc enim quod excedit, nihilominus à substituto peti potest. quæ duplicatio approbatur l. quid ergo. 53. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Quid ergo, si maiorẽ quantitatem à substituto reliquit? quod excedit, hoc erit quod à substituto relictum est: quod uerò concurrit cum summa superioribus tabulis inscripta, inde debebitur. *Hæc de quarta exceptione cum suis replicationibus. Quinta exceptio est: Nisi pro parte legatum fuerit repudiatum. Hæc exceptio approbatur l. neminem. 4. ff. de leg. 2. his uerbis:* Neminem eiusdem rei legatæ sibi partem uelle, & partem nolle, uerius est. *Concordat l. legatarius. 38. in princ. ff. de leg. 1. his uerbis:* Legatarius pro parte adquirere, pro parte repudiare legatum non potest: hæredes eius possunt, ut alter eorum partem suam adquirat, alter repudiet. *Concordat item l. grege. 6. ff. de leg. 2. ubi Paulus:* Grege legato *(inquit)* non possunt quædam sperni, quædam uindicari: quia non plura, sed unum legatum est. Idemq; dicemus peculio legato, aut uestе, aut argento & similibus. *Concordat item l. si cui. 60. ff. eod. tt. ubi Caius:* Si cui res legata fuerit, & omnino aliqua ex parte uoluerit suâ esse, totam adquirit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cùm pluribus legatum debeatur, unus ex ijs legatũ pro sua parte repudiauerit, quæ replicatio approbatur supradicto exemplo hæredum legatarij. Aliud exemplum proponitur l. uxorem. 39. §. agri plagam. ff. de leg. 3. his uerbis:* Agri plagam, quæ est in regione illa, Mæuijs Publio & Caio transscribi uolo, precio facto uiri boni arbitratu, & hæreditari illato, duplæ euictione expromissa, ita ut reliquis hæredibus sub pœna centum promittant, eam agri plagam partémue eius ad Seiam posteróue eius non peruenturam quaquam ratione. quæsitum est, an legatum ualeat, cum Publius emere uelit, Caius nolit? Respondit Scæuola, eum qui fideicommissum sibi præstari uelit, posse partem dimidiam eius agri, qui legatus est, petere, quamuis alter prosequi nolit. Item quæsitum est, cautio quæ interponi debet secundum uoluntatem, pro quota parte cuiq; hæredum præstanda sit? Respondit, pro ea portione, quæ ex fideicommisso præstatur. *Aliud exemplum proponitur l. si quis. 78. §. si seruo. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si seruo communi res legata fuisset, potest alter dominus agnoscere legatum, alter repellere. nam in hac causa seruus communis quasi duo serui sunt. *Secunda replicatio est: Nisi creditor, cui debitum legatum est, legatum amplectatur. quæ replicatio approbatur l. Aurelius. 28. §. eum qui. ibi: idem quæsijt. ff. de liberat. legat. ubi cum quondam pupillus tutori suo legasset id quod in tutelam ipsius expenderat, subijciuntur hæc uerba:* Si tutor amplecteretur fideicommissum, ita ut in quibusdam stari uelit uerbis testamenti, à quibusdam autem recedat, quòd minorem quantitatẽ sumptuum dicat fideicommisso contineri, quàm ipse erogauerat: an audiri deberet? Respondit Scæuola, non impediri eum scriptura testamenti, quo minus omne quod sibi deberi probasset, petere posset. *Tertia replicatio est: Nisi pluribus relictis, quasdam repudiauerit, quasdam non. Hæc replicatio approbatur l. si duob. 5. in princ. ff. de leg. 2. de qua re uide §. except. proxim. Quarta replicatio est: Nisi ita sit legatum, Titio fundum Seianum, uel usumfructum eius do lego. quæ replicatio approbatur l. Lucio. 23. ff. de leg. 2. his uerbis:* Lucio Titio fundum Seianum, uel usum fructum fundi Seiani lego. potest legatarius uel fundum uendicare, uel usumfructum: quod facere non potest is, cui tantùm fundus legatus est. *Concordat l. planè. 34. §. fin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide paulò §. cap. 1. quæst. 5. reg. 1. except. 2. Idem iuris est, si fundum & eius usumfructum legauit. Quod approbatur l. si Titio. 10. ff. de usufr. leg. cuius uerba uide §. except. prox. in princ. Quinta replicatio proponitur d. l. 34. §. fin. his uerbis:* Si quis ita leget, Titio fundum do lego, ut eum pro parte habeat: mihi uidetur posse dici, partem habiturum. uideri enim fundi appellatione non totum fundum, sed partem appellasse. nam & pars fundi, fundus rectè appellatur. *Sexta exceptio est: Nisi genere legato, species sit repudiata. Hæc exceptio approbatur l. homine. 18. ff. de optione legata, his uerbis:* Homine legato, Neratius ait, nihil agi repudiato Pamphilo; itaque eum ipsum eligi posse. *Septima exceptio est: Nisi ante diem uel conditionem legati existentem repudiauit. Hæc exceptio approbatur l. si ita. 46. §. si sub. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si sub conditione uel ex die certa nobis legatum sit, ante conditionem uel diem certum repudiare non possumus: nam nec pertinet ad nos, antequam dies ueniat, uel conditio existat. *Octaua exceptio est: Nisi legatarius, postquam rem legatam uendidit ac tradidit, repudiauit. Hæc exceptio approbatur l. si partem. 19. §. fin. ff. quemadmodum seruit. amitt. his uerbis:* Si per fundum meum uiam tibi legauero, & intra tempus, quàm nescires tibi legatam seruitutem, fundum meum uendideris: ad emptorem uia pertinebit, ut iam nec ius repudiandi

diandi legatum tibi possit contingere, cùm ad te fundus non pertineat. *Nona exceptio est: Nisi alij rem restituere fuerit rogatus. De hac re dicetur §. inter causas amittendi legati, in persona eius, à quo legatum relictum est, consistentes. Hæc de 29. amittendi legati causa.*

XXX. *Causa: Si conditio legatarij sit mutata. Hæc causa ipso quidem iure subsistit, eiusq; exemplum proponitur in eo, qui in metallum est damnatus, l. si in metallum. 3. ff. de his quæ pro non scriptis, &c. cuius uerba proponentur §. lib. 32. cap. 13. quæst. 1. reg. 13. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi legatarius in pristinum statum sit restitutus. Hæc exceptio approbatur l. si liber. 57. §. si hæres. ff. de hæred. instituend. his uerbis:* Si hæres institutus scribendi testamẽti tempore ciuis Romanus fuit, deinde ei aqua & igni interdictum est: hæres fit, si intra illud tempus, quo testator decesserit, redierit: aut si sub conditione hæres institutus est, quo tempore conditio extitit. idem & in legatis, & in bonorum possessionibus. *Concordat l. cum qui. 102. ff. de condit. & demonst. ubi Paulus:* Eum qui post apertum testamentum *(inquit)* deportatus & restitutus est, fideicommissum petere posse, cuius conditio postea extiterit, quàm ciuitatem Romanam recipiat. *Concordat item l. intercidit. 57. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò §.* Ex *his autem quæ dicta sunt patet, quòd si legatarius non ante, sed post diem legati cedentem in pristinum statum sit restitutus, exceptionem propositam ei non prodesse. Quod notandum loco primæ replicationis. Secunda replicatio est: Nisi seruus sit factus legatarius. tunc enim, quamuis ante diem legati cedentem libertatem receperit, tamen non uidetur ualere legatum semel extinctum. quæ replicatio approbatur l. intercidit. 57. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Intercidit legatum, si ea persona decesserit, cui legatum est sub conditione. Quid ergo, si non decesserit, sed in ciuitate esse desierit? puta alicui legatum, si consul fuerit, & is in insulam deportatus est: nunquid non interim extinguitur legatum, quia restitui in ciuitatem potest? quod probabilius esse arbitror. Non idem erit dicendum, si ea pœna in eum statuta fuerit, quæ irrogat seruitutem: quia seruitus morti assimilatur. *Hæc de prima exceptione. Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi libertus cui legatum est, ingenuus sit factus. Hæc exceptio approbatur l. falsa demonstratio. 12. §. sed etsi cui. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Sed etsi cui quasi liberto, id est, inter libertos legatum fuerit, non idcirco legatum amittit, quia postea annulos ab Imperatore acceperit: nam honor eius auctus est, non conditio mutata: & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

XXXI. *Causa: Si, cùm cognatis legatum esset, aliquis ex ijs cognatus esse desierit. Hæc causa reprobatur l. si cognatis. 20. in prin. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Si cognatis legatum sit, & hi cognati quidem esse desierint, in ciuitate autem maneant: dicendum, deberi legatum. Cognati enim testamenti facti tempore fuerunt. Proinde si per adoptionem fuit cognatus, posteaq; fuerit emancipatus, nihilominus debetur ei legatum. Ait Iurisconsultus: In ciuitate autem maneant. Ex *his uerbis elicitur distinctio, sub qua causa propositæ admittitur: si scilicet maxima uel media capitis deminutio interueniat, per quam non solùm cognatio, sed etiam ciuitas amittatur. tunc enim extinguitur legatum. de qua re dictum est §. causa proxima.*

XXXII. *Causa: Si uxor à marito, qui ei legauit, diuertit, & mortis tempore uxor eius non sit. Hæc causa approbatur l. item legato. 47. §. fin. ff. de legat. 3. his uerbis:* Si uxori aurum, quod eius causa paratum est, legatum sit: ut legatũ ualeat, mortis tempore uxorẽ esse debere, scripsit Proculus. & uerum est: separatio enim dissoluit legatum. *Concordat l. uxori. 3. ff. de auro & argento legato. ubi Celsus:* Vxori legauit, quæ eius causa parata sunt, & ante mortem diuertit. non deberi, quia adempta uideantur, Proculus ait. nimirum facti quæstio est: nam potest nec repudiante adimere uoluisse. Ex *his uerbis posterioribus elicitur exceptio hæc: Nisi legatum adimi noluerit testator.*

XXXIII. *Causa: Si cùm marito uel uxori legasset, breui tempore matrimonium durauit. Hæc causa reprobatur l. non tantùm. 19. C. de legatis, hisce uerbis:* Non tantùm duorum mensium, sed etiam minoris temporis maritus uxoris testamento scriptus succedit: nec legata, nec fideicommissa seu donationes temporis huius angustia capi prohibet. *Concordat l. si mihi. 12. §. 1. ff. de leg. 1. ubi Pomponius ait angustias temporis nihil legato nocere.*

XXXIIII. *Causa: Si fideicommissarius directam ex testamento petierit hæreditatẽ, postea ex fideicommisso agens non admittitur. Hæc causa approbatur l. si quis. 8. in princ. C. de codicillis. cuius uerba cum alijs huc pertinentibus uide §. lib. 28. cap. 25. quæst. 3. reg. 1. except. 1. replic. 1.*

XXXV. *Causa: Si hæres, cui prælegatum est, hæreditatem repudiauit, uel non adijt. Hæc causa reprobatur l. qui filiab. 17. §. fin. cum lege sequente. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si uni ex heredibus fuerit legatum, hoc deberi ei officio iudicis familiæ erciscundæ, manifestum est: sed etsi abstinuerit se hæreditate, consequi eum posse hoc legatum constat. Et quidem totum legatum petere potest, quamuis à semetipso inutiliter legatum fuisset. *Concordat l. filio pater. 84. ff. eod. tt. ubi Papinianus:* Filio pater, quem in potestate retinuit, hærede pro parte instituto, legatum quoq; reliquit, durissima sententia est existimantium, denegandam ei legati petitionem, si patris abstinuerit hæreditate. non enim impugnatur iudicium

ab eo, qui iustis rationibus noluit negocijs hæreditarijs implicari. *Concordat item l.nam nec.86.ff.eod.tt.his uerbis:* Nec emancipatus hæreditate omissa legatum ab hærede petere prohibetur. Prætor enim permittendo his qui in potestate fuerint, abstinere se hæreditate paterna: manifestum facit, ius se in persona eorum tribuere, quod futurum esset, si liberum arbitrium adeundæ hæreditatis habuissent. *Concordat item l.cùm resp.12.C. de legatis,his uerbis:* Cùm responso uiri prudentissimi Papiniani, quod precibus insertum est, præceptionis legatum & omissa parte hæreditatis uindicari posse declaratur: intelligis,desiderio tuo iuxta iuris formam esse consultum. Verba uerò responsi hęc sunt: Filiæ mater prædium ita legauit, Præcipito sumito extra partem hæreditatis. cum hæreditati matris filia renunciasset, nihilominus eam rectè legatū uindicare uisum est. *Concordat item l.filiam.17.ff.de auro legato.cuius uerba uide §.cap.3.except.36.repl.2. Concordat item l.apud Celsum.4.§.si quis ex uncia. ff.de doli mali except. cuius uerba uide paulò inferius distinct.4. Concordat deniq; l.si in testamento.22.§.fin. ff.si quis omissa causa test. cuius uerba uide ĵ. lib.prox. cap.14. except.23. Planè sunt quædam distinctiones, quibus causa proposita admittitur,uel saltem admitti uidetur. Harum prima hæc est:* Nisi testator non aliàs legatum ei dari uoluit,nisi & hæreditatem agnoscat. *Hæc distinctio approbatur l.sed si non.85. ff.de leg.1. his uerbis:* Sed si nō aliàs uoluit eum pater habere legatum, nisi hæreditatem retineret, tunc neque aduersus cohæredem dandam ei ad legata petitionem secundum Aristonis sententiam constat,cum ipsi filio non uideretur esse soluendo hæreditas: & hoc ita est,licet nō conditionaliter expresit, intellexisse tamen manifestissimè adprobetur. *Secunda distinctio est:* Nisi ita sit legatum hæredi, *Hoc amplius ei do lego.Hæc distinctio reprobatur l.quid ergo.87.in prin. ff.de leg.1.his uerbis:* Quid ergo,si ita legauerit, Hoc amplius filio meo? non dubiæ uoluntatis quidem quæstio erit, sed non absimilis prioris casus circa filij prouidentiam, nisi euidens uoluntas contraria patris probetur. *Tertia distinctio est:* Nisi testator inter hæredes *uerbis legatorum bona hæreditaria diuisit.Hæc distinctio approbatur d.l.quid ergo,in fine,his uerbis:* Planè si pluribus filijs institutis, inter eos uerbis legatorum bona diuiserit: uoluntatis ratione legatorū actio denegabitur ei, qui non agnouit hæreditatem. *Quarta distinctio est:* Nisi pecunia accepta hæreditatem repudiauit. *Hæc distinctio approbatur l.apud Celsum.4.§.si quis ex uncia.ff.de doli mali except.his uerbis:* Si quis ex uncia hæres sit scriptus, ex qua ducenta consequi potuit: deinde propter hoc legatum, in quo centum erant, prætulit, ne molestijs hæredtarijs implicaretur: an si legatum petat, exceptione doli mali submoueatur? Ait Iulianus, non esse eum submouendum. Quòd si à substituto precium accepit, uel quod precij loco haberi possit,ne adeat hæreditatem: petēs legatum dolo (inquit) facere intelligitur, ac per hoc doli exceptione repellitur. *Quinta distinctio est:* Nisi cum sub conditione uel ex die incerta hæres institutus legatum purè accepisset, ante diem aut conditionem datæ hæreditatis existentem fuerit mortuus. *Hæc distinctio reprobatur l.ab omnibus.101. §. cum quidam. ff.de leg.1. de quo ĵ.lib.prox.cap.8.reg.1.except.4.*

XXXVI. *Causa: Si legatarius ei à quo legatum est,hæres existat. Hæc causa ipso quidem iure subsistit, secundum ea quæ dicta sunt ĵ. lib.48. capite 18. reg.2. Nam parum inter hanc speciem interest (inquit Marcellus) & cum aliàs creditor debitori suo hæres extiterit. l.Lucius.120.in princ. ibinam parum. ff.de legat.1. Huius causæ exceptio prima hæc est:* Nisi pro parte tantùm hæres existat legatarius: *tunc enim pro reliqua parte, qua hæres non est, legatum exigere non prohibetur.de qua exceptione uide d.cap.18.reg.2.except.1. Secunda exceptio est:* Nisi cum uni ex pluribus deberetur legatum, unus ex ijs ei à quo legatum est, hæres extiterit: *tunc enim reliquis nihilominus debetur legatum. Quæ exceptio approbatur l.si unum.69. §.sed si uno.ff.de leg.2. de quo ĵ.dicetur lib.34.cap.pen.quæst. 2.reg.1.except.5.& quæst.3. Reliquas propositæ causæ exceptiones uide d.reg.2.*

XXXVII. *Causa: Si legatarius,qui simul substitutus est, ex substitutione succedat. Hæc causa approbatur l.Latinus.85. ff.de legat.2.his uerbis:* Latinus Largus: Proximè ex facto incidit species talis: Libertus patronum ex semisse hæredem instituit, & filiam suam ex alio semisse: fideicommisit filiæ,ut quibusdam ancillis patroni restitueret, cum hæ manumissæ essent: & si eadem filia hæres non esset, substituit ei easdem ancillas. quoniam filia nō uoluit hæres existere, ancillæ iussu domini adierunt defuncti hæreditatem: post aliquantum temporis ab eo manumissę, quærebant, an fideicommissum petere ab eodem patrono possent? rogo ergo, quid de hoc existimes rescribas. Paulus respondit, nec repetitum uideri in hunc casum fideicommissum, sed alterutrum datum, uel fideicommissum, uel ipsam hæreditatem. Melius autem dici, in eundem casum substitutas uideri, in quem casum fideicommissum meruerunt: & ideo ad substitutionem eas uocari. Cum enim seruo alieno fideicommissum ab uno ex hæredibus sub conditione libertatis fuerit datum, idemq; seruus ei hęredi substituatur: licet purè substitutio facta sit: tamen sub eadem conditione substitui uidetur, sub qua fideicommissum meruit.

XXXVIII. *Causa: Si legatarius ipse sibi uel seruo filióue suo,quem in potestate habet,uel domino patriúe,in cuius est potestate, legatum adscripserit. Hæc causa approbatur l.1. ff. de his quæ pro non scriptis, &c. hisce uerbis:* Si quis hæreditatem uel legatum sibi adscripserit, quæritur, an hæreditas uel legatum pro non scripto habeatur? & quid si substitutum habeat huiusmodi institutio? Respondit Iulianus: Pars hæreditatis, de qua me consuluisti, ad substitutum pertinet. Nam Senatus, cum pœnam legis Corneliæ constitueret aduersus eum qui sibi hæreditatem uel legatum scripsisset, eodem modo improbasse uidetur, quo improbatæ sunt illæ: Qua ex parte me Titius hęredem scriptum in tabulis suis recitaueri,ex ea parte hæres esto. ut perinde haberentur, ac si insertæ testamento non fuissent. *Concordat l.diuus Claudius.15.in princ. ff. ad l.Cornel.de falsis. cuius uerba uide §. lib.4.cap.8. quæst.1.causa 14.in princ. Huius causæ exceptio prima hæc est:* Nisi alij restituere sit rogatus. *Hæc exceptio reprobatur l.filius.14.§.fin. ff.ad l.Cornel.de falsis, hisce uerbis:* Cum quis sibi iussu testatoris legatum adscripsit, etiamsi fidei suæ similiter iubente testatore commissum esset, uti id alij restitueret: Senatus iusit, eum nihilominus à legato se abstinere, idq; apud hæredem remanere cum onere fideicommissi. *Concordat l.ult. ff.de his quæ pro non script. habent. cuius uerba uide paulò ĵ. except.prox. Secunda exceptio est:* Nisi testamentum sit militare. *Hæc exceptio reprobatur d.l.ult. his uerbis:* Quod quis sibi adscripserit, si alij restituere à testatore iussus est, cum onere fideicommissi id apud hæredem remanet, quamuis pro non scripto sit. Idem est & in testamento militis. *Tertia exceptio est:* Nisi legatarius accepto legato decesserit. *Et hæc exceptio reprobatur l.si quis.4. in prin.ff.ad l.Cornel.de falsis,hisce uerbis:* Si quis,cum falsò sibi legatum adscribi curasset,decesserit, id hæredi quoq; extorquendum est. *Plures propositæ causæ exceptiones uide §.lib.4.cap.8.causa 17.*

XXXIX. *Causa: Si legatarius tacitam fidem accommodauit ad restituendum ei qui capere non potest. Hæc causa amittendi legati approbatur l.1.in prin. ff.de iure fisci. cuius uerba uide §.lib.11.cap.2.quæst.1. causa 1. declaratur l.in fraudem.10. in princ. ff.de his quæ ut indignis,&c. hisce uerbis:* In fraudem iuris fidem accommodat, qui uel id quod relinquitur, uel aliud tacitè promittit restituturum se personæ, quæ legibus ex testamento capere prohibetur, siue chirographum eo nomine dederit, siue nuda pollicitatione repromiserit. *Concordat l.in tacitis. 100.ff.de legat.1.ubi Vlpianus:* In tacitis fideicommissis (*inquit*) fraus legi fieri uidetur, quoties quis neque testamento, neque codicillis rogatur: sed domestica cautione uel chirographo obligat se ad præstandum fideicommissum ei qui capere non potest. *Concordat item l.non intelligitur.3.in princ. ibi: quæri autem. ff.de iure fisci. cuius uerba uide ĵ.except.2.repl.1. Tacita autem fideicommissa (inquit Callistratus) frequenter sic deteguntur, si proferatur chirographum, quo se cauisset is cuius fides eligitur, quod ad eum ex bonis defuncti peruenerit restituturum. Sed & alijs probationibus manifestissimis idem fit. d.l.3. §.tacita. ff.de iure fisci. Planè si gener socerum hæredem reliquerit (Papinianus inquit) taciti fideicommissi suspicionem sola ratio paternæ affectionis non admittit. l. penult. ff.de his quæ ut indignis, &c. Proposita autem causa suas habet exceptiones, quarum prima hæc est:* Nisi palàm,non tacitè sit rogatus. *Hæc exceptio approbatur d.l.3.in prin.ff.de iure fisci,his uerbis:* Non intelligitur fraudem legi feciſſe, qui rogatus est palàm restituere. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi persona,cui restituendum est,non sit palàm expressa. *Hæc replicatio approbatur l.Lucius.120. §.fin. ff.de leg.2. his uerbis:* In testamento ita scriptum est, Caio Seio illud & illud hæres meus dato: & te Sei rogo, fideique tuæ mando, uti ea omnia quæ scripta sunt,reddas sine ulla mora, & reddas ipse. Quæro, an tacitum fideicommissum sit,cum testator personam, cui restitui uellet, testamento non significauerit? Marcellus respondit, si in fraudem legum tacitam fidem Seius accommodasset, nihil ei prodesse, si his uerbis paterfamiliās cum eo locutus esset: non enim ideo circumueniſſe minus leges existimandum esse, cum perinde incertum sit, cui prospectum uoluerit. *Huius replicationis duplicatio hæc est:* Nisi non in fraudem legis persona, cui restituendum est, sit omissa, sed casu. *Hæc duplicatio approbatur l.non intelligitur.3. in princ.ff.de iure fisci.ubi Callistratus:* Cum quidam testamento suo ita scripsisset, Vos rogo, ut in eo quod à uobis petij, fidem præstetis,perq; Deum ut faciatis rogo: & quæreretur, an id palàm datum intelligeretur? Iulianus respondit, non quidem apparere quid ab hæredib. ex huiusmodi uerbis petitum est. Quæri autem solet, quando intelligatur quis in fraudē legis fidem suam accommodare? Et ferè eò iam decursum est, ut fraus legi fieri uideatur,quoties quis neque testamento, neque codicillis rogaretur, sed domestica cautione & chirographo obligaret se ad præstandum ei qui capere non potest: ideoque dici posse, ex supradictis uerbis non esse legi fraudem factam. *Secunda replicatio est:* Nisi res quæ relinquitur,non sit palàm expressa. *Hæc replicatio approbatur l.ita.40.in princ. ff.de iure fisci, his uerbis:* Ita fidei hæredis commisit, Rogo fundum Titio des, de quo te rogaui. Si Titius capere

non posit,non cuitabit hæres pœnam taciti fideicommisi.non est enim palàm relinquere,quod ex testamento sciri non potest, cum recitatum est: quemadmodum nec ille palàm dat,qui ita scribit, Rogo uos hæredes meos, quod à uobis petij, fidem præstetis. Imò in priori specie maiorem fraudem excogitasse uidetur, qui non tàtùm legem circumuenire uoluit, sed etiam interpretationem legis, quæ circa tacitum fideicommissum habetur. Quamuis enim fundum nominauerit, non tamen eo cognosci potest, de quo sit rogatus hæres, cum diuersitas rerum obscurum faciat legatum. *Tertia replicatio est: Nisi etiam tacitè sit rogatus. Hæc replicatio reprobatur l.non intelligitur.3. §. si quis. ff. de iure fisci, his uerbis:* Si quis palàm rogatus & tacitè esset, agitabatur quid magis præualeret, & utrum idipsum noceret quòd tacitè rogatus esset,an prodesset quòd palàm petitum esset? diuus Hadrianus rescripsit, in eo quod cuiusq; fidei palàm cõmissum est, non esse existimandum fidem suam in fraudem legis accommodasse. *Hæc de prima exceptione cum suis replicationibus sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi capaci restituere sit rogatus. Hæc exceptio approbatur l.1.C. de delatoribus, his uerbis:* Si ei qui capere potest, tacitum fideicommissum relictũ est,cessat delatio. his enim prohibetur tacitè relinqui, qui palàm relictum capere non possunt. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi mortis tempore capere non potuit. Hæc replicatio reprobatur sub certa conditione l. in fraudem.10. §. si quis. ff. de his quæ ut indig. auf. bis uerbis:* Si quis ei qui capere possit, rogatus fuerit restituere, & is mortis tẽpore prohibeatur hoc legibus capere: nõ dubito, quin etsi deficit fideicommissum, apud eum tamen qui rogatus est restituere, manere debeat: quia nulla fraus eius intercessisse uidetur, nisi in futurum casum fidem accommodauerit: id est, ut licet capere legibus prohiberi cœperit, restituat. *Tertia exceptio est: Nisi mortus tempore capere potuit is, cui restituere est rogatus. Hæc exceptio approbatur l.non intelligitur.3. §. quando. ff. de iure fisci, his uerbis:* Quando fraus interposita uideatur, agendum est, utrum exitus spectari debeat, an consilium: fortè si tunc, cum tacitè fideicommittebatur, non capiebat is cui restitui iubebatur, mortis uerò tempore capere poterat, uel cõtrà. & placuit, exitum esse spectandum. *Quarta exceptio est: Nisi portionem debitam accipiat is qui rogatus est. Hæc exceptio approbatur exemplo patroni, l.ita.40. §. fin. ff. de iure fisci, bis uerbis:* Patronus, si tacitè in fidem suam recipiat, ut ex portione sua præstet, cessare fraudem dicitur, quia de suo largitur. *Huius exceptionis replicatio potest esse §.except.6. Quinta exceptio est: Nisi uiuo testatore is qui capere non potest, decesserit. Hæc exceptio approbatur l.ultim. ff. de his quæ ut indignis, &c. bis uerbis:* Si uiuo testatore decesserit is cui illicitè legatum relictum erat, non à fisco hoc uindicatur, sed apud eum, à quo relictum est, remanet. *Sexta exceptio est: Nisi quadrantem, quem beneficio legis Falcidiæ retinet, non capaci restituere sit rogatus. Hæc exceptio reprobatur l.si quilibet. 23. ff. de his quæ ut indign. bis uerbis:* Si quilibet hæres ex cuiuscunq; testamento tacitè rogatus fuerit, ut quadrantẽ, quem legis Falcidiæ beneficio retinuit, non capienti restituat: æquè locus erit senatusconsulto. neque enim multum intererit inter tale fideicommissum, & cum quis id quod ad se ex hæreditate peruenerit, restituere rogatus sit. *Septima exceptio est: Nisi pater in legato filij tacitam fidem accommodauit. Hæc exceptio approbatur l.in fraudem.10. §. fin. ff. de his quæ ut indignis, bis uerbis:* Rectè dictum est, si pater filio, quem in potestate habebat, tacitam fidem interposuerit, non debere id filio nocere: quia parendi necessitatem habuit. *Octaua exceptio est: Nisi legatarius etiam pro parte hæres, hæreditatem restituere non capienti sit rogatus: tunc enim legatum retinet. Quæ exceptio approbatur l.eum qui. 18. §. fin. ff. de his quæ ut indignis, &c. his uerbis:* Pro parte hæres institutus prædij legatum acceperat, & hæreditatem non capienti restituendi tacitum ministerium susceperat: quãquam legatum pro ipsius parte non constitisset, ideoq; portionem istam pro hærede possideret: tamen ei prædium integrum esse relinquendum, respondit Papinianus: neq; enim rationem iuris ac possessionis uarietatem inducere diuisionem uoluntatis. *Nona exceptio est: Nisi is qui tacitè rogatus est, se detulerit. hoc enim casu non in totum amittit legatum, sed partem retinet, & reliqua pars ad fiscum pertinet. de qua re uide §. lib.11.cap.2. Hæc de causa 39. Planè quid & quantum sit auferendum ei quæ tacitum fidem accommodauit, dicetur §. cap.13.*

XL. *Causa: Si legatarius in potestatem testatoris peruenerit. Hæc causa approbatur exemplo serui, l. si in metallum.3. in fine. ff. de his quæ pro non script. habentur, his uerbis:* Si seruo alieno quid legatũ fuerit, & postea à testatore redemptus sit, legatum extinguitur. nam quæ in eam causam peruenerunt, à qua incipere non possunt, pro non scriptis habentur.

XLI. *Causa: Si legatarius rem legatam subtraxit. Hæc causa approbatur l.non est dub.5. C. de leg. hisce uerbis:* Non est dubium, denegari actionem legatorum ei pro portione competenti in his rebus, quas subtraxisse eum de hæreditate apparuerit.

DE

DE CAVSIS AMITTENdi legati in persona hæredis, & eius à quo legatum relictum est, consistentibus. Cap. X.

SEquitur tertium causarum genus, quibus legata amittuntur, earum scilicet quæ sumuntur ex persona eius, à quo legatum relictum est.

XLII. *Causa: Si is à quo legatum est, quod in testamento relictum est non percipiat: quia fortè uel antè decessit, uel tanquam indignus remotus est, uel repudiauit, uel res ei legata perijt, &c. Hæc causa approbatur l. fideicommissum.77. ff. de leg.1. bis uerbis:* Fideicommissum quod à legatario relinquitur, ita demum ab eo debetur, si ad legatarium legatum peruenerit. *Concordat l.Imperator.72. in prin. ff. de leg.2. de quo uide §. except.40. repl.2. Sed & constat causa proposita ex ijs quæ habentur §. d. except.40. in prin. Huius autem causæ exemplum proponitur l. quidam.93. §. si tibi. ff. de leg.2. bis uerbis:* Si tibi seruus legatus fuerit, & petitum à te, ut Titio aliquid præstares usq; ad precium serui, deinde seruus decesserit: nihil fideicommissi nomine præstare cogendus eris. *Plane interdum, licet ad eum à quo legatum est, nihil perueniat: tamen ab alio, ad quem portio eius peruenit, debetur. quod loco primæ exceptionis notandum. quæ exceptio approbatur l.unica. §. pro secundo. ibi: sed omnes. C. de cad. tol. bis uerbis:* Omnes personas, quibus lucrum per hunc ordinem defertur, eas etiam grauamẽ quod ab initio fuerat complexum, omnimodò sentire sancimus, siue in dando fit constitutum, siue in quibusdã faciendis, uel in modo, uel conditionis implendæ gratia, uel alia quacunq; uia excogitatum: neq; enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. *Concordat d.l.unica. §. ne autem hoc. cuius uerba uide §. repl.3. Concordat item Novell.c.1. §. si uerò nullus, cum sequentibus, usq; ad §. hinc nos curam. cuius uerba uide §. cap.13. quæst.1. reg.6. Sed quæ actio aduersus non rogatum competit? Vtilis ex testamento actio. l. si alienus.64. in fin. ff. de leg.2. cuius uerba uide §. ead. except. exemplo 7. Huius exceptionis exemplum primum est: Si duobus uel pluribus hæredibus scriptis, is à quo legatum relictum est, hæreditatem repudiauerit, uel ex alia causa hæres non existat, & ob id portio eius cæteris cohæredibus adcrescat. tunc enim cum onere illis adcrescit. Quod exemplum proponitur l. si Titio.63. §. Iulianus. ff. de leg.2. bis uerbis:* Iulianus quidem ait, Si alter ex legitimis hæredibus repudiasset portionem, cum essent ab eo fideicommissa relicta, cohæredem eius cogendum non esse fideicommissa præstare: portionem enim ad cohæredem sine onere pertinere. Sed post rescriptum Seueri, quo fideicommissa ab instituto relicta à substitutis debentur, & hic quasi substitutus cum suo onere consequetur adcrescentem portionem. *Concordat l. cum pater.79. §. cum pater. ff. eod. tit. bis uerbis:* Cum pater fideicommissum prædiorum ex testamento matris filiæ deberet, eandem pro parte ita hæredem instituit, ut hæreditatem fideicommisso compensaret, eademq; prædia filio exhæredato dari uoluit. quanquam filia patris hæreditatem suscipere noluisset, fideicommissum tamen ab hæreditatis portio, quam accepit filia, redierat, placuit. Quòd si alium filiæ substituisset: oportere & eum filio fideicommissum reddere. *Concordat item l.mortuo bouc.50. §. fin. ff. eod. tt. bis uerbis:* Si testator dari quid iussisset, aut opus fieri, aut munus dari: pro portione sua eos præstare, quibus pars hæreditatis adcresceret, æquè atque cætera legata, placet. *Concordat item l.unica. §. ubi autem legatur. C. de caducis toll. cuius uerba uide §. lib. prox. cap.7. reg.25. except.17. in fine. Concordat item l. non iustam.4. C. de S. C. Trebell. his uerbis:* Non iustam te gerere solicitudinem per fideicommissum portionis relictæ hæreditatis perspicimus, uerentem ne fructum amittas relicti fideicommissi, quoniam auia testatoris ex parte scripta hæres, & rogata restituere, calliditate ac fraude repudiauit, ut ad alium nepotem, eundemque cohæredem deuoluatur portio, à quo tibi nominatim non fuerat fideicommissum relictum, & coacta suspectam hæreditatem adire, priusquam pro hærede gereret, rebus sit humanis exempta: cùm diuo Antonino parenti nostro deberi etiam à substitutis fideicommissum contemplatione iudicij testatoris, quasi tacitè ab his repetitum, iamdudum placuerit. Neque enim quartæ retentionem (quam illa quæ repudiauerat hæreditatem, adire coacta suspectam retinere non potuit) timere debes. *Concordat item l.si Titio.65. in prin. ff. de leg.2. bis uerbis:* Si Titio & Mæuio hæredibus institutis, qui quadringenta relinquebat, à Titio ducenta legauerit, & quisquis hæres esset centum, neque Mæuius hæreditatem adierit: trecenta Titius debebit. *Contradicit l. pater meus.29. §. fin. ff. de legat.1. ubi Celsus:* Quod alicuius hæredis fidei nominatim quis committit, potest uideri ita demũ dari uoluisse, si ille extitisset hæres. Vnde si filio hæredi pars eius, à quo nominatim legatum est, adcrescit, non præstabit legatum, quod iure cadit. *Hæc uerba Celsi intelligenda reor de iure antiquo, post rescriptum Seueri sublato. Secundum exemplum est: Si institutus hæres non existat, tunc legata ab eo relicta à substituto debentur: ut ex ijs quæ §. proximè exemplo primo dicta sunt constat, hisce uidelicet:* Quo rescripto Seueri fideicommissa ab instituto relicta à substitu-

tis debentur. *Concordat l.si seruus.50.§.1.ibi:si tamen secundum.ff.de leg.1. cuius uerba uide ĩ. cauſ.67. except.3. Concordat item l.ab exhæredati.123.§.fin.ff. de leg.1. his uerbis*: Cum à poſthumo ita legetur,Si hæres erit:& nõ nato poſthumo ſubſtituti adeant legata,eos debere exiſtimandum eſt, quæ ille,ſi uiueret,debiturus eſſet. *Item cõcordat l.cũ pater.79.§.cũ pater,in fin.ff.de leg. 2.cuius uerba uide ẽ.exemplo prox. Cõcordat item d.l. 79. §. ab inſtituto. cuius uerba uide ĩ.lib. prox. cap.8. reg.1.except.2.repl.8. Concordat item l.debitor.84.§. ſi Primo.ff.eod.tt.his uerbis*: Si Primo & Secundo & Tertio hæredibus inſtitutis, ſic legata dentur, Si Primus mihi hæres non erit, Secundus Titio decem dato: ſi Secundus mihi hæres non erit, Primus Seio fundũ Thuſculanum dato.utriſq; omittentibus hæreditatẽ,Primo & Secundo: quærebatur,ſubſtituti quos eis dederat,an & cui legata præſtare debeant? Ab utroq; ſubſtituto legata debentur. *Concordat item l.licet.73.ff.de leg.1.cuius uerba uide paulò inferius eod.cauſa,repl.generali 5. Cõcordat item l.non iuſtam.4.C.de S.C.Trebell.cuius uerba uide ẽ.exemplo prox. Planè exceptio propoſita in exemplo propoſito recipit aliquot replicationes, quarum prima hæc eſt: Niſi contraria ſit uoluntas teſtatoris. Secunda replicatio eſt: Niſi alia res à ſubſtituto ſit relicta. Tertia replicatio:Niſi cauſa ab inſtituto relinquendi ceſſet in perſona ſubſtituti. Quarta:Niſi is cui ab inſtituto relictum eſt, ex parte ſit ſubſtitutus. Quæ quatuor replicationes approbantur l.licet.73.ff.de leg. 1.cuius uerba uide inferius replicatione generali quinta. Planè primæ replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi inſtitutus in fraudem legatorum hæreditatem omiſit. quæ duplicatio approbatur l.1. C.ſi quis omiſſa, &c. cuius uerba uide ĩ.except.3. Secundæ replicationis exemplum proponitur l.ſi quis.78. §.fin. ff. de leg. 2. his uerbis*: A' filio impubere legatus, & à ſubſtituto liber eſſe iuſſus, ſiquidem pupillus ad pubertatem peruenerit, ab eo cui legatus fuerat uindicabitur:mortuo uerò pupillo libertas competet. Longè magis hoc ſeruari conueniet, ſi idem ſeruus ſub conditione ab impubere legatus fuerit, & pendente conditione filius intra pubertatem deceſſerit. *Quinta replicatio eſt: Niſi inſtitutus adiunctum uel cohæredem habeat. hic enim totum debebit. quæ replicatio approbatur l.quidam.14.§.fin.ff. de codicillis. cuius uerba uide ẽ. except.39. Sexta replicatio eſt: Niſi in teſtamento militis ad tempus hæde inſtituto, alius poſt tempus ſubſtitutus ſit. hic enim legata ab inſtituto relicta non debebit. quæ replicatio approbatur l. quærebatur.19. §.fin. ff. de militari teſt. his uerbis*: Si quis à milite hæres ad tempus ſcriptus ſit,& alius ex tempore:quæritur,an poſterior hæres à priore relicta legata debeat? Et arbitror hunc non debere: niſi alia uoluntas militis probetur. *Tertium exemplum eſt: Si, cum legatarij fidei commiſſum eſſet, legatum apud hæredem remaneat. tunc enim hæres fideicommiſſum præſtare tenetur. Quod exemplum proponitur l.pater.29.in prin.ff.de leg.2.his uerbis*: Pater meus (*Celſus inquit*) referebat, cum eſſet in conſilio Ducennij Veri conſulis itum in ſententiam ſuam, ut cum Otacilius Catullus, filia ex aſſe hærede inſtituta, liberto ducenta legaſſet, perijſſetq; ab eo, ut ea concubinæ ipſius daret, & libertus uiuo teſtatore deceſsiſſet, & quod ei relictum erat, apud filiam remanſiſſet: cogeretur filia id fideicõmiſſum concubinæ reddere. *Concordat l.ſi ab eo.9.ff.de uſufr.legato,his uerbis*: Si ab eo cui legatus eſſet uſusfructus, fideicommiſſum fuerit relictum: licet uſusfructus ad legatarium non peruenerit, hæres tamen penes quem uſusfructus remanet, fideicommiſſum præſtat. Quod & in militis teſtamento erit dicendum, ſi legatarius à quo fideicommiſſum relictum eſt, repudiauerit legatum, uel uiuo teſtatore deceſſerit. *Concordat item l.unica. §.pro ſecundo.ibi: ſed omnes. C.de caducis toll. cuius uerba uide ẽ.ead.except.in princip. Concordat item d.l.unica. §.ne autem. cuius uerba uide ĩ.repl.3.Concordat item d.l.unica.§.in omnibus.cuius uerba uide ĩ.replic.2. Concordat item l.ſi adim.29. ff.de adimend. leg. hiſce uerbis*: Si adimendo legatum,quod Mæuio relictum ſit,fideicommiſſum ab eo datũ defunctus reuocare noluit: hæredes ex cauſa fideicommiſſi conueniri poſſe, rectè probari. *Quartum exemplum eſt: Si, cum legatarij fidei commiſſum eſſet, legatum poſtea ad alium ſit translatum: hic enim fideicommiſſum tenetur præſtare. Quod approbatur §. Caio.13.in prin.ff.de aliment.legat.hiſce uerbis*: Caio Seio trecentos aureos legauit, ut ex uſuris eius ſummæ libertis cibaria & ueſtiaria præſtaret, quæ ſtatuerat: codicillis autem eandem ſummam uetuit dari Caio Seio, ſed dari Publio Mæuio uoluit. quæro, an libertis fideicommiſſum debeat Mæuius? Reſpondit Scæuola, Mæuium (niſi aliud de quo non deliberaretur, doceat ſibi à teſtatore iniunctum) uideri ſecundum uoluntatem teſtatoris recepiſſe ea onera, quæ adſcripta erant ei ſummæ, quæ in eum codicillis transferebatur. *Planè exemplum propoſitum recipit primam hanc exceptionem: Niſi teſtator fideicommiſſum ab eo in quem legatum tranſlatum eſt, præſtari noluit. quæ exceptio ex præcedentibus conſtat. Deinde recipit exceptionem hanc: Niſi is ad quem translatum eſt legatum, alio fideicommiſſo ſpeciali ſit grauatus. Hæc exceptio approbatur exemplo l. alumnæ. 30. ff. de adimendis legatis,hiſce uerbis*: Alumnæ ſuæ Semproniæ plura legauerat: quædam ex his abſtulit, quædam ut præſtarentur ab hærede ſuo petijt, in quibus & uiginti dari uoluit, his uerbis: Hoc amplius do lego, daríque uolo

uiginti auri libras:& adiecit, Fideiq; tuæ Atti committo, ut in primis Sempronian fororem tuam pro tua pietate & regere & tueri uelis:& ſi putaueris eam ad bonam uitæ conſuetudinem reuerſam,ita uiginti auri libras ei reddere cum morieris, ut interim tamen reditus eius, id eſt uſuras ſemiſſes ei præſtes.Poſtea codicillis ad Mæuium legatarium eaſdem uiginti libras auri trãſtulit, & fidei eius commiſit in hæc uerba: Viginti libras auri, quas teſtamento Semproniæ alumnæ meæ reliqui, eas dari uolo Mæuio, cautionibus interpoſitis, ut ex ea ſumma eidem Semproniæ,quãdiu aduixerit, præſtet menſtruos denarios quinq;, & ueſtiarij nomine denarios centenos uicenos quinos: idque fidei ueſtræ committo. Certa ſum autem, te Mæui pro tua pietate periturum ab hærede tuo,ut uoluntas mea in perſonam alumnæ meæ duret.queſitum eſt,an Mæuius legatarius cogendus ſit,poſt mortem ſuam uiginti libras auri Semproniæ reſtituere, ſicut rogatus fuerat Attius hæres? Reſpondit Scæuola, ſecundum ea quæ proponerentur, uiginti quidem auri libras non cogendum præſtare: ſed alia quæ ab eo alumnæ relicta ſunt, deberi & à Mæuio,& ab hærede eius,donec uiuat alumna. *Concordat l.licet.73. ibi: quid enim ſi aliam. ff.de leg.1. cuius uerba uide ĩ.eadem except.repl.5. Hæc de quarto exemplo. Quintum propoſitæ exceptionis exemplum eſt: Si cum,pupillo hærede inſtituto, tutoris fidei commiſſum ſit,is uiuo teſtatore mortuus fuerit,uel alio modo tutor eſſe non poſsit: tunc enim nihilominus fideicommiſſum à pupillo hærede debetur. Quod approbatur l.peto.71.§.mater.ibi:nec intereſt. ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ. except.40. replic.8.dupl.2. Sextum exemplum eſt: Si is cuius fidei commiſſum, uel à quo legatum eſt, indignus hæreditate uel legato ſit iudicatus. tunc enim nihilominus fideicommiſſum is ad quem portio indigni peruenit, puta fiſcus uel alius, præſtare tenetur. Quod exemplum proponitur l.2. §. fin. ff. ſi quis aliquem teſtari, &c. his uerbis*: Si fidei eius qui dolum admiſit, commiſſum eſt,ut hæreditatem reſtitueret: ea hæreditas caduca cum ſuis oneribus fiet, ut commodum legis Falcidiæ fiſcus ſentiat,dodrantis autem fideicommiſſarius. *Concordat item Nouell. c. 1. §.ſi uerò nullus, uſq; ad §.hinc nos cura. cuius uerba uide ĩ.capite 13.reg.6. Item l.ſi ſeruus.50. §.ſi quis ante. ff. de leg.1. cuius uerba uide ĩ. cauſa 67. except.3. Concordat item l.2.in fine.ff.de alim.legat. cuius uerba uide ĩ.lib.34.cap.9.queſt.2.reg.1.except.1. Item concordat l.cùm fiſco.9. ff. de S. C. Silaniano, his uerbis*: Cùm fiſco caduca bona defuncti addicuntur propter inultam mortem, in eum legatorum actio datur, & libertates ratæ ſunt, eorum ſcilicet, qui ſenatuſconſulto excipiuntur. *Concordat item l. dicitur.14. ff.de iure fiſci,his uerbis*: Dicitur,ex aſſe hæreditates ex Silaniano cum fiſcus uendicat,quòd nec libertates, nec legata tueatur. Quod apertè nullam habet rationem: cum ex quibuslibet alijs cauſis fiſco uindicatis hæreditatibus & libertates & legata maneant. *Concordat deniq; l. ſi per.1. §.fin. ff.ad S. C. Trebell. cuius uerba uide ĩ.lib.34.cap.1. quæſt.2.reg.3. Septimum exemplum eſt in perſona domini & ſerui. Quod proponitur l.ſi alienus.64.his uerbis*: Si alienus ſeruus hæres inſtitutus fuerit,à domino eius fideicõmiſſum relinqui poteſt: ſed ita hoc fideicommiſſum præſtare dominus debet,ſi per ſeruum factus ſit hæres. quòd ſi,antequam iuſſu eius adiretur hæreditas,ſeruus manumiſſus fuerit,& ſuo arbitrio adierit hæreditatem: dominus id debiturus non eſt, quia hæres factus non eſt: ſed nec ſeruus,quia rogatus dominus eſt.Itaq; utilis actio hoc caſu competit, ut is ad quem emolumentum hæreditatis peruenerit, & fideicommiſſum præſtare compellatur. *Concordat l.à patre.4.ff. de leg.2.cuius uerba uide ẽ.cap.4.except.40.repl.7.in fine. Planè ſi ſeruum hæredem ſubſtitutũ dominus,qui ipſe rogatus fuerat fideicõmiſſum præſtare,priuſquam adire iuberet,uendiderit, præſtare id debet, cũ per pretium ſerui hæreditatis quoq; æſtimationem conſequatur.l.ſi ſeruum.28.in prin.ff.ſi quis omiſs.cauſa,&c. cuius uerba uide ĩ.lib.prox.cap.14.except.19.repl.4. Plura huiuſmodi exempla uide ĩ.lib.prox.cap.2.Nunc propoſitæ exceptionis generales replicationes diſpiciẽdæ. Eſt autem prima eius replicatio: Si cum à ſubſtituto legatum relictum eſſet,inſtitutus hæres exiſtat:tunc enim nec ab inſtituto legatum debetur, quamuis ad eum hæreditas peruenerit.quæ replicatio approbatur l.quotiens.13.C.de fideicõmiſsis,his uerbis*: Quoties principali loco hæres inſtitutus teſtatori ſuccedit, legata ſeu fideicommiſſa à ſubſtituto data poſci iure non poſſunt. *Concordat in legato libertatis l.ſi quis.78.§.fin.ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ. exemplo 2.repl.2. Secunda replicatio eſt: Niſi legatũ in perſona eius à quo relictum ſit, pro non ſcripto habeatur, puta quia in rerum natura non fuit. hoc enim caſu nec ab alio,ad quem portio eius peruenit,legatum debetur. quæ replicatio approbatur l.unica. §.& cum triplici, cum ſequentibus. C. de caduc. toll. his uerbis*: Legata caduca uel his relinquebantur, qui in rerum natura tunc temporis, cum conderentur extrema elogia, non fuerant, fortè hoc teſtatoribus ignorantibus:& ea pro nõ ſcripto leges exiſtimabãt. Hoc itaq; primo ordine,ubi pro non ſcripto efficiebantur ea quæ perſonis iam ante teſtamentum mortuis teſtator donaſſet,ſtatutum fuerat, ut ea omnia bona manerent apud eos, à quibus fuerant derelicta,niſi uacuatus uel ſubſtitutus,ſuppoſitus uel coniunctus, fuerat aggregatus: tunc enim non deficiebant, ſed ad illos perueniebant, nullo grauamine, niſi perrarò,

perrarò,in hoc pro non ſcripto ſuperuenien
te: quod & noſtra maieſtas quaſi antiquæ
beneuolentię conſentaneum,& naturali ra
tione ſubnixum, intactum atque illibatum
pręcepit cuſtodiri,in omne æuum ualiturũ.
Ait Imp. Niſi perrarò. *Hiſce uerbis Imp. notat aliquot duplicationes aduerſus replicationem propoſitã competentes. Concordat d.l.unica.§.in omnib. his uerbis*: In omnibus uidelicet hoc obtinente,ut
& pro ſimili parte & lucrum ſentiant,& gra
uamen, ubi hoc poſsit procedere, ſubeant:
& hoc locum quidem habente omnimodò
in his quæ in cauſa caduci uel caduca (ſe
cundum quod ſuprà dictum eſt) fiebant: in
pro non ſcripto autem non omnibus, ſed
quibuſdam: quia eorum quædam,etſi talia
ſint, tamen cum ſuo onere ueniebant: quæ
& nos in noui iuris compoſitione ſpeciali
ter enumerari,iuſsimus, ne quis ueteris iu
ris prolixitatem, quaſi rebus neceſſariam,
uel pro eorum reuoluat ſcientia. *Hiſce uerbis (ut dixi) duplicationes aduerſus replicationem propoſitam denotantur. Earum autem duplicationum duæ incantur à gloſſa, quarum prima hæc eſt: Niſi quis ſibi in alterius teſtamento cum onere fideicommiſſi adſcripſerit. quæ duplicatio approbatur l.ult. ff. de his quæ pro non ſcriptis, &c. hiſce uerbis*: Quod quis ſibi
adſcripſerit, ſi alij reſtituere à teſtatore iuſ
ſus eſt, cum onere fideicommiſsi id apud
hæredem remanet, quamuis pro non ſcri
pto ſit.Idem eſt & in teſtamento militis.*Altera duplicatio eſt: Niſi ſeruus ei qui in rerum natura non eſt,legatus ſit,eiuſq; fidei commiſſum ſit,ut ſeruum manumittat. Hæc duplicatio approbatur l.cum uerò. 26. §.ſi pro non. ff.de fideicommiſs. libert. his uerbis*:
Si pro non ſcripto habitus ſit ſeruus alicui
legatus, cui ſeruo per fideicommiſſum li
bertas adſcripta eſt: quæſtionis eſt, num fi
deicommiſſaria libertas debeat intercide
re: & an, ſi ſeruus petat fideicommiſſariam
libertatem ab eo penes quem remanſiſſet,
pro non ſcripto habito legato, quod erat re
lictum ei qui eum fuerat rogatus manumit
tere, uel ipſe ſeruus (ut ſuprà dictum eſt) fue
rit legatus,an libertas non debeat intercide
re? Et putem debere dici, fideicommiſſari-
am libertatem ſaluam eſſe, licet ad eum ni
hil peruenerit, qui rogatus erat manumitte
re. Cogetur igitur libertatem præſtare is,ad
quem peruenit legatum : quia libertas fi-
deicommiſſaria nullum impedimentum
pati debet. *Hæc de ſecunda replicatione cum duabus eius duplicationibus. Tertia replicatio eſt: Niſi fideicommiſſum in facto conſiſtat, quod alius quàm rogatus facere non poſsit. Hæc replicatio approbatur l. unica. §. ne autem. C. de caduc. tollend. hiſce uerbis*:
Ne hoc, quod non ineleganter ſummi inge
nij uir Vlpianus in hac parte cum ſubtilita-
te diſpoſuit, prætereatur: ſanctione noſtra
hoc apertius inducimus. Cum enim iam
ſtatuimus hoc cum ſuis oneribus ad eum
qui lucratur,peruenire:ſancimus,ſiquidem
conditio uel aliud grauamen in dando ſit
conſtitutum,hoc omnimodò lucrantes pro
modo lucri agnoſcere.Sin autem in facien-
do aliquid poſitum eſt,ſiquidem hoc ab
alio impleri poſsit,ſimili modo & à lucran-
te agnoſci:puta ſi onerata perſona iubeatur
inſulam, uel monumentum, uel aliud tale
ſuis ſumptibus facere,uel hæredi, uel lega-
tario, uel alij fortè cui teſtator uoluerit,uel
rem ab hærede teſtatoris emere, uel loca-
tionem,uel fideiuſionem ſubire, & ſi quid
huiuſmodi facti ſimile ſit:nihil enim refert,
ſiue per eum de quo teſtator locutus eſt, ſi-
ue per alium eius lucri ſucceſſorem adim-
pleatur.Sin uerò talis eſt uerborum conce-
ptio, & facti natura, ut quod relictum eſt,
adimpleri ab alio non poſsit: tunc etſi lu-
crum ad aliquem peruenit, non tamen &
grauamen ſequi: quia hoc nec ipſa natura
concedit, neque teſtator uoluit. quid e-
nim, ſi iuſſerit eum in certum locum adire,
uel liberalibus ſtudijs imbui, uel domum
ſuis manibus conſtruere, uel pingere, uel
uxorem ducere? quę omnia uoluntas teſta-
toris in ipſius ſolius perſona intelligitur
concluſiſſe, cui & ſuam munificentiam re-
linquebat. *Quarta replicatio eſt: Niſi cum legatum duobus uel pluribus diſiunctim eſſet relictum, eius in cuius perſona legatum deficit, fidei commiſſum ſit: tunc enim alius ſolidum legatum ſine onere fideicommiſſi adquirit. quæ replicatio approbatur l. unica. §.ſin uerò non omnes, in fine. C.de caduc. tollend. hiſce uerbis*: Sin uerò non omnes legatarij,
quibus ſeparatim res relicta eſt, in eius ad-
quiſitionem concurrant, ſed unus fortè e-
am accipiat, hæc ſolida eius ſit: quia ſermo
teſtatoris omnibus prima facie ſolidum
adſignare uidetur, alijs ſuperuenientibus
partes à priore abſtrahentibus, ut ex alio-
rum quidem concurſu prioris legatum mi-
nuatur. Sin uerò nemo alius ueniat, uel
uenire potuerit: tunc non uacuatur pars
quæ defecit, nec alij adcreſcit, ut eius qui
primus accepit legatum augere uideatur:
ſed apud ipſum qui habet ſolida remane-
at,nullius concurſu deminuta. Et ideo,ſi
unus fuerit in perſona eius, apud quem re-
manet legatum adſcriptum, hoc omnimo-
dò impleat, ut uoluntati teſtatoris pareа-
tur: ſin autem à deficientis perſona hoc o-
nus fuerit collatum, hoc non ſentiat is qui
non alienum, ſed ſuum legatum indemin
tum habet. Sed & uarietatis non in occul-
to ſit ratio, cum ideo uideatur teſtator diſ-
iunctim hæc reliquiſſe, ut unuſquiſque ſu-
um onus,non alienum agnoſcat:nam ſi con
trarium

trarium uolebat, nulla erat difficultas con-
iunctim ea diſponere. *Hactenus uerba, quibus propoſita replicatio approbatur: quid autem ſit coniunctim, quid diſiunctim legare, infrà dicetur libro prox.cap.7.reg.25. except.17. in prin. Concordat l.ſi ſepar.29. ff.de condit.& demonſtr. his uerbis*: Si ſe-
paratim mihi totus fundus purè, tibi ſub cõ
ditione legatus fuerit,& tu deceſſeris ante-
quàm conditio extiterit: non habebo ne-
ceſsitatem implere conditionem : utpote
cum,etiamſi conditio defecerit,pars quam
uindicaturus eras, mihi adcreſcat. *Quinta replicatio eſt*: *Niſi uoluntas teſtatoris ſit contraria. Hæc replicatio approbatur exemplo l. licet. 73. ff. de leg.1. his uerbis*: Licet Imperator noſter cum
patre ſuo reſcripſit,uideri uoluntate teſtato
ris repetita à ſubſtituto, quæ ab inſtituto
fuerant relicta: tamen hoc ita erit accipien-
dum, ſi non fuit euidens diuerſa uoluntas,
quæ ex multis colligetur, an quis ab hære-
de legatum uel fideicommiſſum relictum
noluerit à ſubſtituto deberi. quid enim, ſi
aliam rem à ſubſtituto reliquit ei fideicom-
miſſario uel legatario, quàm ab inſtituto re
liquerat? uel quid, ſi certa cauſa fuit,cur ab
inſtituto relinqueret,quæ in ſubſtituto ceſ-
ſaret? uel quid, ſi ſubſtituit ex parte fidei-
commiſſarium, cui ab inſtituto réliquerat
fideicommiſſum? In obſcura igitur uolun-
tate locum habere reſcriptum, dicendum
eſt. *Concordat l.Caio.13.in prin.ibi:niſi aliud. ff.de alimentis legatis. cuius uerba uide paulò ſuperius exemplo 4. Sexta replicatio eſt*: *Niſi non adita ex teſtamento hæreditate, ab inteſtato ſuccedatur. tunc enim, quamuis portio rogati peruenerit ad uenientes ab inteſtato, tamen hi legata præſtare non coguntur. quæ replicatio approbatur l. ſi nemo. 142. ff. de reg. iuris, his uerbis*:Si nemo ſubijt hæreditatem,omne
ius teſtamenti ſoluitur. *Sed & approbatur per ea quæ dicta ſunt §.cap.6.except.85. in prin. Huius replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi ab inteſtato quoque fideicommiſſum defunctus præſtari uoluit. Hæc duplicatio approbatur ijs quæ dicta ſunt §. cap.3.except.9.eiuſq; exemplum proponitur l.Lucius. 90. §.filiam. ff.de leg. 2. his uerbis*: Filiam ex aſſe
inſtituit hæredem, eique ſubſtituit nepo-
tem ſuum,& ita cauit: Si(quod abominor)
neque filia mea, neque nepos meus,hære-
des mei erunt,tunc portionem meam par-
tis dimidiæ fundi illius ad libertos meos
pertinere uolo. Quæritur,cum ante teſtato
rem & filia & nepos deceſſerunt,& inteſta-
ti bona pertinuerunt ad pronepotem eius,
an fideicommiſſum ad libertos pertineat?
Reſpondit Scæuola, ſecundum ea quæ pro
ponerentur, ſi nullus alius hæres inſtitutus
ſubſtitutusque eſſet, quàm filia & nepos,ui
deri legitimorum fidei commiſſum eſſe, ut
præſtaretur.*Concordat inſuper propoſitæ duplicationi l.ſi quis.3.in prin.ff.de iure codicillorũ, his uerbis*:
Si quis,cum teſtamentum nullum habebat,
codicillis fideicommiſſa hoc modo dedit,
Quiſquis mihi hæres erit,bonorũue poſſeſ-
ſor,eius fidei cõmitto:fideicõmiſſa præſtari
debent:quia paterfamiliâs,qui teſtamẽti fa
ctionẽ habet,& codicillos facit,perinde ha-
beri debet,ac ſi omnes hæredes eius eſſent,
ad quos legitima eius hæreditas uel bono-
rũ poſſeſsio peruentura eſt.Sed etſi poſt co-
dicillos factos natus quis eſſet proximus
adgnatus,uel ſuus hæres, fideicommiſſum
præſtari debebit.intelligitur enim is quoq;
hæres ſcriptus:unde non perinde habẽdus
eſt,ac ſi rupiſſet hos codicillos. *Concordat l.ab inteſtato.16.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.lib.28. cap.25.quæſt.4.exc.26.repl.3. Cõcordat item l.ſi ita.9. ff.de leg.3. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.2.reg.1.except.2. Huius duplicationis triplicatio eſt: Niſi teſtamẽtum inofficioſum ſit pronunciatum.quæ triplicatio approbatur l. Titia.13.in prin.ff.de inofficioſo teſtamẽto. cuius uerba uide §.cap.6. except.86. repl.4. Secunda duplicatio eſt: Niſi ſeruo teſtamento manumiſſo hæreditas per fideicommiſſum ſit relicta. quæ duplicatio approbatur l.idem eſt.13. §.fin.cum l.ſequente. ff.de militari teſtamento, his uerbis*: Cum miles in teſta-
mento ſuo ſeruo libertatem dederit,eidém
que & à primo & à ſecundo hærede per fi-
deicommiſſum hæreditatem reliquerit:
quamuis & primus hæres & ſubſtitutus prĩ
us quàm adierit hæreditatem, mortem o-
bierit, non debere inteſtati exitum facere,
Imperator noſter cum diuo Vero reſcripſit:
ſed perinde habendum eſſe,ac ſi eidem ſer-
uo libertas ſimul & hæreditas directò data
eſſet: quæ utraque ad eum peruenire teſta-
torem uoluiſſe,negari non poteſt. Tractaba
tur, an tale aliquid & in paganorum teſta-
mentis indulgendum eſſet: & placuit, non
ſine diſtinctione hoc fieri:ſed ſiquidem ui-
uo teſtatore & ſciente deceſsiſſet,nihil noui
ſtatuendum:ſi autem ignorante,aut poſt
mortem eius, omnimodò ſubueniendum.
Ait lex: Siquidem uiuo teſtatore & ſciente
deceſsiſſet,nihil noui ſtatuendum. *Hiſce uerbis aduerſus duplicationem propoſitam triplicatio introducitur,talis nimirum:Niſi hæres inſtitutus uiuente & ſciente teſtatore mortuus fuerit: tunc enim,quia teſtator huic rei proſpicere poteſt,nec facit,duplicationi propoſitæ locus non eſt.quæ tamen triplicatio in teſtamento militis non admittitur, ut ex propoſitis uerbis conſtat. Tertia duplicatio eſt:Niſi ob id ex teſtamento non adeatur hæreditas, quòd ij quibus in teſtamento quid relictum eſt,iuſſa teſtatoris non faciant:tunc enim etiam ab inteſtato uenientes legatum uel fideicommiſſum præſtare tenentur. quæ duplicatio approbatur Nouell.c.1.§.principiò igitur.ibi:enimuerò ſi nemo,cũ ſequentibus. cuius uerba uide §. cap.13.quæſt.1.reg.6. Quarta duplicatio eſt:Niſi hæres inſtitutus in fraudem lega-*

legatorum accepta pecunia hæreditatem non adierit, uel omissa causa testamenti ab intestato adierit. de hisce casibus paulò inferius dicetur. *Quinta duplicatio est: Nisi institutio per errorem testantis est nulla. tunc enim legata & fideicommissa etiam ab intestato censentur repetita. quæ duplicatio secundum communem doctorum opinionẽ approbatur l. eam quam. 14. C. de fideicommissis, hisce uerbis:* Eam quam frater tuus hæredem instituerat, siue quæsita, siue non quæsita hæreditate decesserit: cum tamen simpliciter, antequam duodecimum ætatis annum impleuisset, uerbis precarijs testamento facto nonnullos ei uoluerit substitutos: nihil prohibet fideicommissum petere uel ab ipsius hæredibus, qui bona intestati tenent. Tunc enim locum habent, quæ regulariter creduntur, ea quæ in testamento relinquuntur, si ex testamento non adeatur hæreditas, non ualere: cùm uerbis relicta directis adiri potuit hæreditas, non cùm illa ipsa fic est data, ut esset ab intestato successoribus postulanda. Quod rescripsimus, sequentes asseuerationem tuam, quasi scripta hæres non fuerit iure adoptata. Alioquin si in familia relicta hæres facta decessit: & consequenter ipsius hæredes petitioni fideicommissi respondere coguntur. *Aliis huiusmodi duplicationes uide ȝ. causa 67. quæ enim ibi exceptionum loco proponuntur, hic duplicationum loco possunt accipi. Hæc de sexta replicatione. Septima replicatio est: Nisi rogatus ad præstandum fideicommissum cogi non potuit: tunc enim nec is ad quem rogati portio peruenit, ad præstandum fideicommissum cogi potest. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm recipit duplicationem hanc: Nisi rogatus propter suam personam seu ius personale ad præstandum cogi non potuit. quæ duplicatio approbatur exemplo l. cũ patr. 28. ff. de leg. 2. his uerbis:* Cum patronus ex debita parte institutus, fideicommissum relictum ab eo præstare non cogatur: si omiserit institutionem, utrum qui eam partem uindicat, eodẽ modo retinere, an uerò præstare debeat fideicommissum? & magis est, deberi fideicommissum: quoniam quod illius personæ præstatur, hoc nequaquam ad alium pertinere debet. *Octaua replicatio est: Nisi cum quis ab intestato fideicommissum nominatim reliquisset, is à quo relictum est, non sit ab intestato hæres, sed alius gradu remotior. Hæc replicatio approbatur l. 1. §. fin. ff. de legat. 3. his uerbis:* Illud certè indubitatè dicitur, si quis intestatus decedẽs, ab eo qui primo gradu ei succedere potuit, fideicommissum reliquerit: si illo repudiante ad sequentem gradum deuoluta sit successio, eum fideicommissum non debere: & ita Imperator noster rescripsit. sed & si à patrono sit relictum, & aliquis ex liberis eius mortuo eo admissus sit ad bonorum possessionem, idem erit dicendum. *Idem iuris est, si cum quis unum putans sibi hæredem fore, eum rogauerit, postea plures hæredes ei existant. tunc enim legatum deficit. de quo uide ȝ. lib. prox. cap. 2. reg. 1. except. 1. repl. 9. dupl. 1.* *Huius replicationis duplicatio est: Nisi ita sit relictum legatum: Quisquis mihi hæres erit, &c. Quæ duplicatio approbatur l. si quis. 3. in princip. ff. de iure codicillorum. cuius uerba uide ȝ. repl. 6. dupl. 1.* *Nona replicatio est: Nisi ad fiscum portio rogati peruenisset. Hæc replicatio reprobatur l. in facto. 58. §. fin. ff. de condit. & demonst. his uerbis:* Fiscus ijsdẽ conditionibus parêre debet, quibus persona, à qua ad ipsum quod relictum est peruenit: sic etiam cum suo onere hoc ipsum uindicat. *Concordat l. unica. §. hæc autem omnia. C. de caducis toll. cuius uerba uide ȝ. capite 13. quæst. 1. in fine. Concordat item l. 2. in fine. ff. de alimentis legatis. cuius uerba uide ȝ. lib. 34. capite 9. quæst. 2. reg. 1. except. 1.* *Hactenus de prima propositæ causæ exceptione cũ suis exemplis & replicationibus sit dictum. Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi is à quo relictum est, cum posit, nolit adire hæreditatem: tunc enim cogendus est adire, & restituere fideicommissum. quæ exceptio approbatur inst. de fideicommiss. hæred. §. sed etiam id quod præcipuum. de qua exceptione cum suis replicationibus infrà dicetur in Senatusc. Trebelliano. Concordat l. fideicommissa. 11. §. cum esset quis. ff. de leg. 3. cuius hæc sunt uerba:* Cum esset quis rogatus restituere portionem, accepta certa quantitate: responsum est, ultrò petere ipsum fideicommissum ab hærede posse, sed utrum, si uolet, percipiat restituatque portionem: an uerò, etsi noluerit, cogatur accepta certa quantitate portionem restituere, propriæ est deliberationis. & sanè, cum quis rogatus est accepta certa quantitate portionem restituere, duplex est fideicommissum: unum, ut possit petere quantitatem, paratus portione cedere: aliud, ut etsi non petat, tamen cogatur fideicommissario restituere, parato præstare quantitatem. *Planè quod ad prius fideicommissum attinet, uide ȝ. cap. 6. except. 74. §. huic simile.* *Tertia exceptio est: Nisi in fraudem legatorum repudiauerit hæreditatem rogatus. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. fin. ff. si quis omissa causa test. &c. his uerbis:* Si quis per fraudem omiserit hæreditatem, ut ad legitimum perueniat, legatorum petitione tenebitur. *Concordat l. 1. in prin. C. eod. tit. cuius uerba hæc sunt:* Si in fraudem legatorum transmissam hæreditatem ad substitutum probatura es, utilis actio aduersus eum, cum quo fraudis consilium participatum est, competit. Planè si pecunia acepta omisit aditionem, legata & fideicommissa præstare cogitur. *Concordat item l. si seruus. 105. §. cum quid. ff. de legatis 1. cuius uerba uide inferius cap. prox. causa 51. except. 1. repl. 2.* *Item l. si seruus. 50. §. si quis, in fine. ff. eodem tit. cuius uerba uide ȝ. causa 67. exceptione 3.* *Planè si rogatus in fraudem legatorum omisit hæreditatem ex testamento, si quidem*

dem pecunia accepta omisit, ipse tenetur legatarijs: sin uerò gratis omisit nullo accepto, aduersus possessorem legatarijs datur actio. quod constat ex supradicta l. 1. C. si quis omissa causa test. *Cui concordat l. si quis. 4. in prin. ff. si quis omissa, his uerbis:* Si quis pecuniam non accepit, simpliciter autem omisit causam testamenti, dum uult præstitum ei qui substitutus est, uel legitimo: nunquid locus non sit edicto? Planè indignandum est, circumuentam uoluntatem defuncti: & ideo, si liquidò constiterit in necem legatariorum hoc factum, quamuis non pecunia accepta, sed nimia gratia collata: dicendum erit, locum esse utili actioni aduersus eum qui possidet hæreditatem. & rectè dicetur, ubicunq; quis, dum uult præstitum ei qui se repudiante uenturus est, non repudiaturus, nisi præstitum uellet, & maximè si ob euertenda iudicia id fecit: aduersus possessorem competere actionem: sic tamen, ut ubi quidem pecunia accepta repudiauit, ibi dicamus eum qui omisit conueniendum: ubi uerò gratis, in fraudem tamẽ eorum quibus quid relictum est, possessorem debere conueniri utili actione. *Plura de hac re uide ȝ. lib. prox. cap. 14. quæst. 3.* *Quarta exceptio est: Nisi accepta pecunia rogatus hæreditatem omisit. Hæc exceptio approbatur l. 2. ff. d. tt. si quis omissa, &c. his uerbis:* Licet pro hærede gerere non uideatur, qui precio accepto prætermiserit hæreditatem: tamen dandam in eum actionem exemplo eius qui omissa causa testamenti ab intestato possidet hæreditatem, diuus Hadrianus rescripsit. Proinde legatarijs & fideicommissarijs tenebitur. Sed utrum ab eo erit incipiendum, & sic ad hæredem ueniendum, an conuertemus ordinem? mihi uidetur humanior esse hæc sententia, ut possessor hæreditatis prior excutiatur, maximè si lucratiuam habet possessionem. *Concordat l. si pecun. 3. ff. eod. tt. ubi Pomponius:* Si pecuniam à substituto acceperis (*inquit*) ut prætermitteres, isq; adierit, an danda sit legatarijs actio, dubitari potest. & puto, si ipse quoq; prætermiserit, & quòd lege ad se rediret, possederit hæreditatem, in utrunq; uestrûm dandam: ut ei tamen, cui ab utroq; legatum est, in alterutrum detur actio. *Concordat itẽ l. si nõ solus. 10. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba proponentur ȝ. lib. prox. cap. 14. quæst. 3. reg. 2.* *Sed quod ad quæstionem hanc (aduersus quem competat actio) attinet, de eo (ut dixi) tractabitur ȝ. d. cap. 14.* *Huic similis exceptio est: Si hæreditatem uel legatum uendidit. de qua re uide d. cap. 14. except. 19. replic. 4.* *Quinta exceptio: Nisi rogatus sua culpa, uel per iniuriam iudicis amiserit hæreditatem uel legatum. Hæc replicatio approbatur l. si seruus. 50. §. 1. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ȝ. causa 67. except. 3.* *Sexta exceptio est: Nisi rogatus ex alia causa quid à defuncto accepit, tunc enim, quamuis non ex testamento adquirat, tenetur tamen fideicommissum præstare. de qua re uide ẽ. cap. 4. except. 40. repl. 12.* *Septima exceptio est: Nisi rogatus omissa causa testamenti ab intestato hæreditatem cœperit possidere. De hac re dicetur infrà lib. prox. cap. 14.* *Octaua exceptio est: Nisi cum rogatus ob aliquam causam amisisset, in integrum sit restitutus. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 41. ff. ex quibus causis maiores uigintiquinq;, &c. his uerbis:* Si quis Titio legauerit, si mortis suę tempore in Italia esset, aut in annos singulos, quòd in Italia esset, & ei succursum fuerit, quia ob id quòd reipub. causa abfuit, exclusus fuerit à legato: fideicommissum ab eo relictum præstare cogitur. quis enim dubitauit, salua legatorum & fideicommissorum causa militi restitui hæreditatem, quam ob id perdidit, quòd reipubl. causa abfuit? *Nona exceptio est: Nisi fiscus, ad quem hæreditas peruenit, eam non agnoscat: tunc enim recurritur ad hæredem. quæ exceptio approbatur l. si seruus. 50. §. si quis ante. ff. de legat. 1. cuius uerba uide ȝ. causa 67. except. 3.* *Decima exceptio est: Nisi aliud quoddam legatum rogatus ex testamento percipiat. tunc enim, licet illud ex quo alimenta præstanda erant, uel quod restituere rogatus est, repudiauerit, nihilominus tenetur. quæ exceptio approbatur l. à filio. 15. in prin. ff. de alim. legatis. cuius uerba uide ȝ. lib. 34. cap. 9. quæst. 1. except. 8.* *Concordat l. planè. 91. §. si cui Stichus. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si cui Stichus aut Dama legatus esset, electione legatario data, & fidei eius commissum esset, ut Stichum alteri præstaret: si Damam uindicare maluerit, nihilominus Stichum ex causa fideicõmissi præstare debebit. siue enim pluris est, Dama compellendus est Stichum redimere: siue minoris, æquè Stichum iustè dare cogitur, cum per eum steterit, quo minus ex testamento haberet, quod fideicommissum fuerat. *Concordat l. si seruus. 105. §. cum quid tibi. ff. de legat. 1. his uerbis:* Cum quid tibi legatum, fideiq; tuæ commissum sit, ut mihi restituas: si quidem nihil præterea ex testamento capias, dolum malum duntaxat in exigendo eo legato, alioquin etiam culpam te mihi præstare debere, existimauit Africanus, sicut in contractibus bonæ fidei seruatur: ut si quidem utriusq; contrahentis commodum uersetur, etiam culpa: si unius solius, dolus malus tantummodò præstetur. *Hæc de 42. amittendi legati causa, & eius exceptionibus sint dicta. Plures huiusmodi exceptiones licet uidere ẽ. cap. 4. except. 40.*

XLIII. *Causa: Si legatum eius, cuius fidei commissum est, repetitum sit, nulla fideicommissi mentione facta. Hæc causa approbatur l. si tibi. 28. ff. de admendis legatis, his uerbis:* Si tibi certam rem legauero, & rogauero te, ut eam Titio restitueres: deinde eandem rem tibi fideicommisero, nec rogauero te, ut alij eam præstares: quæ-

ritur, an in tua potestate sit, ex causa fideicommissi eligere, ut fideicommissum non præstes? & magis posteriorem scripturam testamenti placuit seruari. *Concordat l.nisi.3. §.item si ipse.ff.si cui plusquam per l.Falcid.&c. cuius uerba uide j.lib.prox.cap.9.caut.4.quæst.4.except.2. Huius causæ exceptio prima hæc est:Nisi repetendo legatum ei cuius fidei commissum est, ademptum sit, uel ad alium translatum: tunc enim fideicommissum censetur repetitum. de quo uide §. causa proxima,except.1. exemplo 3 & 4. Secunda exceptio est: Nisi tacitum sit fideicommissum. de qua re uide §. cap.5. except.8i. replic.2.*

XLIIII.*Causa: Si is à quo legatum relictum est, pendente die uel conditione legati mortuus fuerit.Hæc causa reprobatur l.Legato.63.ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Legato sub conditione relicto, si hæres, à quo sub conditione legatum est, pendente conditione moriatur, hæredem suum obligatum relinquit.

XLV. *Causa: Si cum hæres institutus esset sub hac conditione, Si iurasset se Titio decem daturum, conditio iurisiurandi illi sit remissa. Et hæc causa reprobatur l.non dubium.14.§.hæres. ff.de legatis 3.his uerbis:* Hæres quoq; cui iurisiurandi conditio remittitur,legatũ & fideicommissum debet.

XLVI.*Causa: Si rogatus, postea liberos adquisierit. Hæc causa approbatur in liberis testatoris rogatis, l.cum acut.30. C.de fideicommissis,hisce uerbis:* Cum acutissimi ingenij uir, & meritò ante alios excellens,Papinianus in suis statuit Respõsis, Si quis filium suum instituit hæredem, & restitutionis post mortem oneri subegit, non aliter hoc uideri disposuisse, nisi cum filius eius sine sobole uitam suam reliquerit: nos huius sensum meritò mirati,plenissimum ei donamus eventum,ut si quis hæc disposuerit, non tantùm filium hæredem instituens,sed etiam filiam,uel ab initio nepotem uel neprem, pronepotem uel proneptem, uel aliam deinceps posteritatem, & eam restitutionis post obitum grauamini subiugauerit: non aliter hoc sensisse uideatur, nisi hi qui restitutione onerati sunt, sine filijs uel filiabus, nepotibus uel neptibus, pronepotibus uel proneptibus fuerint defuncti, ne uideatur testator alienas successiones proprijs anteponere. *Concordat l. generaliter.6. §. cum autem. C. de institutionibus uel substitution. cuius uerba uide §. lib.28. cap.13. except. 142. Concordat item l. cum anus.100. ff. de condit. & demonstr. cuius uerba uide itidem d.except.142.Concordat item l.ex facto.41. in prin.ff.de uulgari substit. cuius uerba uide item d.except.142. Planè causa proposita in liberis tantùm testatoris, non alijs rogatis locum habet.*

XLVII. *Causa: Si rogatus hæres extiterit legatario,uel fideicommissario. De hac causa cum alijs similibus dictum est j.lib.48.cap.18,reg.2, cuius exemplũ habetur l. cum secundum.3. C. de fideicommiss. cuius uerba uide §. lib.20.cap.7.quæst.2.in prin.*

XLVIII.*Causa: Si cum ab eo qui nouissimus moreretur,legatum esset,omnes simul decesserint.Hæc causa approbatur l. si cius.24. ff. ad Senatusc. Trebell. his uerbis:* Si eius qui nouissimus ex filijs mortuus esset, partem hæreditatis propinquo uoluit pater restitui, si simul fratres diem suum obijssent: propinquum (si non offenderit,quis nouissimus obijsset) ad partẽ hæreditatis non admitti, sed matrem ex Terrylliano senatusconsulto ad utriusq; hæreditatem admitti constat.

XLIX.*Causa: Si cum à tutore uel curatore hæredis legatum esset relictum,is tutor curatórue esse uel nolit,uel non possit.De hac causa uide ea quæ dicta sunt §. cap.4.except.40.repl.8.*

L.*Causa:Si bona rogati publicata sint,uel ad fiscum peruenerint.De hac re uide j.lib.prox.cap.2.reg.5.*

DE CAVSIS AMITTENdi legati,in re legata consistentibus. Cap. XI.

QVartum causarum genus, quibus legata utiliter data amittuntur, & in irritum recidunt, earum est quæ in re legata consistũt, cuius species in hoc capite sequuntur.

L1.*Causa: Si res legata perijt,uel in hæreditate non inueniatur. Hæc causa approbatur Inst. de legatis. §.si res legata,his uerbis:* Si res legata sine facto hæredis perierit,legatario decedit. *Concordat l. non amplius.26. §.1.ff.de legatis 1. ubi Pomponius:* Si certum corpus(*inquit*)hæres dare damnatus sit,nec fecerit quo minus ibi,ubi id esset,traderetur: si id postea sine dolo & culpa hæredis perierit, deterior sit legatarij conditio. *Concordat item l.filiusfam.121.§.fin.ff.de leg.1.ubi Martianus:* Interdum(*inquit*)etiam cum lucro hæredis moritur seruus legatus, uel per fideicõmissum relictus:ueluti si alienus,uel proprius (si tamen pluribus separatim est ita relictus,ut unusquisq; in solidum capiat)sine culpa hæredis mortuus sit. *Concordat item l. cum ita.32.§.species.ff.de legat.2.his uerbis:* Species nominatim legatæ, si non reperiantur, nec dolo hæredis deesse probentur, peti ex eodem testamento non possunt. *Concordat item l.si quis.22.§.fin.ff.de leg.3. cuius uerba uide j.eod.causa,except.9. Concordat item l.in ratione.30. §.diligenter.ibi:certis uerò.ff.ad l.Falcid. cuius uerba uide j.lib. 34.cap.2.quæst.5.reg.2.except.4. Concordat item l.lana.86.ibi:nauc.ff.de leg.3. ubi Paulus:* Naue legata dissoluta,neq; materia neq; nauis debetur. *Item l.qui uxori.19. §.fin. ff.de auro legato, his uerbis:* Mulier testamento,& postea codicillis multas species uestis,argenti,quas uel ipsa se cõfecisse uel habere significauit, specialiter per fideicommissum reliquit,quæsitum est, an nõ alię legatarijs cederent, quàm quę in hæreditate

hæreditate essent inuentæ?Scæuola respondit, eas cedere, quæ inuentæ essent. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi res dolo uel culpa hæredis,à quo relicta est,perierit.Hæc exceptio approbatur l.cum res leg.47. §. item si res aliena. ff.de leg.1. his uerbis:* Si res aliena, uel hæreditaria, sine culpa hæredis perierit, uel non compareat, nihil amplius quàm cauere eum oportebit: sed si culpa hæredis res perierit,statim damnandus est.*Concordat item l.& eleganter.7.§.item si seruum. ff.de dolo malo. cuius uerba uide j. lib.49. cap.3.quæst.6.causa 6.Huius exceptionis exemplũ proponitur l. quid ergo.53. §.penult. ff.de leg.1. his uerbis:* Si seruum non ipse occidit,sed compulit ad maleficium, ut ab alio occideretur, uel supplicio afficeretur:equissimum erit,precium eũ præstare.quòd si sua mala mente ad hoc processit,cessabit æstimatio. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi leuis culpa hæredis fuerit. Hæc replicatio reprobatur d.l.47. §.penul. his uerbis:* Culpa autem qualiter sit æstimanda,uideamus,an nõ solùm ea quę dolo proxima,uerùm etiã quę leuis est?aut nunquid & diligentia quoq; exigẽda est ab hærede? quod uerius est. *Vnde Africanus:* Qui quinq; in arca habebat,ita legauit,uel stipulati promisit, Decem quæ in arca habeo . si mortis tempore plena summa fuerit, & postea aliquid ex ea deperierit, sine dubio soli hæredi deperit.*l.si seruus.105.§.qui quinq;.ff.de leg.1. Secunda replicatio est: Nisi is qui rogatus est, rem relictã nondum acceperit, nec quid præterea ex testamento capiat. tunc enim non nisi dolum malum præstare tenetur:& ob id,quamuis culpa eius res perierit,non tenetur. Quæ replicatio approbatur d.l.105.§.cũ quid tibi. cuius uerba uide §. causa 42. except.10. Tertia replicatio primæ exceptionis hæc est:* Nisi *per legatarium uel fideicommissarium steterit,quo minus rem legatam accipiat . tunc enim uidetur, quòd hæres culpam amplius præstare non debeat. Quod quidem ut uerum est in culpa leui,ita certè in dolo malo,& culpa dolo proxima nõ obtinet: nec excusabitur,si fortè rem abiciat, uel perdat ultrò. Quod approbatur l. si hæres.8. ff.de tritico,uino legato,his uerbis:* Si hæres damnatus sit dare uinum, quod in dolijs esset, & per legatariũ steterit,quo minus accipiat: periculosè hæredem facturũ, si id uinum effundat:sed legatariũ petentem uinum,ab hærede doli mali exceptione placuit submoueri,si non præstet id,quòd propter morã eius damnum hæres passus sit. *Quarta replicatio est:Nisi ob facinus hæres seruum legatũ occiderit. Hæc replicatio approbatur l. quid ergo.53. §.si hæres. ff.de leg.1.his uerbis:* Si hæres hominem legatũ occidit ob facinus, sine dubio dicendũ erit,eũ ex testamento nõ teneri:sed si animal legatum occiderit,puto teneri,non ut carnẽ præstet,uel cætera:sed ut præstet preciũ,quanti esset, si uiueret. *Concordat l.qui seruum.96. ff.de uerb.oblig. cuius uerba uide j.lib.48.cap.19.except.6. repl.1.Hæc de prima propositæ causæ exceptione. Secunda exceptio est:* Nisi facto cohæredis res legata perierit. *hoc casu ipse quidẽ hæres, cuius facto res periit, nihilominus tenetur, ut ex prædictis patet: alij autem cohæredes non tenentur. quod approbatur l. si hæredis.48.§.fin.ff.de legat.1. cuius uerba uide j.lib.prox. cap.2.reg.1. except.1.repl.8. Tertia exceptio est:* Nisi *hæres in mora soluendi fuerit. Hæc exceptio approbatur l.cũ seruus.39. §.ipsius quoq;.ff.de leg.1. his uerbis:* Ipsius quoq; rei interitũ post moram, sicut in stipulatione, hæres præstare debet. *Concordat l.cum res.47.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si fundus chasmate perierit,Labeo ait,utiq; æstimationem nõ deberi. quod ita uerum est,si non post moram factam id euenerit: potuit enim eum acceptum legatarius uendere. *Cõcordat item l.si seruus.105. §.si seruus. ff.de leg.1.ubi Africanus:* Si seruus legatus sit(*inquit*)& morã hæres fecerit,periculo eius & uiuit,& deterior fit:ut si debilem fortè tradat,nihilominus teneatur. *Concordat item l. si homines.3. C.de usuris uel fruct. leg. his uerbis:* Si homines certi per fideicõmissum tibi relicti fuerint, post moram periculo debitoris fideicõmissi fuerunt. *Concordat item l.si usufructus.6.ff.de usufr.legato.cuius uerba uide j.cap.12.causa 70.exc.1. Quarta exceptio est: Nisi cum duobus res deberetur, hæres uni tantùm soluerit.*Quæ exceptio reprobatur l.Titio. 36.§.fin.ff.de leg.1.his uerbis:* Si alteri Stichũ hæres dedit, quẽ duobus dare damnatus fuerat,& antequã interpellaretur ab altero,Stichus mortuus est: hæres non tenetur: quia nihil per eum factũ intelligitur. *Quinta exceptio est:Nisi genus uel incerta species legata sit.Hæc exceptio approbatur à contrario sensu l.non amplius. 26. §.1.ff.de leg.1.cuius uerba uide §.ead.causa,in prin.Concordat l.in ratione.30. §.diligenter. ibi:uerum est autẽ. ff.ad l.Falcidiam.cuius uerba uide j.lib.34.cap.2.quæst. 5.reg.2.except.4. Sed & approbatur per ea quæ dicta sunt j.lib.48. cap.19. except.11. Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi *legatarius certam speciem oblatam noluit accipere. Quæ replicatio approbatur l. huiusmodi.81.§.si cui.ff.de leg.1.his uerbis:* Si cui homo legatus fuisset, & per legatarium stetisset,quo minus Stichum,cum hæres tradere uolebat,acciperet:mortuo Sticho,exceptio doli mali proderit hæredi. *Concordat d.l.81.§. Stichum.cuius uerba uide j.except.8.repl.3.Sed & plura de hac replicatione uide d.cap.19. except.11. repl.2. item j.lib.34.cap.11.quæst.1.except.22.repl.8. Secunda replicatio est:Nisi corpus ex distantibus capitibus sit legatum. hoc enim perinde est, ac si singula capita essent legata. Quod approbatur exemplo l. si chorus.77. in prin.ff.de leg.3. his uerbis:* Si chorus aut familia legatur, perinde est quasi singuli homines legati sint. *De qua re uide plura j.lib. prox. cap.2. reg.9 & 10.Sed & alias propositæ exceptionis replicationes uide d.except.11. Sexta exceptio est:Nisi res quæ*

perierat, sit refecta & restituta. Hæc exceptio approbatur exemplo l.hæres.15.ff.de leg.3.his uerbis: Hæres testatoris legata, quæ in profundo esse dicũtur, quandocunq; apparuerint præstat. Sed & approbatur l.peculium.67. §. quadrigæ. ff.de leg.2.his uerbis: Quadrigæ legatum, equo postea mortuo, perire quidam ita credunt, si equus ille decesserit, qui demonstrabat quadrigã. sed si medio tempore deminuta suppleantur, ad legatarium pertinebit. Concordat l.quid tamẽ.10.§.fin.cum l.sequente.ff.quibus mod. ususfr.amitt.cuius uerba uide ẽ.lib.24.cap.2.causa 5.excepct.1.repl.2. Concordat item l.quod in rerũ.24.§.fin. ff.de leg.1.ubi Pomponius: Si nauem legauero (inquit) & specialiter eam adscripsero, eamq; per partes totã refecero, carina eadem manente, nihilominus rectè à legatario uindicabitur. Concordat item l.si chorus.77.§.area.ff.de leg.3.ubi Celsus: Area legata (inquit) si inædificata medio tempore fuerit, ac rursus area facta sit: quanquã tunc peri non poterat, nunc tamen debetur. Concordat l.si grege.22. in prin. ff.de leg.1.ubi Pomponius: Si grege legato aliqua pecora uiuo testatore mortua essent, in eorumq; locum alia essent substituta, eundem gregem uideri. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi domo legata, & in totum destructa, alia sit ædificata. Quæ replicatio approbatur l.si ita legatum. 64.§.fin.ff.de leg.1.his uerbis: Si domus fuerit legata, licet particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia superfit, tamen dicemus utile manere legatum: at si ea domo destructa, aliam eodem loco testator ædificauerit, dicemus interire legatum, nisi aliud testatorem sensisse fuerit approbatum. Concordat l.taberna.7.ff. de instructo legato. cuius uerba uide ẽ.causa 5. in prin. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi iisdem tignis domus rursus sit ædificata. Hæc duplicatio in domo quidem reprobatur l.qui res.98.§.aream, in fin.ff.de solut.his uerbis: Sicuti de ædibus deposita ligna ea mente, ut reponantur, ædium sunt: sed si usq; ad aream deposita sint, licet eadem materia restituatur, alia erit. Cui concordat l.quid tamẽ.10.§.nam etsi domus. ff.quibus mod. ususfr. amit. cuius uerba uide ẽ. lib.24. cap.2.causa 5.excepi.4.repl.2. In naue autem approbatur l.inter.83.§.sacram rem. ibi: nam etsi.ff.de uerb.obligat.his uerbis: Si nauem, quam quis sponderit, dominus dissoluerit, & ijsdem tabulis compegerit: quia eadem nauis est, incipiet obligari. Concordat d.l.83.§.sed hæc dissimilia. ibi: sed etsi reficiendo. cuius uerba uide ĩ.lib.38.cap. 5.except.33. Item cõcordat l.qui res.98.§.aream. ibi: nec simili. ff.de solut. cuius uerba uide ĩ.lib.37.cap.3.excep. 28.repl.4. dupl.1. Sed & duplicatio dicta in naue recipit triplicationem hanc: Nisi ea mente dissoluta sit nauis, ut in alios usus tabulæ conuerterentur. Quæ triplicatio approbatur d.§.aream. ibi: homini autem, his uerbis: Homini autem manumisso simile fiet: si ea mente dissolutam esse nauem apparuerit, ut in alios usus conuerterentur tabulæ: deinde mutato consilio eadem composita sit. alia enim uidebitur posterior esse nauis, sicut ille alius homo est. Concordat d.l.83.§.sed hæc dissimilia. ibi: & nauis si hac mente. ff.de uerb.oblig. cuius uerba uide ĩ.lib.38. cap.3. except.33. Sed & aliam triplicationem recipit in naue duplicatio proposita, hanc scilicet: Nisi ususfructus nauis sit legatus. Quæ triplicatio approbatur l.quid tamen.10. §. in nauis. ff. quibus mod. ususfr. amitt. cuius uerba uide ẽ. lib.24. cap.2.causa 5.except.4.repl.2. Secunda propositæ replicationis duplicatio est: Nisi post mortem testatoris domo exusta, hæres nouam ædificauerit. Quæ duplicatio approbatur l.domos.58.ff.de leg.2.his uerbis: Domos hæreditarias exustas, & hæredis numis extructas, ex causa fideicommissi post mortem hæredis restituendas boni uiri arbitratu, sumptuum rationibus deductis, & ædificiorum quantitatibus extantibus æstimatis, respondit Papinianus, si modò nulla culpa eius incendium contigisset. Hisce uerbis proposita duplicatio approbatur, simul etiam triplicatio introducitur talis: Nisi fideicommissarius sumptus in ædificando factos non restituat. Sed & triplicatio hæc rursus distinguitur hoc modo: Nisi res legata uel domus culpa hæredis interierit: tunc enim, quamuis fideicommissarius non restituat sumptus, non tamen illi deneganda est actio. Sed de sumptibus ab actore præstandis alibi dicetur copiosius. Septima exceptio: Nisi res legata non in totum perijt, sed in aliam speciem sit transmutata, uel ad materiam resoluta. Hæc exceptio approbatur l.seruum filij.44. §.si pocula. ff. de leg.1. his uerbis: Si pocula quis legauit, & massa facta est, uel contrà: item si lana legetur, & uestimentũ ex ea fiat; Iulianus lib.32. Digest. scribit, legatum in omnibus cõsistere suprascriptis, & deberi quod extat. quam sententiam puto ueram, si modò non mutauerit testator uoluntatem. Sed & si lancem legauit, & massam fecit mox poculum: debebitur poculum, durante scilicet uoluntate. Si areæ legatæ domus imposita sit, debebitur legatario, nisi testator mutauerit uoluntatem. Concordat l.item legato.47.§.penult.ff.de leg.3.ubi Vlpianus: Si uxori aurum, quod eius causa paratum est, legatum sit, & postea sit conflatum, materia tamen maneat, ea ei debetur. Concordat item l.lana.86.in fine, ff.de leg.3. ubi Paulus: Massa legata, scyphi ex ea facti exigi possunt. Concordat deniq; l.si quis.9.§.hæc omnia, in fin. ff.de tritico legato, his uerbis: Quòd si totũ uinũ quod paterfamiliâs habuit, coacuerit, non extinguitur legatum. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ipse testator rem transmutauerit, nõ alius. Quæ replicatio approbatur l.Seia. 6.ff.de auro, argento legato, his uerbis: Seia ab hærede Publio Mæuio ita legauit, Antoniæ Tertyllæ do lego auri pondo tot, & unionẽ cum

cum hyacinthis. quęro, si probari possit, Seiam uniones & hyacinthos quosdam in aliam speciem ornamenti, quod postea preciosius fecit, additis alijs gemmis & margaritis, conuertisse: an hos uniones uel hyacinthos petere possit, & hæres compellatur ornamenta posteriori eximere & præstare? Marcellus respondit, petere non posse: neque enim fieri posse, ut legatum uel fideicõmissum durare existimetur, cũ id quod testamento dabatur, in sua specie non permanserit, & quodammodò extinctum sit: ut interim omittam, quòd etiam dissolutione ac permutatione tali uoluntas quoq; uideatur mutata. Concordat l.cætera.41.§.fin.ff.de leg.1.ubi Paulus: Si testator ea quæ legauit, ædibus iunxit, extinctum erit legatum: sed si hęres ea iunxit, puto non extingui, siue sciuit, siue ignorauit. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi testator non mutauit uoluntatem. Quæ duplicatio constat ex ijs quæ dicta sunt paulò ẽ. ead.except. 7.in prin. Proinde hoc casu legatario onus probãdi imponetur, testatorem scilicet in uoluntate perseuerasse. Sed & alia propositæ replicationis duplicatio est in uino, quod postea testator aceti loco habuit. Quæ duplicatio approbatur l.si quis.9.§.item si quis uinum. ff.de tritico, uino legato, his uerbis: Si quis uinũ quod habuit legauit, deinde hoc coacuit: licet postea in aceti locum translatũ sit à patrefamiliâs, uino legato continebitur: quia id quod testamenti facti tempore uinũ fuit, demonstratum est. & est hoc uerum, nisi uoluntas aduersetur. Secunda replicatio est: Nisi species ex re legata facta, ad suam materiã reduci non possit: tunc enim extinguitur legatum. Quæ replicatio approbatur argumento l.quæsitum.76.§.illud. ff. de leg.2. his uerbis: Illud fortasis quæsiturus sit aliquis, cur argenti appellatione etiam factum argentum comprehendatur: cum, si marmor legatum est, nihil præter rudem materiam demonstratum uideri possit? cuius hæc ratio traditur: quippe ea quæ talis naturę sint, ut sæpius possint redigi in sua initia, ea materię potentia uicta, nunquam uires eius effugiant. Ergo si non sint eius naturæ, ut in sua initia seu materias redigi possint, uires & iura materiæ non retinent, & ob id dominium transit in eum qui speciem ex ijs fecit. de quo ẽ.lib.21.cap.1.causa 12.in prin.& exceptt.1. est dictum: ideoq; legatum quoq; extinguitur. Huius replicationis exempla proponuntur l. lana.86. ff.de leg.3.his uerbis: Lana legata, uestem quæ ex ea facta sit, deberi non placet: sed & materia legata, nauis armariúmue ex ea factum non uindicentur: naue autem legata dissoluta, neq; materia, neq; nauis debetur: massa autem legata, scyphi ex ea facti exigi possunt. Planè quod hic de ueste ex lana legata facta dicitur, ei contradicit l.seruum filij.44. §. si pocula. ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ. ead.exceptione septima, in prin. Distinguenda igitur est replicatio proposita hoc modo: Nisi testator in eadem uoluntate perseuerauerit. Nam in eo casu loquitur d. §. si pocula. quod primæ duplicationis loco notandum. Sanè quæcunq; exceptiones d.cap.1. causa 12. annotatæ sunt, easdem hic duplicationum loco non ineptè repeti posse puto. Tertia replicatio est: Nisi non proprietas rei, sed ususfructus eius sit legatus: tunc enim specie mutata, ususfructus legatum extinguitur. de qua re dictum ẽ.lib.24.cap.1. Hæc de septima exceptione, cuius leges certè uariæ ac inter se diuersissimæ inueniuntur: nec melius (meæ quidem sententia) possunt reconciliari, quàm per propositas replicationes & duplicationes. Octaua exceptio est: Nisi aliquid ex re legata quæ perijt, superfit: hoc enim debebitur. Hæc exceptio approbatur exemplis l. si grege.22. ff. de leg.1. his uerbis: Si grege legato, deminutum ex eo pecus esset, & uel unus bos supereresset: eum uindicari posse, quamuis grex desijsset esse: quemadmodum insula legata, si combusta esset, area posset uindicari. Concordat inst.de legatis. §.si grex, his uerbis: Si grex legatus fuerit, & postea ad unam ouem peruenerit: quod superfuerit, uindicari potest. Aliud exemplũ proponitur l.librorum.50.§.si Homeri.ff.de leg.3. his uerbis: Si Homeri corpus sit legatum, & non sit plenum: quantæcunq; partes inueniantur, debentur. Aliud exemplum est: Si pluribus rebus relictis, unum aut alterum ex ijs superfit: hoc enim debebitur. Quod approbatur inst.it.de leg. §.si quis ancillas, his uerbis: Si quis ancillas cum suis natis legauerit: etiamsi ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem est, etsi ordinarij serui cum uicarijs legati fuerint: licet mortui sint ordinarij, tamen uicarij legato cedunt. Concordat l.si ancilla.61. ff.de leg.1. his uerbis: Si ancilla cum liberis legata sit: & ancilla sola, si non sint liberi: & liberi soli, si nõ sit ancilla, debentur. Concordat l.si ancillas.62. ff.eod.tit.his uerbis: Si ancillas omnes, & quod ex his natũ erit, testator legauerit: una mortua, Seruius partum eius negat deberi: quia accessionis loco legatus sit. Quod falsum puto. Nã nec uerbis, nec uoluntati defuncti accõmodata hęc sententia est. Concordat item l.& si.3.cum lege sequente.ff.de peculio legato, his uerbis: Si ancilla cum suis natis legata sit, etiam mortua ea, uel alienata, uel manumissa, nati ad legatariũ pertinebunt; quia duo legata sunt separata. Sed & siquidem cum uicarijs suis legatus sit seruus, durat uicariorum legatum, etiam mortuo eo, aut alienato, aut manumisso. Concordat item l.Titia.39.in prin.ff.de auro legato. cuius uerba uide ĩ.causa proxim.except.1. Sed etsi certo numero relicto, numerus ille non plenus reperiatur: id tamen quod reperitur, debetur. Quod approbatur l.si seruus.105. §.qui quinq;. ff.de leg.1. his uerbis: Qui quinq; in arca habebat, ita legauit, uel stipulanti promisit. Decem quæ in

arca habeo. & legatum & ſtipulatio ualebit: ita tamen, ut ſola quinq; uel ex ſtipulatione, uel ex teſtamento debeantur. *Concordat l.ſi ita.64.in prin.ff.eod.tt.ubi Caius:* Si ita legatum ſit *(inquit)* Seio ſeruos decem do, præter eos quos Titio legaui: ſi pauciores quã decem ultra eos quos Titio legauit, in hæreditate inueniantur, ualet legatum in tantos, quanti inueniãtur. *Concordat item l.ſi quis. 8.§.ſi quis legauerit.ff.de leg.2.his uerbis:* Si quis legauerit ex illo dolio amphoras decem, etſi non decem, ſed pauciores inueniri poſsint, non extinguitur legatum: ſed hoc tantummodò accipit, quod inuenitur. *Aliud item propoſitæ exceptionis exemplum eſt: Si duabus rebus alternatiuè legatis, altera perijt. tunc enim nihilominus altera debetur. de quo uide ĩ. libro 34. capite 11. quæſt.1. except.22. replic.8. Sed & aliud exemplum proponitur l.pediculis.33.§. fin. ff. de auro legato, his uerbis:* Cum inaures, in quibus duæ margaritæ, elenchi & ſmaragdi duo, legaſſet, & poſtea elenchos eiſdem detraxiſſet: & quæreretur, an nihilominus detractis elenchis inaureis deberentur? Paulus reſpondit, deberi, ſi maneant inaureis, quamuis margaritæ his detractæ ſunt. De alio idem reſpondit, cum quædam ornamenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tympanijs margaritis triginta quatuor legaſſet, & poſtea quatuor ex cylindris, & ſex de margaritis detraxiſſet. *Planè exceptio propoſita in quibuſdam caſibus ſuas habet replicationes, quarum prima hæc eſt: Niſi alterum alterius ſit acceſsio. tunc enim principali ſublato, nec acceſſorium debetur. Quæ replicatio approbatur l.2.ff.de peculio legato, his uerbis:* Quæ acceſsionum loco obtinent, extinguũtur, cum principales res peremptæ fuerint. *Huius exemplum proponitur l.1.ff.d.tt.his uerbis:* Seruo legato cum peculio, & alienato, uel manumiſſo, uel mortuo, legatum etiam peculij extinguitur. *Concordat inſtit.de legato. §.ſi quis ancillas, his uerbis:* Si ſeruus fuerit cum peculio legatus: mortuo ſeruo, uel manumiſſo, uel alienato, peculij legatum extinguitur. Idem eſt, ſi fundus inſtructus, uel cum inſtrumento legatus fuerit. Nam fundo alienato, & inſtrumenti legatum extinguitur. *Concordat item l.ex parte.39. §.duos. ff.familiæ erciſcun. his uerbis:* Duos filios ſcripſit hæredes, & certos homines unicuique eorum prælegauit, in quibus uni Stephanum cum peculio. Is uiuo teſtatore manumiſſus deceſsit, deinde pater. Quæſitum eſt, an id quod in peculio habuit Stephanus priuſquàm manumitteretur, ad utroſque filios pertineat: an uerò ad eum ſolùm, cui cum peculio prælegatus fuerat? Scæuola reſpondit, ſecundum ea quæ proponerentur, ad utroſque pertinere. *Aliud exemplum eſt: Si fundus inſtructus, uel cum inſtrumento legatus ſit. Quod exemplum proponitur l.1.§.fin.ff.de inſtructo legato, his uerbis:* Fundo cum inſtrumento legato & alienato, inſtrumentum non uindicabitur ex ſententia defuncti. *Concordat inſtit. d. §.ſi quis ancill. in fine. Tertium exemplum eſt in penu legata. Quod exemplum proponitur l.nam quod. 4.in princip.ff.de penu legata, his uerbis:* Quod liquidæ materiæ eſt (quia per ſe eſſe non poteſt) rapit ſecum in acceſsionis locum id ſine quo eſſe non poteſt: uaſa autem acceſsio legatæ penus, non legata ſunt. Denique penu conſumpta, uaſa non debentur: ſed etſi penus cum uaſis ſpecialiter ſit legata, uaſa non debebuntur, uel conſumpta penu, uel adempta. *Concordat l.2.ff.d.tt.his uerbis:* Penu certa cum uaſis certis legata, & conſumpta, ne uaſa quidem cedunt legato, exemplo peculij. *Quartum exemplum proponitur l.mortuo.50.in prin.ff.de leg.2.his uerbis:* Mortuo boue qui legatus eſt, neque corium, neque caro debetur. *Quintum exemplum proponitur l.lana.86.§. naue autem. ff. de leg.3. his uerbis:* Naue legata diſſoluta, neque materia, neq; nauis debetur. *Sextum exemplum proponitur l. peculium.67.§.quadrigæ.ff.de leg.2. cuius uerba uide ĩ.eod.cauſa, except.6. Planè replicatio propoſita in ancilla cum natis, & ſeruo ordinario cum uicarijs legato, locum non habet: ut patet ex ijs quæ dicta ſunt paulò ſuperius eodem except. in prin. Quod notandum loco primæ duplicationis. Secunda duplicatio eſt: Niſi principale, mortuo demum teſtatore, & ſic poſt moram factam perierit. Quæ duplicatio approbatur l.tunc.12.ff. de peculio legato, his uerbis:* Tunc inutile legatum peculij fit, cum ſeruus uiuo teſtatore decedit: cæterùm ſi mortis tempore ſeruus uixerit, peculium legato cedet, aliter atque ſi ſeruus ueſtitus legatus foret. *Tertia duplicatio eſt: Niſi teſtator uiuus rem promiſerat, & ſic naturaliter ad eam ſoluendam obligatus erat. Quæ duplicatio approbatur l.cum pater.79. §.pater filio.ff.de leg.2. cuius uerba uide ĩ.lib.prox.cap.3.reg.9.except.3. Quarta duplicatio eſt: Niſi poſt actionem in iudicium deductam ſeu litem conteſtatam res principalis perierit. Quæ duplicatio approbatur l.utiq.16.in prin.ff.de rei uendicat. Secũda replicatio eſt: Niſi uſus fructus rei ſit legatus. Quæ replicatio approbatur exemplo gregis l.ult.ff quibus modis uſus fructus amitt. De quæ re uide ĩ.lib.24.cap.2.cauſa 3.exc.1.repl.2. Tertia replicatio eſt: Niſi ex duabus rebus alterutra legata, legatarius alterã oblatam acciperе noluit, eaq; poſtea perijt: tunc enim nec ſuperſtes debetur. Quæ replicatio approbatur l.huiuſmodi.81.§. Stichũ.ff. de leg.1. his uerbis:* Stichũ aut Pamphilũ, utrũ hæres meus uolet, Titio dato. ſi dixerit hæres, Stichũ ſe uelle dare, Sticho mortuo liberabitur. *Cõcordat d.l. 81.§.ſi cui homo. cuius uerba uide ĩ.exc.5. Itẽ concordat l.Statuliberũ.11.§.fin.ff.de leg.2. cuius uerba uide ĩ.lib. 34.cap.11.quæſt.1.exc.22.repl.9. Huius replicationis duplicatio*

plicatio hæc eſt: Niſi electio ſit legatarij. tunc enim altero mortuo, nihilominus alter debetur, de quo dicetur ĩ.lib.34. cap.11. Hæc de octaua exceptione, eiuſq; replicationibus. Nona exceptio eſt: Niſi res aliena, nõ teſtatoris, fuerit legata. Hæc exceptio reprobatur l.ſi quis.22.§.fin.ff.de leg.3. his uerbis: Mortis damnũ per fideicommiſſum ſerui relicti, antequam mora fiat, fideicõmiſſarius ſolus patitur, licet alienus relinquatur. *Concordat l.filiusfamil. 111.§.fin. ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ. ead. cauſa, in princ. Plures huiuſmodi exceptiones uide ĩ.lib.prox. cap.3.reg.10. item ĩ.lib.34.cap.3. quæ reſtituendæ.*

L 11. *Cauſa: Si res legata non compareat. Hæc cauſa ſimilis eſt præcedenti; niſi quòd hoc caſu non in totum liberetur rogatus: ſed ad cauendum teneatur, ſe eam rem requiſiturum & præſtaturum. Eſt igitur prima huius cauſæ exceptio, hæc ſcilicet: Niſi ad cauendum, & ad rem requirendam. Quæ exceptio approbatur l.ſeruo legato.68.§.fin.ff.de leg.1. his uerbis:* Si res quæ legata eſt, an in rerum natura ſit, dubitetur (forte ſi dubium ſit, an homo legatus uiuat) placuit agi quidem ex teſtamento poſſe: ſed officio iudicis contineri, ut cautio interponeretur, qua hæres caueret, eam ſe rem perſecuturum, & ſi non actus eſſet, legatario reſtituturum. *Concordat l.Titia.39.in prin. ff.de auro legato, his uerbis:* Titia teſtamento, item codicillis multas ſpecies tam argenti, quàm ueſtis ſpecialiter per fideicõmiſſum reliquit. Quæro, an non aliæ ſpecies legato cedant, quàm quæ in hæreditate inuentæ eſſent? Scæuola reſpondit, ea cedere quæ inuentæ eſſent: de cæteris cauendum, ut ſi inuentæ fuerint, præſtari eas. *Concordat item l.cum ſeruus.39. ff.de leg.1. his uerbis:* Cum ſeruus legatus in fuga, uel longinquò abſens, exigatur: operam præſtare hæres debet, ut eam rem requirat & præſtet. Et ita Iulianus ſcribit. An uerò & ſumptum in hanc rem facere hæres debeat, Africanus apud Iulianum quærit: putatque, ſumptum præſtandum. Quod & ego arbitror ſequendum. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi legatarius ſumptus ad requirendum præſtare nolit. Quæ replicatio approbatur ſimul & diſtinguitur l.ſi quis.8. in princ. ff. de leg.2. his uerbis:* Si quis ſeruum hæredis uel alienum legauerit, & is fugerit, cautiones interponendæ ſunt de reducendo eo: ſed ſiquidem uiuo teſtatore fugerit, expenſis legatarij reducitur: ſi poſt mortem, ſumptibus hæredis. *Ex his uerbis replicatio propoſita approbatur, ſimul eius duplicatio introducitur talis:* Niſi *poſt mortem teſtatoris res non cõparere cœperit. Cui duplicationi concordat l.cum ſeruus.39. in princ. ff.de leg.1. cuius uerba uide paulò ſuperius. Secunda exceptio eſt: Niſi res culpa hæredis non compareat. Hæc exceptio approbatur l.cum res.47.§.itaq; ſi Stichus.ff. de leg.1. his uerbis:* Si Stichus ſit legatus, & culpa hæredis non compareat, debebit æſtimationem eius præſtare: ſed ſi culpa eius nulla interuenerit, cauere hæres debebit de reſtitutione ſerui, non æſtimationem præſtare. Idem & in alijs in rem actionibus Iulianus putat. *Concordat d.l.47. §. item ſi res aliena. cuius uerba uide ẽ. cauſa prox.except.1. in prin. Huius cauſæ exemplum eſt: Si ſeruus legatus in fuga ſit. de quo ĩ. dicetur eod.cap. cauſa 56.*

LIII. *Cauſa: Si res in eum caſum inciderit, quo ab initio legari non potuit. Hæc cauſa approbatur l.ſi in metallum.3. in fine. ff. de his quæ pro non ſcriptis hab. his uerbis:* Quæ in eam cauſam peruenerunt, à qua incipere nõ poſſunt, pro non ſcriptis habẽtur. Huius cauſæ exemplum primum eſt, ſi locus legatus religioſus ſit factus. *Quod exemplum proponitur l.quid ergo.53. §. ſed ſi mortuum. ff. de leg.1. his uerbis:* Si mortuum intulit, fecitq; locum legatum religioſum: ſiquidem patrem familiãs intulit, cum aliò inferre non poſſet, uel tam opportunè non haberet, ex teſtamento non tenebitur: an uerò teneatur, ut precium loci præſtet? & ſiquidem ipſe paterfamiliãs illò inferri uoluit, ex teſtamento non tenebitur: quòd ſi hæres intulit ſuo arbitrio, debebit præſtare, ſi ſit in hæreditate, unde precium præſtetur. teſtator enim qui legauit, uel aliò uoluit inferri, uel precium loci legatario offerri. *Hiſce uerbis, præterquam quòd exemplum propoſitum approbatur, ſimul etiam exceptio aduerſus illud introducitur talis: Niſi culpa hæredis locus ſit factus religioſus. tunc enim, quamuis non teneatur hæres ad ipſum locum præſtandum, tamen ad æſtimationem loci præſtandam tenetur. Concordat l.Mæuius.68.§.in fundo. ff.de leg.2. his uerbis:* In fundo legato ſi hæres ſepelierit, æſtimatio referenda erit ad totum precium fundi, quo potuit ante ſepulturam æſtimari. Quare ſi fuerit ſolutus, actionem adhuc ex teſtamento propter locum alienatum durare, rationis eſt. *Concordat itẽ l.ult.in prin. ff.de religioſis & ſumptibus funer. cuius uerba uide ẽ. lib.26.cap.2. de religioſis, quæſt.2. except.2. repl.1. Huius exceptionis etiam replicatio in ſupradictis uerbis proponitur, hæc ſcilicet: Niſi uoluntate defuncti hæres locũ fecit religioſum. tunc enim nec ad æſtimationem loci tenetur. Secundum propoſitæ cauſæ exemplum eſt: Si res legata ædibus iuncta ſit. hoc enim caſu extinguitur legatum, quoniam huiuſmodi res legari non poſſunt: ut dictum eſt ẽ.cap.4. except.65. Huius exempli exceptio hæc eſt: Niſi hæres rem legatam ædibus iunxit, uel culpa hæredis ſit iuncta. Quæ exceptio approbatur l.cætera.41.§.fin.cum lege ſequente.ff.de leg.1. his uerbis:* Si ea quæ legauit teſtator, ædibus iunxit, extinctum erit legatum: ſed ſi hæres ea iunxit, puto non extingui, ſiue ſciuit, ſiue ignorauit. Senatus enim ea quæ ſunt ædium, legari non permiſit: hæc autem mortis tempore ædium non fuerunt: hæres ergo æſtimationem præſta-

bit. sed si detraxerit ut præstet, pœnis erit locus, quamuis non ut uendat, detraxit, sed ut exoluat. *Tertium exemplum est: Si homo legatus liber factus sit. quod exemplum proponitur l. si alienum. 35. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si alienum hominem hæres dare damnatus sit, & hic à domino manumissus sit, nihil ex hoc legato debetur. *Concordat Instit. de legatis. §. si res legata, his uerbis*: Si seruus alienus legatus sine facto hæredis manumissus fuerit, non tenetur hæres. *Concordat item l. si seruus. 12. ff. de senatusc. Silaniano. cuius uerba uide §. lib. 30. cap. 6. quæst. 4. reg. 5. except. 4. Concordat item l. seruum filij. 44. §. si statuliberum. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si statuliberum hæres legauerit, expediet hæredi ipsum statuliberum præstare magis, quàm æstimationem. Etenim æstimationem ueram præstabit. Ipsum uerò si dederit, existente conditione nullum sentiet damnum. Iam enim æstimatio postea non petitur ab eo hominis liberi. *Huius exempli exceptio prima hæc est: Nisi facto hæredis seruus sit manumissus. Quæ exceptio approbatur Instit. d. §. si res legata, his uerbis*: Si seruus alienus legatus sine facto hæredis manumissus fuerit, non tenetur hæres: si uerò hæredis seruus sit, & ipse eum manumisit, teneri ipsum Iulianus scripsit: nec interest, scierit, an ignorauerit, à se legatum esse. Sed & si alij donauerit seruum, & is cui donatus est eum manumiserit, tenetur hæres: quamuis ignorauerit, à se eum legatum esse. *Concordat l. si inquilinos. 109. §. 1. ff. de leg. 1. his uerbis*: Cum seruum suum hæres damnatus dare, eum manumiserit: tenetur in eius æstimationem: nec interest, scierit, an ignorauerit legatum. Sed etsi donauerit seruum hæres, & eum is cui donatus est manumiserit: tenetur hæres, quamuis ignorauerit à se eum legatum esse. *Secunda exceptio est*: *Nisi postea rursus seruus sit factus. Hæc exceptio approbatur l. si chorus. 77. §. fin. ff. de leg. 3. his uerbis*: Seruus quoq; legatus, si interim manumittatur, & postea seruus factus sit, peti potest. *Contradicit l. si seruus. 27. §. fin. ff. de adim. legatis. cuius uerba uide §. cap. 8. causa 2. except. 12. Tertia exceptio est: Nisi inutiliter à testatore sit manumissus. Hæc exceptio reprobatur l. fundum. 3. §. fin. ff. de instrum. legato, his uerbis*: Minor uiginti annis instructa prædia consobrinę suæ dari uoluit, & quosdam seruos prædiorum uiuus manumisit. non idcirco serui manumissi præstabuntur, quòd ad libertatem peruenire non possunt. Idem iuris est, cum ex quauis alia causa libertas non competit. *Contradicunt ea quæ dicta sunt §. cap. 4. except. 63. replic. 1. Quod autem dictum est de homine legato manumisso, idem etiam iuris est in eo cui libertas in testamento relicta est. de qua re uide §. d. except. 65 & 64. Quartum propositæ causæ exemplum est: Si res legata legatarij ex alia causa esse cœperit. quod approbatur l. Mæuius. 68. §. duorum, in fine. ff. de leg. 2. his uerbis*: Quemadmodum ab initio non consistit legatum in his quæ legatarij fuerunt: ita frustra soluitur, cuius dominium postea legatarius adeptus est, tametsi dominus esse desierit. *Sed de hoc exẽplo quarto uide ĩ. eod. cap. causa 57. Hæc de 53. causa.*

LIIII. *Causa amittendi legati est: Si res legata hæreditaria esse desierit, & ad extraneum peruenerit. Hæc causa reprobatur hac ratione, quia etiam alienæ rei legatum ualet: ut ostensum est §. cap. 4. except. 49. Causæ autem propositæ reprobatæ exempla quatuor sequuntur, quorum primum est: Si testator rem legatam postea alij alienauit. non enim per istam alienationem extinguitur legatum, nisi adimendi animo testator alienauit. de quo copiosius dictum §. causa 5. Secundum exemplũ est: Si hæres rem legatam alienauit: non enim ob id legatum amittitur. Quod approbatur l. quædam. 16. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis*: Quædã sunt, in quibus res dubia est, sed ex pòst facto retroducitur, & apparet quid actum sit: ut ecce, si res legata fuerit, & deliberante legatario eam rem hæres alij tradiderit. nam siquidem uoluerit legatarius habere legatum, traditio nulla est: si uerò repudiauerit, ualet. Tantundem est, etsi pecuniam hæreditariam legatam crediderit hæres. nam siquidem non repudiauerit legatarius, alienam pecuniam credidit: si uerò repudiauerit, suam pecuniã credidisse uidetur. Quid ergo, si consumpta fuerit pecunia? Vtiq; idẽ erit ex euentu dicendum. *Concordat l. seruo legato. 68. §. 1. ff. de leg. 1. ubi Caius*: Si seruũ sub conditione legatum hæres alienauerit, deinde conditio extiterit: potest nihilominus à legatario uindicari, nec extinguitur legatum. *Concordat etiam l. si duob. 3. §. sed quia nostra, usq; ad finem legis. C. comm. de legatis. cuius uerba uide §. cap. 2. reg. 2. Concordat item l. nihil. 117. in prin. ff. de leg. 1. de qua cum aliis concordantib. dicetur in annuis legatis. Proinde si hæres rem à se legatã alij legauerit, prius legatum prævalet, nec hæredis legato extinguitur. l. si quis. 78. §. si fundum. ff. de leg. 1. Vnde Pomponius*: Si fundum à testatore legatum hæres alij pendente conditione legauit: postea existente conditione, quæ priore testamento proposita fuerat: neq; proprietas à priore legatario recedet, nec locum religiosum in eo fundo hæres facere, nec seruitutem imponere poterit: sed & imposita seruitus finietur existente conditione. *l. si fundum. 103. ff. de condit. & demonstrat. Planè habet causa proposita in exemplo proposito secũdo suas exceptiones, quarum prima hæc est: Nisi hæres seruum legatum noxæ dederit. Hæc exceptio reprobatur l. quid ergo. 53. §. si hæres. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si hæres hominem legatum noxæ dederit, an teneatur, quia potest redimere? & puto teneri. *Secunda exceptio est: Nisi hæres legatas ædes ob damnum infectum possideri passus est.*

Et hæc

Et hæc exceptio reprobatur d. §. si hæres, his uerbis: Item si ædes legatas ob damnum infectum possideri passus est, puto eũ teneri: debuit enim repromittere. *Tertia exceptio est: Nisi hæres rem alij, cui eadem res legata fuit, tradiderit. Et hæc exceptio reprobatur, certa tamen conditione, l. Iulianus. 9. §. si tibi decem. ff. ad exhibendum, his uerbis*: Si tibi decem numismata sint sub conditione legata, & mihi decem usus fructus purè: deinde hæres pendente conditione, non exacta cautione, decem fructuario soluerit: ad exhibendum eum actione, qui decem solnerit, teneri, quasi dolo fecerit, quo minus possideret. dolus autem in eo est, quòd cautionem exigere supersedit à fructuario, effectumq; ut legatum tuum euanesceret, cum iam numos uindicare non possis. Ita autem demum locum habebit ad exhibendum actio, si conditio exiterit legati. Potuisti tamen tibi prospicere stipulatione legatorum: si prospexisti, non erit tibi necessaria ad exhibendum actio. Si tamen ignarus legati tui à fructuario satis non exegit, dicit Marcellus, cessare ad exhibendũ, quia scilicet nullus hic dolus est: succurrendum tamẽ legatario in factum aduersus fructuarium actione ait. *Similia huic exceptioni uide ĩ. lib. prox. cap. 5. reg. 58. Sed & propositæ legi concordat l. 1. §. si decem. ff. ut leg. seru. causa, his uerbis*: Si ignorans hæres legatum decem fructuario dedit, ad exhibendum eum non teneri palàm est: succurrendum tamen legatario aduersus fructuarium, Marcellus ait. *Quarta exceptio est: Nisi ob probabilem ignorantiam legati hæres rem alienauit: tunc enim hæres non tenetur. Quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce*: Si tamen ignarus legati tui, &c. *Tenetur tamen ad precium rei restituendum. Quod approbatur l. ultim. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis*: Maritus uxorem ex asse hæredem instituit, cuius post mortem codicillos aperiri, testator præcepit. prædium hæreditarium uxor infructuosum rationi suæ existimans uendidit. emptor quærit, an retractari hæc uenditio possit post mortem mulieris ab his quibus codicillis per fideicõmissum hæreditas data deprehenderetur, an uerò solùm quantitas precij ab hærede uxoris fideicommissarijs debereturf respondi, propter iustam ignorantiam tam mulieris, quàm emptoris, hæredem mulieris, ut fundus apud emptorem remaneat, fideicommissario precium dare debere. *Sed etsi non uendidit hæres, sed alio modo ob iustam ignorãtiam consumpsit, per in factum actionem indemnitati legatarij consulitur aduersus hæredem. Quod approbatur l. si hæres. 65. ff. de leg. 2. his uerbis*: Si hæres rem legatam ignorans, in funus consumpsit, ad exhibendũ actione non tenebitur: quia nec possidet, nec dolo malo fecit, quo minus possideret: sed per in factum actionem legatario consulitur, ut indemnitas ei ab hærede præstetur. *Concordat l. quidam. 25. §. si quis filium. ff. ad S. C. Trebellian. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. 3. quæst. 3. reg. 16. excep. 1. Quinta exceptio est: Nisi præsente & consentiente legatario hæres rem legatam alienauit. Hæc exceptio approbatur l. nihil. 117. §. 1. ff. de leg. 1. his uerbis*: Omnibus quibus fideicommissum relictum est, ad distractionem consentientibus nullam fideicommissi petitionem superfuturam. *Concordat l. quoties. 11. C. de fideicommiss. cuius uerba uide ĩ. lib. 34. cap. penultim. quæst. 1. except. 5. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ad precium consequendum legatario supereſt actio. Quæ replicatio approbatur l. si fundum. 89. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si fundum per fideicommissum relictum unus ex hæredibus excusso precio secundum reditum eius fundi, mercatus sit propter æs alienum hæreditarium, præsente & adsignãte eo, cui fideicommissum debebatur: placet non fundum, sed precium eius restitui debere. Marcellus notat: Si fundum restituere malit hæres, audiendum existimo. *Propositæ replicationis duplicatio est: Nisi non probetur, ea mente consensisse legatarium, ut precium consequatur. Quæ duplicatio approbatur l. Lucius. 90. §. insulam. ff. de leg. 2. his uerbis*: Insulam libertis utriusq; sexus legauit, ita ut ex reditu eius masculi duplum, fœminæ simplum percipiant, eamq; alienari uetuit. ex consensu omnium ab hærede uenundata est. quæro, an ex precio insulæ duplum mares, simplum fœminæ caperent? Respondit Scæuola, ob precium nullam fideicommissi persecutionem esse, nisi ea mente uenditioni consenserint, ut similiter ex precio mares quidem duplum, fœminę autem simplum consequantur. *Secunda replicatio est: Nisi non omittendi legati animo legatarius alienationi interfuerit. Hæc replicatio approbatur l. Titia. 35. §. Lucia. ff. de leg. 2. his uerbis*: Lucia Titia intestata moriens, à filijs suis per fideicommissum alieno seruo domum reliquit. post mortem filij ijdemq; hæredes, cum diuiderent hæreditatem matris, diuiserũt etiam domum: in qua diuisione dominus serui fideicommissarij quasi testis adfuit. quæro, an fideicommissi persecutionem adquisitam sibi per seruum, eo quòd interfuit diuisioni, amisisse uideatur? Modestinus respondit, fideicommissum ipso iure amissum non esse, quod ne repudiatũ quidem uideri potest: sed nec dominum per doli exceptionem submoueri, nisi euidenter apparuerit omittendi fideicommissi causa hæc fecisse. *Tertia replicatio est: Nisi tantùm ut pignori obligaretur, legatarius consensit. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l. testamento. 91. §. quatuor. ff. de leg. 2.*

cuius

cuius uerba uide paulò inferius exemplo 4. Sexta exceptio est: Nisi res ab eo cui hæres alienauit, sit usucapta. Hæc exceptio approbatur l.Sticho.36.in princ. ff.de usufructu legato. cuius uerba uide ẽ.cap.7.repl.7. Plures huiusmodi exceptiones uide ĩ.lib.prox. cap.4. de eo quod ad rogatum peruenit legato, reg.11 & 12. item ĩ.lib.34.cap.3.quæst.3.reg.16. Hactenus de secundo exemplo, eiusq; exceptionibus. Tertium propositæ causæ reprobatæ exemplum est: Si res legata à tertio quodam sit euicta. nam nihilominus in certis casibus hæres, uel ex testamento, uel ex stipulatu tenetur. de quo exemplo uide ẽ.cap.1.reg.4. Quartum exemplum est: Si creditor rem legatam sibi pignori obligatam, ex causa pignoris uendidit. hoc enim casu legatum non in totum intercidit, sed precium rei debetur. Quod exemplum proponitur l.prædia.6. C.de fideicommiss. hisce uerbis: Prædia obligata per legatum uel fideicommissum relicta, si à creditore distracta sunt, precium hæres exoluere cogetur, nisi contraria uoluntas defuncti ab hærede ostendatur. *Competit ergo hoc casu non aduersus emptorem actio ad rem restituendam, sed aduersus hæredem ad precium præstandum. Quod etiam approbatur l.qui solidum.80.ſ.fin. ff.de leg.2.his uerbis:* Si creditor ab eo qui testamentum fecit, domum acceptam iure pignoris uendidit, contra emptorem fideicommissi causa (tametsi uoluntatem defuncti non ignorauit) nihil decernetur. *Planè interdum etiam aduersus emptorem ad rem restituendam datur actio, uidelicet si unus hæredum pignus emit. Quæ distinctio approbatur l.testamento.91.ſ.quatuor. ff.de leg.2.his uerbis:* Quatuor filios æquis partibus instituit, & fundum per præceptionem singulis legauit. filij, cum uniuersa bona patris obligata essent, mutua accepta pecunia hæreditario creditori soluerunt, & posteriori obligauerunt: qui, cum ei debitum non solueretur, prædia uniuersa lege pignoris uni ex hæredibus uendidit. quæritur, an cum iste filius ex causa emptionis ea possideat, fratribus & cohæredibus fideicommissi petitio sit, an uerò ea perempta sit, cum communiter uniuersa sequenti creditori obligauerunt? Respondi, actionem quidem fideicommissi in personam competentem omnibus inuicem manere: non autem id fideicommissum restituendum esse, nisi prius debitum ab eis emptori eidemq; cohæredi persolueretur. *Hæc de 54.causa amittendi legati.*

LV. *Causa: Si res legata ad hostes peruenerit. Hæc causa approbatur l.quid ergo.53.ſ.fin. ff.de leg.1. his uerbis:* Seruus legatus, si ab hostibus captus sit sine dolo hæredis, non præstabitur: si dolo, præstabitur. *Per hæc uerba posteriora,* Si dolo, præstabitur: *exceptio aduersus causam propositam approbatur. de qua exceptione dictum etiam est ẽ.cap.eod. causa 51. except.1. Sed & alia est exceptio, talis scilicet: Nisi ut caueat hæres de restituendo, si res postliminio redierit. Quæ exceptio approbatur per l. cum res.47.ſ.sed & si alienus, in fine. ff.de leg.1. cuius uerba uide ĩ.causa proxima.*

LVI. *Causa: Si seruus legatus aufugerit. Hæc causa reprobatur l.huiusmodi.81. ſ. legatum. ff. de leg.1. his uerbis:* Legatum est ita, Fundum Cornelianum, & mancipia quæ in eo fundo, dum moriar, mea erunt, hæres meus Titio dato. ancilla quæ in eo fundo esse consueuerat, mortis tempore, cum in fuga esset, enixa est. quæro, an uel ipsa, uel partus eius legato cedat? Respondit Iulianus: Ancilla, quamuis in fuga sit, legata uidetur: & licet fugitiua erat, perinde habetur, ac si in eo fundo fuisset moriente patrefamiliâs. huic consequens est, ut partus quoque matrem sequatur, & perinde legato cedat, ac si in fundo editus fuisset. *Proinde l.cum seruus.39.in princ. ff.de leg.1.* Paulus: Cum seruus legatus (*inquit*) in fuga uel longinquo absens exigatur, operâ præstare debet hæres, ut eam rem requirat & præstet: & ita Iulianus scribit. *Planè si seruus legatus fugerit, hæres duas potissimùm exceptiones habet, quarum prima hæc est: Nisi legatarius sumptus ad requirendum seruum præstare nolit. Quæ exceptio approbatur l.si seruus.105.in princ. ff.de leg.1. his uerbis:* Si seruus legatus uiuo testatore fugisse dicatur, & impensa & periculo eius cui legatus fuit, debet reddi: quoniam rem legatam eo loco præstare hæres debet, in quo à testatore sit relicta. *Concordat l.si quis.8.in prin. ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.causa 52.except.1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi mortuo testatore seruus fugerit. Quæ replicatio approbatur d.l.8.in prin. ff.de leg.2.his uerbis:* Si quidem uiuo testatore fugerit, expensis legatarij reducitur: si post mortem, sumptibus hæredis. *Concordat l.cum seruus.39.in prin. ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ. d.except.1. Secunda exceptio est: Nisi seruus alienus sit legatus, isq; fugerit. tũc enim non nisi ad cautionem tenetur hæres. Quæ exceptio approbatur l.cum res. 47.ſ.sed etsi alienus. ff.de leg.1.his uerbis:* Si alienus seruus in fuga sit, sine culpa hæredis cauere hæres debebit de restitutione serui, non æstimationem præstare: nam & in alieno culpa admitti potest. cauebit autẽ sic, ut si fuerit apprehensus, aut ipse aut æstimatio præstetur: quod & in seruo ab hostibus capto constat. Sed si Stichus aut Pamphilus legetur, & ambo sint in fuga: non ita cauẽdum, ut si in potestate ambo redierint, sed si uel alter: & uel ipsum, uel absentis æstimationem præstandam. *Planè exceptionis propositæ replicatio prima hæc est: Nisi duabus rebus alternatiuè legatis, altera tantùm, non utraq; absit. tunc enim cautione præstita hæres non liberatur. Quæ replicatio approbatur d.l.47.ſ.sed si Stichus. cuius uerba uide ĩ.lib.34.cap.11.quæst.1.except.22.repl.8. Secunda replicatio est: Nisi culpa hæredis seruus fugerit.*

Quæ

Quæ replicatio constat ex uerbis suprà positis hisce: Sine culpa hæredis, &c. *Sed causæ propositæ uide similem causam ẽ.eod.cap.causa 52.*

LVII. *Causa: Si res legata ex alia causa ad legatarium peruenerit. Hæc causa approbatur l.nutu.21.ſ.1. ff.de leg.3.his uerbis:* Fideicõmissum relictum, & apud eum cui relictum est, ex causa lucratiua inuentum, extingui placuit, nisi defunctus æstimationem quoq; eius præstari uoluerit. *Concordat Instit.de leg.ſ.si res aliena.ibi: si uerò ex causa. cuius uerba uide ẽ. except.prox. Concordat item l.si mihi.12. in princ. ff.de leg.1. cuius hæc sunt uerba:* Si mihi & tibi eadem res legata fuerit, deinde die legati cedente hæres tibi extitero, liberum mihi esse Labeo ait, ex meo legato, an ex eo quòd tibi hæres sim, adquiram: & si uoluero eam rem ex meo legato ad me pertinere, ut tota mea sit ex hæreditario legato, petere eam me non posse, Proculus ait. *Concordat item l.si quis.78. ſ.si patersamil. ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ.causa 29. except.4.replic.4. Concordat item l.si seruus.105. ſ.Stichum. ibi: sin ex duabus. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ. except.prox. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi non ex causa lucratiua, sed ex meroſa causa res sit apud legatarium. Hæc exceptio approbatur Instit.de leg.d.ſ.si res aliena, his uerbis:* Si res aliena legata fuerit, & eius rei uiuo testatore legatarius dominus factus fuerit: si quidem ex causa emptionis, ex testamento actione precium consequi potest: si uerò ex causa lucratiua, ueluti ex donatione, uel ex alia simili causa, agere non potest. nam traditum est, duas lucratiuas causas in eundem hominem & eandem rem cõcurrere non posse. *Concordat item l.si à substituto.45. in princ. ff.de leg.1. his uerbis:* Si à substituto pupilli ancillas tibi legassem, easq; tu à pupillo emisses, & antequam scires tibi legatas esse, alienasses: utile legatum esse, Neratius & Aristo & Ofilius probant. *Concordat item l.huiusmodi.81. ſ.qui seruum. ff.eod.tt. his uerbis:* Qui seruum ex testamento sibi legatum, ignorans eum sibi legatum, ab hærede emit: si cognito legato ex testamento egerit, & seruum acceperit, actione ex uendito absolui debet. quia hoc iudicium bonæ fidei est, & continet in se doli mali exceptionem. Quòd si precio soluto ex testamento agere instituerit: hominem consequi debebit, & actione ex empto precium recuperabit, quemadmodum recuperaret, si homo euictus fuisset. Quòd si iudicio ex empto actum fuerit, & tunc actor compererit legatum sibi hominem esse, & agat ex testamento: non aliter absolui hæredem oportebit, quàm si precium restituerit, & hominem actoris fecerit. *Concordat item l.si seruus.105.ſ.Stichum. ff.eod.tt.his uerbis:* Stichum quem de te stipulatus eram, Titius à te hærede mihi legauit. siquidem non ex lucratiua causa stipulatio intercesit, utile legatum esse placebat: sin ex duabus, tunc magis utile legatũ esse: quia nec absit quidquam, nec bis eadem res præstari possit. *Concordat item l.bis uerbis.100. ſ.alumno. ff.de leg.1. ubi Scæuola:* Alumno præcepit (*inquit*) militiam, his uerbis: Sempronio alumno meo illud & illud, & cum peruenerit ætatem licebit, militiam illam cum introitu comparari uolo, hæcque omnia integra. quæsitum est, si Sempronius ipse eam sibi militiam comparauit, an precium eius, sed & id quod pro introitu erogari solet, ex causa fideicommissi ab hæredibus consequi possit? Respondi, secundum ea quæ proponerentur, posse. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi partem tantùm rei legatæ redemerit. tunc enim non nisi pro parte ex testamento illi competit actio. Quæ replicatio approbatur l.non quocunque.79. ſ. fundus, in fin. ff.de leg.1. his uerbis:* Si partem redemero, & pars mihi legata aut donata sit, partem duntaxat petere debebo. *Secunda replicatio est: Nisi nudam proprietatem rei emerit, usumfructum autem ex causa lucratiua habeat. tunc enim proprietatis precium tantùm ex testamento petere potest. Hæc replicatio approbatur Institut. de leg.ſ.si cui fundus, his uerbis:* Si cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem deducto usufructu, & usufructus ad eum peruenerit, & postea ex testamento agat: rectè eum agere & fundum petere, Iulianus ait: quia ususfructus in petitione seruitutis locum obtinet: sed officio iudicis continetur, ut deducto usufructu iubeat æstimationem præstari. *Concordat d.l.79. ſ.fundus. ubi Iulianus:* Fundus mihi legatus est, (*inquit*) proprietatem eius fundi redemi detracto usufructu, postea uenditor capite minutus est, & ususfructus ad me pertinere cœpit. si ex testamento egero, iudex tanti litem æstimare debebit, quantum mihi aberit. *Tertia replicatio est: Nisi ancillam matrem partus legati, non ipsum partum emerit. Hæc replicatio approbatur d.l.non quocunq.79. ſ.Iulianus. ff.de leg.1. his uerbis:* Quòd si legatum mihi est, quod ex Pamphila natum erit, & ego Pamphilam mercatus sum, & ea apud me peperit: non possum uideri partum ex causa lucratiua habere: quia matrem eius mercatus sum. argumentum rei est, quòd euicto eo, actio ex empto competit. *Concordat l.si quod.75.ff.de leg.2.ubi Papinianus:* Si quod ex Pamphila nascetur (*inquit*) legatum mihi fuerit, & ego Pãphilam emam, eaq; sit enixa: summa ratione respõsum est, non ex causa lucratiua partũ intelligi factum meum: ideoq; petendum ex testamento tanquam istum emissem, ut scilicet precij cõtributione facta, consequar tãtum, quanti

quanti puerum deducta matris æstimatione cõstitisse mihi, iudex in causa legati datus æstimauerit. *Concordat item l.in bello.21.§. fin.ff.de captiuis & postlimin.reuers. his uerbis*: Si natum ex Pamphila legatum tibi fuerit,túque matrem redemeris, & ea apud te pepererit: non uideri te partum ex causa lucratiua habere, sed officio arbitrióq; iudicis æstimandum, constituto precio partus, perinde atque si,quanti mater est empta,simul & partus ueniſſet. Quòd si iam natum apud hostes, quod eo tempore quo capiebatur,in utero gerebat, cum matre redimatur ab eodem uno precio:oblato táto,quantum ex precio quod pro utroq; datum est, æstimationem cõtingeret partus,uidetur is postliminio reuersus: multò magis,si diuer si emptores utriusque extiterint, uel unius. Sed si suo quenq; precio redemerit,id offeri pro singulis oportebit redemptori, quod hosti pro quoq; datũ est,ut seperatim quoque postliminio reuerti possint. *Quarta replicatio est, Quòd non nisi usq; ad precium,quãti rem emit,ex testamento legatario competat actio. Quæ replicatio approbatur l.planè ubi.34.§.quòd si rem.ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ.except.prox. Hactenus ergo de prima propositæ causæ exceptione. Secunda exceptio est:Nisi actori rei legatæ nomine,quam ex causa lucratiua adeptus est, aliquid absit. Hæc exceptio approbatur d.§.quòd si rem, his uerbis*: Quòd si rem emiſſem mihi legatam, usque ad precium, quod mihi abest,cõpetit mihi ex testamento actio: & multò magis hoc dicendum est, si duobus testamẽtis mihi eadem res legata sit, si alter me restituere rogauerit uel ipsam,uel aliud pro ea,aut sub conditione legasset dãdi quid pro ea:nam hactenus mihi abesse res uidetur,quatenus sum præstaturus. *Concordat l.si seruus.105. §.Stichum. ibi: idemq; iuris.ff.de leg.1. ubi Africanus*: Si,cum mihi ex testamento Titij Stichum deberes, eundem à te hærede Sempronius mihi legauerit, fideique meæ commiserit, ut eum alij restituam: legatum utile erit, quia non sum habiturus. Idemq; iuris erit, etsi pecuniam à me legauerit: multò magis, si in priore testamento fideicommiſſum sit. *Tertia exceptio est: Nisi in alterutro legato Falcidiæ locus sit, uel actor eius hæres extiterit, qui non sit soluendo. Hæc exceptio approbatur d.l.105.§.Stichum.in fine, his uerbis*:Item si in priore testamento Falcidiæ locus sit:quod inde decedit ratione Falcidiæ, ex sequente testamento consequar. Item si domino hæres extitero, qui non esset soluendo, cuius fundum tu mihi dare iussus esses:manebit tua obligatio,sicut maneret, si eum fundum emiſſem. *Quarta exceptio est:Nisi res actori aliquo casu posśit auferri. Hæc exceptio approbatur l.non quocunq;.79.in prin.ff.de leg.1. his uerbis*: Non quocunque modo legatarij res facta fuerit die cedente, obligatio legati extinguitur: sed ita, si eo modo fuerit eius,quo auelli non possit.ponamus rẽ quæ mihi purè legata sit, accipere me per traditionem die legati cedente ab eo hærede, à quo eadem sub conditione alij legata fuerit.nempe agam ex testamento: quia is status est eius, ut existente conditione discessurum sit à me dominium.nam etsi ex stipulatione mihi Stichus debeatur, & is, cũ sub conditione alij legatus esset, factus fuerit meus ex causa lucratiua: nihilominus existente conditione ex stipulatu agere potero. Si ex bonis eius qui reipublic.causa aberat, rem usu adquisierim, & ea, antequàm euinceretur, mihi legata fuerit, deinde postea euincatur: rectè ex testamento petam eam mihi dari oportere. *Huius exceptionis exemplum etiam est, si res actori legata fidei eius commissa sit,ut eam alij restituat.Quod exemplum proponitur l.planè ubi.34.§.quòd si rem.ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ.except.2. Concordat l.si seruus.105.§.Stichũ. ibi:sed si cum mihi.ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ.d.except.2. Quinta exceptio est: Nisi actor rem postea rursus alienauerit. Hæc exceptio reprobatur l.Mæuius.68.§.duorum.ff.de leg.2. his uerbis*: Duorum testamentis pars fundi,quę Mæuij est,Titio legata est. non inelegãter probatum est,ab uno hærede soluta parte fundi, quæ Mæuij fuit,ex alio testamento liberationem obtinere: nec postea parte alienata, reuocari actionem semel extinctam.Sed si pars fundi simpliciter,non quæ Mæuij fuit,legetur: solutio prior perimit alteram actionem, &c. *Sexta exceptio est:Nisi alienã rem,non eandem,ex alia causa acceperit legatarius. Hæc exceptio approbatur exemplo l.quæ fideic.81.ff.de leg.2.his uerbis*: Quæ fideicommiſſum moriẽs libertis uiri debuit, eorundem prædiorum suis quoq; libertis fructum reliquit. iuris ignorantia lapsi,qui petere prædia ex mariti testamento debuerunt,secundum fideicommiſſum inter cęteros longo tempore perceperunt. non ideo peremptam uideri petitionẽ prioris fideicõmisi constitit.*Huius exceptionis exemplum est ẽ.except.12.ead.caus. Septima exceptio est:Nisi pars rei sit legata.tũc enim,quãuis partem rei legatæ adquisierit,ad reliquã partem nihilominus illi supereſt actio. Hæc exceptio approbatur l. Titius.80. ff. de leg.2. his uerbis*: Titius Stichi partẽ tibi legauit,eiusdẽ Stichi partem Seius tibi legauit:ex utriusq; testamento consequeris. *Concordat l.non quocunq;.79.§.fundus,in fin.ff.d.tt.cuius uerba uide ẽ.ead. causa,except.1.repl.1.item l.Lucius.22.in fin.ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.except.12.repl.3. Contradicit l.Mæuius.68.§.duorum.ibi:sed si pars.ff.de leg.2.uerbis paulò superius except.5.propositis hisce*:Sed si pars fundi simpliciter,non quæ Mæuij fuit, legetur: solutio

solutio prior perimit alteram actionem. *Sed locus uidetur mendosus: & censeo legendum*, Non perimit. *Planè propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi certa pars demonstrata sit,puta,quæ Mæuij est. Quæ replicatio approbatur d.§.duorum. cuius uerba uide ẽ.ead.cau.except.5. Octaua exceptio est: Nisi ex duabus rebus alterutra legata, alteram legatarius adquisierit.tunc enim nihilominus alteram petere potest. Quæ exceptio approbatur l.non quocunq;.79. §.fin. ff. de leg.1. his uerbis*: Cum mihi Stichus aut Pamphilus legati fuissent duorum testamentis, & Stichum ex testamento consecutus fuissem: ex altero Pamphilum petere possum:quia etsi uno testamẽto Stichus aut Pamphilus legati fuissent,& Stichus ex causa lucratiua meus factus fuisset, nihilominus Pamphilum petere possem. *Concordat l.huiusmodi.81.§.antepenult.ff.eod.tt.his uerbis*: Si Titio Stichus aut Pamphilus,utrum eorũ malit,legatus sit,deinde Pamphilũ testator Titio donauerit: Stichus in obligatione manet. *Nona exceptio est: Nisi non certa species, sed summa uel quantitas aut genus sit legatum. Hæc exceptio approbatur l.planè.34.§.1.ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.7.reg.12. Exemplum huius exceptionis proponitur l.Titia.89. in prin. ff. de leg.2. his uerbis*: Titia Seio testeram frumentariã comparari uoluit post diem tricesimum à morte ipsius. quæro,cum Seius uiua testatrice testeram frumentariam ex causa lucratiua habere cœperit, nec possit id quod habet petere,an ei actio competat? Paulus respondit,ei de quo quęritur,precium testeræ præstandum: quoniã tale fideicommiſſum magis in quantitate,quàm in corpore cõsistat. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi testator uiuus rẽ eius generis soluit. Quæ replicatio approbatur l.Seia. 6.in prin.ff.de auro legato,his uerbis*: Seia ab hærede Publio Mæuio ita legauit, Antoniæ Tertyllæ do lego auri pondo tot, & unionẽ cum hyacinthis.postea unionem soluit,neque ullum mortis tempore inter ornamenta sua unionem reliquit. quæro, an hæres ex causa fideicommiſsi æstimationem rei, quæ in hæreditate non est,præstare debeat? Marcellus respondit, non debere. *Decima exceptio est:Nisi in duplum defunctus legatum legatario præstari uoluit. Hæc exceptio approbatur l.planè. 34.§.1.ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ.lib.proxim.cap.7. reg.12. Concordat l.nutu.21.§.1.ibi:nisi defunctus. ff. de leg.3.cuius uerba uide ẽ.ead.causa,in prin. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi certa species, non genus uel summa sit relicta. Quæ replicatio cõstat ex ijs quæ dicentur ẽ.d.reg.12. eiusq; exemplum proponitur l.impuberem.90.§.impuberem.ff.de leg.2.his uerbis*: Impuberem filium hæredem instituit: uxori dotem relegauit, item ornamenta & seruos & aureos decẽ: & si impubes decesſisset, substituit, à quibus ita legauit: Quæcunque primis tabulis dedi, eadem omnia ab hæredibus quoque hæredis mei in duplum dari uolo.quæritur,an ex substitutione impubere mortuo dos quoque iterum debeatur? Respondit Scæuola, non uideri de dotis legato duplicando testatorem sensiſse. Item quæro, cum corpora legata etiamnum ex lucratiua causa possideantur, an à substitutis peti possint? Respondit, nõ posse. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi certa ſpecie legata, testator precium quoq; eius præstari uoluit. tunc enim & res & precium eius debetur. Quæ duplicatio approbatur l.nutu.21.§.1. ff. de leg.3. cuius uerba uide ẽ.ead.causa,in prin. Vndecima exceptio est: Nisi non legatario, sed seruo eius res sit donata. Hæc exceptio approbatur l.si seruus.105.§.1.ff. de leg.1. his uerbis*: Si id quod ex testamento mihi debes,quilibet alius seruo meo donauerit:manebit adhuc mihi ex testamento actio, & maximè si ignorem meam factã esse: alioquin consequens erit, ut etiamsi tu ipse seruo meo donaueris eam, inuito me liberis:quod nullo modo recipiendum est, quando ne solutione quidem inuito me facta liberęris. *Duodecima exceptio est: Nisi precium rei,non ipsam rem ex una causa legatarius percepit: tunc enim ex causa legati ad rem præstandam illi supereſt actio. Hæc exceptio approbatur Instit.de legatis.§.si res aliena,in fine, his uerbis*: Si ex duobus testamẽtis eadem res eidem debeatur, interest utrum rem,an æstimationem ex testamento consecutus est. Nam si rem habet, agere nõ potest,quia habet eam ex causa lucratiua: si æstimationem,agere potest. *Concordat l.planè.34.§.1.ff.de leg.1. his uerbus*: Si eadẽ res sæpius legetur in eodem testamẽto,amplius quàm semel peti non potest, sufficitq; uel rem consequi,uel rei æstimationem:sed si duorum testamentis mihi eadem res legata est, bis petere potero, ut ex altero testamento rẽ consequar,ex altero æstimationẽ. *Huius exceptionis replicatio prima est:Nisi eadem res eidem debeatur ex testamento defuncti,& ex testamẽto hæredis. tunc enim, si ex uno testamento accepit rei precium, ex altero testamẽto rem persequi non potest. Quæ replicatio approbatur l.huiusmodi.81. §.1. ff. de leg.1.his uerbis*: Si Sempronius Titium hæredem instituerit, & ab eo post biennium fundum dare iusserit Mæuio, Titius deinde ab hærede suo eundem fundum Mæuio præsente die legauerit,& Mæuius precium fundi ab hærede Titij acceperit:si ex testamento Sempronij fundum petere uelit, exceptione repelli poterit,si precio fundi cõtentus nõ erit. *Secunda replicatio est:Nisi ab eodem testatore eidem bis eadem res fuerit relicta.tunc enim, si semel æstimationem consecutus est,ex alia causa rem ipsam persequi non potest. Quæ replicatio approbatur l.si tibi.83. §.1. ff. de leg.1. his uerbis*: Si testa-

mento Stichus ab uno hærede legatus fuerit Męuio,& eidem codicillis idem Stichus ab omnibus hæredibus,& antequam codicilli aperirẽtur,Mæuius litis æstimationem consecutus fuerit:ipso iure uindicari ex codicillis non potest:quia testator semel legatum ad eum peruenire uoluit. *Tertia replicatio est: Nisi testator ipse uel hæres precium rei legatæ legatario soluit. Hæc replicatio approbatur l.Lucius.22.ff.de leg.2.his uerbis:* Lucius Titius in testamento suo P.Mæuio militiam suam reliquit, siue pecuniam, quæcunque redigi ex uenditione eius potuerit, cum suis commodis: sed cum superuixisset testamento L.Titius, militiam condidit, & precium exegit, & hoc dedit ei cui militiam illam uel precium eius testamẽto dari uoluerat.post mortem Lucij Titij iterum Publius Męuius uel militiam, uel precium eius ab hæredibus Lucij Titij exigebat.Celsus: Existimo precium militiæ præstari non oportere,nisi legatarius ostenderit testatorem & post factã solutionem iterum eum precium militiæ accipere uoluisse. Quòd si non totum precium militiæ, sed partem uiuus testator legatario dedit:reliqui superesse exactionem, nisi hæres ab hoc recessisse testatorem ostenderit. Onus enim probandi mutatam esse uoluntatem defuncti, ad eum pertinet, qui fideicommissum recusat. *Hæc de quinquagesimaseptima legati amittendi causa, eiusq; exceptionibus sint dicta.*

DE RELIQVIS CAVsis amittendi legati.
Cap. XII.

HActenus *quatuor genera causarum,ex quibus legata utiliter data,irrita fiunt & extinguuntur,cum suis speciebus & exceptionibus proposita sunt: sequuntur in hoc Capite reliquæ amittendi legati causæ.*

LVIII. *Causa: Si legatum solutum sit,extinguitur legati actio. Quæ causa sine cuiusquam contradictione regulariter quidem uera & iusta est: sed habet suas exceptiones, quarum prima hæc est: Nisi non debito loco soluit uel obtulit. Hæc exceptio constat ex ijs quæ dicta sunt ĩ.lib.48.cap.10.except.32.in prin. Planè debitus locus regulariter is est,ubi res est. Quæ regula approbatur l.quod legatur.38.in prin.ff.de iudicijs, hisce uerbis:* Quod legatur, siquidem personalem actionem exigatur,ibi dari debet,ubi est, nisi dolo malo hæredis subductum fuerit: tunc enim ibi dari debet, ubi petitur. Si autem per in rem actionem legatum petatur,etiam ibi peti debet,ubi res est. *Huius regulæ exceptio prima hæc est:Nisi facto hæredis aliò sit translatum. Quæ exceptio constat ex uerbis paulo antè propositis hisce:* Nisi dolo malo hęredis subductum fuerit: tunc enim ibi dari debet, ubi petitur. *Concordat l.cum res.47.in prim.ibi:sed si alibi.ff.de leg.1. cuius uerba uide ĩ.proximè. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi sine dolo malo hæres aliò transtulit. Quæ replicatio approbatur d.uerf.sed si alibi, his uerbis:* Sed si alibi relicta est, aliò autem ab hærede translata dolo malo,nisi ibi præstetur,ubi petitur,hæres condemnabitur doli sui nomine: cæterùm si sine dolo,ibi præstabitur, quò transtulit. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi testator alibi rem præstari uoluit. Quæ exceptio approbatur d.l.cùm res.47.in principio.ibi:sed si res.ff.de leg.1.his uerbis:* Sed si res alibi sit, quàm ubi petitur,primùm quidem constat, ibi esse præstandam,ubi relicta est, nisi alibi testator uoluerit. nam si alibi uoluit,ibi præstanda est, ubi testator uoluit, uel ubi uerisimile est eũ uoluisse : & ita Iulianus scripsit, tam in proprijs, quàm in alienis legatis. *Ait Iurisconsultus:* Vel ubi uerisimile est eum uoluisse. *Hæc duo exempla proponuntur l.sed & si.52.ş.si libertis,cum sequenti.ff.de iudicijs. cuius uerba proponentur ĩ.lib.prox. cap.1. quæst.2.except.2. Tertia propositæ regulæ exceptio est : Nisi non certum corpus legatum sit. Hæc exceptio approbatur d.l.47.in prin. ibi:sed si id petatur, his uerbis:* Sed si id petatur, quod pondere,numero, mensura continetur: siquidem certum corpus legatum est, ueluti frumẽtum ex illo horreo , uel uinum ex apotheca illa: ibi præstabitur, ubi relictũ est, nisi alia mens fuerit testantis: sin uerò non fuerit certa species,ibi erit præstãdum, ubi petitur. *Concordat l.quod legatur.38.ş.præterea.ff.de iudicijs, his uerbis:* Quod pondere, aut numero,aut mensura cõtinetur,ibi dari debet, ubi petitur: nisi adiectum fuerit, Centum modios ex illo horreo,aut uini amphoras ex illo dolio. *Concordat item l.1.ff.de annuis legatis , hisce uerbis:* Cum in annos singulos quid legatũ sit, neque adscriptum quo loco detur: quocunque loco petetur, dari debet, ficuti ex stipulatu aut nomine facto peteretur. *Propositæ exceptionis replicatio est: Nisi alibi maior sit pars hæreditatis: tunc enim ibi,ubi petitur fideicommissum , hæres ad præstationem non est compellendus. Quæ replicatio approbatur l.si fideicommissum.50.in principio.ff.de iudicijs. de qua re uide ĩ.lib.prox.cap.1.quæst.2. Quarta exceptio est: Nisi rogatus consenserit alio loco dari. Hæc exceptio approbatur l.quamuis.51. ff. de iudicijs , hisce uerbis:* Sed & diui Seuerus & Antoninus rescripsẽrunt, Si consenserint hæredes alio loco dari, necesse habere secundum consensum dare, ubi consenserint. *Plura de regula proposita uide ĩ.lib.48.cap.10.except.32. Secunda propositæ causæ exceptio est: Nisi non debito tempore soluit. Hæc exceptio approbatur l.cum res.47.in prin. ff.de leg.1.his uerbis:* Cum res legata est, siquidem propria fuerit testatoris , & copiã eius habet

habet hæres, moram facere non debet, sed eam præstare absque mora:qua interceden te, uiuras & omnem utilitatem præstandam, Sabinus ait. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi tempus ad soluendum hæres petat. Quæ replicatio approbatur l.si domus.70.ş.in pecunia. ff. de leg.1.hũ uerbis:* In pecunia legata consitenti hæredi modicum tempus ad solutionem dandum est, nec urgendus ad suscipiẽdum iudicium: quod quidem tempus ex bono & æquo prætorem obseruare oportebit. *Tertia propositæ causæ exceptio hæc est: Nisi ante tempus sit solutum. De hac exceptione uide ĩ.lib.48. cap.10.except.33. Quarta exceptio est: Nisi non solidum sit solutum. Huius exceptionis exemplum proponitur l.Lucius.78.ş.fin.ff.ad senatusconf.Trebell.his uerbis:* Hæres eius qui post mortem suam rogatus erat uniuersam hæreditatem restituere, minimam quantitatem, quam solam in bonis fuisse dicebat, his quibus fideicommissum debebatur , restituit: postea repertis instrumentis apparuit quadruplo amplius in hæreditate fuisse. quæsitum est, an in reliquum fideicommissi nomine conueniri possit ? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur,si nõ transactum esset, posse. *Concordat l.cum pater. 79.ş.pater certum. ff. de leg.2. cuius uerba uide ĩ.lib. 15.cap.7.reg.6. except.2. Quinta exceptio est: Nisi rei in solutum datæ aliquid iuris desit, uel deterior sit soluta. Hæc exceptio approbatur l.Mæuius.68.ş.iunio. ff. de leg.2. cuius uerba uide ĩ.lib.prox. cap.1. reg. 17.except.4. Huius exemplum proponitur l.huiusmodi.81.ş.ædes. ff.de leg.1. his uerbis:* Aedes quibus hæredis ædes seruiebant, legatæ sunt, & traditæ legatario, non imposita seruitute: dixi, posse legatarium testamento agere: quia non plenum legatum accepisset. nam & eum qui debilitatum ab hærede seruum accepisset, rectè ex testamento agere. *Aliud exemplum proponitur l.si imag.13. ff.de auro legato , his uerbis:* Si imaginem legatam hæres derasit, & tabulam soluit, potest dici, actionem ex testamento durare: quia imaginis legatum , non tabulæ fuit. *Aliud exemplum proponitur l.si seruus.105. ş.si seruus legatus. ff. de leg.1. cuius uerba uide ş. causa 15. except. 3.in fine. Sexta exceptio est : Nisi eadem res sæpius sit legata. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.planè ubi.34.ş.1. ff. de leg.1. cuius uerba uide suprà cap.prox.in fine.Sed et de exceptione proposita uide ş.cap.prox. causa 57.cum suis exceptionibus.item ĩ.lib.proxim. cap.7. reg.12. Septima exceptio est : Nisi cum ita res esset legata , ut si eam perdidisset, rursus ei legatum esset,rem in solutum datam legatarius perdiderit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.fideicommissa.11.ş.si quis alicui. ff. de legatis 3. his uerbis:* Si quis alicui decem per fideicommissum reliquerit, & si perdidisset: id quod testamento relictum est, rursus ei reliquerit: quærebatur,an sequens fideicommissum ualeat? uel an exigere hęres debeat cautionem salua fore decem, ne cogatur ad præstationem? & an, si sæpius perdidisset, sæpius ei sarciatur fideicommissum ? diuus Pius rescripsit, neque cautionem exigendam , & non amplius quàm semel, postquam perdidisset, præstandum : non enim onerandus est hæres, ut in infinitum, quoties perdiderit, restituere ei tantundem debeat, sed ut per fideicommissum posterius duplicata ei legata uideantur; nec amplius ad periculum hæredis pertineat, si quid postea is consumpserit,exoluto & posteriore fideicommisso. *Concordat l.v.ş.si cui sit.ff.ut legator.seu fideicommiss.seru. causa caueatur . cuius uerba uide ĩ. lib.proxim. cap.11. except.17. Octaua exceptio est: Nisi in annos uel mẽses singulos sit legatum : tunc enim una solutio non liberat à sequentibus annis.de quo ĩ.de annuis legatis. Nona exceptio est: Nisi ex reditu fructuum sextam partem legauerit: tunc enim idem est,ac si in annos singulos esset legatum.Quæ exceptio approbatur l. defuncta. 58. ş.Sempronio. ff.de usufructu, & quemad. cuius uerba uide infrà lib.34. cap. 8. memb.3. specie 7. Decima exceptio est: Nisi res in solutum data sit euicta.De hac exceptione uide ş.cap.2.regula 4. Sed & plures propositæ causæ exceptiones uide ĩ. lib. 48.cap.6.cum sequẽtibus. Possunt insuper quædam exceptiones ş.causæ proximæ,hic quoq; nõ incepte repeti.*

LIX. *Causa : Si hæres uel rogatus debitum pro legatario soluit. Hæc causa approbatur per ea quæ habentur ĩ.lib.48.cap.6.& 7.*

LX. *Causa : Si rogatus pro legataria dotem dederit. Hæc causa reprobatur l.uxorem.39.ş.pater. ff.de leg.3.his uerbis:* Pater naturalis filiæ suæ ex testamento mariti eius fidei commissi debitor,cum ea mulier nuberet alij,non mandatu mulieris dotem marito eius dedit, & sibi reddi eam stipulatus est, si sine liberis filia moreretur.filiam mulier suscepit.quęsitum est,an fideicommissum à patre exigere possit?Respondit Scęuola:Si nec ratam habuisset dotem datam, superesse fideicommissi petitionem. Item quæsitum est,an si pater accepto facere stipulationem uelit, mulieri persecutio fideicommissi deneganda sit? Respõdit suprà responsum: eumq; patrem, de quo quæreretur,si ita dedisset, ut mulier ratum haberet,posse condicere.

LXI. *Causa : Si causa legati non sit secuta,uel modus non impletus. Hæc causa approbatur exemplo l. Titio.69.ş.Titio genero.ff.de condit.& demonstr.his uerbis:* Titio genero meo hæres meus dotis Seiæ filiæ meę nomine centum dato.ante nuptias Titio uel muliere defunctis,legatum apud hæredem manet:quòd si nolit eã uxorem ducere,causæ legati(quod ad mulieris

lieris personam attinet) satisfactum intelligitur, sed Titio legatum petenti nocebit exceptio doli. *Concordat d.§.Titio.ibi:nam etsi quis. cuius uerba uide ĵ.lib.proxim.cap.1.quæst.3.reg.3. Huius etiam causæ exemplum seu simile est: Si is cui legatum est, modum legato adiectum nõ impleuerit. de quo dictum ſ.cauſ.15. Sed & ad implendum modum legatarius potest cogi: de quo dictum ſ.cap.2.reg.11. Item aliud propositæ causæ exemplum est: Si cum testator aliquem debitoris sui hæredem fore putaret, legauit ei ita, ne petat, sed compenset legatum cum eo quod testatori tanquam debitoris hæres debiturus sit: legatarius postea debitoris hæreditatem non adeat, sed legatum.* Quod exemplum proponitur *l.fideicommissa.11.§. itẽ si quis certam. ff. de leg.3. his uerbis*: Si quis certam quantitatem cui reliquerit, & addiderit, facilius hanc summam posse compensari: cũ debitor sit fideicommissarius ex causa hæreditatis Caij Seij, nec uelit ille adire hæreditatem Caij Seij, sed petat fideicõmissum: Imperator noster contra uoluntatem eum testantis petere fideicommissum rescripsit, cum in fideicommissis præcipuè spectanda seruandaq; sit testatoris uoluntas.

LXII. *Causa: Si causa, seu onus legato adiunctum, ad alium à testatore sit translatum. Hæc causa approbatur exemplo l.alumnæ.30.§.Seia. ff. de adimend.leg. cuius uerba uide ſ.cap.9.causa 15.except.9. Huic simile est: Si causa seu onus sit finitum. quod tamen reprobatur l.generali.32.§.duas. ff. de usufruct.legat. cuius uerba uide suprà libro 24. cap. 2. causa 20. exception.1. Plura de hac re uide ĵ. libro 34. cap.7. condit. 5.except.4.*

LXIII. *Causa: Si conditio legati defecerit. De hac causa dicetur ĵ.lib.34.cap.5.& 6.*

LXIIII. *Causa: Si testamentum, in quo legatum relictum est, ruptum sit, uel irritum factum. De hac causa dictum est ſ.cap.6.except.85.*

LXV. *Causa: Si testamentum falsum dicatur. Hæc causa reprobatur, certa tamen conditione, l. si testam. 6. in princip. ff. de petit.hæred. his uerbis*: Si testamentum falsum esse dicatur, & ex eo legatum petatur: uel præstandum est oblata cautione, uel quærendum an debeatur. *Concordat l.si in fraudem.9. C. de legatis, hisce uerbis*: Si in fraudem eorum quę testamẽto relicta sunt, admissus est accusator, qui testamẽtum falsum diceret: Præses prouinciæ secundum iurisdictionis formam solui legata iubebit, interposita cautione, si euicta fuerit hæreditas, ea restituturum: quamuis alias cautioni tunc locus sit, cum sine controuersia legata soluuntur.

LXVI. *Causa: Si testamentum sit amissum. Hæc causa reprobatur l.1.§.sed consulto. ff. de his quæ in testamento delentur, his uerbis*: Etsi totum testamentum non extet, constat ualere omnia quæ in eo scripta sunt.

LXVII. *Causa: Si ex testamento hæreditas non sit adita, uel contra testamentum iudicatum. uide ſ.causa 42.except.1.repl.6. Inter huius causæ exceptiones, quæ suprà d.replic.6. propositæ sunt, numeratur & hæc: Nisi hæres institutus omissa causa testamenti, ab intestato petierit hæreditatem: tunc enim nihilominus debetur legatum, ut infrà dicetur. Secunda causæ propositæ exceptio est: Nisi contra tabulas bonorum possessio sit petita. tunc enim, quibusdam exceptis personis, nihilominus legata debentur: de quibus infrà etiam suo loco dicetur. Tertia exceptio est: Nisi hæres sua culpa, uel per iniuriam iudicis hæreditatem amiserit. Hæc exceptio approbatur l.si seruus. 50. §.1. ff. de legat.1. his uerbis*: Si hereditatis iudex contra heredem pronunciauerit, non agentem causam, uel luſoriè agentem, nihil hoc nocebit legatarijs. quid ergo, si per iniuriam fuerit pronunciatum, non tamen prouocauerit? Iniuria ei facta non nocebit legatarijs, ut & Sabinus significat. si tamen secundum substitutum pronunciet, an ille legatarijs teneatur, uideamus? & cum ius facit hæc pronũciatio, quod attinet ad ipsius personam, nunquid legatarijs teneatur? nec enim tam improbè causari potest, secundum se iudicatum per gratiam. respondebit igitur & legatarijs, ut creditoribus. Si quis ante quæstionem de familia habitam, adierit hæreditatem, uel necem testatoris non defenderit: legatorum persecutio aduersus fiscum locũ habet. quid tamen, si fiscus bona non agnoscat? ex necessitate redundabit onus legatorum ad heredem. Sed si subiecit delatorem sibi, ut eius hæreditas adiudicaretur, & onera ribus careret, uel minus plenè defendit causam: non se exonerat exemplo eius, qui collusoriè de hæreditate litigauit. *Concordat l.si prolusorio.14. §.quoties. ff. de appellationibus, his uerbis*: Quoties hærede non respondente, secundum aduersarium sententia datur: rescriptum est, nihil nocere neq; legatis, neque libertatibus. Et hoc diuorum fratrum epistola continetur ad Domitium, in hæc uerba: Quod absente, &c. *Reliqua uide ſ.lib. 8.cap.3.exception.10. Quarta exceptio est: Nisi ad fiscum hæreditas peruenerit. Hæc exceptio approbatur l. quidam. 93. §. quoties. ff. de legat.1. his uerbis*: Quoties lege Iulia bona uacantia ad fiscum pertinent, & legata & fideicommissa præstantur, quæ præstare cogeretur hæres, à quo relicta erant. *De hac exceptione uide plura ſ.cauſ.42.except.1.exempl.6. item d.except.1. replicat.6.*

LXVIII. *Causa: Si hæreditas non sit soluendo. Hæc causa approbatur l.etsi.16. ibi: nam cum. ff. de mortis causa donat. his uerbis*: Legata ex testamento eius qui soluendo non fuerit, omnimodò inutilia sunt. *Concordat l.si hæres.68. ibi quãuis. ff. ad S.C. Trebell. his uerbis*: Cùm summa aut certum corpus per fideicommissum ab eo quî

eo qui soluendo non fuit, datum est, perinde non debetur, atque si legatum esset: eo enim casu legatarij uice fungi eum, cui fideicommissum est. *Concordat item l.successe.16. C. ad l.Falcidiam, his uerbis*: Successores legata uel fideicommissa (si æs alienum hæreditarium defuncti substantię fines occupauerit) Falcidiæ legis iusio peti, item Trebelliani senatusconsulti præceptum exigi non concedit. *Item concordat l.si uniuersæ.15. C. de legatis, hisce uerbis*: Si uniuersæ facultates, quas pater uester reliquit, debito fiscali aut priuato absumuntur: nihil ex eis quæ ex testamento eius adscripta sunt, ualere potest. Quòd si deducto debito, in relictis bonis superfluum est: libertates impediri iuris ratio non permittit, quando etiam legata, necnon fideicommissa, salua lege Falcidia præstanda sunt. *Concordat l.scimus.22.§.etsi præfatum. ibi: sin uerò creditores. C. de iure deliberandi. cuius uerba uide ſ.cap.2.regula 14. exception.6. Concordat item l. in testamento.12. in fine. C. de testam. militis. cuius uerba uide ĵ.lib.34.cap.1.except.1. Ait Imperator*: Quando etiam legata, necnon fideicommissa, salua lege Falcidia præstanda sunt, si deducto debito in relictis bonis superfluum est. *Hisce uerbis prima aduersus causam propositam exceptio approbatur, hæc scilicet: Nisi aliquid deducto ære alieno in hæreditate supersit. Ex eo enim legata & fideicõmissa sunt præstanda. Cuius exceptionis elegans proponitur exemplum l. quærebatur. 81. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Quærebatur, cum is qui solùm in nomine quadringenta in bonis habebat, ipsi debitori liberationem, Seiæ autem quadringenta legauerit: si debitor uel soluendo non sit, uel centum facere possit, quantum quisque habeat interuentu legis Falcidiæ? Vlpianus decebat, legem Falcidiam ex eo quod refici ex hereditate posset, quartam hæredi tribuere, residuum dodrantem inter legatarios distribuere. Quare cum nomen minus soluendo est, in hæreditate eius quod exigi potest, pro rata fit distributio: residui uenditio facienda est, utid demum in hæreditate computetur, quanti nomen distrahi potest, &c. *Reliqua huius legis uerba uide ĵ.lib.34.cap.1.except.16. Sed & in eadem lege sequuntur uerba huc pertinentia, hæc nimirum*: Cum igitur debitor sibi soluendo est, eueniet ut si hærede aliquo instituto, ipsi debitori liberatio, & alij quadringenta legata sint: si quidem soluendo sit debitor, centum quinquaginta ex trecentis retineat, alia centũ quinquaginta legatario præstentur, hæres centum habeat: sin uerò centum tantùm facere possit, hæredi ex refecto quarta seruanda est. sic fiet, ut centum quæ præstari possunt, in quatuor partes diuidantur: tres partes ferant legatarij, hæres uigintiquinque habeat. debitor qui soluendo non est, secũ centum quinquaginta compenset: de residuis centum quinquaginta, quæ exigi non possunt, uenditio fiet nominis: idque quasi solum in bonis fuerit, repræsentatur. quòd si nihil debitor facere potest, æquè in centũ quinquaginta accepto liberandum esse, de residuo conditionem nominis faciendam, Neratius ait: quod & nos probamus. *Ex his quæ iam proposita sunt constat, si hæreditas non in totum sit soluendo, eius quod in ea inuenitur, quartam partem hæredi deberi, ex reliquo legatarijs singulis pro rata portione satisfaciendum. Interdum tamen euenit, ut quibuſdam legatarijs solida legata sint præstanda: quibuſdam uerò uel nihil, uel admodum parum. Cuius primum exemplũ proponitur l. Nesennius. 22.§. seruo hærede. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Seruo hærede instituto, si à domino fideicommissa, à seruo legata data sint: prius ratio legatorum habenda est, deinde ex eo quod supereſt fideicommissorum. dominus enim ideo tenetur, quòd ad eum peruenit: peruenit autem quod deductis legatis supereſt, planè Falcidiam exercet. *Secundum exemplum proponitur d.§. seruo hærede. ibi: sed etsi dominus, his uerbis*: Sed etsi dominus omissa hæreditatis aditione, seruum sibi substitutum adire iusserit: prius erogantur quæ ab ipso domino data sunt: tunc eorum quæ à seruo relicta sunt, ratio initur, si patitur Falcidia. *Tertium exemplum proponitur l. quia autem. 6. in princip. ff. si quis omissa causa testam. cuius uerba uide ĵ. lib. proxim. cap.14. except.3. Quartum exemplum proponitur l.si post.17. ff. ad l. Falcidiam. cuius uerba uide ĵ.lib.34.cap.1.except.1.replicat.2. Hæc de prima propositæ causæ exceptione sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi hæres hæreditatem, quæ soluendo non est, uendiderit. Hæc exceptio reprobatur l.si hæres.3. in princip. ff. ad l. Falcidiam. cuius uerba uide ĵ. libro 34. cap. 2.quæſt.5.reg.4.except.6 & 7. Tertia exceptio est: Nisi creditores hæreditarij debiti partem hæredi per pactũ remiserint. Et hæc exceptio reprobatur d.l.1.§. sed etsi. cuius uerba uide d.reg.4. except.8. Quarta exceptio est: Nisi hæreditas, non res aliqua specialis per fideicommissum sit relicta. Hæc exceptio approbatur l.si hæres.68. in prin. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide ĵ.lib.34.cap.3.quæſt.1.except.4. Hæc de 68. causa.*

LXIX. *Causa: Si hæredi de hæreditate moueatur controuersia. hoc casu legatario denegatur legati persecutio, nisi caueat euicta hæreditate legatum reddi. de qua re uide ĵ.lib.prox.cap.9.caut.4.*

LXX. *Causa: Si tempus ad quod legatum est, sit finitum. Hæc causa approbatur per ea quæ dicentur ĵ. libro proxim.cap.9. caut. 12. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi per hæredem steterit, quo minus legatum soluerit. Quæ exceptio approbatur l.si ususfr.6. ff. de usufructu legato, his uerbis*: Si usus fructus mihi in biennium cõtinuum à morte testatoris legatus sit, & per hæredem steterit,

lieris personam attinet) satisfactum intelligitur, sed Titio legatum petenti nocebit exceptio doli. *Concordat d.§.Titio.ibi:nam etsi quis. cuius uerba uide ff.lib.proxim.cap.1.quæst.3.reg.3.Huius etiam causæ exemplum seu simile est: Si is cui legatum est, modum legato adiectum nō implcuerit, de quo dictum ff.cauſ.15.Sed & ad implendum modum legatarius potest cogi: de quo dictum ff.cap.2.reg.11. Item aliud propositæ causæ exemplum est: Si cum testator aliquem debitoris sui hæredem fore putaret, legauit ei ita, ne petat, sed compenset legatum cum eo quod testatori tanquam debitoris hæres debiturus sit: legatarius postea debitoris hæreditatem non adeat, sed legatum. Quod exemplum proponitur l.fideicommissa.11.§. itē si quis certam. ff.de leg.3.his uerbis:* Si quis certam quantitatem cui reliquerit, & addiderit, facilius hanc summam posse compensari: cū debitor sit fideicommissarius ex causa hæreditatis Caij Seij, nec uelit ille adire hæreditatem Caij Seij, sed petat fideicōmissum: Imperator noster contra uoluntatem eum testantis petere fideicommissum rescripsit, cum in fideicommissis præcipuè spectanda seruandaq; sit testatoris uoluntas.

LXII. *Causa: Si causa, seu onus legato adiunctum, ad alium à testatore sit translatum. Hæc causa approbatur exemplo l.alumnæ.30.§.Scia. ff.de admend.leg. cuius uerba uide ff.cap.9.causa 15.except.9. Huic simile est: Si causa seu onus sit finitum. quod tamen reprobatur l.generali.32.§.duæs. ff.de usufruct.legat. cuius uerba uide suprà libro 24. cap. 2. causa 20. exception.1. Plura de hac re uide ff. libro 34.cap.7. condit. 5.except.4.*

LXIII. *Causa: Si conditio legati defecerit. De hac causa dicetur ff.lib.34.cap.5.& 6.*

LXIIII. *Causa: Si testamentum, in quo legatum relictum est, ruptum sit, uel irritum factum. De hac causa dictum est ff.cap.6.except.8.*

LXV. *Causa: Si testamentum falsum dicatur. Hæc causa reprobatur, certa tamen conditione, l. si testam. 6.in princip.ff.de petit.hæred.his uerbis:* Si testamentum falsum esse dicatur, & ex eo legatum petatur: uel præstandum est oblata cautione, uél quærendum an debeatur. *Concordat l.si in fraudem.9. C.de legatis, hisce uerbis:* Si in fraudem eorum quę testamēto relicta sunt, admissus est accusator, qui testamētum falsum diceret: Præses prouinciæ secundum iurisdictionis formam solui legata iubebit, interposita cautione, si euicta fuerit hæreditas, ea restituturum: quamuis alias cautioni tunc locus sit, cum sine controuersia legata soluuntur.

LXVI. *Causa: Si testamentum sit amissum. Hæc causa reprobatur l.1.§.sed consulto. ff.de his quæ in testamento delentur, his uerbis:* Etsi totum testamentum non extet, constat ualere omnia quæ in eo scripta sunt.

LXVII. *Causa: Si ex testamento hæreditas non sit adita, uel contra testamentum iudicatum. uide ff.causa 42.except.1.repl.6. Inter huius causæ exceptiones, quæ suprà d.replic.6. propositæ sunt, numeratur & hæc: Nisi hæres institutus omissa causa testamenti, ab intestato petierit hæreditatem: tunc enim nihilominus debetur legatum, ut infrà dicetur. Secunda causæ propositæ exceptio est: Nisi contra tabulas bonorum possessio sit petita. tunc enim, quibusdam exceptis personis, nihilominus legata debentur: de quibus infrà etiam suo loco dicetur. Tertia exceptio est: Nisi hæres sua culpa, uel per iniuriam iudicis hæreditatem amiserit. Hæc exceptio approbatur l.si seruus.50.§.1.ff. de legat.1.his uerbis:* Si hęreditatis iudex contra hęredem pronunciauerit, non agentem causam, uel luſoriè agentem, nihil hoc nocebit legatarijs. quid ergo, si per iniuriam fuerit pronunciatum, non tamen prouocauerit? Iniuria ei facta non nocebit legatarijs, ut & Sabinus significat. si tamen secundum subſtitutum pronunciet, an ille legatarijs teneatur, uideamus? & cum ius facit hæc pronūciatio, quod attinet ad ipsius personam, nunquid legatarijs tenetur? nec enim tam improbè causari potest, secundum se iudicatum per gratiam. respondebit igitur & legatarijs, ut creditoribus. Si quis ante quæſtionem de familia habitam, adierit hæreditatem, uel necem testatoris non defenderit: legatorum persecutio aduersus fiscum locū habet. quid tamen, si fiscus bona non agnoscat? ex necesitate redundabit onus legatorum ad hęredem. Sed si subiecit delatorem sibi, ut eius hæreditas adiudicaretur, & onerib⁹ careret, uel minus plenè defendit causam: non se exonerat exemplo eius, qui colluſoriè de hæreditate litigauit. *Concordat l.si proluſorio.14. §.quoties. ff.de appellationibus, his uerbis:* Quoties hærede non respondente, secundum aduersarium sententia datur: rescriptum est, nihil nocere neq; legatis, neque libertatibus. Et hoc diuorum fratrum epistola continetur ad Domitium, in hæc uerba: Quod absente, &c. *Reliqua uide ff.lib. 8.cap.3.exception.10. Quarta exceptio est: Nisi ad fiscum hæreditas peruenerit. Hæc exceptio approbatur l. quidam. 92. §. quoties. ff. de legat. 1. his uerbis:* Quoties lege Iulia bona uacantia ad fiscum pertinent, & legata & fideicommissa præstantur, quæ præstare cogeretur hæres, à quo relicta erant. *De hac exceptione uide plura ff.cauſ.42.except.1.exempl.6. item d.except. 1. replicat.6.*

LXVIII. *Causa: Si hæreditas non sit soluendo. Hæc causa approbatur l.etsi.16, ibi:nam cum. ff.de mortis causa donat. his uerbis:* Legata ex testamento eius qui soluendo non fuerit, omnimodò inutilia sunt. *Concordat l.si hæres.68.ibi:quāuis. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Cùm summa aut certum corpus per fideicommissum ab eo quī

eo qui soluendo non fuit, datum est, perinde non debetur, atque si legatum esset: eo enim casu legatarij uice fungi eum, cui fideicommissum est. *Concordat item l.successi.16. C.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Successores legata uel fideicommissa (si æs alienum hæreditarium defuncti subſtantię fines occupauerit) Falcidiæ legis iuſsio peti, item Trebelliani senatusconsulti præceptum exigi non concedit. *Item concordat l.si uniuerſæ.15.C.de legatis, hisce uerbis:* Si uniuerſæ facultates, quas pater ueſter reliquit, debito fiscali aut priuato absumuntur: nihil ex eis quæ ex testamento eius adscripta sunt, ualere potest. Quòd si deducto debito, in relictis bonis superfluum est: libertates impediri iuris ratio non permittit, quando etiam legata, nec non fideicommissa, salua lege Falcidia præstanda sunt. *Concordat l.scimus.22.§.etsi præfatum. ibi: sin uerò creditores. C.de iure deliberandi. cuius uerba uide ff.cap.2.regula 14. exception.6. Concordat item l. in testamento.12.in fine. C.de testam.militis. cuius uerba uide ff.lib.34.cap.1.except.1. Ait Imperator:* Quando etiam legata, nec non fideicommissa, salua lege Falcidia præstanda sunt, si deducto debito in relictis bonis superfluum est. *Hisce uerbis prima aduersus causam propositam exceptio approbatur, hæc scilicet: Nisi aliquid deducto ære alieno in hæreditate superſit. Ex eo enim legata & fideicō missa sunt præstanda. Cuius exceptionis elegans propositur exemplum l.quærebatur.81. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Quærebatur, cum is qui solùm in nomine quadringenta in bonis habebat, ipsi debitori liberationem, Seiæ autem quadringenta legauerit: si debitor uel soluendo non sit, uel centum facere possit, quantum quisque habeat interuentu legis Falcidiæ? Vlpianus decebat, legem Falcidiam ex eo quod refici ex hęreditate posſet, quantam hæredi tribuere, residuum dodrantem inter legatarios distribuere. Quare cum nomen minus soluendo est, in hæreditate eius quod exigi potest, pro rata fit distributio: residui uenditio facienda est, utid demum in hæreditate computetur, quanti nomen distrahi potest, &c. *Reliqua huius legis uerba uide ff.lib.34.cap.1.except.16. Sed & in eadem lege sequuntur uerba huc pertinentia, hæc nimirum:* Cum igitur debitor sibi soluendo est, eueniet ut si hærede aliquo inſtituto, ipsi debitori liberatio, & alij quadringenta legata sint: siquidem soluendo sit debitor, centum quinquaginta ex trecentis retineat, alia centū quinquaginta legatario præstentur, hæres centum habeat: sin uerò centum tantùm facere posſit, hæredi ex refecto quarta seruanda est. sic fiet, ut centum quæ præstari posſunt, in quatuor partes diuidantur: tres partes ferant legatarij, hæres unigintiquinque habeat. debitor qui soluendo non est, secū centum quinquaginta compenset: de reſiduis centum quinquaginta, quæ exigi non possunt, uenditio fiet nominis: idque quasi solum in bonis fuerit, repræsentatur. quòd si nihil debitor facere potest, æquè in centū quinquaginta acceptò liberandum esse, de residuo conditionem nominis faciendam, Neratius ait: quod & nos probamus. *Ex his quæ iam proposita sunt constat, si hæreditas non in totum sit soluendo, eius quod in ea inuenitur, quartam partem hæredi deberi, ex reliquo legatarijs singulis pro rata portione satisfaciendum. Interdum tamen euenit, ut quibuſdam legatarijs solida legata sint præstanda: quibuſdam uerò uel nihil, uel admodum parum. Cuius primum exemplū proponitur l.Neſennius. 22.§.seruo hærede. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Seruo hærede inſtituto, si à domino fideicommiſſa, à seruo legata data sint: prius ratio legatorum habenda est, deinde ex eo quod supereſt fideicommiſſorum. dominus enim ideo tenetur, quòd ad eum peruenit: peruenit autem quod deductis legatis supereſt. planè Falcidiam exercet. *Secundum exemplum proponitur d.§.seruo hærede. ibi: sed etsi dominus, his uerbis:* Sed etsi dominus omiſſa hæreditatis aditione, seruum sibi subſtitutum adire iuſsit: prius erogantur quæ ab ipso domino data sunt: tunc eorum quæ à seruo relicta sunt, ratio initur, si patitur Falcidia. *Tertium exemplum proponitur l. quia autem. 6. in principio. ff. si quis omiſſa causa testam. cuius uerba uide ff. proxim.cap.14.except.3. Quartum exemplum proponitur l.si post.17. ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ff.lib.34.cap.1.except.1.replicat.2. Hæc de prima propositæ causæ exceptione sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi hæres hæreditatem, quæ soluendo non est, uendiderit. Hæc exceptio reprobatur l.si hæres.3.in principio. ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ff. libro 34. cap. 2.quæſt.5.reg.4.except.6 & 7. Tertia exceptio est: Nisi creditores hæreditarij debiti partem hæredi per pactū remiſerint. Et hæc exceptio reprobatur d.l.3.§. ſed etsi. cuius uerba uide d.reg.4. except.8. Quarta exceptio est: Nisi hæreditas, non res aliqua ſpecialis per fideicommiſſum sit relicta. Hæc exceptio approbatur l.si hæres.68.in prin. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide ff.lib.34.cap.3.quæſt.1.except.4. Hæc de 68. causa.*

LXIX. *Causa: Si hæredi de hæreditate mouea⁊ tur controuerſia. hoc caſu legatario denegatur legati perſecutio, niſi caueat euicta hæreditate legatum reddi. de qua re uide ff.lib.prox.cap.9.caut.4.*

LXX. *Causa: Si tempus ad quod legatum est, sit finitum. Hæc causa approbatur per ea quæ dicentur ff. libro proxim.cap.9. caut. 12. Huius causæ exceptio prima hæc est: Niſi per hæredem ſteterit, quo minus legatum ſoluerit. Quæ exceptio approbatur l.si uſufr.6. ff.de uſufructu legato, his uerbis:* Si usus fructus mihi in biennium cōtinuum à morte testatoris legatus sit, & per hæredem ſteterit,

quo minus eum mihi daret: præterito biennio nihilominus tenetur: quemadmodum teneretur, si res legata in rerum natura esse desijsset, quam quis deberet, moratusq; esset in ea danda: ut peti quidem iam usus fructus, qui legatus sit, non possit (quia alius futurus sit, quàm qui legatus fuit) sed æstimatio eius bima duntaxat facienda sit. *Secunda exceptio est: Nisi cum in certæ conditionis euentum alicui legatum esset, conditio ista non in solidum sit impleta. Quæ exceptio distinguitur l.cui.30.in prin.ff.de usufructu legato. de quo cum alijs similibus uide ẜ. lib. 34.cap.5.membr.3.except.5.repl.1.dupl.1.tripl.1.*

RELIQVA DE AMISSIONE legatorum. Cap. XIII.

HActenus causæ, ex quibus legata utiliter data, irrita fiunt & amittuntur, cum suis exceptionibus sunt propositæ: nunc euentus amissionis legatorum persequendi, Ad quos scilicet legatum inutile & amissum deuoluatur: quid item, & quantum deuoluatur: qui deniq; amissionis ac deuolutionis sint effectus.

I. AD QVOS LEGATVM inutile & amissum seu extinctum deuoluatur?

Prima huius loci regula hæc est: Si ei legatum sit relictum, qui tempore facti testamenti in rerum natura nõ est, legatum apud eum à quo relictum est, remanet. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. unica. ẜ.in primo. C. de caducis tollendis. cuius uerba uide ẜ.causa 42.except.1.repl.2.

II. *Regula: Si seruo testatoris legatum sit, possidentis melior conditio est. Quæ regula approbatur l. Lucius. 90. ẜ. codicillis. ff. de legat.2. his uerbis:* Codicillis Caio Seio centum legauit, eiusque fidei cõmisit, ut ancillæ testatoris ea daret. quæro, an utile fideicommissum sit, quod legatarius ancillæ testatoris dare iussus est? Scęuola respondit, non esse. Itẽ si utile non est, an legatarius hæredi, cuius ancilla est, restituere compellatur? respondit, non cõpelli, sed nec ipsum legatarium legatum petere posse.

III. *Regula: Si uxor marito suo illegitimo quid legauerit, uel contrà maritus uxori illegitimæ: legatum ad fiscum pertinet. Quæ regula approbatur l.2.ẜ.item si quis. ff. de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ẜ.cap.3.except.20. Concordat l.Claudius.13. & l. mulierem.14.ff.eod.tt.de quibus d.except.20.uide.*

IIII. *Regula: Si is cui legatum relictum est, antequam dies legati cedat, mortuus sit, uel conditio legati deficiat: apud eum à quo relictum est, manet. Hæc regula approbatur l. unica. ẜ. sin autem aliquid. ibi: quòd si in medio. C. de caducis tollendis, hisce uerbis:* Quòd si in medio is qui ex testamento lucrum sortitus est, decedat, uel eo superstite conditio defecerit: hoc quod ideo non præualuit, manere disponimus simili modo apud eos, à quibus relictum est: nisi & hic uel substitutus relictum accipiat, uel coniunctus, siue hæres, siue legatarius hoc sibi adquirat: cum certi iuris sit, & in institutionibus & legatis & fideicommissis & mortis causa donationibus posse substitui. *Concordat d.l.unica. ẜ. & cum triplici. ibi: uel uiuo testatore, cum sequente ẜ. pro secundo, his uerbis:* Secundo uerò ordine ea quæ in ultimis elogijs relinquuntur, contingebat deficere, cùm uiuo testatore is qui aliquid ex testamento habuit, post testamentum ab hac luce subtrahebatur: uel ipsum relictum expirabat, fortè quadam conditione, sub qua relictum erat, deficiẽte: quod ueteres appellabant In causa caduci. Pro hoc secundo ordine, in quo ea uertuntur, quæ in casu caduci contingebant fieri: uetus ius corrigentes, sancimus, ea quę ita euenerint, simili quidem modo manere apud eos à quibus sunt derelicta, hæredes fortè, uel legatarios, uel alios qui fideicommisso grauari possunt: nisi & in hunc casum uel substitutus, uel coniunctus eos antecedat. *Concordat itẽ l.si quis.17. in prin.ff.de leg.2.cuius uerba uide ẜ.except.2. Concordat item l.Iulianus.62.ff.eod.tt. his uerbis:* Iulianus ait: Si à filio hærede legatum sit Seio, fideiq; eius commissum sub conditione, ut Titio daret, & Titius pendente conditione decesserit: fideicommissum deficiens apud Seium remanet, non ad filium hæredem pertinet: quia in fideicommissis potiorem causam habere eum, cuius fides electa sit, Senatus uoluit. *Concordat item l.pater.36.ẜ.Tusculanus.ff.de leg.3. his uerbis:* Tusculanus fidei eius cui duo milia solidorum legauerat, commisit in hæc uerba, A' te Petroni peto, uti ea duo milia solidorum reddas collegio cuiusdam templi. Quæsitum est, cum id collegium postea dissolutum sit: utrum legatum ad Petronium pertineat, an uerò apud hæredem remanere debeat? Scæuola: Respondi, Petronium iure petere, utique si per eum non stetit parêre defuncti uoluntati. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi is in cuius personã legatum deficit, substitutum uel coniunctum habeat. Quæ exceptio approbatur uerbis d. ẜ. quòd si in medio, ẜ. propositis hisce:* Nisi & hic uel substitutus relictum accipiat, uel coniunctus. *Concordat d. ẜ. pro secundo, uerbis ẜ. propositis hisce:* Nisi & in hunc casum, &c. *Huius exemplum proponitur l.libertis.4.in princip. ff.de alim.legatis. cuius uerba uide ẜ. lib.proxim. cap.3.reg.16.except.6. Sed & de hac re uide ẜ. libro proxim. capite 7. reg.25. exception.17. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi ministerium tantùm rogati defunctus*

ctus elegit. Quæ exceptio approbatur l.si quis.17.in prin.ff.de leg.2. his uerbis: Si quis Titio decem legauerit, & rogauerit, ut ea restituat Mæuio, Mæuiusque fuerit mortuus: Titij commodo cedit, non hæredis, nisi duntaxat ut ministrum Titium elegit. Idem est, & si ponas usumfructum legatum. *Concordat l.pecuniæ.8.in fine. ff. de alim. legatis. cuius uerba uide ẜ. reg.12. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi filiofamilias hærede instituto, pater rogatus sit ei post mortem suam hæreditatem restituere. tunc enim quamuis nõ ut hæres, sed ut pater ac minister rogatus sit, tamen filio mortuo ad patrem pertinet. Quæ replicatio approbatur l.cum filiofamil.11.ẜ.fin.ff.de leg.2. his uerbis:* Pater non ut hæres, sed ut pater rogari uidetur: & ideo si filio rogatus sit patet post mortem suam, quod ad le peruenit ex legato uel hæreditate filio relictis, restituere, isque uiuo patre decedat, omnimodò patrem id retenturum: quoniam fideicommissum ex persona patris sui uires acceperit. *Tertia exceptio est: Nisi principi legatum sit relictũ. Quæ exceptio approbatur l.quod principi.58.ff.de leg.2. his uerbis:* Quod principi relictũ est, qui antequàm dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione diui Antonini successori eius debetur. *Sed de hac re uide etiam ẜ.caus.10.except.6. Hæc de quarta regula.*

V. *Regula: Si hæreditas adita non sit, ad quem pertineat, definitur l.unica. ẜ.cum autem. C. de cad.tol. his uerbis:* Cum in superiore parte legis non aditam hæreditatem minimè, nisi quibusdam personis, ad hęredes defuncti transmitti disposuimus: necesse est, si quis solidam hæreditatem non adierit, hanc, si quidem habeat substitutum, ad eum (si uoluerit & potuerit) peruenire: quòd si hoc non sit, uel ab intestato successores eam accipiant: uel si nulli sunt, uel accipere nolunt, uel aliquo modo non capiunt, tunc ad nostrum ærarium deuoluatur.

VI. *Regula: Si hæres uel legatarius iussa testatoris non fecerit, ad quos tunc relictum pertineat, definitur Nouell.c.1.ẜ.principiò igitur. ibi: si quis autem, cum sequentibus, his uerbis:* Si quis, quod à testatore dispositum est, non impleat, sed dum quod iussus est facere recusat, decreto iudiciario admonitus per integrum annum ea quę honorato relicti nomine competunt extraxerit: siquidem ex illorum numero est, qui necessariò aliquid lege capiunt, in maiorem autem partem quàm lex requirit, hæres scriptus est: tantum capiat duntaxat, quantum illi in rationem trientis iure successionis ab intestato lex dari concedit: quod reliquum est, id totum auferatur: & siquidem alij hęredes scripti existunt, adcrescat illis pro ea parte quæ cuique institutione attributa est. Quòd si nemo alius hæres existat, aut qui scripti sunt hæreditatem fortè non adeunt, tunc quod aufertur, adijciatur reliquis rebus: neque non legatarijs, fideicommissarijs & seruis libertate donatis copia fiat adeundæ & adquirendæ eius hæreditatis, ut tamen modis omnibus imperata faciant, uidelicet cautione prius ab eis præstãda, prout uel rerum, uel personarum ratio admiserit, omnia se perceptis rebus facturos, quæ testatores rectè uoluerint. Enimuerò si nemo eorum, quorum in testamento habita est mentio, hoc est, neque cohæres, neque legatarius, neque fideicommissarius, neque seruus libertate donatus adire uoluerit: tũc post eũ qui scriptus quidẽ hæres, in legitimam uerò duntaxat partem per hanc legẽ conclusus est, ad alios quos ab intestato lex uocat, bona deferantur, ut consimiliter cautionem dent, se completuros quæ testamento sunt comprehensa. Inordinati autem uel confusi aliquid admitti, ne in hac quidem parte uolumus: sed ut quisquam post eum qui nostra iam lege exclusus est, prior ex ordine uocatur, ita & uocetur prior: postea qui eum sequitur, & deinceps, donec qui postremus relinquitur, locum faciat uel alicui externo adire uolenti, & relicta exequi, post quos etiam fiscum (si uoluerit) ponimus. Eundem etenim ordinem in legatarijs quoque ac fideicommissarijs esse uolumus, ut prius adeundi copia detur fideicommissario uniuersorũ bonorum, aut plures cum sunt, ei qui maiorẽ portionem habet: quãdoquidem imitatione propemodum hæres exitit, præsertim nobis imperitantibus, qui Pegasiani senatusconsulti ambages exosi explodentes q;, soli Trebelliano in huiusmodi fideicommissis locum dedimus. Quòd si uel nemo exiſtat, qui uniuersitate bonorum honoratus sit, uel is quod testator iussit exequi recusset, ad eos huiusmodi facultas transeat, qui maioribus specialibus legatis uel fideicommissis honorati sunt. Eoq; modo seruis etiam libertate donatis tempus & facultas dabitur adeundæ hæreditatis, & libertatis sine ulla interpellatione obtinendæ, & percipiendorum bonorum, & iussa testatoris perficiendi, cum caurione, ut prædiximus. Quòd si nemo legatarius uel fideicommissarius exiſtat, qui per uniuersitatem bonorum, aut etiam specialiter maiore portione uel legato honoratus sit, sed parem omnes fortunam obtineant: tunc ea ratione, quam antè exposuimus, item uniuersales fideicommissarij, aut qui ex illis quod præceptum est, uult exequi, cæteris præferantur. Reliqui uerò legatarij uel fideicommissarij, qui nihil inter se legato differunt,

ferunt, uel ad unum omnes, si uolent, uel quotquot ex illis uolent, uocentur. Si neque legatarius quisquam, neque fideicommissarius hoc in se receperit: damus facultatem seruis qui libertate donati sunt, ut eo ordine, quo dominus quemque nominauit, prærogatiuam inter se habeant. Atque hæc quidem omnia sancimus, ubi necessaria quædam datio in quempiam eorum, quibus natura aliquid ex testatoris ac defuncti successione debetur, subest. Si uerò nulla huiusmodi persona in institutionibus subsit, sed spontaneam liberalitatem testatoris in nouissima sua contulerit, deinde scriptus hæres intra tempus antè à nobis dictum imperata nõ faciat: auferantur illi quidem quæ relicta sunt, ut neque occasione Falcidiæ, neque ulla alia de causa quidquá possit capere. Similiter autem cum superioribus & ea obtineant, ut si quidem cohæredes adfuerint, hi ipsi uocentur: deinde ad fideicommissarios, & legatarios, & seruos, & omnes adeò, qui ab intestato succedunt, eo ordine, quem paulo antè adsignauimus, bona perueniant, ubique adnexo onere implendi ea quæ (ut prædiximus) testator legibus conformia præceperit. Si uerò institutio præterea substitutionem habuerit, nemini dubium, quin prius (si uelit) ad substitutum, qui ad legis præscriptum omnia legata præstet, bona peruentura sint: ficque illo non uolente, tunc secundum obseruationem à nobis dictam, ablata accedant cohæredibus, legatarijs, seruis, successoribus ab intestato, item extraneis, & fisco: qui per omnia legitimas defunctorum uoluntates exequantur. Propterea enim ad tam uaria successionum genera respeximus, ne cuius defuncti hæreditas non adita caduca fiat. Exhęredatos uerò liberos, si iustè à patre excluſi sint, nihilque ex uoluntate patris habeant, neque uocamus, neque admittimus, etiamsi plus millies uelint. Vna enim hæc est legum intentio, ut quæ defuncti constituerunt, impleantur. Eum enim, quem defunctus ipse à substantia sua abigit, quomodo iustum fuerit uocare ad res, quarum ille eum per exhæredationem, expresse cõtra ipsum factam, participem esse noluit? Quod uerò eam partem, quæ aufertur defuncti uoluntatem non implenti, prius ad substitutos, mox ad cohæredes, & exinde ad legatarios & fideicommissarios, necnon & seruos deduximus, eoq; pacto ad eos q ab intestato uocantur, & extraneos ac fiscũ deuenimus: non id absurdè, neque temerè, neque quò quenquam decorum latuerit, sed prouidẽtia quadam singulari, & ex sententia legis factum est, ut decursis primùm omnibus personis testamento comprehensis, tum demum ad successionem ab intestato, & exteros perueniremus. In omnibus autem casibus, in quibus, cum suprascripti uoluntatem testatoris non implent, personas uel ex testamento, uel ab intestato, uel etiam cæteros uocamus: permittimus uniuersis eiusmodi personis, ut & hæredes fiãt, & additionis, siue pro hærede gestionis (quę legis uocabula sunt) ius habeant, omniaq; ut hæredes gerant, siue conueniantur, siue alios conueniant: id quod propria authoritate uetustissimæ etiam leges præstabant, facientes hæredes eos, qui neque hæredes scripti fuerant, neque ab intestato ad hæreditatem uocabantur. His omnibus obtinentibus, etsi non ab hærede, sed à legatario uel fideicommissario, uel qui mortis causa quid percepit, dari quidquam fieriue testator uoluerit, eodem ordine seruato & ablatarum rerum occasione, ut à substituto quidem legatarij incipiat, desinat uerò in fiscum. *Hæc de sexta regula, fi scilicet rogatus ob id amittat legatum uel hæreditatem, quòd iussa testatoris non faciat, ad quem scilicet pertineat relictum.*

VII. *Regula: Si legatarius se à tutela excusauerit, legatum ab eo ad pupillum transfertur. Quæ regulæ approbatur l. si legatar. 25. in fine. C. de legatis, his uerbis*: Si legatarius, cui propter tutelam gerendam aliquid relictum sit, non subierit tutelam: ei quidẽ legatum aufertur, pupillo autem adsignatur, cui ille utilis esse noluit. *Concordat l. post legatum. 5. §. amittere, in fin. ff. de his quæ ut indig. & c. his uerbis*: Hoc legatum, quod tutori denegatur, nõ ad fiscum trãsfertur: sed filio relinquitur, cuius utilitates desertæ sunt.

VIII. *Regula: Si, cùm pecunia alicui esset legata, ut seruũ alienũ redimeret & manumitteret, dominus seruũ uendere nolit: rogatus pecuniam retinet. Quæ regula approbatur l. nõ tantũ. 50. §. si alienũ. ff. de fideicommissarijs libertatibus, his uerbis*: Si alienum seruũ quispiá rogatus fuerit manumittere, cum eĩ certa pecunia legata esset, ut emat eũ, & manumittat, & dominus nolit eum uendere: legatum retinet ex uoluntate defuncti.

IX. *Regula: Si seruum sibi legatum ut manumittat, iure manumittere non possit, seruus apud legatarium manet. Quæ regula approbatur l. si quis eum. 38. ff. de condit. & demonstr. cuius uerba uide* ſ. *causa 15. except. 1.*

X. *Regula: Si legatum seu fideicommissum sit ademptum, non remanet apud rogatum, sed pertinet ad hæredem. Quæ regula approbatur exemplo l. penult. §. matri. ff. de adimend. leg. his uerbis*: Matri suæ hæredi ex parte institutæ quatuor prædia legauit, & fidei eius commisit, ut ex his duo socero restitueret: deinde codicillis socero

socero ademit fideicommissum. quæsitum est, an nihilominus ex prælegatione ad matrem pertinerent? Respondit Scæuola, nihil proponi cur ad matrem pertinerent.

XI. *Regula: Si legatum ob id, quòd is cui relictum est, capere posse desierit, deficiat, remanet apud eum à quo relictum est. Quæ regula approbatur l. in fraudem. 10. §. si quis. ff. de his quæ ut indignis. cuius uerba uide* ſ. *causa 39. except. 2. in fine.*

XII. *Regula: Si quid superfluum remansit ex eo quod ad faciendum aliquid relictum est, uel ad erogandum, id ad eum qui rogatus est pertinet, non ad hæredem. Quæ regula approbatur exemplo l. pecuniæ. 8. in prin. ff. de alimentis legatis, hisce uerbis*: Pecuniæ sortem alimẽtis libertorum destinatam, unum ex hæredibus secundum uoluntatem defuncti præcipientem, cauere non esse cogendum, ex persona deficientium partes cohæredibus restitui, placuit. ob eam igitur speciem, post mortem omnium libertorum nec indebiti competet actio, nec utilis dabitur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ministerium tantùm eius qui rogatus est, defunctus elegerit. Quæ exceptio approbatur l. si quis. 17. in princip. ibi: nisi duntaxat. ff. de leg. 2. cuius uerba uide* ſ. *cod. cap. reg. 4. exception. 2. Secunda exceptio est: Nisi id quod faciendum est, momentanea opera perfici possit. Quæ exceptio approbatur exemplo d. l. 8. §. fin. his uerbis*: Diuersa causa est eius cui legatorum diuisio mandatur. nam ea res præsentem ac momentariam curam iniungit: alimentorum uerò præbendorum necessitas oneribus menstruis atque annuis, uerecundiam quoque pulsantibus, adstringitur. *Aliud exemplum proponitur l. Lucius. 90. §. 1. ff. de leg. 2. his uerbis*: Peto à te Titi, fideiq; tuæ commito, uti curam condendi corporis mei suscipias, & pro hoc decem aureos è medio præcipito. Quæro, an si Lucius Titius minus quàm decẽ aureos erogauerit, reliqua summa hæredibus proficiat? Respondit Scæuola, secundum ea quæ proponerentur, hæredum commodo proficere. *Tertia exceptio est: Nisi onus faciendi posteà testator à rogato ad alium trãstulit. Quæ exceptio approbatur l. alumno. 30. §. Seia. ff. de adim. leg. cuius uerba uide* ſ. *causa 15. except. 9. Quarta exceptio est: Nisi genus eius quod superfluum est, alij sit legatum. Quæ exceptio approbatur exẽplo l. fin. §. fin. ff. de auro legato, his uerbis*: Mulier decedens ornamenta legauerat ita, Seiæ amicæ meæ ornamenta uniuersa dari uolo. eodem testamento ita scripserat, Funerari me arbitrio uiri mei uolo, & inferri mihi quæcunque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & uiriolas ex smaragdis. sed neq; hæredes, neq; maritus, cum humi corpus daret, ea ornamenta, quæ corpori iussus erat adijcere, dederunt. quæsitum est, utrum ad eam, cui ornamẽta uniuersa reliquerat, pertineant, an ad hæredes? Respondit Scæuola, non ad hęredes, sed ad legatariam pertinere.

XIII. *Regula: Si in metallum damnatus sit is cui relictum est, non pertinet ad fiscum, sed manet apud hæredem. Quæ regula approbatur l. si in. 3. in prin. ff. de his quæ pro non scriptis, & c. his uerbis*: Si in metalum damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est, nec ad fiscũ pertinet. nam pœnę seruus est, non Cęsaris: & ita diuus Pius rescripsit. Sed etsi post testamentum factum hæres institutus uel legatarius in metallum damnatus sit, ad fiscum non pertinet.

XIIII. *Regula: Si legatarius testamentum impugnauit, & ob id legatum amisit, ad fiscum pertinet. Quæ regula approbatur l. post legatum. 5. §. si is cui. ff. de his quibus ut indignis, & c. hisce uerbis*: Si is cui rogatus sum legatum restituere, testamentum falsum dixerit, restituere id fisco debebo. *Concordat l. 2. in prin. ff. cod. tt. cuius uerba uide* ſ. *causa 17. in prin. Concordat item l. eius qui. 29. §. fin. ff. de iure fisci, his uerbis*: Eum qui falsum testamentum dixit, posse adire hæreditatem cõstat: sed denegatis ei actionibus, fisco locus erit. *Concordant & aliæ leges propositæ* ſ. *cap. 9. causa 17. in prin.*

XV. *Regula: Si testamentum celauit, & ob id quod ei relictum est amisit, fisco nõ debetur, sed hæredi. Quæ regula approbatur l. si uniuersæ. 25. in fine. C. de legatis. cuius uerba uide* ſ. *cap. 9. causa 19.*

XVI. *Regula: Si testatori maledixit, uel status controuersiam ei mouit is cui aliquid in testamento relictũ est, & ob id relictum est amissum, fisco locus est. Quæ regula approbatur l. si mimicitiæ. 9. in fine. ff. de his quæ ut indignis, & c. cuius uerba uide* ſ. *cap. 9. causa 23.*

XVII. *Regula: Si legatarius tacitam fidem accommodauit ad restituendum ei qui capere non potest, fisco defertur id quod ei relictum est. de quo uide* ſ. *cap. 9. causa 39.*

XVIII. *Regula: Si legatarius in testamento sibi legatum adscripsit, & substitutum habeat, ad substitutum pertinet. Quæ regula approbatur l. 1. in princip. ff. de his quæ pro non scriptis, & c. cuius uerba uide* ſ. *cap. 9. causa 38. in prin. Hæc de prima huius capitis quæstione, ad quos scilicet legatum inutile & amissum pertineat, dicta sint. Plura huius loci uide* ſ. *de iure adcrescendi. Planè uidetur eorum quæ hactenus proposita sunt, exceptio generalis esse talis*: Nisi non in testamento legatum sit, sed ab intestato relictum, uel mortis causa donatum. *Quæ tamen exceptio reprobatur l. unica. §. hæc autem omnia. C. de caduc. tollend. his uerbis*: Hæc omnia locum habere censemus, tam in testamentis, siue in scriptis, siue sine scriptis habitis, quàm in codicillis, & omni ultimo elogio, uel si quid ab intestato fuerit derelictum, necnon in mortis causa donationibus. *Nunc ad secundam quæstionem transeundum.*

II. QVID QVANTVM QVE amisso legato ad alium deuoluatur?

Huius loci regula prima hæc est, Quòd is qui legatum ex supradictis causis amissum restituere cogitur, etiam ad fructus restituendos teneatur. Quæ regula approbatur exemplis, quorum primum proponitur l. cum filius.78. §.qui Mutianam. ff. de leg.2. his uerbis: Qui Mutianam cautionem alicuius non faciẽdi causa interposuit,si postea fecerit,fructus quoq; legatorũ,quos in principio promitti necesse est,restituere debet. *Secundum exemplum proponitur l.hæredem.17. ff. de his quæ ut indignis,&c.hisce uerbis:* Hæredem qui sciens defuncti uindictam omisit,&insuper habuit fructus,omnes restituere cogendum existimaui, nec probè desideraturum actionẽ confusam restitui. *Concordat l.1.in prin. C. eod. tt. cuius uerba proponentur ȝ.reg.2. Huius exempli exceptio hæc est:* Nisi ignorantia facti defuncti uindictam omisit. *Quæ exceptio approbatur cum distinctione d.l.17.his uerbis:* Deceptum autem ignoratione facti, bonæ fidei possessoris defensionem habiturum (ante motam scilicet controuersiam) si ratio fructuum subducatur, nec improbè confusam actionem reddi postulaturum. *Tertium exemplum proponitur l. eum qui.18.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Eum qui tacitum fideicommissum in fraudem legis suscepit,eos quoque fructus, quos ante litem motam perceperit,restituere cogẽdum, respondit Papinianus (quòd bonæ fidei possessor fuisse non uideretur) exemplo bonorum fisco uindicatorum,&c. *Reliqua uerba uide ȝ. reg.prox. Quartũ exemplũ proponitur l. quidã.17.ff.usufr. legato. cuius uerba uide §.cap.2. reg.11. Quintum exemplum proponitur l. uxori. 27. ff. d. tt. de usufructu legato. cuius uerba uide §.cap.7. repl. 4. dupl.1.*

Secunda regula est,Quòd etiã usuræ rerum distractarum, uel pecuniæ acceptæ sint restituendæ. Quæ regula approbatur l.1.C.de his quibus ut indignis,&c. his uerbis: Hæredes,quos necem testatoris inultam omisisse cõstiterit,fructus integros cogunturreddere. Neque enim bonæ fidei possessores ante controuersiam illatam uidentur fuisse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt. Ex hæreditate autem rerum distractarum, uel à debitoribus acceptæ pecuniæ,post motam litem bonorum,usuras inferãt. Quod in fructibus quoque locum habere,quos in prædijs hæreditarijs inuentos, aut exinde perceptos uendiderit, procul dubio est: usuras autem semisses dependere satis est. *Concordat l.cũ quidam.17.§.in tacito.ff.de usuris,his uerbis:* In tacito fidecommisso omne emolumentũ hæredi auferendum,& fisco prestandum,diuus Pius rescripsit. Ergo & usurarũ emolumentũ auferetur hęredi. *Item l.eũ qui.18.in prin.ff.de his quæ ut indignis, &c. ubi Papinianus:* Post motam de tacito fideicommisso controuersiam anteè percepta fructuum precia cum usuris esse restituenda,respondi: sed & omniũ fructuum,quorum precia percepta fuerant. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi fructus non uenditerit:tunc enim nec usuræ fructuum debentur. Quæ exceptio approbatur d.l.18.in prin.his uerbis:* Quòd si fructus in usu habuisset,eorum precia tantùm restitui satis esse. *Planè regula proposita in usuris fructuum mutatur ac tollitur d. l. 18. in prin. his uerbis:* Sed diuus Seuerus bonorum tacitè relictorũ citra distinctionẽ temporis fructus duntaxat deberi,non etiam usuras eorum,benignè decreuit: quo iure utimur.

Tertia regula: Si seruus legatus sit,idq; legatum amittatur,quid et quantũ deuoluatur, definitur l.si tibi homo. 83.§.cum seruus. ff. de leg.1. cuius uerba uide §. cap.2.reg.1.except.2.

Quarta regula: Si ad plures legatum deuoluatur, quantum cuiq; debeatur,definitur l.unica.§.sed ut manifestetur.C.de caduc.tollen.his uerbis: Vt manifestetur, pro qua parte oportet manere hoc quod fuerit defectum,apud eos à quibus sit derelictum: sancimus,si quidem ad hęredes lucrum perueniat,pro parte hæreditaria fieri eius distributionem: cum & ab ipsis simili modo,si ualuisset,præstaretur: nisi nominatim ab uno uel certis hæredibus fuerit derelictum: tũc enim,quemadmodum solus uel soli præstabunt,ita & lucrum sentient. Sin autem legatarij uel fideicommissarij sint, uel mortis causa donatione honorati, uel alia fortè persona,quæ fideicommisso prægrauari possit, & hoc euanescat, manere hoc apud enumeratas personas sancimus pro uirili omnimodò portione, id est, pro numero personarum. *Concordat d.l.unica.§.in omnibus uidelicet.cuius uerba uide §.causa 42.except. 1.repl.2. Concordat item d.l.unica.§.in his itaq;. cuius uerba uide §.lib.28.cap.24.reg.1.in prin.*

III. EFFECTVS AMISSIOnis & deuolutionis legatorum.

Huius loci regula prima hæc est, Quòd is ad quem legatum deficiens peruenit,etiam onus isti legato annexum sustinere cogatur.de qua re dictum §.cap.10.causa 42.except.1.

Secunda regula,Quòd is cui hæreditas ablata est,æs alienum soluere nõ teneatur. Quæ regula approbatur l.eum qui.18.§.bonis. ff. de his quæ ut indignis,&c. de quo ȝ.lib.36.cap.6.reg.5.except.13.

Tertia regula, Quòd ei cui aufertur hæreditas uel legatum,actiones confusæ sint restituendæ. Quæ regula approbatur l. legatarius. 38. §. fin. ff. de leg.1. his uerbis: Si legatum nobis relictum constituerimus nolle ad nos pertinere, pro eo erit,quasi ne legatum quidem sit: & ideo dicemus, cemus,nec confusas seruitutes,si fortè prædium legatũ prædio medio debuerit seruitutes: sed & integra furti actio manebit, si seruus legatus sit, cuius nomine furti agere poterit legatarius. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi tanquã indigno hæreditas stablata:tunc enim actiones confusæ non sunt restituendæ. de quo uide ȝ. lib.48.cap.18.reg.2.except.3.repl.1.*

DIGESTORVM LIBER TRICESIMVS TERTIVS:

DE ACTIONIBVS, QVAE PRO LEgatis & fideicommissis persequendis competunt.

DE ACTIONE LEGAtorum. Cap. I.

Actenus de amissione legatorum sit dictum: nunc de legatorum actione, eiusq; adfinibus remedijs est dicendũ. Est autem legatorum actio ex quasi contractu. Quod approbatur inst. de obligat.quæ quasi ex contractu,&c.§ hæres quoq;, his uerbis: Hæres legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus intelligitur. neq; enim cum hærede,neq; cum defuncto ullum negociũ legatarius gessisse, propriè dici potest: & tamen quia ex maleficio non est obligatus,quasi ex contractu debere intelligitur. *Concordat ijsdem propè uerbis l.ex malificio.4.§.hæres quoq;.ff. de action.& obligat. Datur igitur actio,hæc,si alicui quid in testamẽto legatum sit, uel per fideicommissum relictum. cuius causæ plurimæ sunt exceptiones in superioribus capitibus propositæ. Nam quæ suprà excepitiones aduersus legata, itemcausæ amittendi legati propositæ sunt,& hic aduersus eas sam propositæ actionis exceptionum loco repeti possunt. Sed & huc pertinent, quæ dicentur ȝ.cap.9.de cautionibus ab actore præstandis.*

II. VBI, ET APVD QVEM competat actio legatorum & fideicommissorum?

Huius loci regula prima hæc est, Quòd ibi actio legati uel fideicommissi competat, ubi maior pars hæreditatis est. Quæ regula approbatur l.si fideic.50.in prin.ff.de iudicijs,his uerbis: Si fideicommissum ab aliquo petatur, isq; dicat alibi esse maiorem partem hæreditatis,non erit ad præstationem compellendus: & ita multis constitutionibus cauetur,ut ibi petatur fideicommissum, ubi maior pars hæreditatis est, nisi probetur eo loco uoluisse testatorem fideicommissum præstari, ubi petitur. *Concordat l.unica.C.ubi fideicom.peti oportet,his uerbis:* Fideicommissum ibi petendum esse,ubi hæreditas relicta est, dubitari non oportet. *Ait iurisconsultus:* Nisi probetur eo loco uoluisse testatorem fideicommissum pręstari, ubi petitur. *Hisce uerbis prima aduersus regulam propositam exceptio approbatur, hæc scilicet: Nisi testator alibi præstari uoluit. Secunda exceptio est: Nisi ex qualitate rei relictæ uel personæ coniectura capi posit,testatorem alibi præstari uoluisse. Quæ exceptio approbatur duobus exemplis l.sed & si.52.§.1.& 2.ff. de iudicijs,his uerbis:* Si libertis suis tesseras frumentarias emi uoluerit, quamuis maior pars hæreditatis in prouincia sit: tamen Romæ debere fideicommissum solui, dicendum est,cum appareat id testatorem sensisse ex genere comparationis. Sed & si proponas,quibusdam clarissimis uiris argenti uel auri pondo relicta,& sit sufficiens ad huiusmodi fideicommissa Romæ patrimonium: licet maior pars totius patrimonij in prouincia sit, dici oportet Romæ esse præstandum. nec enim uerisimile est, testatorẽ qui honorem habitum uoluit his quibus reliquit, tam modica fideicommissa in prouincia præstari uoluisse. *Concordat l.cum res.47. in princip.ibi:sed si res.ff.de leg.1. cuius uerba uide §. cap.12.causa 58.except.1. Tertia exceptio est: Nisi ibi, ubi petitur, maior sit pars hæreditatis. tunc enim præscriptio proposita, quasi alibi etiam sit hæreditas, regulariter non obstat. Verum exceptio hæc recipit replicationem hanc: Nisi ibi,ubi petitur,etiam plus sit æris alieni. Quæ replicatio locum quidẽ habet,si patrimonium eius loci ubi petitur, specialiter isti æri alieno soluendo destinatum est, alioquin non habet locum. Quod approbatur l.si fideicommissum.50.§.tractatũ. ff. de iudicijs,his uerbis:* Tractatũ est de ære alieno, si in ea prouincia, ubi fideicommissum petitur, plus esset æris alieni, an quasi maior pars alibi esset,præscriptio locũ haberet? Sed hic placuit,nihil facere æris alieni nomen, cum non loci sit æs alienum, sed uniuersarum facultatum. Aes enim alienum, patrimoniũ totum minuere cõstitit, nõ certi loci facultates. Quid tamen,si fortè certis oneribus destinatum sit id patrimoniũ: ut puta alimentis præstandis, quæ Romæ (id est, ex prædijs Romanis) præstari paterfamiliâs iusserat, uel tributis, uel quibusdam alijs inexcusabilib. oneribus,an possit præscriptio locum haberet & putem iustius dici locum habere. *Quarta exceptio est: Nisi res per fideicõmissum relicta ibi sit,ubi petitur. Quæ excep-*

tio

ptio approbatur l.sed & si.52.§.si ea res. ff.de iudicijs, hisce uerbis: Si ea res, quæ per fideicommissum relicta est, eo loco sit: dicendum est, nõ debere præscribi ei qui petit, quasi maior pars hæreditatis alibi sit. *Concordat l.quod legatur.38. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.12. causa 58. except.1.* *Quinta exceptio est: Nisi non fideicommissum, sed satisdatio fideicommissi nomine petatur. Hæc exceptio approbatur d.l.52.§.fin. his uerbis:* Sed si non fideicõmissum eo loco petatur, sed de fideicõmisso satisdatio: uidendũ est, an hæc præscriptio locum habeat? & non puto habere: quinimò etsi nihil sit eo loco, attamen iubendum satisdare. quid enim ueretur, cũ si satis non dederit, mittatur aduersarius in possessionem fideicommissi seruandi causa? *Sexta exceptio est: Nisi reus conuentus alijs defensionibus usus hanc omisit. Hæc exceptio approbatur d.l.52.in prin.ff.de iudicijs, hisce uerbis:* Sed etsi suscepit actionẽ fideicommissi, & alijs defensionibus usus hãc omisit, postea quamuis ante sententiam reuerti ad hanc defensionem non potest. *Septima exceptio est: Nisi fideicommissum alibi soluere cœperit reus. Quæ exceptio approbatur l.si fideicommissum.50.§.fin.ff.eod.tt.de quo j.regula proxima.*

Secunda propositi loci regula est, Quòd etiam actor domicilium rei conuenti sequi debeat. Quæ regula approbatur d.l.50. §.sed & rescriptum, hisce uerbis: Sed & rescriptum est, ut illic fideicommissum petatur, ubi domicilium hæres habet. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi hæres alibi soluere cœperit. Quæ exceptio approbatur d.l.50. §.fin.cum l.sequente, his uerbis:* Quoties autem cœpit quis fideicõmissum soluere, non potest hac præscriptione uti, quamuis hæreditas ad eum fuerit deuoluta, qui domicilium in prouincia habet. *Secunda exceptio est: Nisi reus conuentus alijs defensionibus usus hanc omisit. Quæ exceptio approbatur l.sed & si.52.in prin. ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.prox.except.6.*

III. QVIBVS COMPETAT legati uel fideicommissi actio?

Huius loci prima regula est de hæredibus legatarij: quibus legati actio competit. Quæ regula approbatur l.si post.5.in prin. ff.quando dies leg.cedit, his uerbis: Si post diem legati cedentem legatarius decesserit, ad hæredem suum transfert legatum. *Concordat l.si Pont.3.C.quando dies legati cedit, his uerbis:* Si Pontionilla ad eam ætatem peruenit, cui legatum uel fideicommissum derelictum erat: petitionẽ ad hæredes transmisit, licet antè decesserit, quàm consequeretur legatũ uel fideicommissum. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi legatarius ante diem legati cedentem decesserit: tunc enim legatum ad hæredem non transfert. Quæ exceptio patet ex uerbis iam propositis, deq; ea cum suis replicationibus uide ẽ.lib.prox. cap.9. causa 10. Secunda exceptio est: Nisi legatarius ante diem legati uenientem sit mortuus. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ dicuntur j.cap.8.in prin. Tertia exceptio est: Nisi ususfructus, uel usus, aliúdue ius personale sit legatum. De hac exceptione dictum ẽ.lib.24.de usufructu. eiusq; exemplum proponitur l.cum seruus.39.§.si quis alicui. ff.de leg.2. his uerbis:* Si quis alicui legauerit licere lapidem cedere: quæsitum est, an etiam ad hæredem hoc legatum transeat? & Marcellus negat, ad hæredem hoc legatum transmitti, nisi nomen hæredis adiectum legato fuerit. *Aliud propositæ exceptionis exemplum proponitur l.liberto.21.§.fin. ff.de annuis legat. his uerbis:* Pater duos filios æquis ex partibus instituit hæredes, maiorem & minorem, qui etiam impubes erat, & in partem eius certa prædia reliquit: & cum quatuordecim annos impleuit, certam ei pecuniam legauit, idq; fratris eius fidei commisit, à quo petijt in hæc uerba: A te peto Sei, ut ab annis duodecim ætatis ad studia liberalia fratris tui inferas matri eius tot annua usque ad annos quatuordecim. Eo amplius tributa fratris tui pro censu eius defendas, donec bona restituas: & ad te reditus prædiorum illorũ pertineant, quoad peruenerit frater tuus ad annos quatuordecim. Quæsitum est, defuncto maiore fratre, alio hærede relicto: utrum omnis conditio percipiendi reditus fundorum, & ut anniuersaria præstentur, & alia quæ præstaturus esset, si uiueret Seius, ad hæredem eius trãsierint: an uerò id omne protinus ad pupillum & tutores transferri debeat? Scæuola respondit, secundum ea quę proponerentur, intelligi testatorem quasi cum tutore locutum: ut tempore quo tutela restituenda esset, hæc quoque quæ pro annuis præstari iussisset, percipiendisq; fructibus, finiantur. Sed cum maior frater mortẽ præuentus sit, omnia quæ relicta sunt, ad pupillũ & tutores eius confestim post mortem fratris transisse. *Aliud exemplum proponitur l.patrimonij.22.ff.de usufruct.legato. cuius uerba uide ẽ.lib.24.cap.2.causa 1. Quarta exceptio est: Nisi tessera, militia, uel tribus legata sit. Hæc exceptio reprobatur l.mortuo bouc.50.§.si Titio. ff. de leg.2. his uerbis:* Si Titio tessera frumentaria uel militia legata sit, & is decesserit, quidam putant extingui legatum: sed hoc non est uerum. nam cui tessera uel militia legatur, æstimatio uidetur legata. *Reprobatur insuper exceptio proposita in tribu legata, l.patronus.34.in prin.ff.de leg.3. his uerbis:* Patronus liberto statim tribũ emi petierat: libertus diu moram ab hærede patroni passus est, & decedens hęredem reliquit clarissimum uirum. quæsitum est, an tribus æstimatio hæredi eius debeatur? Respondit Scæuola, deberi. Item quæsitum est,

est, an & commoda & principales liberalitates, quas libertus ex eadem tribu usq; in diem mortis suæ consecuturus fuisset, si ei ea tribus secundum uolũtatem patroni sui tunc comparata fuisset, an uerò usuræ æstimationis hæredi eius debeantur? Respondit, quidquid ipse consecuturus esset, id ad hæredem suum transmittere. *Quinta exceptio est: Nisi annuum sit legatum. tunc enim mortuo legatario reliquorum annorum legatum non debetur. Quæ exceptio approbatur l.si in singul.4.ff.de annuis legatis, hisce uerbis:* Si in singulos annos alicui legatum sit, Sabinus, cuius sententia uera est, plura legata esse ait, & primi anni purũ, sequentium conditionale: uideri enim hãc esse conditionem, SI VIVAT: & ideo mortuo eo ad hæredem legatum non transire. *Hisce uerbis proposita exceptio approbatur, simul & ratio eius monstratur. de qua ratione dictum ẽ. libro prox.cap.1.quæst.5.reg.3. Concordat l.in singulos.8.in prin.ff.eod.tt. ubi Caius:* In singulos annos relictum legatũ, simile est usufructui, cùm morte finiatur. *Concordat item l.Caius.12.ff.eod.tt.& l. legatum.10. ff.de capite minutis. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi eius anni, in quo decesserit legatarius. Istius enim anni legatum morte legatarij non extinguitur. Quæ replicatio approbatur l.in singulos.8.in fine.ff.de annuis legatis, hisce uerbis:* Illud certè amplius est in hoc legato, quòd ingressu cuiuslibet anni, si decesserit legatarius, eius anni legatũ hæredi suo relinquat: quod in usufructu non ita est, cum fructuarius, etiamsi maturis fructibus, nondum tamen perceptis decesserit, hæredi suo in eos fructus actionem non relinquat. *Concordat l. à uobis.5.ff.eod.tt.his uerbis:* A uobis quoq; cæteri hæredes peto, ut uxori meæ præstetis, quoad uiuet, annuos decem aureos. uxor superuixit marito quinquennio & quatuor mensibus. Quæro, an hæredibus eius sexti anni legatum integrum debeatur? Modestinus respondit, integri sexti anni legatum deberi. *Secunda replicatio est: Nisi exonerandi hæredis causa in plures pensiones legatum sit diuisum. Quæ replicatio approbatur l.si cum.20.ff.quando dies leg.ced. de qua re uide ẽ.lib.prox.cap.1.quæst.5.reg.3. Tertia replicatio est: Nisi testator etiam hæredibus legatarij præstari uoluit. Quæ replicatio approbatur l. in annal.22.C.de legatis, hisce uerbis:* In annalibus legatis uel fideicommissis, quæ testator nõ solùm certæ personæ, sed etiam eius hæredibus præstari uoluit, eorum exactionem omnibus hæredibus, & eorum hæredum hæredibus conseruari per uoluntatem testatoris præcipimus. *Hæc de quinta exceptione eiusq; replicationibus. Sexta exceptio est: Nisi hæres eo tempore, quo datum est legatum, nondum fuerit natus. Hæc exceptio reprobatur l.si in pers.21.C.de fideicommissis, hisce uerbis:* Si in personam patris tui, cui te successisse proponis, fideicommissi dies utiliter cesserit: licet tempore quo fuerat datum, necdum te natum probetur: uxorem patrui, quem contendis patri tuo rogatum, si sine liberis decesserit, ab auo relicta restituere (si ei successit) de fideicommisso conuenire debes. nam si patrui etiam hæreditas tibi quæsita est, non de fideicommisso quærendum, sed hæreditas ipsa eauindicanda est. *Septima exceptio est: Nisi defuncto in legato uel directò uel per fideicommissum sit substitutum. Hæc exceptio sine cuiusquam contradictione est iusta, hæredíq; legatarij sine dubio fideicommissarius eiusq; hæres præferendus: cuius exemplum proponitur l.2.C.quando dies leg.ced.his uerbis:* Agrum pluribus relictum nominatim animaduertimus, & cautum esse, ut ad eum qui superuixisset, res pertineret. Quicunque igitur is fuit, ad hæredem suum dominium transmisit: nec tali fideicommisso astringitur, ut hæredibus eorum restituat, sicut ipse fuit restitutus ab illis. *Aliud eius exemplum proponitur l.Titia.89.§.Seia. ff.de leg.2. cuius uerba uide j. cap.7.reg.25.except.17.replic.4. Planè quot sunt exceptiones aduersus legata eorumq; actionem suprà propositæ, tot etiam aduersus propositam exceptionem competunt replicationes. Octaua exceptio est: Nisi cum uni certa pecunia relicta esset, ut inde alimenta libertis præstaret, is pluribus hæredibus relictis decesserit. Hæc exceptio reprobatur l.cum unus. 10.in princ. ff.de alimentis legatis, hisce uerbis:* Cum unus ex hæredibus certam pecuniam præcipere iussus esset, de cuius sorte libertis alimenta præstaret: hæredem quoque hæredis ad præceptionem admitti placuit. si tamen plures hæredes hæres haberet, intentionem quidem defuncti prima facie refragari, sed aliud probari non oportere. Quid enim, si cæteros hæredes suos euitauit, & quietam ac uerecundam atq; etiam idoneam, libertis consulens, domum sequi maluit? & ideo ab omnibus hæredibus hæredis alimenta præstabuntur. *Nonæ exceptionis loco notandum, quòd quibuscunq; exceptionibus defunctus legatarius remoueri potuit, eadẽ etiam hæredi eius obstare. Quæ exceptio approbatur l. si post.5.§.ijsdem.ff.quando dies legati cedat, hisce uerbis:* Ijsdem diebus, id est, ijsdem conditionibus hæredi præstabitur legatum, quibus legatario præstabatur. *Hæc de prima regula, eiusq; exceptionibus sint dicta.*

I I. *Regula: Si filiofamilias legatum est, patri competit actio: item si seruo sit legatum, domino regulariter actio competit. Quæ regula approbatur d.l.5. §. fin.ff.quando dies leg.cedat, his uerbis:* Si cum dies legati cedere inciperet, aliquis sui iuris non esset, debebitur legatum his quorum iuri fuit subiectus. *Sanè idem dicendum, si die legati cedente sui iuris existẽs, postea alterius iuris esse cœperit.*

l.si ususfr.14.§.fin.ff.quando dies leg.ced. De *quare uide* ȝ.*except.3.Concordat l.si uxorem.5.C.de condit.insertis, hisce uerbis*: Si uxorem tuam tempore nuptiarum in patria potestate fuisse monstretur: fideicommissi commodum ei relictum, cum nupserit, nullo alio diem eius prohibente, quęsitum patri non ambigitur. Quòd si à patre ante nuptias emancipata fuerit, & postea decesserit, superstite patre & marito & liberis: actionem fideicommissi sibi competentem ad suos hæredes transmisit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi filius emancipatus, uel seruus manumissus fuerit. tunc enim ipsi, non patri uel domino competit actio. Quæ exceptio approbatur l.filiusfamilias.110.§.si fideicom. ff.de leg.1.his uerbis*: Si fideicõmissum relictum fuerit seruo alieno sine libertate, & ad libertatem peruenerit: dicendum est, posse eum ad capiendum admitti. *Concordat l.quæsitum. 88.§.duobus.ff.eod.tt. cuius uerba uide* ȝ.*lib.prox.except.25. tertia except.repl.1. Concordat item d.l.88.§. si quis Stichum. cuius uerba uide* ȝ.*d.tertia except.replic.3. Concordat item l.si ususfructus.14.§.fin.ff.quando dies legati cedat.cuius uerba uide paulò inferius except.3. Concordat item l.cum legato.17.ibi: & ideo. ff. eod.tt. cuius uerba uide* ȝ. *cap.8.reg.1.except.15. Concordat item l.qui filio.38.§.si quis seruũ.ibi: igitur cum seruus.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide* ȝ. *lib.prox. cap.3.except.25.tertia except.repl.1.duplic.4.triplic.3. Concordat item l.si uxorem.5.in fine. C.de condit.insertis. cuius uerba uide paulò superius eod.reg. in princ. Concordat item l.si seruus.17.§.fin. ff.de adim.legatis. cuius uerba uide* ȝ. *lib.prox. cap.10. causa 2. except.12. Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: Nisi sub conditione, si in patris uel domini potestate mansisset, filio uel seruo sit legatum. *Quæ replicatio approbatur l.filiosam.41. ff.de condit.& demonstr.his uerbis*: Filio familiâs legatum est sub hac conditione, si in potestate patris mansisset. magis patri legatum uideri ait Africanus, & patrem suo nomine legatum petere. idem iuris esse, etsi seruo similiter legetur. argumentum rei sit, quòd etsi cibaria seruis Titij legentur, proculdubiò domini esse, non seruorum legatum. *Hisce uerbis posterioribus secunda propositæ exceptionis replicatio approbatur, hæc scilicet: Nisi cibaria seruis sint relicta. hoc enim casu, quamuis unus ex ijs sit manumissus, legatum tamen petere non potest. Tertia replicatio est: Nisi post diem legati cedentem liber sit factus. Quæ replicatio approbatur l.si post.5.§. fin.ff.quando dies leg.ced.his uerbis*: Si purum legatum fuit, & post diem legati cedentem liber factus est: apud dominum legatum relinquet. *Dies autem legati cedere dicitur à morte testatoris, d.l.§.in prin. nisi ususfructus legatus sit: tunc enim ab adita hæreditate dies cedit.l.2.ff.eod.tt. Vnde in dicta l.§.fin. subijciuntur hæc uerba*: Sed si ususfructus fuerit legatus, licet post mortem testatoris ante aditam hæreditatem sui iuris efficiatur, sibi legatum adquiret. *Idem est, etsi sub conditione sit legatum, quæ conditio mortuo testatore adhuc pendet. l.si ususfructus.14.§.fin. ff.quando dies leg.ced. cuius uerba uide* ȝ.*except.3. Concordat item l.quæ legata.18.in prin.ff.de reg.iuris. cuius uerba uide* ȝ. *lib.36. cap.5. reg.2. except.22. Sed etsi in annos singulos sit legatum, cum plura sint legata, ut* ȝ. *libro prox.cap.1.quæst.5.reg.3.est obseruatum, in singulis quoq; annis dies legati cedit: & per consequens, etiamsi filius uel seruus post primum legati annum sui iuris sit effectus, reliquorum tamen annorum legatum sibi, non patri uel domino debetur. Quod approbatur l.nec semel. 12.in prin.ff.quando dies legat.ced. his uerbis*: Cum in annos singulos legatur, non unum legatum esse, sed plura, constat: nec semel diem eius cedere, sed per singulos annos. Inde Iulianus ait, hoc legatum, si seruo relinquatur, deinde post primum uel alterũ annum sit liber: eum sibi adquirere. *Sed & propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi dominus legatum repudiauerit: tunc enim seruo, quamuis post diem legati cedentem manumisso, competit actio. Quæ duplicatio approbatur l.si Pamphilo.10.ff.de opt.legato. cuius uerba uide* ȝ.*lib.prox.cap.11.quæst.2.reg.2. Quarta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi pater cauere paratus sit, neminem amplius petiturum. Hæc replicatio reprobatur l.2.ff.ut leg.seruan.causa caueat. his uerbis*: Nec si fortè uelit pater cauere, neminem amplius petiturum, compellendus erit heres legatum, quod iam filius petere potest, alij quàm cui debetur exoluere. *Hæc de prima exceptione, eiusq; replicationibus. Secunda exceptio est: Nisi filius emancipari, uel seruus manumitti, in testamento iussus sit. Hæc exceptio in filio quidem approbatur l.quamuis.15. C.de fideicommissis, hisce uerbis*: Quamuis simpliciter te & fratrem tuum aliquis instituerit hæredes, eiusq; hæreditatis commodum pater ex tua fratrisq; persona pro portionibus uestris potestatis ratione quæsierit: tamẽ quia inferioribus uerbis testamenti uos sui iuris facere testator curauit, intelligi potest, restituendæ hæreditatis commodo fideicõmisso patrem obstrictum esse. *Concordat l.duos.68.ff.de condit.& demonstrat. cuius uerba uide* ȝ.*except.5. Concordat item l.si cui legatum.90.§.cui rei.ff.eod.tt. cuius uerba uide* ȝ. *libro prox.cap.16. except.7. Concordat item l.pater.91. ff. eod.tt. ubi Papinianus*: Pater (*inquit*) filio suo cohæredes sine ulla cõditione filias ipsius dedit, ac petijt, ut filias suas emãciparet, ita ut curatores à prætore acciperent. filij uideri fidei commisisse placuit, ut eas sui iuris constitutas, ad hæreditatem aui peruenire pateretur: nec ad rem pertinere, si portionem filiarum iure substitutionis quæsisset. *In seruo autem exceptio proposita reprobatur l.Lucius.78. §.tres hæredes.ff.ad senatusc.Trebell. his uerbis*: Tres hæredes scripsit, Mæuium fratrem suum exdodrante, Seium ex sextante; Sticlum eiusdem

dem Seij seruum, filium autem naturalem Mæuij, ex uncia: & fidei cõmisit Seij, ut Stichum manumitteret, in hæc uerba: A te peto Sei, uti tu Stichum manumittas, dedi unde facias. Sed & codicillis ita cauit: Vnciam ex qua feci Stichum hæredẽ, si quam Seius controuersiã mouerit, ad Mæuium fratrem meum reuerti uolo. tu frater secundum fidem & pietatem tuam, quidquid ad te peruenerit ex hæreditate mea, Sticho filio tuo restitues: quod ut facias, fidei tuæ committo. quæsitum est, cum Seius adierit hæreditatem, & propter hoc compulsus Stichum manumiserit, an unciam hęreditatis, ex qua Stichus hæres est institutus, Seio manumisso restituere debeat? Respondit Scæuola, non proponi, Seium rogatum unciam ei restituere. *Tertia exceptio est: Nisi die legati cedente legatarius in actoris potestate nõ fuit. Hæc exceptio ipso iure subsistit, ut is in cuius potestate legatarius die legati cedente deprehenditur, legati actionem habeat: non is in cuius potestate antea fuit, uel in cuius potestatem postea peruenit. Veruntamen recipit replicationem hanc: Nisi die legati cedente liber existens, postea alterius iuris esse cœperit. Quæ replicatio approbatur l.si ususfructus.14.§.fin.ff.quando dies leg.ced.his uerbis*: Si dies legati cesserit, deinde legatarius in ius alienum peruenerit: ipsi potius debetur legatum, in cuius ipse ius peruenit: trãseunt enim cum eo ea quæ ei debebantur. sed si sub conditione fuerit legatum, non transit, sed expectamus conditionem: eiq; adquiretur, cuius iuris erit conditionis existentis tẽpore. quòd si sui iuris fuerit eo tempore, sibi potius adquiret. *Quarta exceptio est: Nisi filio à patre hærede sit legatum. Quæ exceptio approbatur l.fideicommissa.11.§.si filio. ff.de leg.3.bis uerbis*: Si filio à patre hærede instituto fideicommissum relictum fuerit: etsi uerbis non sit ita relictum, Cum pater moreretur: sed intelligi hoc possit, puta quia sic relictũ est, ut relinquat filio, uel, Volo eum habere, uel, Volo ad eum pertinere: defenderetur in id tempus fideicommissum relictum, quo sui iuris filius efficitur. *Quinta exceptio est: Nisi filio uel seruo sub conditione hac, Si sui iuris factus sit, legatum sit relictum. Quæ exceptio approbatur d.l.11.§.si cui ita. ff.de leg.3.bis uerbis*: Si cui ita fuit fideicommissum relictum, Si morte patris sui iuris effectus fuerit: cum mors patri contingat, quasi extante conditione ad fideicommissum admittetur. *Concordat l.duos. 68.ff.de condit.& demonstr. ubi Papinianus*: Duos mater filios (*inquit*) sub conditione emancipationis ex partibus hęredes instituit, eisq; plurium rerum præceptionem purè dedit. hęreditatem adierunt. patrem à legatorum commodo illa quoq; ratio deber submouere, quòd emancipando filios obsecutus uoluntati, supremum iudicium uxoris suæ custodiri uoluerit. *Propositæ exceptionis replicatio uidetur esse talis: Nisi filius uel seruus, cui sub conditione libertatis fideicommissum relictum est, postea eidem à quo relictum est, sine dicta conditione sit substitutus, & ex ista substitutione pater dominúsue hæres existat. hoc enim casu uidetur fideicommissum extinctum. Hæc replicatio reprobatur l.Latinus.85.ff. de leg.2. cuius uerba uide* ȝ.*libro prox.cap.9.causa 37. Sexta exceptio est: Nisi post mortem patris filio sit legatum. Quæ exceptio approbatur l.si post.67.in prin. ff.de leg.1.his uerbis*: Si post mortem patris filio legatur: dubium non est, quin mortuo patre ad filium pertineat legatum: nec interfit, an patri hæres extiterit, nécne. Sed si seruo post mortem domini relictum est legatum: si quidem in ea causa durabit, ad hæredem domini pertinet: idq; adeò, ut idem iuris sit, etsi testamento domini liber esse iussus fuerit: antè enim cedit dies legati, quàm aliquis hæres domino existat: quo fit, ut hæreditati, &c. *Concordat l.denique.3.§.si quid minori. ff.de minoribus 25.annis. cuius uerba uide* ȝ. *libro 49. cap.4.quæst.4. causa 22. Septima exceptio est: Nisi id quod personæ cohæret, filio sit relictum. Quæ exceptio approbatur d.§.si quid minori, in fine. Octaua exceptio est: Nisi ita sit legatum, ut filio soluceretur. Quæ exceptio approbatur l.si ususfr.14.§.si ita quis. ff. quando dies legati cedat, his uerbis*: Si ita quis, &c.

III. *Regula, De eo cuius interest. Ei quoq; cuius interest legatum præstari, competit actio, quamuis ei legatum non sit. Quæ regula approbatur l.fideicommissa.11.§.interdum.ff.de leg.3.his uerbis*: Interdum alterius nomen scribitur in testamento, alteri uerò fideicommissi petitio uel legati competit. utputa si fidei hæredis committatur, ut ipse publicano pro Titio præstet: fideicommissum hoc uel legatum non publicanus petit, licet sit ei adscriptum: sed ipse petere poterit, pro quo legatum relictum est. Multum autem interesse arbitror, cui uoluerit prospectum, cuiusq; contemplatione testator fecerit. plerunq; autem intelligendũ est, priuati causa hoc fecisse, licet emolumẽtum publicano quæratur. *Similia exempla proponuntur l.si cui.49.§.si Titio, cum sequentibus. ff.de legat.1. cuius uerba cum alio exemplo uide* ȝ. *lib.prox. cap.4.except.54.repl.9. Concordat l.liberationem.3. §.fin. cum lege sequente. ff.de liberat.legat. his uerbis*: Consequẽter quæritur, an & ille socius pro legatario habeatur, cuius nomen in testamento scriptum non est, licet commodum ex testamento ad utrumq; pertineat, si socij sunt? & est uerum, non solum eum cuius nomen in testaméto scriptum est, legatarium habendum: sed eum quoq; qui non est scriptus, si & eius contemplatione liberatio relicta sit. Vtriq; autem legatarij habentur &

in hoc casu. nam etsi quod ego debeo Titio, sit ei legatum mea gratia, ut ego liberer, nemo me negabit legatarium: ut & Iulianus notat, utriusq; legatū esse, tam meum, quàm creditoris mei, etiamsi soluendo fuero. interesse enim creditoris duos reos habere. Quid ergo est, cum agere poterit creditor ex testamento? non aliter hæres condemnari debebit, quàm si caueatur ei aduersus debitorem defensum iri. Item agente debitore nihil amplius hæres præstare debet, quàm ut eum aduersus creditorem defendat. *Concordat item l. fideicommissa. 11. §. plerunq;. ff. de leg. 3. cuius uerba uide §. cap. 7. reg. 25. excepti. 10. Concordat item l. nomen. 33. §. fin. ff. cod. tt. bis uerbis*: Pater filio & filia hæredibus instititutis, cùm singulis certa prædia & calendaria prælegasset, ita cauit: A te autem, fili charissime, quæcunque legaui, præstari uolo. & si quid euenerit æris alieni, quod in tempus pro mutuo acceperam & debuero, à te solui uolo: ut quod sorori tuæ reliqui, integrũ ad eam pertineat. Quæsitum est, an quod ex quacunque causa debuit pater, à filio sit præstandum? Scæuola respondit, posse filiam ex fideicommisso consequi ut releuaretur, quo magis integrum, quod testator dedisset, ad eam perueniret. *Sed & alia proponuntur exempla l. seruo legato. 68. §. si testator. ff. de leg. 1. bis uerbis*: Si testator quosdam ex hæredibus iusserit æs alienum soluere, nõ creditores habebunt aduersus eos actionem, sed cohæredes quorũ interest hoc fieri. nec solùm hoc casu alius habet actionẽ, quàm cui testator dare iussit, sed alio quoq;: ueluti si filiæ nomine genero aut sponso dotem dare iusserit. non enim gener aut sponsus, sed filia habet actionem, cuius maximè interest in dotatam non esse. *Concordat l. non solùm. 7. §. sed & si duobus hæredibus institutis. ff. de liberat. legat. his uerbis*: Si duobus hæredibus instititutis, alterum ex his damnauerit creditori soluere: ualet legatum propter cohæredem, eumq; ex testamento acturum ut creditori soluatur. *Iam dictis de genero & filia partim concordat, partim contradicit l. Titio centum. 69. §. Titio genero. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis*: Titio genero meo hæres meus dotis Seiæ filiæ meæ nomine centum dato. legati quidem emolumentum ad Seiam, quæ dotem habere incipit, pertinebit: sed quia non tantùm mulieri, sed Titio quoq;, cui pecuniam legauit, consultum uidetur, propè est, ut ipse legatarius intelligatur, & legatum petere debeat. Si post diuortiũ genero pecuniam hæres soluerit, æquè liberabitur, quoniam in dotem solutio conuertitur: constante autem matrimonio, etiam prohibente muliere, Titio rectè soluetur. hoc enim & muliebris interest, ut incipiat esse dotata. nam & si quis ipsam quoq; petitionẽ habere responderit, eaq; pecuniam petat, neq; dotis fieri uelit: non dubiè doli exceptione submouebitur. ante nuptias uerò Titio uel muliere defunctis, legatum apud hæredem manet. Quòd si nolit eam uxorem ducere: causæ legati, quod ad mulieris personam attinet, satisfactum intelligitur: sed Titio legatum petenti nocebit exceptio doli. Quòd si maritus uitio suo causa ceciderit, neq; soluendo sit: nunquid aduersus hęredem mulieri, quæ nihil deliquit, succurri debeat ob eam pecuniam, quæ doti fuerat destinata? sed quoniam ambo legati petitionem habuerunt, saluam habebit, non soluta pecunia uiro, mulier actionem. *Propositæ regulæ aliud exemplum est: Si, cum duo eiusdem pecuniæ debitores essent, uni liberatio sit legata: tunc enim alteri quoque competit actio. Quod exemplum proponitur l. liberationem. 3. §. nunc de effectu. ff. de liberat. leg. his uerbis*: Quæritur, an & ille socius pro legatario habeatur, cuius nomen in testamẽto scriptum non est, licet commodum ex testamẽto ad utrunq; pertineat, si socij sunt? & est uerum, non solùm eum cuius nomen in testamento scriptum est, legatarium habendum: uerùm eum quoq; qui non est scriptus, si & eius contemplatione liberatio relicta sit. *Ait iurisconsultus*: Si & eius contemplatione liberatio relicta sit. *Ergo si eius contemplatione liberatio relicta non sit, non est ei dãda actio, uel liberatio. Quod exceptionis loco in exemplo proposito notandum. Cui concordat d. l. 3. §. nunc de effectu. ibi: sed & sẽcum. cuius uerba proponentur ī. lib. 34. cap. 13. quæst. 2. except. 11. in prin. Aliud exemplum est: Si res aliena alicui sit legata. tunc enim domino quoq;, ut ea res redimatur, competit actio. Quod exemplum proponitur l. sed si alienare. 22. §. si forte. ff. de fideicom. liber. his uerbis*: Si fortè is qui rogatus est manumittere, soluendo non sit: inuito tamen seruo, neq; alij, neq; domino eam rem persequi concedendum est: quia non tale sit hoc fideicommissum, ex quo domino adquiratur aliquid, alioquin ipsi datum uideretur: quod poterit contingere, si testator pluris eũ seruum, quàm quanti est, redimi ac manumitti uoluerit. nam & tunc domino erit fideicommissi persecutio, cuius interest præterea uerum precium, id quod plus iussus est dare, consequi, ut seruus ad libertatem perueniat. Quod eueniet, etsi rem alienam pecunia certa redimere, atq; alij præstare hæres uel legatarius intelligeretur. nam q; tunc & domino rei, & ei cui eadem præstari deberet, persecutionem esse: utriusq; enim interesse, & domini ut præter precium accipiat, quo pluris testator eam redimi uoluit: & eius cui relicta est, uti eam habeat. *Concordat item*

item l. alieno. 31. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis: Si, cum hæres iussus esset seruum alienum emere & manumittere, dominus nẽdere paratus sit, & seruus uelit manumitti: cogendus est hæres redimere & manumittere: nisi dominus uelit seruum manumittere, ut actio sibi precij in hæredem detur. Idq; faciendum est, etiamsi hæres latitet. Et ita Imper. Antoninus rescripsit.

IIII. *Regula, De legato deficiente in persona eius cui legatum est. Ad quos pertineat, seu quibus eius legati actio seu portio competat, dictum est §. lib. prox. cap. ult. quæst. 1.*

V. *Regula, De legato familiæ relicto, uel ita ne alienetur, aut ne de familia exeat. Quibus hoc legatũ competat, dicetur inferius lib. prox. cap. penult. quæst. 2.*

VI. *Regula: Si pluribus sit legatum relictum, omnibus legati actio competit. Quæ regula ut per se uera est, ita suas habet exceptiones, quarum prima hæc est*: Nisi ita sit legatum, Titio aut Seio do lego. *Quæ exceptio iure quidem antiquo approbatur l. cum pater. 79. §. penult. ff. de leg. 2. his uerbis*: A te peto marite, si quid liberorum habueris, illis prædia relinquas: uel si nõ habueris, tuis siue meis propinquis, aut etiam nostris libertis. non esse datam electionem, sed ordine scripturæ factam substitutionem, respondi. *Iure autem nouo exceptio proposita reprobatur l. cum quidam. 4. C. de uerb. signif. his uerbis*: Cum quidam sic uel institutionem uel fideicommissum uel libertatem uel tutelam scripsisset, Ille aut ille mihi hæres esto: uel, Illi aut illi do lego: uel, Dari uolo: uel, Illum aut illum liberum aut tutorem esse uolo uel iubeo: dubitabatur, utrúmne inutilis sit huiusmodi institutio, & legatum & fideicommissum, & libertas, & tutoris datio, an occupantis melior cõditio sit, an ambo in huiusmodi lucra uel munia uocentur: & an secundum aliquem ordinem admittatur, an uterque omnimodò: cum alij in institutionib. primum quasi institutum admitti, secundum quasi substitutum, alij in fideicommissis posteriorem solùm accepturum fideicommissum existimauerunt, quasi recentiore uoluntate testatoris utentem. & si quis eorum altercationẽ sigillatim exponere maluerit, nihil prohibet non leue libri uolumen extendere, ut sic explicari possit tãta authorum uarietas: cum non solùm iuris authores, sed etiam ipsæ principales constitutiones, quas ipsi authores retulerunt, inter se uariasse uidentur. Melius itaq; nobis uisum est, omni huiusmodi uerbositate exposita, coniunctionem Aut pro Et accipi, ut uideatur copulatiuo modo esse prolatum, ut primam personam inducat, & secundam non expellat. Quemadmodum enim (uerbi gratia) in interdicto Quod ui aut clàm, Aut coniunctio pro Et apertissimè posita est: ita & in omnibus huiusmodi casibus, siue institutionum, siue legatorum, siue fideicommissorum, uel libertatum, seu tutelarum hoc esse intelligendũ, & ambo ueniant æqua lance ad hæreditatem, ambo legata similiter accipiant, fideicõmissum in utrunq; diuidatur, libertas utrunq; capiat, tutoris ambo fungantur officio: sic nemo defraudetur à commodo testatoris, sic maior prouidẽtia pupillis inferetur: ne dum dubitatur, apud quem debet esse tutela, in medio res pupillorum depereant. Sed hæc quidem sancimus, cum in personas huiusmodi proferatur scriptura. Sin autem una quidem est persona, res autem ita derelictæ sunt, Illam aut illam rem illi do lego: uel, Per fideicommissum relinquo: tunc secundum ueteres regulas & antiquas definitiones uetustatis iura maneãt incorrupta, nulla innouatione ex constitutione hac introducenda. quod etiam in contractibus locum habere censemus. *Concordat l. Titius. 24. cum duab. II. sequent. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide ī. cod. cap. reg. 17. Planè exceptio proposita admittitur, si Titio aut Seio, utri hæres uoluerit, legatum sit. de quo cum aliis similibus paulò ī. dicetur. Secunda exceptio est: Nisi alter alteri sit substitutus. tunc enim uni tantùm debetur. Quæ exceptio approbatur l. si legata. 6. C. de legatis, hisce uerbis*: Si legata relicta primus legatarius agnouit, substitutio eorum in persona Pontianæ facta euanuit. *Concordat l. si quis. 8. §. penult. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ī. reg. prox. in fine. Concordat item l. ut hæredib. 51. ff. de leg. 2. bis uerbis*: Vt hæredibus substitui potest, ita etiam legatarijs. Videamus an idem fieri possit, & cum mortis causa donabitur, ut id promittat ille alteri, si ipse capere non poterit? quod magis est: quia in posterioris quoq; personã donatio confertur. *Concordat item l. cum pater. 79. §. penult. ff. eod. tt. cuius uerba uide ī. except. prox. in prin. item l. si quis. 2. §. 1. ibi: sed & cum. ff. de adimendis legat. cuius uerba uide ī. lib. prox. cap. 8. causa 3. except. 6. Tertia exceptio*: Nisi uni ex pluribus, uel Titio aut Seio, utri hæres uolet, sit legatum: tunc enim non utriq;, sed ei tantùm cui hæres uolet, debetur legatum. *Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. si Titio. 16. ff. de leg. 2. bis uerbis*: Si Titio aut Seio, utri hæres uellet, legatum relictũ est: hæres alteri dando ab utroq; liberatur: si neutri dederit, uterque perinde petere potest, atq; si ipsi soli legatum foret. nam ut stipulando duo rei constitui possunt, ita & testamento potest idem fieri. *Hisce uerbis, præterquam quòd exceptio proposita approbatur, replicatio introducitur talis*: Nisi hæres nullum elegerit. *tunc enim omnibus competit actio. Quæ replicatio approbatur etiam l. Labeo. 21. §. fin. ff. de statuliber. hisce uerbis*: Pacuuius Clemens aiebat, si ita sit fideicommissum relictum,

debeatur, definitur l.si cognatis.20.in prin. ff.de rebus dubijs,his uerbis: Si cognatis legatum sit,& hi cognati quidem esse defierint, in ciuitate autem maneant: dicendum,deberi legatū: cognati enim testamenti facti tempore fuerunt. Certè si quis testamenti facti tempore cognatus non fuit, mortis autem tempore factus est per adrogationem:facilius legatū consequitur.

XV.*Regula: Si cognationi legatum sit,cognatis debetur. Quæ regula approbatur d.l.20.§.fin.his uerbis:* Si quis cognationi leget,idem est atq; si cognatis legasset.

XVI.*Regula: Si ciuibus sit legatum,ciuitati debetur. Quæ regula approbatur l.2. ff.de rebus dubijs,hisce uerbis:* Ciuibus ciuitatis legatum uel fideicommissum datum,ciuitati relictum uidetur.

XVII. *Regula: Si cum uni incertæ personæ legatum esset, qui quæue illud fecerit, uel circa quem illud contigerit,duo uel tres extiterint circa quos illud contigerit,omnibus debetur legatum. Quæ regula approbatur exemplo l.qui filiabus.17.§.1. ff.de leg.1. his uerbis:* Si quis ita legauerit,Si qua filia mihi gignitur, ei hæres meus centum dato: pluribus natis, uidetur singulis tantundem legasse. quod ita accipiendum,nisi euidens sit contraria sententia testatoris. *Sed & approbatur alio exemplo l.Titius.24. cum duabus ll. sequentibus.ff.de hæred.instituen.his uerbis:* Titius & Seius, uter eorum uiuet, hæres mihi esto. existimo si uterq; uiuat,ambo hæredes esse, alterò q; mortuo eum qui supererit ex asse hęredem fore: quia tacita substitutio inesse uidetur institutioni. Idq; & in legato eodem modo relicto Senatus censuit. *Concordat l.si quis.78.§.his uerbis.ff. de leg.1.ubi Iulianus:* His uerbis, Lucio & Titio, eorúmue cui fundum do lego, utiliter legatur: & si uterq; uixerit, utriq;:si alter,alteri totum debebitur. *Aliud propositæ regulæ exemplum uidetur esse l.ult. ff.ad S.C.Trebell.ubi Paulus:* Iulius Phœbus(*inquit*)testamento facto, cum tres liberos hæredes instituisset, Phœbum & Heracliam ex eadem matre, Polycratem ex alia,æquis portionibus, petijt à Polycrate minore fratre, ut accepto certo precio,hæreditatem fratribus concederet: & inuicem eos qui eadem matre erant, si quis eorum hæres non fuisset,substituerat: Polycrati,si intra pubertatem decessisset, secundas etiam tabulas fecit,quas matri eius commendauit aperiendas,si impubes obijsset: deinde petijt à prioribus, ut si quis eorum sine liberis decederet,portionem suam,exceptis bonis maternis eorum & auitis, ei uel eis qui superessent,restitueret. Heraclia soror mortua sine liberis fratrem Phœbum instituit hæredem. Polycrates fideicommissum petierat, & obtinuerat apud Aurelium Proculum proconsulem Achaiæ. Appellatione facta, cum solus Phœbus egisset, uictus est: quia Ei uel eis, uerba, utrosq; fratres complecterentur. Atqui inuicè duos illos tantùm substituerat. Sed & uoluntas hæc patris uidebatur, qui exceperat eorum bona materna: quia Polycrates aliam matrem, & quidem superstitem habebat,cuius etiam fidei commiserat, ut legata quæ ei dederat, intestatò moriens Polycrati filio suo restitueret. *Planè propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi testator comparatiuo uel superlatiuo gradu sit usus: puta, Qui prior Capitolium ascenderit. tunc enim,si duo simul ascenderint,neutri debetur. Quæ exceptio approbatur l.si fuerit.11.in prin. ff.de rebus dubijs. de qua re uide ẽ. lib.prox. cap.6. except.93. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi alia testatoris sententia probetur. Quæ exceptio approbatur uerbis suprà in principio huius regulæ propositis hisce:* Nisi euidens sit contraria sententia testatoris.

XVIII. *Regula habetur l.cum quis.33. §.fin. ff.de leg.3.his uerbis:* Ex his uerbis testamenti, Omnibus, quos quásue manumiserim,siue his tabulis,siue quibuscunq; alijs,filios filiásue suas omnes concedi uolo: quæsitum est,an his quos uiuus manumisisset, debeantur filij? Respondit Scæuola, his quoque, quos quásue ante testamentum factum manumisisset, filios filiásue ex causa fideicommissa præstari oportere. *Similis regula proponitur l. Scæuola.243.ff.de uerb.signif.his uerbis:* Scæuola respondit,&c.

XIX.*Regula: Si uni ex pluribus debeatur,cui hæres uolet,uel Titio aut Seio,&c.cui competat actio,uide ẽ.eod.cap.reg.6.*

XX.*Regula, De uno ex pluribus legatarijs. Etiam uni ex pluribus datur actio sine alijs. Quæ regula uidetur recipere exceptionem hanc:Nisi ita sit legatum,Titio cum Mæuio. hoc enim casu non uidetur alter sine altero admittendus. Verùm exceptio hæc reprobatur infrà lib.prox.cap.5.membr.2.specie 4.*

XXI.*Regula,De nudo executore. Nudo executori testamentorum,cui tantùm legatum est, ut alij restituat,quiq; nullum aliud commodum ex testamento sentit, non datur legati actio. Quæ regula approbatur l. Lucius.78.§.Mæuia.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Mæuia duos filios hæredes reliquerat, & eodẽ testamento ita cauit:Fidei autem hæredum meorum committo, uti omnis substantia mea sit pro depósito sine usuris apud Caiũ Seium & Lucium Titium: quos etiam, si licuisset,curatores substantiæ meę dedissem, remotis alijs,ut hi restituâ nepotibus meis, prout quis eorum ad annos uigintiquinq; peruenerit,pro portione:uel si unus,ei omnem. quæsitum est, an fideicommissum præstari à scriptis hæredibus Lucio Titio & Caio Seio debeat? Scæuola respondit, secundum

ea quæ proponerentur, Lucium Titium, item Caium Seium fideicommissum petere non posse. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi in alimenta sit relictum. Quæ exceptio approbatur l.alio.9.in prin.ff.de alim.legatis, hisce uerbis:* Alio hærede instituto ita scripsit, A te pero Cai Sei, quidquid ex hæreditate mea redegeris, illis meis alumnis des singulis denos aureos, eandemq; summam penes te esse uolo, cuius ex incremento eos alere te uolo, reliquum restitues Numerio colliberto nostro. Papinianus respondit, quamuis distrahere bona Caius Seius alio scripto hęrede non posit:tamẽ eum alumnis relictam pecuniam,ut seruet ac restituat intra Falcidiam, rectè peturum: quando de superfluo probari non potest. *Secunda exceptio est: Nisi in redemptionem captiuorum sit relictum. Hæc exceptio approbatur l.nulli.28.§.1.C.de epi scopis & clericis.de quo alibi.*

XXII.*Regula: Si quis Deo uel alicui sanctorum aliquid reliquerit:quibus detur actio,definitur Nouell. c.131. §.si quis in nomine, usq; ad §.si quis uenerabile, his uerbis:* Si quis in nomine, &c. *Vide item ẽ. lib.28.cap.11.except.90.repl.4.Hactenus de tertio loco actionis legatorum sit dictum, quibus scilicet actio ista competat.Sequitur quartus eius actionis locus,Aduersus quos detur?*

ADVERSVS QVOS LEgatorum actio competat? Cap. II.

HVius loci prima regula est de hæredibus testatoris hæc: *Hæredes testatoris actione legatorum tenentur. Quæ regula approbatur l.legatorum.14.in prin.ff.de leg.2.his uerbis:* Legatorum petitio aduersus hæredes pro partibus hæreditarijs competit, nec pro his qui soluendo non sunt, onerari cohæredes oportet. *Concordat l.si plures.96.ff.de leg.3.cuius hæc sunt uerba:* Si plures sunt gradus hæredum,& scriptum sit,Hæres meus dato: ad omnes gradus hic sermo pertinet, sicuti hæc uerba, Quisquis mihi hæres erit. Itaq; si quis uelit non omnes hæredes onerare legatorũ præstatione,sed aliquos ex his,nominatim dãnare debet. *Concordat item l.si quis.4. §.fin.ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ.excep.prox.repl.6.Concordat item l.si plurib.45.in prin. ff.de leg.2. cuius uerba itidẽ uide d.repl.6. Ait Iurisconsultus:* Pro partibus hæreditarijs competit. *Ergo si pluribus hæredibus existentibus, unus ex ijs pro maiore parte,quàm hæreditaria, legatorum petitione conueniatur, defenditur per exceptionem:quod primæ exceptionis loco aduersus regulam propositam est notandum. Cuius exceptionis replicatio prima hæc est:Nisi cohæredes nõ sint soluendo. Quæ tamen replicatio reprobatur suprà pro positis uerbis hisce:* Nec pro his qui soluendo non sunt,onerari cohæredes oportet. *Concordat l.solent.3.§.fin.ff.de alimentis legatis.cuius uerba uide ẽ.lib.prox. cap.9. in fine. Secunda replicatio est:Nisi ab hæredibus nominatim sit legatum relictum: tunc enim singuli non pro hæreditarijs, sed pro uirilibus partibus tenentur. Quæ replicatio approbatur l. si hæredes.121.ff.de leg.1.his uerbis:* Si hæredes nominatim enumerati dare quid dãnati sunt, propius est ut uiriles partes debeant: quia personarum enumeratio hunc effectum habet,ut exæquẽtur in legato præstãdo. quòd si nominati non essent, hæreditarias partes debituri sunt. *Concordat l.turpia.54.§.fin.ff.eod. tt.his uerbis:* Si pars hæredum nominata sit in legando, uiriles partes hæredes debent: sin uerò omnes, hæreditarias. *Nominatim aũt legatum accipiendũ est,quod à quo legatum sit intelligitur, licet nomen pronunciatũ non sit. l.nominatim.88. ff.de leg.3. Ait Iurisconsultus:* Propius est ut uiriles partes debeãt. *hoc est,æquales,ut ex sequentibus potest colligi. Contradicit l.siue.17.ff.de duob.reis const.cuius hæc sunt uerba:* Siue à certis personis hæredũ nominatim legatum esset,siue ab omnibus, excepto aliquo:Attilicinus,Sabinus & Cassius pro hæreditarijs portionibus in totum eos legatũ debituros aiunt: quia hæreditas in totũ eos obligat. Idem est,cũ omnes nominãtur hæredes. *Tertia replicatio est:Nisi unus promiserit testatori se soluturũ. Hæc replicatio approbatur l.Statius.48.in prin.ff.de iure fisci.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.6.exc.81.repl.2. Quarta replicatio est: Nisi indiuiduũ quid legatum sit.tunc enim quilibet hæredũ tenetur in solidũ. Quæ replicatio approbatur l.si is.79.§.quædã.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Quędã legata diuisionẽ non recipiunt:ut ecce,legatum uiæ,itineris, actúsue: ad nullũ enim eares pro parte potest pertinere. Sed etsi opus municipibus hæres facere iussus est, indiuiduum uidetur legatũ: neq; enim ullum balineum,aut theatrũ,aut stadiũ fecisse intelligitur, qui ei propriã formã, quæ ex consummatione contingit,non dederit. quorũ omnium legatorũ nomine,etsi plures hæredes sint,singuli in solidum tenentur. *Concordat l. ult.ff.de seruit.leg.his uerbis:* Cum à pluribus hęredibus institutis uia legata est: quia partẽ nõ recipit, singuli hæredes in solidum conueniũtur:quia & uno ex hæredibus adeunte,uindicari potest. *Item concordat l.fideicõmissa. 11.§.penult.ff.de leg.3.cuius hæc sunt uerba:* Si in opere ciuitatis faciendo aliquid relictum sit, unumquemq; hęredum in solidum teneri, diuus Marcus & Lucius Verus Procalæ rescripserunt: tempus tamen cohæredi præstituerunt, intra quod mittat ad opus faciendum. Post quod solam Proculam uoluerũt facere imputaturam cohęredi sumptuũ pro parte eius. Ergo & in statua,& in seruitute, cæterisq; quæ diuisionẽ non recipiunt, idẽ diuus Marcus rescripsit. *Huius replicationis du-*

plicatio

duplicatio hæc est: Nisi pecunia generaliter sit legata. Quæ duplicatio approbatur l.hæredes.25. §.fin. cum l.sequente.ff.familiæ erciscundæ,his uerbis: Si pecunia quæ domi relicta nõ est,&c. *Accedit glossa hoc loco.* **Quinta replicatio est:** *Nisi alimenta pluribus relicta sint:tunc enim uel unus hæredum eligendus est,à quo præstentur,uel distributio facienda pro rata. Quæ replicatio approbatur certo modo l.solent.3. ff. de alim.leg.de quo ĩ.lib.proxim.cap.9.quæst.5.* **Sexta replicatio est:** *Nisi pluribus hæredibus scriptis, ita legauerit, Hæres meus dato. Hæc replicatio reprobatur l.si plures.96. ff.de leg.3. his uerbis:* Si plures gradus sint hæredum, & scriptum sit, Hæres meus dato:ad omnes gradus hic sermo pertinet: sicuti hæc uerba, Quisquis mihi hæres erit. Itaq; si quis uelit non omnes hæredes onerare legatorum præstatione,sed aliquos ex his, nominatim damnare debet. *Concordat l.si quis.4. §.fin. ff.de leg.1. cuius hæc sunt uerba:* Si quis hæredes instituerit, & ita legauerit, Quisquis mihi Gallicanarum rerum hæres erit, damnas esto dare:ab omnibus hæredibus uideri legatum, quando ad omnes eos res Gallicanæ pertinent. *Concordat item l.si pluribus.45.in prin. ff.de leg.2. his uerbis:* Si pluribus hæredibus institutis ita scriptũ sit, Hæres meus damnas esto dare aureos quinq; : non quilibet hæres, sed omnes uidebuntur damnari,ut unà quinq; dent. **Septima replicatio est:** *Nisi unius hæredis res sit legata. hic enim uidetur in solidum teneri. Quæ replicatio reprobatur l.si tibi.83.§.penult.ff.de leg.1.his uerbis:* Si fundus ab omnibus hæredibus legatus sit, qui unius hæredis esset: is quidem cuius fundus esset,non amplius quàm partem suam præstabit: cæteri in reliquas partes tenebuntur. **Octaua replicatio est:** *Nisi unus hæredum ob delictum suum conueniatur, puta quòd seruum legatum occidit. tunc enim in solidum tenetur. Quæ replicatio approbatur l.si hæredis.48. §.fin. ff.de leg.1. his uerbis:* Si unus ex hęredibus seruum legatum occidisset, omnino mihi non placet cohæredem teneri, cuius culpa factum nõ est, ne res in rerum natura sit. **Nona replicatio est:** *Nisi ab uno nominatim sit legatum. hic enim in solidũ tenebitur,cæteri nõ tenebuntur.Hæc replicatio approbatur l.si plures.96. in fin.ff.de leg.3. cuius uerba uide §.repl.6. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi quis putans bona sua ad unũ peruentura, cum rogauerit. tunc enim, si postea ad alios quoq; bona iure hæreditario perueniant,pro parte tantum hæreditaria rogatus tenebitur. Quæ duplicatio approbatur l.cum pater.79.§.cum existimaret.ff.de leg.2.his uerbis:* Cũ existimaret ad solam consobrinã suam bona peruentura, codicillis ad eam factis pluribus fideicommissum reliquerat. iure successionis ad duos eiusdẽ gradus possessione deuoluta, rationibus & perpetui edicti exemplo pro parte dimidia mulierem relauandam,respondit Papinianus:sed libertates ab ea præstandas,quas intercidere dãnã causa durum uidebatur. *Concordat l.nonnunquam.14.§.fin. ff.de legat.præstandis, contra tab.bon. possi.§.petita.cuius uerba uide ĩ.cap.ult.quæst.3.reg.2. Concordat item l.epistolam.75. in prin. ff.ad S.C. Trebell.cuius hæc sunt uerba:* Epistolam ad hæredẽ suum in hæc uerba scripsit: Titius Cornelio hæredi suo S. A' te peto Corneli, quoniam ad te deuoluta est pars matris meæ, itẽ pars Sempronij curatoris quondam mei contraria fortuna: si per hoc totus as meus apud te esse sperarur, uti reddas restituas Caio Seio uncias quatuor . quæsitum est, cum Sempronius in integrum restitutus sit ab Imperatore,à quo fuerat deportatus,& adierit hæreditatem, an is quoq; rogatus sit, ut ex sua portione restituat hæreditatem? respondit Scæuola, Sempronium quidem non proponi rogatum: Cornelium autem hæredem debere pro rata portione maternarum defuncti rerum restitutionem Seio facere. *Ex his uerbis, præterquàm quòd duplicatio proposita ijs approbatur, notandum & hoc, quòd quamuis rogatus propter cohæredem pro dimidia tantùm parte tenetur: tamen pro reliqua dimidia parte intercidere legatum, nec ab cohærede præstandum. Cui concordat l.is qui.19. ff.de iure codicill. cuius hæc sunt uerba:* Is qui unum filium habebat,cum codicillos ad eum scripsisset, decessit intestatus, hærede eo relicto, quem postea procreauit: ad agnatione sui hæredis nemo dixerit codicillos euanuisse. Igitur si nihil tum de posthumis sperauit, codicilli non euanescent: & quæ relicta sunt,pro parte dimidia filius, ad quem codicillus factus est, soluere compelletur:non etiam posthumus. Sed etsi codicillos reliquisset duobus superstitibus filijs decedens, cum putaret alterum ex his prius decessisse:simili modo dici potest,omnia perinde debere filium,ad quem scripti sunt codicilli, atq; si solus hæres extitisset patri. Vlpianus notat:Immò duntaxat partem debet:eorũ tamen quæ pro parte præstari non possunt, nihil omnino præstandum: quoniam ille non fuerit filio ablaturus, nisi solum putaret successorem sibi futurum. *Concordat item l.si quis.78.§.si libertus.ff. de leg.1. cuius uerba uide paulò inferius duplicat.5.Ait* Vlpianus: Eorum tamen quæ pro parte præstari non possunt, nihil omnino præstandum. *In hisce uerbis continetur elegans amittendi legati causa, præter eas quæ propositæ sunt suprà. Si enim, cum quis unum putans sibi hæredem fore, eum rogauerit ad id quod diuisionem non recipit præstandum,duo postea extiterint hæredes, intercidit omnino legatum. Cuius tamen causæ exceptio hæc est: Nisi libertas sit relicta. hæc enim nihilominus debetur. Hæc exceptio approbatur l.cũ pater.79. §.cũ existimaret, in fin.*

in fin.ff.de leg.2. cuius uerba uide paulò §.eadem dupl. in prin. Cui concordat l.qui grauiter.11. cum ll.sequentiff.de iure codicill.cuius uerba hæc sunt: Qui grauiter uxorem esse ignorabat, codicillis ad filium scriptis libertates dedit. nata post mortem patris filia,cum de ea nihil patrem sensisse constitisset, placuit libertates à solo filio præstari posse, redemptis à sorore partibus. Illud sine dubio dici non potest, etiam filiam manumittere cogendam,cum ab ea nihil pater petierit, & iure suo hæres extiterit. *Concordat l.alieno.31. §.1. ff.de fideicommiss. libertat. cuius uerba uide §.libro 19.capite 10.quæst.6. reg.4. Propositæ duplicationi cõtradicit l.post emancip.38.in prin.ff.de leg.3. his uerbis:* Post emancipationem patris suscepta,à patruo ut legitimo hærede petierat, ut partem hæreditatis auunculo suo daret:ad utrumque autem ut proximum cognatum successio eius pertinuit per bonorum possessionem . quæsitum est, si ab eodem patruo fideicommissa alijs quoque dederit, utrum in solidum, an uerò pro parte ab eo præstanda sint? Respondit Scæuola,in solidum præstari. *Hæc de prima propositæ replicationis duplicatione sint dicta. Secunda duplicatio est:Nisi rogati portio non sufficiat ad id,quod rogatus est,præstandum. Hæc duplicatio approbatur l.Titius.40.ff. de leg.3. his uerbis:* Titius hæredes instituit Seiam uxorem ex parte duodecima, Mæuiam ex reliquis partibus , & de monumento , quod sibi extrui uolebat, ita cauit: Corpus meũ uxori meæ uolo tradi sepeliendum in fundo illo, & monumentum extrui usq; ad quadringentos aureos. quæro,cum in duodecima parte non amplius quàm centum quinquaginta aurei ex bonis maritiad uxorem peruenianr,an hac scriptura ab ea sola monumentum sibi testator extrui uoluerit? Respondit Scæuola , ab utraq; hærede monumentum pro hæreditarijs portionibus extruendum. **Tertia duplicatio est:** *Nisi postea codicilli ad omnes hæredes sint scripti.Hæc duplicatio reprobatur l.legatorum.34. §. qui plures. ff. de leg.2. his uerbis:* Qui plures hæredes instituit testamento, à quibusdam nominatim reliquit legata,postea codicillos ad omnes hæredes scripsit. quæro,quæ legata debeantur? Modestinus respondit,cum manifestè testator testamento expresserit, à quibus hæredibus legata præstari uellet, licet codicillos ad omnes scripserit: apparet tamen, ea quæ codicillis dedit, ab his præstanda esse , quos munere fungi debere, testamento suo ostendit testator. **Quarta duplicatio est:** *Nisi is ad quẽ codicilli scripti sunt,rem non possideat, sed alius. Quæ duplicatio uidetur approbari l.cum quis.35.§.Seiam.ff.de leg.3.cuius uerba proponentur paulò ĩ.except.4. Huic tamẽ duplicationi uidentur repugnare quæ dicta sunt paulò §.replic.7.* **Quinta duplicatio est:** *Nisi non quantitas, sed species legata sit. tunc enim is, à quo nominatim legata est, non nisi tantam partem in specie legata tenetur præstare,ex quanta hæres scriptus est. Quæ duplicatio approbatur l.si quis.78.§.si libertus.ff.de legat.1. cuius uerba uide ĩ. lib.prox. cap.2. quæst.4.reg.2. except.3. Hæc de nona replicatione cum suis duplicationibus. Decima replicatio est : Nisi cohæres hæreditatem non adierit.tunc enim alter hæres in solidum tenetur. Quæ replicatio approbatur l.si duobus. 16.§.1.ff. de leg.1. his uerbis:* Hæres , adiecto ei nomine cuiusdam qui hæres non sit, dare damnatus , totum legatum debet. nam etsi duos ex hæredibus suis nominatim quis damnasset,& alter hęreditatem non adijsset:qui adijsset,totum deberet, si pars eius qui non adijsset , & ad eum qui adijsset peueniret. *Concordat l.ciuitatibus.119. §.Lucius. ff.eod.tt. l.si Titio.63.ff.de leg.2.De quæ re uide plura §.libro proxim. capite 10.cauf.42. except.3.exemplo 1.* **Vndecima replicatio est:** *Nisi ita legatum sit, Titius hæres meus, aut Mæuius hæres meus,Sempronio decem dato:tunc enim quilibet tenetur in solidum. Quæ replicatio approbatur l.si ex toto.8. §.1. ff.de legat.1. his uerbis:* Si ita scriptum sit, Lucius Titius hæres meus, aut Mæuius hæres meus , decem Seio dato: cum utro uelit Seius aget, ut si cum uno actum sit, & solutum , alter liberetur, quasi duo rei promittendi in solidum obligati fuissent. Quid ergo,si ab altero partem petierit? liberum ei erit ab alterutro reliquum petere. Idem erit, etsi alter partem soluerit. *Concordat l.ille.25. in princip. ff. de leg.3. ubi Paulus:* Ille aut ille hæres Seio centum dato. potest Seius ab utro uelit, petere.. **Duodecima replicatio est:** *Nisi cum ab omnibus legatum esset , postea unus ab onere legati præstandi à testatore sit exemptus. Hæc replicatio approbatur l.ab omnibus.101. in princip.ff.de leg.1.his uerbis:* Ab omnibus hæredibus legatum ita erat, Quisquis mihi hæres erit, damnas esto Titio dare centum. deinde infrà comprehensum erat, ne unus ex hæredibus ei daret. quæritur, reliqui hæredes illius utrum tota centum deberent, an deducta unius hæreditaria portione? Respondit Vlpianus , uerius esse, reliquos hæredes tota centum dare debere: cum & significatio uerborum non repugnet huic sententiæ, & uoluntas testatoris congruat. **Decimatertia replicatio est:** *Nisi cum ab omnibus hæredibus legatum esset, postea unus præcipere atq; præstare iussus sit. hic enim in solidum tenetur. Quæ replicatio approbatur l.si à pluribus.104. in princip. ff. de leg.1. his uerbis :* Si à pluribus hæredibus legata sint ea, quæ unus ex his præcipere iubeatur & præstare: in potestate eorum quibus sit legatum, debere esse Africanus ait, utrúmne à singulis hæredibus petere uelint , an ab eo

eo qui præcipere sit iussus? Itaque eum qui præcipere iussus sit, cauere debere cohæredibus, indemnes eos præstari. *Concordat l. Titia.35.§.penult.ff.de leg.2.his uerbis:* Lucius Titius, relictis duobus filijs suis hæredibus diuersi sexus institutis, addidit caput generale, ut legata & libertates ab his hæredibus suis præstarentur. Quadam tamen parte testamenti à filio petijt, ut omne onus legatorum in se susciperet, in hunc modum: Quęcunq; in legatis reliqui, uel dari præcepi, ab Attitiano filio meo & hærede dari præstarię; iubeo. Deinde subiecit in præceptione relinquenda filiæ suæ hæc uerba: Paulinæ dulcissimæ filiæ meæ si quæ meuiuo comparaui, dedi, sibi habere iubeo: cuius rei quęstionem fieri uero: & peto à te filia charissima, ne uelis irasci, quòd ampliorem substantiam fratri tuo reliquerim, quem scis magna onera sustenturum, & legata quæ suprà feci præstaturum. Quæro, an his extremis uerbis, quibus cum filia sua in testamẽto pater locutus est, effectum uideatur, ut hæreditarijs actionibus filium suum onerarit: an uerò iam solùm propter onus legatorum allocutus esse uideatur, petitiones autem hæreditariæ in utrunq; hæredem creditoribus dari debeant? Modestinus respondit, ut actiones creditorum filius solus exciat, iussisse testatorem, non proponi. *Decimaquarta replicatio est: Nisi uno in testamento, altero in codicillis hærede à milite instituto, legata in testamento, non in codicillis sint relicta. Quæ replicatio reprobatur l.militis.36. in prin. ff. de militari testam. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.23.reg.6.in prin. Hæc de prima propositæ regulæ exceptione, hæredibus testatoris competente, ciuiq; replicationibus sint dicta. Secunda exceptio est:* Nisi *cum ita legatum esset,* Quisquis mihi hæres erit, Seio centum dato: *is hæres extiterit, qui tempore facti testamenti uel legati nondum fuit natus, uel statim mortuo testatore hæres esse non potuit. Hæc exceptio reprobatur l.si ita.9. ff. de leg.3. his uerbis:* Si ita fuerit fideicommissum relictum, Ad quemcunque ex testamento meo uel ab intestato: uel ita, Ad quemcunque quoquo iure bona mea peruenient: hac oratione & eius qui postea natus erit, inúe eam familiam uenerit, & eius qui postea cognatus esse cœperit, fidei commissum uidetur: eius quoque quæ nondum nupta erit, sed postea, eo scilicet casu, quo ex edicto ad uxorem bona mariti intestati solent pertinere. *Plura de hac exceptione uide ẽ.lib.proxim. cap.10.causa 42. except.1. replic.6. duplic.1. Tertia exceptio est:* Nisi *alius, non hæres à testatore rogatus sit: tunc enim aduersus rogatum, non aduersus hæredem defuncti competit actio. Quæ exceptio ipso iure subsistit, ut ex præcedentibus constat, decq; ea re dicetur j.reg.prox. Quarta exceptio est:* Nisi *res legata penes alium sit. Hæc exceptio approbatur l.liberto.21. §.largius.ibi: ex ea enim numer.ff.de annuis legatis. cuius uerba uide j.cap.9. caut.2. except.5. Sed reprobatur exceptio proposita in casu l.Firmio.26.§.1 ff.quando dies leg.ced. his uerbis:* Cum ab hæredibus alumno centũ dari uoluisset testator, eamq; pecuniam ad alium transferri, ut in annum uicesimumquintum trientes usuras eius summæ perciperet alumnus, ac post eam ætatem sortem ipsam: intra uicesimumquintum annum eo defuncto, transmissum ad hæredem pueri fideicommissum, reliquit Papinianus. Cum autem fideicommissum ab eo peti non posset, penes quem noluit pecuniam collocari, propter hæc uerba, Eamq; alumno meo post ætatem suprascriptam curabis reddere: fideicommissum ab hæredibus petendum, qui pecuniam dari stipulari debuerunt: sed fideiussores ab eo non petendos, cuius fidem defunctus secuti maluit. *Planè si dimidia pars hæreditatis, quam hæreditatem hæres cum extraneo possidet, alicui per fideicommissum relicta esset, potest fideicommissarius istam partem dimidiam non ab hærede, sed ab extraneo per in rem actionem petere. de qua re dictum ẽ.lib.21.cap.6.quæst.3.reg.2. cuius exemplum proponitur l.cum quis.35. §.Seiam. ff. de leg.3. his uerbis:* Seiam & Mæuium libertos suos æquis partibus hæredes scripsit, Mæuio substituit Sempronium pupillum suum: deinde codicillos per fideicommissum confirmauit, quibus ita cauit: Lucius Titius Seiæ hæredi suæ, quam pro parte dimidia instituisti, salutem. Mæuium libertum meum, quem in testamento pro parte dimidia hęredem instituit, eam partem hæreditatis uero accipere, cuius in locum partémue eius Publium Sempronium dominum meum hæredem esse uolo. Et Mæuio, ad quem hæreditatis portionem noluit peruenire, cum hoc elogio fideicommissum reliquit: Mæuio liberto meo, nihil de me merito, dari uolo lagenas uini uetusti centum quinquaginta. quæsitum est, cum uoluntas testatoris hæc fuerit, ut omnimodò perueniat portio hæreditatis ad Sempronium pupillum, an fideicõmissum ex uerbis suprascriptis ualere intelligatur, & à quo Sempronius petere possit, cum ad certam personam codicillos scripserit? Respondit Scæuola, posse fideicommissum à Mæuio peti. *Quinta exceptio est: Nisi hæres hæreditatem uendiderit. Et hæc exceptio reprobatur l.2.C.de legatis, his uerbis:* Quamuis hæres institutus hæreditatem uendiderit, tamen legata uel fideicõmissa ab eo peti possunt: & quod eo nomine datum fuerit, uenditor ab emptore & fideiussoribus eius petere poterit.

11. Regula, De legatario uel alio rogato. Aduersus hunc

hunc quoq; legati scit fideicommissi actio competit. Quæ regula sine cuiusquam indignatione iusta est: uerum eius exceptio prima hæc est: Nisi legatario legatum sit ademptum, uel ex alia causa non adquirat, & ob id res legata apud hæredem remaneat. tunc enim actio non aduersus legatarium, cuius fidei commissum est, sed aduersus hæredem testatoris datur. de qua re uide ẽ.lib.proxim.cap.10. causa 42. except.1. exemplo 3. Secunda exceptio est: Nisi testator demonstrare potius uoluit, unde pecunia legata sumenda sit, quàm onerare personam. Hæc exceptio approbatur l.Paula.27.§.fin. ff. de leg.3. his uerbis: Iulianus Seuerus decedens, institutis quibusdam hęredibus, alumno suo quinquaginta legauerat, eaq; à Iulio Mauro colono suo ex pensionibus fundi ab eo debitis pręstari uoluit, itemq; Mauro quædam legauerat. cum de hæreditate fiscus quæstionem mouisset, iussu procuratoris Maurus pecuniam fisco soluerat: postea hæres scriptus obtinuerat aduersus fiscum: alumno autem mortuo, hæres eius fideicommissum ab hærede Mauri petebat. placuit Imperatori, nõ uideri eius fidei commissum, sed demonstratum unde accipere posset, & ideo hæredem Seueri hæc præstare debere. *Tertia exceptio est: Nisi id quod sibi debetur, alij legatum sit. tunc enim aduersus hæredem acto datur ad actiones præstandas. Quæ exceptio approbatur per ea quæ habentur j.lib.proxim. cap.12.in princip. Concordat l.si seruus.105. §.qui margaritam. ff. de leg.2. his uerbis:* Qui margaritam Titio pignori dederat, filium hæredem instituit, & filiam exhæredauit: deinde ita cauit, Te Titi rogo, fideiq; tuæ committo, ut margaritam, quam tibi pignori dedi, uendas, & deducto omni debito tuo, quod amplius erit, id omne filiæ meæ restituas. ex ea scriptura filiam à fratre fideicommissum petere posse, ut is actiones suas aduersus debitorem ei præstaret. hoc enim casu eum qui creditor fuisset, debitorem intelligendum, eius scilicet, quo precium pignoris summam debiti excedat. *Quarta exceptio est: Nisi ita quis sit rogatus, ut accepta certa quantitate fideicommissum alij præstet. Quæ exceptio approbatur d. §.qui margaritam, his uerbis:* Non autem mirandum, si alius rogatus sit, alius fideicommisso obstringatur. nam & cum in testamento ita scribitur, Rogo te Titi, ut acceptis centum illum seruum manumittas, uel Sempronio quid præstes: parum quidem aptè scribi, uerùm æquè intelligendum hæredis fidei commissum, ut pecuniam Titio præstet: ideoq; & ipsum Titium cum hærede acturum, & libertatem seruo, uel Sempronio quod rogatus sit, præstare cogendum. *Sanè de actione Titij hoc casu dictum est ẽ.libro proxim. capite 6. except.74. §. huic simile. nec ad hunc locum ea pertinet. Quinta exceptio est:* Nisi *non rogatus sit legatarius, sed post eius mortem alij legatum. Hæc exceptio reprobatur l. codicillis.34. in princip.ff. de usufruct.legat.his uerbis:* Codicillis fideicommissa in hæc uerba dedit: Libertis libertabusq; meis, & quos in codicillis manumisi, fundum, ubi me humari uolui, dari uolo, ut qui ex his decesserit, portio eius reliquis adcrescat, ita ut ad nouissimum pertineat: post cuius nouissimi decessum ad rempublicã Arelatensium pertinere uolo: hoc amplius libertis libertabusque meis habitationes in domo, quandiu uiuent: sed Pactiæ & Trophimæ diætas omnes, quibus uti consueui: quam domum post mortem eorum ad eandem rempubl. pertinere uolo. quæsitum est, reipubl. fideicommissum utrum ab hærede, an à libertis datum sit? Respondit Scæuola, secundum ea quæ proponerentur, posse ita uerba accipi, ut eius legatarij, qui nouissimus decederet, fidei commissum uideatur. Item quæsitum est, defunctis quibusdam ex libertis, quibus habitatio relicta erat, an portiones domus, in qua habitauerant, iam ad rempublic. pertineant? Scæuola respondit, quoad aliquis eorum uiuat, fideicommissum reipublic. non deberi. *Sexta exceptio est: Nisi conditio tantùm in legatarij personam sit collata, hæres autem nominatim rogatus. Quæ exceptio approbatur l.si quis.3. §.si quis ita. ff. de adimend. legat. his uerbis:* Si quis ita legauerit, Hæres meus Titio fundum dato, & si Titius eum fundũ alienauerit, hæres meus eundem fundum Seio dato: oneratus est hæres. non enim à Titio fideicommissum relictũ est, si alienasset fundum, sed ab hærede eius legatum est. hæres igitur debebit doli exceptione posita, prospicere sibi cautione à Titio de fundo non alienando.

111. Regulá, De hærede rogati, seu eius à quo legatum est. *Hæres quoq; eius à quo legatum est, legati actione tenetur. quæ regula approbatur l.cum ita.33.§.quod à leg. ff. de leg.2. his uerbis:* Quod à legatario petitum erat, ut alij restitueret: si legatarius decedat, hæres quoq; eius id quod legatũ est, præstare debebit. *Cõcordat l.sed & si.6. ff. de leg.3. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.4. except.40. repl.10. Concordat item l.si quis.36. ff. de condition. & demonst. cuius uerba uide ẽ.lib.prox. causa 44. Concordat item l.Publius.35.§.fin. ff. eod.tt. cuius uerba uide j. cap.8.reg.3.except.4. Item concordat l.quamuis.40.§.1. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide j. lib.prox.cap.2. quæst.1.except.5.repl.3. Propositæ regulæ exceptiones uide j.lib.prox.cap.8.quæst.6.*

1111. Regula, De eo ad quem portio legati peruenit, cum ad rogatum nihil peruenerit. *De hoc uide ẽ. lib.prox.cap.10.causa 42.except.1.*

V. Regula, De fisco ad quem bona rogati peruenerunt. *Et is legatarijs tenetur. quæ regula approbatur*

l.Statius.48.§.fin.ff.de iure fisci,his uerbis: Cornelio Fœlici mater scripta hæres rogata erat hæreditatem restituere post mortem suam. cum hæres scripta condemnata esset,& à fisco omnia bona mulieris occuparentur,dicebat Fœlix, se ante pœnam esse. hoc enim constitutum est. *Hæc regula non solùm locum habet,si bona rogati ad fiscum peruenerint:sed & si portio eius,uel legatum ei relictum,uel ipsius defuncti hæreditas. de quo dictum ẽ.lib.prox.cap.10. causa 42.except.1.exemplo 6.& repl.9.*

VI.Regula,*De possessore rei legatæ,à quo res legata uindicari potest.* De qua re uide ẽ.cap.11.reg.1.

VII.Regula:*Si is à quo legatum relictum est,hæreditatem uel legatum accepta pecunia uel in fraudem legatorum repudiauit, etiam aduersus eum ad quẽ per uenit, datur actio utilis. de quo uide ẽ.lib.prox.cap.10. causa 42.except.3 & 4.*

VIII.Regula: *Si inter duos de hæreditate ex testamento sit controuersia, aduersus utrunq; datur actio legatorum . quæ regula approbatur l.hæc autem.4. §. si duo. ff.si cui plus quàm per leg. Falcid.&c. his uerbis:* Si duo ex testamẽto hæreditatem in solidũ sibi uindicent, fortè quòd eiusdem nominis sint: tam in possessorem,quàm in petitorem competunt actiones & creditoribus & legatarijs.

IX.Regula : *Si à filiõ uel seruo hærede legatum relictum sit, aduersus patrem uel dominũ competit actio. quæ regula ipso quidẽ iure subsistit: de quo ẽ.de Actionibus est dictum.* Approbatur item *l.quamuis.40. §.1. ibi:uel pater. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide ẽ.lib. prox.cap.3.quæst.1.except.5.repl.3. Eius autem exceptio prima hæc est:* Nisi filius emancipatus , *uel seruus manumissus per se adierit hæreditatem: tunc enim aduersus ipsum filium uel seruum competit.quæ exceptio approbatur l.à patre.4.ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ. lib.prox.cap.4.except.40.repl.7.in fin. Secunda exceptio est:Nisi dominus seruum alienauerit,isq; noui domini iussu adierit. tunc enim aduersus emptorem competit actio.de quo ẽ.de Actionibus est dictum. Eius autem replicatio hæc est :* Nisi *cum dominus rogatus esset hæreditatem restituere, seruum certo precio uendiderit; tunc enim prior dominus uenditor, non emptor tenetur. quæ replicatio approbatur cũ conditione l.planè.91.§.1.ff.de leg.1.his uerbis:* Cum qui rogatus erat hæreditatem,ex qua seruus eius hæres institutus erat,restituere, alij seruum uendi disset : quæsitum est, an hæreditatem restituere cogendus esset is,ad quem hæreditas ex emptione serui hæredis scripti peruenisset? dixit Iulianus , compellendum esse ad fideicommissum restituendum eum , qui seruum suum hæredem scriptum uendidit, cum precium hæreditatis , quam restituere rogatus est,habeat. Is autem ad quem hæreditas ex emptione serui hæredis scripti peruenerit,ex causa cogendus erit fideicõmissum præstare:id est, si dominus serui hæredis scripti soluendo non erit.

X. Regula, *De curatore hæredis furiosi. Aduersus hunc quoq; actio competit. quæ regula approbatur l. Licinius.49.§.fin.ff.de leg.2.his uerbis:* Bonorum possessione dementis curatori data , legata à curatore , qui furiosum defendit,peti poterunt: sed qui petent, cauere debebunt, si hereditas euicta fuerit, quod legatorum nomine datum sit,redditum iri.

XI. Regula: *De altero legatario, cui res est restituta,uide l.1. §.si decem,in fin. ff.ut leg.seruan.causa cau. de qua re uide ẽ.lib. prox. cap.11. causa 54. exemplo 2. except.3. in fin. Hæc de quarto legatorum actionis loco , Aduersus quos competat ? Nunc quintus eius locus sequitur , Quid, quale & quantum ueniat in ea petendum?*

QVID VENIAT IN ACTIONE legatorum? Cap. III.

HVius loci prima regula hæc est , *Quòd legatarius hac actione agat ad soluendum id quod est legatum . de qua re uide ẽ. libro prox. cap.12. causa 58.*

II.Regula: *Si res aliena legata sit, tenetur hæres ad eam redimendam & præstandam. quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt ẽ.lib. prox.cap.5.except.49.*

III. Regula: *Si res alij obligata legata sit, hæres ad eam luendam & præstandam tenetur. quæ regula approbatur simul & distinguitur l.si res obligata.57. ff. de leg.1.his uerbis:* Si res obligata per fideicommissum fuerit relicta: siquidem scit eam testator obligatam, ab hærede luenda est, nisi alio animo fuerit:si nesciat,à fideicommissario:nisi uel hanc,uel aliã rem relicturus fuisset, si sciisset obligatã, uel potest aliquid esse superfluum exoluto ære alieno. Quòd si testator eo animo fuit,ut quanquam liberandorum prædiorum onus ad hæredes suos pertinere uoluerit , non tamen utiq; apertè de his liberandis senserit: poterit fideicommissarius per doli exceptionem à creditoribus, qui hypothecaria secum agerent, consequi , ut actiones sibi exhiberentur: quod quanquã suo tempore nõ fecerit, tamẽ per iurisdictionem præsidis prouinciæ id ei præstabitur. *Ait Iurisconsultus:* Siquidem scit eam testator obligatam , ab hærede luenda est. *Hisce uerbis regula proposita approbatur.cui concordat Inst.de legatis.§.sed etsi rem.cuius uerba uide ẽ.except.2.Concordat item l.prædia.6.C.de fideicommissis, cuius hæc sunt uerba:* Prædia obligata per legatum uel fideicommissum relicta,hæres luere debet , maximè cum testator conditionẽ eorum nõ ignorauit: aut si sciisset, legaturus aliud tibi,quod non minus esset,fuisset. *Idẽ iuris est,si testator prædia legata postea pignori obligauit: de quo uide ẽ.lib.prox.cap.8.caus.5. Ait Iurisconsultus:* Nisi alio animo fuerit. *Hisce uerbis approbatur*

prima contra regulam propositã exceptio , hæc scilicet : Nisi testator legatarium luere rem obligatam uoluerit. Cui concordat Inst.de legatis.§.sed etsi rem suam,in fine,his uerbis: Si tamen defunctus uoluerit legatarium luere , & hoc expresserit, non debet hæres eam luere. *Ait Iurisconsultus:* Si nesciat,à fideicommissario. *Hisce uerbis secunda exceptio approbatur,hæc nimirum:* Nisi testator *ignorauit rem obligatam fuisse.Concordat Instit.d. §.sed etsi rem suam,his uerbis:* Si rem suam obligaram creditori aliquis legauerit , necesse habet hæres eam luere. Et in hoc quoq; casu idem placet quod in re aliena , ut ita demũ luere necesse habeat hæres, si sciebat defunctus rem obligatam esse.Et ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. *Planè sequitur d. l.57.replicatio his uerbis:* Nisi uel hanc uel aliam rem relicturus fuisset, si sciisset obligatã, uel potest aliquid esse superfluum exoluto ære alieno. *Cui replicationi concordat l.prædia.6.C.de fideicommissis.cuius uerba uide paulò superius.Postremò d.l.57.inquit Iurisconsultus:* Quòd si testator eo animo fuit,ut quanquam liberandorũ prædiorum onus ad hæredes suos pertinere uoluerit,non tamẽ utiq; apertè de his liberandis senserit: poterit fideicõmissarius per doli exceptionem à creditoribus,qui hypothecaria secum agerent, consequi , ut actiones sibi exhiberentur,&c. *Hisce uerbis adsine remedium actionis ex testamento de luendo pignore proponitur, actio scilicet personalis, pro qua res fuit obligata:ea enim ut sibi aduersus hæredes cedatur,à creditoribus legatarius per exceptionem,uel officio iudicis consequi potest. Tertia propositæ regulæ exceptio est:* Ni *si testatori qui dotem relegauit , res alij obligata in dotem fit data. quæ exceptio approbatur l.antepenult.ff. de dote relegata,his uerbis:* Licet placeat,pignoratas res, uel in publicum obligatas , hæredem qui dare iussus est,liberare debere: tamen si is qui tales res in dotem accepit,dotem prælegauerit, non cogetur hæres liberare eas , nisi specialiter aliud testator dixerit.

III.Regula : *Si res legata sit amissa, ut inueniri in præsentia non possit,uel seruus legatus fugerit,uenit in actionem legati,ut hæres caueat de re quærenda,& seruo persequendo , uel de inuenta restituenda . de qua re uide ẽ.lib.prox.cap.11.causa 52 & 56.*

V.Regula:*Ante diem uel conditionem legati existentem legatarius agere potest,ut sibi caueatur,die ueniente uel conditione existente sibi legatum restitutum iri. de qua cautione infrà dicetur peculiari capite.*

VI. Regula: *Sed & uenit in actione legatorum, ut hæres legatario de euictione caueat . de qua re dictum ẽ.lib.prox.cap.2.reg.4.*

VII. Regula : *Si legatarius, cuius fidei commissum est,suum legatũ nondum exegit, ad actionem suam præstandam tenetur. quæ regula constat ex ijs quæ dicta sunt ẽ.lib.prox.cap.4.except.40,repl.2.Vtrum autem in solidum , an pro quantitate fideicommissi actionem cedere teneatur,definitur l.Imperator.72.in prin.ff.de leg.2.his uerbis:* Quid ergo, si non totum, sed partem legati relicti restituere rogatus abstineat eo:utrum actionibus suis in totum cogetur cedere,an uerò non nisi ad eam quantitatem,quæ fideicõmisso continetur?quod ratio suadet. sed etsi legatum percepit, non amplius ex causa fideicommissi cogendus erit soluere,quàm perceperit.

VIII.Regula: *Si nomen sit legatum,uel id quod sibi debetur,hæres ad præstandam actionem tenetur. de qua re infrà dicetur de actione legata.*

IX.Regula,*De eo quod rei legatæ accessit.Id quoq; in legati actionem uenit . quæ regula approbatur l.sæpe.16. ff.de leg.3. his uerbis:* Sæpe legatum plenius restituitur fideicommissario, quàm est relictũ : ueluti si alluuione ager auctus est, uel etiam insulæ natæ. *Concordat l.si ex toto.8. in prin.ff.de leg.1.ubi Pomponius:* Si testator adiecisset aliquid fundo legato,augmentum legatario cederet. *Concordat item l.quod in rerum. 24.§.si quis post. ff.de leg.1.ubi idem Pomponius:* Si quis post testamentum factum fundi Titiani legato partem aliquam adiecerit, quam fundo Titiano destinaret: id quod adiectũ est,exigi à legatario potest:& similis est causa alluuionis, maximè si ex alio agro, qui fuit eius cum testamentum faceret,eam partem adiecit. *Concordat item l.Iuliano.66.§.fin.ff. de leg.3.cuius uerba uide ẽ.cap.prox.de ijs quæ ibi sunt legatis,reg.1.exc.8.Concordat item l.fundum.3.in prin. ibi:sed & medij.ff.de instrum.legato. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.de fundo legato,reg.4.in fine. Concordat item l.si mancipia.19.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.cap.prox.de instr.fundi legato,reg.8. Concordat itẽ l.si statuã.15.ff.de auro legato,his uerbis:* Si statuam legauero, & postea ex alia statua brachium ei adiecero : omnimodò statua à legatario uindicari potest. *Huius etiam loci est l.grege leg.21. ff.de leg.1.ubi Vlpianus:* Grege legato *(inquit)* & quæ postea accedunt, ad legatarium pertinent. *Concordat Instit.de legatis.§.si grex.cuius uerba hæc sunt:* Grege legato,etiam eas oues,quę post testamentũ factum gregi adijciuntur, legato cedere , Iulianus ait. Est autẽ gregis unum corpus ex distantibus capitibus,sicut ædium unũ corpus est ex cohærentibus lapidibus. Aedibus deniq; legatis,colũnas & marmora,quę post testamentũ factum adiecta sunt,legato dicimus cedere. *Huc etiam pertinet l.si areæ.40.ff.de leg.2.ubi Papinianus:* Si areæ legatæ *(inquit)* post testamentũ factum ædificium impositũ est,utrunq; debebitur,& solum & superficies. *Cui concordat l.seruum.44. §.si areæ.ff.de leg.1.his uerbis:* Si areæ legatæ domus imposita sit, debebitur legatario , nisi testator mutauerit uoluntatem. *Huc etiam pertinet l.peculium.67. in prin. ff.de legatis 2. ubi Papinianus;*

pimianus: Peculium legatum(inquit)augeri & minui potest, si res peculij postea esse incipiant aut desinant. Idem in familia erit, siue uniuersam familiam suam, siue certam, ueluti urbanam aut rusticam, legauerit, ac postea seruorum officia uel ministeria mutauerit. eadem sunt in lecticarijs aut pedisequis legatis. *Auro quoq; legato uel argento, gemma ei inclusa legatario debetur. quod exemplum cum alijs similibus proponitur l. cum aurum. 20. §. perueniamus, cum l. sequente. ff. de auro legato, his uerbis:* Peruenimus & ad gemmas inclusas argento auroq;: & ait Sabinus, auro argentóue cedere, ei enim cedit, cuius maior est species. quod rectè expressum est. Semper enim, cum quærimus, quid cui cedat, illud spectamus, quid cuius rei ornandæ causa adhibeatur: ut accessio cedat principali. Cedant igitur gemmæ phialis uel lancibus inclusę auro argentóue: sed & in coronis mensarum gemmæ coronis cedent, ut hæ mensis: & in margaritis quoq; & auro idem est. nam si margaritæ auro ornandi gratia adhibitæ sint, auro cedunt: si contrà, aurum margaritis cedet. Idem & in gemmis annulis inclusis. Secundum hoc, siue gemmæ in aureis sunt uasis, siue in argenteis, auro argentóue cedét: quoniam hoc spectamus, quæ res cuius rei ornandæ causa fuerit adhibita, non quæ sit preciosior. Si ut habiliter gemmæ geri possint, inclusæ auro fuerint, tunc aurum gemmis cedere dicimus. *Simile exemplum proponitur l. si quando. 30. ff. eod. tt. his uerbis:* Si quando alterius generis materia auro argentóue iecta sit, si factum aurum uel argentum legetur, & id quod iniectum est, debetur: utra autem utrius materiæ sit accessio, usu atque usu rei & consuetudine patrisfamiliâs æstimandum est. *De hisce posterioribus exemplis uide ĩ. cap. prox. de auro legato, reg. 4. Porrò regulæ propositæ exceptio prima hæc est: Nisi testator partem adiectam separatam habuit. quæ exceptio approbatur l. cum fundus. 10. ff. de leg. 2. his uerbis:* Cum fundus nominatim legatus est, si quid ei post testamentum factum adiectum sit, id quoque legato cedit: etiamsi illa uerba adiecta non sint, Qui meus erit: si modò testator eam partem non separatim possedit, sed uniuersitati prioris fundi adiunxit. *Secunda exceptio est: Nisi fructus sint rei legatæ. hi enim non cedunt accessionis loco. de quo paulò inferius reg. 11. Tertia exceptio est: Nisi mancipia sint legata. tunc enim partus non debentur. quæ exceptio approbatur l. uxorem. 39. §. sorori. ff. de leg. 2. his uerbis:* Sorori legauit homines, quos nominauit testamento, eiusq; fidei cõmisit, ut eadem mancipia filijs suis, cum obiret, restitueret. quæsitum est, adgnata ex his an defuncti filijs, an hæredibus restituenda sint post mortem legatariæ, an remaneát apud hæredes eius? Respondit Scæuola, quę postea adgnata essent, uerbis fideicommissi non contineri. *Concordat l. Licinius. 49. in prin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Licinius Locusta Proculo suo S. Cum faciat conditionem in releganda dote, utrũ mallet uxor mancipia, quæ in dotem dederat, quàm pecuniam numeratam recipere: & si ea mancipia uxor malit, nunquid ea etiam mancipia, quæ postea ex his mancipijs nata sunt, uxori debeantur, quæro? Proculus Locustæ suo S. Si uxor mallet mancipia, quàm dotem accipere: ipsa mancipia, quæ æstimata in dotem dedit, non etiam partus mancipiorum debebuntur. *Concordat item l. penult. ff. de opt. legata. cuius uerba uide ĩ. lib. proxim. cap. 11. quæst. 6. reg. 3. Concordat item l. moram. 14. ff. de usuris & fructibus, his uerbis:* Hæres rogatus erat, post mortem suam sine reditu hæreditatem restituere. quæsitum est, an partus ancillarum etiam uiuo hærede nati, restituendi essent propter uerba testamenti, quibus de reditu solo deducédo testator sensisset? Paulus respondit, ante diem fideicommissi cedentem partus ancillarum editos fideicommisso non contineri. Neratium quoq; libro primo referre, eum qui similiter rogatus esset, ut meliorem restitueret, partũ eius restituere cogendum non esse: nisi tunc editus esset, cum in fideicommisso restituendo moram fecisset. Neq; interesse existimo, specialiter ancilla, an hæreditas in fideicõmisso sit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi post moram factam partus sit editus. quæ replicatio approbatur uerbis d. l. 14. iam propositis hisce:* Nisi tunc editus esset, cum in fideicommisso restituendo moram fecisset. *Concordat l. partum. 10. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. lib. 36. cap. 10. quæst. 1. excepti. 1. repl. 1. Concordat item l. cum seruus. 39. §. ipsius quoq;. ff. de leg. 1. his uerbis:* Ipsius quoq; rei interitũ post moram, sicut in stipulatione: item partus ancillarũ? & si seruus fuerit legatus, & uel hæredi as, uel legatum, uel aliud per eum adquisitum sit: hæres præstare debet. *Secunda replicatio est: Nisi pater filiæ mancipia, quæ nubenti dedit, per fideicommissum reliquit. Tertia replicatio est: Nisi maritus uxori mancipia, quæ uiuus ei donauit, per fideicommissum reliquit. quæ duæ replicationes approbantur l. cum pater. 79. §. pater filiæ. ff. de leg. 2. his uerbis:* Pater filiæ mancipia, quæ nubenti dedit, uerbis fideicommissi præstari uoluit. partus suſceptos (etsi matres ante testamentum mortuæ fuissent) ex causa fideicommissi præstandos, respondit Papinianus: nec aliud in uxore confirmatis donationibus pridem obseruatum est. *Quarta replicatio est: Nisi fundus instructus sit legatus: tunc enim etiam augmenta partium debentur. quæ replicatio approbatur l. fundum. 3. in prin. ff. de instrum. lega-*

to. de quo ĩ. cap. proxim. de fundo legato, reg. 4. in fin. Quinta replicatio est: Nisi hæreditas per fideicommissum sit relicta: tunc enim partus quoq; in restitutione ueniunt. quæ replicatio approbatur l. mulier. 22. §. sed enim si quis. ibi: præterea etsi. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis: Præterea etsi qui partus extent, & partuum partus: quia in fructibus hi non habentur, in restitutione ueniunt. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi hæreditatem exceptis reditibus restituere sit rogatus hæres. Hæc duplicatio reprobatur l. deducta. 58. §. hæreditatem. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Hæreditatem post mortem suam exceptis reditibus restituere rogatus, an cillarum partus non retinebit: sed nec fœtus pecorum, qui submissi gregem retinét. *Contradicit l. moram. 14. in fine. ff. de usuris & fructibus. cuius uerba uide ĩ. cod. except. in prin. Hæc de tertia exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta. Quarta exceptio est: Nisi non species, sed genus sit legatum, ita: Vestem meam, argentum meum, seruos meos do lego. tunc enim uestis, argentum, uel serui, qui post testamentum factum accedunt, non debentur. quæ exceptio approbatur l. si ita. 8. ff. de auro legato, his uerbis:* Si ita legatum esset, Vestem meam, argentum meum damnas esto dare: id legatum uideretur, quod testamenti tempore fuisset: quia præsens tempus semper intelligitur, si aliud comprehensum non sit. Nam cum dicit, Vestem meam, argentum meum: hac demonstratione MEVM præsens, non futurũ tempus ostendit. Idem est, etsi quis legauerit, Seruos meos. *Concordat l. medico. 41. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. cap. proxim. de auro legato, reg. 11. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per uerbum futuri temporis sit legatum: ueluti, Aurum, quod meum erit, &c. Hæc replicatio approbatur l. scribit. 35. §. fin. ff. eod. tt. de qua re uide ĩ. lib. proxim. cap. 8. causa 5. except. 1. repl. 1. Secunda replicatio est: Nisi certum corpus ita legatum sit, Quod meum est. quæ replicatio approbatur l. super. 83. §. & ideo elegans. ff. de leg. 3. de quo ĩ. lib. prox. cap. 5. quæst. 2. specie 3. except. 1. repl. 1. Tertia replicatio est: Nisi tempore testamenti testator emendum mandauerit. quæ replicatio approbatur l. cum quidam. 4. ff. de auro legato, his uerbis:* Cum quidam libertum suum in Asiam misisset ad purpuras emendas, & testamento uxori suæ lanam purpuream legasset: pertinere ad eam, si quam purpuram uiuo eo libertus emisset, Seruius respondit. *Hæc de quarta exceptione. Quinta exceptio est: Nisi ex causa pignoris accesserit. Hæc exceptio reprobatur, certo tamen modo, l. Iuniano. 66. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Iuniano Vlpianus respondit, testatorem adijciendo, Prædium Seianum omne: eam quoq; partem fundi supraſcripti, quasi ad se pertinentem, uideri per fideicommissum reliquisse, quam ex causa pignoris nactus esset, saluo scilicet iure debitoris.

debetur. quæ regula approbatur l. quod in rerum. 24. §. quòd si post. ff. de leg. 1. his uerbis: Quòd si post testamentum factum ex fundo Titiano legato aliquid detraxit, & alio fundo adiecit: uidendum est, utrúmne eam quoq; partem legatarius petiturus sit: an hoc minus, quasi fundi Titiani esse desierit, cùm nostra destinatione fundorum nomina & domus, non natura constituantur? & magis est, ut quod alij destinatum est, ademptũ esse uideatur. *Concordat l. si ex. 8. in prin. ff. de leg. 1. ubi Pomponius:* Si ex toto fundo legato testator partẽ alienasset, reliquã duntaxat partem deberi placet. *Concordat item l. peculium. 67. in prin. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. item l. fundum. 3. in prin. ibi: item detrimenta. ff. de instrum. leg. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. de fundo legato, reg. 4. Sed & de regula proposita uide ĩ. lib. prox. cap. 8. causa 5. except. 1. item cap. 11. causa 51. Planè si pluribus sit legatum, sed ex disparib. partibus, singulis pro rata decedit. Quod approbatur exemplo l. si quis testamento. 78. §. 1. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ĩ. cap. 7. reg. 25. except. 7. in fine.*

XI. Regula, *De fructibus rei legatæ, usuris, & omni causa & commodo. Fructus rei legatæ, usuræ, & alia quæ reus ex re legata percepit, regulariter non debentur legatario. quæ regula approbatur l. si quis. 23. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si quis bonorũ partem legauerit (ut hodie fit) sine fructibus restituitur, nisi mora hæredis interceſſerit. *Concordat item l. in fideicommissariã. 18. in prin. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba paulò inferius proponẽtur, except. 5. Concordat d. l. 18. §. quoties, his uerbis:* Quoties quis rogatur hæreditatem restituere, id uideturrogatus reddere, quod fuit hæreditatis: fructus aũt non hereditati, sed ipsis rebus acceptos feruntur. *Concordat l. cum pater. 79. §. filia. ff. de leg. 2. ubi Papinianus:* Filia mea præcipiat (inquit) sibiq; habeat uolo rem matris suę. fructus quos medio tempore pater percepit, nec in separato habuit, sed assumpsit, & in suum patrimonium conuertit, nõ uidentur filiæ relicti. *Idem etiam iuris est in partu ancillæ legatæ, ut ĩ. regul. 9. except. 3. est ostensum. Ait in lege superius proposita iurisconsultus:* Nisi mora hæredis interceſſerit. *Hisce uerbis prima aduersus regulã propositam exceptio approbatur, hæc scilicet: Nisi post moram factam fructus sint percepti. mora enim facta, fructus & omnis causa debetur, & usuræ currunt. quæ exceptio approbatur etiam l. is qui. 26. ff. de leg. 3. his uerbis:* Is qui fideicõmissum debet, post morã nõ tantùm fructus, sed etiã omne damnũ, quo affectus est fideicõmissarius, præstare cogitur. *Concordat item l. in fideicommissariã. 18. in prin. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba uide ĩ. except. 2. Concordat item l. equis. 8. ff. de usuris & fructibus, ubi Papinianus:* Equis per fideicõmissum relictis (inquit) post morã fœtus quoq; præstabitur, ut fructus: sed fœtus secundus, ut causa, sicut partus mulieris. *Concordat item l. equis. 39. ff. eod. tt. his uerbis:* Equis per

fideicommissum legatis, post moram hæredis fœtus quoq; debentur. *Idem iuris etiam in usuris est, & cæteris obuẽtionibus. Nam ita l. usuræ. 34. ff. d. tt. de usuris,* Vlpianus: Vsuræ *(inquit)* uicem fructuum obtinent, & meritò non debent à fructibus separari: & ita in legatis & fideicommissis, & in tutelæ actione, & in cæteris iudicijs bonæ fidei seruatur. hoc idem in cæteris obuentionibus dicemus. *Concordat item l. cum res. 47. in prin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 12. causa 58. exc. 2. Concordat item l. quæsitũ. 88. §. fin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ȝ. repl. 2. Cõcordat item l. nihil proponi. 117. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 2. reg. 18. Concordat item l. si quis. 86. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 3. except. 25. tertia except. repl. 1. dupl. 2. Concordat item l. Titia. 89. §. usuras. ff. eod. tt. ubi Paulus:* Vsuras fideicommissi *(inquit)* post impletos annos uiginti quinq; puellæ, ex quo mora facta est, deberi respõdi. quamuis enim constitutum sit, ut minoribus uigintiquinq; annis usuræ omnimodò præstentur: tamen nõ pro mora hoc habendum est, quam sufficit semel interuenisse, ut perpetuò debeantur. *Concordat item l. patronus. 34. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ſ. cap. 1. quæst. 3. reg. 1. except. 3. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi reus ad iudicium pronocauit: tunc enim moram non uidetur fecisse. quæ replicatio approbatur per ea quæ dicentur ȝ. lib. 48. cap. 19. except. 7. repl. 2. Eius autem replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi iniustè ad iudicium pronocauit. quæ duplicatio approbatur per ea quæ dicentur d. repl. 2. in fine. Eiusq; exemplum proponitur l. penul. ff. de usuris & fructibus, his uerbis:* Maritus uxori suæ usum fructum tertiæ partis, & cum liberos habuisset, proprietatem legauit. eam uxorẽ hæredes falsi testamenti & aliorum criminum accusauerunt, qua re impedita est legatorum petitio. Interea filius mulieris natus, eoq; conditio legati extitit. quæsitum est, cum testamentum falsum non esse apparuerit, an etiam fructus mulieri præstari debeant? Respondit Scæuola, præstandos. *Aliud exemplum proponitur l. diui Seuerus. 88. §. fin. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Diui Seuerus & Antoninus generaliter rescripserunt Bononio Maximo, usuras præstaturum eum, qui frustrationis causa beneficium legis Falcidiæ implorauit. *Concordat l. 2. C. de usur. uel fruct. leg. cuius uerba uide ȝ. lib. prox. cap. 2. quæst. 1. reg. 1. Secunda duplicatio est: Nisi cum reus legem Falcidiam obijceret, legatarius partem legatorum accipere paratus sit, quã reus præstare noluit. Hæc duplicatio approbatur l. qui solidum. 80. in prin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Qui solidum fideicommissum frustra petebat, hæredem Falcidiam obijciente, si partem interim solui sibi desiderauerit, neq; acceperit, in ea moram passus intelligitur. *Secunda replicatio est: Nisi lis non fuerit contestata: tunc enim mora facta non uidetur. quæ replicatio approbatur l. legata. 4. C. de usuris uel fruct. leg. his uerbis:* Legata & fideicommissa fructus post litis cõtestationem, non ex die mortis sequuntur, siue in rem, siue in personam agatur. *Concordat l. 1. C. cod. tt. cuius hæc sunt uerba:* Legatorum seu fideicommissorũ usuras ex eo tempore, quo lis contestata est, exigi posse, manifestum est. Sed & fructus rerum, & mercedes seruorũ, qui ex testamento debentur, similiter præstari solent. *Concordat item l. quæsitum. 88. §. fin. ff. de leg. 1. cuius hæc sunt uerba:* Cum homo ex testamento petitus est, causa eius temporis, quo lis contestabatur, repræsentari debet actori: & sicut partus ancillarum, sic & fructus fundorum interim percepti in hoc iudicium deducuntur. ita quod seruo legatorum uel hęreditatis nomine interim obuenit, præstandum est petitori. *Planè proposita replicatio in alimentorum legato non admittitur: de quo uide ȝ. lib. prox. cap. 9. quæst. 4. reg. 4. Tertia replicatio est: Nisi maior pars anni ante diem legati cedentem excesserit. Hæc repl. reprobatur l. Heren. 42 ff. de usuris & fruct. his uerbis:* Herennius Modestinus respondit, fructus qui post adquisitum ex causa fideicommissi dominium ex terra percipiũtur, ad fideicommissarium pertinere, licet maior pars anni ante diem fideicommissi cedentem præterijsse dicatur. *Quarta replicatio est: Nisi post sententiam dato legitimo restituendi tempore fructus sint percepti. Hæc replicatio reprobatur l. in fid. 3. in prin. ff. d. tt. de usuris, his uerbis:* In fideicommissi persecutione, cum post iudicis sententiam moram fecisset hæres, iussit Imp. Marcus Antoninus (intermisso legitimo tempore, quod cõdemnatis præstatur) ut usq; ad sententiam commoda fideicommissarius accipiat. Quod decretum ita accipi oportet, si ante iudicis sententiam mora non interuenit: tametsi non facilè euenire posit, ut mora non præcedente, perueniatur ad iudicem: sed puta Falcidiæ rationem interuenisse. Cæterùm, si antequàm ad iudicem perueniretur, in mora hæres fuit, exinde fructuum præstandorum necessitate adstrictus est: quia qua tandem ratione, cũ ex sententia uictus est, legitimi tẽporis spacio fructibus liberabitur hic, cùm ea temporis intercapedo iudicato dilationem dare, non lucrum adferre debeat? *Quinta replicatio est: Nisi hæres fructus non percepit. Et hæc replicatio reprobatur l. cum seruus. 29. §. fructus. ff. de leg. 1. his uerbis:* Fructus autem hi deducuntur in petitionem, non quos hæres percepit, sed quos legatarius percipere potuit: & idem in operis seruorum, uel uecturis iumentorum, uel naulis nauium dicendũ. Quod in fructibus dicitur, hoc & in pensionibus urbanorum ædificiorum intelligendum

gendum erit. In usurarum autem quantitate mos regionis erit sequendus: iudex igitur usurarum modum æstimabit & statuet. *Sexta replicatio est: Nisi uasa sint legata, uel simile quid: tunc enim usuræ non debentur. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l. in fideicommissi. 3. §. fin. ff. de usuris & fruct. his uerbis:* Si auro uel argento facto per fideicommissum relicto, mora interuenerit, an usurarum æstimatio facienda sit, tractari solet. Planè si materiam istam ideo reliquit, ut ea distracta, pecunia fideicommissa solueretur, aut alimenta præstarentur: non oportere frustrationem impunitam esse, Papinianus respondit. Quòd si fortè ideo reliquit, ut his uasis uteretur: non sine rubore desiderabuntur usuræ, ideoq; non exigentur. *Septima replicatio est: Nisi postea dederit hæres: tunc enim insequentis temporis nomine ob fructus non tenetur. quæ replicatio ut regulariter uera est, ita recipit duplicationem hanc: Nisi usufructu legato, initio anni uti frui prohibuit: tunc enim, quamuis postea uti frui patiatur, tamen totius anni nomine tenetur. quæ replicatio approbatur l. 2. ff. de annuis legatis, his uerbis:* In annos singulos hæres damnatus finere me fundo frui, si initio anni, quo colere deberem, moram fecerit, licet postea patiatur: quia tamen à cultura sim exclusus, totius anni nomine mihi tenebitur: quemadmodum etsi diurnas operas Stichi dare damnatus, non à mane, sed à sexta diei hora det, totius diei nomine tenebitur. *Octaua replicatio est: Nisi respubl. legatum debeat. Hæc replicatio reprobatur l. qui solidum. 80. §. etiam respubl. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 2. reg. 17. Nona replicatio est: Nisi non simpliciter restituere fundum, sed uendere certo precio damnatus sit: tunc enim uidetur, quòd in ipsa uẽditione posit excipere fructus pendentes. Hæc replicatio reprobatur l. qui concubinam. 29. §. si fundum. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si fundum mihi uendere certo precio damnatus es, nullum fructum eius rei ea uenditione excipere tibi liberum erit: quia id precium ad totam causam fundi pertinet. *Decima replicatio est: Nisi quis accepta certa pecunia hereditatem restituere sit rogatus. tunc enim, licet in danda pecunia fideicommissarius moram faciat, in usuras tamen non tenetur. Vndecima replicatio est: Nisi si fideicommissarius non præstet hæredi ea quæ præstare iussus est: tunc enim hæres in mora esse non uidetur. Hæ duæ replicationes approbantur l. facta. 63. §. rescripto. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba uide ȝ. lib. prox. cap. 5. quæst. 3. except. 13. Secunda exceptio est: Nisi tempus non hæredis, sed legatarij causa legato sit adiectum. quæ exceptio approbatur l. si ita. 44. §. Pegasus. ff. de leg. 2. his uerbis:* Pegasus solitus fuerat distinguere, si in diem fideicommissum relictum sit, ueluti post annos decem, interesse cuius causa tempus dilatum sit: utrúmne hæredis, quo casu fructum hæres retinere deberet: an legatarij. ueluti si in tempus pubertatis ei qui impubes sit, fideicommissum relictum sit: tunc enim & fructus præstandos, & antecedentis temporis. & hæc intelligẽda sunt, si non nominatim adiectum est, ut cum incremento hæres fideicommissum præstet. *Concordat l. liberto. 21. §. filium, in fine. ff. de annuis legatis. cuius uerba uide ȝ. cap. 7. reg. 26. Concordat item l. in fideicommissi. 3. §. cum Pollidius. ff. de usuris & fructibus, his uerbis:* Cum Pollidius à propinqua sua hæres institutus, rogatus fuisset filię mulieris, quidquid ex bonis eius ad se peruenisset, cum certam ætatem puella complesset, restituere: idq; sibi ideo placuisse testamento comprehendisset, ne filię tutoribus, sed potius necessitudini res committerentur, eundemq; Pollidium fundum retinere iussisset: Præfectus prætorio suasi, fructus qui bona fide à Pollidio ex bonis defunctæ percepti essent, restitui debere: siue quòd fundum ei tantùm prælegauerat, siue quòd lubrico tutelæ fideicommissi remedium mater prætulerat. *Concordat item l. Lucius. 78. §. hæredum. ff. ad senatusconſ. Trebell. his uerbis:* Hæredum fidei commisit, ut quidquid ex parte tertia hæreditatis peruenisset ad eos, id redderent Caio Mæuio alumno testatoris, cum fuerit annorum quindecim. & subiunxit hæc uerba: Interim ex refectu hæreditatis, qui ad uos peruenerit, alatis eum ex usuris pro quantitate numorum redactis. Hoc amplius, eidem alumno meo hominem collactaneum & uernam sutorem, qui eum artificio suo mercede data alere poterit. Quæsitum est, cum alimenta multò minora præstiterint hæredes scripti, quàm usuræ summæ redactæ competebant: an & residuas præstare compelli debeant totius temporis, an ex die quo decimum quintum annum explesset? Et cum serui legati ei specialiter, ut ex mercedibus aleretur, statim uenierint: utrum mercedes, an usuras petere debeat? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, testatorem uideri de omni reditu & mercede seruorum restituenda sensisse. *Tertia exceptio est: Nisi hæres cum incremento fideicommissum præstare iussus sit. Hæc exceptio constat ex uerbis d. §. Pegasus, paulo antè propositis hisce:* Et hæc intelligenda sunt, si nõ nominatim adiectum est, ut cum incremento hæres fideicommissum præstet. *Concordat l. in fideic. 18. in prin. ff. ad senatusc. Trebell. his uerbis:* In fideicommissariam hæreditatis restitutionem constat fructus non uenire, nisi mora facta sit, aut quis specialiter fuerit rogatus & fructus restituere. *Concordat item l. facta. 63. §. si hæres ante. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba uide ȝ. lib. prox. cap. 3. quæst. 3. reg. 2.*

Concordat item l.cum unus.10.§.uerbis.ff.de alim.leg. ubi Papinianus: Verbis fideicommissi purè ma numisso præteriti quoq; temporis alimenta reddenda sunt, quamuis tardius libertatem recuperauerit, nec hæres moram libertati fecerit: tunc enim explorari moram oportet, cum de usuris fideicommissi quæritur, non de ipsis fideicommissis. *Huius exceptionis replicatio hæc est:* Nisi seruus hæreditarius contemplatione hæredis hæres ab aliquo sit institutus. *quæ replicatio approbatur d.l.63. §.si hæres ante, in fine. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide ĩ.lib.proxim. cap.2. quæst.3.reg.2.* Quarta exceptio est: Nisi quis rogatus sit post mortem suam, quidquid ex bonis supererit, restituere. *quæ exceptio approbatur l.in fideicommissi.3.§.nonnunquam.ff.de usuris & fruct.his uerbis:* Nonnunquam euenit, ut quanquam fructus hæreditatis aut pecuniæ usura nominatim relicta nõ sit, nihilominus debeatur: utputa si quis rogetur post mortem suam, quidquid ex bonis supererit, Titio restituere. ut enim ea quę bona fide deminuta sunt, in fideicommissi causa non comprehẽdun tur, si pro modo cæterorum quoq; bonorũ deminuantur: ita quod ex fructibus supererit, iure uoluntatis restitui oportebit. *Contradicit l.deducta.58.§ penult.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Quod ex hæreditate superfuisset cum moreretur, restituere rogatus, fructus superfluos restituere non uidetur rogatus: cum ea uerba deminutionem quidem hæreditatis admittãt, fructuum autem additamentum non recipiunt. *Quinta exceptio est:* Nisi *quis rogatus sit, quicquid ex hæreditate ad se peruenerit, restituere. Hæc exceptio reprobatur, certis tamen conditionibus, ĩ.cap.prox.de eo quod ad rogatum peruenit rest.reg.7.* Sexta exceptio est: Nisi hæres coactus hæreditatem adijt. *quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l.ita tamen.27.§.1.ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide ĩ.lib.prox.cap.3.de cogen.hæred.quæst. 8.reg.2.except.6.* Septima exceptio est: Nisi ex parte fideicommissarius, cui hæres coactus totam hæreditatem restituit, de fideicommisso conueniatur. *Hæc exceptio reprobatur l.ex asse.28. in prin. ff.ad S.C.Trebbis uerbis:* Ex asse hæres institutus, partem hæreditatis mihi purè, partem tibi sub conditione restituere rogatus, cum suspectam diceret, postulante me adijt, & mihi totum ex Senatusconsulto restituit. quandocunque conditio extiterit, an fructus partis tuæ restituere tibi debeam, non immeritò dubitatur. & plerisque placet, non esse eos præstandos: quia nec ab hærede præstarentur, si sua sponte adijsset: sufficere aũt ius tuum tibi integrum conseruari, non etiam meliorem conditionem tuam fieri. Octaua exceptio est: Nisi hæres hæreditatem restituere rogatus, usuras, pensiones & fructus restituta hæreditate nondum exegerit, uel perceperit. *Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.postulante.4.4. §.sed & in huiusmodi.ff.ad S.C.Trebell.de qua re uide ĩ.lib.prox. cap.4.quæst.4.reg.2.* Nona exceptio est: Nisi hæres hæreditario debitori hæres extitit, & ob id ex causa fideicommissi conueniatur. *quæ exceptio approbatur l.deducta.58.in prin. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide ĩ.lib.prox.cap.4.quæst.2.reg.11.* Decima exceptio est: Nisi hæres usuras à debitoribus hæreditarijs exegit: *has enim uidetur cum ipsa hæreditate restituere debere. Sed hæc exceptio reprobatur d.l.58. §.quẽ post.cuius uerba uide ĩ.lib.prox.cap.4.quæst.4.reg.2.* Vndecima exceptio est: Nisi hæres ad restituendam hæreditatis portionem post mortem suam grauatus, solutis legatis, & quarta cum fructibus deducta, non tantum in portione hæreditatis post mortem restituendæ relinquatur, quantum in ea mortis testatoris tempore fuit: tunc enim id quod isti portioni deest, ex fructibus est supplendum. *quæ exceptio approbatur l.ita tamen. 27.§.hæres.ff.ad S.C.Treb.bis uerbis:* Hæres ex asse erat instituta consobrina mea, & eius fidei commissum, ut partem dimidiam hæreditatis statim P.Mæuio restitueret, alteram partem, cum ipsa moreretur, eidem P.Mæuio, præterea alia alijs legata data. Mæuius dimidiam partem hæreditatis statim percepit, & cauit, quod amplius quàm per legem Falcidiam liceret cepisset, redditum iri. Sed & cæteri legata solida acceperunt, & similiter de restituendo quod amplius percepissent, cauerũt. Mortua consobrina mea, Publius Mæuius desiderat sibi alteram partem hæreditatis cum fructib. restitui. Quæro itaq; quantum ei restituere debeam, utrum quod supra quadrãtem bonorum penes consobrinam meam remãserat, nec amplius quidquam: an & ab alijs, quibus legata soluta sunt, repetere quid debeam, & quantum: Item quæro, si quod ab his ex stipulatione percepero, & quod apud consobrinam meam supra quadrantem remanserat, non efficiet partem dimidiam hæreditatis: an ex incremẽto & fructibus eius summæ, quæ supra quadrãtem bonorum penes consobrinã meam remansit, supplere ei debeam duntaxat, ne partem dimidiam hæreditatis quãtitas quæ restitueretur, excedat: an uerò (sicut Publius Mæuius desiderat) quidquid sepositio quadrante bonorum, eiusq; quadrãtis fructibus perceptum est, restitui ei debeat: Iulianus: Respondi, quod supra quadrantem penes consobrinam tuam remansit, si adiectis fructibus quantitatem partis dimidiæ hæreditatis, quę mortis tempore fuit, non minuet, totum Publio Mæuio restituendum: nec ex stipulatione ab his, quibus legata soluta sunt, reperi quidquam potest. Si uerò fructus quantitatem partis dimidiæ exuperant, quadranti tuo & fructibus eius accedet. Si uerò fructus eius

eius partis, quę supra quadrãtem apud consobrinam tuam remanserant, non implerent quãtitatem partis dimidiæ bonorum: ex stipulatione agi poterit. In summa, ratio ita ponenda est, ut si omnimodò quadrantem excedat fructus, & in tantum excreuerit, ut quãtitatem partis dimidiæ bonorum excedat: etiam id quod excesserit, retineas. *Similis exceptio proponitur ĩ.cap.prox.de eo quod ad rog.per.reg.7.except.3.*

XII. *Regula, De partu ancillæ legatæ. Hic perinde ac fructus regulariter non debetur. de quo uide ẽ.reg. 9.except.3.cod.cap.*

XIII. *Regula, De eo quod ad rogatum non peruenit. Ad hoc præstandum regulariter non tenetur. de qua re uide ẽ.lib.prox.capite 10.causa 42. item cap.4. causa 40.*

XIIII. *Regula, De eo quod ex re legata superest. de quo uide ẽ.lib.prox.cap.11.causa 51.except.8.*

XV. *Regula, De ipsa re legata, & rei æstimatione. Regulariter quidem ipsa res legata debetur, non eius æstimatio. Cuius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi *ipsa res præstari non possit. quæ exceptio approbatur l.fideicommissa.11. §.si seruo, in fine. ff.de leg.3. his uerbis:* Cum per fideicommissum quid relinquitur, præstandum ipsum quod relictum est. cum uerò ipsum præstari non potest, æstimatio est præstanda. *Sanè ipsa res præstari non potest duplici ratione: primùm ipso facto, quia in rerum natura amplius non sit: deinde ipso iure, quando iure prohibente non potest præstari. Nam quod contra ius est, id nec facere nos posse credendum est. l.filius.15.in fin.ff.de condit.instit. Huius posterioris generis exemplum est: Si legatarius rei sibi legatæ commercium non habeat. Quod exemplum proponitur l. sed si res.40. ff.de leg.1. cuius uerba & distinctiones uide ẽ.lib.prox.cap.3.except.19.repl.1. item cap.5. except.4.7.replic.1. Concordat d.l.11.§.si seruo. cuius uerba uide ẽ.d.except.19.replic.1. Concordat item l.mortuo boue.50.§.si Titio. ff.de leg.2. item l.patronus.34. in prin. ff.de leg.3. quarum legum uerba uide ẽ.cap.1. membr.3.reg.1.except.3. Item posterioris generis exemplum est: Si seruus legatus facto hæredis sit manumissus: tunc enim præstari ex causa legati non potest. Ergo æstimatio eius præstanda. de quo uide ẽ.lib.prox. cap.11.causa 53.exemplo 3.except.1. Aliud exemplum est: Si locus legatus dolo uel culpa hæredis religiosus sit factus. de quo uide ẽ.d.causa 53.exempl.1. Prioris generis exemplũ est: Si re aliena legata, dominus rei eam uendere nolit: tunc enim hæres æstimationem eius debet. de quo uide ẽ.lib.prox.cap.5.except.49.distinct.1. Item: Si res legata dolo uel culpa hæredis, aut post moram perijt: nam tunc, cum non sit liberatus hæres, æstimationem eius debet. de quo uide ẽ.libro prox.cap.11. causa 51.except.1.cum sequentibus. Huius loci exemplum est l.quid ergo.51.§.si hæres. ff.de leg.1. cuius uerba hæc sunt:* Si hæres animal legatum occiderit, puto teneri, non ut carnem præstet, uel cætera: sed ut præstet precium, quanti esset, si uiueret. *Item prioris generis exemplum est: Si res legata culpa hæredis non comparet. De quo uide ẽ.d.cap.11. causa 52.except.2.* Planè propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi ob factum testatoris res legata præstari non possit: puta quia seruum manumisit. *hoc enim casu nec æstimatio eius debetur. quæ replicatio approbatur l.Iulianus.40.ff.de manumiss.testam. cuius uerba uide ẽ. lib.prox.cap.5.except.63.in princ. Secunda exceptio est:* Nisi pars bonorum sit legata: *tunc enim in arbitrio hæredis est, utrum rerum partes, an æstimationem præstare uelit. quæ exceptio approbatur l.non amplius.26. §.cum bonorum. ff.de leg.1.his uerbis:* Cum bonorum parte legata dubium esset, utrum rerum partes, an æstimatio deberetur? Sabinus quidem & Cassius æstimationem, Proculus & Nerua rerum partes esse legatas, existimauerunt: sed oportet hæredi succurri, ut ipse eligat, siue rerum partes, siue æstimationem dare maluerit. In his tamen rebus partem dare hæres cõeditur, quæ sine damno diuidi possunt: sin autem uel naturaliter indiuisę sint, uel sine damno diuisio earum fieri non possit, æstimatio ab hærede omnimodò præstanda est. *Concordat l.generali.32.§.fin.ff.de usufr.legato, his uerbis:* Vsumfructum tertię partis bonorum suorum uni ex hæredibus legauerat. quæsitum est, an pecuniæ quę ex rebus diuisis secundum æstimationẽ effecta est, tertia præstanda sit? Respondit Scæuola, hæredis esse electionẽ, utrum rerum, an æstimationis usumfructũ præstare uelit. Item quæsitum est, an tributa præterea, quæ uel pro prędijs aut mouentibus deberi & reddi necesse est, eximenda sint ex quantitate reliquæ duntaxat pecuniæ, si hoc hæres elegerit? Respondit, reliquæ pecuniæ tertiam præstandam. *Tertia exceptio est:* Nisi *duob.eadem res in solidum separatim esset legata: tunc enim alteri res, alteri æstimatio debetur. quæ exceptio approbatur l.si plurib.33.§.fin.ff.de leg.1.de qua re ĩ.dicetur cap.7.reg.25.* Idem iuris est, *si cum duos reos promittendi eiusdem pecuniæ quis haberet, alterius rei debitũ Titio, alterius Mæuio legauit. Quod approbatur l.non quocunq;.79.§.qui Caium.ff. de leg.1.de quo etiam ĩ.suo loco dicetur.* Quarta exceptio est: Nisi *cum quis Stichum aut Pamphilum stipulatus esset, Stichum Sempronio, Mæuio Pamphilum legauit: tunc enim hæres alteri actionem, alteri alterius æstimationem tenetur præstare. quæ exceptio approbatur l.quòd si quis.75. ff.de leg.1. his uerbis:* Quòd si quis Stichum aut Pamphilum stipulatus, Sempronio Stichum legasset, Mæuio Pãphilum: oneratus hæres intelligitur, ut necesse habeat alteri actionem suam, alteri æstimationem Stichi aut Pamphili dare. *Contradicit l.si Titius,52.in prin.ff.de leg.2. cuius uerba uide ĩ.lib. prox.cap.11.quæst.1.except.2.* Quinta exceptio est: Nisi *res legata ex causa emptionis, uel alia simili ad legatarium peruenit: tunc n.hæres rei æstimationem debet. de quo*

non trientes in usum fructum, sed semisses constituuntur. Idemque est ex contrario, si duo sunt fructuarij, & alij proprietas legata sit: etenim inter eos tantùm adcrefcendi ius est. Quarta exceptio est: *Nisi fundi legati ususfructus alienus sit. hoc enim casu fundi legatum nudam uidetur continere proprietatem. Et hæc exceptio reprobatur l. Mæuius. 68. §. fundo. ff. de leg. 2. his uerbis:* Fundo legato, si ususfructus alienus sit, nihilominus petendus est ab hærede: ususfructus enim, etsi in iure, non in parte consistit, emolumentum tamen rei continet. enimuerò fundo relicto, & ob reliquas præstationes, quæ legatum sequuntur, agetur. uerbi gratia, si fundus mihi pignori datus, uel aliena possessio sit. Non idem placuit de cæteris seruitutibus. *Concordat l. is cuius. 26. ff. eod. tt. ubi Marcellus:* Is cuius in seruo proprietas erat (*inquit*) fructuario hærede instituto, alicui eum seruum legauit. non potest hæres doli mali exceptione uti, si legatarius uindicare seruum uelit, non relicto heredi usufructu. *Concordat item l. cum filius. 78. §. dominus. ff. eod. tt. ubi Papinianus:* Dominus (*inquit*) hærede fructuario scripto, fundum sub conditione legauit. uoluntatis ratio non patitur, ut hæres ex causa fructus emolumētum retineat. Diuersum in cæteris prædiorum seruitutibus, quas hęres habuit, respōsum est: quoniam fructus portionis instar obtinet.

XVIII. *Regula, De rebus diuersarum specierum, certæ alicuius speciei rebus legatis. Si res certæ alicuius speciei legatæ sint, res eius speciei debentur, quamuis etiam alterius sint speciei. Hæc regula approbatur exemplo seruorum l. seruis urbanis. 97. §. seruis. ff. de leg. 3. his uerbis:* Seruis lecticarijs legatis, si idem lecticarius sit & cocus, accedet legato. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi alterius speciei res testator exceperit. quæ exceptio approbatur l. Titiæ. 36. in princ. ibi: quòd si hoc modo. ff. de legat. 1. his uerbis:* Quòd si hoc modo esset legatum, Textores omnes præter uernas: & rursus alij, Vernas omnes præter textores: qui & uernæ & textores sunt, neutri fuisse legatos, Labeo ait. *Secunda exceptio est: Nisi alterius speciei res alij sint legatæ: tunc enim res utriusque speciei inter duos legatarios communicantur. quæ exceptio itidem approbatur exemplo d. l. seruis urbanis. 97. §. fin. ff. de leg. 3. cuius uerba ī. prima replic. proponentur. Concordat d. l. 36. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Titiæ textores meos omnes, præterquā quos hoc testamento alij legaui, lego: Plotiæ uernas meos omnes, præterquam quos alij legaui, lego. cum essent quidam uernæ, ijdem & textores: Labeo ait, quoniam nec quos Titiæ textores non legauerit, aliter apparere possit, quàm si cognitum fuerit, quos eorum Plotię legauerit: nec quos Plotiæ uernas non legauerit, intelligi possit: neutrius legato exceptos esse eos, de quibus quæritur, & ideo communes ambobus esse: hoc enim iuris esse, etsi neutrius legati nomine quidquam esset exceptum. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi altera species alterius sit genus. hoc enim casu ei cui genus legatum est, ex legato speciei nihil debetur. quæ replicatio approbatur l. seruis urbanis. 97. §. fin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si alij uernæ, alij cursores legati sunt: si quidam & cursores & uernæ sint, cursoribus cedent. Semper enim species generi derogat. Si uerò in specie aut in genere utrique sint, plerunque communicabuntur. *Concordat l. 1. in princ. ff. de auro legato, his uerbis:* Si alij uestimenta, alij uestis muliebris separatim legata sit: detractis muliebribus, & ei assignatis, cui specialiter legata sunt, reliquum alteri debetur. Idem & cum alteri mundus muliebris, alteri argentum omne legatum est, de argento quod in mundo esset. Idem, si duæ statuæ marmoreæ tibi, & deinde omne marmor legatum esset: præter duas nulla statua marmorea legata est tibi. Idem de urbanis seruis tibi legatis, si mihi dispensator legatus sit. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est hæc: Nisi in altera specie res plerunq; sit uersata. quæ replicatio approbatur exemplo l. legatis. 63. §. si unus. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si unus seruus plura artificia sciat, & alij coci legati fuerint, alij textores, alij lecticarij: ei cedere seruum dicendum est, qui legatus est artificio, in quo plerunque uersabatur. *l. 24. §. quod ff. pol. Illeg.*

QVID VENIAT IN Actione legatorum, aliæ regulæ secundum legatorum genera distinctæ. Cap. IIII.

DE SERVIS LEGATIS.

PRima regula: *Seruis legatis, etiam ancillæ debentur. Approbatur hæc regula l. qui duos. 60. in fin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Appellatione seruorū & seruæ plerunque continentur: id autem eo uenit, quòd semper sexus masculinus fœmininum continet. *Concordat l. seruis. 79. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Seruis legatis, etiam ancillas quidā deberi rectè putant, quasi commune nomen utrunq; sexum contineat. ancillis uerò legatis, masculos non deberi, nemo dubitat. Et pueris etiam legatis puellæ debentur: id non æquè in puellis dicēdum est. *Concordat item l. inter stuprū. 101. §. fin. ff. de uerb. signif. his uerbis:* Seruis legatis, etiam ancillas deberi quidam putant, quasi commune nomen utrunq; sexum contineat.

II. *Regula: Seruo legato, peculium eius non debetur, nec serui peculiares. quæ regula approbatur l. si legatus. 24. ff. de peculio legato, his uerbis:* Si legatus fuerit seruus, peculium excipere non est necesse:

necesse: quia non sequitur, nisi legetur. Unde Celsus scribit, Seruis qui in fundo morarentur legatis, uicarios eorum non contineri: nisi appareat & de uicarijs eum sensisse. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi nominatim quoq; sit legatum peculium. quæ exceptio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Nisi legetur. *Secunda exceptio est: Nisi seruo ordinario uicarius seruus sit legatus. quæ exceptio approbatur l. si peculium. 6. §. uicario. ff. eod. tt. his uerbis:* Vicario autem meo mihi legato, an & uicarij mei peculium ad me pertineat, quæritur? & putamus contineri legato eius uicarij peculium: nisi aduersa sit uoluntas testatoris. *Tertia exceptio est: Nisi fundus cum mancipijs & omni instrumento sit legatus. quæ except. approbatur l. fundo. 22. §. fin. ff. de instrum. legato. cuius uerba uide ī. eod. cap. de instrum. fund. regul. 21.*

III. *Regula: Quod seruus legatus acquisiuit, ad legatarium pertinet. quæ regula approbatur l. si tibi. 83. §. cum seruus. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ē. libr. prox. cap. 2. reg. 1. exc. 2. Concordat l. cum seruus. 39. §. ipsius quoq; ff. de leg. 1. cuius uerba uide ē. cap. proxim. reg. 9. exc. 5. repl. 1. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi ante diem serui legati cedentem, & ante moram ab hærede in seruo legato præstando factam, seruus adquisierit: tunc enim non legatario, sed hæredi domino seruus adquiritur. quæ exceptio approbatur l. quod seruus. 39. ff. de leg. 2. his uerbis:* Quod seruus legatus ante aditam hæreditatem adquisiuit, hæredi tati adquirit. *Concordat l. quæsitum. 88. §. si mihi. ff. de leg. 1. ubi Iulianus:* Si mihi seruus à te hærede legatus fuerit, & eidem seruo aliquis legauerit, & uiuo eo qui mihi seruū legauerat, dies legati seruo dati cesserit, confestim id legatū hæreditati adquiritur: & ideo, quāuis postea moriatur is qui mihi seruū legauerat, ad me id quod seruo legatum est, nō pertinebit. *Concordat d. l. 88. §. fin. cuius uerba uide ē. cap. proxim. reg. 11. exc. 1. repl. 2. in fine. Huius exceptionis replicatio hæc est:* Nisi seruo legato ususfructus legatus sit. tunc enim, quamuis is qui legauit usumfructum, mortuus sit, eiusq; hæreditas adita, antequam eius qui seruum legauit, hæreditas adeatur: tamen ususfructus legatum ad eum cui seruus legatus est, pertinet hac ratione, quòd ususfructus legati seruo hæreditario relicti dies non antè cedat, quàm hæreditas cuius seruus est, sit adita. *Hæc replicatio approbatur l. cùm seruo. 16. §. cùm seruo. ff. quādo dies leg. cedat, his uerbis:* Cùm seruo legato, antequam hæreditas eius qui legauerat adiretur, usus fructus ab alio legatus fuerit, & prior hæreditas eius qui usumfructum legauit, adita fuerit: nulla ratio est, cur diem legati cedere existimemus, antequàm ea hæreditas quoq;, ex qua seruus legatus erat, adeatur: cū neq; in præsentia ullum emolumentum hæreditati adquiratur, & si interim seruus mortuus fuerit, legatum extinguatur. Quare adita hæreditate, existimandū est usumfructū ad eum, cui seruus legatus sit, pertinere, quòd si seruus, cui ususfructus legatus fuit, legatus nō fuerit: dicendum est, usumfructum ad hæreditatem pertinere, eo quòd dies eius ante aditam hæreditatem non cesserit. *Vtura de regula proposita, eiusq; exceptionibus uide ī. lib. prox. cap. 3. quæst. 1. item ē. cap. prox. reg. 11.*

IIII. *Regula: Seruis certi officij uel artificij legatis, ij qui postea ad aliud artificium transeunt, non debētur. Quæ regula approbatur l. legatis. 63. §. si ex officio. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si ex officio quis ad artificium transierit, quidam rectè putant legatum extinguiquia officium artificio mutetur. *Huius regulæ exceptio est: Nisi non ad aliud artificiū, sed officiū transierit. Quæ except. approbatur d. §. si ex officio, his uerbis:* Non idem e contrario, cum lecticarius cocus postea factus est. *Concordat l. textorib. 59. ff. eod. tt. his uerbis:* Textoribus omnibus, qui sui essent, cum moreretur, legatis: quæsitū est, an & is quē postea ex his officiariū fecisset, legato contineretur? Respō dit Africanus, contineri: non enim ad aliud artificium, sed ad alium usum traductū esse.

V. *Regula: Seruis certi artificij uel officij legatis, si quidā ex ijs & eius & alterius artificij uel officij sint, utri debeantur, uide ē. cap. prox. reg. 18.*

VI. *Regula: Seruo uicario legato, quid ueniat, definitur l. si Sticho. 21. ff. de peculio legato, his uerbis:* Si Sticho manumisso peculium legatum sit, et Titio seruus peculiaris: quātum peculio detractum erit ob id quod domino debetur, tantum ei accedere cui uicarius legatus est, Iulianus ait.

VII. *Regula, De uiris legatis, proponitur l. seruis legatis. 79. §. mulieribus, in fine. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ī. reg prox.*

VIII. *Regula, De mulieribus legatis, proponitur d. l. 79. §. mulieribus, his uerbis:* Mulieribus legatis, etiam uirgines debentur: sicut uiris legatis, etiam pueros deberi respondetur. *Concordat l. argumento. 26. §. muliebri, in fine. ff. de auro legato, ubi Vlpianus:* Mulieres (*ait*) omnes dici, quæcūque sexus fœminini sunt.

IX. *Regula, De ancillis, pueris et puellis legatis, proponitur d. l. 79. in prin. ff. de legat. 3. cuius uerba uide ē. eodem cap. reg. 1.*

X. *Regula: Iuuenibus legatis, quid ueniat, definitur l. non aliter. 67. §. Titius. ff. de leg. 3. his uerbis:* Titius codicillis suis ita cauit: Publio Mæuio omnes iuuenes, quos in ministerio habeo, dari uolo. quæro, à qua ætate iuuenes & in quam intelligi debeant? Marcellus respondit, Quos uerbis quę proponerentur, demōstrare uoluerit testator, ad notionem eius qui de ea re cogniturus esset, pertinere: non enim in causa testamentorum ad definitionem utiq; descendendum esse, cum plerunque abusiuè loquantur, nec proprijs nomi-

nibus ac uocabulis ſemper utantur: cæterùm exiſtimari poſſe eum iuuenem, qui adoleſcentis exceſſiſſet ætatem, quoad inciperet inter ſeniores numerari.

XI. *Regula: Pueris ſeptem annorum legatis, utrum tempus quo legatur, an quo teſtator moritur, reſpicien dum ſit, definitur l. uxorem. 39. §. teſtamento. ff. de legat. 3. his uerbis:* Teſtamento ita pueros legauerat, Publio Mæuio dominulo meo ab hæredibus meis dari uolo pueros quinque ex meis duntaxat intra annos ſeptem. poſt annos complures quàm fecit teſtamentũ, moritur. quæſitum eſt, cuius ætatis Mæuio mancipia debeãtur, utrúmne quæ teſtamenti facti tempore intra ſeptem annos fuerunt, an quæ mortis tempore intra eam ætatem inueniantur? Reſpondit Scæuola, eam uideri ætatem deſignatam, quæ eſſet, cum à teſtatore relinqueretur.

XII. *Regula: Filijs legatis, & nepotes continentur. Quæ regula approbatur d. l. 39. §. concubinæ, his uerbis:* Concubinæ inter cætera his uerbis legauerat: Fundum in Appia cum uillico ſuo & contubernali eius & filijs dari uolo. quæſitũ eſt, an nepotes quoq; uillico & contubernali eius teſtator ad concubinam pertinere uoluerit? Reſpondit Scæuola, nihil proponi, cur non deberentur.

XIII. *Regula: Seruis urbanis legatis, quid ueniat, definitur l. cum quæreretur. 58. §. 1 ff. de leg. 3. his uerbis:* Seruis & ancillis urbanis legatis, agaſonem, mulionẽ legato non contineri, reſpondit Africanus. eos enim ſolos eo numero haberi, quos paterfamiliãs circum ſe ipſe ſui cultus cauſa haberet. *Alia urbanorum ſeruorum definitio proponitur l. ſeruis urbanis. 97. ff. eod. tt. his uerbis:* Seruis urbanis legatis, quidam urbana mancipia non loco, ſed opere ſeparant: ut licet in prædijs ruſticis ſint, tamen ſi opus ruſticum non faciant, urbana uideãtur. Dicendum eſt autem, quòd urbani intelligẽdi ſint, quos paterfamiliãs inter urbanos adnumerare ſolitus ſit: quod maximè ex libellis familiæ, item cibarijs deprehendi poterit. Venatores & aucupes utrum in urbanis, an in ruſticis contineantur, poteſt dubitari? ſed dicendum eſt, ubi paterfamil. morabatur, & hos alebat, ibi eos numerari. Muliones de urbano miniſterio ſunt, niſi propter opus ruſtre teſtator eos deſtinatos habebat. Eum qui natus eſt ex ancilla urbana, & miſſus in uillã nutriendus, interim in neutris eſſe quidam putant. uideamus, ne in urbanis eſſe intelligatur: quod magis placet. *Concordat principio huius legis l. quemadmodum. 11. in princip. ff. de ſupellectile legata. ubi Labeo:* Vrbanus ſeruus (*inquit*) & ruſticus diſtinguitur non loco, ſed genere uſus.

XIIII. *Regula: Negociatoribus legatis uel excæptis, qui continentur, definitur l. legatis. 63. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Legatis ſeruis, excepris negociatoribus, Labeo ſcripſit, eos legato exceptos uideri, qui præpoſiti eſſent negocij exercendi cauſa: ueluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpoſiti eſſent: cubicularios autem uel obſonatores, uel eos qui piſcationibus præpoſiti eſſent, non uideri negociationis appellatione contineri. & puto ueram eſſe Labeonis ſententiam.

XV. *Regula: Ornatricibus, & alijs artificibus legatis, qui quæue contineantur, definitur d. l. 63. §. ornatricibus, his uerbis:* Ornatricibus legatis, Celſus ſcribit, eas quæ duos tãtùm mẽſes apud magiſtrũ fuerint, legato non cedere: alij & has cedere, ne neceſſe ſit nullã cedere, cum omnes adhuc diſcere poſſint, & omne artificium incremẽtũ recipiat. quod magis obtinere debet, quia humanæ naturæ cõgruũ eſt.

XVI. *Regula: Seruis cum peculio legatis, qui debeantur, definitur l. ſi. cui. 52. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si cui ſerui omnes cum peculio legati ſint, etiam hi ſerui debentur, qui nullum peculium habent.

XVII. *Regula: Seruo legato, uxor & liberi nõ debentur. Quæ regula approbatur l. Seiæ. 20. §. idem quæſijt. ff. de inſtr. leg. his uerbis:* Scæuola quæſijt, in actore legato, an uxor & filia legato cedant, cum actor non in prædijs, ſed in ciuitate moratus ſit? Reſpondit Scæuola, nihil proponi, cur cedant. *Planè fundo inſtructo legato, & contubernales ſeruorum debentur. de quo ſ. eod. cap. in fundo legato, reg. 5. excepti. 4.*

XVIII. *Regula proponitur l. qui hab. 29. ff. de reb. dubijs, hiſce uerbis:* Qui habebat Flaccum fullonem, & Philonicum piſtorem, uxori Flaccũ piſtorem legauit. qui eorum, & num uterq; debebitur? placuit primò eum legatũ eſſe, quem teſtator legare ſenſiſſet: quod ſi non appareret, primùm inſpiciendum eſſe, an nomina ſeruorum dominus nota habuiſſet. quòd ſi nota habuiſſet, eum deberi quẽ nominatus eſſet, tametſi in artificio erratũ eſſet: ſin autem ignota nomina ſeruorũ eſſent, piſtorem legatũ uideri, perinde ac nomen ei adiectum non eſſet.

DE ANIMANTIBVS BRVris legatis.

I. *Regula: Mulis legatis, etiam mulæ continentur. Quæ regula approbatur l. qui duos. 60. ff. de leg. 3. his uerbis:* Qui duos mulos habebat, ita legauit: Mulos duos, qui mei erunt, cum moriar, Seio hæres dato. Idem nullos mulos, ſed duas mulas reliquerat. Reſpondit Seruius, deberi legatũ: quia mulorum appellatione etiã mulæ, quemadmodum appellatione ſeruorum, & ſeruæ plerunq; continerentur. Id autem eo uenit, quòd ſemper ſexus maſculinus fœmininum continet.

II. *Regula:*

II. *Regula, Ouibus legatis, necq; agni, neque arietes debentur. Quæ regula approbatur l. ſeruis legatis. 79. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Ouibus legatis, neq; agnos, neq; arietes contineri, quidam rectè exiſtimant. *Concordat l. legatis. 63. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Ouibus legatis, non continentur agni. *Huius regulæ exceptio eſt: Niſi non oues, ſed ouium grex ſit legatus. Quæ exceptio approbatur d. l. 79. §. fin. his uerbis:* Ouium uerò grege legato, & arietes & agnos deberi, nemo dubitat.

III. *Regula: Agnis legatis, quid ueniat, definitur l. cum quæreretur. 58. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Cũ quæreretur, agni legati quatenus uiderentur, quidam aiebant agnum duntaxat ſex menſium eſſe: ſed uerius eſt, eos legatos eſſe, qui minores anniculis eſſent. *Planè quandiu agnorum loco ſint, ex uſu cuiuſq; loci ſumendum eſt. Quod approbatur l. legatis. 63. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Quamdiu agnorum loco ſunt, ex uſu cuiuſq; loci ſumendum eſt. nam in quibuſdam locis ouium numero eſſe uidentur, cũ ad tonſuram uenerint.

IIII. *Regula, Equis legatis, quid debeatur, definitur l. legatis. 63. §. pen. ff. de leg. 3. his uerbis:* Equis legatis, & equæ continentur.

V. *Regula: Iumentis uel bobus legatis, quid ueniat, definitur d. l. 63. §. pen. ff. de leg. 3. his uerbis:* Iumentis legatis, boues nõ continẽtur, nec contrà.

VI. *Regula: Pecoribus uel pecudibus legatis, quid debeatur, definitur l. ſeruis. 79. §. pecudibus. ff. de leg. 3. his uerbis:* Pecudibus legatis, & boues & cætera iumenta cõtinentur. *Definitur etiam l. legatis. 63. §. pecorib. ff. eod. tt. his uerbis:* Pecoribus legatis, Caſsius ſcribit quadrupedes contineri, quæ gregatim paſcuntur. & ſues pecorum appellatione continentur, quia & hi gregatim paſcuntur. ſic deniq; & Homerus in Odyſſea ait:

Δῆεις τόνγε σύεσσι παρήμενον, οἱ δὲ νέμονται,
Υ̓κῷ Κόρανος Θέστιος ἐγγύθεν ἠλίβατος σκοπιῆς. id eſt:
Sectãté uideas qui errãt per paſcua porcos,
Ad Coracis ſaxũ iuxtà, fontéq; Arethuſam.

Alia huius loci regula eſt, Quòd pecore legato uel excepto, paſtores, ouiliones & ouilia pecus ſequantur. Quæ regula approbatur l. fundi. 26. §. fin. ff. de inſtr. legato, his uerbis: Cum inſtrumentum omne legatum eſſet, excepto pecore: paſtores, ouiliones, ouilia quoq; legato contineri, Ofilius non rectè putat.

VII. *Regula: Auibus legatis, quid debeatur, definitur l. auibus. 64. ff. de leg. 3. his uerbis:* Auibus legatis, anſeres, phaſiani, & gallinæ, & auiaria debẽtur: phaſianarij autem, & paſtores anſerum non continẽtur, niſi id teſtator expreſſerit.

DE CORPORE, QVOD EX diſtantibus conſtat capitibus, legato.

I. *Regula: Grege legato, et ea quæ poſtea accedũt, debentur. de quo uide §. cap. prox. reg. 9. in prin. Item ouium grege legato, agni & arietes debentur: de quo uide ẽ. eod. cap. de animant. bru. leg. reg. 2. in fin.*

II. *Regula: Equitio legato, fœtus etiam debentur. Quæ regula approbatur l. equis. 39. in fin. ff. de uſur. & fruct. his uerbis:* Equitio legato, etiamſi mora non intercedat, incremento gregis fœtus accedunt.

III. *Regula: Armento legato, quid ueniat, definitur l. ſeruis. 79. §. pecudib. ff. de leg. 3. his uerbis:* Armento legato, etiam boues contineri conuenit, nõ etiam greges ouium & caprarum.

IIII. *Regula proponitur l. ſi chorus. 77. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 11. cauſ. 51. except. 5. repl. 2.*

DE FVNDO ET PRÆdijs legatis.

I. *Regula: Prædijs legatis, hæres cauere debet legatario de inſtrumentis probationũ, tempore neceſſitatis edendis, non ad ipſa inſtrumenta reſtituenda tenetur. Quæ regula approbatur l. inſtrumenta. 24. C. de fideic. hiſce uerbis:* Inſtrumenta prædiorũ per fideicommiſſum relictorum, quę ad probationẽ originis eorum pertinent, hæredes præſtare neceſſe nõ habent: tamẽ cautionẽ præſtare debent, quòd ſi opus fuerit, legatario ſeu fideicommiſſario ipſa, ſi habent, proferant.

II. *Regula, Fundo legato, paſcua quoq;, ſeu prata, & alia prædia in uſu fundi deputata, & eodem nomine nuncupata, legatario debentur. Quæ regula approbatur l. Seiæ. 20. §. Tyrannæ. ff. de inſtrum. leg. his uerbis:* Tyrannæ ſorori meæ fundum meum Græcianum cum ſtabulo & inſtrumento ruſtico omni relinquo. quæritur, an fundi appellatione etiam paſcua, quæ ad eum ſimul cũ fundo peruenerũt, & quę ſemper in uſibus huius poſſeſsionis habuerat, legato cederent? Reſpondit Scæuola, ſi prata fundo Græciano ita coniunxiſſet, ut ſub una fundi appellatione haberentur, ea quoque deberi. *Concordat l. prædijs. 89. §. Titio. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ſ. reg. 10. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi & alius fundus alternatiuè ſit legatus, qui demptis pertinentijs iſti fundo æſtimatione ferè par ſit. tunc enim pertinentiæ non debentur. Quæ exceptio approbatur l. 1. ff. de reb. dubijs, hiſce uerbis:* Fundum Mæuianum aut Seianum Titio legauerat. cum uniuerſa poſſeſsio plurium prædiorum ſub appellatione fundi Mæuiani rationibus demõſtraretur: reſpondit Papinianus, non uideri cætera prædia legato uoluiſſe defunctum cedere, ſi fundi Seiani precium à fundi Mæuiani precio non magna pecunia diſtingueretur. *Secunda exceptio eſt: Niſi non eodem nomine appellauit teſtator. Quæ exceptio approbatur l. prædia. 28. §. fin. ff. de inſtrum. leg. cuius uerba uide ſ. reg. 5. except. 9. Tertia exceptio eſt: Niſi partes prædij diuerſis teſtator locauit. Hæc exceptio reprobatur l. Caius Seius. 88. §. Titius. ff. de leg. 2. his uerbis:* Titius, cùm fratris fi-

lio fundos & urbana prædia legaret, in his & fundum Seianum legauit, quem ipse paterfamiliâs, quoad uiuebat, uno quidé nomine uniuersum habuit: sed quo facilius cõductorem inueniret, per duas partes locabat, ita ut ex qualitate loci superiorẽ partẽ, Seianũ superiorẽ: inferiorem autem partẽ, Seianum inferiorẽ appellaret. quæro, an is totus fundus ad fratris filiũ pertineat? Paulus respondit, si testator fundum Seianum uno nomine uniuersum possedit, quamuis eundem diuersis partibus locauerat, uniuersum eum ex causa fideicommissi præstari oportere, nisi hæres, de qua parte testator senserit, euidenter probauerit.

III. Regula: *Sed & alia de pertinentijs fundi regula habetur l.cũ fundus.21.ff.de instr.legat. his uerbis:* Cum fundus sine instrumento legatus sit, dolia, molæ oliuariæ, & prælũ, & quęcunq; infixa in ædificataq; sunt, fundo legato continentur: nullæ autẽ ex his rebus quę moueri possunt, paucis exceptis, fundi appellatione continentur. de molis tum quæri solet, cum ita adfixæ, itáue inædificataæ sunt, ut partes ædificiorum esse uideantur.

IIII. Regula: *Fundo legato, instrumenta fundi nõ debentur. Quæ regula approbatur l.fundo.14.ff.de supellect.legata, his uerbis:* Fundo legato, instrumẽtum eius non aliter legato cedit, nisi specialiter id expressum sit. nam etiam domo legata, neque instrumentum eius, neq; supellex aliter legato cedit, quàm si idipsum ad usum nominatim expressum à testatore fuerit. *Concordat l.2.§.fin.ff.de instructo legato. ubi Papinianus:* Dotes prædiorum (*inquit*) quæ Græco uocabulo *ὀφίκια* appellantur, cum non instructa legantur, legatario non præstantur. *Dotes prædiorum, id est, instrumenta prædiorum: nam sic interpretatur glossa. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi specialiter fundus instructus, uel cum instrumento sit legatus: tunc enim instrumenta quoq; fundi debentur. Quæ exceptio approbatur uerbis suprà propositis hisce:* Nisi specialiter id expressum sit. *De qua re uide ĵ. reg. proxim. Secunda exceptio est: Nisi fundus instructus legatus sit ei, cuius fidei commissum est, ut fundum restitueret. Hæc exceptio approbatur l.fundum.3.in prin. ff.de instr.legat. his uerbis:* Fundum instructum libertis patronus testamento legauit: postea codicillis petijt, ut moriẽtes partes suas fundi superstitibus restituerent, nec instrumenti mentionem habuit. talem in fideicommisi causam deductum uideri placuit, qualis fuerat legatus. Sed & medij temporis augmenta fœtuum & partuum, item detrimenta fatalium fideicommisso contineri.

V. Regula: *Fundo instructo, uel cum instrumento legato, ipsius fundi instrumenta, mancipia & alia quædam debentur. Quæ regula approbatur simul & declaratur l.2.C.de uerb.signif. his uerbis:* Fundo, sicut instructus est, legato, siue per fideicommissum relicto: uillicum quidẽ, homines q;, & omnia quæ uel ipse paterfamiliâs, cum ibi ageret, uel ut fundus esset instructus, non temporis causa in ea habuit, relicta esse, iuris authoritate definitum est: ea etiam, quæ tam fructuum colligendorũ, quàm seruandorum, item pecora stercorandi uel pascendi causa ibi cõstituta, ut de his fructus capiantur, uel ut fundus sit instructus, fideicommisso cedere, certi iuris est. *Concordat l. instrumenta.8. ff. de instr.leg. cuius uerba uide ĵ. eod. cap.de instr.fundi, reg.1. Item concordat l.quæsitũ est. 12.§.sed si fundus.ff.de instr.legato, his uerbis:* Si fundus non sit cũ instrumẽto legatus, sed ita ut instructus est: quæsitum est, an amplius contineatur, quàm si cũ instrumento legatus esset? & Sabinus libris ad Vitellium scribit, fatendum esse, plus esse, cũ instructus fundus legatur, quàm si cum instrumẽto. quã sentẽtiam quotidie increscere & inualescere uidemus: quanto igitur hoc legatum uberius sit, uidendum est. & Sabinus definit, & Cassius apud Vitellium notat, omnia quæ eò sunt collata, ut instructior esset paterfa. Instructo (inquit) continebuntur. Hoc ergo legato non tantùm agri instrumẽtum, sed & proprium instrumentum suum reliquisse uidetur. Proinde si fundus sit instructus legatus, & supellex continebitur, quæ illic fuit usus ipsius gratia: & uestis, nõ solùm stragula, sed & qua ibi uti solebat: mensæ quoque eboreæ, uel si quæ aliæ: item uitrea & aurũ & argentum: uina quoq;, si qua fuerint usus ipsius causa, continebuntur: sed & si quid aliud utensilium. *Concordat item l.uillæ.16.§.fin. ff.eod.tt. his uerbis:* Quidam uxori suæ fundũ, ut instructus esset, in quo ipse habitabat, legauit. cõsultus de mulieribus lanificis, an instrumẽto cõtinerentur? respondit Alfenus, non quidé esse instrumenti fundi: sed quoniam ipse paterfamiliâs, qui legasset, in eodem fundo habitasset, dubitari non oportere, quin etiam ancillæ & cæteræ res, quibus paterfam. in eo fundo esset instructus, omnes legatæ uiderentur. *Concordat item l.Seiæ. 20.§.fin.ff.de instr.leg. cuius uerba uide ĵ.eod.cap.reg. 9.in fine.* Ait *l.2.suprà proposita:* Non temporis causa in eo habuit. *Ex hisce uerbis elicitur prima aduersus regulam propositã exceptio talis: Nisi temporis causa quid in fundo sit: hoc enim non debetur. Quæ exceptio approbatur etiam l.quæsitũ est. 12.§.Papinianus quoq;.ff.de instructo legato, his uerbis:* Papinianus quoq;, prædijs instructis legatis mancipia non contineri, quæ temporis causa illic fuerunt, ac non eo animo translatis paterfamiliâs, ut aut fundi aut suum instrumentum faceret. *Concordat l.1.C.de uerb. significa-*

gnific. cuius uerba uide ĵ. except.prox. Huius etiam exemplum proponitur l.Seiæ.20.§.idem quæsijt, cũ testator. ff. de instr.legat. his uerbis: Idem quæsijt, cum testator facto testamento in prouinciã sit profectus: an ea mancipia, quæ post profectionem eius, aut mortem, sine cuiusquã authoritate, sponte sua ad parẽtes & notos sibi homines in fundos legatos transissent, legato cedant? Respõdit Scæuola, non legatos eos esse, qui fortè ueluti commeantes transissent. *Secunda exceptio est: Nisi in alium usum in fundum sint collata, puta custodiæ causa, uel ut uenderentur. Hæc exceptio approbatur l.quæsitũ est. 12.§.sed si fundus, in fine. ff. de instr.legato, his uerbis:* Sed si qua eò congesserat, non usus sui causa, sed custodiæ gratia, non continebuntur: uina etiam quæ in apothecis sunt, non cedent. & hoc iure utimur, ut quæ illic paterfamiliâs quasi in horreo habuit, hæc non cõtineantur. Celsus quoq; lib. XVIII. Digest. scribit, fructus ibi repositos ut uenirent, uel in alium usum quàm fundi cõuerterentur, instructo fundo non contineri. *Concordat l. 2.C.de uerb.signific. his uerbis:* Prædijs instructis legatis, quamuis ex fructibus uinum & oleum in eodem fundo habuit, tamen si id uenale fuit: item ea quę ad tempus propter incursionem latronum tutelæ causa in prædium translata sunt, legato nõ cedere, iuris authoribus placuit. Vinum uerò, quod in apothecis fuit, si ideo illic habuit, ut cum in prædium uenisset materfamiliâs, eo uteretur: legato cedere, ignorare non debes. *Aliud propositæ exceptionis exemplum proponitur l.cum quidam.4.ff.de instr.leg. his uerbis:* Cum quidam duos fundos iunctos haberet, & ex altero boues, cum opus fecissent, in alterum reuerterentur, utrunq; fundum cum instrumẽto legauerat. Labeo, Trebatius, boues ei fundo cessuros putant, ubi opus fecissent, non ubi manere consueuissent: Cassius contrà. Labeonis sententiã probo. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi defunctus ista quoq; dari uoluit. Quæ replicatio approbatur l.prædia.28.§.adfini, in fine. ff. d.tt. his uerbis:* Scæuola quæsijt, an fructus eiusdem fundi, qui ibi in diem mortis coacti manserint, fideicommisso cedant: cùm plenissima testatoris erga adfinem uolũtas ab eo quoq; manifestetur, quo reliqua colonorum eiusdem possessionis ad eum pertinere uoluerit? Respondit Scęuola, in huiusmodi scriptura posse hoc solũ responderi, quærendum an manifestè appareat, defunctum id, de quo quæreretur, dari uoluisse. *Tertia propositæ regulæ exceptio est: Nisi serui mercede conducti fundum coluerint: hi enim legato non cedent. Quæ exceptio approbatur l.Seiæ.20. §.liberto. ff. de instrum.legato, his uerbis:* Liberto suo quidam prædia legauit his uerbis: Seio liberto meo fundos illum & illum do lego, ita ut instructi sunt cũ dotibus, & reliquis colonorum, & saltuarijs cum contubernalibus suis, & filijs & filiabus. quæsitum est, an Stichus seruus, qui prædium unum ex his coluit, & reliquatus est amplam summam, ex causa fideicommisi Seio debeatur? Respondit Scęuola, si non fide dominica, sed mercede (ut extranei coloni solent) fundum coluisset, non deberi. *Concordat ĵ.except.8. Quarta exceptio est: Nisi sint cõtubernales seruorum, ut uxor & liberi seruorum. Hæc exceptio reprobatur l.quæsitũ est.12.§.contubernales.ff.de instrum.legato, his uerbis:* Contubernales quoq; seruorum, id est uxores & natos, instructo fundo contineri, uerũ est. *De hoc uide ĵ.quoq; eod.cap.de instr.fundi legato, reg.12. Quinta exceptio est: Nisi serui sint manumissi. Quæ exceptio approbatur d.l.12. §.Celsus.ibi: idem Celsus.ff.de instr.leg.his uerbis:* Idem Celsus eodem libro ait, etiã supellectilarios, & cæteros hoc genus seruos cõtineri, quibus instructus erat in eo fundo, extra eos qui libertatem acceperunt, & qui rure morari solebant. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi inutiliter sint manumissi, & libertas illis nõ competat. Quæ replicatio reprobatur l.fundum.3.§.fin.ff.de instr.legato. cuius uerba uide ĵ. lib.prox. cap.11. causa 53.exemplo 3.except.3. Sexta exceptio est: Nisi tempore quo dies legati cedit, non sint in fundo legato: ea enim non debentur. Quæ exceptio approbatur l.Lucius.29.ff. de instr.legato, his uerbis:* Lucius Titius fundũ, uti erat instructus, legauerat. quæsitum est, fundus instructus quemadmodũ dari debeat: utrũ sicut instructus fuit mortis patisfamiliâs tẽpore, ut quæ medio tẽpore adgnata, aut in fundum illata sunt, hęredis sint: an uerò instructus fundus eo tẽpore inspici debeat, quo factũ est testamentũ: an uerò eo tẽpore, quo fundus peti cœpit, ut quicquid eo tempore instrumenti deprehendatur, legatario proficiat? Respondit Scæuola, ea quibus instructus sit fundus, secundum uerba legati, quæ sunt in eadem causa, cum dies legati cedit, instrumento contineri. *Concordat l.si fundus.28.ff.quando dies legat.cedat, his uerbis:* Si fundus instructus relictus erit, quæritur, quemadmodum dari debeat: utrum sicut instructus fuit mortis tempore, an eo tẽpore quo facti sunt codicilli, an quo peri cœperit? Respondit Scæuola, ea quibus instructus sit fundus, cum dies legati cedat, deberi. *Huius exceptionis replicatio prima est: Nisi tempore quo dies legati cedit, seruus in fuga sit: hic enim nihilominus debetur. Quæ replicatio approbatur l.seruus.80.ff.de leg.3. his uerbis:* Seruus qui in fundo morari solitus erat, si fugerit, licet post mortem testatoris adprehendatur: fundo legato, ut instructus est, etiam ipse cedit. *Concordat l.huiusmodi.81.§.legatum. ff.de leg.1. cuius uerba ui-*

ba uide 3.lib.prox.cap.11.causa 56. Secunda replica tio est: Nisi seruus aliò sit missus, ita ut in fundum reuertatur. Hæc replicatio approbatur l.quæsitũ.12.§.idem respondit, prædijs.ff.de instrum.legato, his uerbis: Papinianus respondit, prædijs instructis legatis, actorem ex his in prouinciam missum, ut ordinatis negocijs ad pristinum actũ rediret, legato prædiorum cedere, quamuis nondũ redierit. *Concordat l.Sciæ.20.§.Pamphilæ.ff.eod.tt.his uerbis:* Pamphilæ libertæ meæ dari uolo fundum Titianum cum instrumento, & his qui in eodem erunt, cum moriar. quæsitũ est, si Stichus seruus ex eo fundo ante annum testatoris mortis abductus, & in disciplinã traditus, postea in eum fundum reuersus non sit, an debeatur? Respondit Scæuola, si studendi causa mississet, non quo à fundo eum aliorsum transferret, deberi. *Concordat iisdem uerbis l.quæsitũ.76.in prin. ff.de leg.1. Tertia replicatio: Nisi seruus testatorem peregrè sit secutus. Quæ replicatio approbatur l.prædia.28.§.1.ff.de instrum.leg. his uerbis:* Adfini suo ita legauit, Fundum Cornelianum Titio, ita ut est instructus, cum omnibus rebus, & mãcipijs, & reliquis colonorum dari uolo. hæc testatrix Romam litis causa ex Africa ueniens, mancipia quædam ex fundo suprascripto, quo citius per hyemem ad oram legeret, secum adduxit. quæsitum est, an ea mancipia fideicommisso cedant, cum quædam ex his rusticis officijs ad tempus peregrinationis abducta sunt, relictis conseruabus & filijs suis, & quædam matribus & patribus? Respondit Scæuola, mancipia de quibus quæreretur, secundum ea quæ proponerentur, ex causa fideicommissi deberi. *Septima exceptio est: Nisi urbicis rationibus potius functus sit seruus, quàm rusticis. Hæc exceptio approbatur d.l.28.in prin. his uerbis:* Prædia maritima cum seruis quæ ibi erunt, & omni instrumento & fructibus qui ibi erunt, & reliquis colonorum nutritori suo legauit. quæsitum est, an serui piscatores, qui solebant in ministerio testatoris esse, & quocunque eum sequi, & urbicis rationibus fungebantur, nec mortis testatoris tempore in prædijs legatis deprehensi fuerunt, legati esse uideantur? Respondit Scæuola, secundum ea quę proponerentur, non esse legatos. *Octaua exceptio est: Nisi coloni finita conductione discesserint: hi enim non debentur. Quæ exceptio approbatur l.Seiæ.20.§.prædia.ff.de instr.leg.his uerbis:* Prędia ut instructa sunt, cum dotibus & reliquis colonorum & uillicorum, & mancipijs & pecore omni legauit, & cum peculijs & actore. quæsitum est, an reliqua colonorum, qui finita conductione interposita cautione de colonia discesserant, ex uerbis suprascriptis legato cedãt? Respondit Scæuola, non uideri de his reliquis esse cogitatum. *Concordat 3.except.3. Nona exceptio est: Nisi non in fundo, sed in adiectis agellis posita sint. Hæc exceptio similis est præcedenti sextæ, eiusq; exemplum proponitur l.prædia.28.§.fin.ff.de instr.leg.his uerbis:* Fundos legauit in hæc uerba, Sempronio fratri meo hoc amplius, fundos meos, ita ut instructi sunt, Casianum, Nomianum, cum suis salictis & syluis. quæsitum est, cum syluæ & salicta nõ in fundis suprascriptis sint, sed in adiectis agellis, & quos simul testator comparauit, nec sine his fundi coli possint, an legato cederent? Respondit Scæuola, id tantùm cedere legato, quod uerbis cõprehendisset. *Decima exceptio est: Nisi testator aliqua instrumenta & mancipia specialiter nominauit: tunc enim non nominata non debentur. Hæc exceptio approbatur l.legata.9.in prin. ff. de supell. his uerbis:* Legata supellectile, cũ species ex abundanti per imperitiam enumerantur, generali legato non derogatur. Si tamen species certũ numeri demonstratæ fuerint, modus generi datus in his speciebus intelligitur. Idem seruabitur instructo prædio legato, si quædam species certum numerum acceperint. *Huius exemplum proponitur l.cum de lanionis.18.§. cui fundum.ff.de instr.leg.his uerbis:* Cui fundum instructum legauerat, nominatim legauit mancipia. quæsitum est, an reliqua mancipia, quæ non nominasset, instrumento cederent? Cassius ait, responsum esse, tametsi mancipia instructi fundi sint: tamen uideri eos solos legatos esse, qui nominati essent: quòd appareret, non intellexisse patrem familiãs, instrumento quoq; seruos adnumeratos. *Aliud exẽplum proponitur l.Seiæ.20.in prin. ff.eod.tt.his uerbis:* Seiæ ex parte hæredi institutæ, si hæres erit, fundos per præceptionẽ dederat instructos cũ suis uillicis & reliquis colonorũ, & codicillis ita scripsit: Postea mihi uenit in mentem, Seiam fundos quos reliqui, ita ut sunt instructi rustico instrumento, supellectile, pecore & uillicis, cũ reliquis colonorũ, & apothecam habere uolo. quæsitũ est, an etiam ea quæ patris familiãs usus quotidiani causa in fundo fuerunt, legato continerẽtur? Respondit Scæuola, testamẽto quidem, ut proponeretur, Seiæ insuper fundum legatũ: uerùm nõ amplius deberi, quàm in codicillis, quos sanè post obliuionem testamentariæ scripturę fecisset, instructi appellatione cõtineri se uelle, manifestè ostendisset. *Propositæ exceptioni contradicit l. quæsitum.12.§.penult.ff.d.tt.de instr.legato, his uerbis:* Si quis fundum ita ut instructus est legauerit, & adiecerit, Cum supellectile uel mancipijs, uel una aliqua re, quæ nominatim expressa nõ erat: utrum minuit legatum adiciendo speciẽ, an uerò non, quæritur? & Papinianus

pinianus respondit, non uideri minutũ, sed potius ex abundantia adiectũ. *Plura de regula proposita eiusq; exceptionibus uide 3.de instrumento legato.*

V I. *Regula: Fundo instructo legato, quæ præter ea quæ suprà proposita sunt, debeantur, definitur d.l. 12.§.si instructum, cum sequentibus, his uerbis:* Si instructum fundum legasset: ea pædagogia, quæ ibi habebat, ut cum eò uenisset, præstò essent in triclinio, legato continentur. Instructo item fundo & bibliothecã & libros, qui illic erant, ut quoties uenisset uteretur, contineri constat: sed si quasi apotheca librorum utebatur, contrà erit dicẽdum. Neratius quoque libro 4. Epistol. Rufino respondit, instructo fundo & supellectilem & uina & mancipia, non solùm ad cultum custodiámue, sed etiam quæ ipsi patrifamiliãs in ministerio ibi essent, legato cedere. Imagines autem hæ solæ legatæ uidentur, quæ in aliquo ornatu uillæ fuerunt. *& paulò post:* Idem respondit, theriacam quoque & cætera medicamenta, quæ secessus causa dominus ibi habuisset, & uestẽ propter secessum ibi depositam, instructo fundo legato inesse. *Propositæ regulæ exceptiones eadem sunt, quæ sunt regulæ superioris.*

V I I. *Regula: Fundo legato ita uti est, perinde est ac si fundus instructus esset legatus. Quæ regula approbatur l.prædia.28.§.penult. ff. de instrum.legato, his uerbis:* Ita legatũ est, Septiciæ sorori meę fundi paterni mei Seiani partem dari uolo sicut est, & alteram partem ita ut in diẽ mortis fuerit. quæsitum est, an ex uerbis suprascriptis asseres & præla iam disposita parataq; ut immitterentur ædificio, item instrumentum urbanum & rusticum cum mancipijs, quæ fundi causa erunt, ad legatariam pertineant? Respõdit Scæuola: Possunt hęc uerba, Sicut est, ad instructum referri. *Concordat l.quæsitum.76.§.peto ut. ff. de leg.3. his uerbis:* Peto ut fundum meum Campanum Genesiæ alumnæ meę adscribatis ducentis aureis uti est. quæritur, an cum fundo & reliqua colonorum & mancipia, si quæ mortis tempore in eo fuerint, debeantur? Paulus respondit, reliqua quidem colonorum non legata: cætera uerò uideri uerbis, Vti est, data. *Concordat iisdem uerbis l.qui habebat.99.§.fin.ff. de legatis 3.*

V I I I. *Regula: Fundo legato, uti optimus maximusq; est, liber est præstandus. Quæ regula approbatur l.seruo legato.68.§.si fundus. ff. de leg.1.his uerbis:* Si fundus qui legatus est, seruitutẽ habeat impositam, qualis est, dari debet: quòd si ita legatus sit, Vti optimus maximusq;, liber præstandus est. *Item fundo legato, uti optimus maximusq; est, instrumenta quoque uenationis continentur. Quæ regula approbatur l.fundo.22.in prin.ff.de instr. legat.his uerbis:* Fundo legato, ut optimus maximusq; est, retia apraria, & cætera quæ uenationis instrumento cõtinebuntur, ad instrumenta pertinent, si quæstus fundi ex maxima parte in uenationibus consistat. *Sed & alia proposiii legati regula proponitur l.Lucius.91.§.collegio.ff.de leg.3.his uerbis:* Collegio fabrorum fundum cum syluis, quæ ei cedere solẽt, uti optimus maximusq; esset, legauit. quæro, an ea quoque, quæ in diem mortis ibi fuissent, id est fœnum, pabulum, palea: item machinæ, uasa uinaria, id est, cupæ & dolia, quæ in cella defixa sunt: item granaria essent legata? Respondit Scæuola, non rectè peti, quod legatum non esset.

I X. *Regula: Prædijs legatis, uti à me possessa sunt, instrumentum & alia quæ ibi fuerunt, debentur, reliquis colonorum exceptis. Quæ regula approbatur l. prædijs.89.§.ex his uerbis.ff.de legat.3.his uerbis:* Ex his uerbis, Lucio Titio prædia mea illa cum prætorio, sicut à me in diẽ mortis meæ possessa sunt, do: instrumentum rusticum, & omnia quæ ibi fuerunt, quo dominus fuisset instructior, deberi conuenit: colonorum reliqua non debentur. *Vtrum autem hoc legatum, Vti possedi, idem sit, ac si fundus instructus legatus esset: proponitur quidem, sed non satis definitur l.Seiæ. 20.§.fin.ff.de instr.legato, his uerbis:* Quod adiecit testator, Vti possedi, an hoc significet, sicuti instructa in diem mortis habuerat: id est, cum mancipijs, pecoribus, instrumento rustico? Respondit Scæuola, nòn de iure quęri. *Plura de regula proposita uide 3. eod.cap.de iis quæ ibi sunt legatis, reg.1.except.8.*

X. *Regula: Prædijs legatis sicuti comparata sunt, alia prædia simul uno precio comparata nõ debentur, nisi reditibus utriusq; possessionis confusis, & uno nomine appellatis. Quæ regula proponitur l.prædijs.89. §.Titio.ff.de leg.3. his uerbis:* Titio Seiana prædia, sicuti comparata sunt, do lego. Cum essent Gabiniana quoq; simul uno precio cõparata, non sufficere solum argumentũ emptionis, respondit Paulus: sed inspiciẽdum, an literis & rationibus appellatione Seianorum Gabiniana quoque continerentur, & utriusq; possessionis confusi reditus titulo Seianorum acceptolati essent.

X I. *Regula: Prædijs legatis, & ijs quæ eorum prædiorum causa empta paratáq; sunt, quid ueniat petendum, definitur l.cum quæreretur.58.§.prædijs.ff.de legat.3.his uerbis:* Prædijs legatis, & quæ eorũ prædiorum colendorum causa empta paratáque essent: neque topiarium, neque saltuarium legatũ uideri, ait Africanus. topiarium enim ornandi, saltuarium autem tuendi & custodiendi fundi magis, quàm colendi gratia paratum esse. asinum machinarium legatum uideri, item oues quæ sterco rãdi fundi causa pararẽtur: item opilionem,

si eius generis oues curaret. *Sed de huiusmodi legato inferius plura dicentur.*

XII. *Regula: Fundo, excepto ædificio, legato, quid ueniat, definitur l. si quis. 78. §. qui fundum. ff. de leg. 1. his uerbis:* Qui fundum excepto ædificio legat, appellatione ędificij aut superficiem significat, aut solum quoq;, cui ędificiũ superpositũ est. si de sola superficie exceperit, nihilominus iure legati totus fundus uindicabitur: sed exceptione doli mali posita, cõsequetur hæres, ut sibi habitare in uilla liceat: in quo inerit, ut iter quoq; & actũ in ea habeat. Si uerò solum quoq; exceptum fuerit, fundus excepta uilla uindicari debebit: & seruitus ipso iure uillæ debebitur, nõ secus, ac si duorum fundorũ dominus alterũ legauerit, ita ut alteri seruiret. sed inclinandum est, testatorem etiam de solo cogitasse, sine quo ædificium stare non potest.

XIII. *Regula: Fundo exceptis uineis legato, si nullæ sint uineæ, legato nihil decedit. Quæ regula approbatur l. si quis. 71. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si quis legauerit fundum Cornelianum, exceptis uineis, quæ tempore mortis eius erunt: si nullæ uineæ erunt, legato nihil decedet.

XIIII. *Regula: Fundo uectigali legato, quid ueniat, definitur l. si domus. 70. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si non municipibus, sed alij fundũ uectigalem legauerit: non uideri proprietatẽ rei legatã, sed id ius quod in uectigalibus fundis habemus. *Hactenus de fundo legato. Sanè fundo legato cũ ijs quæ ibi sunt, quid debeatur, uide ĩ. eod. cap.*

DE DOMO ET AEDIbus legatis.

I. *Regula: Aedibus legatis, omne quod supra solum est ædificium debetur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. si cui. 30. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si cui ædes legatæ sint, is omne habebit id ædicium, quod supra solum earum ędiũ erit. Paulus: Hoc tunc demum falsum est, cũ dominus ædium binarum aliquod conclaue, quod supra cõcamerationem alterarum ædium esset, in usum alterarum cõuertit, atq; ita his usus fuerit. nanq; eo modo alteris ædibus id accedit, alteris decedit.

II. *Regula: Domo legata, instrumentũ eius non debetur. Quæ regula approbatur l. fundo. 14. ff. de supell. legata. cuius uerba uide ĩ. eod. cap. de fundo legato, regul. 4. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi instrumentũ quoq; domus specialiter sit legatum. Quæ exceptio approbatur d. l. 14. uerbis ĩ. d. reg. 4. propositis. de qua re paulò inferius plura. Secunda exceptio est: Nisi fundus instructus cũ domo legatus sit. tunc enim uidetur domus quoq; instructa legata. Quæ exceptio approbatur l. Seiæ. 20. §. Caio. ff. de instr. legato, his uerbis:* Caio Seio alũno meo fundos meos, illum & illũ, ita ut instructi sunt, & domũ superiorem dari uolo. quæsitum est, an etiam domum instructã dari uoluerit? Respondit Scæuola, secũdum ea quæ proponerentur, ita uideri dedisse: nisi is à quo peteretur, aliud testatorem sensisse, manifestè doceret.

III. *Regula: Aedibus legatis, ea quoq; debentur, quæ ita illigata sunt ædibus, ut ibi perpetuò essent. Quæ regula approbatur l. dolia. 27. in prin. ff. de instr. leg. his uerbis:* Dolia fictilia, itẽ plumbea, quibus terra aggesta est, & in his uiridiaria posita, ædium esse, Labeo & Trebatius putant. ita id uerũ esse putat Iabolenus, si ita illigata sint ædibus, ut ibi perpetuò posita sint.

IIII. *Regula: Domo legata, balneæ quoq; debentur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. prædijs. 89. ff. de leg. 3. his uerbis:* Balneas legatæ domus esse portionẽ, cõstabat. Quòd si eas publicè præbuit, ita domus esse portionem balneas, si per domũ quoq; intrinsecus adibantur, & in usu patrisfamiliãs uel uxoris nonnunquã fuerant, & mercedes eius inter cæteras meritoriorũ domus rationibus acceptoferebãtur, & uno precio cõparatę uell instructæ, communi iure cõiunctæ fuissent.

V. *Regula: Domo legata, hortus quoq; uicinus domus causa comparatus debetur. Quæ regula approbatur d. l. 89. §. penult. his uerbis:* Qui domum possidebat, hortum uicinum ædibus cõparauit, ac postea domũ legauit. si hortũ domus causa comparauit, ut amœniorẽ domũ ac salubriorem possideret, aditumq; in eũ per domum habuit, & ædiũ hortus additamẽtum fuit: domus legato continebitur.

VI. *Regula: Domo legata, insula quoq; domui adiuncta, simulq; comparata debetur. Quæ regula approbatur d. l. 89. §. fin. his uerbis:* Appellatione domus insulam quoq; iunctam domui uideri legatam, si uno precio cum domo comparata fuisset, & utriusque pensiones similiter acceptolatas rationibus ostenderetur.

VII. *Regula: Aedibus legatis, solum quoq; debetur, item iter & actus ad ædificium. Quæ regula approbatur l. si quis. 78. §. qui fundum. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ĩ. eod. cap. de fundo leg. reg. 12.*

VIII. *Regula: Domus parte legata, in qua morari consueuit, quid debeatur, definitur l. uxori. 32. in prin. ff. de legat. 3. bis uerbis:* Vxori suæ inter cætera ita legauit, Et domus eam partẽ, in qua morari consueuimus. quæsitum est, cum tam testamenti faciendi tempore, quàm mortis totam domum in usu habuerit, nec quidquam ex eo locatum: an ea tãtummodò uideatur legasse cubicula, in quibus dormire consueuerant? Scæuola respondit, eam omnem partem, in qua morari cũ familia consueuisset.

IX. *Regula: Domo instructa, uel cum instrumẽto legata, quid debeatur, definitur l. quæsitum. 12. §. idem respondit, domo. ff. de instr. leg. his uerbis:* Papinianus respõdit, domo ita ut instructa est, cum omni iure suo legata, urbanã familiã, item artifices, quorum operæ cęteris quoq; prædijs exhibebantur, legato nõ contineri. Hostiarij autem (inquit) topiarij, dietarij, aquarij, domui tantùm deseruientes, continebũtur. Sed quod de artificibus ait, falsum est (*inquit Vlpianus*) si eius domus causa parati sunt, licet alijs quoq; prædijs commodabãtur. Idem Papin. respondit, domo instructa legata, menses eboreas & libros non contineri. Sed hoc falsum est (*inquit Vlpianus.*) nam omne, quidquid in domo fuerit, ut instructior ibi esset paterfamilias, continebitur: supellectilem autem patrisfamiliãs instrumento esse, nemo dubitat. Deniq; Neratius lib. 4. Epist. Marcello fratri suo respondit, etiam uestem domus instructæ legato contineri, maximè (inquit) in proposita specie: proponebatur enim qui legauerat, argentũ & rationes excepisse. nam qui hæc (inquit) excepit, non potest non uideri de cæteris rebus quæ in ea essent, sensisse. Sed & ipse Papinianus eod. lib. Responsorum ait, patrem mercatorem ac fœneratorem, qui duos filios totidemq; filias hęredes instituerat, ita legasse, Filijs maribus domum meam instructam do lego, dariq; iubeo: merces & pigno ra an contineantur, quæri posse: sed facilem iudici uoluntatis coniecturam fore, cæteris patris facultatibus examinatis. *Ex uerbis iam propositis colligitur regula hæc, quòd domo instructa legata, debeatur omne id quod in domo fuit, quo instructior ibi esset paterfamiliãs: ut sunt serui ostiarij, topiarij, diætarij, aquarij domui deseruientes: item mensæ eboreæ, libri, suppellex, uestis, &c. Quod ad supellectilem attinet, ei concordat l. si ita. 15. §. domo. ff. eod. tt. cuius uerba paulò inferius proponentur. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi serui alijs rebus ac prædijs deseruiant. Quæ exceptio approbatur l. Seiæ. 20. §. Caio, in fine. ff. de instr. leg. bis uerbis* : Si habitationis, id est, ędificij instrumentum legasset, nõ cedere seruos operæ alijue rei paratos. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi serui domus causa parati sint: tunc enim, quãuis et alijs prædijs deseruiant, nihilominus instrumenta domus legato continẽtur. Quæ replicatio patet ex uerbis suprà propositis hisce:* Sed quod de artificibus ait, falsum est, &c. *Secunda exceptio est: nisi ad alium, quàm ad domus usum pertineat, ut uinum. Quæ exceptio approbatur l. si ita. 15. §. domo. ff. de instr. legato, his uerbis:* Domo instructa legata, responsum est supellectilem legatam, non etiam uina: quia domus uinis instructa intelligi non potest. *Sed propositæ exceptioni uidentur contraria exempla superius proposita de uestę, mercibus, &c. Tertia exceptio est: Nisi non in domo, sed alibi sint reposita. Hæc exceptio recipit replicationem hanc* : *Nisi ad tempus aliò sint translata. Quæ replicatio approbatur l. Seiæ. 20. §. instructis. ff. de instru. leg. his uerbis:* Instructis domibus legatis, grabatus argento inaurato tectus, mortis Titiæ tempore in domibus nõ est repertus, sed in horreis tantisper conditus. quæro, an is quoq; pręstandus sit? Respondit Scæuola, si in domo esse soleret, & quo tutiore loco haberetur, interim in horrea allatus esset, nihilominus præstandum. *Quartæ exceptionis loco regula sequens notanda. Sed & alia huius loci uide ĩ. de instrumẽto domus legato.*

X. *Regula: Domo instructa legata, pecunia & instrumenta debitorum non debentur. Quæ regula approbatur l. si mihi. 90. §. fin. ff. de leg. 3. bis uerbis:* His uerbis domibus legatis, Fidei hęredũ meorum cõmitto, uti finant eum habere domus meas, in quibus habito, nullo omnino excepto, cum omni instrumento & repositis omnibus: nõ uideri testatorem de pecunia numerata, aut instrumentis debitorũ sensisse. *Concordat l. cum de Lunionis. 18. §. fin. ff. de instr. leg. bis uerbis:* Domum instructã legauit cum omnibus adfixis. quæritur de instrumentis debitorum, an ea legatarius habere possit? Respondit Paulus, secundum ea quæ proponerentur, non posse.

DE IIS QVAE IBI SVNT legatis.

I. *Regula: Iis quæ ibi sunt legatis, quæ debeãtur, definitur d. l. 18. §. Sabinus. ff. de instr. leg. his uerbis:* Cui fundus, quęq; ibi sint, legata sunt, ei fundus, & omnia quæ in eo solita sunt esse, quæq; ibi maiore parte anni morabantur, & qui in eum manendi causa recipere se consueuerunt, legati uidentur: at si qua consultò in fundo cõgesta cõtrectatáue sunt, quo legatum cumularetur, ea nõ uidentur legata esse. *Ex his uerbis patet, omnia quæ in fundo uel alibi sunt, regulariter legato cedere. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi sine iussu testatoris, uel dolo legatarij in fundum sint congesta. Quæ exceptio patet ex uerbis propositis hisce:* At si qua cõsultò in fundo cõgesta cõtrectatáue sunt, quo legatum cumularetur, ea non uidentur legata esse. *Concordat l. si uxori. 40. §. fin. ff. de auro leg. bis uerbis:* Atteius Seruium respondisse scribit, cui argentum quod in Tusculano fundo, cum moreretur, habuisset, legatũ esset, & quod antequam moreretur, ex urbe in Tusculanum iussu testatoris translatũ esset, deberi: contrà fore, si sine iussu translatũ esset. *Concordat item l. cum ita. 33. in prin. ff. de leg. 2. bis uerbis:* Cum ita legatur, Quidquid in horreo meo erit: & is cui legatũ est, ex rebus non legatis, ignorante eo, ampliandi legati sui gratia in horreũ intulerit: quod illatum est, nõ uidetur esse legatum. *Secunda exceptio est: Nisi casu ibi sint, & ad tẽpus. Quæ exceptio approbatur l. si fundus. 42. ff. de leg. 3. bis uerbis:* Si fundus legatus sit cum his quæ ibi erunt, quæ ad tempus ibi sunt, non uidentur legata: & ideo pecuniæ, quæ fœnerandi causa ibi fuerunt, non sunt legatæ.

legatæ. *Concordat l.quæſitum.76.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Rebus quæ in fundo ſunt legatis, accedunt etiam ea quæ tunc non ſunt, ſi eſſe ſolebant: nec quæ caſu ibi fuerunt, legata exiſtimantur. *Concordat item l.ſi ita.84.in fine. ff.eod.tt.cuius uerba uide paulò inferius except.6. Concordat item l.Scia.20.§.idem quæſijt, cum teſtator. ff. de inſtrum.leg. cuius uerba uide ẽ.eod.cap.de fundo legato,reg.5. except.1. Concordat item l.ex facto.35.§. rerum. ff. de hæredib.inſtit. cuius uerba uide ẽ.capite prox.reg.21. Concordat item l.qui ſaltum.65.ff.de leg. 3.his uerbis*: Qui ſaltum æſtiuum legauit, & hoc amplius etiam eas res quæ ibi eſſe ſolent, non uidetur de illis pecoribus ſenſiſſe, quæ hyeme in hybernis, aut æſtate in æſtiuis eſſe ſolent: ſed de illis quæ perpetuò ibi ſunt. *Sed & aliud exemplum in mercibus ibi repoſitis proponitur l.generali.32.§.uxori. ff. de uſufruct. leg. cuius uerba uide ẽ.lib.24. cap.4.quæſt.4. reg.10. Tertia exceptio eſt: Niſi depoſita ſint apud teſtatorem, uel ei commodata. Hæc exceptio approbatur l.ſi uxori.40.§.cum ita. ff.de auro leg. his uerbis*: Cum ita legatum eſt, Argentum quod domi meæ erit, cum moriar: Oſilius nec quod depoſitũ eſſet à ſe, nec quod commodatum reliquiſſet, argentũ legatum uideri reſpondit. idem Caſſellius de commodato. Labeo, quod depoſitum eſſet, ita deberi, ſi præſentis cuſtodiæ cauſa, non perpetuę, ueluti depoſitum theſauri eſſet: quia illa uerba, Quod domi meæ erit: ſic accipi debere, Eſſe ſolebat. & hoc probo, inquit Iabolenus. *Quarta exceptio eſt: Niſi quid ex ijs quæ ibi ſunt, alij ſit legatum. hoc enim non debetur. Quæ regula approbatur l.quæſitum eſt.76.§.1. ff. de leg.3. cuius uerba paulò ſ. proponentur except.9. Huius exemplum proponitur l.quæſitum eſt.12.§.fin.ff.de inſtr.leg.his uerbis*: Papinianus, inſtructis hortis filio legatis, mater argentum muliebre filiæ legauerat: reſpondit, etiam id argẽtum muliebre, quod in hortis habuit, ut ibi eſſet inſtructior, ad filiam pertinere. *Quinta exceptio eſt: Niſi ijs quæ ibi ſunt legatis, quædam teſtator ſpecialiter enumerauit: tunc enim reliqua quæ ibi ſunt, non debentur. Quæ exceptio approbatur l.cum de lanionis.18.§.penult.ff. de inſtr.legat.his uerbis*: Quidam cum ita legaſſet, Villam meam ita, ut ipſe poſſedi, cum ſupellectile, menſis, mancipijsq; quæ ibi deputabantur, urbanis & ruſticis, uinisq; quæ in diem mortis meæ ibi erunt, & decem aureis: & quæreretur, cum in diem mortis ibi libros & uitreamina, & ueſtiſpicam habuerat, an ea omnia legato cederent, quoniam quædam numeraſſet? Scæuola reſpondit, ſpecialiter expreſſa legato cedere. *Plura de exceptione propoſita uide ẽ. eod.cap.de fundo legat. reg.5.except.10. Sexta exceptio eſt: Niſi mortis tempore non ſint ibi. Quæ exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm recipit replicationẽ hãc: Niſi aliquo caſu abſit, & ibi eſſe ſoleat. Quæ replicatio approbatur l.ſi ita.84.in fin.ff.de leg.3.his uerbis*: Labeonis diſtinctionem ualde probo, qui ſcripſit, nec quod caſu abſit, minus eſſe legatum: nec quod caſu ibi ſit, magis eſſe legatum. *Concordat l.quæſitum.76.§.fin.ff. eod.tt. cuius uerba uide ẽ.except.2. Concordat item l.ſi uxori.40.ibi: quia illa uerba. ff.de auro leg. cuius uerba uide ẽ. except.3.in fin. Concordat item l.ex facto.35.§.rerum.ff.de hæred.inſtit. cuius uerba uide ſ. cap.prox.reg.21. Proinde ſi ſeruus ex fundo ſtudendi cauſa aliò ſit miſſus, nihilominus debetur. de quo uide ẽ.eod.cap.de fundo legato,reg.5.except.6. repl.2. Idem eſt, ſi ſeruus fugerit. de quo d.except.6.replic.1.eſt dictum. Huc etiam pertinet l.quæſitum eſt.12.§.idem reſpondit, domo. ff. de inſtr.leg. cuius hæc ſunt uerba*: Papinianus reſpondit, domo per fideicõmiſſum relicta cum ſupellectile Claudio Hieronymiano clariſsimo uiro ab Vmbrio Primo, & menſas & cæteram ſupellectilẽ, quã in hortos paterfam. in procõſulatu profecturus cõtulerat, ut tutiore loco eſſent, contineri. *Septima exceptio eſt: Niſi teſtamenti facti tempore non fuerint ibi. Hæc exceptio reprobatur: quia hoc caſu etiam ea quæ poſtea acceſſerunt, debentur. l.Iuniano.66.§.fin.ff.de leg.3. de qua re uide ẽ.cap.prox.reg.9. Octaua exceptio eſt: Niſi res quæ ibi ſunt, ſint legatæ. hoc enim caſu mancipia uidentur non deberi. uerùm exceptio hæc reprobatur l.omnia.32.§.final.ff.de leg.2.his uerbis*: Cum ita legatur, Illi hoc amplius fundum illum cum omnibus rebus, quæ in eodẽ fundo erunt: mancipia quoq; continentur. *Concordat l.Iuniano. 66.§.fin.ff. de leg.3.his uerbis*: Prædijs οὐρ τοῖς ἐνθάδε, quę in ea poſſeſsione ſunt relictis, mãcipia quoq; prædiorum, cum illic teſtamenti facti tempore fuerunt, cedent. ſed & quæ poſtea acceſſerunt: ſi modò hoc teſtator manifeſtè expreſsit. *Concordat l.quæſitum.76.§. prædia.ff.eod.tt.his uerbis*: Prædia quædam reliquit, adiectis his uerbis: Vti à me poſſeſſa ſunt, & quæcunq; ibi erunt cũ moriar. quæſitum eſt de mancipijs quæ in his prædijs morata fuerunt uel operis ruſtici cauſa, uel alterius officij, cæterisq; rebus quæ ibi fuerunt in die mortis, an ad legatarium pertinerent? Paulus reſpondit, ea omnia de quibus quæreretur, legata uideri. *Item concordat l.Lucius.91.§.quidam.ff.eod.tt.his uerbis*: Quidam prædia legauit libertis, adiectis his uerbis: Vti à me poſſeſſa ſunt, & quæcunq; ibi erũt cum moriar. quæſitum eſt, an mancipia, quę in his prædijs morata in diem mortis patriſfamiliâs fuerunt operis ruſtici cauſa, uel alterius officij, cæteræque res quæ ibi fuerunt, ad legatarios pertineant? Scæuola: Reſpondi, pertinere. *Nonæ exceptionis loco notandum, quòd numi & nomina debitorũ, quæ ibi ſunt, non debentur. Quæ exceptio approbatur d.l.76.§.1. ff.de leg.3. his uerbis*: Mæui fili, quòd iam tibi maximam

maximam partem facultatum dederim, contentus eſſe debes fundo Sempronianò cũ ſuis inhabitantibus, id eſt, familia & quæ ibi erunt. quæſitum eſt de nominibus debitorum, & numis? Eidem epiſtolam talem miſit, Argentum omne & ſupellectilem (quodcunq; habeo) tibi do, & quidquid in prædio Semproniano habeo. an ſupellex, quæ in prædijs uel domibus eſſet, ad Mæui um pertineret? & an ſerui, quos ex eo fundo alijs legauit? reſponſum eſt, nomina & numos non uideri deberi, niſi manifeſtè de his quoq; legandis uoluntas defunctæ adprobaretur. ſeruos ex ijſdem fundis alijs datos deminuiſſe filij legatum. De argento & ſupellectili, quæ alibi eſſet, eum cuius notio eſt, æſtimaturũ, ut id obtineat, quod teſtatori placuiſſe à legatario approbabitur. *Concordat l.Catus.88.in prin.ff.de leg.2.cuius uerba uide ẽ.libro prox.cap.6.except.74.§.poſtremò. Concordat itẽ l.uxorem.39.§.legauerat.ibi: item quæſitum. ff.de leg. 3.cuius uerba uide ſ.reg.4.except.1. Concordat item l. ſi ita.84.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Si ita legatum eſt, Domum, quæq; mea ibi erunt, cum moriar: numos ad diem exactos à debitoribus, ut alijs nominibus collocarentur, non puto legatos eſſe. *Concordat item l.prædijs.89.§.pater. ff.eod.tt.his uerbis*: Pater filiæ tabernam purpurariam cum ſeruis inſtitoribus & purpuris, quæ in diem mortis eius ibi fuerũt, legauit. neq; precia purpuræ condita, neq; debita, neq; reliqua legato contineri placuit. *Concordat item l.ſi mihi.90.in princ.ff.eod.tt.de leg.3. cuius uerba uide ſ.exception.proxim. Concordat item l. quæſitum.12.§. antepenult. ff.de inſtr. leg. his uerbis*: Papinianus lib.VII. Reſponſorum, uxori, cui uir omnia quæ in domo erant, ab hærede filio præſtari uoluit, cautiones debitorũ, emptionesq; ſeruorum non uideri legatas reſpõdit niſi (inquit) ex alia parte & de ſeruis eum cogitaſſe apparuerit, ſcilicet ut eorum ſeruorum ei legaſſe uideatur emptiones, quos & ipſos uoluit ad eum pertinere. *Contradicit, quoad numos attinet, l.prædia.28.§.liberto, in fine. ff.de inſtr.leg. cuius uerba uide ſ.except.11. in fine. Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi legatis ijs quæ ibi mobilia meæ erunt, numi præſidij cauſa ibi ſint repoſiti. tunc enim debentur numi. Quæ replicatio approbatur l.ſi chorus.77.§.1.ff.de leg.3. hiſce uerbis*: His uerbis, Quę ibi mobilia mea erunt, do lego: numos ibi repoſitos, ut mutui darentur, nõ eſſe legatos, Proculus ait: at eos quos præſidi cauſa repoſitos haberet (ut q buſdam bellis ciuilibus factitaſſet) eos legato contineri: & ſæpe audijſſe ſe ruſticos ſenes ita dicentes, Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe: peculium appellantes, quod præſidij cauſa ſeponeretur. *Decimæ exceptionis loco notandum, quòd inſtrumenta emptionum, quæ ibi ſunt, non debeantur. Quæ exceptio cum ex iam propoſitis conſtat, tum approbatur etiam l.ſi mihi.90.in principio.ff.de leg.3.his uerbis*: Si mihi Mæuia & Nigidia filiæ meæ hæredes erunt, tunc Mæuia è medio ſumito, præcipito, ſibiq; habeto fundos meos illum & illum, cum caſulis & cuſtodibus omnium horum fundorum, & cũ omnibus his agris, qui ad coniunctionem cuiuſque eorum fundorum emptione uel quolibet alio caſu obtigerint: item cum omnibus mancipijs, pecoribus, iumentis, cæterisque uniuerſis ſpeciebus, quæ in ijſdem fundis, quæq; eorũ cũ moriar erunt, uti optimi maximique ſunt, utique eos in diem mortis meæ poſſedi, & (ut plenius dicam) ita uti clauduntur. In fundo autem uno ex his qui prælegati ſunt, tabularium eſt, in quo ſunt & complurium mancipiorum emptiones: ſed & fundorum & uariorum contractuum inſtrumenta, præterea & nomina debitorum. quæro, an inſtrumenta communia ſint? Reſpondit Paulus, ſecundum ea quæ proponerentur, inſtrumẽta emptionum, item debitorum quæ in fundo prælegato remanſerunt, non uideri legato contineri. *Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi teſtator uoluerit. tunc enim non inſtrumenta ſolum, ſed & inſtrumentorum prædia debentur. de qua re uide ſ. capite proxim.reg.20. Vndecima exceptio eſt: Niſi pars uini uendita ſit. tunc enim uidetur reliquum uinum legato non contineri, tanquam uenditioni deſtinatum. Hæc exceptio reprobatur l.prædia.28.§.liberto. ff.de inſtr.leg.his uerbis*: Liberto quem hæredem ex parte ſcripſit, fundum per præceptionem dedit in hæc uerba: Pamphilæ libertæ præcipito, tibique habeto fundum meum Titianum, & agellum Sempronianum cum inſtrumento & his quę in eodem erunt cum moriar, familiaque quæ in eo fundo moratur, exceptis quos manumiſero. quæſitum eſt, cum teſtator in eo fundo aliquantum uini habuerit in dolijs, quod uinum totum uendiderat, & partem tertiam precij pro eo acceperat: an uinũ in dolijs remanens ad libertatem ex cauſa præceptionis pertineat? Scæuola reſpondit, uerbis quæ proponerentur contineri: niſi manifeſtè contrariam uoluntatem cohæredes adprobent. In eo fundo inſtrumenta, calendaria & numos reliquit: reſpondit de numis quoque, ut ſuprà reſponſum eſt. *Duodecima exceptio: Niſi pignori obligata ſint teſtatori. hæc enim legato non uidentur contineri. Hæc exceptio approbatur l.qui habebat.99.in princ.ff.de leg.3. his uerbis*: Qui habebat in prouincia, ex qua oriundus erat, propria prædia, nec non alia pignori ſibi data, ob debita, codicillis ita ſcripſit: *Τὴ γλυκυτάτη μου μητρὶ δὸς εἰς τὰ μέρη αὐτῆς σωθῆναι, φερούσῃ αὐτῇ χωρία καὶ τα-*

τα, ὅτα

τα, ὅσα οὐ συέβαι διεντυμεῖν ἀυὸ τῶν τοῖς οἴκοι βοσκήμασι, ἀβλοις, ποίμνοις, παραβλέπουσι, πεῖσαι ναυσὶ τὰ φέρουσι. id est: Quo magis dulcissima patria mea fines & territoria sua tueatur, decerno assignoq; illi uniuersa prædia, quæ in Syria possideo, cum omnibus quæ illic sunt pecoribus, seruis, fructibus, reconditis, omni apparatu. quæsitum est, an & prædia, quæ pignori habuit testator, patriæ suæ reliquisse uideatur? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, nō uideri relicta, si modò in propriū patrimonium, quod ferè cessante debitore fit, non sint redacta. *Decimætertiæ exceptionis loco notandum, quòd id quod ibi non sit, non debeatur. cuius exceptionis proponitur replicatio l. patronus. 34. §. Sempronio. ff. de leg. 3. his uerbis:* Sempronio ita legauit, Sempronius sumito prædia mea omnia quę sunt usque ad prædiū, quod uocatur Gaas, in finibus Galatiæ, sub cura uillici primi, ita ut hæc omnia instructa sunt. quæsitum est, cum in eodem confinio prædiorum unum sit prædium, nō in Galatię, sed Cappadociæ finibus, sub cura tamen eiusdem uillici: an etiam id prædium cum cæteris ad Sempronium pertineat? Scæuola respondit, & hoc deberi. *Hæc de prima regula, eiusq; exceptionibus.*

II. *Regula habetur l. his uerbis, 100. in princip. usq; ad §. paterfamil. ff. de leg. 3. his uerbis:* His uerbis legauit uxori meæ, Lateralia mea uiatoria, & quidquid in his conditum erit, quæ membranulis mea manu scriptis cōtinebuntur, neq; exacta erunt cum moriar, licet in rationes meas translata sint, & cautiones ad actorem meū transtulerim. Hic chirographa debitorū, & pecuniam, cū esset profecturus in urbem, in lateralibus cōdidit: & tam chirographis exactis, quàm pecunia erogata, reuersus in patriam post biennium, alia chirographa prædiorum, quę postea comparauerat, & pecuniam in lateralia condidit. quæsitum est, an ea tantùm uideatur nomina ei legasse, quę postea reuersus in eisdem lateralibus condiderit? Respondit Scæuola, secundum ea quæ proponerentur, non deberi quæ mortis tempore in his lateralibus essent, & membranis manu eius scriptis continerentur. *Reliqua huius loci uerba uide ȝ. cap. prox. regula 20.*

III. *Regula proponitur l. nam quod. 4. §. si cui. ff. de penu legata, his uerbis:* Si cui, quæ in promptuario sunt, legata fuerint, non omnis penus lega a est.

IIII. *Regula: Si id quod in urbe est, legatum sit: quod extra murum est, non debetur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. 2. in prin. ff. de uerbor. signific. his uerbis:* Vrbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificijs finitur: quod latius patet. *Concordat l. Alphenus. 87. ff. eod. tt. ubi Alphenus ait:* Vrbs est Romana, quę muro cingitur: Roma est etiam, quantum continentia ædificia essent. nam Romam non murotenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi, cum diceremus, Romam nos ire, etiamsi extra urbem habitaremus. *Hisce uerbis regula approbatur, simul etiam exceptio aduersus eam introducitur talis:* Nē *si non quæ in urbe. sed quæ Romæ sunt, sint legata: tūc enim, quamuis non intra murum, sed extrà in continentibus ædificijs sit, legato cedit. Quæ exceptio approbatur etiam l. nam quod. 4. §. si ita legetur. ff. de penu legata, his uerbis:* Si ita legetur, Penus quæ Romę sit: utrum quæ est intra continentia, legata uideatur, an uerò sola quæ intra murum? & quidem urbes ferè omnes murotenus finiri, Romam continentibus, & urbem Romā æquè continentibus. *Concordat l. cui. 82. ff. de leg. 3. his uerbis:* Cui quæ Romæ essent, legata sunt, ei etiam quæ custodiæ causa in horreis extra urbem reposita sunt, debentur. *Concordat item l. uxorem. 39. §. legauerat. ff. eod. tt. his uerbis:* Legauerat per fideicommissum Mæuijs ita, Quidquid in patria Gadib. possideo. quæsitum est, an si quam suburbanam adiacentem possessionem haberet, hæc quoq; ex causa fideicommissi Mæuijs debeatur? Scæuola respondit, posse ad hanc quoque uerborum significationem extendi. Item quæsitum est, Si calendarij, quod in patria sua uel intra fines eius defunctus exercuit, instrumenta in domo, quam in patria sua habebat, reliquit: an id quoque calendariū propter uerba suprascripta Mæuijs ex causa fideicommissi deberetur? Respondit, nō deberi. *Secunda exceptio est: Nisi non quæ in urbe est, penum legauit. sed penum urbanam. Quæ exceptio approbatur d. l. 4. §. si ita legetur. ff. de penu legata, his uerbis:* Quòd si urbana penus sit legata, omne quod ubique est, legatum uideri Labeo ait, etsi in uilla sit urbico usui destinata: sicuti urbica ministeria dicimus, & quæ extra urbem nobis ministrare consueuerūt. Si autem extra urbem, Romæ tamen sit, sed etsi in hortis sit urbi iunctis, idem erit dicendum. *Concordat l. uasa. 12. ff. de supellect. legat. cuius uerba uide ȝ. eod. cap. de supellect. legata, regula 12.*

DE INSTRVMENTO ET instructo legato.

I. *Regula, De instrumenti definitione, proponitur l. quæsitum. 12. in prin. ff. de instr. leg. his uerbis:* Instrumentum est apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus exerceri possessio nequiret.

II. *Regula, De proprio instrumenti, proponitur l. ult. ff. d. tt. his uerbis:* Instrumentum cuiusque rei, necesse est alterius generis esse, atq; ea cuius sit.

III. *Regula, De differentia instrumenti & ornamenti,*

proponitur d. l. 12. §. si domus, his uerbis: Inter instrumentum & ornamētum multum interesse, Cassius ait. instrumenti enim ea esse, quæ ad tutelam domus pertinerent: ornamenti, quæ ad uoluptatem, sicuti tabulas pictas.

IIII. *Regula: Instrumento legato, aliquando & personas legantium necesse est inspici. Quæ regula approbatur l. cum de lanionis. 18. §. 1. ff. de instrum. leg. his uerbis:* Instrumento legato, aliquādo & personas legantium necesse est inspici: ut ecce, pistorio instrumento ita ipsi pistores inesse uideri possunt, si paterfamilias pistrinum exercuerit. nam plurimū interest, instrumentum pistoribus, an pistrino paratum sit.

V. *Regula: Horreis instructis legatis, quid debeatur, definitur l. quæsitum. 12. §. idem respondit, instructis. ff. de instr. leg. his uerbis:* Papinianus respondit, instructis horreis legatis, etiam uina quæ ibi fuerunt, quo dominus esset instructior, contineri. aliud esse, si horrea ibi habuit, unde instruebatur, uel in urbe, uel in alijs prędijs.

VI. *Regula: Villæ instrumento legato, quid debeatur, definitur l. si mancipia. 29. §. fin. ff. de instrum. legat. his uerbis:* Paulus respondit, uillæ instrumento neque fructus repositos, neq; equitium contineri: supellectilem autem legato cedere. Seruum uerò arte fabrica peritum, qui annuam mercedem præstabat, instrumento uillæ non contineri. *Ait Iurisconsultus:* Supellectilem autem legato cedere. *Huic contradicit l. uillæ. 16. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Villæ instrumento legato supellectilem non contineri, uerius est.

VII. *Regula: Vineæ instrumēto legato, quid debeatur, definitur d. l. 16. §. 1. ff. de instr. leg. his uerbis:* Vinea & instrumento eius legato, instrumentum uineæ nullum esse Seruius respondit: qui cum consulebat Cornelium, respondisse aiebat, palos, perticas, rastros, ligones instrumenta uineæ esse: quod uerius est.

VIII. *Regula: Nauis instrumento relicto, quid debeatur, definitur l. ult. ff. de instr. leg. his uerbis:* Si nauem cum instrumento emisti, præstari tibi debet scapha nauis. Paulus: Imò contrà. Etenim scapha nauis non est instrumentum nauis: etenim mediocritate, non genere ab ea differt: instrumentum autem cuiusq; rei necesse est alterius generis esse, atq; ea cuius sit. quod & Pomponio libro septimo Epistolarum placuit.

IX. *Regula: Pictoris instrumento legato, quid ueniat, definitur l. item pictoris. 17. in prin. ff. de instr. legato, his uerbis:* Pictoris instrumento legato, ceræ, colores, similiaq; horū legato cedunt: item peniculi, & cauteria, & conchæ.

X. *Regula: Balneario instrumento legato, quid debeatur, definit l. taberna. 13. §. fin. cum l. sequente. ff. de instrum. leg. his uerbis:* Instrumento balneario legato etiam balneatorem contineri, Neratius respondit: continetur autem & fornicator. *Concordat d. l. 17. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Instrumento balneario legato, dictum est balneatorem sic instrumento contineri balnearium, quomodo instrumento fundi salsuariū, & topiarios, aut instrumento cauponio institorem: cum balneę sine balneatoribus usum suum præbere non possint.

XI. *Regula: Medici instrumento legato, quid ueniat, definit l. cum de lanionis. 18. §. in instrumento. ff. de instrum. leg. his uerbis:* In instrumento medici esse collyria & emplastra & cætera eius generis, Cassius scribit.

XII. *Regula: Cauponiæ tabernæ instrumento legato, quid ueniat, definitur l. si ita. 15. in prin. c. ff. de instr. leg. his uerbis:* Si ita testamento scriptum sit: Quæ tabernarum exercendarum, instruendarum pistrini, cauponiæ causa facta paratáq; sunt, do lego. his uerbis Seruius respondit & caballos qui in pistrinis essent, & pistores, & in cauponia institores & focariā, mercesq; quę in his tabernis essent, legatas uideri. *Concordat l. item pictoris. 17. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ȝ. reg. 10. Alia huius legati regula proponitur l. cum quær. 23. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum quæritur, quod sit tabernæ instrumentum, interesse quod genus negociationis in ea exerceri solitum sit. *Sed & alia regula proponitur l. tabernæ. 13. ff. d. tt. his uerbis:* Tabernæ cauponiæ instrumento legato etiam institores contineri, Neratius existimat. sed uidendū, ne inter instrumentum tabernæ, & instrumentum cauponiæ sit discrimen, ut tabernæ non nisi loci instrumenta sint, ut doliaria uasa, uectiones, ancones, calices & trullæ, quæ circa cœnum solent traijci, item urnæ areæ & congiaria & sextaria & similia: cauponiæ autem, cum negociationis nomen sit, etiam institores.

XIII. *Regula: Piscatorio instrumento legato, quid debeatur, definitur d. l. 17. §. 1. ff. de instrum. leg. his uerbis:* Instrumento piscatorio contineri Aristo ait nauicellas, quæ piscium capiendorum causa paratæ sunt: sed & piscatores contineri uerius.

XIIII. *Regula: Lanionis instrumento legato, quid debeatur, definitur l. cum de lan. 18. in prin. ff. de instr. leg. his uerbis:* Cum de lanionis instrumento quæritur, semota carne mensas, pondera, ferramenta, & alia quæ laniādæ carnis causa parata sunt: item trutinas, cultros, dolabras instrumento relinquimus.

XV. *Regula: Piscatorio instrumento legato, an pistores contineantur, declarat d. l. 18. §. 1. cuius uerba uide ȝ. reg. 4.*

XVI. *Regula: De instrumento instrumenti proponitur l. quæsitum. 12. §. sed an instrumenti. ff. de instr. legato, cuius uerba uide ȝ. de instr. fundi, reg. 11.*

DE INSTRVMENTO fundi legato.

I. *Regula, De definitione instrumenti fundi, habetur l. instrum. 8. ff. de instr. legato, his uerbis:* Instrumento fundi ea esse, quæ fructus quærẽdi, cogendi, conseruandi gratia parata sint, Sabinus libris ad Vitellium euidenter enumerat: Quærendi, ueluti homines qui agrum colunt, & qui eum exercent, præpositiue sunt his: quorum in numero sunt uillici, monitores, præterea boues domiti, & pecora stercorandi causa parata: uasa quę utilia culturæ sunt, quæ sunt aratrum, ligones, sarcula, falces putatoriæ, bidentes, & si qua similia dici possunt. Cogendi, quemadmodum torcularia, corbes, falces q; messoriæ, falces fœnariæ, qualia uindemiatorij exceptorijque, in quibus uuæ comportantur. Conseruandi, qualia sunt dolia, licet defossa non sint, & cupæ. Quibusdam in regionibus accedunt instrumẽto, si uilla cultior est, etiam atrienses, scoparij: si etiam uiridiaria, topiarij: si fundus saltus pastionesq; habet, greges pecorum, pastores, saltuarij. *Alia huius loci uide ĩ. prox. reg. 7.*

II. *Regula, De grege ouium, proponitur l. de grege. 9. ff. eod. tt. his uerbis:* De grege ouium ita distinguendum est, ut si ideo comparatus sit, ut ex eo fructus caperetur, non debeatur: si uerò ideo, quòd non aliter ex saltu fructus percipi poterit, contrà erit: quia per greges fructus ex saltu percipiuntur. *Huc pertinet ĩ. reg. 23.*

III. *Regula, De apibus, proponitur l. si reditus. 10. ff. de instrum. leg. his uerbis:* Si reditus ex melle constat, etiam aluei apesque continentur. *Concordat l. quæsitum. 12. ſ. si in agro, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. prox. reg. 13.*

IIII. *Regula, De auibus, proponitur l. eadem. 11. ff. eod. tt. his uerbis:* Eadem ratio est in auibus, quę in insulis maritimis aluntur. *Concordat d. ſ. si in agro, in fine. cuius uerba uide ĩ. prox. reg. 13.*

V. *Regula, De frumento, quod cibarijs cultorum paratum est, proponitur d. l. 12. in prin. his uerbis:* Quæsitum est, an frumentum quod cibarijs cultorum paratum foret, instrumento cederet? & plurimis non placet, quia consumeretur: quippe instrumentum est apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus exerceri possessio nequiret: accedere eò, quòd cibaria uictus magis quàm colendi causa parentur. Sed ego puto (*Vlpianus inquit*) & frumentum & uinum ad cibaria paratum, instrumento contineri. Et ita Seruium respondisse, auditores eius referunt. *Concordat l. cum de lanionis. 18. ſ. item cum fundus, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. reg. prox.*

VI. *Regula, De frumento, quod serendi causa sepositum est, habetur d. l. 12. ſ. 1. his uerbis:* Nonnullis uisum est, frumentum quod serendi causa sepositum est, instrumento contineri: puto, quia & instar culturæ esset, & ita consumeretur, ut semper reponeretur: sed causa seminis nihil à cibarijs differt. *Concordat d. l. 18. ſ. item cum fundus. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum fundus ita legatus esset, Mæuio fundum Seianum, ita ut optimus maximus q; est, cum omni instrumento rustico & urbano, & mancipijs quæ ibi sunt: & quæreretur, an semina deberẽtur? Paulus respondit, uerius esse deberi: nisi aliud testatorem sensisse hæres probaret. Idem respondit de frumento repositio ad mancipiorum exhibitionem.

VII. *Regula, De alijs quæ instrumento fundi continentur, proponitur d. l. 12. ſ. conseruandi, his uerbis:* Conseruandi fructus causa, ueluti granaria, quia in his fructus custodiuntur, urceos, capsellas, in quibus fructus componuntur: sed & ea quæ exportandorum fructuum causa parantur, instrumenti esse constat: ueluti instrumenta & uehicula & naues & cupæ & cullei. *Concordat d. l. 18. ſ. asinam. ff. d. tt. his uerbis:* Item cacabos & patinas instrumento fundi esse dicimus: quia sine his pulmentarium coqui nõ potest. nec multum refert inter cacabos & aheneum, quod supra focum pẽdet: hoc aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur. quòd si aheneum instrumento continetur, urcei quoque, quibus aqua in aheneum funditur, in idem genus redigũtur, ac deinceps in infinitum primis quibusq; proxima copulata procedunt. Optimum ergo esse Pedius ait, non propriam uerborum significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare uoluerit: deinde in qua præsumptione sint, qui in quaq; regione commorantur.

VIII. *Regula, De seruis, proponitur d. l. 12. ſ. Alfenus autem, his uerbis:* Alfenus, si quosdam ex hominibus alijs legauerit, cæteros qui in fundo fuerunt, non contineri instrumento, ait: quia nihil animalis instrumenti esse opinabatur. quod non est uerum: constat enim, eos qui agri gratia ibi sunt, instrumento contineri. *Concordat l. si mancipia. 19. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si mancipia, quæ post testamentum factum, in fundum Seiæ relictum à testatore inducta, fundi colendi gratia in eodem fundo fuerint: ea quoque instrumento fundi contineri, Paulus respondit. Quamuis enim ea mãcipia testator demonstrasset, quæ tunc ibi essent, cum legaret: tamen non minuendi legati, sed augendi causa mancipiorum quoq; fecit mentionem. Cæterùm instrumento fundi mancipia quoq; colendi agri causa inducta contineri, non ambigitur.

IX. *Regula, De seruo quasi colono, habetur l. quæsitum.*

12. ſ. quæritur. ff. de instructo legato, his uerbis: Quæritur, an seruus qui quasi colonus in agro erat, instrumẽto legato contineatur? & Labeo ac Pegasus rectè negauerunt: quia non pro instrumento in fundo fuerit, si solitus fuit & familiæ imperare. *Plura de hac regula uide ĩ. eod. cap. de fundo legato, reg. 5. except. 8.*

X. *Regula, De saltuario, habetur d. l. 12. ſ. saltuarium, his uerbis:* Saltuarium Labeo quidem putat eum demum contineri, qui fructuum conseruãdorum gratia paratus sit, non eum qui finium custodiendorum causa. Sed Neratius etiam hunc: & hoc iure utimur, ut omnes saltuarij contineantur. *Concordat l. si ita. 15. ſ. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. reg. 19. Concordat item l. item pictoris. 17. ſ. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide ĩ. de instrum. legato, reg. 10.*

XI. *Regula, De pistore, tonsore, fabro, molitore, & alijs similibus, proponitur d. l. 12. ſ. Trebatius, his uerbis:* Trebatius amplius etiam pistorem & tonsorem, qui familiæ rusticæ causa parati sunt, putat contineri: item fabrum, qui uillæ reficiendæ causa paratus sit: & mulieres, quæ panem coquant, quæq; uillam seruent: item molitores, si ad usum rusticum parati sint: item focariam & uillicam, si modò aliquo officio uirum adiuuet: item lanificas, quæ familiam rusticam uestiãt, & quæ pulmentaria rusticis coquant. Sed an instrumenti instrumentum legato instrumento contineatur, quæritur: hæc enim quæ rusticorum causa parantur, lanificæ, & lanæ, & tonsores, & fullones, & focariæ, non agri sunt instrumentum, sed instrumenti. puto igitur etiam focariam contineri, & lanificas, & cæteros qui suprà enumerati sunt. Et ita Seruium respondisse, auditores eius referunt. *Huius etiam loci est d. l. 12. ſ. cellarium. cuius hæc sunt uerba:* Cellarium quoque ideo propositum, ut rationes saluæ sint: item hostiarium mulionemq; instrumenti esse constat. *De alijs huius generis uide ĩ. reg. 20.*

XII. *Regula, De uxoribus & liberis seruorũ, proponitur d. l. 12. ſ. uxores, his uerbis:* Vxores quoq; eorũ & infantes, qui suprà enumerati sunt, in eadem uilla agentes, credendum est uoluisse testatorem legato cõtineri. neq; enim duram separationem iniunxisse credendus est. *Concordat d. l. 12. ſ. contubernales. cuius uerba uide ĩ. eod. cap. de fundo legato, reg. 5. except. 4.*

XIII. *Regula, De uenationis & aucupij instrumentis, proponitur l. quæsitum. 12. ſ. si in agro. ff. de instructo legato, his uerbis:* Si in agro uenationes sint, puto uenatores quoque & uestigatores & canes, & cętera quæ ad uenationes sunt necessaria, instrumento contineri, maximè si ager ex hoc reditum habeat: & si ab aucupio reditus fuit, aucupes, & plagæ, & huius rei instrumentum agri instrumento contineantur: nec mirum, cum & aues instrumento exemplo apum cõtineri, Sabinus & Cascellius putauerint.

XIIII. *Regula, De instrumento quod ad plures agros pertinet, proponitur d. l. 12. ſ. si quis eod. his uerbis:* Si quis eo dem instrumento in plurimis agris utatur, cuius agri instrumentum sit, quæritur? & ego arbitror, siquidem appareat uoluntas patrisfamiliâs, cuius potius agro destinauerat, eius esse instrumentum: cæteri enim agri mutantur ueluti ab hoc agro. si non appareat, nullius instrumento cedet: neq; enim pro parte diuidimus instrumentum. *Concordat l. ex facto. 35. ſ. rerum. ibi: quare ne ſerui quidem. ff. de hæred. instit. cuius uerba uide ĩ. cap. prox. reg. 21. Concordat item l. cum quidam. 4. ff. de instrum. legato. cuius uerba uide ĩ. eod. cap. de fundo legato, reg. 5. except. 2.*

XV. *Regula, De ijs quibus etiam ad alios usus patersfamiliâs utitur, proponitur d. l. 12. ſ. si aliqua. ff. de instructo legato, his uerbis:* Si aliqua parte anni in fundo pascuntur pecora, aliqua parte his pabulum cõducitur: uel serui, si aliqua parte anni ager per eos colitur, aliqua parte in mercedem mittuntur: nihilominus instrumento continentur.

XVI. *Regula, De mola, machina, fœno & similibus, habetur d. l. 12. ſ. & molas, his uerbis:* Et molas & machinas, fœnum, stipulas, asinũ machinarium, machinam frumentariam, uas aheneum, in quo faba coqueretur, & defrutum fieret, & aqua ad bibendum lauandumq; familiam pararetur, instrumẽti esse: & cribra & plaustra, quibus stercus euehatur. *Quod ad molas & asinam attinet, ei uidetur contradicere l. cum de lanionis. 18. ſ. asinam. ff. eod. tt. his uerbis:* Asinam molendariam & molam negat Neratius instrumento fundi contineri. *Planè subijciuntur in d. l. 18. ſ. idem consultus, hæc uerba:* Idem consultus de meta molendaria respondit, si rusticis eius fundi operarijs moleretur, eam quoq; deberi. Est autem meta inferior pars molæ, catillus superior. *Concordat regulæ propositæ l. dolia. 27. ſ. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Molas manuarias quidam supellectilis, iumentarias autem instrumenti esse, Ofilius ait. Labeo, Cascellius, Trebatius neutras supellectilis, sed potius instrumenti putant esse: quod uerum puto.

XVII. *Regula, De rebus soli, & ijs quæ solo continentur, habetur d. ſ. & molas, in fine, his uerbis:* Ea uerò quæ solo continerentur, instrumenti fundi non esse, Cassius scribit: ueluti arundineta & salicta, antequam cæsa sint: quia fundus fundi instrumẽtum esse non possit. Sed si cæsa sint, puto cõtineri: quia quærendo fructui deseruiunt. Idem & in palis erit dicendum. *Idem in figlinis dicitur ĩ. reg. 24.*

XVIII. *Regula, De supellectile & alijs quib. non*

tur? Scæuola respondit, quidquid penoris usus causa ubicunque habuisset, deberi. *Planè admittitur exceptio proposita primùm, si testator penum certi loci legauerit, puta quæ Romæ est. de quo l.nam quod.4. §.si ita legetur. ff.de penu legata. cuius uerba uide §.eod.cap. de ijs quæ ibi sunt legatis, regula 4.* Deinde admittitur exceptio proposita, *si penus legata sit, excepto uino quod Romæ erit: tunc enim sola ea penus quæ Romæ erit, debetur.* Quæ distinctio *approbatur d.l.4. §.fin. his uerbis*: Si cui penus legata sit præter uinum, omnis penus legata uidetur, excepto uino. Sed si ita sit scriptum, Omnem penum præter uinum quod Romæ erit: sola penus quæ Romæ est, legata uidetur. & ita etiam Pomponius lib. VI. ad Sabinum scribit. *Hæc de prima regula, eiusq; exceptionibus.*

II. *Regula: Penu legata, ea etiam sine quibus penus esse non potest, ut uasa, debentur.* Quæ *regula approbatur l.nam quod.4. in prin.ff.de penu legata, his uerbis*: Quod liquidæ materiæ est (quia per se esse non potest) rapit secum in accessionis locum id, sine quo esse non potest: uasa autem accessio legatę penus, non legata sunt. *Concordat l.qui penum.3. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Vasa quoque penuaria quin contineantur, nulla dubitatio est. *Huius regulæ exceptio proponitur d.§.fin. his uerbis*: Aristo autem scribit, dolia non contineri: & est uerum secundum illam distinctionem, quam suprà in uino fecimus. Nec frumenti, nec leguminum thecæ, uel arculæ fortè, uel sportæ, uel si qua alia sunt, quæ horrei penuarij (uel cellæ penuariæ) instruendi gratia habentur, non continebuntur: sed ea sola continentur, sine quibus penus haberi non rectè potest. *Ait iurisconsultus*: Secundũ illam distinctionem, quã suprà in uino fecimus. *De hac distinctione uide paulò §. de uino legato, reg.3 & 4.*

III. *Regula, De lignis, carbonibus & alijs, proponitur d.l.3. §. ligna, cum sequentibus, his uerbis*: Ligna, & carbones, cæteraq; per quæ penus conficeretur, an penore legato contineatur, quæritur? & Quintus Mutius & Ofilius negauerunt: Non magis quàm molæ (inquiunt) continentur. Ijdem & thus & ceras cõtineri negauerunt. Sed Rutilius & ligna & carbones, quæ non uendendi causa parata sint, contineri ait. Sextus Cecilius etiã thus & cereos in domesticum usum paratos, contineri legato scribit. Seruius apud Melam, & unguentum, & chartas epistolares penoris esse scribit: & est uerius, hæc omnia, odores quoque contineri. Sed & chartas ad ratiunculam, uel ad λογάριον paratas, contineri. *Concordat l.instrum.6. ff. eod. tt. his uerbis*: Instrumentum pistrini, item uniuersa uasa coquinaria in penu non continentur.

IIII. *Regula: Vrbana penu legata, quid ueniat, definitur l.nam quod.4. §.si ita legetur. ibi: quòd si urbana. ff.de penu legata. cuius uerba uide §.eod.cap. de ijs quæ ibi sunt legatis, reg.4. in fine.*

V. *Regula: Penu esculenta legata, quid debeatur, definitur l.qui penum.3. §. planè. ff.de penu legata. cuius uerba uide §.reg.4.except.1.*

VI. *Regula: Penu potulenta legata, quid debeatur, definitur d.l.3. §. potulenta, his uerbis*: Potulenta penu ea quæ uini loco paterfamiliâs habuit, continebuntur: suprascripta uerò non continebuntur. *Ait Iurisconsultus*: Suprascripta. *Hæc uide §.reg.1.except.1.*

DE VINO LEGATO.

I. *Regula: Vino legato, quid debeatur, definit l.cui uinum.6. in prin.ff.de uino legato, his uerbis*: Cum uinum hæres dare damnatus est, quod in amphoris & cadis diffusum est, dari debet, etiamsi uasorum mentio facta non est. *Sed & quid debeatur uel non debeatur, definit l.si quis.9. in prin.ff.eod.tt. his uerbis*: Si quis uinum legauerit, omne continetur, quod ex uinea natum uinum permansit. Sed si mulsum sit factum, uini appellatione non continebitur propriè, nisi fortè paterfamiliâs etiam de hoc sensit. Certè zythum, quod in quibusdam prouincijs ex tritico, uel hordeo, uel pane conficitur, non continebitur: simili modo nec curmi, nec ceruisia continebitur, nec hydromeli. Quid conditum? nec hoc puto, nisi alia mẽs testatoris fuit. Oenomeli planè, id est dulcissimum uinum continebitur, & passum (nisi contraria mens sit) continebitur. defrutum non continebitur, quòd potius condituræ loco sit. acinaticium planè uino continebitur. cydoneum, & si qua alia sunt, quæ non ex uinea fiunt, uini appellatione non continebuntur. Item acetum uini appellatione non continebitur. *Planè aduersus regulam propositam, quod ad ea quæ uini numero non continentur, attinet, exceptio generalis proponitur d.l.9. §. hæc omnia, his uerbis*: Hæc omnia ita demum uini nomine non continentur, si modò uini numero à testatore non sunt habita. alioquin Sabinus scribit, omnia uini appellatione contineri, quæ uinã numero paterfamiliâs habuit. Igitur & acetum, quod uini numero paterfamiliâs habuit, & zythum & curmi & cætera, quæ pro hominum affectione atq; usu numero uinã habebuntur.

II. *Regula, De aceto, quod uini numero regulariter non continetur.* Quæ *regula approbatur d.l. 9. §. item acetum. cuius uerba uide paulò superius reg. proxim. Eius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi uini numero à testatore sit habitum. Quæ exceptio approbatur d.l.9. §. hæc omnia. ibi: igitur & acetum. cuius uerba uide paulò superius regul. proxima. Concordat l.1. ff. eod. tit. de uino legato, his uerbis*:

uerbis: Vino legato, acetum quoq; continetur, quod paterfamiliâs uini numero habuit. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi alius, non testator, acetum uini numero habuit: tunc enim uini appellatione non continetur. Quæ replicatio approbatur l.si cui.3. in prin.ff.de uino leg. his uerbis*: Si cui uinum sit legatum cẽtum amphorarum, cum nullum uinum reliquisset: uinum hęredem empturum & præstaturum, non acetum, quod uini numero fuit. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi uinum quod legatũ est, coacuit: hoc enim nihilominus debetur. Quæ exceptio approbatur l.si quis.9. §. quòd si totum. ff.de uino legato, his uerbis*: Si totum uinum, quod paterfamiliâs habuit, coacuerit: nõ extinguitur legatum. *Concordat d.l.9. §. item si quis uinum, his uerbis*: Si quis uinum, quod habuit, legauit, deinde hoc coacuit: licet postea in aceti locũ translatum sit à patrefamiliâs, uino legato continebitur: quia id quod testamenti facti tempore uinum fuit, demonstratũ est. & est hoc uerum, nisi uoluntas aduersetur. *Concordat item l.nuper.83. §. & ideo elegans. ff.de leg.3. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.5. quæst.2. specie 3. Sanè pertinet hæc exceptio ad ea quæ dicta sunt §.lib.prox.cap.8. casu 5. except.1.*

III. *Regula: Vino legato, uasa quoq; debentur. quæ regula approbatur l.si cui.3. §. si uinum. ff.de uino legato, his uerbis*: Si uinum legatum sit, uideamus an cum uasis debeatur? & Celsus inquit, uino legato, etiamsi non sit legatum cum uasis, uasa quoq; legata uideri: non quia pars uini uasa sunt, quemadmodum emblemata argenti, scyphorũ fortè, uel speculi: sed quia credibile est, mentem testatoris eam esse, ut uoluerit accessioni uino esse amphoras: & sic (inquit) loquimur, habere eos amphoras mille, ad mensuram uini referentes. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi uasa sint, in quæ uina diffusa sunt, ut ad perpetuum usum reseruentur. Quæ exceptio approbatur argumento l.uino.14. ff.eod.tt. his uerbis*: Vino legato, ea demum uasa non sequuntur, in quæ ita diffusa sunt uina, ut nõ ad perpetuum usum reseruarentur: ueluti amphoræ & cadi.

IIII. *Regula, De dolijs, cupis, utribus & culleis, proponitur d.l.3. §. in dolijs. ff.de uino legato, his uerbis*: In dolijs non puto uerũ, ut uino legato & dolia debeantur, maximè si depressa in cella uinaria fuerint, aut ea sint, quæ per magnitudinem difficilè moueantur. In cupis autẽ siue cupulis (puto) admittendum est, eas deberi: nisi pari modo immobiles in agro, uelut instrumentũ agri, erãt. Vino legato utres non debebuntur: ne culleos quidem deberi dico.

V. *Regula: Vino cum uasis legato, quid debeatur, definitur l.uinum.15. ff.de uino legato, his uerbis*: Vinum cum uasis legauit, negat Trebatius, quod in dolijs sit deberi: & sensum testatoris alium putat esse, uerborũ alium: cæterùm dolia in uasis uinarijs non esse. ego, etsi dolia in uasis uinarijs nõ sunt, tamen nõ concederem Trebatio, uinum quod in dolijs esset, id est, quod in uasis non esset, non esse legatum. Illud uerum esse puto, cui uinũ cum uasis legatũ erit, ei amphoras, cados, in quibus uina diffusa seruamus, legatos esse. uinũ enim in amphoras & cados hac mente diffundimus, ut in his sit, donec usus causa probetur, & scilicet cum his amphoris & cadis id uendimus: in dolia autẽ tali mente conijcimus, scilicet ut ex his postea uel in amphoras & cados diffundamus, uel sine ipsis dolijs ueneat. *Cõcordat l.cui uinũ.6. ff.d.tt. his uerbis*: Quamuis cum uasis & cadis uinum legatũ est: tamen id quoq;, quod in dolijs est, legatum esse uidetur: sicut si seruos omnes cum peculio cuiusq; eorum legasset, etiam eos quibus peculij nihil esset, legasse uideretur.

VI. *Regula: Vino in amphoris legato, etiam id quod in urnalibus est debetur. Quæ regula approbatur l.ult. in prin.ff.de uino legato, his uerbis*: Qui uinũ Surrentinũ in urnalibus habebat diffusum, is tibi uinũ legauerat in amphoris. omne illud quoq; uinũ, quod in urnalibus fuisset, legatum esse, Labeo & Trebatius responderũt.

VII. *Regula: Vino paterno legato, quid debeatur, definitur l.si quis.9. §. fin. ff.de uino legato, his uerbis*: Vino paterno legato, id demum legatum uidetur, quod testator uini numero habuit, non quod pater. Item si peculiare uinum legatum sit, id cõtinebitur, quod serui habuerunt. Cur tam diuersè? quòd paternum uinum iam cœpit usu ipsius testatoris esse, at peculiare in usu seruorum remansit.

VIII. *Regula: Vino peculiari legato, quid debeatur, definitur d.§. fin.*

IX. *Regula: Vino ueteri legato, quid ueniat, definitur d.l.9. §. fin. cum tribus ll. sequentibus. ff.de uino legato, his uerbis*: Si uinum uetus sit legatum, ex usu testatoris legatum æstimabitur, id est, quot annorum uino pro uetere utebatur: quod si non appareat, uetus accipietur, quod non est nouum: si quidem & anni prioris uinum appellatione ueteris cõtinebitur. nam aliter obseruantibus quis finis, aut quod initium ueteris uini sumetur?

X. *Regula: Dulci uino legato, quid ueniat, definitur l.qui unum.16. §. fin. ff.de uino legato, his uerbis*: Cui dulcia uina legata essent (si nihil aliud testamento significetur) omnia hæc esse legata, mulsum, passum, defrutum, & similes potiones: item uuas, ficus, palmas, caricas. Quòd si ita esset legatum, Vinum amphorarium, aminæum, græcum, & dulcia omnia: nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, legatum, putat Labeo ex collatione uini

uini amphorarij: quod non improbo.

DE VESTE VEL VESTIMENTIS legatis.

I. *Regula: Vestibus uel uestimentis legatis, quid ueniat, definitur l.uestis.24. in prin.ff.de auro legato, his uerbis:* Vestis, an uestimenta legentur, nihil refert. Vestimentorum sunt omnia lanea linea q̃; uel serica uel bombycina, quæ induẽdi, præcingendi, amiciendi, insternendi, inijciendi incubãdiue causa parata sunt, & quę his accessionis uice cedunt: quæ sunt insitæ picturæ, clauiq̃;, qui uestibus insuuntur. *Quod ad clauos attinet, concordat l.cum aurum.20. ş. idem Pomponius.ff.de auro leg.his uerbis:* Pomponius ait, Etsi non sunt claui uestimentis consuti, tamen ueste legata contineri. *Alia huius loci regula proponitur l.uestimenti.23.ff.eod.tt. his uerbis:* Vestimenti, id est, quod detextum est, etsi desertum non est. quod in tela est, nondum detextum, contextum appellatur. Si quis igitur uestem legauerit, neq; stamen, neq; subtegmen legato continebitur. *Alia huius loci regula proponitur l.uestis.24.ş.fin.cum duabus ll.sequentibus.ff.de auro legato, his uerbis:* Vestis etiam ex pellibus constabit, cum & tunicam & stragula pellicea nonnulli habeant: argumento sunt etiam nationes quædam (ueluti Sarmatarum) quæ pellibus tegũtur. Aristo etiam coactilia uesti cedere ait: sed & tegumenta subselliorum huic legato cedere uice margaritarum. Item fibulæ ornamentorum magis quàm uestis sunt. Tapeta uesti cedunt, quæ aut sterni aut injici solent: sed stragula & babylonicas, quæ equis insterni solent, non puto uestis esse, & fasciæ crurales, pedulesq̃;, & item pilea uestis loco sunt: quia partem corporis uestiũt. Alia causa est udonum: quia usum calceamentorum præstant. Ceruicalia quoq; nomine uestis continentur. Culcitrę etiam uestis erunt: item pelles caprinæ & agninæ uestis erunt. *Alia, uestę legata, regula habetur l.quamuis.27.ff.de auro leg.his uerbis:* Quamuis quædam ex uestę magis ornatus gratia, quàm quo corpus tegatur, comparentur: tamen quòd eo nomine sint parata, potius habenda esse uestis numero, quàm ornamentorum. Similiter ornamentorum esse constat, quibus uti mulieres uenustatis & ornatus causa cœperunt: neq; referre, si quędam eorum alium quoq; usum præbeant, sicuti mitræ & anademata. quamuis enim corpus tegant, tamen ornamentorum, non uestis esse. *Alia huius loci regula proponitur l.Plautius.9.ff. de auro leg.his uerbis:* Mulier ita legauit, Quisquis mihi hæres erit, Titiæ uestem, mundũ ornamentaq̃; muliebria damnas esto dare. Cassius ait, Si non appareat quid sensisset, omnem uestem secundum uerba testamenti legatam uideri. Idem Iabolenus scribit: quia uerisimile est (inquit) testatricem tantùm ornamentorum uniuersitati derogasse, quibus significationẽ muliebrium accommodasset: accedere eò, quòd illa demõstratio, Muliebria, neq; uesti, neq; mundo applicari, salua ratione recti sermonis, possit.

II. *Regula: Sua uestę legata, quid ueniat, definitur l.argumento.26. ş.si quis.ff.de auro leg.his uerbis:* Si quis addiderit, Vestem suam: apparet de ea eum sensisse, quã ipse in usus suos habuerit.

III. *Regula: Virili uestę legata, quid debeatur, definitur l.uestis.25.ş.uestimenta.ff.de auro leg.his uerbis:* Vestimenta omnia aut uirilia sunt, aut puerilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria. Virilia sunt, quæ ipsius patris familiãs causa parata sunt: ueluti togæ, tunicæ, palliola, uestimenta, stragula, amphitapa, sagæ, reliquaq̃; similia. *Alia huius loci regula proponitur l.inter.34.ff.eod.tt.his uerbis:* Inter uestem uilem & uestimenta uirilia nihil interest: sed difficultatem facit mens legantis, si & ipse solitus fuerit uti quadam uestę, quæ etiam mulieribus conueniens est. Itaq; ante omnia dicendum est, eam legatam esse, de qua senserit testator, non quæ reuera aut muliebris, aut uirilis sit. nam & Quintus ait, scire se quendam senatorem muliebribus cœnatorijs uti solitum: qui si legaret muliebrem uestem, nõ uideretur de ea sensisse, qua ipse quasi uirili utebatur.

IIII. *Regula: Puerili uestę legata, quid debeatur, definitur l.uestis.24.ş.puerilia.ff.de auro legato, his uerbis:* Puerilia sunt, quæ ad nullum aliũ usum pertinent, nisi ad puerilem: ueluti togæ prætextę, alicubi & chlamydes, & alia quę filijs nostris comparamus.

V. *Regula: Muliebri uestę legata, quid debeatur, definitur d.l.24. ş.muliebria, his uerbis:* Muliebria sunt, quæ matris familiãs causa comparata sunt, quibus uir non facilè uti potest sine uituperatione: ueluti stolæ, pallia, tunicę, capitia, zonæ, mitræ, quę magis capitis tegendi, quàm ornãdi causa sunt cõparata, plagulæ, penulæ. *Alia huius loci regula proponitur l.argumẽto.26.ş.muliebri.ff.eod.tt.his uerbis:* Muliebri uestę legata & infantilẽ contineri, & puellarũ, & uirginũ, Põponius rectè scribit: mulieres enim omnes dici, quæcunq; sexus fœminini sunt. *Alia huius loci regula habetur l.inter.34.in fin.ff.de auro legato. cuius uerba uide ş.reg.3.in fine.*

VI. *Regula: Communi uestę legata, quid debeatur, definitur l.uestis.24.ş.cõmunia.ff.de auro leg.his uerbis:* Communia sunt, quibus promiscuè utitur mulier cum uiro: ueluti si eiusmodi penula palliúmue est, & reliqua quibus sine reprehensione uel uir uel uxor uratur.

VII. *Regula: Familiari uestę legata, quid ueniat, definitur d.l.24. ş.penult. his uerbis:* Familiaria sunt, quæ ad familiam uestiendam parata sunt: sicuti saga, tunicæ, penulæ, lintea, uestimenta, stragula, & consimilia.

DE MVLIEBRIBVS legatis.

Huius legati regula proponitur l.pediculis.33. ş.tiẽ cum.ff.de auro legato, his uerbis: Cum quæreretur de tali legato, Hoc amplius filia mea dulcissima è medio sumito, tibiq; habeto, ornamentum meum omne muliebre cum auro, & si qua alia muliebria apparuerint: cum testatrix negociatrix fuerit, an non solum argentum, quod in domo uel intra horreum usibus eius fuit, legato cedat, sed etiã quod in basilica fuit muliebre? Paulus respondit, si testatrix habuit proprium argentum ad usum paratũ, nõ uideri id legatum, quod negociãdi causa uenale proponi soleret, nisi de eo quoq; senssisse, is q petat, pbet.

DE MVNDO MVLIEBRI legato.

I. *Regula huius legati proponitur l.argumento.26. ş.mundus.ff.de auro leg.his uerbis:* Mundus muliebris est, quo mulier mũdior fit: continentur eo specula, matulæ, unguenta, uasa unguentaria, & si qua similia dici possunt, ueluti lauatio, riscus. *Ait Iurisconsultus:* Vnguenta. *Huius proponitur exceptio d.l.26.ş.fin.his uerbis:* Vnguenta, quibus ualetudinis causa ungimur, mundo non continentur.

II. *Regula proponitur l.pediculis.33. ş.Titia.ff.de auro legato, his uerbis:* Titia mundum muliebrem Sepriciæ legauit. ea putabat sibi legata & ornamenta & monilia, in quibus gemmæ & margaritæ inessent, & annulos, & uestem tam coloriam quàm uersicoloriã. quæ situm est, an hæc omnia mundo contineren tur? Scæuola respondit, ex his quæ proponerentur, duntaxat argentum balneare mundo muliebri contineri. *Concordat d.l.26.ş.sed & mulier.ff.eod.tt.his uerbis:* Sed & mulier potest esse munda, non tamen ornata: ut solet contingere in his quæ se commundauerint lotę in balneo, neq; se ornauerint. & contrà est aliqua ex somno statim ornata, non tamen emundata.

III. *Regula proponitur l.si uxori.40.in prin.ff.de auro leg.his uerbis:* Si uxori mundus muliebris legatus esset, ea tantummodò deberi, Ofilius, Labeo responderunt, quæ ex his tradita utendi causa uxori à uiro fuissent: aliter enim interpretantibus summã fore captionem, si uascularius aut faber argẽtarius uxori ita legasset.

DE ORNAMENTIS MVliebribus legatis.

I. *Regula proponitur l.argumento.26. ş.ornamenta.ff.de auro legato, his uerbis:* Ornamenta muliebria sunt, quib. mulier ornatur: ueluti inaures, armillæ, uiriolæ, annuli, prętereà signatorios, & omnia quæ ad aliã rem nullã parãtur, nisi corporis ornãdi causa: quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam nullam in se utilitatem habent.

II. *Regula, De alijs ornamentorum speciebus, proponitur d.l.26.ş.ornamentorũ, his uerbis:* Ornamentorum hæc sunt, uittæ, mitræ, semimitræ, calantica, acus cum margarita, quã mulieres habere solent, reticula, crocohyphanta.

III. *Regula, De margaritis & alijs lapillis, proponitur d.l.26.ş.penul. his uerbis:* Margarita, si nõ soluta sunt, uel qui alij lapides, si quidẽ exempliles sint, dicendũ est, ornamentorũ loco haberi: sed & si in hoc sint soluti, ut recomponantur, ornamentorũ loco sunt. quòd si adhuc sint rudes lapilli, uel margaritæ, uel gemmæ, ornamentorũ loco non erunt: nisi alia mẽs fuerit testantis, qui hęc quoq;, quę ad ornamenta parauerat, ornamentorũ loco & appellatione comprehendi uoluit.

IIII. *Regula, De uestibus ornatus causa comparatis, proponitur l.quamuis.27. in prin. ff.de auro legato. cuius uerba uide ş.de ueste legata, reg.1. Concordat l.ornament.38.ff.eod.tt.his uerbis:* Ornamentorũ appellatione uestem muliebrem non continere, nec errorem hæredis ius mutasse, Paulus respondit.

V. *Regula, De ornamentis, quæ alium quoq; usum præbent, proponitur d.l.27.ş.fin. cuius uerba uide ş.de ueste legata, reg.1.*

DE AVRO ET ARGENTO legato.

I. *Regula: Auro uel argento legato, quid debeatur, definitur l.cum aurum.20. in prin.ff.de auro legato, his uerbis:* Cum aurũ & argentum legatum est, quidquid auri argentiq; relictum est, legato continetur, siue factum, siue infectum sit: pecuniam autem signatam placet eo legato non contineri. *Huius regulæ ratio proponitur l. quæsitum est.76.ş.illud fortaß.ff.de leg.3 his uerbis:* Illud fortasis quęsiturus sit aliquis, cur argẽti appellatione etiam factum argentũ comprehendatur, cum si marmor legatum est, nihil præter rudem materiam demonstratum uideri possit? cuius hæc ratio traditur, quippe ea quæ talis naturę sint, ut sæpius in sua possint redigi initia, ea materiæ potentia uicta nunquam uires eius effugiant. *Planè propositæ regulæ exceptiones proponuntur l.cum aurum.20. ş.item Celsus.ff.de auro legato, his uerbis:* Celsus scribit, auro legato, ea quæ inaurata sunt, non deberi: sed nec aurea emblemata, quę in absidibus argenteis essent. an autem auri appellatione annuli aurei contineantur, quęritur? & Quintus Saturninus scribit, contineri. Lectum planè argenteum, uel si qua alia supellex argentea sit, argenti appellatione non continetur, si numero argenti

XII. *Regula: Balneario argento legato, quid debeatur, definit d.l.ult.§.uxori, his uerbis:* Vxori suæ testamento ita legatum est, Semproniæ dominæ meæ hoc amplius argentum balneare. quæsitum est, an etiam id argentum, quo diebus festis in balneo consueuit uti, legato cedat? Scæuola respondit, omne legatum uideri.

DE SVIS REBVS RELIctis seu legatis.

I. *Regula proponitur l. Quintus. 28. §. cui legatum. ff. de auro leg. his uerbis:* Cui legatum est aurum omne quod suum esset cum moreretur, eius omne aurum fiet, quod tunc paterfamiliâs, cum moreretur, uindicare potuit suum esse. sed si qua distributio eius rei facta est, tunc interest quomodo sit legatum. *Concordat l. suos. 71. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba proponentur ĩ. reg. proxim. Concordat item l. cum suæ. 69. cum l. sequente. ff. eodem tit. his uerbis:* Cum suæ ancillæ siue serui in testamento scribuntur, hi designati uidentur, quos paterfamiliâs suorum numero habuerit. Eadem in omnibus rebus, quas suas quis legauerit, dicenda sunt. *Suis igitur rebus legatis, id debebitur legatario, cuius dominium testatoris fuit: nam id solum uindicare potuit. Ait iurisconsultus:* Sed si qua distributio eius rei facta est, tunc interest quomodo sit legatum. *Hæc uerba quid sibi uelint, non satis intelligo. Planè si ita legauit testator, Aurum meum, uel quod meum est: Stichum meum, uel qui meus est: tunc non quod mortis tempore testatoris est, debetur legatario: sed quod eo tempore eius est, cum fit testamentum. Quod notandum loco primæ exceptionis: de qua satis dictum ẽ. cap. proxim. regul. 9. except. 4. item ẽ. lib. proxim. cap. 8. causa 5. except. 1. Sed & de eo dicetur ĩ. de conditionibus. Secunda exceptio est: Nisi pars rei alterius sit. Hæc exceptio reprobatur l. si quis. 72. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si quis seruos suos legauit, communes quoque continentur, & in quibus usus fructus alienus sit. *Planè si constet testatorem non aliàs uoluisse rem ad legatarium pertinere, nisi in solidum sua sit, propositæ exceptioni est locus. Quæ distinctio approbatur l. Iuniano. 66. §. seruos. ff. de leg. 3. his uerbis:* Seruos communes ita à Seia relictos, Si mei erunt cum moriar, non deberi: si modò hoc sensit testatrix, ut ita deberentur, si in solidum eius fuissent. *Sed & admittitur exceptio proposita in ea parte, qua testatoris non est. Quæ distinctio approbatur l. serui. 5. ff. de leg. 1. his uerbis:* Labeo ait, cùm certa res aut persona legatur ita, Qui meus erit cum moriar, hæres dato: & communis sit, totum deberi. Trebatium uerò respondisse, partem deberi, Cassius scripsit: quod & uerius est. Cum fundus communis legatus sit, non adiecta portione, sed MEVM nominauerit, portionem deberi constat. *Tertia exceptio est: Nisi ususfructus rei alterius sit. Et hæc exceptio reprobatur l. si quis. 72. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ẽ. except. prox. in prin. Concordat l. rectè dicimus. 25. in prin. ff. de uerb. signif. his uerbis:* Rectè dicimus, eum fundum totum nostrum esse, etiam cuius ususfructus alienus est: quia ususfructus non dominij pars, sed seruitus est: ut uia & iter. Nec falsò dictum est, meum esse, cuius non potest ulla pars dici alterius esse. Hoc & Iulianus: & est uerius. *Quarta exceptio est: Nisi testator rem pignori dederit. Et hæc exceptio reprobatur l. suos. 71. §. 1. ff. de legat. 3. his uerbis:* Eos quos quis pignori hypothecæue dedit, sine dubio inter suos legasse uidebitur debitor, creditor nequaquam. *Quinta exceptio est: Nisi tales sint serui, quorum operas testator locare solitus est. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 71. §. proinde, his uerbis:* Si quis seruos habuerit proprios, sed quorum operas locabat, uel pistorias, uel histrionicas, uel alias similes, an seruorum appellatione etiam hos legasse uideatur? quod & præsumi oportet, nisi contraria uoluntas testatoris appareat. *Sexta exceptio est: Nisi res sint, quas uenales testator habuit. Hæc exceptio approbatur d. l. 71. §. fin. his uerbis:* Eum qui uenaliciariam exerceat, puto suorum numero non facilè contineri uelle eiusmodi mancipia, nisi euidens uoluntas fuerit etiam de his sentientis. nam quos quis ideo comparauit, ut ilico distraheret, mercis magis loco, quàm suorum habuisse credendum est. *Septima exceptio est: Nisi seruorum sint uicarij. Hæc exceptio approbatur d. §. fin. his uerbis:* Vicarios seruorum suorum numero non contineri, Pomponius lib. v. scribit. *Concordat l. seruo. 15. ff. de peculio legato, his uerbis:* Seruo manumisso peculium legatum erat: alio capite omnes ancillas suas uxori legauerat: in peculio serui ancilla fuit. serui eam esse Alphenus respondit, neque refert utri prius legatum esset. *Octaua exceptio est: Nisi ueste sua legata, uestem aliquam in usus suos non habuerit. Hæc exceptio approbatur l. argumento. 26. §. si quis addiderit. ff. de auro legato, his uerbis:* Si quis addiderit uestem suam, apparet de ea eum sensisse, quam ipse in usus suos habuerit. *Nona exceptio est: Nisi pluribus rebus legatis, si suæ essent, aliquæ ex ijs testatoris non sint. hoc enim casu uidentur nec aliæ res, quæ testatoris sunt, deberi. Quæ exceptio reprobatur l. falsa. 32. §. fin. ff. de condit. & demonstr. cuius uerba uide ĩ. libro prox. cap. 5. quæst. 3. except. 11. repl. 4.*

II. *Regula: Suis rebus legatis, res quorum proprietas non ad ipsum testatorem pertinet, non debentur. Quæ regula cum ex præcedentibus constat, tum approbatur etiam, simul & exemplo declaratur l. suos. 71. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Suos seruos uel ancillas eos accipimus, qui sunt pleno iure testantis, inter quos fructuarij non continebuntur.

nebuntur. *Aliud propositæ regulæ exemplum est in rebus pignori acceptis. Quod proponitur d. l. 71. §. u. ibi: creditor nequaquam. cuius uerba reliqua uide ẽ. reg. prox. except. 4. Tertium exemplum est in rebus creditis, seu quæ testatori actione aliqua personali debentur. Quod exemplum proponitur l. Quintus. 28. §. argento. ff. de auro legato, his uerbis:* Argento omni legato quod suum esset, sine dubio non debetur id quod in credito est: hoc ideo, quia non uidetur suum esse, quod ita demum dicari nõ possit. *Concordat l. scribit. 35. in prin. ff. de tt. his uerbis:* Scribit Quintus Mutius, Si aurũ suum omne paterfamiliâs uxori suæ legasset, id aurum quod aurifici faciundum dedisset, aut quod ei deberetur, si ab aurifice ei repensum non esset, mulieri non deberi. Pomponius: Hoc ex parte uerum est, ex parte falsum. nam de eo quod debetur sine dubio, utputa, si auri libras stipulatus fuerit, hoc aurum quod ei deberetur ex stipulatu, non pertinet ad uxorem, cum illius factum adhuc non sit. id enim quod suum esset, non quod in actione haberet, legauit. In aurifice falsum est, si aurum dederit, ita ut ex eo auro aliquid sibi faceret. nam tũc, licet apud aurificem sit aurum, dominium tamen non mutauit: manet enim eius qui dedit, & tantùm uidetur mercedem præstaturus pro opera aurifici: per quod eò perducimur, ut nihilominus uxori debeatur. Quòd si aurum dedit aurifici, ut tamen non ex eo auro fieret sibi aliquod corpusculum, sed ex alio: tunc quatenus dominium transit eius auri ad aurificem (quippe quasi permutationem fecisse uideatur) & hoc aurum non transibit ad uxorem. *Hisce uerbis exemplum propositum approbatur, simul & distinguitur hoc modo: Nisi testator rem suam alteri dederit, ita ut dominium penes se remaneat. hoc enim casu, quamuis creditum sit, & actione personali ea res testatori debeatur, tamen nihilominus ad legatarium pertinet. Quod loco primæ exceptionis in exemplo proposito est notandum. Secunda exceptio est: Nisi actione iudicati debeatur. Quæ exceptio approbatur l. nepoti. 6. ff. de instr. leg. his uerbis:* Nepoti legauerat prædia, quæ regione certa habuerat, ut instructa sunt cum uino, grano, calendario, & adiecerat hæc uerba: Quidquid erit cum moriar, in illa regione, & quidquid in quacunque specie erit in illa regione, & quod meum erit. uiua testatrice unus ex debitoribus condemnatus, uiuente testatrice satis non fecit. quæsitum est, an quod ex sententia iudicis deberetur, ad nepotem pertineret? Scæuola respondit, nihil proponi cur non deberetur. *Tertia exceptio est: Nisi uniuersa bona sua legauit. hoc enim casu etiam ea quæ in actionibus sunt, debentur. Quæ exceptio approbatur l. si legatum. 30. §. si quis. ff. ad Senatusconsultum Trebell. his uerbis:* Si quis bona sua uel omnia sua rogauerit restituere, fideicommissariam restitutionẽ esse intelligendum est. nam meorũ & tuorum appellatione etiam actiones contineri, dicendum est. *Concordat l. meorum. 91. ff. de uerborum significationibus, his uerbis:* Meorum & tuorũ appellatione actiones quoq; contineri, dicendum est. *Quarta exceptio est: Nisi res sit à testatore bona fide possessa. hoc enim casu, quamuis proprietas rei testatoris nõ sit, tamen suorum appellatione legatario debetur. Quæ exceptio approbatur exemplo serui, l. suos. 71. in prin. ff. de legatis 3. his uerbis:* Qui bona fide testatori seruiunt, suorum appellatione magis est ut contineantur, si modò suorum appellatione eos quos suorum numero habuit, uoluit contineri. *Concordat l. nuper. 83. ibi: sed potius & hic. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ĩ. lib. prox. cap. 5. quæst. 2. specie 3. except. 1. repl. 1.*

DE EO QVOD AD ROGAtum ex bonis peruenerit legato.

I. *Regula, De eo quod aliunde, non ex testamento defuncti ad grauatum peruenit, proponitur l. 2. §. nam & si quis. ff. de dote relegata, his uerbis:* Si quis, cũ à uiro dotem accepisset, filium suum hæredem instituerit, eumq; rogauerit, quidquid ad eum ex hæreditate peruenisset, restituere, mox uxoris morte dotem fuerit lucratus: id non restituet, quod ex dote percepit: quia matrimonij causa id lucratus est, non ex patris iudicio. *Aliud exemplum est, si quid rogato testator inter uiuos donauit. Quod exemplum proponitur l. si unum. 69. §. fin. cum lege sequente. ff. de leg. 2. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 6. except. 74. circa principium. Sequentis autem legis uerba hæc sunt:* Sequens quæstio est, an etiam quæ uiuus per donationem in uxorem contulit, in fideicommissi petitionem ueniant? Paulus respondit, ea extra bonorum causam defuncti computari debere, & propterea fideicõmisso non contineri: quia ea habitura esset etiam alio hærede existente. Planè nominatim maritus uxoris fidei cõmittere potest, ut & ea restituat. *Propositæ regulæ exceptio prima patet ex uerbis iã propositis hisce:* Planè nominatim. *Secũda exceptio est: Nisi in codicillis postea factis relinquatur. Quæ exceptio approbatur l. cũ pater. 79. §. fidei tuæ. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. reg. 3.*

II. *Regula, De rebus proprijs grauati, proponitur l. qui uxori. 19. §. penult. ff. de auro legato, his uerbis:* Testator fideicommisit uxori, ut quidquid ad eam ex testamento eius peruenisset, alĩno communi restitueret. quæsitum est, an etiam ea quæ propria uxoris suæ fuisse testator sciuit, eiq; reddi præcepit, alumno præstare debeat? Scæuola respondit, si propria fuissent, non debere: si legato adquirerentur, debere.

III. *Regula, De ijs quæ grauato à testatore debentur, proponitur exemplo dotis relegatæ d.l.79. §. fidei tuæ. ff. de legatis 2. his uerbis:* Fidei tuæ committo uxor, ut des restituæ filiæ meæ, cum morieris, quidquid ad te quoquo nomine de bonis meis peruenerit. etiam ea quę postea codicillis uxori dedit, fideicommisso continebuntur: nam ordo scripturę non impedit causam iuris ac uoluntatis. Sed dos relegata retinebitur: quoniam reddi potius uidetur, quàm dari. *Concordat l.2. §. mulier. ff. de dote relegata, his uerbis:* Mulier dotem promisit quadringentorum, & dedit fundos duos in ducenta, præterea nomina debitorum in residua ducenta: mox maritus eius decedens, pro dote fundos ei duos, nō eos quos in dotem acceperat, reliquit: & præterea illos duos dotales, quos æstimatos acceperat, reliquit, fideiq; eius commisit, ut quicquid ad se ex hæreditate eius peruenisset, id restitueret Seio, cum moreretur. quærebatur, quantum esset in fideicommisso, muliere defuncta? Vlpianus respondit, hanc uxorem, quæ rogata esset, quidquid ad se peruenerit ex testamento, restituere, in ea esse conditione, ut id demum restituere cogatur, quod deducta dotis quantitate ad eam peruenisset: dotē enim recepisse eam magis, quàm accepisse, saluo eo quod ex commodo repræsentationis ab ea fideicommitti potuit. proinde id quidem quod pro dote maritus ei reliquit, non cogetur restituere, nisi plus sit in eo, quàm in quātitate dotis: residuum uerò, quod præterea illi relictum est, cum fructibus cogetur restituere. Habebit igitur præcipuam dotem cum fructibus suis: id uerò quod extrinsecus ei relictum est, cum fructibus, qui ad eam peruenerint, restituet.

IIII. *Regula, De eo quod rogatus debuit defuncto, proponitur exemplo dotis, l. Lucius. 78. §. filiam. ibi: idem quæsijt. ff. ad senatusconsult. Trebell. his uerbis:* Scæuola quæsijt, eandem uxorem marito hærede scripto fideicommisisse, ut cum moreretur, filio communi omne quod ad eum ex hęreditate sua peruenisset, restitueret: an illæ quoq; res & possessiones, quæ in dotem datæ, & post diuortium restitutæ mulieri fuerant, fideicommisso contineantur? Scæuola respondit, quod mulier in bonis suis reliquisset, id fideicommisso contineri. Claudius etiam aliàs de eodem facto consultus, ita respondit, siue restitutæ sint res, secundum id quod suprà responsum est, in bonis mulieris computari: siue non sint restitutæ, quia ex stipulatione de dote reddenda interposita restituendæ sint, eo auctioré hæreditatem computari.

V. *Regula, De prælegatis hæredi relictis, proponitur l. cum uirum. 16. C. de fideicommissis, hisce uerbis:* Cum uirum prudentissimum Papinianum respondisse non ignoramus, etiam legata huiusmodi fideicommisso contineri: id est, ubi hæres rogatus fuerit, quidquid ex hæreditate peruenerit, post mortem restituere: animaduertimus etiá præceptionis compendium testatoris uerbis comprehensum esse. Sanè quoniam in fideicommissis uoluntas magis quàm uerba plerunq; intuenda sunt, si quas pro rei ueritate præterea probationes habes ad commendandam hanc patris uoluntatem, quam fuisse adseueras, apud præsidem prouinciæ experiri non uetaris. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi testator prælegata alienari prohibuerit. Hæc exceptio approbatur l. Lucius. 78. §. pluribus. ff. ad senatusconsult. Trebell. his uerbis:* Pluribus hæredibus institutis, inq; his & libertis tribus ex dodrante, cùm eisdem fundos per præceptionem dedisset, ab his petijt ne eos alienarent, & ut quiuita superasset, solidos eosdem fundos obtineret: deinde unius ex his libertis Otacilij fidei commisit, ut quidquid ad eum ex hæreditate bonisue peruenisset, deducto pro ea parte ære alieno, & legatis sibi uiginti aureis, restituat Titio. quæsitum est, an etiam partes tertias fundorum prælegatorum conlibertis eidem deducere deberet? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non debere restituere præceptionē, cum ipse testator & legata excipi uoluisset. *Plura de regula proposita uide 7. lib. prox. cap. 5. quæst. 3. reg. 3. except. 3.*

VI. *Regula, De ijs quæ postea codicillis rogato legātur, proponitur l. cum pater. 79. §. fidei tuæ. ff. de leg. 2. cuius uerba uide 5. reg. 3.*

VII. *Regula, De fructibus perceptis, & ijs quæ uice fructuum sunt. Hæc regulariter non debentur fideicommissario. Quæ regula approbatur l. quod his uerbis. 82. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Quod his uerbis relictum est, Quidquid ex hæreditate bonisue meis ad te peruenerit, cum morieris restituas: eo fructus quos hæres uiuus percepit, item quæ fructuum uice sunt, non uenire placuit. nec enim quidquam proponi, ex quo de his quoq; restituendis testatricem rogasse probari possit. *Concordat l. hæredes. 57. in prin. ff. ad S.C. Trebell. his uerbis:* Hæredes mei, quidquid ad eos ex hæreditate bonisue meis peruenerit, id omne post mortem suam restituant patriæ meę coloniæ Beneuentanorū. nihil de fructibus pendente conditione perceptis petitum uideri constitit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi creditori plus debito sit legatū, rogatuq; ut id quod ad eum peruenerit restituat: hoc enim casu id quod debitum excedit, cum fructibus restituet. Quæ exceptio approbatur l. 2. §. fin. ff. de dote relegata. cuius uerba uide 5. reg. 3. in fin. Secunda exceptio proponitur l. Balista. 32. ff. ad S.C.*

Trebell. his uerbis: Balista filium familiâs hæredem instituit ita: Trebellianus si cauerit coloniç Philippensium, si sine liberis morietur, quantacunq; pecunia ex hæreditate de bonis meis ad eum peruenit, eam pecuniam omnem ad coloniam Philippensium peruentuſam. Celsus respondit: Ex his uerbis quæ proponis, pecuniam existimo, etiam fructus quos ex hæreditate percepit, restituere eum debere, perinde quasi specialiter hoc testator expressisset. *Tertia exceptio est: Nisi quædam ex bonis sint deminuta. ea enim ex fructibus perceptis sunt supplenda. Quæ exceptio approbatur l. scribit. 33. ff. eod. tt. his uerbis:* Scribit Celsus libro uicesimo Digest. Si is qui quadringenta in bonis habebat, petijt ab hærede suo, ut si sine liberis moreretur, quanta pecunia ex hæreditate sua ad eum peruenisset, Mæuio restitueretur: si ex fructibus medio tempore quadringenta perceperit, & sine liberis decesserit, hæredem eius Mæuio quadringenta debiturum. Et cum diu multumq; tractauerit, an, cum augmentum hæres senserit, periculum sustineat, an per contrarium? nouissimè ait, iniquum esse, ad fideicommissarium damnum pertinere, ad quem augmentum non pertineat. & an supplendum (inquit) quodcunq; ex quadringentis defuerit, etiam augmentum ad eum pertinebit, hoc est, ut usq; ad summam quadringentorum damna & fructus computentur? quod uerius esse arbitror. *Concordat l. ita tamē. 27. §. hæres. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide 5. cap. prox. reg. 11. except. 9. Alias propositæ regulæ exceptiones uide 5. cap. prox. reg. 11.*

VIII. *Regula, De eo quod ex hæreditate, quæ ad rogatum peruenit, deminutum est. Hoc ex fructibus supplendum. Quæ regula constat ex l. scribit. 33. ff. d. tt. cuius uerba uide 5. reg. prox. in fin.*

IX. *Regula proponitur l. Lucius. 78. §. tres hæredes. ff. ad S.C. Trebell. his uerbis:* Tres hæredes scripsit: Mæuium fratrem suum ex dodrante, Seium ex sextante, Stichum eiusdem Seij seruum, filium autem naturalem Mæuij, ex uncia: & fidei commisit Seij, ut Stichum manumitteret, in hæc uerba: A te peto Seij, uti tu Stichum manumittas, dedi unde facias. sed & codicillis ita cauit: Vnciam ex qua feci Stichum hæredem, si quam Seius contra uersiam mouerit, ad Mæuium fratrem meū reuerti uolo. Tu frater, secundùm fidem & pietatem tuam, quidquid ad te peruenerit ex hęreditate mea, Sticho filio tuo restitues: quod ut facias, fidei tuæ committo. quæsitum est, an si aliquam controuersiam Seius de uncia hac, ex qua Stichus institutus est, facere uelit, & Mæuius unciam ex causa fideicommissi à Seio fuerit consecutus, utrum hanc solam unciam, ex qua Stichus institutus est: an uerò & dodrantem, ex quo ipse Mæuius institutus est, eidem Sticho restituere debeat? Scæuola respondit, de omni restituendo, quod ad Mauium quoquo modo peruenerit, testatricem sensisse.

X. *Regula proponitur d. l. 78. §. quæ habebat, his uerbis:* Quæ habebat filium, & ex eo nepotem, utrosque in mariti potestate, maritum ex asse scripsit hæredem, eiusq; fidei commisit in hæc uerba: Titius maritus meus mihi hæres erit: peto, fideiq; eius committo, ut quidquid ex hæreditate mea ad eum peruenerit, cum mori cœpit, id restituat Caio filio nostro: ita tamen, ut decem quidem uncias Caius, duas autem uncias Seius nepos habeat: quod ut fiat, fidei eius Titij heredis mei committo. pater emancipauit filium, nepotem amisit, & superstite filio decesit. quæsitum est, an priore parte scripturæ uniuersa hęreditas patris ex causa fideicommissi filio debeatur, & illa sequentia uerba, Ita tamen, ut decem uncias filius, duas autem nepos habeat: ex uoluntate defunctæ ita demum locum habeant, si die fideicommissi cedente filius & nepos eorum in natura sint: cum autem non superuixerit ad diem fideicommissi nepos, sequens scriptura cesset? Scæuola respondit, ea quæ proponerentur ostendere, decē dun taxat uncias filio datas.

XI. *Regula, De legitima, quæ debetur rogato à testatore. Item*

XII. *Regula, De dote & antenuptiali donatione. Hæ duæ regulæ proponuntur Nouell. const. 39. §. hæc meritò nos, his uerbis:* Hæc meritò nos mouerunt, & satius esse rati sumus nostram corrigere legem, quàm periclitantes intueri subditos, & maximè in nuptijs, quibus nihil est in hominum uita utilius, ut quæ solæ homines procreare & producere possint. Ea itaque de re & præsentem legem proferimus, cum omnia alia quæ in priore nostra constitutione exprimuntur, rata manere uolentes, tum hoc solum innouantes, ut si quis decæterò bonorum suorum restitutionem inducat, primùm quidem filio in legitimam portionem reseruet, non quadrantem (nam hoc correximus, nimiam eius tenuitatem obliterātes) sed trientem, aut pro numero liberorum semissem: deinde & de reliqua substantiæ parte, si ad dotem donationémue ante nuptias honestè, & secundum personarum qualitatem commensuratè efferendam legitima portio non sufficiat, ut tantundem ante restitutionem decerpatur, quantum si legitimæ parti apponatur, dotem aut donationem ante nuptias efficiat. Sancimus enim, ut prorsus ea ratio-

ne coniugalia instrumenta, & eo nomine celebratæ alienationes seu hypothecæ à restitutione eximantur: & siue uiri, siue mulieris persona eiusmodi restitutione grauata fuerit, tam uiro liceat eo casu ante nuptias (ut appellant) seu propter nuptias donationem offerre, nihil efficacię (quantum ad eas res) obtinente restitutione: quàm mulieri, si restitutione grauetur, nullum ea impedimentum pariat ad offerendam dotem. Ea enim quæ in commune omnibus conferunt, his præponimus, quæ priuatim aliquibus expediunt. Atque hoc priuilegium coniugalibus conuentionibus, exindéque prouenientibus exactionibus esto. Nam si maiores nostri per præsumptionem multa à generalibus hypothecis exceperunt, quanquam non perinde necessaria nobis existentia, quomodo non multò nos maioribus & melioribus rationibus adducti, coniugalia lucra exceptione includamus? Cæterùm in omnibus his futuro tempori, & post hanc legem latam extaturis restitutionibus gratificamur: neque enim illi fraudi locum facimus, ut mulier aliqua exiguam habens dotem, aut uir modica ante nuptias donatiõe oblata, de hac nostra lege certior factus, ad circumscribẽdam legem tendendo insidias restitutionibus, augmentum doti aut donationi ante nuptias uelit constituere. Nam & hanc circumscriptionem tollimus, nullam inde utilitatem (quantum ad euersionem restitutionis) habere sinentes eos qui augmenta celebrarunt, incontaminatam legem nostram futuro reseruantes tempori. *Hactenus Imperator Iustinianus. Ait autem Imperator:* Nostrã corrigere legem, &c. *item,* Omnia alia quæ in priore nostra constitutione exprimuntur, &c. *D. hac lege & constitutione, cuius in tam propositis uerbis exceptiones introducũtur, uide l. si duobus. 3. §. sed quia nostra. C. communia de legatis. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. reg. 2. Sed plura de regula proposita uide §. lib. prox. cap. 3. quæst. 1. reg. 16. except. 2.*

DE EO QVOD EX HAEreditate supererit, legato.

I. Regula: *Quod medio tempore alienatum & deminutum est ex hereditate, id non debetur. Quæ regula approbatur l. fideicommissi. 3. §. nonnunquam. ff. de usuris & fructibus, his uerbis:* Si quis rogetur post mortem suam, quidquid ex bonis supererit, Titio restituere: ea quæ bona fide deminuta sunt, in fideicommissi causa non comprehenduntur, si pro modo cæterorum quoque bonorum deminuatur. *Ait Iurisconsultus:* Quæ bona fide deminuta sunt. *Ex his uerbis elicitur prima aduersus regulam propositam exceptio talis: Nisi interuertendi fideicommissi causa sint deminuta. Quæ exceptio approbatur etiam l. Titius. 54. in prin. ff. ad S. C. Trebellianum, his uerbis:* Titius rogatus est, quod ex hæreditate superfuisset, Mæuio restituere. quod medio tempore alienatum uel deminutum est, id quandoq; peti poterit, si non interuertendi fidei commissi gratia tale aliquid factum probetur: uerbis enim fideicommissi bonam fidem inesse constat. *Hæc exceptio mutatur iure nouo Nouell. c. 108. cuius uerba paulò inferius proponentur. Secunda exceptio est: Nisi non pro rata patrimonij parte, quod hæres habuit, sit deminutum. Quæ exceptio approbatur d. l. 54. §. diuus autem Marcus, his uerbis:* Diuus Marcus, cum de fideicommissaria hæreditate cognosceret, his uerbis, Quidquid ex hæreditate mea superfuerit, rogo restituas: & uiri boni arbitrium inesse credidit. iudicauit enim, erogationes quæ ex hæreditate factæ dicebantur, non ad solam fideicommissi deminutionem pertinere, sed pro rata patrimonij, quod proprium habuit hæres, distribui oportere. quod mihi uidetur non tantùm æquitatis ratione, uerùm exemplo quoq; motus fecisse. Cum enim de cõferendis bonis fratribus ab emancipato filio quæreretur, præciputi aũt quod in castris fuerat acquisitum, militi relinqui placeret: cõsultus Imperator, sumptus quos miles fecerat, non ex eo tantummodò patrimonio, quod munus collationis pati debuit, sed pro rata etiá castrensis pecuniæ decedere oportere cõstituit. Propter huiusmodi tractatum Mæuius fideicommissi nomine cautionem exigere debet: quod eò pertinet, non ut ex stipulatione petatur, quod ex fideicommisso peti non poterit: sed ut habeat fideiussores eius quantitatis, quam ex fideicommisso petere potuit. *Planè & secunda exceptio hæc reprobatur Nouell. c. 108. de qua sequẽtur. Tertia exceptio est: Nisi ultra quartam hæreditatis partem rogatus deminuerit. Hæc exceptio approbatur, præcedentibus duabus exceptionibus sublatis, Nouell. c. 108. his uerbis:* Audiuimus speciem quandam facti, oborta de testamento controuersia, quã & interpretari iustum putauimus, & exquisita lege complecti: quem admodũ consuetudinis nostræ est, ut ex quæstionibus in speciebus factorum motis bonarum legum condendarũ occasiones arripiamus. Nam cum quidam filios suos hæredes instituisset, uelletq; eos non existentibus liberis, mutua uice substituere: iussit si quem suorum filiorum atq; hæredum contingeret sine liberis humanam hanc uitam dissoluere, ut post detractionem eorum quæ lege illi ex rebus ab ipso ei relictis deberentur, omnes reliquæ res & iura, quæ mortis tempore apud ipsum inueniantur, perueniant ac restituantur ei qui ex ipsis superfuerit

fuerit: aut eius filijs, siquidem & ipse mortuus sit: omni cautione & fideiusione inter ipsos propter prædictam restitutionem cessante. His ita gestis, cum is obijsset mortem, & alter quidem ex eius filijs & hæredibus liberos haberet, alter uerò mansisset sine liberis: prohibet is qui filios habet, cũ qui filijs caret, quasi res deminuat, ne ijs rebus utereturAtille usus uerbis testamenti, & quòd hoc ipsum tantummodò pater restituere iussisset, quod mortis tempore apud ipsum repertum esset: ea se forma ac ratione putauit licentiam habere ijs rebus utendi ut uellet, nulla de earum administratione prohibitione sibi inducenda. Nos igitur sumpta exinde occasione, putauimus & ueterem infinitatem & distinctionem, quæ deinde consecuta est, illam quidem certis includendam finibus, hanc uerò perpurgatam in hominum usus reponendam esse, & propterea negocium lege comprehendendum, ut homines uniuersum legis ordinem perdiscant, secundum quem talia conueniat & intelligere & discernere. Ac scimus, à Papiniano prudentissimo uiro in decimonono Quæstionum eius libro dictum quiddam: ubi in talibus casibus alienationes permittit, de industria illo ueluti in ænigmate appositO, quòd alienationes tum demum prohibitas esse oporteat, cum qui restitutione oneratus est, interuertendi fideicommissi causa dedita opera ad alienationem procedat. Et inter Imperatores Marcus Philosophus consimili specie propositA constituit, ut talibus uerbis boni uiri arbitrium inesse uideretur. Nobis autem rectè se habere uisum est, si legislationem ad hunc formaremus modum, ut si quis in genere dicat restitutionem fideicommissi, ea obtineant quæ de talibus definita, & à nobis inclusa sunt legibus. Si uerò tale fideicommissum sit, quale proponitur, & testator ea tantùm fideicommisso subijciat, quæ mortis tẽpore inueniuntur relinquuntur: tũc quod infinitè à prioribus dictum est, id sub legitimam distinctionem deducatur, & ordinem. si quis enim hæc, aut etiam consimile quid dixerit: sancimus, ut fideicommissi restitutione grauatus institutionem suam usq; ad Falcidiam duntaxat seruare necesse habeat, nec possit ex illa quiddam omnino minuere. nam sufficerit, si hæredi quidẽ tres partes supererunt, huic uerò quartę solummodò ratio relinquatur. neq; enim permittimus, ut restitutione grauatus donationibus aliquibus utatur, idq; dedita fortè opera, & (quod Papinianus dicebat) interuertendi fideicommissi causa, ut & quartam institutionis suæ partem deminuat: sed omnino id fideicommissum relinquat, omnibus alijs in eius arbitrio positis, ut licentiam habeat his utendi ut uelit, quemadmodum perfectis dominis competit. *Hisce uerbis proposita tertia exceptio approbatur, simul etiam duæ priores antiquantur. Ait autem Imperator:* Ac scimus, à Papiniano prudentissimo uiro, &c. *Hæc Papiniani uerba proposita sunt §. ead. reg. except. 1. Ait insuper Imperator:* Et inter Imperatores Marcus Philosophus, &c. *Hæc Marci Imperatoris sententia proposita est §. ead. reg. except. 2. Ait demum Imperator Iustinianus:* Et obtineant quę de talibus definita, & à nobis inclusa sunt legibus. *De his uide §. reg. prox. Planè propositæ tertiæ exceptionis replicationes aliquot proponuntur d. Nouell. c. 108. §. certè si ipsam etiam, his uerbis:* Certè si ipsam etiam quartã restitutione grauatus attingat, necessarium est causam accuratius perquirere, quam obrem id fecerit. Et quidem si dotem uelit dare, aut donationẽ ante nuptias, cum aliqd in bonis non habeat: permittendum illi est hoc agere, secundum quod nostra iam lege continetur, quatenus omnino ei hoc deminutionis genus non denegauimus. Sed & si in redemptionem captiuorum (hanc etenim causam excipimus, & quasi donarium aliquod Deo offerimus) habeat & huius agendi licentiã, ut quartam quoq; minuat, ipsa pietatis ratione nobis preciosiore his omnibus apparente. Quòd si certis de causis eueniat, ut neq; ipse habeat unde sumptus faciat, damus ei potestatẽ, ut & hos existiusmodi restitutione faciat: id quod etiã testator præcepit, cum in restitutionem pertrahi uoluit quidquid omnino relinqueretur: & (ut aliquis dixerit) ex eo quod illi redundaret, restitutionem fieri. *Hisce uerbis aduersus exceptionem propositam tres introducũtur replicationes, quarum prima hæc est: Nisi dotis causa quartã deminuerit. de qua re dictum quoq; §. reg. prox. Secunda replicatio est: Nisi ob redemptionem captiuorum quarta sit deminuta. Tertia replicatio est: Nisi rogatus non habeat aliunde quo se sustentet. nam & hoc casu illi conceditur deminuere quartam. Sanè in proposita Nouell. c. 108. sequuntur uerba ad propositam exceptionem pertinentia, non omittenda, hæc nimirum:* Si nulla eiusmodi causa subsit, prorsus necesse habeat quartam institutionis suæ partẽ seruare, & huiusmodi restitutioni grato animo obsequi. Cæterùm si quid insumpserit, cum haberet unde supplementum faciat, ex illo & quarta suppleatur, neq; ea ratione aliquam deminutionem patiatur: si quartam attigerit, neq; habeat aliud quidquã in bonis ad supplementum, tunc damus illis authoritate huius legis, tam contra uenditores, quàm qui aliter eam rem acceperint, in rem actionem, & ius hypothecarum, ut rerum uendicatione

dicatione satis huic fideicommissario possit fieri: id quod & in legatis iam præbuimus, tam ex constitutione condictionem, quàm etiam persecutionem fideicommissi illis largientes. Vnde & cautionem dabit fideicommissario, non se minus quarta seruaturũ, nisi & hanc testator remittat, quemadmodum in casu ad nos renunciato: siquidem enim testatore non solùm omnem fideiusionem, sed etiam cautionem remittéte, nos diuersum quiddam statueremus, illud sanè inter se ad defuncti uoluntatem collineatum non esset. Secundum hæc igitur decisa sunt negocia, tã hoc ipsum quod quæstionem præbuit, quàm omnia alia, ex quibus pendère speciem aliquam facti contingat, ad hunc modum confectis testamentis, defunctisq; fortè testatoribus, neq; dum tamen istiusmodi fideicommisso locum habente, restitutione scilicet grauato adhuc superstite. Atque non tantùm de liberis dicimus, sed etiam de alijs tum cognatis, tum extra cognationem eius existentibus, quibus omnino huiusmodi fideicommissum relinqui contigerit. *Hæc de tertia propositæ regulæ exceptione.* *Quarta exceptio est: Nisi pignori tantùm sit datum. Hæc exceptio ipso quidem iure ualet, ita ut fideicommissarius luendi pignoris potestatem habere uideatur: ut autem hæres rogati cogatur luere & præstare, hoc reprobatur l. deducta. 58. §. fin. ff. ad S.C. Trebell. his uerbis:* Hæres eius qui bonorum superfluum post mortem suam restituere fuerat rogatus, pignori res hæreditarias datas (si non in fraudem id factum sit) liberare non cogitur. *Quinta exceptio est: Nisi aliud pro eo quod ex hæreditate alienatum est, supersit, ueluti precium ex re uendita redactum, uel alia res precio isto comparata. Hæc exceptio approbatur l. Imperator. 72. §. fin. cum lege sequente. ff. de leg. 2. his uerbis:* Cum rogatus, quidquid ex hæreditate supererit, post mortem suam restituere, de precio rerum uenditarum alias comparauit, deminuisse quæ uendidit non uidetur: sed quod inde comparatum est, uice permutati dominij restituetur. *Sexta exceptio est: Nisi rogatus pecuniam hæreditariam suis creditoribus soluit: hoc enim casu fideicommissarius in creditorum locum, quibus solutum est, substituitur. Quæ exceptio uidetur approbari l. idem. 74. ff. de legat. 2. his uerbis:* Idem seruandũ erit, etsi proprios creditores ex ea pecunia dimiserit. non enim absumitur, quod in corpore patrimonij retinetur.

11. *Regula: Eo quod mortuo hærede supereſt legato, hæres ad cauendum fideicommissario tenetur de nihil ex quarta hæreditatis parte deminuenda. Quæ regula approbatur Nouell. c. 108. §. si nulla eiusmodi causa. ibi: unde & cautionem, cuius uerba uide §. reg. prox. except. 3. Concordat l. Titius. 54. §. fin. ff. ad S.C. Treb. cuius uerba uide §. reg. prox. except. 2. in fine.*

111. *Regula: De fructibus ex hæreditate perceptis uide §. cap. prox. reg. 11. except. 4.*

1111. *Regula proponitur l. cum pater. 79. §. dulcissimis. ff. de leg. 2. his uerbis:* Dulcissimis fratribus meis, auunculis autem tuis, quæcunq; mihi supersunt in Pamphilia, Lycia, uel ubicunq; de maternis bonis, concedi uolo, ne quam cum his controuersiam habeas. omnia corpora maternæ hæreditatis, quæ in eadem causa dominij manserunt, ad uoluntatem fideicommissi pertinent. Ex eisdem igitur facultatibus percepta pecunia, & in corpus proprij patrimonij uersa, item iure diuisionis res propriæ factæ non præstabuntur, cùm discordijs propinquorum sedandis prospexerit, quas materia communionis solet excitare.

DE IIS QVAE ALICVius causa parata sunt, legatis.

1. *Regula proponitur l. item legato. 47. §. fin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Hoc legatum, Quæ eius gratia parata sunt: & filio & filiæ relinqui potest, & seruo & seruæ, & continebuntur quæ ipsi sunt attributa uel destinata. *Huius regulæ exceptiones uide §. reg. prox.*

11. *Regula: iis quæ uxoris causa empta uel parata sunt legatis, quid ueniat, definitur l. hoc legatum. 43. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Hoc legatum, Vxoris causa parata: generale est, & continet tam uestem quàm argentum, aurum, ornamentum, cæteraq; quæ uxoris gratia parantur. *Concordat l. si quid. 45. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Ex eo autem legato ea pertinent ad uxorem, quæ eius causa empta, parata, quæq; retenta sunt: in quibus etiam quæ prioris uxoris, quæq; filiæ, neptis uel nurus fuerunt, continentur. *Concordat item l. item legato. 47. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Item legato continentur mãcipia, puta lecticarij, qui solam matremfamiliãs portabant: item iumenta, uel sella, uel lectica, uel burdones: item mãcipia alia, puellæ forrasis, quæ scilicet comant mulieres, & exornent. *Concordat item l. uxori. 14. ff. de auro legato. cuius uerba uide §. except. 17. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi res sint in dotem datæ. hæ enim hoc legato non continentur. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. quæsitum. 76. §. cum uir. ff. de leg. 3. his uerbis:* Cum uirita legasset, Quæ uxoris causa parata sunt, ei do lego: ego apud Prætorem fideicommissarium petebam etiam res æstimatas, quarum precium in dotem erat, nec obtinui, quasi testator de his rebus non sensisset. atquin si in usum eius datæ sint, nihil interest, ab ipso, an ab alio comparatæ sint. Postea apud Aburnium Valentem inueni ita relatum: Mulier res æstimatas in dotem dederat, ac deinde dotem maritus ei legauerat

legauerat his uerbis, Quæ eius causa parata sunt emptaq;. dixit emptorum paratorumque appellatione non contineri ea quæ in dotem data essent, nisi maritus eas res, posteaquã ipsius factæ essent, in uxoris usum conuertisset. *Secunda exceptio est: Nisi alius, non testator parauerit. Hæc exceptio reprobatur uerbis supra proximè propositis hisce:* Atquin si in usum eius datæ sint, nihil interest ab ipso, an ab alio comparatæ sint. *Tertia exceptio est: Nisi alterius, non uxoris causa empta uel parata sunt. Hæc exceptio reprobatur l. si quid. 45. §. intervenit. ff. de leg. 3. cuius uerba uide §. ead. except. in fin. Concordat d. l. 45. in prin. ibi: in quibus etiam. cuius uerba uide §. ead. reg. in prin. Concordat item l. hoc legatum. 43. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Neq; interesse usum est, ante ductam uxorem id paterfam. parauisset, an postea: an etiam ex his rebus, quibus ipse uti soleret, uxori aliquid adsignauisset, dum id mulieris usibus propriè attributum esset. *Hisce uerbis proposita exceptio reprobatur, hac tamen cõditione: Dum id mulieris usibus propriè attributum esset.* Ergo *si mulieris usibus propriè destinatum nõ est, exceptioni propositæ locus est: quod loco primæ distinctionis notãdum. Cuius distinctionis replicationes uide §. except. 17. Secunda distinctio est: Nisi uxori non sint adsignata. Quæ distinctio approbatur l. si quid. 45. §. fin. ff. de legat. 3. cuius uerba uide §. except. 13. in fine. Tertia distinctio, qua proposita exceptio admitti uidetur, hæc est: Nisi concubinæ, non uxori ita sit legatum. Quæ tamen distinctio reprobatur l. qui concubinã. 29. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba paulò inferius proponentur except. 12. Quarta distinctio est: Nisi ita legauit, Quæ eius causa empta sunt, non parata. hoc enim casu, quæ eius causa empta non sunt, quamuis sint ei destinata, tamen non debentur. Quæ distinctio approbatur l. item legato. 47. §. item interest. ff. de leg. 3. his uerbis:* Item interest, ipsius causa parata sint ei legata, an ipsius causa empta. paratis enim omnia continentur, quæ ipsius usibus fuerunt designata: emptis uerò ea sola, quę propter eam empta eius fecit maritus. unde nõ continebuntur emptis solis legatis, quę alia ratione paterfamiliãs adquisita ei destinauit: utroq; autem legato continebuntur, & quę maritus emi mandauerat, uel quæ emerat, necdum tamen ei adsignauerat, adsignaturus si uixisset. *Concordat l. si quid. 45. §. inter. ff. eod. tt. his uerbis:* Inter emptum & paratum quid interfit, quæritur? & responsum est, in empto paratum inesse, in parato non continuò emptum contineri: ueluti si quis, quæ prioris uxoris causa emisset, posteriori uxori tradidisset, eas res eum posterioris uxoris causa parauisse, non emisse constat. Ideoque quamuis maritus posterioris uxoris causa nihil emerit, tamen tradendo quæ prior habuit, eius causa parasse uidetur. *Quarta exceptio est: Nisi communis usus causa parata sint. Hæc exceptio approbatur l. hoc legatum. 43. ff. de leg. 3. his uerbis:* Sed quæ uidentur uxoris causa parari? Sabinus libris ad Vitellium ita scripsit: Quod in usu frequentissimè uersatur, ut in legatis uxoris adijciatur, Quod eius causa paratum sit: hanc interpretationem obtinuit, quod magis uxoris, quàm communis promiscuique usus causa foret paratum. *Concordat l. legato. 36. ff. de legat. 2. his uerbis:* Legatis uxori ijs, quę usus eius causa parata sunt, eos seruos ad eam non pertinere, qui non proprij ipsius, sed communis usus causa parata sint. *Concordat item l. Quintus. 11. in prin. ff. de auro legato, his uerbis:* Quintus Mutius ait, si paterfamiliãs uxori uas, aut uestimentum, aut quidpiam aliud ita legauit, Quod eius causa emptum paratúmue est: id uideturlegasse, quod magis illius, quàm communis usus causa paratum esset. Pomponius: Sed hoc uerum est, non solùm si ipsius uiri & uxoris, sed etiam si liberorum eius aut alterius alicuius communis usus fuerit. id enim uidetur demonstrasse, quod proprio usui uxoris paratum sit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non genus, sed species ita legetur. hoc enim casu, quamuis nec uxoris causa paratum sit, nihilominus debetur. Quæ replicatio proponitur d. l. 11. his uerbis:* Sed quod Quintus Mutius demõstrat, uas, aut uestimentum, aut quid aliud, efficit ut falsa sint quæ subiecimus. multum enim interest, generaliter an specialiter hæc legentur. nam si generaliter, ueluti, Quæ uxoris causa comparata sunt: uera est illius definitio. si uerò ita scriptum fuerit, Vestem meam illam purpuream: ut certam demonstraret, licet adiectum sit, Quæ eius causa empta paratáue est: & neque empta, neque parata, neq; in usum ei data sit, legatum omnimodò ualet: quia certo corpore legato, demõstratio falsa posita non perimit legatum. ueluti si ita scriptũ sit, Stichum quem ex uenditione Titij emi. nam etsi neq; emit, aut ex alia uenditione emit, legatum nihilominus ualet. Planè si ita legatum fuerit, Vasa, aut uestimenta, aut quæ uxoris causa parata sunt: tunc æquè erit uera Quinti Mutij sententia. Quo casu sciẽdum est, etiamsi alienæ res hæ fuerint, quas putauit testator suas esse: hæredem teneri ut eas det. *Secunda replicatio est: Nisi maritus solitus sit quasdam res ab uxore quasi usu mutuari: hoc enim casu nihilominus uxori debentur. Quæ replicatio approbatur l. item legato. 47. §. 1. ff. de leg. 3. his uerbis:* Etsi quædam promiscui usus sint, solitus tamen fuerit ab ea quasi usu mutuari: dicendum erit, ipsius causa uideri parata. *Quinta propositæ regulæ exceptio est: Nisi ante ductam uxorem maritus cõparauit. Hæc exceptio reprobatur l. hoc legatum. 43. §. fin. ff. de leg. 3.*

leg.3.cuius uerba uide §.ead.reg.except.3.in prin.Concordat l.si quid.45.in prin.ff.d.tt.his uerbis: Si quid earum rerum antè comparauit, quàm uxorem duxit: si id ei ut uteretur tradidit, perinde est quasi postea parauisset. *Sexta exceptio est: Nisi mortuo testatore cõparatum sit. Hæc exceptio approbatur l.2.in princip.ff.de auro legato, his uerbis:* Qui tibi mandauerat, ut ornamẽta in usum uxoris suæ emeres, eidem uxori (ut adsolet) legauit quæ eius causa parata erant: tu deinde post mortem mandatoris, ignorans eum decessisse, emisti. non debebuntur mulieri: quoniam ea uerba ad mortis tempus referuntur. *Septima exceptio est: Nisi mortua uxore comparatum sit. Hæc exceptio approbatur d.l.2. §.at si uiuente, bis uerbis:* At si uiuente testatore, muliere autem mortua emeris, non inelegãter dicetur inefficax hoc legatum esse: quando non possit uerè dici, eius causa paratum uideri, quæ prius decesserit. *Huic concordat l.apud.5.ff.eod.tt.his uerbis:* Apud Pamphiliũ lib.2. Quæstionum ita scriptum est: Si mulier mandauerit tibi, ut sibi uniones usus sui causa emeres: si tu post mortẽ eius, cum putares eam uiuere, emeris, Atilicinus negat esse legatos ei, cui mulier ita legauerat, Ornamenta quæ mei causa parata sunt, erũtue. non enim eius causa uideri parata esse, quæ iam mortua ea empta fuerint. *Octaua exceptio est: Nisi post diuortium emptum sit. Hæc exceptio approbatur d.l.2.§.fin.his uerbis:* Eadem dicenda erunt, etsi uiuat quidem mulier, sed diuerterit, & quęratur, an pòst empta ei debeantur, quasi non uideantur uxoris causa parata. *Nona exceptio est: Nisi uirilia sint uxori destinata. Hæc exceptio reprobatur l.item legato.47. in prin.ff.de legat.3.his uerbis:* Sed & si fortè uirilia ei quędam donauerit, quodammodò eius causa parata uidebuntur. *Decima exceptio est: Nisi res alienæ sint. Hæc exceptio reprobatur l.Quintus.11.§.fin. ff.de auro legato. cuius uerba uide §.except.4.replic.1. Vndecima exceptio est: Nisi aliq̃ quàm uxori legatum ita sit, quod eius causa sit paratũ. Hæc exceptio reprobatur l.item legato.47.§.fin. ff.de legat.3.cuius uerba uide §.reg.1. Concordat l.qui concubinam.29.in prin. ibi: idemq̃; uel in. ff.de legat.3. cuius uerba uide ȝ.except.prox. Duodecima exceptio est: Nisi concubinæ, non uxori ita sit legatum.* Et hæc exceptio reprobatur *d.l.47.§.parui etiam, his uerbis:* Parui etiam refert, uxori an cõcubinæ quis leget, quæ eius causa empta paratáue sunt. sanè enim, nisi dignitate, nihil interest. *Concordat l.qui concub.29.in prin. ff. de legat.3.his uerbis:* Qui concubinam habebat, ei uestem prioris concubinæ utendam dederat. deinde ita legauit: Vestẽ quæ eius causa empta, parata est. Cascellius, Trebatius negant, ei deberi prioris concubinæ causa parata: quia alia conditio esset in uxore. Labeo id non probat: quia in eiusmodi legato non ius uxorium sequendum, sed uerborum interpretatio esset facienda: idemq̃; uel in filia, uel qualibet alia persona iuris esse. Labeonis sententia uera est. *Decimatertia exceptio est: Nisi uxori non fuerint assignata. Hæc exceptio reprobatur l.item legato.47.§.item interest. ibi: utroq; autẽ legato. ff.de legat.3.cuius uerba uide §.ead.reg.except.3. distim.3. Concordat l.cum uxori.56.ff.eod.tt.his uerbis:* Cum uxori suæ quis ea quæ eius causa parata essent, legasset, deinde is purpuras cõparasset in prouincia, necdum tamen aduexisset: rescriptũ est, ad mulierem purpuras pertinere. *Planè admittitur exceptio proposita, si alterius, non uxoris causa parata sint: tunc enim, nisi uxori adsignata sint, non debentur. Quæ distinctio approbatur l.si quid.45. §.fin. ff.de legatis 3.his uerbis:* Quæ posterioris uxoris causa parata sunt, etsi ei adsignata non sint, legato cedunt: at quæ prioris uxoris causa parata sunt, ita posteriori debentur, si ei adsignata sint: quia non est ita de posteriore uxore cogitatum, cum pararentur. *Decimaquarta exceptio est: Nisi id quod uxori destinatum est, postea rursus sit ademptum. Hæc exceptio approbatur l.nam ne.46. ff. de legatis 3.his uerbis:* Nam ne id quidem quod traditum est, si postea ademptum sit, legato cedet. *Decimaquinta exceptio est: Nisi aurũ uxori destinatum constatum sit. Hæc exceptio reprobatur l. item legato.47.§.si uxori.ff.de legat.3. cuius uerba uide ȝ. except. prox. Decimasexta exceptio est: Nisi mortis tempore uxor testatoris non sit. Hæc exceptio approbatur d.§.si uxori, his uerbis:* Si uxori aurũ, quod eius causa paratum est, legatum sit, & postea sit cõflatum, materia tamen maneat, ea ei debetur: sed ut legatum ualeat, mortis tempore uxorem esse debere, scripsit Proculus: & uerum est. separatio enim dissoluit legatum. *Concordat l.uxori.3.ff.de auro legato, his uerbis:* Vxori legauit quæ eius causa parata sunt, & ante mortem diuertit. non deberi, quia adempta uideantur, Proculus ait. nimirum facti quæstio est: nam potest nec repudiante adimere uoluisse. *Decimaseptima exceptio est: Nisi usibus uxoris destinata nõ sint. Hæc exceptio constat ex ijs quæ dicta sunt §.ead.reg.except.3. distim.3. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi usibus seruorum uel ancillarum uxoris sint destinata: tunc enim, quamuis non ipsi uxori sint destinata, tamen nihilominus debẽtur. Quæ replicatio approbatur l.uxori.14. in fine. ff.de auro legato. cuius legis uerba hæc sunt:* Vxori quis legauit his uerbis, Mundum muliebrẽ omnem, ornamẽta, & quidquid uiuus dedi, donaui, eius causa comparaui, confeci, id omne dari uolo. quæsitum est, an carrucha dormitoria cum mulis, cum semper uxor usa sit, ei debeatur? Scæuola respondit, si eius usus causa habita esset, deberi. Idem quæsijt, an ex eadẽ clausula uestis, quam

quam ancillis uel lecticarijs eiusdem uxoris suæ comparauerat uel fecerat, præstanda esset? respondit, præstandam. *Secunda replicatio est: Nisi certa species ita sit legata, Quæ uxoris causa sit comparata. hoc enim casu, quamuis uxoris causa parata non sit, tamen debetur. Quæ replicatio approbatur l.Quintus.11.§.multum enim interest. ff.de auro leg.cuius uerba uide §.ead.reg.except.4. Tertia replicatio est: Nisi cum generaliter quibusdam legatis adiectum sit, Quæ uxoris causa parata sunt: nihil ex ijs uxoris causa sit paratum. Quæ replicatio approbatur simul & declaratur l.cum quæreretur.58.§.lana.ff. de leg.3.his uerbis:* Lana, lino, purpura uxori legatis, quę eius causa parata essent: cum multam lanã & omnis generis reliquisset, quærebatur, an omnis deberetur? Africanus respondit, si nihil ex ea destinasset ad usum uxoris, sed omnis commista esset, non dissimilem esse deliberationem, atque cum penus legata esset, & multas res quæ penus esse sent, reliquisset, ex quib. paterfamiliàs uendere solitus esset. nam etsi uina diffudisset, habiturus usui ipse & hæres eius, tamen in penum omne existimari. sed cum probaretur, eum qui testamentum fecisset, partem penus uendere solitum esse: constitutum esse, ut ex eo quod ad usum annuum opus esset, hæredes legatario darent. sic mihi placere & in lana fieri, ut ex ea, quantum ad usum annuum mulieris satis esset, sumeretur. nõ enim deducto eo quod ad uiri usum opus esset, reliquum uideri uxori legatum esse, sed quod uxoris causa paratum esset. *Hactenus Africanus. quod autem de penu legata inferitur, de eo dictum est §.eod.cap.de penu legata, reg.1. except.2.replicat.unica. Hæc de secunda regula eiusq̃ exceptionibus sint dicta.*

III. *Regula: Si pluribus rebus enumeratis & legatis, adiecta sint hæc uerba, Quæ uxoris causa paratæ sunt: uel, Quæq̃ paratæ sunt: quid ueniat, definitur l.ed tamen.44.ff.de leg.3.his uerbis:* Ea adiectio legatum aliàs plenius efficit, aliàs exiguius: augetur, cum sic scriptũ est, Quæq̃; eius causa parata sunt: id enim significat, & si quid præter ea quæ dicta sunt, eius causa paratũ est. minuitur detracta coniunctione Que: quia ex omnibus suprà comprehensis ea sola definiuntur, quæ eius causa parata sunt. *Concordat l.Quintus.11.§.sed quod Quintus.ff.de auro legato. cuius uerba uide §.reg.prox.except.4.repl.1.*

III. *Regula: Si pluribus rebus legatis, adiecta sint hæc uerba, Seu quæ eius causa parata sunt: quid debeatur, definit l.si quis.31.ff.de auro legato, his uerbis:* Si quis ita legauerit, Vxori meæ mundum, ornamenta, seu quæ eius causa parauit, do lego: placet omnia deberi, sicuti cum ita legatur: Titio uina quæ in urbe habeo, seu in portu, do lego. hoc enim uerbum, scilicet SEV, ampliandi legati gratia positum est.

V. *Regula: Pluribus rebus legatis, demũq; auro & argento, adiectis hisce uerbis, Quod eius causa paratum est: quid debeatur, definitur l.hæres.98.§.uxori. ff.de leg.3.his uerbis:* Vxori meæ uestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum, argẽtum, quod eius causa factum paratumq̃; est, omne do lego. Trebatius hæc uerba, Quod eius causa factum paratumq̃; est: ad aurum & argentum duntaxat referri putat: Proculus ad omnia. quod & uerum est.

VI. *Regula: Argento, quod usus sui causa paratum est, legato, uel uestę aut supellectile, quid ueniat, definitur l.cum in test.29.ff.de auro leg.his uerbis:* Cum in testamento alicui argentum, quod usus sui causa paratum esset, legaretur, itemq̃; uestis aut supellex: quæsitum est, quid cuiusque usus causa uideretur esse paratum, utrúmne id argẽtum, quod uictus sui causa paratum paterfamiliàs ad quotidianum usum parasset: an & si quas mensas argenteas, & eius generis argentum haberet, quo ipse non temerè uteretur, sed commodare ad ludos & ad cæteras apparationes soleret? & magis placet, quod uictus sui causa comparatum esset, tantùm contineri.

VII. *Regula: Iis quæ tabernarum exercendarum, instruendarum pistrini, cauponiæ causa facta paratáq; sunt, legatis, quid ueniat, definitur l.si ita.15.in prin. ff. de instructo legato. cuius uerba uide §. eod.cap. de instrum.legato, reg.12.*

VIII. *Regula: Prædijs & ijs quæ eorũ prædiorum colendorum causa empta paratáq; sunt, legatis, quid ueniat, definitur l.cum quæreretur.58.§.fin.ff.de leg.3. cuius uerba uide §.eod.cap.de fundo legato, reg.11.*

DE IIS QVAE VIVVS DEdit uel donauit legatis.

I. *Regula: Quæ post testamentum factum donauerit, non ueniunt in hoc legatum. Quæ regula approbatur l.uxori.32.§.uxori.ff.de leg.3. bis uerbis:* Vxori suæ inter cætera ita legauit, Vxori meæ quidquid uiuus dedi, donaui, usibusq̃; eius comparaui, concedi uolo. quæro, an quod post testamentũ factum ei donatum est, id quoque concessum uideatur? Scæuola respondit, uerba quæ proponerentur, nihil pro futuro tempore significare.

II. *Regula: Quæ non sunt annua donata, non debentur. Quæ regula approbatur l.Scio.10.§.medico.ff.de annuis leg. bisce uerbis:* Medico Sempronio quę uiua præstabam, dari uolo. ea uidentur relicta, quæ certam formam erogationis annuę, non incertam liberalitatis uoluntatem habuerunt.

III. *Regula: Si alimentis quæ uiuus præstiterit relictis, uariè alimenta præstitit, alio anno plus, alio minus, mortis tempus est spectandum. quæ regula proponitur l.Mela.14.§.sed si alimenta. ff.de alimen.legatis, bisce uerbis:* Si alimenta, quæ uiuus præstabat, reliquerit; ea demum præstabuntur, quæ

quæ mortis tempore præstare solitus erat: quare etsi fortè uariè præstiterit, eius tamen temporis præstatio spectabitur, quod proximum eius morti fuit. Quid ergo, si cum testaretur, minus præstabat, plus mortis tempore: uel contrà? ad hoc erit dicendum, eam præstationem sequendam, quæ nouissima fuit.

IIII. *Regula, De ijs quæ testator suæ utilitatis causa dedit, proponitur l. Seio. 10. §. fin. ff. de annuis leg. hisce uerbis*: Libertis dari uolo, quæ uiua præstabã. & habitatio præstabitur: sumptus autem iumentorũ non debebũtur, quos actori domina præstare solita fuit utilitatis suæ causa. Ideo nec sumptum medicamẽtorum medicus libertus rectè peret, quẽ ut patronam eiusq; familiam curaret, acceptabat.

V. *Regula, De habitatione, proponitur l. Sẽpronio. 35. in prin. ff. de usufr. leg. his uerbis*: Sempronio ea quæ uiuus præstabã, dari uolo. is etiam habitabat in testatoris domo, quæ uni ex hæredibus prælegata erat. quæsitum est, an habitatio quoq; debeatur? Scæuola respõdit, nihil proponi, cur non debeatur. *Concordat d. l. 23. §. 1. his uerbis*: Ex his uerbis testamenti, Libertis meis, quibus nominatim nihil reliqui, quæ uiuus præstabam, dari uolo: quęsitum est, an libertis, qui cum patrono suo in diem mortis habitabant, etiam habitatio relicta uideatur? Respondit Scęuola, uideri. *Concordat item l. Seio. 10. §. fin. ff. de annuis legatis. cuius uerba uide ẽ. reg. proxima.*

VI. *Regula: Si, cum ita legatum esset, Auri pondo tria quæ uiuus præstabam: ex alia quædam præstiterit, ea quoq; debentur. quæ regula approbatur l. Titia. 19. §. fin. ff. de annuis leg. hisce uerbis*: Lucio Titio auri pondo tria, quæ uiua præstabam. quæro, cum testatrix quadraginta Titio, quoad uiueret, et salarij nomine certam summam, & amplius festorum dierum nomine certum pondus argenti, aut pro eo precium præstiterit, an eadem ex causa legati uel fideicommissi ab hæredibus eius Titio præstari debeant? Scæuola respondit, nihil proponi, cur præstanda non sint.

VII. *Regula proponitur l. à filio. 15. §. testator. ff. de alim. leg. his uerbis*: Testator concubinæ mancipia rustica numero octo legauit, & his cibaria præstari iussit, in hæc uerba: Eisq; mãcipijs, quæ suprà legaui, cibarij nomine ab hæredibus meis præstari uolo, quæ me uiuo accipiebant. quæsitum est, cùm uiuo testatore semper mancipia rustica tempore messium & arearũ delegata fuerint, & eo tẽpore cibaria ex ratione domini sui nunquam acceperint, excepto custode prædij: an hæres quoq; eius temporis, id est, messis & arearum, cibaria concubinæ pro mancipijs rusticis præstare debeat? Scæuola respondit, eum cuius notio est æstimaturum. Claudius: Meritò. nam si eodẽ modo, quo apud testatorem fuerunt, & apud concubinam futura legauit, non debebuntur eius temporis, de quo quæsitum est, cibaria: uerùm si uelut in ministerium urbanũ ab his transferentur, debebuntur.

VIII. *Regula proponitur l. alimenta. 16. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Qui societatem omnium bonorum suorũ cum uxore sua per annos amplius quadraginta habuit, testamento eandem uxorem & nepotẽ ex filio æquis partibus hæredes reliquit, & ita cauit: Item libertis meis, quos uiuus manumisi, ea quæ præstabã, dari uolo. quæsitum est, an & quo eo tempore, quo societas inter eos permansit, manumissi ab utrisque, & communes liberti facti sunt, ea quæ à uiuente percipiebant, solida ex fideicommisso petere possint? Scæuola respõdit, non amplius quàm quod uir pro sua parte præstabat, deberi.

RELIQVAE REGVLAE QVAEstionis huius, quid ueniat in actione legatorum, iuxta ordinem alphabeti digestæ. Cap. V.

PRima regula: *Aceto legato, quid ueniat, definitur l. si quis. 9. §. si acetum. ff. de tritico legato, his uerbis*: Si acetum quis legauerit, non continebitur legato acetum, quod uini numero testator habuit: embamma autem continebitur, quia aceti numero fuit.

II. *Regula: Aliena re legata, uel alij obligata, quid ueniat, uide ẽ. cap. 3. reg. 2 & 3.*

III. *Regula: Alimentis legatis, quid debeatur, infrà peculiari capite tractabitur.*

IIII. *Regula: Annulis legatis, quid ueniat, definitur l. argento. 51. in fin. ff. de leg. 3. his uerbis*: Annulis legatis, dactyliothecæ non cedunt.

V. *Regula: Armarijs legatis, quid ueniat, definitur l. librorum. 50. §. fin. ff. de leg. 3. his uerbis*: Armarijs ac loculis legatis, claustra & claues cedunt.

VI. *Regula: Artificium ut doceat fideicõmisso, quid ueniat, definitur l. Stichus. 12. ff. de leg. 3. his uerbis*: Stichus liber esto, & ut eum hæres artificium doceat, unde se tueri possit, peto. Pegasus inutile fideicommissum esse ait: quia genus artificij adiectum non esset. sed prætor aut arbiter ex uoluntate defuncti, & ætate & conditione & natura ingenioq; eius cui relictum erit, statuet, quod potissimùm artificium hæres docere eum sumptibus suis debeat.

VII. *Regula: Bibliotheca legata, quid debeatur, definitur d. l. 50. §. sed si bibliothecam. ff. de legat. 3. his uerbis*: Si bibliothecam legauerit, utrum armarium solum uel armaria, an uerò libri quoque contineantur, quæritur? & eleganter Nerua ait, interesse quid testator senserit. nam

nam & locum significare bibliothecam, & aliàs armarium, aliàs libros. Quod igitur scribit Sabinus, libros bibliothecam non sequi, non per omnia uerum est. nam interdũ armaria quoque debentur, quæ pleriq; bibliothecas appellant. Planè si mihi proponas adhærentia esse membro domus armaria uel adfixa, sine dubio non debebuntur, cum ædificij portio sint.

VIII. *Regula: Balneo legato, quid debeatur, definitur l. patronus. 24. §. codicillis. ff. de legatis 3. his uerbis*: Codicillis confirmatis ita cauit, Tiburtibus municipibus meis amantissimis, quos scitis, balneum Iulianum iunctum domui meę, ita ut publicè sumptu hæredum meorum & diligentia decem mensibus totius anni præbeantur gratis. quæsitum est, an & sumptus refectionibus necessarios hęredes præstare debeant? Scæuola respondit, secũdum ea quæ proponerentur, uideri testatorem & super calefactionis & præbitionis onus, de his quoque sensisse, quæ ad quotidianam tutelam pertineant, quibus balneę instruantur, denique inter solitas cessationum uices parari purgariq;, ut habiles ad lauandum fiant, sint solitæ.

VIIII. *Regulæ: Bonis legatis, seu bonorum usufructu legato, quid debeatur, definit l. uxori. 37. ff. de usufructu legato, his uerbis*: Vxori meæ usumfructum lego bonorum meorum, usque dum filia mea annos impleat octodecim. quæsitum est, an prædiorum tam rusticorũ, quàm urbanorum, & mancipiorum, & supellectilis, itemq; calendarij ususfructus ad uxorẽ pertineat? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, omnia pertinere. *Alia huius loci regula habetur l. ult. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. 24. cap. 4. q. æst. 4. reg. 5.*

IX. *Regula: Chartis legatis, quid ueniat, definitur l. chartis. 74. ff. de legatis 3. his uerbis*: Chartis legatis, nemo dicet scripturas & libros iam factos legato cedere. Hoc idem & in tabulis est. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi aliud uoluntas defuncti, quæ certis coniecturis constat, uelit. Quæ exceptio approbatur l. librorum. 50. §. quod tamen. ff. eod. tt. his uerbis*: Nec chartis legatis libri debebuntur, nisi fortè & hic nos urserit uolũtas: utputa, si quis fortè sic reliquerit, Chartas meas uniuersas: qui nihil aliud quàm libros habebat, studiosus studioso. nemo enim dubitabit, libros deberi: nam & in usu pleriq; libros chartas appellant. *Alia huius loci regula proponitur d. l. 50. §. chartis, hisce uerbis*: Chartis legatis, neque papyrum ad chartas paratum, neque chartæ nondum perfectæ continebuntur. *Sed & alia huius generis regula proponitur d. l. 50. §. quid igitur, his uerbis*: Si quis chartas legauerit puras, mẽbranæ non continebuntur, neque cæterę ad scribendũ materiæ: sed nec libri cœpti scribi.

X. *Regula: Calendario legato, quid debeatur, definitur l. qui filium. 62. ff. de legatis 3. his uerbis*: Qui filium & nepotem hæredem instituerat, certa prædia, quæque in his mortis tempore sua essent, nepoti per fideicommissum dederat, excepto calendario. mortis tempore in ea arca, in qua instrumenta & cautiones debitorum erant, pecunia numerata inuenta est. plerisque uidebatur uix uerisimile esse, ut testator de pecunia numerata sensisset: ego autem illud dignum animaduersione existimabam, cum quis calẽdarium præstari alicui uoluit, utrúmne nomina duntaxat debitorum præstari uoluisse intelligendus sit, an uerò etiam pecuniam, si qua ab his exacta, eidem tamen calendario destinata fuerit? & magis puto, quemadmodum si exactæ pecuniæ, & rursus collatæ essent, permutatio nominũ non perimeret uel minueret fideicommissum: ita ipsas quoque pecunias, si adhuc calendario, id est, nominibus faciendis destinatæ essent, eidem fideicommisso cedere debere. Quin etiam illud quoq; defendi posse, ut non modò à debitoribus exactæ pecuniæ, sed quacunq; de causa redactæ, eidem tamen rationi destinatæ, fideicommisso cedant. *Concordat l. Lucius. 90. in princ. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 12. quæst. 1. except. 6. repl. 2. Alia huius generis regula habetur l. nomen. 33. §. filio. ff. de leg. 3. his uerbis*: Filio ex parte hærede scripto, præceptionem dedit inter cætera, his uerbis: Titio filio meo nomina ex calendario, quæ elegerit filius meus sibi, uiginti dare damnas sunto sine dolo malo. eidem filio uiuus omnium rerum suarum administrationem permisit, qui post testamentum factum ante mortem patris annis decem, quibus procurabat patri, contra ueterem consuetudinem patris, qua calendarium exercebatur, nouos debitores amplarum pecuniarum fecit: & in priores, quos pater exiguarum fortunarum habebat, maius creditum contulit ad hoc, ut uiginti nominibus propè omnis substantia calendarij esset. quæsitum est, an huic filio eorum nominum, quæ ipse fecisset, præceptio permittenda esset? Scæuola respondit, ex his electionem habere, quæ testamenti tempore testator in calendario habuisset.

XI. *Regula: Carbonibus legatis, quid ueniat, definitur l. ligni. 52. §. si lignum. ff. de leg. 3. his uerbis*: Si lignum paratum sit ad carbones coquendos atque conficiendos, ait Ofilius libro 5. Iuris partiti, carbonum appellatione huiusmodi materiam non contineri: sed an lignorum? & fortasis quis dicet, nec lignorum. non enim lignorum gratia hæc testa-

tor habuit. Sed & titiones & alia ligna cocta ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? & magis est, ut proprium genus habeatur. sulfurata quoque de ligno æquè eandem habebunt definitionem. ad faces quoque parata, non erunt lignorum appellatione comprehensa, nisi fuerit uoluntas. de pinu etiam integri strobyli ligni appellatione continebuntur.

XII. Regula: *Chirographo legato, ipsum debitum legatum intelligitur.* *Quæ regula approbatur l. seruum. 44. §. eum qui. ff. de legat. 1. his uerbis:* Eum qui chirographum legat, debitum legare, non solùm tabulas, argumento est uenditio. nam si chirographa ueneunt, nomen uenisse uidetur. *Concordat l. qui chirog. 57. ff. de leg. 3. his uerbis:* Qui chirographum legat, non tantùm de tabulis cogitat, sed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur. appellatione enim chirographi uti nos proipsis actionibus, palàm est: càm uenditis chirographis intelligamus nomen uenisse. *Concordat item l. si chirog. 3. in prin. ff. de liberat. leg. his uerbis:* Si chirographum quis decedens debitori suo dederit, exceptionem ei competere puto, quasi per fideicommissum huiusmodi datione ualitura. Iulianus etiam scribit, si quis decedens chirographum Seij Titio dederit, ut post mortem suam Seio det, aut si conualuisset, sibi redderet: deinde Titius defuncto donatore, Seio dederit, & hæres eius petat debitum: Seium doli exceptionem habere. *Item concordat l. mortis causa. 18. §. Titia. ff. de mortis causa donationib. cuius uerba uide ff. lib. 35. cap. 6. quæst. 5. reg. 3. Concordat item l. auunculo. 28. ff. eod. tt. cuius uerba uide ff. d. reg. 3. Concordat item l. huiusmodi. 81. §. si ita legatum. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si ita legatum cui esset, Si tabulas chirographi mei hæredi meo reddiderit, hæres meus ei decem dato: huiusmodi conditio hanc uim habet, si hæredem meum debito liberauerit. quare etsi tabulæ extabunt, non intelligetur conditioni satisfeciisse creditor, nisi acceptum hæredi fecerit: et si tabulæ in rerum natura non fuerint, existimabitur implesse conditionem, si hæredem liberauerit: nec ad rem pertinebit, iam tũc, cum testamentum fiebat, tabulæ interciderint, an postea, uel mortuo testatore.

XIII. Regula: *Cibarijs relictis, quid ueniat, definitur l. diarijs. 21. ff. de alim. leg. his uerbis:* Diarijs uel cibarijs relictis, neq; habitationem, neq; uestiarium, neq; calcarium deberi, palàm est: quoniam de cibo tantùm testator sensit.

XIIII. Regula: *Communione bonorum legata, quid ueniat, definitur l. testamento. 91. §. Lucius. ff. de legat. 2. his uerbis:* Lucius Titius intestatò moriturus, cum haberet uxorem, & ex ea filiam emancipatam, codicillis hæc uerba inseruit. Pertinent hi codicilli ad uxorem & filiam. Primùm rogo, sic inter uos agatis, ut me uiuo egistis: itemque rogo, quidquid aut ego reliquero, aut uos ipsi habetis, commune uobis sit. filia intestati patris bonorum possessionem accepit. quæritur, an aliqua pars hæreditatis Lucij Titij ex causa fideicommissi à filia matri debeatur, & quota? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, dimidiam partem deberi, si modò uxor parata esset in commune bona sua conferre. *Concordat ijsdem uerbis l. Lucius. 78. in prin. ff. ad S. C. Trebell.*

XV. Regula: *Dactyliotheca legata, quid ueniat, definitur l. librorum. 50. §. quod in biblio. ff. de leg. 3. his uerbis:* Quod in bibliotheca tractauimus, idem Pompon. lib. 6. ex Sabino in dactyliotheca legata tractat: & ait, annulos quoque contineri, non solùm thecam, quæ annulorum causa parata sit. hoc autem ex eo coniectat, quòd ita proponitur quis legasse, Dactyliothecam meam, & si quos præterea annulos habeo. & ita Labeonem quoque existimasse ait. *Ait Iurisconsultus:* Quod in bibliotheca tractauimus. *De quo uide ẽ. cod. eap. reg. 7.*

XVI. Regula: *Diarijs legatis, quid ueniat, uide ẽ. eod. cap. reg. 13.*

XVII. Regula: *Gemmis legatis, quid ueniat, definitur l. cum aurum. 20. §. gemmæ autem, usque ad finem legis, cum l. sequente. ff. de auro legato, his uerbis:* Gemmæ sunt pellucidæ materiæ, quas (ut refert Sabinus) Seruius lapillis eo distinguebat, quòd gemmæ essent pellucidæ materiæ, uelut smaragdi, chrysolithi & amethysti: lapilli autem contrariæ superioribus naturæ, ut obsidiani, uerentani. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri, satis constituisse, ibidem Sabinus ait: quia concha apud rubrum mare & crescit & coalescit. murrhina autem uasa in gemmis non esse, Casius scribit. Auro legato, uasa aurea continentur, & gemmis gemmea. secundum hoc, siue gemmæ in aureis sint uasis, siue in argenteis, auro argentóue cedent: quoniam hoc spectamus, quæ res cuius rei ornandæ causa fuerit adhibita, non quæ sit preciosior. Si ut habiliter gemmæ geri possint, inclusæ auro fuerint, tunc aurum gemmis cedere dicimus.

XVIII. Regula: *Hoc amplius legato, superiora etiam legata repetuntur. quæ regula approbatur l. si tibi. 52. ff. de legat. 3. his uerbis:* Si tibi purè legauero, deinde postea scripsero ita, Hoc amplius, si nauis ex Asia uenerit, hæres meus ei fundum dato: uerius est, eo uerbo Hoc amplius superiora repeti: sicut dicimus, Lucius Titius plebi quina dedit, hoc amplius Seius. huiusmodi enim ratione quina Seium quoque dedisse intelligimus. &, Titius accepit quinque, Seius hoc amplius fundum: Seium quoque quinque accepisse intelligimus. *Concordat l. Seio. 10. §. uxori. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Vxori præter id quod à Mœuio annui nomine accipiebat, aureos centum dari uolo: annuum uidetur, & semel cẽtum aureos reliquisse. *Concordat item l. qui ita. 3. ff. de dote relegata, his uerbis:* Qui ita legat uxori suæ, Titiæ amplius quàm dotem, aureos tot hæres meus dare damnas esto: manifestum est, dotem quoque relegasse. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi liberatione debiti legata, postea ita legatum sit: Hoc amplius, usuram pecuniæ, quã mihi debet, donec uiuet, remitti uolo. hoc enim casu legatum prius datum, minutum uidetur. quæ exceptio approbatur l. Aurelius. 28. §. testamento. ff. de liberat. legata, his uerbis:* Testamento ita scripserat, Titio adfini meo, quidquid mihi ex quacunque causa debet, ei remitti uolo, eoque amplius decem do. Codicillis ita scripsit: Titio hoc amplius adfini & debitori meo usuras pecuniæ, quam mihi debet, ab hærede meo, donec aduiuet, exigi ueto. quòd si exigere ultra uoluntatem meam putauerit, eius fortis usuras eidem Titio ab hæredibus meis, donec uiuet, præstari uolo. quæsitum est, cum augendi potius quàm minuendi testator uoluntatem habuerit, an hæredes ex causa fideicommissi Titio teneantur, ut eum omni debito liberent? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, uideri minutum legatum, quod primò dederat. *Secunda exceptio hæc est: Nisi cum alteri cuidam quid legatum esset, postea Titio hoc amplius decem sint legata. hoc enim casu Titio non nisi decem debentur, nec illud quoque quod alteri est legatum. quæ exceptio approbatur l. si seruus. 105. §. si ita scriptum. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ẽ. libro prox. cap. 8. causa 3. exceptione 10. Huic quodammodò contradicit l. si sic. 13. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si sic locutus erit testator, Hæres meus illi fundum dato, Seio hoc amplius decem: non erit dubitandum, quin Seius & fundi partem, & decem ex testamento percipere debeat.

XIX. Regula: *Imagine legata, quid ueniat, definitur l. si imag. 13. ff. de auro legato, his uerbis:* Si imaginem legatam hæres derasit, & tabulam soluit, potest dici actionem ex testamento durare: quia imaginis legatum, non tabulæ fuit. *Sed de hoc uide ẽ. lib. prox. cap. 12. causa 58. excepta. 4.*

XX. Regula: *Instrumentis prædiorum legatis, an ipsa prædia legata censeantur, definitur l. his uerbis. 100. §. item quæsijt. ff. de leg. 3. ubi cùm proposita essent ea quæ habentur ẽ. cap. prox. de ijs quæ ibi sunt legatis, reg. 2. subijciuntur hæc uerba:* Idem quæsijt, an cũ emptiones prædiorum in ijsdem lateralibus condiderit, prædia quoque legato cedant? Scæuola respondit, non quidem manifestè apparere quid de prędijs sensisset: uerùm si ea mente emptiones ibi haberet, ut his legatariæ datis, proprietas prædiorum præstaretur, posse defendi prædia quoque deberi. *Pertinent hæc ad ea quæ habentur ẽ. cap. prox. de ijs quæ ibi sunt legatis, reg. 1. excepta. 10. Planè instrumentis emptionum donatis uel legatis, ipsæ res emptæ donatæ uel legatæ uidentur. Quod approbatur l. 1. C. de donationibus. cuius uerba uide ff. lib. 35. cap. 2. excepta. 33. repl. 6.*

XXI. Regula: *Italicis rebus legatis, quid debeatur, definitur l. ex facto. 35. ff. de hæred. instit. hisce uerbis:* Ex facto proponebatur, quendam duos hæredes scripsisse, unum rerum prouincialiũ, Italicarum rerum alterum: & cum merces in Italiam deuehere soleret, & pecuniã demisisset in prouinciam ad merces comparãdas, eæque comparatæ essent, uel uiuo eo, uel post mortem, nondum tamẽ in Italiam deuectæ: quærebatur, merces utrum ad eum pertinerent, qui rerum Italicarum hæres scriptus erat, an uerò ad eum qui prouinciarium? Rerum Italicarum uel prouincialium significatione quæ res accipiendæ sint, uidẽdum est: & facit quidem totum uoluntas defuncti. nam quid senserit, spectandum est. Veruntamen hoc intelligendum erit, rerum Italicarum significatione eas contineri, quas perpetuò quis ibi habuit, aut ita dispoſuit, ut perpetuò haberet: cæteroquin si in tempore aliquid transtulit in alium locum, non ut ibi haberet, sed ut denuò ad priſtinum locum reuocaret: neque augebit quò transtulit, neque minuet unde transtulit. utputa de Italico patrimonio quosdam seruos miserat in prouinciam (fortè Galliam) ad exigendum debitum, uel ad merces comparandas, reuersuros si comparassent: dubium non est, quin debeat dici, ad Italicum patrimonium eos pertinere debere. Et est apud Mutium relatum, cum fundus erat legatus, uel cum instrumento, uel cum his quæ ibi sunt. agasonem enim missum in uillam à patre familiâs, nõ pertinere ad fundi legatum, ait: quia non idcirco illò erat missus, ut ibi esset. Proinde si seruus missus fuerit in uillam, interim illic futurus (quia dominum offenderat) quasi ad tempus relegatus: responsum est, eum ad uillæ legatum non pertinere. quare ne serui quidem, qui operari in agro consueuerunt, qui in alios agros reuerterentur, quasi ab alio commodati, in ea sunt conditione, ut ad legatum pertineant: quia non ita in agro fuerant, ut ei agro uiderentur destinati. Quæres in proposito quoque suggerit, ut Italicarum rerum esse credantur eæ res, quas in

Italia esse testator uoluit. Proinde etsi pecuniam miserit in prouinciam ad merces comparandas, & necdum comparatæ sint: dico pecuniam, quæ idcirco missa est, ut pro ea merces in Italiam adueherentur, Italico patrimonio adiungendam. Nam etsi dedisset in prouincia de pecunija, quas in Italia exercebat, ituras & redituras: dicendum est, hanc quoque Italici patrimonij rationem esse. Igitur effici dixi, ut merces quoque istæ, quæ comparatæ sunt, ut Romam ueherentur, siue profectæ sint eo uiuo, siue nondum, & siue scit, siue ignorauit, ad eum hæredem pertineant, cui Italicæ res sint adscriptæ. *Hactenus definitio rerum Italicarum: quæ autem inseruntur de fundo, cum his quæ ibi sunt legato, de ijs dictum est §. cap. prox. de ijs quæ ibi sunt leg. reg. 1. except. 2.*

XXII. *Regula: Lana legata, quid debeatur, definitur l. si cui. 68. ff. de leg. 3. his uerbis*: Si cui lana legetur, id legatum uidetur, quod tinctum non est: siue autem facta sit, siue infecta, lanæ appellatione continetur. Quæsitum est, utrum lanæ appellatione ea sola contineatur, quæ neta non est, an & ea quæ neta est: utputa stamen & subtegmen? & Sabinus etiam netam contineri putat, cuius sententia utimur. Lanæ appellationem eatenus extendi placet, quatenus ad telam peruenit. Et sciendum est, succidam quoque contineri, & lotam, si modò tincta non sit. Lanæ appellatione tormentum non continebitur: sed nec ea lana, ex qua quis quasi uestimẽtum fecerit ualetudinis, uel deliciarum gratia, continebitur: ne ea quidem, quæ fomentationis gratia parata sunt, uel medicinæ, lanarum appellatione continentur. sed etiam pelles lanatæ continentur: nam & has lanæ cedere, manifestum est. Lana legata etiam leporinam lanam, & anserinam, & caprinam credo contineri, & de ligno quam Græci ὑρύφυλλον appellant (id est, ligneam lanam.) Linum autem lana legata utiqùe non continebitur. De uersicoloribus uidendum est: & constat apud ueteres lanæ appellatione uersicoloria non contineri. *Ait iurisconsultus*: Id legatum uidetur, quod tinctum non est. *Ergo tinctum lanæ appellatione non continetur. Cui concordat d. l. 68. §. linum, in fine. cuius uerba uide §. de lino legato, eodem cap. Contradicit l. pediculis. 33. §. Labeo. ff. de auro legat. his uerbis*: Labeo testamento suo Neratiæ uxori suæ nominatim legauit uestem, mundum muliebrem omnem, ornamentáque muliebria omnia, lanam, linum, purpuram, uersicoloria facta infectaque omnia, &c. sed non mutauit substantiam rerum non necessaria uerborum multiplicatio: quamuis Labeo testamento lanam, ac deinde uersicoloria scripsit, quasi desierit lana tincta lana esse: detractoque uerbo Versicoloria, nihilominus etiam uersicoloria debebuntur, si non appareat aliam defuncti uoluntatem fuisse. *Alia huius loci regula proponitur l. lana. 86. in prin. ff. de legat. 3. his uerbis*: Lana legata, uestem quæ ex ea facta sit, deberi non placet.

XXIII. *Regula: Lecto legato, quid ueniat, definitur l. librorum. 50. §. fin. ff. de leg. 3. his uerbis*: Sunt quædam, quę omnino legatum sequuntur: ut legatum lectum continet & fulcra. *De hac re uide §. cap. 3. reg. 9.*

XXIIII. *Regula: Libris legatis, quid ueniat, definitur d. l. 50. in princ. his uerbis*: Librorum appellatione continentur omnia uolumina, siue in charta, siue in membrana sint, siue in quauis alia materia: sed etsi in philyra aut tilia (ut nonnulli conficiunt) aut in alio corio, idem erit dicendum. quòd si in codicibus sint membraneis, uel chartaceis, uel etiam eboreis, uel alterius materiæ, uel in cæratis codicillis: an debeantur, uideamus? & Caius Cassius scribit, deberi & membranas libris legatis. consequenter igitur cætera quoque debebuntur, si non aduersetur uoluntas testatoris. *Alia huius loci regula proponitur d. l. 50. §. libris, his uerbis*: Libris legatis, bibliothecas non contineri, Sabinus scripsit. Idem & Cassius: ait enim, membranas quæ scriptæ sunt, contineri legatis libris: deinde adiecit, neque scrinia, neque armaria, neque cætera in quibus libri conduntur, deberi. *Tertia huius loci regula, de membranis puris, habetur d. l. 50. §. quod tamen, his uerbis*: Quod Cassius scripsit de membranis non puris, uerum est: nam nec chartæ puræ libris legatis, nec chartis legatis libri debebuntur: nisi fortè & hic nos urserit uoluntas. *Quarta regula, de libris non perscriptis, nec perfectis, habetur d. l. 50. §. unde non malè, his uerbis*: Non malè quæritur, si libri legati sint, an non contineantur necdum perscripti? & non puto contineri, non magis quàm uestis appellatione nondum detextam. sed perscripti libri nondum malleati uel ornati continebuntur, proinde & nondum conglutinati uel emendati continebuntur: sed & membranæ nondum consutæ continebuntur. *Quinta regula, de centum libris legatis, habetur d. l. 50. §. 1. his uerbis*: Si cui centum libri sint legati, centum uolumina ei dabimus, non centum quæ quis ingenio suo metitus est, quo magis ad libri scripturam sufficerent: utputa, cum haberet Homerum totum in uno uolumine, non quadragintaocto libros computamus, sed uniuersum Homeri uolumen pro libro accipiendum est.

XXV. *Regula: Lino legato, quid debeatur, definitur l. si cui. 68. §. linum. ff. de leg. 3. his uerbis*: Lino legato, tam factum, quàm infectum continetur, quodq; netum, quodque in tela est, quod nondum est detextum. Ergo aliud in lino, quàm in lana est: & quidem, etsi tinctũ linum sit, credo lino continebitur.

XXVI. *Regula: Ligni legatis, quid debeatur, definitur l. ligni. 53. cum lege sequente. ff. de leg. 3. his uerbis*: Ligni appellatio nomen generale est: sed sic seperatur, ut sit aliud materia, aliud lignum. Materia est, quæ ad ædificandum fulciendúmue necessaria est: lignum, quidquid comburendi causa paratum est. sed utrum ita demum, si concisum sit, an etsi non sit? & Quintus Mutius libro secundo refert, si cui ligna legata essent, quæ in fundo erant, arbores quidem materiæ causa succisas non deberi: nec adiecit, si comburendi gratia succisæ essent, ad eum pertinere: sed sic intelligi, consequens est. Ofilius quoque libro quinto Iuris partiti ita scripsit: Cui ligna legata sunt, ad eum ligna pertinere, quæ alio nomine non appellantur: ueluti uirgæ, carbones, nuclei oliuarum, quibus ad nullam aliam rem, nisi ad comburẽdum possit uti: sed & balani, uel si qui alij nuclei. Idem libro secundo negat, arbores nondum concisas, nisi quæ minutatim conciduntur, uideri ei legatas, cui ligna legata sunt. Ego autem arbitror, hoc quoque ligni appellatione contineri, quod nondum minutatim sit concisum, si iam concidendo fuit destinatum. proinde si syluam huic rei habebat destinatam, sylua quidem non cedet: deiectæ autem arbores lignorum appellatione continebuntur, nisi aliud testator sensit. Lignis autem legatis, quod comburendi causa paratum est continetur, siue ad balnei calefactionem, siue diætarum hypocaustarum, siue ad calcem, siue ad aliam rem coquendam solebat uti. Ofilius libro quinto Iuris partiti scripsit, nec sarmenta ligni appellatione contineri: sed si uoluntas non refragatur, etiam uirgulæ, & cremia, & sarmenta, & superamenta, materiarum & uitium stirpes atque radices continebuntur. Lignorum appellatione in quibusdam regionibus (ut in Ægypto, ubi arundine pro ligno utuntur, & arundines & papyrum comburitur) & herbulæ quædam, uel spinæ, uel uepres continebuntur: quid mirum, cum Græci & ea ξύλα, & naues ξυλαγὰς (id est, uectrices lignorum) appellant, quæ hæc ἀπὸ τῶν ἑλῶν (id est, à paludibus) deducant. in quibusdam prouincijs & editu boum ad hanc rem utuntur. Si lignum paratum sit ad carbones coquendos atque conficiendos, ait Ofilius libro quinto Iuris partiti, carbonum appellatione huiusmodi materiam nõ contineri: sed an lignorum? & fortasis quis dicet nec lignorũ: non enim lignorum gratia hæc testator habuit. sed & titiones & aliæ ligna cocta, ne fumum faciãt, utrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? & magis est, ut proprium genus habeatur. sulfurata quoq; de ligno æquè eandem habebunt definitionem. ad faces quoq; parata non erunt lignorum appellatione comprehensa, nisi fuerit uolũtas. de pinu etiam integri strobyli ligni appellatione continebuntur. Pali & perticæ in numerum materiæ redigendi sunt, & ideo lignorum appellatione non continebuntur.

XXVII. *Regula: Libertate legata, non debetur peculium, quæ regula approbatur Inst. de legatis. §. peculium, his uerbis*: Peculium nisi legatum fuerit, manumisso non debetur: quamuis si uiuus manumiserit, sufficit si non adimatur: & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi libertas sub conditione dandi sit relicta. quæ exceptio proponitur l. deniq. 8. §. interdũ. ff. de peculio legato, his uerbis*: Interdum etsi nõ sit legatum peculium, sic uelut legatum accipitur, idque est in huiusmodi specie: Quidam seruo libertatem, si rationes reddidisset, dederat, et si hæredibus centum intulisset. Imperator igitur noster cum patre rescripsit, peculium quidem non nisi legatum deberi. Verùm (inquiunt) si conditionibus præscriptis paruit seruus, testatorem uoluisse eum retinere peculium interpretamur, uidelicet ex eo, quòd ex peculio eum iusserat centum inferre. *Concordat Inst. d. §. peculium, in fine, his uerbis*: Iidem rescripserũt, peculium uideri legatum, cùm rationibus redditis liber esse iussus est, & ex eo reliqua inferre. *Secunda exceptio est: Nisi simul etiam seruus à reddendis rationibus liber esse iussus sit. Hæc exceptio reprobatur l. dominus. 23. §. seruis. ff. de peculio legato, his uerbis*: Seruis libertates legataque dederat, & conditionem ita scripserat: ὅσοι παρέλιπον ἐλευθέρους, οὓς λέγατα αὐτοῖς, τούτους βούλομαι εἶναι αὐθεντάσους. id est: Quibuscunque libertatem reliqui & legata, hosce uolo excutiendis rationibus solutos esse. quæsitum est, an peculia quoque legata his uideãtur? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non uideri legata. Item quæsitum est, an ex ijsdem uerbis reliqua rationum quasi legata retinere possint, aut si res dominicas apud se habuerunt, aut si qui eorum coloni prædiorum fuerunt, pensiones? respondit, suprà responsum esse. *Concordat l. si seruus. 116. in fine. ff. de leg. 1. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 13. quæst. 4. reg. 8. Alia huius loci regula est, Quòd libertate seruo relicta, si rogatus in manumittendo eo moram faciat, omnia etiam ea quæ seruus post moram adquisiuit, restituere cogatur.*

quæ regula approbatur l.si quis.86.ff.de legatis 2.cuius uerba uide ꝛ.lib.prox.cap.3.except.25.tertia exceptione,repl.1.dupl.2.

XXVIII. *Regula: Marmore legato, rudis tantùm materia debetur. quæ regula approbatur l.quæsitum. 76. §.illud fortassis. ff.de leg.3. cuius uerba uide ꝛ. cap.prox.de auro legato, regula 1. Alia huius loci regula proponitur l. hæres. 98. §.duæ.ff.de legatis 3. his uerbis:* Duæ statuæ marmoreæ cuidam nominatim, item omne marmor erat legatum. nullam statuam marmoream præter duas, Cascellius putat deberi: Ofilius & Trebatius contrà. Labeo Cascellij sententiam probat, quod uerum puto: quia duas statuas legando potest uideri nō putasse in marmore, sed statuas legare.

XXIX. *Regula: Materia omni legata, quid ueniat, definitur l. Seruius. 55. ff. de legatis 3. his uerbis:* Seruius respondit, cui omnis materia legata sit, ei nec arcam, nec armarium legatum esse. *Concordat l.lana.86. ff.eodem tit. his uerbis:* Materia legata, nauis armariúmue ex ea factū non uindicentur.

XXX. *Regula: Massa legata, scyphi ex ea facti exigi possunt. Quæ regula approbatur l.lana.86. in fine. ff.de leg.3. cuius uerba uide ꝛ.lib.prox.cap.11.causa 51. except.7.in prin.*

XXXI. *Regula: Militia legata, quid ueniat, definitur l.his uerbis.100. §.fin. ff.de legatis 3.his uerbis:* Testator liberto militiam his uerbis legauit: Seio liberto meo militiam do lego, illam militiam, quam & testator habuit. quæsitum est, an omnia onera & introitus militiæ ab hærede sint danda? Respondit Scęuola, danda. *Concordat d.l.100. §.penultimo, cuius uerba uide ꝛ. libro prox.cap.11. causa 57. except.1. in prin. ibi: alumno præcepit.*

XXXII. *Regula: Minore uel maiore legato, quid ueniat, definitur l.qui lancem.32. ff.de auro legato, his uerbis:* Qui lancem maximam, minorem, minimam reliquebat, ita legauerat, Lancem minorem illi do lego. mediæ magnitudinis uideri legatam lancem respōsum est, si nō appareret, quam lancem ex his paterfamiliās demonstrare uoluisset.

XXXIII. *Regula: Nomine legato, id quod debetur, legatum intelligitur. quæ regula approbatur l.seruum.44. §.cum qui, in fine. ff.de legatis 1. his uerbis:* Si nomen legetur, benignè id quod debetur, accipiendum est, ut actiones aduersus debitorem cedantur. *Concordat l.qui chirographum.57. in fine.ff.de legatis 3.his uerbis:* Si nomen quis legauerit, id quod in actionibus est, legatum intelligitur.

XXXIIII. *Regula:* Nummis *legatis, quid debeatur, definitur l. si seruus. 50. §.fin. ff.de legatis 1. his uerbis:* Si numerus nummorum legatus sit, neque appareat quales sint legati, ante omnia ipsius patrisfamiliās consuetudo, de inde regionis, in qua uersatus est, exquirenda est: sed & mens patrisfamiliās, & legatarij dignitas, & charitas, & necessitudo: item earum, quæ præcedunt uel quæ sequuntur, summarum scripta sunt spectanda. *Huius regulæ exceptio sequitur ibidem l. 51. his uerbis:* Sed si certos numos, ueluti quos in arca habeo, aut certam lancem legauerit: non numerata pecunia, sed ipsa corpora numorum uel rei legatæ continentur: neque permutationem recipiunt, & exemplo cuiuslibet corporis æstimanda sunt. *Alia huius generis regula proponitur l.numis.73 ff.de legatis 3. his uerbis:* Numis indistinctè legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati uideantur, si neq; ex patrisfamiliās, neque ex regionis consuetudine, unde fuit, neq; ex contextu testamenti possit apparere. *Huius regulæ exceptio eadē est, quæ superioris.*

XXXV. *Regula: Parte bonorum legata, utrum rerum, an æstimationis pars debeatur, definitur l.non amplius.26.§.cum bonorum. ff.de legatis 1. cuius uerba uide ꝛ.cap.3.reg.15.except.2. Concordat l.generali 32. §.final.ff.de usufructu legato. cuius uerba uide suprà d. except.2. Alia huius loci regula proponitur l.potest.27. ff.de legatis 1.his uerbis:* Potest hæres uel paucioribus, uel in una re relictam partem legatario dare, in quam uel legatarius consenserit, uel iudex existimauerit: nec necesse habet legatarius in omnibus rebus uindicare portionem.

XXXVI. *Regula: Peculio legato, quid ueniat, infrà peculiari capite dicetur.*

XXXVII. *Regula: Prouincialibus rebus legatis, quid ueniat, uide ꝛ.reg.21.*

XXXVIII. *Regula: Purpura legata, quid ueniat, definitur l.si cui.68.§.fin. ff.de legatis 3. his uerbis:* Purpuræ appellatione omnis generis purpuram contineri puto, sed coccum non continebitur: bucinum & ianthinum continebitur. Purpuræ appellatione etiam subtegmen factum contineri, nemo dubitat. lana tingendæ purpuræ destinata non continebitur.

XXXIX. *Regula: Rationes reddere si seruus iussus sit, uel uetitus, quid ueniat, infrà dicetur.*

XL. *Regula: Reliquis legatis, quid ueniat, definitur l.prædijs. 89. in principio. ff.de legatis 3. his uerbis:* Prædijs per præceptionem filiæ datis, cum reliquis actorum & colonorum: ea reliqua uidentur legata, quæ de reditu prædiorum in eadem causa manserunt. alioquin pecuniam à colonis exactam, & in calendarium in eadem regione uersam, reliquis non contineri neque colonorum, neque actorum, facilè constat: tametsi nomina tim actores ad filiam pertinere uoluit. *Huius loci est l. Ofidius. 95. ff.eod. tit. cuius hæc sunt uerba:* Ofidius quidam, instituta filia Valeriana hærede,

rede, actori suo Antiocho data libertate, prędia certa, & peculium, & reliqua legauerat tam sua, quàm colonorum: legatarius proferebat manu patrisfamiliās reliquatum tam suo quàm colonorum nomine. iterum in eadem scriptura adiectum in hunc modum: Item quorum rationem reddere debeat, si quæ in condito habuerat paterfamiliās, frumenti, uini & cęterarum rerum. quę & ipsa libertus petebat, & ex reliquis esse dicebat, & apud Præsidem obtinuerat. ex diuerso cum diceretur, reliqua colonorum ab eo nō peti, nec propria, diuersam autem esse causam eorum quæ in condito essent: Imperator interrogauit partē legatarij quæ rendi causa: Pone (inquit) in condito centum aureorum esse, quæ in usum sumi solerent: diceres, totum quod esset relictum in arca, deberi? & placuit rectè appellasse. A parte legatarij suggestum est, quædam à colonis post mortem patrisfamiliās exacta. respondit, hoc quod post mortem exactum fuisset, reddendum esse legatario. *Alia huius loci regula habetur l.cum optio. 17. ff.de optione legata, his uerbis:* Cum optio duorum seruorum Titio data sit, reliqui Mæuio legati sint: cessante primo in electione, reliquorum appellatione omnes ad Mæuium pertinent. *Huius etiam loci est l. Seiæ.20. §.prædia. ff.de instructo legato. cuius uerba uide ꝛ.cap.prox.de fundo legato, reg. 5.except.8.*

XLI. *Regula: Repetitis legatis, libertas quoque repetita censetur. quæ regula approbatur l.cum in. 75. ff.de legatis 3. his uerbis:* Cum in substitutione legata repetuntur, libertates etiam continentur.

XLII. *Regula: Tabulis legatis, quid ueniat, definitur l.chartis.74. ff.de legatis 3. cuius uerba uide ꝛ.eodē cap.reg.9.*

XLIII. *Regula: Testudineis legatis, quid ueniat, definitur l.hæres.98.§.fin. ff.de leg.3. his uerbis:* Cui testudinea legata essent, ei lectos testudineos pedibus inargentatos deberi, Labeo & Trebatius responderunt. quod & uerum est.

XLIIII. *Regula,* De *uasis legatis. Cuius legati prima regula proponitur l. cum aurum. 20. §.sed si uasa.ff.de auro legato, his uerbis:* Si uasa sint legata, non solùm ea continentur, quæ aliquid in se recipiant edendi bibendique causa paratum, sed etiam quæ aliquid sustineant: & ideo scutellas uel promulsidaria contineri. Repositoria quoque continebuntur. nam uasorum appellatio generalis est: dicimus enim uasa & uinaria & naualia. *Secunda regula: Corinthijs uasis legatis, quid ueniat, definitur l.hæres.98.§.cui Corinthia. ff.de leg.3.his uerbis:* Cui Corinthia uasa legata essent, huic abaces quoque eorum uasorum collocando-rum causa paratas deberi, Trebatius respondit. Labeo autem id non probat, si eas abaces uasorum numero testator habuit. Proculus uerò rectè ait, si æneę quidem sint abaces, non autem Corinthiæ, non deberi. *Tertia regula: Electrinis uasis legatis, quid debeatur, definit l. pediculis. 33. §. Neratius. ff. de auro legato, his uerbis:* Neratius Proculum refert ita respondisse, Vasis electrinis legatis, nihil interesse, quantum ea uasa, de quibus quæritur, argenti aut electri habeant: sed utrum argēto electro, an electrum argento cedat, idque ex aspectu uasorum facilius intelligi posse: quod si in obscuro sit, inspiciendum esse, in utro numero ea uasa is qui testamentum fecit, habuerit.

XLV. *Regula: Versicoloribus legatis, quid ueniat, definitur l.si cui.68. §.de uersicoloribus. ff.de leg.3. his uerbis:* De uersicoloribus uidendum est: & constat apud ueteres lanæ appellatione uersicoloria non contineri: sed ijs omnia uideri legata, quæ tincta sunt & neta, quæ neque detexta, neque contexta sunt. proin de quæritur, an purpura appellatione uersicolorium contineatur? & ego arbitror (*Vlpianus inquit*) ea quæ tincta non sunt, uersicoloribus non adnumerari: & ideo nec album naturaliter, neque nigrum contineri, nec alterius coloris naturalis. Purpuram autem & coccum (quoniam nihil natiui coloris habent) contineri arbitror, nisi aliud sensit testator. *Huc etiam pertinet l.quæsitum.76. §.coccum. ff.de legatis 3.his uerbis:* Coccum quod proprio nomine appellatur, quin uersicoloribus cederet, nemo dubitauit: quin minus porrò crocinum, aut hysginum, aut melinū suo nomine, quàm coccum purpuráue designatur?

XLVI. *Regula: Vendere iusso hærede, quid ueniat, definitur l.si cui.49.§.fin.ff.de legat.1. his uerbis:* Meminisse oportet, eum qui damnatur fundum uendere, non gratis damnari hoc facere, sed solùm ut uendat uero precio. quod si certo precio sit damnatus facere, necesse habebit tanti uendere, quanti damnatus est. *Huius regulæ, quantum ad uerba postrema attinet, exceptio proponitur l. testamento. 91. §.qui indiuisam. ff.de legat. 2. his uerbis:* Qui indiuisam cum fratre suo rem habebat, filias suas hæredes instituit, & ita cauit: Propter res uniuersas, quæ mihi cum fratre meo patruo uestro communes sunt, quas æstimationis constiterit esse uniuersas duo milium aureorum, fidei uestræ committo, uti pro portione uestra mille aureos à Lucretio Pacato patruō uestro accipiatis. Huic testamento quinquennio superuixit, & abundè patrimonium reliquit. quæsitum est, an hæredes Lucretij Pacati secundum uerba su-

præscripta offerētes mille aureos, fideicommissum consequantur? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non facere uoluntatem, ut uniuersa datis mille aureis restituerentur: sed æstimationis, quæ mortis tempore in rebus fuerat, oblationē debere fieri. *Alia huius legati regula proponitur l. qui concubinam. 29. §. si fundum. ff. de legatis 3. cuius uerba uide §. cap. 3. reg. 11. except. 1. repl. 9.*

XLVII. Regula: *Vnguētis legatis, quid debeatur, definitur l. in argento. 22. §. unguentis. ff. de auro legato, his uerbis*: Vnguentis legatis, non tantùm ea legata uidentur, quibus ungimur uoluptatis causa, sed & ualetudinis: qualia sunt commagena, gleucina, crinina, rhodina, è myrrha quoq; tum nardinum purum. hoc quidem etiam, quo elegantiores sint & mūdiores, unguntur fœminæ.

XLVIII. *Regula*: *Vsufructu legato, quid ueniat, uide §. lib. 24.*

XLIX. *Regula: Si alicuius fidei commissum sit, ut aliquem ibi, ubi est, senescere patiatur, quid debeatur ex hoc fideicommisso, definitur l. Sempronio. 33. ff. de usufructu legato, his uerbis*: Codicillis ita scripsit, Nigidiū, Titium, Dionem, libertos meos senes & infirmos, peto in locis, in quibus nūc agunt, senescere patiamini. quæro, an ex hoc capite liberti suprascripti ex fideicommisso fructus locorum, in quibus morantur, recipere debeant, cùm alia quæ eis specialiter legata sunt, sine controuersia consecuti sunt? Scæuola respondit, uerbis quæ proponerentur, id petitum, ut ad eum modum paterentur hæredes ibi eos esse, ad quem modum ipsa patiebatur.

L. *Regula: Si ita sit legatum, Hæres meus penum dato: aut si non dederit, decem dato: utrum penus, an decem sint petenda, definitur l. si penum. 24. ff. quādo dies legator. cedat, his uerbis*: Si penum hæres dare damnatus sit, uel fundum, & si non dedisset, decem: ego accepi, & penum legatam, & trāslatam esse in decem, si noluerit penum hæres dare: & tunc pecuniam deberi, cum interpellatus fundum non dederit: et si interea decesserit legatarius, tunc hæredi eius non nisi fundum deberi. namque cum dictum est ita, Publius fundum dato: perfectū legatum est: & cum dicit, Si non dederit, centum dato: sub cōditione fundi legatum ademptum uideri, eo casu quo centum deberi cœperint: quorum quia conditio uiuo legatario non extiterit, fortè quia interpellatus hæres non sit, euenit ut ademptio nihil egerit, fundique legatum duraverit. Planè si sit sic legatum, Si penum non dederit, decem dato: dicimus non esse penum legatum. *Ex his uerbis patet, si fundus legatus sit, & si fundus datus non fuerit, decem: utrumq; peti posse, tam fundum quàm decē, sed alternatiuè, perinde ac si ita legatū esset, Fundum aut decem, utrum hæres uoluerit, Seio dato. quod regulæ loco notandum. Eius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi legatarius ante conditionem decem dandorum existentem decesserit: tunc enim, quia decem dandorum legatum in irritum recidit, ante conditionem eius existentem legatario mortuo, euenit ut solius fundi uel penoris legatum utile sit, & peti posit. Quæ exceptio constat ex supradictis uerbis hisce*: Quorum quia conditio uiuo legatario non extiterit, fortè quia interpellatus hæres non sit, euenit ut ademptio nihil egerit, fundique legatum duraverit. *Ait Iurisconsultus*: Fortè quia interpellatus hæres non sit. *Si enim hæres alegatario interpellatus sit de fundo dando, nec dederit, decem dandorum conditio existit. Si igitur legatarius, antequam de fundo dando hæredem interpellauit, decesit: ante conditionem decem dandorum existentem decessisse dicitur, nec legatum decem dandorum ad hæredem suum transmittit, secundum ea quæ dicta sunt suprà libro proxim. capite 9. causa 10. Aliud exemplum est: Si fundus sit legatus, & si fundus intra calendas datus non sit, decem: tunc enim, si ante calendas nondum dato fundo legatarius decesit, pendente conditione decesit. Secunda exceptio est: Nisi ita sit legatum, Si fundum non dederit, decem dato: ut non prius fundus sit legatus. hoc enim casu fundus peti non potest, sed sola decem sub conditione relicta. quæ exceptio constat ex uerbis suprà propositis hisce*: Planè si sic sit legatum, Si penum non dederit, decem dato: dicimus non esse penum legatum. *Propositæ regulæ eiúsque exceptionibus concordant leges sequentes: primùm l. cum sine. 29. in prin. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis*: Cum sine præfinitione temporis legatum ita datum fuerit, Vxori meæ penum hæres dato, et si non dederit, centum dato: unum legatū intelligitur, & statim peti potest: penoris autem causa eò tantùm pertinet, ut ante litem contestatam tradito peno hæres liberetur. Quòd si ita scriptum sit, Si penum intra calendas non dederit, centum dato: non efficitur ut duo sint legata, sed ut centum legata sub conditione uideantur. idcirco si uxor ante calendas decesserit, hæredi suo neque penum relinquet, quæ legata non est: neq; centum, quia dies legati non cesit. *Concordat item l. 1. §. item si ita. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Si ita legatum sit, Hæres meus Seio penum dato: si non dederit, decem dato: quidam putant, omnimodò in legato decem esse, penum autem mortis causa capi, nec in Falcidiam imputare id hæredem posse. Ego autem didici (*Paulus inquit*) si in continenti hæres penum soluerit, uideri hoc legatum esse, & in legem Falcidiam imputari posse: iam enim transfusum legatum esse, & decem deberi. Idemque erit, etiamsi ab initio ita legatum datum sit, Si penum non dederit, decem dato. quia hic penus non est

est legata: & penus si datur, mortis causa capitur, quia deficit legati conditio. *Sed & præter præditas duas propositæ regulæ exceptiones, tertias quoque talis est: Nisi lis de decem dandis cum hærede sit contestata, tunc enim fundus seu penum offerendo, hæres non liberatur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. 1. ff. de penu legata. cuius legis uerba hæc sunt*: Vxori suæ in annos singulos penoris aliquid hæres dare iussus est: si non dedisset, nummos dare damnatus est. quæritur, an penus legata peti posit, an uerò solummodò sit in præstatione: & si non præstetur, tunc quantitas petatur? Et si quidem semel penus sit legata, nō per singulos annos, certo iure utimur (ut & Marcellus libro XXXVIII. Digestorum apud Iulianum notat) in præstatione esse duntaxat penū, quantitatem uerò & peti posse. habebit igitur hæres oblationem tamdiu, quamdiu lis cum eo de pecunia contestetur: nisi fortè aliud tempus uel mente, uel uerbis testator præstituit. Quòd si in annos singulos penus legata sit, per singulos annos penus adhuc poterit præstari: sin minus, summæ per singulos annos petentur. Quid ergo, si una summa legata sit, & primo penus non sit præstita? utrum tota summa debeatur, quasi toto penoris legato transfuso: an uerò quantitas primi anni æstimationis sola sit translata, dubitari potest? Puto tamen, si uoluntatem testatoris sequēdam, ut tota summa illicò, postquam cessauerit hæres dare penum uxori, præstetur, hæredis in deuotione coercēda.

L I. *Regula: Si duæ res alternatiuè sint legatæ, uelut fundus aut centum: uel una res generaliter sit legata, ueluti homo, equus, &c. electio est penes legatarium: et quam ille elegerit, ea ei debebitur. de qua re §. in peculiari capite de Electione legata dicetur.*

L II. *Regula: Si cum sæpius legatum esset, testator semel tantum præstari uoluit, quid iuris, definitur l. si ita. 14. ff. de leg. 1. his uerbis*: Si ita sit adscriptum, Si cui bis legauero, semel ei hæres dato, uel semel debeatur: & eidem duas quantitates adscripserit, uel duos fundos: an utrunque debeatur? & Aristo ait, unum uideri legatū. nam quod ademptum est, nec datum uidetur, secundum Celsi & Marcelli sentētiam: quæ uera est. Sed Papinianus lib. 19. Quæstion. ait, Et si post legata sæpius adscripta idem hæc subijciat semel præstari uelle, & hoc ante impletum testamentum fecerit, ipso iure uideri cætera legata adempta. Sed quod magis erit ademptum? non enim apparet. & ait, posse dici, exiguius esse præstandum. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi testator specialiter adiecerit, prioris scripturæ se pœnituisse, & uel le utrumq; præstari. de qua re dictum §. lib. prox. cap. 6. except. 95. & dicetur etiam de proposita regula §. capite 7. quantum, regula 12.*

L III. Regula, *De uocabulo Seii, proponitur l. si quis. 31. ff. de auro legato. cuius uerba uide §. capite proxim. de ijs quæ alicuius causa parata sunt legatis, regula 4.*

L IIII. *Regula*: Pronomen Qui, quæ, quod, *legatis adiectum, ea minuit atque restringit. quæ regula approbatur l. ea tamen. 44. in fine. ff. de leg. 3. cuius uerba uide §. cap. proxim. de ijs quæ alicuius causa parata sunt legatis, reg. 3. Eius regulæ exceptio prima est: Nisi coniunctio copulatiua pronomini relatiuo sit adiecta. quæ exceptio approbatur d. l. 44. in prin. cuius etiam uerba uide §. d. reg. 3. Secundæ exceptionis loco notandum, quòd interdum tantùm proximum legatum minuat pronomen Qui, quæ, quod, non superiora. quæ exceptio approbatur exemplo l. si quis. 12. ff. de auro legato, his uerbis*: Si quis legauerit aurum, gemmas, margaritas, quæ in eo auro essent: etiam id aurum, cui neque gemmæ, neque margaritæ inessent, legasse uidetur. *Concordat l. Quintus. 9. ff. cod. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. de ueste leg. reg. 1. in fine.*

L V. *Regula, De particula Cum, proponitur l. cui nūm. 6. ff. de tritico leg. cuius uerba uide §. cap. prox. de uino legato, reg. 5. in fin. Concordat l. si cui. 52. in prin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide §. cap. prox. de seruis leg. reg. 16.*

L VI. *Regula proponitur l. libertis. 18. §. posthumis. ff. de aliment. leg. his uerbis*: Posthumis hæredibus institutis, & patre & matre: substitutione facta, actores manumisit, & peculia eis legauit, & annua, & certis libertis suis legata, & alijs exteris plura. deinde post testamentum factum nata filia, codicillis ita cauit: Si quid in testamento, quod ante hoctē pus feci, legaui, cui dare uolui, peto ab his, uti tertiam partem pecuniæ filiæ meæ reddant. secundis autem tabulis, facta pupillari substitutione, impuberibus libertis, quib. à parentibus libertates dedit, eo amplius alterum tantum, quantum singulis in numo, præter cibaria & uestiaria, dari uoluit. quæsitum est, cum superuixisset filia testamento aperto & codicillis, postea autem decessisset, & fideicommissum datum eidem de restituenda tertia parte ad hæredes suos transmisisset: an etiam cibariorum & uestiariorum tertię partes ei per fideicommissum datæ esse uideantur? Scæuola respondit, nō uideri. Idem quæsijt, an eorum quæ codicillis per fideicommissum relicta sunt, tertia pars ad filiam pertinere debeat? Respondit, non deberi. Idem quæsijt, an alterum tantū à substituto legatum, deducta tertia parte quantitatis legatorum testamēto datorum, computari debeat, ut duæ partes quantitatis debeat propter codicillos, quibus tertiā partem legatorum ad filiam suam pertinere uoluit? Respondi, integrum ex tabulis substitutionis deberi.

est: Nisi alterum pro altero sit legatum. quæ replicatio approbatur per ea quæ dicta sunt ff. lib. proxim. cap. 8. causa 4. in princ. Quarta exceptio est: *Nisi postea filio uel seruo eius cui antè legatum est, legauit. Hæc exceptio approbatur l. quid ergo. 51. §. 1. ff. de legatis 1. his uerbis:* Si mihi & filio uel seruo meo esset eodem testamento legatum, sine dubio ualeret legatum utriusque, ut & Marcellus apud Iulianum adijcit. *Reliqua huius loci uide ff. lib. prox. cap. 8. causa 4.*

XIII. *Regula: Si testator rem sibi cum alio communem legauit, non nisi pars, quam testator habuit, debetur. quæ regula approbatur l. serui. 5. §. fin. ff. de legat. 1. his uerbis:* Cum fundus communis legatus sit, non adiecta portione, sed Meum nominauerit: portionem deberi constat. *Concordat d. l. 5. §. Labeo. cuius uerba uide ff. cap. 4. de suis uebus legatis, reg. 1. except. 2. Concordat item l. qui concubinam. 29. §. qui fundum. ff. de legatis 3. his uerbis:* Qui fundum mandatu meo in societatem mihi & sibi emerat, deinde eum finibus diuiserat, & priusquam mihi traderet, ita eum tibi legauerat, Fundum meum illi do: negauit Labolenus amplius parte illi deberi: quia uerisimile non esset, ita testatum esse patremfamilias, ut mandati hæres eius damnaretur.

XIIII. *Regula: Si alicui sit legatum ita, ut si perdidisset, rursus ei sit legatum: quantum & quoties debeatur, definitur l. fideicommissa. 11. §. si quis alicui decem. ff. de legat. 3. de qua re uide ff. lib. prox. cap. 12. causa 58. except. 6.*

XV. *Regula: Si uni ex hæredibus sit legatum, deducta ea parte, pro qua hæres est, reliquum ei debetur. quæ regula approbatur l. planè. 34. §. si duobus. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si duobus sit legatum, quorum alter hæres institutus sit, à semetipso ei legatum inutiliter uidetur: ideoq; quod ei à se legatum est, ad collegatarium pertinebit. Inde dicitur, Si duo sint hæredes, unus ex uncia, alter ex undecim uncijs, & eis fundus legatus sit: unciarum hæredem undecim partes in fundo habiturum, cohæredem unciam. *Concordat l. ab omnibus. 101. §. si Titio. ff. eod. tt. his uerbis:* Si Titio ita legatum fuerit, Quisquis mihi hæres erit, damnas esto Titio hæredi meo decem dare: deducta sua parte, Titius decem petet. Denique constitit, cum ita legatum fuisset, Quisquis mihi hæres erit, damnas esto hæredi meo decem dare: exæquari omnium hæredum partes, eo quòd unusquisq; & sibi & cohæredi suo dare damnatus uideretur. *Concordat item l. legatum. 113. §. 1. ff. de leg. 1. his uerbis:* Hæredi à semetipso legatum dari non potest, à cohærede potest. Itaq; si fundus legatus sit ei qui ex parte dimidia hæres institutus est, & duobus extraneis: ad hæredem, cui legatus est, sexta pars fundi pertinet: quia à se uindicare non potest, à cohærede uerò semissario, duobus extraneis concurrentibus, non amplius tertia parte. extranei autem & ab ipso hærede, cui legatum est, semissem, & ab alio hærede trientem uindicabunt. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi hæres idemq; legatarius hæreditate se abstinuerit. tunc enim in solidum ei debetur legatum. Quæ exceptio approbatur l. qui filiabus. 17. §. fin. cum lege sequente. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ff. lib. prox. cap. 9. causa 35. in prin. Concordat l. quæsitum. 83. §. duobus. ff. de legat. 1. his uerbis:* Duobus hæredibus institutis, alteri Stichum legauerat, & eidem Sticho decē. cum Stichus uiuo testatore ad libertatem peruenerit, totum legatum ei debebitur. nam in solidum cōstitisse causam legati in eius persona, hoc quoque argumento est, quòd si hæres, cui legatus fuerat, hæreditatem non adijsset, solidum ab altero hærede consequi potuisset. *Secunda exceptio est: Nisi hæres rogatus sit, suam partem alteri restituere, retento horto uel fundo: hoc enim casu solidum hæredi debetur legatum. quæ exceptio approbatur l. post emancipationem. 38. §. Seiam. ff. de leg. 3. his uerbis:* Seiam ex dodrante, Mæuiam ex quadrāte instituit hæredes, fidei Seiæ commisit in hæc uerba: A te peto, tuæque fidei committo, ut quidquid ex hæreditate mea ad te peruenerit, restituas filio tuo, retentis tibi hortis meis. quæsitum est, cum generali capite fideicommississet, quisquis hæres erit de omnibus, ut præstaret quodcunque legasset: an cum dodrantem hæreditatis restitueret, hortos in assem uindicare Seia debeat? Scæuola respondit, etiam cohæredis fidei commissum uideri, ut quadrantem quem in his hortis haberet, Seiæ redderet. *Tertia exceptio est: Nisi hæredi à cohærede sit legatū. tunc enim solidum ei debetur. Quæ exceptio approbatur l. legatum. 113. §. 1. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ff. ead. reg. in prin.*

XVI. *Regula: Si cum uini amphorarum certus numerus ex fundo esset legatus, minus nascatur, quantum ueniat, definitur l. cum certus. 5. ff. de uino legato, his uerbis:* Cum certus numerus amphorarum uini legatus esset ex eo quod in fundo Semproniano natum esset, & minus natum esset: non amplius deberi placuit, & quasi taxationis uicem obtinere hæc uerba: Quod natum erit.

XVII. *Regula: Si hæreditas non sit soluendo, quantum cuiq; ex legatis detrahendum, uide ff. libro prox. cap. 12. causa 68. Item, si cum certus numerus pecuniæ uel alterius rei, quæ in arca uel alibi esset, relictus sit, minus ibi inueniatur: id quod inuenitur, tantum debetur. quæ regula approbatur l. si seruus. 105. §. qui quinque. ff. de leg. 2. cuius uerba cum legibus concordantib. uide ff. lib. prox. cap. 11. causa 51. except. 8.*

XVIII. *Regula: Si ultra dodrātem bonorum quis legauit, hæres ex singulis legatis potest deducere partem*

tem, ut quartam hæreditatis retineat. de qua re dicetur §. peculiari capite de lege Falcidia.

XIX. *Regula: Deminuto legato uel hæreditate, deminuitur etiam pro portione fideicommissum. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. pœnales. 32. §. si Titio. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Si Titio uiginti legatis, portio per legem Falcidiā detracta esset, cum ipse quoque quinque Seio rogatus esset restituere: Vindius noster tantum Seio pro portione ex quinq; detrahendum ait, quantum Titio ex uiginti detractum esset. quæ sententia & æquitatem & rationem magis habet: quia exemplo hæredis legatarius ad fideicommissa præstanda obligabitur: nec quia ex sua persona legatarius inducere legem Falcidiā non possit, idcirco quod passus esset, non imputaturum: nisi fortè testator ita fidei eius commisisset, ut totum, quidquid ex testamento cepisset, restitueret. *Concordat l. facta. 63. §. si Titius. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Si Titius rogatus sit hæreditatem Mæuio restituere, Mæuius Seio certam pecuniam, & Titius quartę retinendæ beneficio aduersus Mæuium usus fuerit: Neratius scribit, Mæuium quoque Seio eo minus æquum esse præstare, ne ipse de suo damnum sentiat. *Concordat item l. Plautius. 42. §. fin. ff. de condit. & demonst. his uerbis:* Neratius scribit, ex duobus scriptis hæredibus, si unus rogatus sit tibi hæreditatem restituere, tu Titio certam summam dare, & beneficio legis Falcidiæ in restituendo hæres utatur: quanto minus tibi præstiterit, tanto minus te Titio præstare, non est iniquum. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi testator solidum fideicommissum præstari iusserit. quæ exceptio patet ex uerbis suprà propositis hisce:* Nisi fortè testator ita fidei eius commisisset, ut totum, quidquid ex testamento cepisset, restitueret. *Secunda exceptio est: Nisi libertas per fideicommissum relicta sit: ea enim solida præstanda est, regula proposita non obstante. quæ exceptio approbatur d. l. 32. §. fin. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Si autem manumittere seruū uel suum uel alienum rogatus sit, omnimodò præstare debebit libertatem. nec hoc contrarium est superiori: quia fauor libertatis sæpe & alias benigniores sententias exprimit. *Tertia exceptio est: Nisi cùm Sticho legato, rogatus esset legatarius Stichum aut Pamphilum alicui dare, Pamphilum dare uelit: hoc enim casu Pamphilum in solidum debet. quæ exceptio approbatur l. si mihi. 94. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si mihi Stichus legatus esset, fideiq; meæ commissum, ut aut Stichum aut Pamphilum meum seruum Titio redderem, & in Sticho aliquid ex legato propter legem Falcidiam perdidissem: necesse habebo aut Pamphilum seruum meum Titio totum dare, aut eam partem Stichi, quam legatorum nomine accepero. *Quarta exceptio est: Nisi alimenta per fideicommissum sint relicta. quæ exceptio approbatur l. cum pater. 79. §. eorum, in fin. ff. de legat. 2. his uerbis:* Si pars donationis fideicommisso cōtineatur, fideicommissum quoq; munere Falcidiæ fungetur. si tamen alimenta præstari uoluit, collationis totum onus in residuo donationis esse, respondendum erit ex defuncti uoluntate, qui de maiore pecunia præstari non dubiè integra uoluit. *Quinta exceptio est: Nisi annuum sit fideicommissum. quæ exceptio approbatur l. liberto. 21. §. 1. ff. de annuis legat. bisce uerbis:* A liberto, cui fundum legauerat, ferentem annua sexaginta, per fideicommissum dederat Pamphilæ annua dena. quæsitum est, si lex Falcidia liberto legatum minuerit, an Pamphilæ quoque annuum fideicommissum minutum uideatur, cum ex reditu legata sint, qui largitur, etiamsi Falcidia partem dimidiam fundi abstulerit, annuam Pamphilæ præstationem? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non uideri minutum, nisi alia mens testatoris probaretur. *Concordat l. maritum. 25. §. fin. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* A liberto, cui fundum legauerat, per fideicōmissum Seiæ annua decem dedit. quæsitum est, si lex Falcidia liberti legatum minuit, an Seiæ quoque annuum fideicōmissum imminutum uideatur, cum reditus largiatur annuam præstationem? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non uideri minutum: nisi alia mens testatoris probetur. *Porrò non quemadmodum deminuto per Falcidiam legato, ob id deminuitur quoq; fideicommissum: ita quoque, si legatarius rogatus Falcidiam passus non est, ob id amplius quàm per fideicommissum relictum est, restituere tenetur. l. Marcellus. 3. in princ. ibi: quod autem in suspecta. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba uide ff. libro prox. cap. 1. quæst. 2. reg. 4. except. 2.*

XX. *Regula: Si per contra tabulas bonorum possessionem portio eius à quo legatum est, deminuta sit uel aucta, legatum quoq; deminuitur uel augetur. quæ regula approbatur l. si hæres. 122. ff. de legat. 1. his uerbis:* Si hæres centum præcipere iussus sit, & restituere hæreditatem, & patronus bonorum possessionem contra tabulas petierit: sicut legata, ita & præceptio pro parte quā patronus abstulit, minuetur. *Sed & approbatur regula proposita l. ult. §. ult. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si filius ex uncia hæres institutus sit, & legata data sint, habeat & substitutum, deinde commisso edicto per alium filium accepit partis dimidiæ bonorum possessionem: substitutus eius utrum ex uncia legata præstet, an uerò ex semisse? & uerius est, ex semisse. sed & ex uncia, omnibus: ex reliquis, liberis & parentibus. Contrà quoque, si ex dodrante institutus commisso edicto in semissem

missem acceperit bonorum possessionem, ex semisse tantùm legata substitutus debebit. quomodo enim augetur, ubi amplius est in bonorum possessione: sic & ubi minus est, deducitur. *Concordat item l.& si contra. 33.ff.de uulgari & pupill.substit.his uerbis:* Et si contra tabulas patris petita sit à pupillo bonorum possessio, in substitutum tamen eius actionem legati dandam esse Africanus ait, ita ut augeantur legata, propterea quòd filius extraneis non debuerit: sed & crescere à substituto data legata, si per bonorum possessionem plus ad filium peruenisset, quemadmodum & ipse filius plus exceptis deberet. His consequens esse existimat, ut si impubes ex asse hæres scriptus sit, & per bonorum possessionem semis ei ablatus sit, substitutus in partem legati nomine exoneretur: ut quemadmodum portio, quæ per bonorum possessionem accesit, auget legata, ita & hic quæ abscessit minuat. *Concordat item l.filium.5. §.sed si impubes. ff.de leg.præstand.contra tabul. cuius uerba uide §. lib. 31. capite 8. quæst.4.reg.1. except.4. Concordat item l.filium.20. §.legata. ff.de bonor.possess.contra tabul. cuius uerba uide ī.cap.25.quæst.1.except.9. Sed de augenda uel deminuenda portione hæreditatis,&c. uide ī. capite 25. quæst.4.reg.3.& 4.*

XXI. Regula: *Minuit insuper fideicommissa id, quod hæredi onerato à defuncto uel hæreditate debetur: hoc enim deducet ex fideicommisso, uel solutum repetit.quæ regula approbatur l.ab omnibus.101.§.fin. ff.de leg.1.his uerbis:* Si socero à genere suo hærede instituto, pars hæreditatis alijs legata fuisset: deducta dote eum debiturum esse partem hæreditatis legatam, Sabinus respondit: quemadmodum si pecunia ex crediti causa socero debita fuisset: nam & ea deducta partem hæreditatis daturus fuisset. *Exemplum huius regulæ proponitur etiam l.si seruus.69.ff.de leg.1. cuius uerba uide §.libro proxim. cap.2.reg.7. Aliud huiusmodi exemplum proponitur l.testamento.91.§.quatuor.ff.de leg.2. cuius uerba uide §. lib.prox. cap.11. causa 54. exemplo 4. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cum post tempus hæres hæreditatem restituere esset rogatus, medio tempore ex fructibus tantum perceperit, quantum sibi debetur à defuncto. quæ exceptio approbatur l.cum pater.79.§.Titio fratri.ff.de leg.2.his uerbis:* Titio fratri suo Mæuius hæreditatem Seij, à quo hæres institutus erat, post mortem suam restituere rogatus, eodem Titio hærede scripto, petijt, ut moriens Titius tam suam quàm Seij hæreditatem Sempronio restitueret. Cum ex fructibus medio tempore percepris, fideicommissi debitam quantitatem Titius percepisset, æris alieni loco non esse deducendum fideicommissum, Papinianus respondit: quoniam ratione compensationis percepisse debitum uideretur. Planè si ea lege Mæuius Titium hæredem instituat, ne fideicommissum ex testamento Seij retineat: Falcidiam quidem compensationi sufficere, sed iniquitatem occurrere. prudentius autem fecerit, si ex testamento fratris hæreditatem repudiauerit, & intestati possessionem acceperit: nec uidebitur dolo fecisse, cum fraudem excluserit. *Secunda exceptio est: Nisi cum id legatum esset, quod ex hæreditate post mortem hæredis supereſſet, hæres multa ex hæreditate consumpserit. Hæc exceptio approbatur l.penult. ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Matrem & auunculum eosdemque creditores suos hæredes scripsit Lucius Titius, & eorum fidei commisit, ut post mortem restituerent, quod ex re familiari testatoris superfuerit, Septicio. hæredes non modicam partem bonorum testatoris consumpserût, & multos hæredes reliquerunt: quib. scien tibus multa corpora, quæ remanserunt ex bonis Lucij Titij, Septicius possedit. quæsitum est, an id quod Lucius Titius dedit matri & auunculo, hæredes eorum à Septicio petere possint? Scæuola respondit, non posse. Claudius: Aditione enim hæreditatis confusa obligatio interciderat: sed fideicommissi repetitio erat, cuius æquitas defecit his, qui multa ex hæreditate consumpsisse proponuntur. *Tertia exceptio est: Nisi occasione unius legati ante diem soluti hæredi debeatur: hoc enim non deducet ex alio legato. quæ exceptio approbatur exemplo l.Lucius.90.§.testator.ff. de leg.2.his uerbis:* Testator legata ante quinquennium uetuit peti præstariq;: sed hæres quædam sua sponte ante quinquennium soluit. quæsitũ est, an eius quod ante diem existentem solutum est, repræsentationem in reliquâ solutione legati reputare possit? Scæuola respondit, non propterea minus relictum deberi, quòd aliquid ante diem sit solutum. *Plura de hac re uide ī.lib.prox.capite 2. quæst.5.reg.4.except.4.*

XXII. Regula, *De sumptibus quos hæres fecit deducendis, proponitur l.mulier.22.§.sedenim,in fine.ff. ad senatusc.Treb. his uerbis:* Sed & ipse, si quem sumptum fecit in res hæreditarias, detrahet. *Concordat l.ubi purè.19.§.fin. ff.eod.tt. his uerbis:* Qui in distrahendis conseruandisue rebus hæreditarijs sumptus factus est, imputari hæredi debet. *Hæredi, id est, fideicommissario: ita enim ob euitandam antinomiam interpretatur Glossa. Concordat item l.generali.32.§.Lucius.ff.de usufr.legato. cuius uerba uide §.lib.24.cap.4.quæst.4. reg.4. Concordat item l.domos.58. ff.de legat.1. cuius uerba uide §. lib.proxim. cap.11. causa 51.except.6.replic.1.duplic.2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ob culpam hæredis sumptus fuit faciendus. de qua exceptione uide d.duplic.2.in fine. Secunda exceptio*

est: Nisi hæres non deductis sumptibus legatum soluit. quæ exceptio reprobatur l.quòd si nulla.59. ff. de legat.1.his uerbis: Quòd si nulla ratione facta domum tradidisset, incerti conditio ei competet, quasi plus debito soluerit. *Tertia exceptio est: Nisi sumptus non ab hærede, sed à legatario sint facti. Hæc exceptio approbatur l.sumptus.60. ff.de legat.1. his uerbis:* Sumptus autem in reficienda domo legata necessarios à legatario factos, petenti ei legatum, cuius postea conditio extitit, non esse reputandos, Papinianus existimauit. *Quarta exceptio est: Nisi mulieri dos à marito sit relegata hoc modo: Quidquid ad te dotis nomine peruenerit. quæ exceptio approbatur l.Mæuio.42.§.à me.ff.de leg.2. de qua re dicetur ī.lib.34.cap.10.*

XXIII. Regula: *Si fundum legauit testator, ita ut eum legatarius pro parte habeat, pars tantùm fundi debetur. quæ regula approbatur l.planè.34.§.fin.ff. de leg.1. cuius uerba uide §.lib.32.cap.9. causa 29. except.5.replic.5.*

XXIIII. Regula: *Si idem legatum à pluribus debeatur,in quantum quilibet teneatur,dictum est §.cap. 2.reg.1.except.1.*

DE LEGATO PLVRIBVS relicto, & de iure adcrescendi.

XXV. Regula: *Si legatum pluribus sit relictum, pro uirili portione singulis datur actio.quæ regula approbatur l.legato.19.§.fin.ff.de leg.1.his uerbis:* In legato pluribus relicto si partes adiectæ non sunt, æquæ seruantur. *Concordat Instit.de leg.§. si eadem. cuius uerba uide ī. ead.reg.except.17. Concordat item l.si pluribus.33.in prin. ff.de leg.1. his uerbis:* Si pluribus eadem res legata fuerit, si quidem coniunctim, etiamsi alter uindicet, alter ex testamento agat, non plus quàm partem habebit is qui ex testamento aget. *Concordat item l.planè.34.§.si coniunctim.ff.de leg.1. cuius uerba uide ī.d.except.17.repl.2. Concordat item l.duobus.82. ff.eod.tt. ubi Paulus:* Duobus (*inquit*) coniunctim fundus erat legatus, alter ex his partis æstimationem per actionem personalem abstulit. alter, si totũ fundum uindicare uelit, exceptione doli repellitur pro parte dimidia: quia defunctus semel ad eos legatum peruenire uoluit. *Concordat item l. coniunctim.78. ff.de leg.3. his uerbis:* Coniunctim hæredes instituti, aut coniunctim legari, hoc est, totam hæreditatem, & tota legata esse singulis data, partes autem concursu fieri. *Concordat item l.testamento.90.§.Lucius. ff.de leg.2. cuius uerba uide §. cap.5.reg.14. Concordat item l.unica. §.ubi autem legatarij. C.de cad.toll. cuius uerba uide ī. ead.reg.except.17. Concordat item l.eum qui. 56.in prin.ff.de uerb.obligat.ubi Iulianus:* Eum qui ita stipulatur (*inquit*) Mihi & Titio dare spondes: uerisimile est, semper unà decem communiter sibi & Titio stipulari: sicuti qui legat Titio & Sempronio, non aliud intelligitur, quàm unà decem communiter duobus legare. *Huic concordat l.si quis.78.in princ.ff. de leg.1.his uerbis:* Si quis testamento Titio & Seio decem dari iusserit, nullam hæc uerba recipiunt ambiguitatem, ut dena dixisse uideatur, qui decem dixit. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non coniunctim, sed separatim pluribus eadem res sit legata. hoc enim casu uidetur legatum à priore ad posteriorem translatum. uerùm hoc non præsumitur, nisi probetur. proinde exceptio proposita ipso iure reprobatur l.si pluribus.33. §. quod si separatim. ff.de leg.1. cuius uerba uide §.libro prox.cap.8.causa 3.except.7. Concordat Instit. de leg. §.si eadem res. cuius uerba ī. proponentur except.17. Concordat item l.unica. §.ubi autem legatarij. ibi: sin autem disiunctim. C.de cad.toll. cuius uerba uide ī.d. except.17. Quid autem sit coniunctim, quid separatim uel disiunctim legare, definitur Instit.d.§.si eadem res. Concordat item l.si Fortid.7.in prin.C.de leg. hisce uerbis:* Si Fortidianum fundum primò pater tuus fratribus per præceptionem, ac mox tibi legauit, concursu dominium eius tibi quoq; quæritur. *Contrarium exemplum est l.columnæ.30. §.Titia. ff.de adimen.leg. Secunda exceptio est: Nisi alij in patris, alij in pupillari testamento eadem res sit legata. Et hæc exceptio reprobatur l. planè.34.§.si coniunctim,in fine. ff.de legat.1. his uerbis:* Sed & si in pupillari testamento legauerit alij eandem rem, quam mihi in suo testamento legauit: Iulianus scribit, concursu partes nos habere. Interim igitur partem habebit is, cui in suo testamento legauit. *Tertia exceptio est: Nisi adimendi animo legatum ab uno ad alium sit translatum. quæ exceptio approbatur l.si pluribus.33.§.quòd si separatim. ff.de leg.1. de qua re uide §. lib.prox.cap.8. causa 3. Quarta exceptio est: Nisi quibusdam coniunctim, alij autem separatim eadem res sit legata. tunc enim non habent æquales partes in re legata: sed is cui separatim legatum est, dimidiam eius partem habet, quilibet ex duobus coniunctis quartam. coniuncti enim unius personæ uicem sustinent. quæ exceptio approbatur l.planè.34.in prin.ff.de leg.1.his uerbis:* At si coniuncti disiunctiq; commisti sint, coniuncti unius personæ potestate funguntur. *Huius exemplum proponitur l.si quis.8. ff. de usufr. adcresc. his uerbis:* Si quis Titio & hæredibus suis usumfructum legauerit, dimidiam Titius, dimidiam hæredes habebunt. Quòd si ita scriptum sit, Titio & Mæuio cum hæredibus: tres partes fient, ut unam habeant hæredes, secundam Titius, tertiam Mæuius. nec enim interest, ita legetur, Illi & illi cum Mæuio: an ita, Illi & illi & Mæuio. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi Titio & posthumo legatum sit: tunc enim pluribus natis, legatum inter Titium & natos in uiriles partes diuiditur. quæ replicatio approbatur l.utrum. 8.in prin. ff.de rebus dub. cuius uerba proponentur ī.*

ead.reg. except.17. de iure adcresc. in princ. exempl.1. Sed & alia replicat. proponitur l.Lucius. 90. §. Lucius.ff.de legat.2.his uerbis: Lucius Titius testamento ita cauit,Prædiolum meum dari uolo libertis libertabusq; meis,& quos hoc testamento manumisi,& Seiæ alumnæ meæ, ita ne de nomine familiæ meæ exeat, donec ad unum proprietas perueniat. quæro, Seia in communione cum libertis habeat portionem,an uerò partem dimidiam eius prædioli uindicare possit?Scæuola respondit, perspicuam esse testantis uoluntatem, omnes ad utriles partes uocantis. *Quinta exceptio est*: *Nisi alteri semel, alteri sæpius eadem res sit legata. Hæc exceptio reprobatur l.cum quæstio.23. §.fin.C.de leg.his uerbis*: Sed & aliam disceptationem iuris antiqui non absimilem constitutam decidere nobis humanum esse apparuit.agitabatur enim,si quis agrum Cornelianum, uel fortè alium, uel quandam rem cuidam legauerit, & postea iterum uel sæpius ei eandem rem per legatum uel fideicommissum dederit:post talia autem uerba testamenti Sempronio eundem agrum uel aliam rem legauerit,ut sæpius quidem fuisset Titij mentio, semel autem Sempronij: quid statuendum est? & quid iuris sit,si coniunctim aut separatim eis relinquatur, siue in legato hoc consistat, siue in hæreditate? Huiusmodi igitur decidentes antiquâ controuersiam, sancimus, cuicunque fuerit uel hæreditas, uel ager in memoratis casib.siue coniunctim, siue soli, siue sæpius eidem relictus, æqua lance & hæreditatem, & agrum, & aliam quâcunq; rem diuidi, & ad dimidiam partem unumquenque uocari: nisi specialiter expresserit & dixerit testator, tantas quidem partes uelle unum, tantas autem alterum habere. in omnibus etenim testatoris uoluntatem, quæ legitima est,dominari censemus. *Concordat l.quid ergo. 52.in prin.ff.de leg.1.his uerbis*: Sed etsi repetierit legatum cum alio: fortè fundum mihi legauerat ab impubere, & repetijt hunc ab impuberis hærede mihi & Seio: repetitio hoc efficiet,ut pars mihi debeatur. *Sexta exceptio est: Nisi pluribus alternatiuè sit legatum.quæ exceptio reprobatur l.cum quidam.4. C.de uerb. signif. cuius uerba uide §.cap.1.quæst.3.reg.6.except.1. Septima exceptio est*: *Nisi adiecta parte singulis sit legatum.Hæc exceptio patet ex l.legato.19.§.fin.ibi:si partes adiectæ non sunt.ff.de leg.1. cuius uerba uide §. cod. reg.in prin. Concordat l.cum quæstio.23.§.fin.C.de legatis.cuius uerba uide §.except.5. Si ergo adiectum sit, pro qua parte res legata ad quemlibet pertinere debeat,hoc seruabitur. Idem iuris est, si unicuique certa res sit legata. Vnde Iulianus*:Quibus ita legatum fuerit, (inquit) Titio & Mæuio singulos seruos do lego: constat non cõcursuros in eundem seruum: sicuti non concurrunt,cum ita legatur,Titio seruum do lego,Mæuio alterum seruum do lego. *l.huiusmodi.81.§.penult. ff.de leg.1. Idem iuris est,etsi in unius tantùm persona partẽ testator expressit: pro ea enim parte res ad eum pertinebit, & quod reliquum est, pertinebit ad collegatarium. Quod approbatur l.cum quæstio.23.in prin. C.de legatis,hisce uerbis*: Cum quæstio talis de significatione uerborum animos ueterum mouit, Si quis cuidam agrum, Cornelianũ puta, uel alium quempiam, in solidum legauerit, deinde alij partem eius dimidiam: quantam portionem primus, quantam secundus legatarius consequitur? simili dubitatione & in hæreditate & in fideicommissis habita: cumq; computationes multę introducebantur,& multis ratiocinationibus dignæ, nos huiusmodi computationes,quasi superfluas & contrarias uoluntati testatoris, omnes sopiendas esse censemus. Cum enim manifestum est,eum qui ab initio duodecim uncias rei cuidam reliquit, alij autem postea sex: recessisse quidem à priore uoluntate,uoluisse autem minui eam sex uncijs,cùm alijs eas obtulit: & presens casus exitum apertissimè inueniet. Si quis itaque uel agrum uel hæreditatem reliquerit, primo quidem in totum, secundo autem in partem dimidiam: utrunq; in sex uncias esse uel dominum rei legatæ,uel hęredem. Et si tota re primo relicta,tertiam partem secundo reliquerit:secundum prædictum modum octo quidem uncias uel agri uel hæreditatis apud primum remanere, tertiam autem partem uel quatuor uncias ad secundum migrare. & sic in omnibus statuendum est:id est,in hæreditatibus, uel legatis,uel fideicõmissis. uestigia enim uoluntatis testatoris non aliter,nisi per huiusmodi uiam,æstimanda sunt. *Huius exemplum proponitur l.uxorẽ.39.§.1. ff.de leg.3. his uerbis*: In testamento ita scriptum fuit, Domum meã cum horto applicito libertis meis concedi uolo: & alio capite, Fortunio liberto meo ex domo mea,quam libertis meis dedi, diætam in qua habitabam, item cellarium iũctum eidem diætæ, ab hærede meo concedi uolo.quæsitum est,an hæres testatoris oneratus uideatur in præstando legato Fortunio, cum domus uniuersa libertis sit prælegata? Scæuola respondit, non esse onerátum. *Planè si plus distribuit inter legatarios testator, quàm in eius hæreditate inuenitur, singulis pro rata decedit. Quod approbatur exemplo l.si quis testam.78.§.1. ff.de legat.1. his uerbis*: Apud Iulianum lib.XXXII.Digest. Marcellus notat: Is qui sola triginta reliquerat, Titio triginta legauit,Seio uiginti,Mæuio decem. Mafurius Sabinus probat, Titium quindecim, Seium

Seium decem,Mæuium quinq; consecuturos: ita tamen, ut ex his pro rata portionis Falcidiæ satisfiat. *Concordat l.Marcellus.3. in prin. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide 7.libro prox. cap.1.quæst.2.reg.4. except.2. Octaua exceptio est: Nisi testator utrumq; solidum legatum accipere uoluit. quæ exceptio approbatur l.si pluribus.33. ibi:nisi ipse testator.ff.de leg.1.his uerbis*: Nisi ipse testator ex scriptura manifestissimus esset,utrumq; eorum solidum accipere uoluisse: tunc enim uni precium, alij ipsa res assignatur,electione rei uel precij seruanda ei qui prior de legato siue fideicommisso litem contestatus est: ita tamen, ut non habeat licentiam, altero electo ad alterum transire. *Concordat l. unica. §. hæc autem ita. C. de cad. tollend. his uerbis*: Hæc autem ita fieri sancimus, nisi testator apertissimè & expresim dispoſuerit,ut uni quidem res solida, alijs autem æstimatio rei, singulis in solidum præstetur. *Concordat item l.duos.14.ff.de usufructu legato. cuius uerba uide §.lib.24.cap.4. quæst.1. except.ult. Concordat item l. qui duos.13. §.fin. ff. de leg.2. his uerbis*: Si is qui unum reum habebat, quod is sibi deberet, duobus in solidum legasset:oneratur hæres duobus satisfacere, uni actionem cedendo, alteri pecuniam soluendo. *Concordat item l. non quocunq;.79. §.qui Caium. ff.de leg.1. his uerbis*: Qui Caium & Lucium eiusdem pecuniæ reos habebit,si ita legauerit: Quod mihi Caius debet, id hæres meus Sempronio dare damnas esto: quod mihi Lucius debet, id hæres meus Mæuio dare damnas esto. eam conditionem hęredi suo constituit,ut is necesse habeat alteri actiones suas, alteri litis æstimationem præstare: si tamen uiuus testator Caio acceptum fecit, necesse est ut Sempronij & Mæuij legatum inutile sit. *Ait in supradicta lege 33. Iurisconsultus*: Electione rei uel precij seruanda ei qui prior de legato litem contestatus est. *Huic concordat l.si res.20.ff. de leg.3.his uerbis*: Si res mihi per fideicõmissum relicta,eadem tibi legata, uel per fideicommissum relicta sit, non communicandi animo,sed utriq; in solidum: ambigendum non est, si alteri sit soluta, alterum quidem nullum ius in ipsa re habere, sed actionem de precio integram tamen habere. *Nona exceptio est:Nisi cum duos eiusdem pecuniæ reos testator haberet, alterius debitum Sempronio, alterius Mæuio legauit:tunc enim utriq; solidum debetur.quæ exceptio approbatur l.non quocunq;.79. §.qui Caium.ff.de leg. 1. cuius uerba uide §. exc.prox. Concordat l.qui duos. 13.in prin.ff.de leg.2. de quo 7.lib.prox.cap.12.except. 9.repl.2. Decima exceptio est*: Nisi cum plures essent eiusdem rei stipulandi, hæres iussus sit eis soluere: hoc enim casu quilibet in solidum agere potest, uel in id quod sua interest.quæ exceptio approbatur l.fideicommissa.11.§.plerunq;.ff.de leg.3. his uerbis*: Plerunq; euenit,multorũ interesse id quod relinquitur, uerum testatorem uni uoluisse honorẽ habitum, & hæc est sententia Marcelli uerissima: sic enim euenit,ut interdum,si pluribus testator honoré habere uoluit, & de pluribus sensit,quamuis uni legatum sit,tamen ad persecutionem eius plures admittantur. utputa, si decem fuerũt eiusdem rei stipulandi, & hæres uel fideicommissarius rogatus est,ut eis solueret. hic enim,si omnium interest, & de omnibus sensit testator, fideicommissum relictum omnes petere potuerunt.sed utrum in partem agent,an in solidum,uideamus? & credo,prout cuiusq; interest,consecuturos. Vnus igitur qui occupat,agendo totum cõsequitur,ita ut caueat defensum iri aduersus cæteros fideicõmissarios eum qui soluit, siue socij sint,siue nõ. *Vndecima exceptio est*: *Nisi hæredibus ex disparibus partibus institutis eadem res sit legata.quæ exceptio approbatur l.quoties.23. in prin.ff.ad senatusc. Trebell. his uerbis*: Quoties paterfamilias unum uel duos hæredes cohæredibus suis restituere hæreditatem iubet, intelligitur easdem partes in fideicommisso facere, quas in hæreditate distribuenda fecit. *Concordat l.Lucius. 78. §.pater. ff.eodem titulo, his uerbis*: Pater puerum & puellam instituit hæredes, eosque inuicem substituit, & si neuter hæres esset, eis plures substituit his uerbis: Substitutos hæredes inuicem substituo. eorundem filiorum fidei commisit,ut qui eorum uita superesset, & sine liberis intra annum tricesimum moreretur,hæreditatem his quos hæredes substituerat,restitueret. filius uita sororem superauit, & intra tricesimum annũ sine liberis decessit.quæsitum est,ex substitutis uno defuncto ante filium, pars eius quæ ad cæteros substitutos, qui superuinerent, pertineret,utrum pro uirilibus,an pro hæreditarijs portionibus,quibus essent substituti,pertineret? Respondit Scæuola,consequens esse, pro his partibus, quibus substituti essent, fideicommissum pertinere. *Concordat d.l.78.§.Mæuia, his uerbis*: Mæuia filium hæredem instituit ex quincunce, Titiam filiam ex quadrante, Septicium filium ex triente,cuius fidei commisit in hæc uerba: Te rogo fili Septici, si intra uicesimum annum sine liberis morieris, quidquid ex hæreditate mea ad te peruenerit, hoc fratribus tuis restituas. quæsitum est, Septicio filio defuncto intra uicesimum annum sine liberis, hoc fideicommissum utrum pro portionibus hæreditarijs ad fratrem & sororem eius pertineat, an uerò æqualiter? Scæuola respondit, pro parte hæreditaria. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi cum testator, hæredibus ex di-*

ſparibus partibus inſtitutis, portionem hæreditatis ſub conditione dandi reliquiſſet, hæredes æquales partes conditionis implendæ cauſa dare iuſsit: tunc enim etiam pro æqualibus partibus ad eos portio hæreditatis fideicommiſſaria pertinet. quæ exceptio approbatur l. quoties. 23. ff. ad ſenatuſconſult. Trebell. his uerbis: Sed ſi iubeantur hi quibus fideicommiſſum datur, pecuniam numerare, atq; ita fideicommiſſum recipere: ex quantitate pecuniæ, quam dare iubentur, uoluntas patrisfamiliàs colligenda eſt. nam & ſi ex diſparibus partibus hæredes ſcripti, æquas partes dare iubentur, propius eſt, ut uiriles recipere debeant: ſi uerò ſumma pecuniæ dandæ congruit portionibus, hæreditarias portiones accipere debebunt. *Concordat l. utrum. 8. §. fin. ff. de rebus dubijs, his uerbis:* Quæſitum eſt, ſi cohæredes ex diſparibus partibus ſcripti ſint, utrum partes ſuas in uiriles partes reſtituere ſingulis debeant, an pro portionibus hęreditarijs, ex quibus hęredes ſcripti ſunt? Et placuit, ſi teſtator ita reſtitui iuſsiſſet partem, ſi aliquam pecuniam dediſſent: ſiquidem æquas partes iuſsi fuerint dare, conueniens uideri eſſe, etiam ex fideicommiſſo æquas partes ei reſtitui oportere. Si uerò diſpares in ea pecunia diſtribuenda ſignificaſſet teſtator, ut uideatur hęreditarijs portionibus congruere: conſentaneum eſſe, etiam fideicommiſſum pro hæreditarijs partibus eis reſtitui debere. *Secunda replicatio eſt: Niſi in fideicommiſſo eos non hæredes, ſed proprijs nominibus teſtator appellauit. quæ replicatio approbatur l. nonnunquam. 24. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Nonnunquam autem ex uoluntate uariè ſcriptum & iudicatum eſt, uidelicet ſi non ſub appellatione hæredum, ſed proprijs nominibus expreſsis fideicommiſſum relinquatur. *Concordat l. turpia. 54. §. fin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſ. cap. 2. regula 1. except. 1. repl. 2. Concordat item l. ſeruus. 66. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si ex pluribus hæredibus & ex diſparibus partibus inſtitutis, duobus eadem res legata ſit: hæredes non pro hæreditaria portione, ſed pro uiriili id legatum habere poſſunt. *Concordat item l. 2. in princip. ff. de inſtr. leg. his uerbis:* Cum pater, pluribus filijs hæredibus ſcriptis, duobus præceptionem bonorum auiæ præter partes hæreditarias dediſſet: pro partibus cohæredum uiriles habituros legatarios placuit. *Duodecima exceptio eſt: Niſi ſeruo plurium diſpares partes in ſeruo habentium ſit legatum: hoc enim caſu cuilibet pro ea parte, quam in ſeruo habet, adquiritur. quæ exceptio approbatur l. ſi ſeruus. 50. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si ſeruus plurium ſit, pro domini portione legatum ei relictum adquiret. *Concordat l. & Proculo. 20. in fine. ff. de legat. 2. cuius uerba uide ſ. except. 17. repl. 7. Decimatertia exceptio eſt: Niſi domino & ſeruo, patri & filio ſit legatum. tunc enim utrunque legatum conſiſtit, & ſolidum pater uel dominus petere poteſt. quæ exceptio approbatur l. quid ergo. 53. §. 1. ibi: nam etſi mihi. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſ. eod. cap. reg. 12. except. 4. Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi ſeruus ante diem legati cedentem manumiſſus, uel filius fuerit emancipatus. tunc enim, quia ipſi ſeruo uel filio competit actio, ut dictum ſ. cap. 2. memb. 3. reg. 2. except. 1. in partes æquales legatum ſcinditur. quæ replicatio approbatur l. ſi domino. 96. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si domino Stichus legatus eſſet, & ſeruo eius optio data, partem dimidiam Stichi dico ad dominum pertinere, quòd poſsit ſeruus manumiſſus eundem Stichũ optare. *Decimaquarta exceptio eſt: Niſi res legata diuiſionem non recipiat. hoc enim caſu ſingulis in ſolidum competit actio. quæ exceptio approbatur per ea quæ dicta ſunt ſ. libro 36. capite 4. reg. 4. in fine. Planè uſusfructus diuiſionem recipit: ideoq; ex cauſa legati nõ niſi pro parte petendus ab uno ex legatarijs. Quod approbatur l. ſed uſusfr. 80. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Sed uſusfructus legatus uenit in computationem legis Falcidiæ: nam diuiſionem recipit, adeò ut ſi duobus legatus fuerit, ipſo iure ad ſingulos partes pertineant. *Decimaquinta exceptio eſt: Niſi alter in rem egit, alter in perſonã. Hæc exceptio reprobatur l. ſi pluribus. 33. in prin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſ. eadem reg. in prin. Decimaſexta exceptio eſt: Niſi alter ex legatarijs agendo non rei partem ſit conſecutus, ſed litis æſtimationẽ: hoc enim caſu uidetur alteri ſolida res deberi. quæ exceptio reprobatur l. duobus. 82. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſ. eadem reg. in prin.*

DE IVRE ADCRE-ſcendi.

Decimaſeptima exceptio eſt: Niſi legatum in unius perſona defecerit. tunc enim alteri iure adcreſcendi ſolidum legatum debetur. quæ exceptio approbatur Inſt. de legatis. §. ſi eadem res, his uerbis: Si eadem res duobus legata ſit, ſiue coniunctim, ſiue diſiunctim, ſi ambo perueniant ad legatum, ſcinditur inter eos legatum: ſi alter deficiat, quia hoc ſpreuerit legatum, aut uiuo teſtatore deceſſerit, uel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatariũ pertinet. Coniunctim autem legatur, ueluti ſi quis dicat, Titio & Seio hominem Stichum do lego: diſiunctim ita, Titio Stichum hominem do lego, Seio Stichum hominem do lego. Sed & ſi expreſsit eundem hominem Stichum, æquè diſiunctim legatum intellegitur. *Concordat l. unica. §. ubi autem legatarij. C. de cad. toll. cuius uerba uide ſ. ead. reg. in fine. Huius exemplum proponitur l. qui quartam. 25. §. fin. ff. de legatis 1. his uerbis:* Si quis unam ſummam filiabus legauerit, ut etiam de poſthuma ſentiret: ſi ea non eſt nata, ſuperſtiti ſolidum debebitur. *Idem exemplum proponitur l. ſi duob. 16. §. fin. ff. eod. titulo, his uerbis:* Si Titio & poſthumis legatum

tum ſit: non nato poſthumo, totum Titius uindicabit. ſed & ſi teſtator Titio & poſthumis uiriles partes dari uoluerit, uel etiam id expreſſerit: totum legatum Titio debetur, non nato poſthumo. *Concordat l. quidam. 6. §. fin. cum duab. ll. ſequentibus. ff. de rebus dubijs, his uerbis:* Si tibi & poſthumo ſuo uel alieno hæreditatem reſtituere quis rogauerit, uel ex parte poſthumum hæredem inſtituiſſet, legatúmue ſimiliter uel fideicommiſſum dediſſet, utrum ita poſthumus partem faciat, ſi natus ſit: an etſi natus non ſit, quæritur? Ego commodius dici puto, ſiquidem natus non eſt, minimè eum partem facere, ſed totum ad te pertinere, quaſi ab initio tibi ſolido relicto: ſin autem natus fuerit, utroſq; accipere, quantum cuiq; relictum eſt: ut uno nato, pars tibi dimidia debeatur: duobus natis, tertia tibi debeatur: tribus natis (quia ter gemini quoq; naſcuntur) quarta. & noſtra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad diuum Hadrianum perducta eſt cum quinque liberis, quos uno fœtu enixa eſt: ſed tamen, quod ultra tres naſcitur, ferè portentoſum uidetur. *Secundum propoſitæ exceptionis exemplum proponitur l. ſi quis. 78. §. his uerbis. ff. de leg. 1. ubi Iulianus:* His uerbis, Lucio & Titio, eorúmue cui fundum do lego: utiliter legatur, & ſi uterq; uixerit, utrique: ſi alter, alteri totum debebitur. *Concordat l. Titius. 24. cum duab. ll. ſequentibus. ff. de hæred. inſt. cuius uerba uide ſ. cap. 1. membr. 3. reg. 17. except. 1. Tertium exemplum proponitur l. libertis. 4. in prin. ff. de alim. legatis. cuius uerba uide ſ. cap. 3. reg. 16. exc. 6. Quartum exemplum proponitur l. hæc ſcriptura. 25. §. fin. ff. de condition. & demonſtr. his uerbis:* Cum eadem res alteri purè, alteri ſub cõditione legatur: aut cum alter purè, alter ſub conditione hæres ſcriptus eſt: pars legati uel hæreditatis deficiente conditione adcreſcit etiam hęredi eius, cui purè legatum eſt, uel hæreditas data eſt: ſi tamen hæreditas eius adita fuerit. *Hactenus exempla propoſitæ exceptionis ſunt enumerata: ſequuntur nunc eius replicationes, quarum prima hæc eſt: Niſi non coniunctim, ſed ſeparatim eadem res pluribus ſit relicta. Hæc replicatio reprobatur Inſtit. de legat. §. ſi eadem res. cuius uerba uide ſ. ead. except. in prin. Concordat l. unica. §. ſin uerò non omnes. C. de cad. toll. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap. 10. cauſa 42. except. 1. repl. 4. Concordat item l. 1. §. interdum, in fin. ff. de uſufr. adcreſcendo. cuius uerba uide ſ. lib. 24. cap. 3. except. 7. repl. 1. in prin. Secunda replicatio eſt: Niſi ſtatim ab initio in alterius perſona legatum non conſiſtat: hoc enim caſu alteri non adcreſcit. quæ replicatio approbatur l. planè. 34. §. ſi coniunctim. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si coniunctim res legetur, conſtat partes ab initio fieri: nec ſolùm hi partem faciunt, in quorum perſona conſtitit legatum: uerùm hi quoq;, in quorum perſona non conſtitit legatum, utputa ſi Titio & ſeruo proprio ſine libertate legetur. *Aliud ergo iuris eſt, ſi ipſo iure ſeu ſtatim ab initio non conſiſtat legatum in perſona collegatarij: aliud, ſi ab initio utiliter legatum relictum, poſtea deficiat. Ait Iuriſconſultus:* Vtputa ſi Titio & ſeruo proprio ſine libertate legetur. *Legatum enim ſeruo proprio teſtatoris relictum, ipſo iure non uidet. de quo ſ. libro prox. cap. 3. except. 25. tertia except. eſt dictum. Planè ſi ſeruo teſtatoris cum alio communi ſit legatum, iuri adcreſcendi eſt locus. de quo paulò inferius dupl. 2. Aliud propoſitæ replicationis exemplum eſt: Si alter, cui ſimul uel ſeparatim legatum eſt, legati non ſit capax. Quod exemplum proponitur l. ſi Titio. 7. ff. de leg. 2. his uerbis:* Si Titio & ei qui capere non poteſt, decem legata ſint: quia duobus hæres dare damnatur, & unus capere non poteſt, quinq; ſola Titio dantur. *Aliud exemplum eſt: Si res legata ſit alterius legatarij. Quod exemplũ proponitur l. huiuſmodi. 81. §. ſi Titio. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si Titio & Mæuio legatus fuerit Stichus, qui Titij erat, debebitur pars Stichi Męuio. nam Titius, quamuis ad legatum non admittatur, partem facit. *Ait Iuriſconſultus:* Quũ Titij erat, *& ob id non uidet legatum, ſecundum ea quæ dicta ſunt ſ. lib. prox. cap. 5. except. 53. Aliud denique propoſitæ replicationis exemplum proponitur l. ſi duobus. 16. in prin. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si duobus coniunctim res legata ſit, quamuis alter in rerum natura non fuerit, alteri deberi ſolam partem: & hoc puto uerum eſſe. *Huic contradicit l. unica. §. & cum triplici. ibi: ea enim uel his. & §. in primo item. q. C. de caducis toll. cuius uerba uide ſ. lib. proxim. cap. 10. cauſa 42. except. 1. repl. 2. Planè propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi cùm duobus eſſet legatum, unus illorum hæres etiam ſit inſtitutus. hoc enim caſu, quamuis ipſo iure legatum à ſemetipſo alteri inutiliter ſit relictum, ſecundum ea quæ dicta ſunt ſ. libro proxim. cap. 3. except. 17. tamen alteri portio eius adcreſcit. quæ duplicatio approbatur l. planè. 34. §. ſi duobus. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſ. eodem cap. reg. 15. in princip. Huius duplicationis triplicatio prima hæc eſt: Niſi alter ex legatarijs hæredi, à quo legatum relictum eſt, hæres exiſtat: hoc enim caſu, quamuis in hæreditate hæredis etiam teſtatoris bona adquirat, & ita ipſi teſtatori ſuccedat, tamen coniuncto partem facit. quæ triplicatio approbatur d. §. ſi duobus. ibi: planè ſi alter, his uerbis:* Planè ſi alter ex legatarijs hæres extiterit hæredi, à quo legatum erat relictum, nõ ideo minus partem collegatario faciet: retinet enim pro parte legatum. *Secunda triplicatio eſt: Niſi alter ex legatarijs pro parte tantùm teſtatori hæres exiſtat. tũc enim nõ tota eius portio, ſed pro ea parte, pro qua teſtatori hæres exiſtit, coniuncto adcreſcit. quæ triplicatio approbatur l. legatum. 113. §. 1. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ſuprà eodem capite, reg. 15. Hæc de prima duplicatione propoſitæ replicationis. Secunda duplicatio eſt: Niſi teſtator ſeruo ſibi*

sibi cum alio communi legauit. hoc enim casu, quamuis ab initio legatum seruo relictum, quatenus testatoris est, non consistat: tamen in solidum alteri socio iure adcrescendi legatum debetur. quæ duplicatio approbatur per ea quæ dicta sunt ꝛ. lib. prox. cap.3. except.25. tertia except. repl.4. Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi unus ex socijs seruo communi partem quã in seruo habet, legauerit. tunc enim socio solidum non adquiritur, sed seruus liber fit. quæ triplicatio approbatur l.2. C. de communi seruo manumisso. cuius uerba uide ꝛ. lib.19. cap.6. except.11. repl.17. Hactenus de secunda propositæ exceptionis replicatione sit dictũ. Tertia eius replicatio est: Nisi non in totum defecerit legatum in unius persona, sed adhuc pendeat, forte conditione legati in persona coniuncti adhuc pendente. tunc enim, quamuis coniunctus nondum legatum petere possit, tamen alteri non nisi pro parte legatum debetur. quæ replicatio approbatur l. planè. 34. §. sed etsi in pup. ibi: interim igitur. ff. de leg.1. cuius uerba uide ꝛ. eod. reg. except.2. Aliud exemplum proponitur l. quidam. 6. §. fin. cum duabus ll. sequentibus. ff. de rebus dubijs. cuius uerba uide ꝛ. eadem exceptione, exemplo 1. Quarta replicatio est: Nisi dies legati cesserit: hoc enim casu, quamuis coniunctus mortuus sit, ad hæredem suum legatum transmittit, nec alteri coniuncto adcrescit. quæ replicatio approbatur l. libertis. 4. in prin. ibi: post diẽ autem. ff. de alimentis legatis. cuius uerba uide ꝛ. cap.3. reg.16. except.6. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi alter alteri sit substitutus: tunc enim mortuo altero post diem legati cedentem, non transmittit ad hæredem suum, sed substituto adcrescit. quæ duplicatio approbatur l. Titia. 89. §. Seia. ff. de leg.2. his uerbis: Seia libertis suis fundum legauit, fideiq; eorum ita commisit: Fidei autem uestræ Vere & Sapide committo, ne eum fundum uendatis: eumq; qui ex uobis ultimus decesserit, cum morietur, restituat Symphoro liberto meo & successori, & Beryllo & Sapido, quos infrà manumisi, quiue ex his tunc superuiuent. quæro, cum nec in prima parte testamenti, qua fundum prælegauit, eos substituit, in secunda autem adiecerit uerbum, Qui ultimus decesserit: an pars unius defuncti ad alterum pertineat? Paulus respondit, testatricem uideri in eo fideicommisso, de quo quæritur, duos gradus substitutionis fecisse: unum, ut is qui ex duobus prior moreretur, alteri restitueret: alterum, ut nouissimus his restitueret, quos nominatim postea enumerauit. *Plura de proposita duplicatione uide ꝛ. cap.1. membr.3. reg.1. exceptione 6. Secunda duplicatio est: Nisi duobus eadem re ab imperatore donata, alter ex ijs sine hærede decesserit: hoc enim casu portio eius ad alterum pertinet. quæ duplicatio approbatur l. unica. C. si liberalitatis Imper. socius sine hærede decesserit, lib.10. his uerbis:* Iubemus, ut si quis forte ex his quibus communiter à nobis aliquid donatum sit, nullo hærede relicto decesserit, ad consortem potius solatium, quàm ad personam aliã pars decedentis perueniat. *Quinta replicatio est: Nisi ei, in cuius persona legatum defecit, ante diem legati cedentem res uel portio sit restituta. quæ replicatio ipso quidem iure reprobatur, eiusq; exemplum proponitur l. uxorem. 39. §. Seium. ff. de leg.3. cuius uerba uide ꝛ. lib.34. cap.5. quæst.3. except.22. Admittitur autem in casu, qui proponitur l. mulier. 22. in prin. ff. ad S.C. Trebell. his uerbis:* Mulier quæ duobus filijs in potestate patris relictis alij nupserat, posteriorem maritum hæredem instituit, eumq; rogauit, liberis suis post mortem patris eorum hæreditatem suam restituere, uel ei qui eorum superesset. eisdem emancipatis à patre suo uitricus restituisse hæreditatem dicebatur, mox alter ex filijs uiuo patre decessisse. quærebatur, an is qui supererat ex filijs, partem fratri suo restitutam petere possit, quasi præmaturè datam? Scæuola diuum Marcum in auditorio de huiusmodi specie iudicasse refert: Brasidas quidam Lacedæmonius, uir prætorius, cùm filijs suis ab uxore diuortio separata, si morte patris sui iuris fuissent effecti, fideicommissum relictum esset, eos emancipauerat: post emancipationẽ fideicommissum petebant. decreuisse igitur diuum Marcum refert, fideicommissum eis repræsentandum, intellecta matris uoluntate: quæ quia non crediderat patrem eos emancipaturum, distulerat in mortem eius fideicommissum, non dilatura id in mortalitatem, si eum emancipaturum speraisset. Secundum hæc dicebam, & in propositam quæstionem decretum diui Marci esse trahendum, & rectè fideicommissum utrisq; solutum. *Sexta replicatio est: Nisi alteri conditio, sub qua ei legatum est, à lege sit remissa: tunc enim ei portio in alterius persona deficiens non adcrescit. quæ replicatio approbatur simul & declaratur l. mulieri. 72. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis:* Mulieri & Titio usus fructus, si non nupserit mulier, relictus est. si mulier nupserit, quamdiũ Titius uiuet, & in eodẽ statu erit, partem usus fructus habebit. tantum enim beneficio legis ex legato mulieri esse concessum, intelligendum est, quantum haberet, si conditioni paruisset: nec si Titius, qui conditione defectus est, legatũ repudiet, ea res mulieri proderit. *Aliud exemplum proponitur l. Lucius. 90. §. quisquis. ff. de leg.2. cuius uerba uide ꝛ. lib. prox. cap.9. causa 15. except.8. Septima replicatio est: Nisi seruo plurium communi sit legatum: tunc enim, quamuis legatum in unius domini persona defecerit, alteri tamen non adcrescit. quæ replicatio approbatur l. & Proculo. 20. ff. de leg.2. his uerbis:* Et Proculo placebat, & à patre sic accepi (*Celsus inquit*) quod seruo communi legatum sit, si alter dominorum omitteret, alteri non adcrescere: nõ enim coniunctim, sed partes

partes legatas. nam si ambo uindicarent, eam quenq; legati partem habiturũ, quam in seruo haberent. *Octaua replicatio est l. pater. 36. §. filiam. ff. de leg.3. cuius hæc sunt uerba:* Filiam suam hæredem scripserat, & ita cauerat: Veto autem ædificium de meo nomine exire: sed ad uernas meos, quos hoc testamento nominaui, pertinere uolo. quæsitum est, defuncto hærede & legatarijs uernis, an ad unũ libertũ, qui remansit, totũ fideicommissum pertineret? Scæuola respondit, ad eum qui ex uernis superesset, secundum ea quæ proponerentur, uirilem partem pertinere. *Glossa utrilem partem interpretatur pro toto. quæ interpretatio si recipiatur, uerbis istis exemplum propositæ exceptionis, non replicatio nobis proponitur. Hactenus, an coniunctis portio deficiens adcrescat, tractatum est: nunc quibus adcrescat, explicandum.*

QVIBVS PORTIO DEficiens adcrescat.

Huius loci regula est, Quòd si eadem res duobus cõiunctim, & tertio separatim sit relicta, deficiente legato in persona unius ex coniunctis, portio eius non ei cui separatim, sed ei cui coniunctim legatum est, adcrescat. quæ regula approbatur l. re coniuncti. 87. ff. de leg.3. his uerbis: Re coniuncti uidentur, non etiam uerbis, cùm duobus separatim eadẽ res legatur. item uerbis, non etiam re: Titio & Seio fundum æquis partibus do lego. quoniam semper partes habent legatarij. Præfertur igitur omnimodò cæteris, qui & re & uerbis coniunctus est. quòd si re tantùm coniunctus sit, constat non esse potiorem: si uerò uerbis quidem coniunctus sit, re autem non, quæstionis est, an coniunctus potior sit? & magis est, ut ipse præferatur. *Ait Iurisconsultus:* Præfertur igitur omnimodò cæteris, qui & re & uerbis coniunctus est. *Hisce uerbis regula proposita approbatur, eiusq; exemplum est: Si Titio & Mæuio fundus sit legatus, posteaq; idem fundus sit legatus Sempronio. hoc enim casu, si Mæuius moriatur ante diem legati cedentem, portio eius non Sempronio, sed Titio in solidum adcrescit: quia is & re & uerbis fuit coniunctus, Sẽpronius disiunctus. Concordat l. unica. §. sin uerò quidam ex hæredibus. C. de caduc. tollend. cuius uerba uide ꝛ. lib.28. cap.24. reg.1. in prin. Ait Iurisconsultus:* Quòd si re tantùm coniunctus sit, constat non esse potiorem. *Hisce uerbis exceptio proponitur aduersus regulam propositam, talis scilicet: Nisi non uerbis, sed re tantùm sit coniunctus: tunc enim nõ præfertur alijs. cuius exemplum proponitur l. Mæuio. 42. in prin. ff. de leg.2. his uerbis:* Mæuio fundi partem dimidiam, Seio partem dimidiam lego, eundem fundum Titio lego. Si Seius decesserit, pars eius utriq; adcrescit: quia cum separatim & partes fundi, & totus legatus sit: necesse est, ut ea pars, quæ cessat de portione legati, cuiq; eorum quibus fundus separatim legatus est, adcrescat. *Concordat d. §. sin uerò quodam. ibi: sin autem ex his. Plura de quæstione proposita, quibus adcrescat, uide ꝛ. lib. prox. cap.13. quæst.1. item lib. 28. cap.24. reg.2.*

QVANTVM ADCRESCAT?

Huius loci regula est, Quòd si pluribus portio deficiens adcrescat, singulis nõ pro ea parte, quã in legato habent, sed pro parte uirili adcrescat. Quæ regula approbatur l. unica. §. ubi autem. ibi: pro uirili. C. de caducis toll. his uerbis: Vbi legatarij uel fideicommissarij duo fortè uel plures sunt, quibus aliquid relictum sit: siquidem hoc coniunctim relinquatur, & omnes ueniant ad legatum, pro sua quisque portione hoc habeat. Sin uerò pars quædam ex his deficiat, sanci mus eam omnibus, si habere maluerint, pro uirili portione cum omni suo onere adcrescere: uel si omnes noluerint, tunc apud eos remanere, à quibus derelictum est: cum uerò quidam noluerint, quidam noluerint, uolentibus solummodò totum accedere. *Hactenus de iure adcrescendi. de quo uide plura ꝛ. lib. eod. cap.1. quæst.3. item lib.28. cap.24.*

XXVI. *Regula: Si testator generaliter legata ab instituto relicta, à substituto duplicari uoluit, quæ legata in duplum non debeantur, definitur l. Lucius. 90. §. impuberẽ. ff. de leg.2. cuius uerba uide ꝛ. lib. prox. cap. 9. causa 17. except.10.*

XXVII. *Regula: Si, cum quis rogatus esset alicui restituere hæreditatem, & post aliquod tempus dimidiam eius hæreditatis partem recipere, is deducta quarta parte hæreditatem restituit, quantum tempore existente recipere debeat, definitur l. liberto. 21. §. filium. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Filium ex dodrante, uxorem ex quadrante instituit hæredes, & filij fidei commisit, ut nouercæ restitueret hæreditatem: ab ea autem petijt, ut infirmitatem filij commendatam haberet, eiq; menstruos aureos denos præstaret, donec ad uicesimumquintum annum ætatis peruenisset: cum autem implesset eam ætatem, partem dimidiam hæreditatis ei restitueret. filius deducta dodrantis parte quarta, ex qua institutus erat, nouercæ hæreditatem restituit, & postea adimpleuit uicesimumquintum annum ætatis. quæsitum est, cùm nouerca uniuersæ hæreditatis habeat dodrantem, semiunciam, & sicilicũ: an eius partem dimidiam priuigno suo restitueret? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, tantum restituendum, quantũ cum eo, quod Falcidiæ nomine filius deduxit, semisset faceret. Idẽ quæsiuit, an quòd infirmitati filij pater consulere uoluerit, fructus quoq; medij temporis nouerca ei restituere deberet? Respondit, secundum ea quę proponerentur, debere. *Quæ hic de fructibus restituendis dicuntur, ea pertinent ad ea quæ dicta sunt ꝛ. cap.3. reg.11. except.2.*

sibi cum alio communi legauit. hoc enim casu, quamuis ab initio legatum seruo relictum, quatenus testatoris est, non consistat: tamen in solidum alteri socio iure adcrescendi legatum debetur. quæ duplicatio approbatur per ea quæ dicta sunt ff. lib. prox. cap. 3. except. 25. tertia except. repl. 4. Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi unus ex socijs seruo communi partem quã in seruo habet, legauerit. tunc enim socio solidum non adquiritur, sed seruus liber fit. quæ triplicatio approbatur l. 2. C. de communi seruo manumisso. cuius uerba uide ff. lib. 19. cap. 6. except. 11. repl. 17. Hactenus de secunda propositæ exceptionis replicatione sit dictũ. Tertia eius replicatio est: Nisi non in totum defecerit legatum in unius persona, sed adhuc pendeat, fortè conditione legati in persona coniuncti adhuc pendente. tunc enim, quamuis coniũctus nondum legatum petere possit, tamen alteri non nisi pro parte legatum debetur. quæ replicatio approbatur l. planè. 34. §. sed etsi in pup. ibi: interim igitur. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ff. eod. reg. except. 2. Aliud exemplum proponitur l. quidam. 6. §. fin. cum duabus ll. sequentibus. ff. de rebus dubijs. cuius uerba uide ff. eadem exceptione, exemplo 1. Quarta replicatio est: Nisi dies legati cesserit: hoc enim casu, quamuis coniũctus mortuus sit, ad hæredem suum legatum transmittit, nec alteri coniuncto adcrescit. quæ replicatio approbatur l. libertis. 4. in prin. ibi: post diẽ autem. ff. de alimentis legatis. cuius uerba uide ff. cap. 3. reg. 16. except. 6. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi alter alteri sit substitutus: tunc enim mortuo altero post diem legati cedentem, non transmittit ad hæredem suum, sed substituto adcrescit. quæ duplicatio approbatur l. Titia. 89. §. Seia. ff. de leg. 2. his uerbis: Seia libertis suis fundum legauit, fideiq; eorum ita commisit: Fidei autem uestræ Vere & Sapide committo, ne eum fundum uendatis: eumq; qui ex uobis ultimus decesserit, cum morietur, restituat Sympho ro liberto meo & successori, & Beryllo & Sapido, quos infrà manumisi, quive ex his tunc superuiuent. quæro, cum nec in prima parte testamenti, qua fundum prælegauit, eos substituit, in secunda autem adiecerit uerbum, Qui ultimus decesserit: an pars unius defuncti ad alterum pertineat? Paulus respondit, testatricem uideri in eo fideicommisso, de quo quæritur, duos gradus substitutionis fecisse: unum, ut is qui ex duobus prior moreretur, alteri restitueret: alterum, ut nouissimus his restitueret, quos nominatim postea enumerauit. *Plura de propositâ duplicatione uide ff. cap. 1. membr. 2. reg. 1. exceptione 6. Secunda duplicatio est: Nisi duobus eadem re ab imperatore donata, alter ex ijs sine hærede decesserit: hoc enim casu portio eius ad alterum pertinet. quæ duplicatio approbatur l. unica. C. si liberalitatis imper. socius sine hærede decesserit, lib. 10. his uerbis:* Iubemus, ut si quis forte ex his quibus communiter à nobis aliquid donatum sit, nullo hærede relicto decesserit, ad consortem potius solatium, quàm ad personam aliã pars decedentis perueniat. *Quinta replicatio est: Nisi ei, in cuius persona legatum defecit, ante diem legati cedentem res uel portio sit restituta. quæ replicatio ipso quidem iure reprobatur, eiusq; exemplum proponitur l. uxorem. 39. §. Seium. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ff. lib. 34. cap. 5. quæst. 3. except. 22. Admittitur autem in casu, qui proponitur l. mulier. 22. in prin. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Mulier quæ duobus filijs in potestate patris relictis alij nupserat, posteriorem maritum hæredem instituit, eumq; rogauit, liberis suis post mortem patris eorum hæreditatem suam restituere, uel ei qui eorum supereſſet. eisdem emancipatis à patre suo uitricus restituisse hæreditatem dicebatur, mox alter ex filijs uiuo patre decessisse. quærebatur, an is qui superat ex filijs, partem fratri suo restitutam petere possit, quasi præmaturè data? Scæuola diuum Marcum in auditorio de huiusmodi specie iudicasse refert: Brasidas quidam Lacedæmonius, uir prætorius, cùm filijs suis ab uxore diuortio separata, si morte patris sui iuris fuissent effecti, fideicommissum relictum esset, eos emancipauerat: post emancipationẽ fideicommissum petebant. decreuisse igitur diuum Marcum refert, fideicommissum eis repræsentandum, intellecta matris uoluntate: quæ quia non crediderat patrem eos emancipaturum, distulerat in mortem eius fideicommissum, non dilatura id in mortalitatem, si eum emancipaturum speraſſet. Secundum hæc dicebam, & in propositam quæstionem decretum diui Marci esse trahendum, & rectè fideicommissum utrisq; solutum. *Sexta replicatio est: Nisi alteri conditio, sub qua ei legatum est, à lege sit remissa: tunc enim ei portio in alterius persona deficiens non adcrescit. quæ replicatio approbatur simul & declaratur l. mulieri. 72. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis:* Mulieri & Titio usus fructus, si non nupserit mulier, relictus est. si mulier nupserit, quamdiù Titius uiuet, & in eodẽ statu erit, partem usus fructus habebit. tantum enim beneficio legis ex legato mulieri esse concessum, intelligendum est, quantum haberet, si conditioni paruisset: nec si Titius, qui conditione defectus est, legatũ repudiet, ea res mulieri proderit. *Aliud exemplum proponitur l. Lucius. 90. §. quisquis. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ff. lib. prox. cap. 9. causa 15. except. 8. Septima replicatio est: Nisi seruo plurium communi sit legatum: tunc enim, quamuis legatum in unius domini persona defecerit, alteri tamen non adcrescit. quæ replicatio approbatur l. & Proculo. 20. ff. de leg. 2. his uerbis:* Et Proculo placebat, & à patre sic accepi (*Celsus inquit*) quod seruo communi legatum sit, si alter dominorum omitteret, alteri non adcrescere: nõ enim coniunctim, sed partes

partes legatas. nam si ambo uindicarent, eam quenq; legati partem habiturũ, quam in seruo haberent. *Octaua replicatio est l. pater. 36. §. filiam. ff. de leg. 3. cuius hæc sunt uerba:* Filiam suam hæredem scripserat, & ita cauerat: Veto autem ædificium de meo nomine exire: sed ad uernas meos, quos hoc testamento nominaui, pertinere uolo. quæsitum est, defuncto hærede & legatarijs uernis, an ad unũ libertũ, qui remansit, totũ fideicommissum pertineret? Scæuola respondit, ad eum qui ex uernis supereſſet, secundum ea quæ proponerentur, uirilem partem pertinere. *Glossa uirilem partem interpretatur pro toto, quæ interpretatio si recipiatur, uerbis istis exemplum propositæ exceptionis, non replicatio nobis proponitur. Hactenus, an coniunctis portio deficiens adcrescat, tractatum est: nunc quibus adcrescat, explicandum.*

QVIBVS PORTIO DEficiens adcrescat.

Huius loci regula est, Quòd si eadem res duobus cõiunctim, & tertio separatim sit relicta, deficiente legato in persona unius ex coniunctis, portio eius non ei cui separatim, sed ei cui coniunctim legatum est, adcrescat. quæ regula approbatur l. re coniuncti. 87. ff. de leg. 3. his uerbis: Re coniuncti uidentur, non etiam uerbis, cùm duobus separatim eadẽ res legatur. item uerbis, non etiam re: Titio & Seio fundum æquis partibus do lego. quoniam semper partes habent legatarij. Præfertur igitur omnimodò cæteris, qui & re & uerbis coniunctus est. quòd si re tantùm coniunctus sit, constat non esse potiorem: si uerò uerbis quidem coniunctus sit, re autem non, quæstionis est, an coniunctus potior sit? & magis est, ut ipse præferatur. *Ait iurisconsultus:* Præfertur igitur omnimodò cæteris, qui & re & uerbis coniunctus est. *Hisce uerbis regula proposita approbatur, eiusq; exemplum est: Si Titio & Mæuio fundus sit legatus, posteaq; idem fundus sit legatus Sempronio, hoc enim casu, si Mæuius moriatur ante diem legati cedentem, portio eius non Sempronio, sed Titio in solidum adcrescit: quia is & re & uerbis fuit coniunctus, Sẽpronius disiunctus. Concordat l. unica. §. fin uerò quidam ex hæredibus. C. de caduc. tollend. cuius uerba uide ff. lib. 28. cap. 24. reg. 1. in prin. Ait Iurisconsultus:* Quòd si re tantùm coniunctus sit, constat non esse potiorem. *Hisce uerbis exceptio proponitur aduersus regulam propositam, talis scilicet: Nisi non uerbis, sed re tantùm sit coniunctus: tunc enim nõ præfertur alijs. cuius exemplum proponitur l. Mæuio. 42. in prin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Mæuio fundi partem dimidiam, Seio partem dimidiam lego, eundem fundum Titio lego. Si Seius decesserit, pars eius utriq; adcrescit: quia cum separatim & partes fundi, & totus legatus sit: necesse est, ut ea pars, quæ cessat de portione legati, cuiq; eorum quibus fundus separatim lega tus est, adcrescat. *Concordat d. §. fin uerò quodam. ibi: fin autem ex his. Plura de quæstione propositâ, quibus adcrescat, uide ff. lib. prox. cap. 13. quæst. 1. item lib. 28. cap. 24. reg. 2.*

QVANTVM ADCRESCAT?

Huius loci regula est, Quòd si pluribus portio deficiens adcrescat, singulis nõ pro ea parte, quã in legato habent, sed pro parte uirili adcrescat. Quæ regula approbatur l. unica. §. ubi autem. ibi: pro uirili. C. de caducis toll. his uerbis: Vbi legatarij uel fideicommissarij duo fortè uel plures sunt, quibus aliquid relictum sit: si quidem hoc coniunctim relinquatur, & omnes ueniant ad legatum, pro sua quisque portione hoc habeat. Sin uerò pars quædam ex his deficiat, sanci mus eam omnibus, si habere maluerint, pro uirili portione cum omni suo onere adcrescere: uel si omnes noluerint, tunc apud eos remanere, à quibus derelictum est: cum uerò quidam noluerint, quidam noluerint, uolentibus solummodò totum accedere. *Hactenus de iure adcrescendi. de quo uide plura ff. lib. eod. cap. 1. quæst. 3. item lib. 28. cap. 24.*

XXVI. *Regula: Si testator generaliter legata ab instituto relicta, à substituto duplicari uoluit, quæ legata in duplum non debeantur, definitur l. Lucius. 90. §. impuberẽ. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ff. lib. prox. cap. 9. causa 57. except. 10.*

XXVII. *Regula: Si, cum quis rogatus esset alicui restituere hæreditatem, & post aliquod tempus dimidiam eius hæreditatis partem recipere, is deducta quarta parte hæreditatem restituit, quantum tempore existente recipere debeat, definitur l. liberto. 21. §. filium. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Filium ex dodrante, uxorem ex quadrante instituit hæredes, & filij fidei commisit, ut nouercæ restitueret hæreditatem: ab ea autem petijt, ut infirmitatem filij commendatam haberet, eiq; menstruos aureos denos præstaret, donec ad uicesimum quintum annum ætatis peruenisset: cum autem impleſſet eam ætatem, partem dimidiam hæreditatis ei restitueret. filius deducta dodrantis parte quarta, ex qua institutus erat, nouercæ hæreditatem restituit, & postea adimpleuit uicesimum quintum annum ætatis. quæsitum est, cùm nouerca uniuersæ hæreditatis habeat dodrantem, semiunciam, & sicilicũ: an eius partem dimidiam priuigno suo restitueret? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, tantum restituendum, quantũ cum eo, quod Falcidiæ nomine filius dedu xit, semiſſem faceret. Idẽ quæsiuit, an quòd infirmitati filij pater consulere uoluerit, fructus quoq; medij temporis nouerca ei restituere deberet? Respondit, secundum ea quę proponerentur, debere. *Quæ hîc de fructibus restituendis dicuntur, ea pertinent ad ea quæ dicta sunt ff. cap. 3. reg. 11. except. 2.*

XXVIII. Regula: *Si triginta annua, bima, trima die sint relicta, quantum singulis annis debeatur, definitur l. si legatum, 3. ff. de annuis legatis. de quo ȝ. libro prox. cap. 8. quæst. 7.*

XXIX. Regula: *Quanti res legatæ æstimandæ, uide ȝ. lib. prox. cap. 2. quæst. 4.*

QVANDO COMPETAT actio legatorum ex testamento, & quando dies legatorum cedat. Cap. VIII.

HActenus quid, quale & quantũ ueniat in actione legatorum petendum, quinq; capitibus expositum est atq; tractatum: sequuntur nunc reliqui eius actionis loci explicãdi. Proinde quando actio legatorum competat, & dies legatorum cedat, nunc est cognoscendum. Sanè ante diem legati cedentem legatorum actio competere non potest: sed postquam dies legati cessit, competit. Planè interdum nec post diem legati cedentem statim competit actio: quoniam dies quidem legati ante aditam hæreditatẽ cedere potest, actio autem legatorum nunquam, nisi adita hæreditate, potest competere. Quod approbatur l. hæredis. 7. in prin. ff. quando dies leg. ced. his uerbis: Hæredis aditio morã legati quidem petitioni facit, cessioni diei non facit. *Concordat l. omnia. 32. in prin. ff. de leg. 2. his uerbis*: Omnia quæ testamentis sine die uel conditione adscribuntur, ex die aditæ hæreditatis præstantur. *Proinde aliud est diem cedere, aliud diem uenire. Cedit dies, cum incipit deberi legatum: uenit dies, cum debitum legatũ potest peti.* Quod approbatur *simul & exemplis declaratur l. cedere. 21. ff. de uerb. sign. his uerbis*: Cedere diem significat, incipere deberi pecuniam: uenire diem significat, eũ diem uenisse, quo pecunia peti possit. Vbi purè quis stipulatus fuit, & cessit & uenit dies: ubi in diẽ, cessit dies, sed nondum uenit: ubi sub conditione, neq; cessit, neq; uenit dies, pendente adhuc conditione. *Vnde Paulus*: Deberi dicimus *(inquit)* & quod die certa pręstari aduersario oportet, licet dies nondum uenerit. *l. non tamen. 9. ff. ut legat. seruand. causa caueatur. Inter diem autem cedentem, & diem uenientẽ differentia hæc est, quòd si legatarius ante diem legati cedentẽ moriatur, legatum ad suos hæredes non transmittat. de quo ȝ. lib. prox. cap. 9. causa 10. Secus autem, si ante diem uenientem sit mortuus. hoc enim casu legatum nihilominus ad hæredes eius transmittitur, dummodò post diem legati cedentem decesserit.* Quod approbatur *l. hæredis. 7. ff. quando dies leg. cedat. cuius uerba uide ȝ. d. cap 9. caus. 12. Huic concordat l. cum illud. 25. ş. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide ȝ. lib. proxim. cap. 5. except. 45. repl. 1.* Nunc ad propositum.

I. Regula: *Dies igitur legatorum regulariter cedit, & per consequens legati actio competit à die mortis testatoris. quod loco primæ regulæ est notandum. Quæ regula approbatur l. unica. ş. cum igitur. C. de cad. toll. his uerbis*: Cum materiam & exordiũ caduca corum lex Papia ab aditionibus, quæ circa defunctorũ hæreditates procedebant, sumpsit: & ideo non à morte testatoris, sed ab apertura tabularũ dies cedere legatorum Senatusconsulta, quæ circa legem Papiam introducta sunt, censuerũt, ut quod in medio deficiat, hoc caducũ fiat: primùm hoc corrigentes, & antiquũ statum renouantes, sancimus omnes habere licentiam à morte testatoris adire hæreditatẽ, similiq; modo legatorum, uel fideicommissorum, purè uel in diem certam relictorũ, diem à morte testatoris cedere. *Concordat d. l. unica. ş. in nouissimo. ibi: & dies legatorũ, his uerbis*: Censemus & dies legatorum, & fideicommissorũ, secundum quod prędiximus, à morte defuncti cedere. *Concordat item l. si post. 5. in prin. ibi: itaq; si purum. ff. quando dies legat. cedat, his uerbis*: Si purum legatum sit, ex die mortis dies eius cedit. Si uerò post diem sint legata relicta, simili modo atq; in puris dies cedit: nisi fortè id fuit legatum, quod ad hærẽ non transit. Nam huius dies nõ antè cedit: utputa, si usus fructus pòst annũ sit relictus. hanc enim sententiã probamus. *Concordat item l. si dies. 21. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide ȝ. except. prox. Planè propositæ regulæ plures sunt exceptiones, quæ sequuntur.*

I. Exceptio: *Nisi non purè, sed in diem legatum uel fideicommissum sit relictum: hoc enim casu à die uenientẽ legati dies cedit. Quæ exceptio approbatur simul et distinguitur d. l. 21. in prin. ff. quando dies leg. ced: his uerbis*: Si dies adposita legato nõ est, præsens debetur: & cõfestim ad eum pertinet, cui datum est. Dies adiecta, quamuis longa sit, si certa, ueluti calendis Ianuarijs centesimis: dies quidẽ legati statim cedit, sed ante diẽ peti non potest. at si incerta, ueluti cum pubes erit, cum in familia filia nupserit, cũ magistratũ inierit, cum aliquod demum (quod scribendo comprehendere sit commodũ) fecerit: nisi temporis cõditio obtingit, neq; res pertinere, neq; dies legati cedere potest. *Concordat l. 1. ş. dies. ff. de cond. & demonst. cuius uerba uide ȝ. lib. prox. cap. 9. causa 10. in prin. item l. unica. ş. fin autem aliquid. C. de cad. tol. cuius uerba uide ȝ. except. prox.* Ait *Iurisconsultus*: Dies adiecta, quãuis longa sit, si certa: dies quidem legati statim cedit, sed ante diem peti nõ potest. *Hisce uerbis prima aduersus exceptionem propositam replicatio approbatur, hæc scilicet: Nisi dies certus legato sit adiectus. hoc enim casu statim à die mortis testatoris dies legati cedit: quamuis die legato adiecta nõ existente, actio nõ detur. Concordat l. si post. 5. in prin. ibi: si uerò post diẽ. ff. d. tt. cuius uerba uide ȝ. ead. reg. in prin. Concordat item l. 1. ff. de cond. & demonstr. his uerbis*: Legatis quæ relinquuntur, dies aut certus, aut incertus, aut conditio adscribitur: aut (si nihil horum factum sit) præsentia sunt, nisi uel ipsa conditio insit. Cum dies certus scriptus

ptus est, quamuis dies nondum uenerit, soluti tamen possunt: quia certum est ea debitũ iri. *Cætera uide suprà lib. prox. cap. 9. causa 10. in prin. Concordat item l. Sempronius. 26. in prin. ibi: dies quidem. ff. de usufructu legat. his uerbis*: Dies quidem fideicommissi uel legati statim cedit, cum post certum tempus hæres dare rogatur, siue iubetur. *Concordat demum l. in quantitate. 73. ş. in diem. ff. ad l. Falcidiam. cuius uerba uide ȝ. cap. prox. caut. 3. quæst. 1. exc. 1. item l. unica. ş. cum igitur materiã. ibi: similiq; modo. C. de caduc. tollend. cuius uerba uide paulò superius ead. reg. in prin. Huius replicationis prima duplicatio est: Nisi id in diem certum relictũ sit, quod ad hæredem non transit. Quæ duplicatio approbatur l. si post. 5. in prin. ibi: si uerò post. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis*: Si uerò post diem sint legata relicta, simili modo atq; in puris dies cedit: nisi fortè id fuit legatum, quod ad hæredem non transit. nam huius dies non antè cedit: utputa, si usus fructus post annum sit relictus. hanc enim sententiam probamus. *Secunda propositæ replicationis duplicatio est: Nisi præter diem certum, & incertus dies sit adiectus. Quæ duplicatio approbatur exemplo l. si cui. 49. ş. 1. ibi: hoc autem. ff. de leg. 1. his uerbis*: Hoc legatum, Cum ad quatuordecim annos peruenerit, annua, bima, trima die: & conditionale est, & in diem. conditionale est tandiu, quandiu decimusquartus annus sit completus: postea in diem. Et ideo, siquidem ante decimumquartũ annum decesserit, ad hæredẽ nihil transit: cæterùm postea ad hæredem transfertur. *Reliquas propositæ exceptionis replicationes uide ȝ. except. prox. quæcunq; enim eius exceptionis, eædem & huius sunt replicationes.*

I I. Exceptio: *Nisi sub conditione sit legatum. hoc enim casu non nisi conditione existente legatum debetur, eiusq; dies cedit. Quæ exceptio approbatur d. l. 5. ş. 1. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis*: Si sub conditione sit legatum relictum, nõ prius dies legati cedit, quàm conditio fuerit impleta: ne quidem si ea sit conditio, quæ in potestate sit legatarij. *Concordat l. unica. ş. fin autem aliquid. C. de caduc. toll. his uerbis*: Sin autem aliquid sub conditione relinquatur, uel casuali, uel potestatiua, uel mista, quarum euentus ex fortuna, uel ex oneratæ personæ uoluntate, uel utroq; pendeat, uel sub die incerta: expectari oportet conditionis euentum, sub qua fuerit derelictum, uel diem, ut tunc cedat, cum uel conditio impleatur, uel dies incertus extiterit. *Concordat item l. legata. 40. ff. de cond. & demonstr. his uerbis*: Legata sub conditione relicta, non statim, sed cum conditio extiterit, deberi incipiunt, ideoq; interim legari non potuerunt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi talis sit conditio, quam ius remittit. Quæ replicatio approbatur l. si post. 5. ş. 1. quando dies legati cedat, his uerbis*: Sed si ea conditio sit, quam Prætor remittit, statim dies cedit: idemq; & in impossibili conditione, quia pro puro hoc legatum habetur. *Ait* I. C. Si ea conditio sit, quã Prætor remittit. *Quæ sint huiusmodi conditiones, dicetur ȝ. lib. prox. cap. 6. Secunda replicatio est: Nisi non stet per legatarium, quo minus conditio impleatur. Hæc replicatio approbatur d. l. 5. ş. 1. his uerbis*: Si qua conditio sit, quæ per legatarium non stat, quo minus impleatur, sed aut per hæredem, aut per eum in cuius persona iussus est parêre conditioni: eius dies legati cedit, quoniam pro impleta habetur: utputa, si iussus sim hæredi decem dare, & ille accipere nolit. Sed etsi ita mihi legatum sit, si Seiam uxorem duxero, nec ea uelit nubere: dicendum erit, diem legati cedere: quia per me non stat, quo minus paream conditioni: sed per alium stat, quo minus impleatur conditio. *Tertia replicatio est: Nisi sub eadem conditione legatum sit relictum, sub qua hæres est institutus. Quæ replicatio approbatur l. si dies. 21. ş. fin. ff. quando dies legati cedat, his uerbis*: Si sub conditione, qua te hæredem institui, Titio legatum sit: Pomponius putat, perinde huius legati diem cedere, atque si purè relictum esset: quoniam certum esset hæredem existente debitum iri: neq; enim per conditionem hæredum fieri incerta legata, nec multum interesse tale legatum ab hoc, Si erit hæres, dato. *Concordat l. aliquando. 105. ff. de cond. & demonst. his uerbis*: Aliquando accidit, ut sub conditione datum legatum purum intelligatur: ueluti, quod sub eadem conditione relictum est, sub qua etiam hæres alius institutus est: item quod sub hac conditione relictum est, Si hæreditatem adierit. *Concordat item l. hæredis. 7. ş. tractari. ff. quando dies legati cedat, his uerbis*: Tractari potest, si impuberi substitutus damnatus sit, si intra pubertatem filius decesserit, Seio centum dare: an uiuo pupillo defunctus Seius ad hæredem transferat, quasi ea cõditio sit expressa, quæ inerat? & magis est, ad hęredẽ legatarij tranfire. *Quarta replicatio est: Nisi ita sit legatum, Si hæres erit: uel, Si hæres hæreditatem adierit, Mæuio decẽ dato. Hæc replicatio approbatur l. si Titio. 22. ş. quædam. ff. d. tt. his uerbis*: Quædam conditiones etiam superuacuæ sunt: ueluti si ita scribat, Titius hæres esto: si Titius hæreditatem meã adierit, Mæuio decẽ dato. nam pro non scripto ea conditio erit, ut omnimodò ad hæredem Mæuij legatum transeat, etiamsi Mæuius ante aditã hæreditatem decesserit. Et idem, si ita fuerit scriptum, Si Titius hæredi tatem meam adierit, intra dies centum Męuio decem dato. nam hoc legatum in diem erit, non sub conditione: quia definitio Labeonis probanda est, dicentis, id demum legatum ad hæredem legatarij tranfire, quod

certum sit debitum iri, si adeatur hereditas. *Concordat l.aliquando.105.ff.de condit.& demonst.cuius uerba uide ſ.repl.prox. Huius replicationis duplicationes uide ſ.lib.prox.cap.7.condit.6.reg.1. Quinta replicatio est: Nisi ita sit legatum, Siue illud factum fuerit, siue non. Hæc replicatio reprobatur l.huiusmodi. 13.ff.quando dies legati cedat, his uerbis:* Huiusmodi legatũ, Siue illud factum fuerit, siue non, illud do lego: ad hæredem non transit, nisi alteruter casus uiuo legatario extiterit: quoniam causa ex qua debeatur, præcedere semper debet: nec quia certum est alterutrum futurum, omnimodò debebitur. nam tale legatum, Cum morietur hæres, dato: certũ est debitum, & tamen ad hæredem legatarij non transit, si uiuo hærede decedat. *Sexta replicatio est: Nisi ab impuberis substituto ita legatum sit, Si intra pubertatem filius decesserit: hoc enim casu, antequàm filius impubes decesserit, dies legati cedit. Quæ replicatio approbatur l.hæredis.7. ſ.inde dicimus, in fin.ff.quando dies legati cedat. cuius uerba uide ſ.except.17. Septima replicatio est: Nisi duabus rebus alternatiuè legatis, altera purè, altera sub conditione sit legata. hoc enim casu alterius legati dies statim cedit. Quæ replicatio approbatur exemplo l.si ususfruct.14. in prin. ibi: argumentum. ff.quando dies leg. cedat, his uerbis:* Seiæ decem: aut si peperit, fundum hæres meus dato. nam si antequam pariat decesserit, ad hæredem suum decem transmittet. *Concordat l.si penum.24. ibi: & si interea.ff. d.tt. cuius uerba uide ſ.cap.5.reg.50. Contradicit l.cum illud.25. in prin.ff.d.tt. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap. 2.quæſt.5.reg.1.except.4. Octaua replicatio est: Nisi id in cõditione sit expressum, quod etiam tacitè inerat. Hæc replicatio reprobatur l.si intra.45. ſ.fin.ff.de condit.& demonstrat. his uerbis:* Sæpenumerò mutatur rei effectus, quanquam id expresserit testator: quod etsi non fecisset, ineesset tamen. *Exemplum huius proponitur l.si ita.64. ſ.illi, si uolet. ff.de legat.1. his uerbis:* Illi, si uolet, Stichum do. conditionale est legatum, & non aliter ad hæredem transit, quàm si legatarius uoluerit: quamuis aliàs, si sine adiectione, Si uolet, legatum sit, ad hæredem legatarij transmittatur. aliud est enim iuris, si quid tacitè continetur: aliud, si uerbis exprimatur. *Planè replicatio hæc admittitur in supradicta replic.4. Nona replicatio est: Nisi sub conditione, Si uolet, sit legatum. Hæc replicatio reprobatur uerbis iam dictis. Concordat l.si ita.67.ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Si ita expressum erit, Titio, si uoluerit, do lego: apud Labeonem Proculus notat, non aliter ad hæredem legatarij pertinere, quàm si ipse legatarius uoluerit ad se pertinere: quia conditio personæ iniuncta uideatur. *Planè admittitur replicatio proposita, si ita legatum sit, Cum petijsset. Quæ distinctio approbatur l.Titia.83. ff.eod.tt. his uerbis:* Titia hæredis instituti liberos habentis filij fidei commisit, uti rem eius uniuersam restitueret filijs eius libertisue eorum, cum ipsi petijssent sine ulla iuris cauillatione. quæro, an his uerbis, Cum illi à te petierint: conditio fideicommisso adscripta uideatur? Scæuola respondit, non uideri. *Concordat l.si decem.48. ff.de uerb.obligat. cuius uerba uide ſ. Sed & admittitur replicatio proposita in hæredum institutionibus. Quæ distinctio approbatur simul & distinguitur l.uerba.12. ff.de condit. instit. his uerbis:* Verba hæc, Publius Mæuius, si uolet, hæres esto: in necessario conditionem faciunt, ut si nolit, hæres non existat: in uoluntaria hæredis persona frustra adduntur: cum etsi non fuerint addita, inuitus hæres non efficiatur. *Concordat l.Cornelius.67. ff. de hæredibus instit. his uerbis:* Cornelius & Mæuius, uter eorum uolet, hæres esto. uterq; uult. Trebatius neutrũ fore hæredem, Carfilius utrunque. tu cui assentiris? Proculus: Carfilio assentior, & illam adiectionem, Vter eorum uolet: superuacuam puto. id enim etiam ea non adiecta futurum erat, ut uter uellet, hæres esset: & uter nollet, hæres nõ esset. quòd si hi ex numero necessariorum hæredum essent, tum id non frustra adiectum esse: & non solùm figuram, sed uim quoque conditionis continere. Dicerem tamen, si uterque hæres esse uellet, utrunque hæredem esse. *Concordat item l.iam dubitari.84. ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.lib.28.cap.12. except.117.repl.1. Decima replicatio est: Nisi cum ab instituto legatum relictum esset, cum moreretur: institutus hæres non existat, & ob id substitutus legatum debeat: hoc enim casu non uidetur instituti mortem esse expectandam. Verùm replicatio hæc reprobatur l.cum pater.79. ſ.ab instituto, in fine.ff.de leg.2. his uerbis:* Ab instituto extraneo prædia libertis, cum moreretur, uerbis fideicommissi reliquerat, & petierat, ne ex nomine familiæ alienarentur. substitutum ea prædia debere ex defuncti uoluntate, Papinianus respondit: sed utrum confestim, an sub eadem conditione, uoluntatis esse quæstionem: sed coniectura ex uoluntate testatoris capienda, morte instituti expectandam. *Planè admittitur proposita replicatio, si legatum ab instituto sub conditione relictum, à substituto sine conditione sit repetitum. de quo ſ.repl.prox. Vndecima replicatio est: Nisi legatum sub conditione relictum, postea sine conditione sit repetitum. Hæc replicatio approbatur l.seruo.110. ſ.si ab impubere. ff.de leg.1. his uerbis:* Si ab impubere legatum fuerit sub conditione, Si ad pubertatem peruenerit: & à substituto repetitum fuerit legatum, debetur & à substituto, nec uideturre petita conditio, quæ inutile legatum facit. *Concordat l.non ad ea.87. ibi: si prius. ff.de condition. & demonstrationib. his uerbis:* Si prius sub conditione, deinde purè legatum est, præsens debetur.

debetur. *Concordat item l.si cui.52. ſ.fin. ff.de legatis 1. his uerbis:* Si à filio impubere sub conditione legatum sit, & filius hæres extiterit, deinde mortuus sit: potest dici, patremfamiliâs, qui à filio sub conditione legauit, & à substituto purè repetijt, statim uoluisse à substituto dari, si filius pendente conditione decessisset. *Concordat item l.si fundum.78. ſ. si patersfamiliâs, in fine. ff.de leg.1. cuius uerba uide ſ. lib.prox.cap.9. cauſ.29. except.4. replic.3. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi amplius à substituto sit repetitum, quàm ab instituto legatum est: hoc enim casu id quod concurrit cum summa ab instituto relicta, non statim debetur, sed conditione existente. Quæ duplicatio approbatur ibidem l.quid ergo. 52. in prin. his uerbis:* Quid ergo, si maiorem quantitatem à substituto reliquit? quod excedit, hoc erit quod à substituto relictum est: quod uerò concurrit cum summa superioribus tabulis inscripta, inde debebitur. *Secunda duplicatio est: Nisi sub eadem conditione legatum fuerit repetitum. Quæ duplicatio approbatur l.si quis.32. in prin.ff.de leg.1. his uerbis:* Si quis à filio pupillo hærede instituto, cum is in tutelam suam uenisset, pecuniam legauerit, & à substituto hærede legata repetierit: impubere filio mortuo, secundus hæres legatum non debebit. quod ita uerum esse, tam Sextus, quàm Pomponius putat, si repetitio ad eũ modum concepta sit: Quæ à filio meo legaui, quæq; eum dare iussi, si mihi hæres esset, id hæres meus ijsdem diebus dato. Sed si ita repetita fuerint, Legata quæ à filio meo legaui, hæres meus dato: purè repetita uidebuntur legata, duntaxat monstratione eorum facta. Igitur & hoc ipsum legatum, de quo quæritur, præsens debebitur. *Tertia duplicatio est: Nisi cum sub conditione hæredi instituto, sine conditione legatum esset. hoc enim casu uidetur in legato repetita conditio. Quæ duplicatio approbatur per ea quæ proponuntur ſ. reg. cad. except.4. Planè propositæ replicationi contradicere uidetur l.in repet. 61.ff.de leg.3. his uerbis:* In repetẽdis legatis hæc uerba, quæ adjici solent, Item dare damnas esto: & ad conditiones, & ad dies legatorũ easdem repetendas referri, Sabinus respondit. *Duodecima propositæ exceptionis replicatio est: Nisi conditio postea sit adempta. Quæ replicatio approbatur l.si quis.3. ſ.conditio. ff.de adim.legatis, hisce uerbis:* Conditio legati an adimi possit, uel hæreditatis, uel statuliberi, uidendum: & Iulianus scribit, in statulibero detractam conditionem non repræsentare libertatem. Papinianus quoq; libro XVIII. Quæstionum scribit, generaliter conditionem adimi nõ posse: nec enim datur conditio (inquit) sed adscribitur: quod autem adscribitur, nõ potest adimi, sed quod datur. Sed melius est sensum magis quàm uerba amplecti, & conditiones sicut adscribi, ita adimi posse. *Decimatertia replicatio est: Nisi cum ita legatũ esset, Cum moreretur hæres: is in insulam sit deportatus. Hæc replicatio reprobatur l.cum pater.79. ſ.hæreditatem. ff. de leg.2. cuius uerba uide ſ.cap.1.quæſt.3.reg.6.except. 3.repl.3. Decimaquarta replicatio est: Nisi cũ aliquid legatum esset sub conditione intra certum tempus non faciendi, nondum elapso illo tempore certum esse cœperit, id fieri non posse. De hac re cum alijs similibus dicetur ſ.reg.3. Decimæquintæ replicationis loco notandum, quòd si sub conditione sit legatum, ad cauendum ante existentem conditionẽ agi possit. de qua re ſ. cap. 11. Decimasexta replicatio est: Nisi sub conditione nõ faciendi legatum sit. hoc enim casu, quamuis dies legati non nisi mortuo legatario cedat, tamen statim adita hæreditate ad legatum restituendum agi potest, cautione Mutiana oblata. de qua re uide ſ.cap.prox. de cautione Mutiana. Huius duplicatio est: Nisi sub conditione nõ iterandi nuptias sit legatum. tunc enim annus à morte testatoris est expectandus. de quo infrà d.loco. Decimaseptima replicatio est: Nisi in præteritum uel præsens tempus conditio sit collata. Hæc replicatio approbatur l.eas causas.78.ff.de condit.& demonst. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.6.except.19. Concordat l.institutio.10. ſ.fin.ff.de conditionibus instit. cuius uerba uide ſ.lib.28.cap.12.except.117.repl.3. Concordat item l.si ita.120. in fin.ff.de uerb.oblig. cuius uerba uide ſ.lib.38. cap.4.except.25. item lib.36.cap.14.reg.6.except.1. Concordat item instit.d.tt. ſ.conditiones. Huius exemplum proponitur l.in conditionib.19. ſ.hæc scriptura. uerſ. proinde nec illud. ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Nec illud dicendum erit, &c. Hæc de secunda exceptione. *Sed & plura de ea uide ſ.lib.prox. cap.6. item ſ.lib.prox.cap.9.cauſ.10.*

III. Exceptio: *Nisi testator legati nomine satisfieri iussit, uel satisfactionem exigi prohibuit: hoc enim casu uidetur, quòd noluerit statim post mortem suam legatum solui. Verùm hæc exceptio reprobatur l.uxorem. 39. ſ.fin.ff.de leg.3. his uerbis:* Hæredis scripti fidei commiserat, ut Seię uxori uniuersam restitueret hæreditatem: & uxoris fidei commisit in hæc uerba: Er à te Seia peto, ut quid quid ad te ex hereditate mea peruenerit, exceptis his quæ tibi suprà legaui, reliquũ omne reddas & restituas Męuię infanti dulcissimæ: à qua Seia satis exigi uetо, cum sciam eam potius rem acturam, quàm detrimento futuram. quæsitum est, an statim Mæuia fideicõmissum à Seia petere possit? Scæuola respondit, nihil proponi, cur non possit.

IIII. Exceptio: *Nisi legatarius etiam sub conditione hæres fuit institutus, uel aliquid aliud sub conditione ei fuit relictum. Hæc exceptio approbatur l.cum seruus. 18.ff.de condition.institution. his uerbis:* Cum seruus purè liber, & hæres sub conditione scriptus sit, & si hæres non extiterit, legatum acceperit: in legato repetitam uideri conditionem, diuus Pius rescripsit. Hac ratione & Papinianus scribit, Cùm auia te nepo-

tem sub conditione emancipationis pro parte hæredem instituit, & postea codicillis scriptis, hoc amplius ei legauit, quàm quod hæredem eum instituit: repetitam uideri conditionem emancipationis etiam in legato, quamuis in legato nullam, ut in hæreditate, mentionem fecisset. *Concordat l.ult. §.marito. ff.de doli mali except.his uerbis:* Marito, &c. *Item concordat l.auia.75.in prin.ff.de condit.& demonstrat. his uerbis:* Auia quæ nepotem sub conditione, &c. *Concordat item l.cum seruus.80. in prin. ff.d.tt. cuius uerba uide §. libro proxim.cap.3. except.25.tertia except.replicat.1.duplicat. 4.Concordat item l.libertis.106.ff.d.tt. cuius uerba uide §. libro prox.cap.15.quæst.3. reg.3. Concordat item l.qui concubinam.29. §.cum in testamento.ff.de leg.3.cuius uerba uide §.lib.prox.cap.3.except.25. tertia except.repl. 1.dupl.3. Huius exceptionis prima replicatio hæc est:* Nisi non sub conditione, sed in diem incertum hæres sit institutus: hoc enim casu, quamuis dies incertus alioquin conditioni æquiparetur, [a] tamen dies ille institutionis incertus in legato non uidetur repetitus. *Quæ replic.approbatur l.ab omnibus.101.§.cum quidam.ff. de leg.1.his uerbis:* Cum quidam hæredem instituisset, quandocunq; mater eius decesisset, deinde secundus hæres institutus fuisset, & ab eo legata ei qui sub conditione hęres scriptus erat, relicta fuissent, isq; uiua matre decessisset, postquam dies legati cesserat: quæsitum est, an hæredi eius legata deberentur? uerius est, legatum deberi hæredi, siue purè à substituto legatum datum est primo hæredi, siue sub hac conditione, Si hæres non fuerit: quia moriente eo, conditio impletur. *Planè potest uideri iam propositus paragraphus præcedentibus contradicere. Secunda replicatio est: Nisi conditio institutioni post legatum datum sit adscripta. Quæ replicatio approbatur l.filiumfamil.27.in prin.ff.quando dies leg.cedat,his uerbis:* Filium familiâs ex parte purè instituit hæredem, eiq; fideicommissum dedit, & eodem testamento ita cauit: Quòd ego Lucium Titium hæredem institui, ita eum adire hæreditatem uolo, si is patria potestate liberatus fuerit. quæsitum est, an à cohæredibus eius adita hæreditate, legati filiofamiliâs dati dies cesserit? Scæuola respondit, si purè sit datum, à cohærede filij pro hæreditaria parte fideicommissum peti posse. *Tertia replicatio est: Nisi conditio in eo cui adicta est, nihil operetur.hoc enim casu nec in alio repetita creditur.quæ replicatio approbatur l.si intra.45. §.fin. ff.de cond.& demonstr.cuius uerba uide §.lib.prox.cap.3.except.25. tertia except.repl.1.dupl.5.tripl.1.*

[a] *l.dies.73. ff.de cond. & demonst.*

V. Exceptio: *Nisi legatarius tanquam minister alij sub conditione restituere fuit rogatus. Hæc exceptio approbatur l.quidam.92. §. si scriptus. ff. de legat.1. his uerbis:* Si scriptus ex parte hæres rogatus sit percipere pecuniam, & eis quibus testamento legatum erat distribuere: id quod sub conditione legatum est, tunc percipere debebit, cum conditio extiterit: interim ei uel eis quibus legatum est, satisdari oportet.

VI. Exceptio: *Nisi testator diem legatorum postea protulit, uel sub conditione legata repetijt. Hæc exceptio approbatur l.quod traditum.85. cum sequentibus. ff.de condition.& demonstr.his uerbis:* Quod traditum est, in legatis nouissimam, in libertatibus leuissimam conditionem, id est, quæ ipsi seruo commodior sit, spectandam esse: non ad ea duntaxat pertinet, quæ sæpius sub diuersis conditionibus, sed etiam quæ primò purè, deinde sub conditione dantur. Itaque quod hæres purè dare iussus est, quòdue purè legatum est, cum idem ex interuallo sub conditione legatum est, posterius ualet: si prius sub conditione, deinde purè legatum est, præsens debetur. *Concordat l.quibus diebus.39.§.quidam Titio.ff.eod.tt.his uerbis:* Quidam Titio centum legauerat, deinde infrà ita iusserat: Quas pecunias cuique legaui, eas hæres meus, si mater mea moritur, dato. mortuo patrefamiliâs Titius uixerat, & uiua matrefamiliâs decesserat. mortua matre, hæredibus Titij legatum deberi, Ofilius respondit: quoniam non sub conditione esset legatum, sed antè legatum purè, deinde soluendi dies adiecta. Videamus (inquit Labeo) ne id falsum sit: quia nihil interfit, utrum ita scribatur, Quas pecunias cuique legaui, eas hæres meus, si mater mea moritur, dato: an ita, Nisi mater mea moriatur, dato. utrobiq; enim sub conditione datum uel ademptum esse legatum. Labeonis responsum probo. *Planè exceptionis propositæ replicatio prima hæc est: Nisi non ex interuallo, sed in continenti dies uel conditio sit adiuncta. Quæ replicatio approbatur l.non ad ea.87. §. quòd si purè. ff.de condition. & demonstr. his uerbis:* Quòd si purè legatum, ex continenti hæres sub conditione damnatus aut rogatus est dare: perinde est, ac si iuncta subiecta scriptura idem legatum esset, uel ut præsens uindicari (si hoc uoluerit legatarius) uel cum conditio extiterit, ab hærede peti possit. *Iam dictæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi cum commemoratione prioris legati posterius sit scriptum. Quæ duplicatio approbatur d. §.quòd si purè, his uerbis:* Nisi cum commemoratione superioris legati posterius scriptum fuerit: ueluti, Stichum quem illi legaui, hæres meus ei, si illud factum erit, dato. Tunc enim reuocandi animo præsens legatum, & sub conditione dandi ita scripsisse uidebitur: & si ante conditionem rem uindicet, doli exceptio locum habere poterit. *Secunda replicatio est: Nisi cùm pluribus legatis relictis hæc scriptura*

scriptura esset adiecta, Quas pecunias legaui, quibus dies adpositus non est, eas hæres meus annua, bima, trima die dato: certæ species sint legatæ. horum enim legatorum dies nihilominus statim cedit. Quæ replicatio approbatur l.talis.30.in princip.ff.de leg.1. his uerbis: Talis scriptura, Quas pecunias legaui, quibus dies adpositus non est, eas hæres meus annua, bima, trima die dato: ad corpora legata non pertinet, sed ad ea quæ pondere, numero, mensura continentur: & ad ea tantùm legata pertinet, quibus dies non est adpositus: proinde si forrè purè legatum est, ex hac adiectione prorogabitur. *Concordat replicationi propositæ d.l.30. §. item si legetur, his uerbis:* Si legetur pecunia quæ in arca est, uel uinum quod in apothecis est, dicendum est cessare clausulam: quoniam quoties species legatur, cessare dicimus. *Ait Iurisconsultus:* Et ad ea tantùm legata pertinet, quibus dies non est adpositus. *Hisce uerbis tertia aduersus exceptionem propositam replicatio approbatur, talis scilicet: Nisi cùm pluribus legatis relictis hæc scriptura esset adiecta, Quas pecunias legaui, quibus dies adpositus non est, eas hæres meus annua, bima, trima die dato: quibusdam legatis dies sit adpositus. horum enim dies ista scriptura non prorogatur. Huius replicationis quatuor in d.l.30. proponuntur exempla. Primum exemplum proponitur his uerbis:* Quòd si forrè centum mihi legata sint præsentia, utrum annua, bima, trima die dabuntur, an uerò præsentia? & ait Seruius & Labeo, in præsens deberi. quamuis igitur superuacua sit hæc adiectio, quantum ad uim & effectum legati pertinet: tamen ad hoc proficiet, ut præsente die legatum debeatur. *Secundum exemplum ibidem proponitur, hisce uerbis:* Sed etsi in annos singulos, aut singulos menses sit legatum relictum, cessabit ea scriptura: quia hoc legatum & initium & finem habet. *Tertium exemplum ibidem proponitur, his uerbis:* Sed etsi sub conditione sit legatum relictum, potest dici cessare annuam adiectionem: quia dies incertus appellatur conditio. *Quartum exemplum ibidem proponitur, his uerbis:* Cui congruit, quod Trebatius existimat, si cui legetur, quando annorum uiginti erit, uulgarem hanc clausulam cessare. *Concordat l.si quis.52. in prin. ff.de condition. & demonstration.his uerbis:* Si quis legata, quibus dies adposita non esset, annua, bima, trima die dare iussisset, & alicui, cum pubes esset, pecuniam legasset: id quoque legatum annua, bima, trima die post pubertatem præstandum esse, in Commentarijs Caij scriptum est: quia magis conditio, quàm dies legato adiecta esset. Contrà ego sentio, quia ferè dies ponitur ad prorogandа ea quæ ad præsens tempus, non etiam quæ in futurum legata sunt, diesq; puberratis habet aliquam temporis demonstrationem. *Planè propositæ replicationi locus non est, si legata quibus dies est adiectus, non sint specialiter excepta. Quod approbatur l.Titio.76.ff.de legatis secundo, his uerbis:* Titio centum aureos hæres præsenti dato: deinde protulit diem legatorum. non est uerum, quod Alfenus retulit, centum præsenti deberi: quia diem proprium habuerunt. *Quarta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi dos uxori sit relegata. Quæ replicatio approbatur l.cùm uulgari.4.ff.de dote relegata, his uerbis:* Cùm uulgari modo dies legatorum proferuntur, nihil eam rem ad dotis relegationem pertinere, Africanus ait: quia diem suum habeat. *Quinta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cum diem legatorum prorogasset hac scriptura, Quas pecunias legaui, &c. postea quædam sint legata: ad sequentia enim legata scriptura ista non uidetur pertinere. Hæc replicatio reprobatur d.l.30. §.fin. cum lege sequente. ff.de legat.1. his uerbis:* Hanc autem scripturam non solùm ad præcedentia legata, sed ad uniuersa quæ testamento adscripta sunt extendi, Gallus, Aquilius, Ofilius, Trebatius responderunt: idq; uerum est. Sed etiam ad ea quæ codicillis confirmatis postea legata fuerint, hæc clausula pertinet. *Hæc de sexta exceptione, eiusq; replicationibus sint dicta.*

VII. Exceptio: *Nisi legatum sub conditione sit ademptum. Hæc exceptio approbatur l.aliquando.105.§. fin. ff.de condit.& demonstrat. his uerbis:* Purum datum legatum conditionale uidetur, ueluti quod sub conditione ademptum est: quia sub contraria conditione datum intelligitur. *Concordat l.quod purè.6.in prin.ff.quando dies leg.ced.his uerbis:* Quod purè datum est, si sub conditione adimatur, quasi sub conditione legatum habetur. *Concordat l.si legatum. 10.in prin. ff.de adim.legatis. cuius uerba uide §.libro prox.cap.8.causa 3.repl.2.*

VIII. Exceptio: *Nisi filiofamiliâs à patre hærede sit legatum relictum. Hæc exceptio approbatur l.fideicommissa.11.§.si filio à patre.ff.de leg.3. cuius uerba uide §.cap.1.membr.3.reg.2.except.4.*

IX. Exceptio: *Nisi à patre filiæ sit ita legatum, ut eo amplius haberet, quàm ex bonis patris habitura esset. Hæc exceptio approbatur l.si legatarius.8.§.fin.ff. de legat.3. his uerbis:* Cum ita petijsset testator, ut quidquid ex bonis eius ad patrem perueniisset, filiæ suæ ita restitueret, ut eo amplius haberet, quàm ex bonis patris habitura esset: diuus Pius rescripsit, manifestum esse, de eo tempore sensisse testatorē, quod post mortem patris futurum esset.

X. Exceptio: *Nisi ita quis sit rogatus, Facias peruenire ad filium tuum. Quæ exceptio approbatur l.ubi purè.19.in prin. ff.ad S.C.Trebellian.his uerbis:* Vbi purè fideicommissum datum est, si adiectum sit, Rogo des filio tuo, faciasq; ut ad

eum perueniat: reſcriptum eſt, uideri in id tempus dari, quo capere poſsit, id eſt, ſui iuris fiat. *Concordat l. epiſtolam. 75. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Mulier hæredis inſtituti fideicommiſit, ut retenta parte quarta, reliquam partem reſtitueret nurui quondam ſuæ, cuius fidei commiſit in hæc uerba: Rogo te, ut id quod ad te ex bonis meis peruenerit, facias peruenire ad filium tuum. quæſitum eſt, quando hoc fideicommiſſum reſtituere debeat, utrúmne poſt mortem ſuam, an iam nunc? Scæuola reſpondit, ad tempus quo nurus moreretur, fideicommiſſum optandum eſſe.

XI. Exceptio: *Niſi legatum extrinſecus ſuſpendatur. Hæc exceptio reprobatur l. conditiones. 97. ff. de condit. & demonſtrat. his uerbis:* Conditiones extrinſecus, non ex teſtamento uenientes, id eſt, quæ tacitè ineſſe uidentur, non faciunt legata conditionalia. *Hæc exceptio declaratur l. 1. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Ineſt autem conditio legatis, ueluti cum ita legamus, Quod ex Arethuſa natum fuerit, hæres dato: aut, Fructus qui ex fundo percepti fuerint, hæres dato: aut, Seruum quem alij non legauero. *Concordat l. quod purè. 6. ff. quando dies legati cedat, his uerbis:* Si extrinſecus ſuſpendatur legatum, non ex ipſo teſtamento: licet antè decedat legatarius, ad hæredem tranſmiſiſſe legatum dicimus. ueluti, ſi rem dotalem maritus legauerit extero, & uxori aliquam pro dotali re pecuniam, deinde deliberante uxore de electione dotis, deceſſerit legatarius, atq; legatum elegerit mulier, ad hæredem tranſire legatum dictum eſt: idq; & Iulianus reſpõdit. magis enim mora, quàm conditio, legato iniecta uidetur. *Aliud propoſitæ exceptionis reprobatæ exemplum proponitur l. cum ſine. 19. §. fin. ff. quãdo dies legati cedat, his uerbis:* Si debitori, quod ſub conditione debet, legatum eſt: præſens legatum eſt, agiq; ex teſtamento ſtatim poteſt, ut liberatio præſtetur: & ſi poſt mortem teſtatoris deceſſerit, ad hæredem tranſmittit actionem. Hæc dicenda erunt, etſi non ipſi debitori, ſed alij cuilibet ſimiliter legatum eſſe proponatur. *Quartum exemplum proponitur l. ſi Titius. 52. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis:* Cum ita legatum eſt, Quantam pecuniam hæres meus à Titio exegerit, tantam Mæuio dato: ſi ſub conditione legatum eſt, antequam exacta pecunia ſit, legatarius agere non poteſt: quòd ſi ſtatim dies legati cedit (ut Publicius rectè putat) legatarius agere poteſt, ut actiones præſtentur. *Quintum exemplum proponitur l. cum illud. 25. §. hæres, uſq; ad finem legis. ff. quando dies legat. cedat. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 5. except. 45. in prin. Sextum exemplum proponitur l. Firmio. 26. in principio. ff. eod. tt. his uerbis:* Firmio Heliodoro, fratri meo, dari uolo quinquaginta ex reditu prædiorum meorum futuri anni. non uideri conditionem additam, ſed tempus ſoluendæ pecuniæ prolatum uideri. Papinianus reſpondit: & ex fructibus fundi relicta pecunia non percepta, ubertatem eſſe neceſſariam anni ſecundi. *Plura huiuſmodi exempla uide §. exceptione 16. cum ſequentibus. Planè in propoſitis exemplis dies quidem legati ſtatim poſt mortem teſtatoris cedit, ſed non ſtatim agi poteſt, niſi uel res extiterit, uel aliud quid eiuſmodi euenerit: quoniam (ut ſuprà dictum eſt) mora, non conditio, legato iniecta eſt. Quod loco primæ diſtinctionis, quæ exceptio propoſita admittitur, eſt notandum. Cui concordat l. 1. in prin. ibi: niſi uel ipſa. ff. de condit. & demonſtr. cuius uerba uide §. ead. reg. except. 1. replic. 2. Secunda diſtinctio eſt: Niſi duæ res alternatiuè ſint relictæ. Quæ diſtinctio approbatur l. cum ita. 16. in prin. ff. quando dies legat. cedat, his uerbis:* Cum ita legatum eſt, Stichum, uel quod ex Pamphila natum erit, hæres meus dato: non antè dies legati eius cedet, quàm aliquid ex Pamphila natum fuerit, aut certum fuerit naſci non poſſe.

XII. Exceptio: *Niſi id ſit legatum, quod ad hæredem non tranſit, ut uſusfructus, uſus, &c. tunc enim non niſi ab adita hæreditate dies cedit. Quæ exceptio approbatur l. 2. cum l. ſequente. ff. quando dies legat. cedat, his uerbis:* Si purè ſit uſusfructus legatus, uel uſus, uel habitatio, neque eorum dies ante aditam hæreditatem cedit, neque petitio ad hæredem tranſit. Idem eſt, ſi ex die ſit uſusfructus relictus. Nam cum ad hæredem non tranſferatur, fruſtra eſt, ſi antè quis diem eius cedere dixerit. *Concordat item l. ſi poſt. 5. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cad. reg. in princip. Concordat l. ſi habitat. 9. ff. eod. tt. his uerbis:* Si habitatio filiofamiliâs uel ſeruo legata ſit, puto non adquiri domino uel patri legatum, ſi ante aditam hæreditatem filius uel ſeruus deceſſerit. nam cum perſonæ cohæreat, rectè dicetur ante aditam hæreditatem diem non cedere. *Concordat item l. cum ita. 16. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 4. de ſeru. leg. reg. 2. in fine. Concordat item l. unica. §. libertatibus. ibi: excepto. C. de caduc. toll. his uerbis:* Excepto etiam uſufructu, quem ſua natura ad hæredes legatarij tranſmitti non patitur: quia neque à morte teſtatoris, neq; ab adita hæreditate, quantum ad tranſmiſsionem, dies eius cedit. *Propoſitæ exceptionis prima replicatio hæc eſt: Niſi aliàs res cum uſufructu alternatiuè ſit relicta. hoc enim caſu, mortuo legatario ante aditam hæreditatem, nihilominus eam rem, quæ cum uſufructu legata eſt, ad hæredem ſuum tranſmittit, quamuis electionem nan tranſmittat. Quæ replicatio approbatur l. ſi uſusfr. 14. in prin. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis:* Si uſusfructus aut decem, utrum legatarius uoluerit,

rit, ſint legata: utrumq; ſpectandum, & mortem teſtatoris, & additionem hæreditatis: mortem, propter decem: additionem, propter uſumfructum. quamuis enim electio ſit legatarij, tamen nondum electioni locus eſſe poteſt, cum proponatur nondum teſtatorem deceſsiſſe, aut eo mortuo hæreditas nondum adita. Inde quærit Iulianus, ſi poſt mortem teſtatoris legatarius decedat, an ad hæredem tranſferatur decem legatum? & libro XXX. Digeſt. ſcribit, poſſe dici, decem trãſtuliſſe: quia mortuo legatario dies legati cedat. argumentum Iulianus pro ſententia ſua adfert tale: Seiæ decem, aut ſi peperit, &c. *Reliqua uide §. eod. cap. except. 2. repl. 7. Secunda propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi annuum ſit legatum. hoc enim quamuis ab hæredem non tranſeat, ut §. ſuo loco eſt oſtenſum: tamen ſtatim à morte teſtatoris dies eius cedit. Quæ replicatio approbatur l. nec ſemel. 12. §. item Celſus. ff. quando dies leg. ced. his uerbis:* Celſus ſcribit (quod & Iulianus probat) legati in annos ſingulos relicti diẽ ex die mortis cedere, non ex quo adita eſt hæreditas: & ſi fortè poſt multos annos adeatur hæreditas, omnium annorum legatario deberi. *Idem eſt, etſi quotannis legetur. de quo §. reg. 2. except. 1.*

XIII. Exceptio: *Niſi libertas ſit relicta. Hæc exceptio approbatur l. unica. §. libertatibus. C. de cad. toll. his uerbis:* Libertatibus proculdubiò & poſt præſentem ſanctionẽ propter ſui naturam, quæ additionem hæredis expectat, ab adita hæreditate, unà cum alijs quæ ſeruis in teſtamento manumiſsis, uel alijs legatis relicta ſunt, competentibus. *Concordat l. nam cum. 8. ff. quando dies legat. cedat. cuius uerba proponentur §. except. prox.*

XIIII. Exceptio: *Niſi ſeruo teſtamento manumiſſo aliquid ſit legatum. Hæc exceptio approbatur l. hæredis. 7. §. fin. cum l. ſequente. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis:* Interdum aditio hæredis legatis moram facit: utputa, ſi ſeruo manumiſſo, uel ei cui ſeruus legatus eſt, & ſeruo aliquid legatum ſit. nam legati ſeruo relicti ante aditam hæreditatem dies non cedit. Nam cum libertas non prius competat, quàm adita hæreditate: æquiſsimum uiſum eſt, nec legati diem antè cedere. alioquin inutile fieret legatum, ſi dies eius ceſsiſſet, antequã libertas competeret: quod euenit, ſi ſeruo purè legetur, & liber eſſe ſub conditione iubeatur, & pendens conditio inueniatur etiam poſt aditam hæreditatem. *Concordat l. unica. §. libertatibus. C. de cad. toll. cuius uerba uide §. except. prox. De legato ſeruo manumiſſo relicto uide §. lib. prox. cap. 3. except. 25. except. 2. replic. 1. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi ante aditam hæreditatem ſeruus ſit manumiſſus. Quæ replicatio approbatur l. filiumfam. 27. §. fin. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis:* Menſtruos denarios dénos manumiſſis legauit. quæſitum eſt, cùm abſentib. hæredibus ex ſenatuſconſulto libertatem ſint conſecuti, ex quo tempore eis cibaria debeantur? Scæuola reſpondit, ſecundum ea quæ proponerentur, ex eo tempore his cibaria deberi, quo liberi eſſe cœperunt.

XV. Exceptio: *Niſi ſeruo legato legatum ſit relictum. Hæc exceptio approbatur l. cùm legato. 17. ff. quando dies legati cedat, his uerbis:* Cùm legato ſeruo aliquid legatur, dies eius legati, quod ſeruo datur, non mortis tempore, ſed adita hæreditate cedit: & ideo impedimento non eſt regula iuris, quo minus manumiſſo legatum debeatur: quia etſi confeſtim paterfamiliâs moreretur, non in eiuſdem perſona & emolumentum legati, & obligatio iuris concurreret. perinde igitur hoc eſt, de quo quæritur, ac ſi filio hærede inſtituto, patri legatum eſſet. quod conſiſtere intelligitur, eo quòd, quamuis ſtatim paterfamiliâs moriatur, poteſt emancipatus adire hæreditatem, ut patri legatum debeat. *Concordat l. cum ita. 16. §. cùm ſeruo. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. 4. de ſeruis legatis, reg. 3. in fine. Concordat item l. hæredis. 7. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. except. prox. Concordat denique l. unica. §. libertatibus. C. de cad. toll. cuius uerba uide paulò §. except. 13. Ait iuriſconſultus:* Impedimento non eſt regula iuris, &c. *Pertinet ad ea quæ dicta ſunt §. lib. prox. cap. 7. replic. generali 1. diſtinct. 2. Ait inſuper iuriſconſultus:* Manumiſſo. *De hac re uide §. cap. 1. membr. 3. reg. 2. except. 1. Ait deniq; iuriſconſultus:* Si filio hærede inſtituto, &c. *De hoc uide §. lib. prox. cap. 3. except. 36. replic. 1.*

XVI. Exceptio: *Niſi ab eo qui ſub conditione hæres eſt inſtitutus, uel cui ſub conditione legatum eſt, fideicommiſſum ſit relictum. Hæc exceptio exemplum eſt ſuperioris exceptionis undecimæ, & perinde ac illa iure reprobatur, præſertim d. l. 7. in prin. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis:* Hæredis aditio moram legati quidem petitioni facit, ceſsioni diei non facit. proinde ſiue purè inſtitutus, tardius adeat, ſiue ſub conditione: ne per conditionẽ impediatur legatarius, ſecurus eſt. *Concordat l. cum ſine. 19. §. cum ab eo. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum ab eo mihi fideicommiſſum datum eſt, cui ſub conditione legatum eſt: tale eſt, quemadmodum ſi hærede inſtituto ſub conditione, purè mihi legetur. *Concordat item l. ſi dies. 21. §. fin. ibi: neque enim per. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. eod. cap. except. 2. replic. 3. Concordat denique l. qui fundum. 86. §. ſi tu ex parte. ff. ad l. Aquiliam, his uerbis:* Si tu ex parte quarta, Titius ex parte quarta hæredes ſcripti fueritis, deinde tu ex parte dimidia hæres inſtitutus fueris ſub cõditione, & legata, item libertates datæ fuerint: pendẽte conditione libertates competent, legata tota præſtabuntur:

quia siue conditio extiterit te hærede existente, utraq; ualent: siue conditio defecerit, tu & Titius hæredes eritis. De lege Falcidia, si hoc quæras, an existente conditione misceatur quadrans tuus, & semis, atq; ita pro dodrante ratio ponēda sit cum his, quibus purè à te hærede legatū est: respondebimus, misceri duas partes. *Ait iurisconsultus:* Siue conditio defecerit, tu & Titius hæredes eritis. *Vide ē.cap.7.reg.25.de iure adcrescendi, quantum adcrescat, reg.1. Planè admittitur exceptio proposita in casu l.si patr.44.in prin.ff.de bonis libertorum, his uerbis:* Si patronum ex debita portione hæredem instituas, & purè roges fundum dare, eiq; sub conditione tantundem leges: in conditione fideicommissum redigitur. Erit tamen & hic quod moueat. Onerabitur enim patronus satisdatione fideicommissi. Sed dicendum, ab eo fideicommissario cauendum, à quo patrono legatum est, ut undique patronus suum ius habeat imminutum.

XVII. *Exceptio: Nisi à substituto relictum sit legatum, & institutus adhuc deliberet. Et hæc exceptio supradictæ undecimæ exceptionis exemplum est, reprobaturq; l.hæredis.7. §.inde dicimus. ff.quando dies leg.ced.his uerbis:* Etsi à substituto legatum sit relictum, quamdiu institutus deliberat, defuncto legatario non nocebit, si hæres postea institutus repudiarit: nam ad hæredem suum transtulit petitionem. tantundem est, si ab impuberis substituto legetur: nam ad hæredem suum legatum transfert. *Concordat l.1.ff.eod.tt.his uerbis:* Mortuo patre, licet uiuo pupillo, dies legatorum à substituto datorum cedit.

XVIII. *Exceptio: Nisi is à quo legatum est, nondum sit natus, uel sit apud hostes. Et hæc exceptio supradictæ undecimæ exceptionis exemplum est, reprobaturq; d.l.7.§.1. ff.quando dies leg. cedat, his uerbis:* Sed etsi nondum natus sit hæres institutus, aut apud hostes sit: similiter legatario non nocebit, eo quòd dies legati cessit.

XIX. *Exceptio: Nisi in codicillis legatum sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l.quod purè.6. §.fin. ff.quando dies leg.ced.his uerbis:* Eorum legatorum, quæ in codicillis relicta sunt, perinde dies cedit, atq; testamento relictorum.

XX. *Exceptio: Nisi sub conditione non nubendi sit legatum. hoc enim casu, quamuis in huiusmodi legatis sub conditione non faciendi relictis statim, oblata cautione Mutiana, detur actio, tamen intra annum agi non potest. Quæ exceptio approbatur Nouell.c.22.§. unde sancimus. cuius uerba uide j.cap.prox.de Mutiana cautione, in prin.*

XXI. *Exceptio: Nisi duabus rebus alternatiuè legatis, altera sub conditione sit legata: hoc enim casu, quamuis altera purè sit relicta, non tamen ante conditionem existentem agi potest. Quæ exceptio approbatur l.Titio.21.ff.de usufructu legato, his uerbis:* Titio ususfructus Stichi, aut si nauis ex Asia uenerit, decem legata sunt. non petet usumfructum, antequam conditio decem existat, uel deficiat, ne potestas hæredi utrum uelit dandi auferatur. *Plura de hac re uide ē.ead. reg.except.2.replic.7.*

II. *Regula: Si in singulos annos, uel quotannis legatum relictum sit, non semel, sed per singulos annos dies cedit, & initio cuiusq; anni. Quæ regula approbatur l.cum in.10.cum ll.sequentib. ff.quando dies leg. cedat, his uerbis:* Cum in annos singulos legatur, non unum legatum esse, sed plura, constat: nec refert, singuli aurei in annos singulos legētur, an in annum primum mille aurei, in secundum homo, in tertium frumentum: nec semel diem eius cedere, sed per singulos annos. sed utrum initio cuiusque anni, an uerò finito anno cedat, quæstionis fuit? & Labeo & Sabinus, Celsus, Cassius, Iulianus, in omnibus quæ in annos singulos relinquuntur, hoc probauerunt, ut initio cuiusque anni huius legati dies cederet. *Concordat l.habit.11.ff.de usufructu legato, his uerbis:* Habitationis legatum in singulos annos ab initio anni deberi constat. *Concordat item l.1.C.quando dies leg.cedat, his uerbis:* Si competenti iudici annua legata uel fideicommissa tibi relicta probaueris, ab initio cuiusq; anni exigendi ea habebis facultatem. *Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi legatum cum præfinitione annorum in plures pensiones exonerandi hæredis causa sit diuisum: tunc enim non nisi semel dies eius cedit. Quæ exceptio approbatur l.nec semel.12.§. nisi fortè euidens. ff.quando dies legat.cedat. de qua re uide ē.lib.prox.cap.1.quæst.5.reg.4.except.1. Planè eius quod dicitur, initio cuiusque anni diem cedere, aliquot sunt exceptiones, quarum prima hæc esse uidetur: Nisi non in singulos annos, sed quotannis sit relictū. Quæ exceptio approbatur d.l.12.§. sed & si quotannis, his uerbis:* Sed & si quotannis sit legatum, mihi uidetur, etiam in hoc initium cuiusq; anni spectandum. *Concordat d.l.12.§. nouissimè, his uerbis:* Nouissimè Pomponius scribit, nihil interesse, utrum in annos singulos uel quotannis, an in singulos menses uel quot mensibus, an in singulos dies uel quot diebus legetur. ipse quoq; (*Vlpianus*) huic sententiæ accedo: proinde etsi annui legentur tot aurei, idem erit dicendum. *Secunda exceptio est: Nisi annua pecunia sit legata ad habitationem, uel quid aliud conducendum: tunc enim, quando ex locato potest agi ad pēsionem seu mercedem præstandā, etiam legati dies cedit. Quæ exceptio approbatur d.l.12.§.si in habitat. his uerbis:* Si in habitationē aliquid, uel in disciplinam legetur sic, Annua, uel quotannis: quibus dieb. pensio debetur habitationis, uel mercedis disciplinarū, ijsdem intelligitur legatū relictum, cōiectura uoluntatis

uoluntatis facta. *Tertia exceptio est: Nisi annua ex fructu prædiorum sint legata. tunc enim non nisi fructibus perceptis legatum debetur. Quæ exceptio approbatur l.Firmio.26.§.pater. ibi: sed non initio. ff.quando dies legat.cedat. cuius uerba uide ē.libro prox.cap.1.quæst.5.reg.4.except.1.*

III. *Regula: Si in diem quid sit relictum, stat. in quidem mortuo testatore dies legati cedit, sed non nisi die ueniente competit actio. de qua re dictum ē.cod.cap. in prin. Cuius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi *cum ob certam causam in diem legatum esset prolatum, causa illa ante diem uenientem cessauerit. tunc enim uidetur mens testamēti cessare, & per consequens actio legati ante diem uenientem competere. Hæc exceptio reprobatur l.uxori.35. ff.de usufructu legato, his uerbis:* Vxori usumfructum uillæ legauit in quinquennium à die mortis suæ, deinde hęc uerba adiecit: Et peracto quinquennio, cum eius ususfructus esse desierit, tūc eum fundum illi & illi libertis meis dari uolo. quæsitum est, cum uxor intra quinquenniū decesserit, an libertis proprietatis petitio iam, an uerò impleto quinquennio competat: quia peracto quinquennio testator proprietatem legauerat? Scæuola respondit, post completum quinquennium fundum ad libertos pertinere. *Secunda exceptio est: Nisi cum ab aliquo legatum esset, cum ad annum puta uicesimumquintum peruenisset, is ante illam ætatem decesserit. hoc enim casu uidetur legatario statim eo mortuo legatum deberi. Hæc exceptio reprobatur l.libertis.18.§.ab hæredibus. ff.de alim.legat. hisce uerbis:* Ab hæredibus Stichum manumiti uoluit, eiq;, si cum Seio moraretur, cibaria & uestiaria præstari à Seio. deinde hæc uerba adiecit: A te autem Sei peto, ut cum ad annum uicesimumquintum peruenerit, militiam ei compares, si tamen te antè non reliquerit. quæsitum est, Sticho statim libertatem consecuto, prius autem defuncto Seio, quàm ad annum uicesimumquintum peruenirent, an ab his ad quos bona Seij peruenerunt, militia Sticho comparari debeat? & si placet deberi, utrum statim militia comparanda sit, an eo tempore, quo Seius annos uigintiquinq; expleturus fuisset, si superuixisset? Scæuola respondit, cum placeat comparandam, non antè deberi, quàm id tempus cessisset. *Hinc uidetur contradicere l. à filia.62.§.fin. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba paulò j. proponentur except.4. Sed & plura de hac re uide ē. lib.19.cap.8.except.36. Tertia exceptio est: Nisi cum à nudo ministro in diem legatum esset, is se hæreditate abstinuerit. Hæc exceptio approbatur l.codicillis.18. §.fin.ff.de annuis legat. his uerbis:* Sticho alumno suo centum, & mēstruos decem, & annuos centum dari uoluit: & Sempronium, quam hæredem ex triente instituerat, rogauit in hæc uerba: Fidei tuæ committo, Sempronia foror, uti legata quæ alumnis meis reliqui, ex medio recipias, & apud te habeas, quoad eos commendatos habes. quæsitum est, cùm Sempronia, cuius fidei commissum sit, abstinuerit se hæreditate, antequam secundum uoluntatem defuncti perciperet pecuniam alumnis relictam, an Sticho de legatis actio etiam ante uicesimumquintum annum competat? Scæuola respondit, competere. *Quarta exceptio est: Nisi cum alicui legatum relictum esset, cum annorum puta sedecim esset: ea si ad decimumsextum annum non peruenerit, alius ei in legato sit substitutus: is antequàm ad decimumsextum annum peruenerit, mortuus fuerit. hoc enim casu substituto statim datur actio, non expectato eo tempore, quo institutus sedecim annorum futurus erat. Hæc exceptio approbatur l.à filia.62.§.fin. ff.ad S.C.Trebell. his uerbis:* Alumno certam pecuniam legauit, & eam recipi à Sempronio mandauit, & certas usuras alumno præstari, donec ad uicesimum annum peruenirent: deinde alumni fidei commisit, ut si sine liberis decederet, partem restitueret Sēpronio, partem Septiciæ. quæsitum est, defuncto alumno intra annum uicesimum, an substituti fideicommissa petere possint, an uerò in id tempus sustinere, quo si uiueret alumnus, uicesimum annum impleret? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, posse. *Contradicit l.Publius.35.§.Titia. ff.de condition. & demonstrat. his uerbis:* Titia codicillis de prædijs, quæ testamento Septiciæ reliquerat, ita cauit: A te peto Septicia, ut filio meo, cum annorum sedecim erit, eadem prædia restituas: quòd si filius meus sedecim annos non impleuerit, peto, ut ea reddas, restituas Publio Mæuio, & Caio Cornelio. quæro, cùm Septicia decesserit, deinde filius quindecim annos agens defunctus sit, an repræsentetur fideicommissum decimoquinto anno impleto? & an hæredes Septiciæ restituere Publio Mæuio & Caio Cornelio debeant? Marcellus respondit, Septiciam ius, quod in his prædijs habuisset, hæredi suo reliquisse: etenim uideri contra uoluntatem testatoris repræsentationem fideicommissi desiderari, ut amplius ad substitutos perueniat, quàm ad puerum peruenire uel à Septicia, uel ab hæredibus potuisset: & uerba quidem uideri repræsentare fideicommissum, sed non esse uerisimile, ut maturius uoluerit testatrix ad substitutos id transferri: nec quidquam mutare, quòd Septicia antè decessit. nam etsi puer uiueret, non prius Septiciæ hæredes, quàm Septicia possent conueniri. *Quinta exceptio est: Nisi cum alicui legatum esset, cum annorū puta sedecim esset, is antè decesserit. hoc enim casu uidetur eius hæredibus statim actio dari.*

Verùm

Verùm hæc exceptio reprobatur l.ex his.5.in fine. C. quando dies legati cedat. cuius uerba uide ẽ.lib.prox. cap.9.causa 10.except.1. *Sexta exceptio est:Nisi cum aliquid legatum esset sub conditione intra certum tempus non faciendi, nondum elapso eo tempore aliquid contigerit, ex quo certum sit illud fieri non posse. hoc enim casu uidetur statim actio danda.Hæc exceptio reprobatur l.si his.4. §.fin. ff.de condit. & demonstrat. his uerbis:* Si ita scriptum sit,Si in quinquennio proximo Titio filius natus non erit, tũc decem Seio hæres dato.si Titius antè mortuus sit,non statim Seio decem deberi: quia hic articulus TVNC extremi quinquennij tempus significat. *Plura de hac exceptione uide ẽ. lib.36. cap.14. reg.2. except.4.* *Septima exceptio proponitur l.cum pater.79. §.curatoris. ff.de leg.2. his uerbis:* Curatoris sui fidei frustra commisisse uidebitur,ut hæredi fratri negociorum gestorum rationem redderet. quanquam igitur testamento cautum esset,ut cum ad statum suum frater peruenisset,ei demum solueretur: tamen sub curatore alio fratrem agentem rectè placuit actionem inferre;cùm illis uerbis fratri potius consultum uideretur, quàm solutio dilata, quæ iustè fieri potuit. *Octaua exceptio est:* *Nisi cum quis alicui in diem restituere hæreditatem rogatus esset, is multa in fraudem fideicommissarij ex ea hæreditate alienauerit:hoc enim casu etiam ante diem uenientem competit actio.* *Quæ exceptio approbatur exemplo l.imper.50. ff.ad S.C.Trebellianum,his uerbis:* Imperator Hadrianus, cum Iunius Cerealis filio suo Iunio Simonidi, si in potestate sua esse desisset, hæreditatem restituere rogatus esset,ac multa in fraudem fieri probarentur,restitui hæreditatem filio iussit,ita ne quid in eapecunia, quamdiu filius eius uiueret,iuris haberet. Nam quia cautiones non poterant interponi conseruata patria potestate, damnum conditionis propter fraudem insixit. Post decreti autem authoritatem in ea hæreditate filio militi comparari debuit, si res à possessoribus peti,uel etiam cum debitoribus agi oporteret. Sed paternæ reuerentiæ congruum est, agenti fortè patri officio iudicis ex accessionibus hæreditarijs emolumentum præstari.

IIII. *Regula:* *Si post annum aut post biennium sit relictum, quando competat actio, definitur l.si ita. 44.§.fin.ff.de leg.2.his uerbis*: Si ita scriptum sit, Decem aut quindecim hæres dato: pro eo est, ac si decem sola legata sint. at si ita sit, Post annum, aut post biennium, quàm ego decessero,hæres dato:post biennium uidetur legatum, quia hæredis est potestas in eligendo.

V. *Regula:* *Si legatum sit, Cum hæres uoleti quando debeatur,definitur l.uxorem.39.§.penult. ff.de legat.3. his uerbis:*Scæuola respondit,cum hæres scriptus rogatus esset,cum uoluet,alijs restituere hæreditatem: interim non esse compellendum ad fideicõmissum. Claudius: Post mortem utiq; creditur datum. *Concordat l.fideicommissa.11.§.sic fideicommissum. ff.eod.tt. his uerbis:* Hoc legatum, Cum uoluerit hæres: tractum habet, quamdiu uiuat is,à quo fideicommissum relictũ est. uerùm si,antequam dederit,decesserit:hæres ipsius præstat.Sed si fideicommissarius,antequam hæres constituat, decesserit: ad hæredem suum nihil transtulisse uidetur.conditionale enim esse legatum, nemini dubium est: & pendente conditione legati, uideri decessisse fideicommissarium.

VI. *Regula:Si ita sit legatum,Rogo quandoq; ut hæres meus Titio decem det: quando debeatur, definitur l.rogo.29. ff.quando dies leg.ced. his uerbis:* Rogo quandoq; ut hæres meus Titio decem det: utique decem hæres debebit: sed quando, dubitari potest. utiq; cum primùm potuerit,& dies cedit,& ab ipso petitur.

VII. *Regula:* *Si intra decem annos hæres dare damnatus sit,nouissimo die debetur.* *Quæ regula approbatur l.si intra.47. ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Si intra annos decem hæres dare damnatus,aut quis liber esse iussus est: nouissimo eius temporis die legatum debebitur, & libertas obtinget. *Contradicit l.si ita.41.§.fin. ff.de manumiss.test.his uerbis:* Labeo scribit,si sic libertas relicta sit, Stichus intra annũ, postquam mortuus fuero,liber esto:statim eum liberum esse. nam & si ita sit scriptum,Si intra annum decem hæredi meo dederit, liber esto: statim soluendo eum liberum esse sine mora futurum.

VIII. *Regula:* *Si sub conditione non faciendi quid, legatum sit: mortuo demum legatario, uel eo cui non facere iussus est,dies legati cedit.* *Quæ regula approbatur l.pater.99.§.penult.ff.de condit.& demonstrat. his uerbis:* Socrus nurui fideicommissum ita reliquerat, Si cum filio meo in matrimonio perseuerauerit. diuortio sine culpa uiri post mortem socrus facto, defecisse conditionem Papinianus respondit, nec antè diem fideicommissi cedere, quàm mori cœperit nupta uel maritus:& ideo nec Mutianam cautionem locum habere, quia morte uiri conditio posita existere. *Concordat l.si ita. 101.ff.eod.tt.his uerbis:* Si ita legatum sit Titio, Post decem annos dato: si satis ab hærede non exegerit, & Titius intra decimum annum decesserit, ad hæredem suum transmittit legatum: quia moriente eo conditio extitit. *Sed de hac re plura ẽ. in cautione Mutiana, cap.proximo.*

IX. *Regula:* *Si post duorum mortem legatum relictum sit,uno mortuo pro parte dies cessit,* *Quæ regula approbatur l.Lucius.78.§.Caio Seio. ff.ad senatusconf. Trebell.*

Trebell.his uerbis: Caio Seio ex semisse, Titia ex quadrante, & alijs ex reliquis portionibus hæredibus institutis,ita cauit: Fidei autem uestræ mando, Cai Sei, & Lucia Titia, uti post obitum uestrum reddatis restituatis Titio & Sempronio semissem patrimonij & portionis eius quam uobis dedi.quæsitum est, cum utrique adierint hæreditatem,& postea Caius Seius defunctus sit,Lucia Titia partem dimidiam semissis, quam rogatus erat Caius Seius restituere, protinus debeat? an uerò post suam demum mortem uniuersum fideicommissum, tam ex sua persona, quàm ex Caij Seij datum, restituere debeat? Respondit Scæuola, Luciam Titiam statim teneri, ut partem dimidiam semissis ex persona Seij restituat. *Propositæ regulæ uidetur contradicere ẽ. lib.prox.cap.5. quæst.3.except.11.*

X. *Regula:* *Si in diem legatum relictum sit, à die mortis testatoris tempus incipit currere.* *Quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ. eod,cap.reg.1.except.1. eiusq; exceptio prima hæc est:* *Nisi testator aliud tempus adiecit, à quo currere debeat: puta post biennium ab adita hæreditate.* *Quæ exceptio ipso iure subsistit, eiusq; elegans exemplum proponitur l.si cui. 49.§.1.ff.de legat.1.his uerbis:* Cum sic relictum est,Cum ad quatuordecim annos peruenerit, annua, bima, trima die: & decem & septem annorum mortis tẽpore inueniatur, præsens legatum erit. Proinde si quindecim annorum,consequenter dicemus, post biennium deberi:si sedecim,post annum: si menses desint, ad septimumdecimum annum,residuis mensibus. *Huius exceptionis in casu proposito prima replicatio hæc est:* *Nisi cum quis maior quatuordecim annis esset, testator id non ignorans ita legauit: Annua, bima, trima die, cum ad quatuordecim annos peruenerit. hoc enim casu non ab eo tempore triennium currit, quo quatuordecim annorum est factus, sed à tempore testamenti facti.Quæ replicatio approbatur d.l.49.§.1. ibi: hæc ita, his uerbis:* Hæc ita, si putans minorem esse quatuordecim annorum,cum iam excessisset,ita legauit: si uerò scit,triennium ad legati quæstionem ex die testamenti facti numerabimus. *Secunda propositi casus replicatio est:Nisi alia sit mens ipsius testatoris.* *Quæ replicatio approbatur d.l.49.§.1.ibi:quòd si testamẽti,his uerbis:* Quòd si testamenti facti tempore minor quatuordecim annis filius inueniatur, puto tẽpus, Annua,bima,trima die,præstationis ex die completi decimiquarti anni statim cedere: nisi euidens alia mens probaretur testatoris aliud sentientis.

XI. *Regula:* *De legato annua, bima, trima die relicto: ad quæ sese extendat, uel non, uide ẽ. cap.eodem, reg.1.except.6.replic.2.cum sequentibus.*

XII. *Regula:* *Si cum alicui legatum esset ita, Cum fedecim annorum erit: is decimumsextum annum ingressus sit,nec compleuerit,nondum datur actio.* *Quæ regula approbatur l.si cui.49.in princ. ff.de leg.1. his uerbis:* Si cui legetur, Cum quatuordecim annorum erit: utimur certo iure, ut tunc sit quatuordecim annorum, cum impleuerit: & ita Imperatorem decreuisse, Martianus scripsit. *Concordat l.ex his.5.in fin.C.quãdo dies legcedat, his uerbis:* Non cœptum enim annum, sed impletum (si de emolumento relicti fideicommissi tractatur) expectandum esse, prudentibus placuit. *Concordat item l.non putabam.46.ff.de condit.& demonstr.his uerbis:* Non putabam diem fideicommissi uenisse, cum decimumsextũ annum ingressus fuisset,cui erat relictum, cum ad decimumsextum annum peruenisset:& ita etiam Imperator Aurelius Antoninus ad appellationem ex Germania iudicauit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est:* *Nisi ita sit legatum,Decimosexto ætatis anno.* *Quæ exceptio approbatur l.si ita.41.in prin.ff.de manumiss.test.his uerbis:* Si ita fuerit libertas relicta,Stichus seruus meus anno duodecimo, postquam ego mortuus ero,liber esto: uerisimile est, in principio duodecimi anni eum esse liberum: nam mortuum hoc sensisse.& inter hos sermones,Duodecimo anno,& Post duodecim annos,multum interest. & ita loqui solemus, Duodecimus annus est: cum quantumlibet ex duodecimo anno uenisset,aut præterijsset: & qui duodecimo anno liber esse iubetur, omnibus diebus anni liber esse iussus est. *Secunda propositæ regulæ exceptio talis est:* *Nisi ita legatũ sit, Cum ad decimumsextũ ætatis annum peruenerit.* *Quæ exceptio approbatur l.qui filium.74. §.1. ff.ad senatusconf.Trebell.his uerbis:*Fauius Antoninus impuberem filium Antoninum, & filiam Honoratam relinquens, exhæredatis his, matrem eorum Iuniam Valerianam hæredem instituit,& ab ea trecenta & quasdam res filiæ reliquit: reliquam omnem hæreditatem filio Antonino, cum ad annum uicesimum ætatis peruenisset, uoluit restitui: quòd si ante annum uicesimum decessisset filius, eam hæreditatem Honoratæ restitui præcepit. mater intestata decessit, utrisq; liberis legitimis hæredibus relictis. postea filius annum agẽs plenum nonumdecimum,& ingressus uicesimum,nec dum tamen eo expleto decessit, filia hærede Fauia Valeriana sua relicta: à qua amita fideicommissam ex testamento patris portionem hæreditatis petierat, & apud Præsidem obtinuerat.tutores Valerianæ filiæ Antonini egestatem eius prætendebant, & recitabãt diui Adriani constitutionem,in qua (quantum ad munera municipalia) iusserat eum annum, quem quis ingressus esset,

pro

pro impleto numerari. Imperator autē noſter motus & æquitate rei, & uerbis teſtamēti, ſcilicet, Ad annum uicesimum ætatis: quamuis ſcire ſe diceret, à diuo Marco non excuſatum à tutela eum qui ſeptuagesimū annum ætatis ingreſſus fuiſſet, nobis & legis Æliæ Santiæ argumenta proferentibus, & alia quædam, contra petitricem pronunciauit. *Contradicit l.non putabam.46. ff.de condit. & demonſtr.cuius uerba uide ſ.ead.reg.in prin.*

XIII. *Regula: Seruo legato, priuſquam tradatur, quæſtio de eo eſt habenda. Quæ regula approbatur l. ſeruus.66.in prin. ff.de leg.1. his uerbis:* Seruus uni ex hæredibus legatus, ſi quid in hæreditate malicioſè feciſſe dicatur (fortè rationes interleuiſſe) non aliter adiudicādus eſt, quàm ex eo uolentibus cohæredibus quæſtio habeatur. Idē eſt, etſi extraneo fuerit legatus. *Item ſeruo legato, non antè tradi debet, quàm rationes explicauerit. Quæ regula approbatur l.ſeruo.68. ſ. ſeruus.ff.de leg.1.his uerbis:* Seruus qui in negocio fuerit legatus, non antè tradi debet, quàm rationes explicet: & ſi ad iudicium itum ſit, iudicis eædem partes eſſe debent.

¶ *Hactenus de quæſtione illa, quando dies legatorum cedat, & legati actio competat, ſit dictum. Plura de ceßione diei uide ſ.lib.prox.cap.12. Nunc de adiunctis actionis legatorum dicendum, hoc eſt, de officijs actoris, rei conuenti & iudicis in hac actione.*

DE CAVTIONIBVS AB actore in actione legatorum præſtandis. Cap. IX.

I. DE CAVTIONE Mutiana.

PRimò: *Cautio Mutiana dicitur, quòd primùm à Quinto Mutio Scæuola ſit inuenta. Quod approbatur Nouell.c.22. ſ. enimuerò quem deinceps. uerſ.ſed hanc appendicem. cuius uerba proponentur ī. lib.prox.cap.7.cond.2.except.10.*

II. Cauſa *autem huius cautionis eſt: Si quid ſub conditione non faciendi ſit relictum. hoc enim caſu legatario non aliter legati actio datur, quàm cauerit ſe non facturum id quod teſtator fieri noluit. Quæ cauſa approbatur l.Mutianæ.7.in princ. ff.de condit. & demonſtr.his uerbis:* Mutianæ cautionis utilitas conſiſtit in conditionibus, quæ in non faciendo ſunt conceptæ: utputa, ſi in Capitolium non aſcenderit, ſi Stichum non manumiſerit, & in ſimilibus. ita & Ariſtoni & Neratio & Iuliano uiſum eſt: quæ ſententia ex conſtitutione diui Pij comprobata eſt. Nec ſolùm in legatis id placuit, uerùm in hæreditatibus quoque idem remedium admiſſum eſt. Vnde ſi uxor maritum, cui dotem promiſerat, ita hæredem ſcripſerit ex parte, Si dotem, quam ei promiſi, neque petierit, neque exegerit: denunciare eum poſſe cohæredi, paratum ſe acceptofacere dotem, uel cauere: & ita adire poſſe hæreditatem. Sed ſi ex aſſe ſit inſtitutus maritus ſub ea conditione: quoniam non eſt cui caueatur, non impediri eum, quo minus adeat hæreditatem. Nam iure ipſo uidetur impleta conditio, eo quòd non eſt quem poſsit de dote conuenire, ipſo adeunte hæreditatem. *Concordat Nouell.c.22. ſ.enimuerò quem deinde.uerſ. unde ſancimus, cum ſequentibus, his uerbis:* Sancimus, ſi quis uxorem ad alterum peruenire matrimonium prohibuerit, aut etiam uxor maritum (idem enim in utroque eſt) & pro hoc aliquid reliquerint, ut alter coniugum ex duob. electionem habeat, utrum ad nuptias uenire, & perceptioni renunciare uelit: an ſi id minus uelit, & defunctum honorat, prorſus in ſequētibus abſtinere nuptijs. Sed ne res in pendenti ſit, & poſt longa fortè tempora denuò recurrat exactio: propterea pulchrum nobis uiſum eſt, rem ipſam finire, ut intra annum quidem nulla ſit omnino relicti exactio, niſi ratio ſuperuenientis ſacerdotij protinus alteri perſonæ capiēdi ius præbeat, quaſi nulla inſuper ſpe nuptiarum exiſtente. Si uerò annuum tempus præterire contingat, concedimus quidem ei perſonæ, ut relictum capiat, ſed non ita ſimpliciter. Sed ſi quidem immobilis res ſit, ne aliter hoc capiat, quàm iuratoriā cautionem exponat, & præterea res ſuas hypothecæ opponat (id quod etiam tacitè ex hac lege concedimus) in eadem ſcilicet bonitate ſe quod datum eſt reſtituturū, in qua ſuſcepit, ſi ad ſecundas tranſeat nuptias, reſtitutis quoq; fructibus, quos medio tempore percepit. Si uerò mobilis res ſit, & quę capere uult perſona idoneas facultates habeat, quod relictum eſt, ſub eadem cautione & hypothecis detur. Et quidem, ſi aliud quid mobilium rerum ſit, quàm numerata pecunia, ut in eadem bonitate reſtituat, in qua ſuſcepit: aut ſi qua ex parte deterior facta ſit, reſarciat. Si numerata pecunia, etiam cum uſuris reddat, quaſcunque inde potuit percipere, ea re iuramento reſtituentis diſceptanda. Si fœneratus non eſt, in uſus tamen ſuos conuertit, trientes uſuras reſtituito. Si parum idoneis facultatibus fuerit, inſuper & fideiuſſor eorum exigitor. Si fideiuſſorem dare nequeat, &c. *uide paulò inferius adfine remedium.* Hactenus cauſa ſeu regula cautionis Mutianæ propoſita eſt, cuius prima exceptio eſt: Niſi non legatum ſit, ſed inſtitutio hæredis ſub conditione non faciendi facta. Hæc exceptio reprobatur uerbis ſuprà propoſitis hiſce: Nec ſolùm in legatis id placuit, uerùm in hæreditatibus quoque idem remedium admiſſum eſt, &c. Cōcordat Nouell.c.22. ſ.ac prædictæ à nobis. cuius uerba proponentur paulò inferius in loco, Quibus cauendum? Planè

Planè admittitur exceptio propoſita, ſi quis ex aſſe hæres ſit inſtitutus ſub conditione non agendi uel petendi debitum. Quæ diſtinctio approbatur ſuprà dictis uerbis hiſce: Sed ſi ex aſſe ſit inſtitutus, &c. Secunda propoſitæ cauſæ exceptio eſt: Niſi alia etiam conditione ſuſpendatur legati actio. Quæ exceptio approbatur l.auia.75.ſ.1.ff.de condit.& demōſt.his uerbis: Mutiana cautio locum non habet, ſi per aliam conditionem actio legati differri poſsit. Huius exemplum eſt l.ſi ita.101.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.cap.prox.reg.8. Tertia exceptio eſt: Niſi uiuo legatario conditio non faciendi poſsit impleri: hoc eſt, niſi uiuo legatario quid contingere poßit, ex quo certum fiat, id amplius fieri non poſſe. Quæ exceptio approbatur ſimul & declaratur l.cum tale.70. ſ.1. ff.de condit. & demonſtrat. his uerbis: Titius hæredem inſtitutum rogauit, poſt mortem ſuam hæreditatem reſtituere, ſi fideicommiſsi cautio nō fuiſſet petita: Mutianæ cautionis exemplū ante conſtitutionem remiſſæ cautionis locum habere non potuit: quia uiuo eo cui relictum eſt, impleri conditio potuit. *Ait Iuriſconſultus:* Ante conſtitutionem remiſſæ cautionis. Quæ conſtitutio fuit, quòd teſtator cautionem de fideicommiſſo reſtituendo remittere in teſtamento potuit. de qua l.2.& l.ſcire.7.C.ut in poſſeſſ.leg.ſeruā. cauſa mitt. Proindè poſt illam conſtitutionem remiſſæ cautionis, ſi teſtator ita adſcripſit, Si ſatis non exegerit: hæc uerba conditionem non faciunt, ut patet ex l.auia. 75.ſ.fin.ff.de condition.& demonſtrat.cuius uerba uide ī.lib.proxim.cap.6.except.6. Sed ante conſtitutionem conditio fuit: attamen cautio Mutiana locum habere non potuit. Subijcit Iuriſconſultus: Quia uiuo eo cui relictum eſt, impleri conditio potuit. *ſcilicet morte hæredis inſtituti. Concordat l. pater.99.ſ. penult.ibi:& ideo nec.ff.de condit.& demonſtr. cuius uerba uide ſ.cap.prox.reg 8. Concordat item l.hoc genus.104.ff.eod.tt.his uerbis:* Hoc genus legati, Si Titio non nupſerit: perinde habendum eſt, ac ſi poſt mortem Titij legatum fuiſſet: & ideo nec Mutiana ſatisdatione interpoſita capere legatum poteſt, ſed & alij nubendo nihilominus legatum conſequitur. *Concordat denique l.auia.75.ſ.Titio.ff.eod.tt.his uerbis:* Titio, ſi mulier non nupſerit, hęres centum dato. quam pecuniam eidem mulieri Titius reſtituere rogatus eſt. ſi nupſerit mulier, die legati cedente fideicommiſſum petet: remoto autem fideicommiſſo, legatarius exemplum Mutianæ cautionis non habebit. *Ait Iuriſconſultus:* Die legati cedente, *(ſcilicet mortuo teſtatore, uel adita hæreditate)* fideicommiſſū petet. *Ait inſuper:* Remoto autem fideicommiſſo, &c. Hoc eſt, *Si legatarij fidei commiſſum non ſit, ut mulieri nubenti reſtituat, non poterit oblata cautione fideicommiſſum petere: quia uiuo legatario mulier mori poßit, & ita certum fieri eam non nupturam, & tunc petere legatum.* Planè propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi, ſi à liberis non deceſſerit, ſit legatum: hoc enim caſu, quamuis uiua matre liberi mori poßint, & ita impleri conditio, tamen cautioni Mutianæ eſt locus. Quæ replicatio approbatur l.cum tale.70. *in prin. ff.de condit.& demonſtrat.his uerbis:* Cum tale legatum eſſet relictum Titiæ, Si à liberis non deceſſerit: negauerunt eam rectè cauere, quia uel mortuis liberis legati conditio poſsit exiſtere. Sed diſplicuit ſententia: non enim uoto matris opponi tam ominoſa interponendæ cautionis interpretatio debuit. Et cum patronus liberto certam pecuniam legaſſet, ſi à liberis non diſceſsiſſet, permiſit Imperator ueluti Mutianam cautionem offerri. fuit enim periculoſum ac triſte, libertum coniunctum patroni liberis eorundem mortem expectare. Quarta exceptio eſt: Niſi uſusfructus ſub conditione non faciendi ſit legatus. Hæc exceptio reprobatur l.hæres.77. ſ.quamuis.ff.d.tt.his uerbis: Quamuis uſusfructus, cum morietur legatarius, inutiliter legetur: tamen cautionis Mutianæ remedium, uſufructu quoque ſub conditione alicuius non faciendi legato, locum habet. Quinta exceptio eſt: Niſi defunctus cautionem remiſit. Quæ exceptio approbatur Nouell.c.22.ſ.enimuerò.uerſ.c.ult. his uerbis: Niſi (ut ſæpius) teſtator & hoc permiſerit, dicens licentiam habiturum eum, quem ex parte uel ex aſſe inſtituit, cuius legatum uel fideicommiſſum, aut mortis cauſa donationem reliquit, ut & relictum capiat, neque tamen ullam cautionem præſtet. tunc enim ſequenda eſt defuncti uoluntas. Hactenus de cauſa Mutianæ cautionis, eiuſq; exceptionibus.

III. Quibus Mutiana cautione cauendum?

Iis ad quos legatū deficiente conditione eſt peruentu rum. Quæ regula approbatur l.is cui.18. ff.de condit. & demonſtrat. his uerbis: Is cui ſub conditione non faciendi aliquid relictum eſt, ei ſcilicet cauere debet Mutiana cautione, ad quem iure ciuili deficiente conditione hoc legatum eáue hæreditas pertinere poteſt. *Concordat Nouell.c.22. ſ.enimuerò quem.uerſic.ac prædictæ, his uerbis:* Ac prædictæ à nobis cautiones (ſiue inſtitutionis pars ſit, ſiue fideicommiſſum, uel legatum) dentur uel hæredibus, uel ſubſtitutis, uel ijs à quibus hæc relicta ſunt. certè ſi mortis cauſa donatio, omnino hæredibus. Si ſub tali uerò conditione aliquis ex aſſe hæres ſcriptus ſit, ſubſtitutis (ſiquidem fuerint) aut ſaltem ijs qui ab inteſtato ad hæreditatem uocantur, id genus cautiones præſtet: utundique lex per ſe & propriam habeat perfectionem.

IIII. Quo genere cautionis cauendum?

Hæc quæſtio definitur in cōditione nubendi, Nouel.c. 22.ſ.enimuerò quem deinde.uerſ.ſed ſiquidem immobilis, cū ſequētib. cuius uerba uide paulò ſ. in prin. capitis.

V. Quid *cauendum, seu de qua re, definitur in cõditione non nubendi, d. uerſ. ſed ſiquidem immobilis, cum ſequentibus.*

VI. Euentus, ſeu de actione quæ ex propoſita cautione competit.

Quid ueniat in eam actionem? De fructibus regula proponitur l. hæres. 77. §. qui poſt. ff. de condition. & demonſtr. his uerbis: Qui poſt Mutianam cautionem interpoſitam legatum accepit, ſi cõtra cautionem aliquid fecerit, ſtipulatione cõmiſſa etiam fructus hæredi reſtituet: hoc enim legatarius & in exordio cauere cogitur. *De uſuris proponitur regula Nouell. c. 22. §. enimuerò. uerſ. ſi numerata pecunia, cum ſequentibus. cuius uerba uide §. quæſt. 2. in prin.*

VII. Adſinia remedia huius cautionis.

Si non ſit cautum, primum adſine remedium eſt, rei uindicatio. Quod remedium approbatur Nouell. c. 22. §. enimuerò quem deinde. uerſ. ſi fideiuſſorem, his uerbis: Si fideiuſſorem dare nequeat, tunc ſub iuratoria cautione, & rerum ſuarum (quo dictum eſt modo) hypotheca percipito quidé relictum: ſimulac uerò ad ſecundas nuptias acceſſerit, hæc ab eo qui dedit exigitor, apud quamcunque tandem perſonam extiterit, ut perinde exiſtimetur, quaſi ne data quidem ab initio ſit. quod in omni ſpecie reſtitutionis, ſiue mobile, ſiue immobile ſit quod reſtitui debet, obtinere ſancimus. *Secũdum propoſitæ cautionis adſine remedium proponitur ibidem, his uerbis*: Cæterùm ſi aurum in relicto ſit, ipſe uerò dandæ fideiuſſionis penuria laboret, neq; dignus uideatur, cuius fidei hoc concredatur: maneat id quidem apud illum à quo relictum fuit, ſed eius loco trientes uſuras dependat: quas tamdiu ſoluat, donec uel ille ſecundis ſe iungat nuptijs (quo tempore etiam ſolutarum uſurarum repetitio locum habebit) uel manifeſtum ſit, nõ poſſe eum ulterius ad nuptias peruenire, ſiue ratione ſacerdotij (tunc enim illi relictum dabit) ſiue etiam morte. capient enim omnino id hæredes eius, nihil pro ſolutis uſuris redditurí. *Tertium adſine remedium eſt exceptio. Quod proponitur l. tutor. 26. ff. de liberat. legatã. de quo §. lib. prox. cap. 2. reg. 12.*

DE CAVTIONE MVTIANA, in conditione non nubendi relicta.

Si ſub conditione non nubendi relictum ſit, quid iuris ſit, quoad cautionem Mutianam attinet, in præcedẽti generali tractatu ex Nouel. c. 22. §. enimuerò, cum ſequentibus, eſt oſtenſum: ſupereſt tamen d. §. enimuerò, uerſiculus non omittendus. cuius uerba hæc ſunt: Eandem autem obſeruationem, eandemque rationem introducimus, etſi ſub tali conditione ij reliquerint, qui matrimonium inter ſe non habent: ſed quiſpiam extraneus uel uiro uel mulieri ſub tali conditione dari quid uelit, fortuitis uidelicet caſibus, ſecundum ſuam ipſorum naturam, deque his latas leges, tam in præſtationibus, quàm in reſtitutionibus ſpectandis. Atque hæc quidem ex legibus, quæ à nobis iam propoſitæ ſunt, occaſione legis Iuliæ Miſcellæ commutamus: alia autem intra eoſdem terminos, & in ijſdem ſpeciebus rata ſunto, in quibus etiam ea expoſuimus. *Sed de conditione non nubendi §. lib. prox. cap. 7. condit. 2.*

II. DE CAVTIONE MODI IMplendi, ſi ſub modo legatum ſit relictum.

Si ſub modo relictum ſit legatum, legatarius cauere tenetur hæredi de modo iſto implendo. Quæ cautio approbatur l. ſi tibi. 19. ff. de leg. 3. his uerbis: Si tibi legatum eſt uel fideicommiſſum relictum, uti quid facias: etiamſi non intereſt hæredis id fieri, negandam tibi actionem, ſi non caueas hæredi futurum quod defunctus uoluit, Nerua & Attilicinus rectè putauerunt. *Concordat l. quibus. 39. §. fin. ff. de condition. & demonſt. his uerbis*: Thermius minor, quorum arbitratu monumentum ſibi fieri uellet, teſtamento ſcripſerat, deinde ita legauerat: Lucijs Publijs Cornelijs ad monumentum meum ædificandum mille hæres meus dato. Trebatius reſpondit, pro eo habendum, ac ſi ita legatum eſſet, ſi ſatiſdediſſent, ſe ita id monumentum ex ea pecunia facturos. Labeo Trebatij ſententiam probat: quia hæc mens teſtantis fuiſſet, ut ea pecunia in monumentum conſumeretur. Idem & ego & Proculus probamus. *Propoſitæ cautionis exemplum etiam eſt: Si fundus uel res alia legata ſit ita, ne alienetur, uel de familia excat: hoc enim caſu dector cauere cogitur, ſe fundum non alienaturum. Quod exemplum proponitur l. ſi unum. 69. §. ſed & ſi fundum, in fine. ff. de leg. 2. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 15. except. 4. Concordat item l. peto. 71. §. fin. ibi: ita proximus quiſque. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap. 15. quæſt. 2. reg. 1. except. 1. Item concordat l. ſi quis. 3. §. ſi quis ita. ff. de adimend. legat. cuius uerba uide §. cap. 2. reg. 2. except. 6. Aliud eius exemplum proponitur l. cum in. 48. ff. de fideicommiſſ. libertat. his uerbis*: Cum in teſtamento ſcriptum eſſet: Stichum Titio lego, uel hæres meus dato, ita ut eum Titius manumittat. dixit Iulianus, petenti legatario Stichum exceptionem doli mali obſtaturam, niſi cauerit ſe libertatem ſecundum uoluntatem defuncti præſtaturum. *Concordat item l. ſi cui. 7. ff. de fideicommiſſ. libertat. his uerbis*: Si cui legata ſint centum, ita ut ſeruum alienum redimat, & manumittat, & bonis hæredis uenditis partem, non totum perſequatur: non aliàs debet conſequi legatum, quàm ſi cauerit ſe manumiſſurum. ſed hoc tunc demum, ſi largiatur portio quam accepit, ad ſerui precium, paratus que ſit dominus tanti uendere: alioquin exceptione doli debebit legatarius repelli. *Planè regulæ ſeu cautionis propoſitæ exceptio prima hæc eſt: Niſi non interſit hæredis id fieri. Quæ tamen exceptio reprobatur uerbis paulò ſuperius propoſitis hiſce*: Etiamſi non intereſt hæredis id fieri. *Secunda exceptio hæc eſt: Niſi pecunia ſit alicui legata, ita ut ea ſibi aliquid emat. Quæ exceptio approbatur l. Titio. 69. in princip. ff. de condit. & demonſtr. his uerbis*: Titio centum, ita ut fundum emat, legata ſunt. non eſſe cogendum Titium cauere, Sextus Cæcilius exiſtimabat: quoniam ad ipſum dun taxat emolumentum legati rediret. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi minus induſtrio ita ſit legata pecunia, ut ea ſibi aliquid emat. Quæ replicatio approbatur d. l. 69. in princip. his uerbis*: Sed ſi filio fratris alumno minus induſtrio proſpectum eſſe uoluit, intereſſe hæredis credendum eſt: atque ideo cautionem interponendam, ut & fundus comparetur, ac poſtea non alienetur. *Tertia exceptio eſt: Niſi ita pecunia relicta ſit, ut Mæuiam uxorem ducat, uel ne ducat. Quæ exceptio priore quidem caſu reprobatur, poſteriore uerò approbatur d. l. 69. §. 1. his uerbis*: Titio centum relicta ſunt, ita ut Mæuiam uxorem, quæ uidua eſt, ducat. conditio non remittetur, & ideo nec cautio remittenda eſt. Huic ſententiæ non refragatur, quòd ſi quis pecuniam promittat, ſi Mæuiam uxorem non ducat, Prætor actionem denegat. aliud eſt enim, eligendi matrimonij pœnæ metu libertatem auferri: aliud, ad matrimonium certa lege inuitari. *Quarta exceptio eſt: Niſi ita legatum ſit, ut in certo loco moretur. Quæ exceptio approbatur ſimul & diſtinguitur d. l. 69. §. Titio centum, his uerbis*: Titio centum relicta ſunt, ita ut à monumento non recedat, uel ut in illa ciuitate domicilium habeat. poteſt dici non eſſe locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis alio iure utimur. *Quinta exceptio eſt: Niſi ita ſit alicui legatum, ut ea res ab eo uel hærede poſt aliquod tempus alteri reſtituatur. hoc enim caſu cautio non eſt à legatario exigenda, die exiſtente fideicommiſſum ei cui relictum eſt, reſtitui. Quæ exceptio approbatur l. Firmio. 26. §. cum ab hæredibus, in fine. ff. quando dies legati cedat. cuius uerba uide §. cap. 2. reg. 1. except. 4. Concordat l. liberto. 21. §. Largius. ff. de annuis legatis, his uerbis*: Largius Euripianus conſuluit, alumno certam pecuniam patronum teſtamento legaſſe, deque ea re teſtamento ita cauiſſe: Pecuniam quam Titio liberto meo & alumno legaui, eſſe uolo penes Publium Mæuium uſque ad uicesimum quintum annum ætatis eius, proque ea compu-

tari cum eo uſuras quadrantes: quantum autem ei ſtatuendum ſit in ſumptum, tu Publi Mæui (cum patris affectum ei præſtare debeas) æſtimabis. quæſitum eſt, an hæredes à Publio Mæuio ſatis accipere debuerunt, ſoluentes eam pecuniam? Scæuola reſpondit, cùm teſtamento nulla exigendæ ſatiſdationis commemoratio fiat, ſatis habuiſſe hæredes ſecundum uoluntatem defuncti Publio Mæuio pecuniam numerare: & ideo nec Titius alumnus, uel hæredes eius audiri debent aduerſus hæredes patroni agentes, quòd ſatis non exegerunt. ex ea enim numeratione & à Titio, ac proinde etiam ab hæredibus eius liberatos eſſe ſupraſcriptos hæredes, niſi uiuente teſtatore Pub. Mæuius ſoluendo eſſe deſierit: tunc enim cautio ab eo exigenda erat. *Alias propoſitæ regulæ exceptiones uide §. lib. prox. cap. 9. cauſa 15.*

III. DE CAVTIONE EIVS quod amplius acceperit, uel defecerit, reddendi.

1. CAVSA *huius cautionis hæc eſt: Si incertum ſit, utrum legi Falcidiæ locus ſit. hoc enim caſu legatarius hæredi cauere tenetur de reddendo eo quod amplius accepit. Quæ cauſa approbatur l. 1. in prin. ff. ſi cui plus quàm per legem Falcidiam, &c. his uerbis*: Si cui plus quàm licuerit legetur, & dubitari iuſtè poſſit, utrum lex Falcidia locum habitura ſit, nec ne: ſubuenit Prætor hæredi, ut ei legatarius ſatiſdet: ut ſi apparuerit eum amplius legatorum nomine cepiſſe, quàm ex lege Falcidia capere licebit, quanti ea res erit, tantam pecuniam det, doluſque malus ab eo abfuturus ſit. neq; intereſt, utrum in primis tabulis hoc fiat, an in pupillaribus, an in utriſq;. etenim legem Falcidiam ſemel eſſe admittendam, etiamſi duplex ſit teſtamentum, iam conuenit, contributis ſcilicet legatis, tam his quæ ab ipſo pupillo, quàm his quæ à ſubſtituto impubere relicta ſunt. *Huius cautionis ratio proponitur d. l. 1. §. hæc ſtipulatio, his uerbis*: Hæc ſtipulatio ideo locum habet, quia etſi repeti poteſt id quod ſolutum eſt: tamen fieri poteſt, ut non ſit ſoluendo is cui ſolutum eſt, ac per hoc pereat quod datum eſt. *Similis ratio proponitur l. ſi cui. 31. in fine. ff. ad l. Falcid. cuius uerba proponentur paulò ſ. Concordat l. 1. §. interdum. ff. d. tt. his uerbis*: Interdum omnimodò neceſſarium eſt ſolidum ſolui legatario, interpoſita ſcilicet ſtipulatione, quanto amplius quàm per legem Falcidiam ceperit, reddit: ueluti, ſi quæ à pupillo legata ſunt, non excedant modum legis Falcidiæ. Veremur autem, ne impubere eo mortuo, alia legata inueniantur, quæ contributione facta do-

drantem excedant. Idem dicetur,etsi principali testamento quædam sub conditione legata sunt,quæ an debeantur,incertum est:&ideo si hæres sine iudice soluere paratus sit,prospiciat sibi per hanc stipulationem. *Concordat item l.si cui.31. ff.eod.tt.bis uerbis:* Si cui fideicommissum soluitur, sicut is cui legatum est, satisdare debet,quod amplius ceperit quam per legem Falcidiam ei licuerit, reddi: ueluti cum propter conditionem aliorum fideicommissorum uel legatorum legis Falcidiæ causa pendebit. Sed & (secundum Cassij & ueterum opinionem) si à pupillo fideicommissa capiantur, propter ea quæ à substituto erunt relicta, cauere debebit is cui soluitur. nam quamuis repetitio sit horum quæ fideicommissi nomine non debita soluantur, tamen satisdato cautum debet esse ei, à quo pecunia proficisceretur, ne damnum sentiat deficiente eo cui solutum erit. *Hisce legibus iam propositis causa proposita approbatur, simul & aliquot exemplis declaratur. Primum exemplum est: Si à filio impubere hærede instituto, & eius substituto legata sint relicta. hoc enim casu, quoniam incertum est, utrum legata à substituto relicta debeantur, utputa impubere adhuc uiuente, & ob id incertum est, utrum lex Falcidia locum sit habitura, legata ab impubere relicta non aliàs soluuntur,quàm proposita cautione præstita. Huic primo exemplo concordat l.si is.79. in princ.ibi:quod si pupillus. ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide j.lib.prox. cap.1. except.19.in fine. Secundum exemplum est: Si quædam legata sint conditionalia, & ob id incertum est, utrum inter legata sint computanda:nunc enim pura legata non nisi cautione præstita soluenda. Cui posteriori exemplo concordat l.1. §.si legata, cum sequentibus. ff. si cui plus, his uerbis:* Si legata quædam præsenti die relicta sunt, quædam sub conditione, interponenda erit ista stipulatio propter legata conditionalia, dummodò ea legata, quæ præsenti die sint, integra soluantur. Iulianus denique scribit, Si purè & sub conditione legata fuerint, ne existente conditione lex Falcidia locum habeat: non aliter legatorum, quæ purè data sunt, actionem dari debere, quàm si cautum fuerit hæredi, quanto amplius quàm per legem Falcidiam licuerit, ceperit, reddi. Idem Iulianus scribit, eum cui quadrans sub conditione, & dodrans purè legatus est, cauere debere, quanto amplius quàm per legem Falcidiam liceat, ceperit,reddi. *Concordat item secundo exemplo l.in lege.45.§.in his legatis. ff. ad l.Falcidiam. cuius uerba uide j lib.prox.cap.2.quæst.4.reg.2.except.4. Concordat item l.in quantitate.73.§.sed etsi legata. ff.eod. tt.cuius hæc sunt uerba:* Sed etsi legata quædam purè, quædam sub conditione relicta efficiant, ut existente conditione lex Falcidia locum habeat: purè legata cum cautione redduntur. quo casu magis in usu est, solui quidem purè legata perinde, ac si nulla alia sub conditione legata fuissent: cauere autem legatarios debere ex euentu conditionis,quod amplius accepissent,id redditum iri. cuius generis cautio necessaria esse uidetur,si quibusdam seruis eodem testamẽto sub conditione libertas data sit, quorum precia conditione existente bonis detrahũtur. *Concordat denique l.si propter.53.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Si propter ea quę sub conditione legata sunt, pendet legis Falcidiæ ratio: præsenti die data non tota uindicabuntur. *Hæc uerba posteriora,* Non tota uindicabuntur: *intellige cũ conditione hac, Nisi præstita cautione eius quod amplius,&c. Tertium causæ propositæ exemplum est: Si in singulos annos quid sit relictum. Quod exẽplum proponitur l.1.§.si in annos.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Si in annos singulos legatũ sit Titio: quia multa legata & cõditionalia sunt, cautioni locus est, quæ in edicto proponitur, Quanto amplius ceperit,reddi. *Quartum exemplum est: Si æs alienum hæreditarium incertum sit. Quod exemplum proponitur l.1.§.sed causa cognita. ff. si cui plus quàm, his uerbis:* Causa cognita Falcidiam locum habere, & legatorum modus facit, & æris alieni onus. & siquidem euidens æs alienum est, uel certum, facilis est computatio: si autem adhuc incertum est, quia fortè uel conditio eius pendet, uel creditor litem contestatus est, & necdum lis finita est: dubitabitur, quantum legatarijs debeatur propter incertum. hodie tamen subsimile aliquid sit in fideicommissis. *Hactenus exempla causæ propositæ cautionis enumerasse sufficiat: sequuntur nunc eius exceptiones, quarum prima hæc est: Nisi in diem certum legata fiat relicta. hoc enim casu, quamuis statim legata peti non possint, non tamen ob id in puris legatis præstandis cautio est necessaria. Quæ exceptio approbatur l.nisi.1.§.si in plures. ff. si cui plus quàm,&c.his uerbis:* Si in plures dies pecunia legata est, cum certum sit legem Falcidiam locum habere, non stipulationi, sed computationi locum esse, Pedius ait: ut æstimetur, quanti sit, quod in diem legatum est: & tantum credatur legatum esse, quantum efficiat æstimatio: ut pro modo eius ex omnibus legatis statim legis Falcidiæ ratio habeatur. *Concordat d.l.3.§.quoties, his uerbis:* Quoties futurum est, ut palàm sit, & ante diem uenientem iam Falcidiam locum habere,toties computatio eius fit. nam si conditio in mora est, expectabimus conditionem, quoad existat: si autem dies supereſt, iam hic intercapedinis temporis habita ratione atque æstimatione, sic de Falcidia disputabimus, & committi stipulationem dicemus.

cemus. *Concordat item l.in quantitate.73.§.in diem. ff.ad l.Falcidiam. ubi cum dictum esset, propter legata conditionalia opus esse cautione, subiiciuntur hæc uerba:* In diem relicta legata alterius esse iuris palàm est,cum ea omnimodò tam ipsi legatario, quàm hæredibus eius deberi certum sit: sed tanto minus erogari ex bonis intelligendum est, quantum interea,donec dies obtigit,hæres lucraturus est ex fructibus uel usuris. *Secunda exceptio est:Nisi non legatum sit, sed per fideicommissum relictum. Hæc exceptio reprobatur l.si cui.31.in prin.ff.ad l.Falcidiam.cuius uerba uide paulò superius. Concordat l.1.§.sed causa cognita, in fine. ff.si cui plus quàm,&c. cuius uerba uide item paulò superius exemplo 4. Tertia exceptio est: Nisi mortis causa donatum sit. Et hæc exceptio reprobatur l.1.§.in mortis.ff.si cui plus,his uerbis:* In mortis causa quoque donationibus potest dici, hanc stipulationem esse interponendam. *Quarta exceptio est:Nisi in diuersis tabulis legata sint relicta. Et hæc exceptio reprobatur l.1.in prin.ibi:nec interest.ff.si cui plus,&c.cuius uerba uide paulò superius in principio cautionis propositæ. Quinta exceptio est:* Nisi lex Falcidia locum habere non posit. *Hæc exceptio reprobatur l.1.§.in quibusdam.ff.si cui plus,&c. de qua re paulò inferius. Sexta exceptio est:* Nisi exceptione cautionis præstandæ non opposita, legata sint soluta. *Quæ exceptio reprobatur l.nisi. 3.§.fin.ff.si cui plus,&c.his uerbis:* Si legatum fuerit præstitum ante interpositam hanc stipulationem, an cõdici possit,ut cautio ista interponatur? mouet quæstionem, quòd ea quæ per errorem omissa uel soluta sunt, condici possunt. & hic ergo quasi plus solutum uidetur, ex eo quòd cautio intermissa est. & ait Pomponius, conditionem interponendæ satisdationis gratia competere:& puto hoc quod Pomponius ait,probandum utilitatis gratia. *Concordat d.l.3.§. item sciendum, in fine. cuius uerba uide j.quæst.prox. Septima exceptio est:* Nisi legatarius satisdare non posit. *Hæc exceptio approbatur l.cum non.6. ff.d.tt. his uerbis:* Cum non facilè satisdationem offerre legatarius uel fideicommissarius possit, & futurum sit, ut propter hoc à petitione liberalitatis ex testamento submoueatur: nunquid onus satisdationis remittendum ei erit? quod uidetur adiuuari rescripto diui Commodi in hæc uerba: Is cuius de ea re notio est aditus, si compererit ideo cautionem à te exigi, ut à fideicommissi petitione auertaris, onus satisdationis tibi remitti curabit. *Sunt insuper & aliæ huiusmodi exceptiones, ex persona legatarij ductæ, de quibus paulò inferius in quæstione, Qui cauere teneantur?*

¶ *Hactenus prima ac potissima propositæ cautionis causa cum suis exceptionibus exposita est: sed & plures huius cautionis, de eo quod quis acceperit restituendo, causæ proponuntur l.1.§.in quibusdam, cum sequentibus. ff.si cui plus quàm, &c. his uerbis:* In quibusdam autem testamẽtis Falcidia quidem locum non habet, ueruntamen ita obseruatur, ut licet quadrantem hęres non retineat: tamen hactenus legata debeantur, quatenus patrimonij uires sufficiunt, utique deducto ære alieno:item deductis precijs eorum qui libertatem in testamẽto uel directam, uel fideicommissariam acceperunt. Sed & legatario cauendum est,à quo fideicommissum relinquitur. Interdum nõ legis Falcidiæ, sed etiam alterius legis in hac stipulatione ratio facienda est: utputa si patronus ex asse hęres institutus sit, & purè quincunx legatus sit, & sub conditione aliquid supra debitã patrono partem. nam in hunc casum ratio facienda est illius legis, quæ patronos uocat,non legis Falcidiæ. *Prima igitur cautionis reddendi eius quod quis amplius acceperit, causa est: Si incertum sit, utrum legi Falcidiæ sit locus. Secunda causa est: Si ob æs alienum hæreditarium incertum aliquid ex legatis sit detrahendum, quòd uires patrimonij non sufficiant soluendis legatis. Tertia causa est: Si incertum sit, utrum legatarius, à quo fideicommissum alij relictum est, legatum partemue eius hæredi propter iam propositas causas restituere debeat, ut ei rursus à fideicommissario de fideicommisso partẽue eius restituenda caueatur. Quæ causa approbatur in suprà propositis uerbis hisce:* Sed & legatario cauendũ est, à quo fideicõmissum relinquitur. *Cui cõcordat l.uideamus.5.ff.eod. tt. de quo paulò j.quæst.2.in fine dicetur. Quarta causa est: Si patrono hærede instituto & legatis grauato,incertum sit,utrum legatis solutis legitimam quæ patrono debetur, ex hæreditate sit retenturus. Quæ causa approbatur supradictis uerbis hisce:* Vtputa si patronus ex asse, &c. *Vnde iusta interpretatione quinta causa elici potest, Quòd si filio hærede instituto,& legatis onerato,incertum sit,utrum legatis solutis legitimã,quæ filijs debetur,sit habiturus,posit à legatarijs proposita cautio exigi. Sexta causa uidetur esse: Si posit fideicommissum à legatario relictũ,in persona fideicommissarij deficere. in hũc enim casum uidetur à legatario hæredi de legato restituendo cauendum. Verum hæc causa reprobatur l.diuus.7.ff.si cui plus quàm per,&c. his uerbis:* Diuus Pius ab eo qui annua legata percipere ad distribuendum iussus erat, uetuit cautionem exigi, cessantiũ partes reddi: nisi apertè cauere iussus esset. *Concordat l.pecuniæ.8.in prin.ff.de alim.legatis.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.13.quæst.1.reg.11. Causa igitur proposita ipso iure reprobatur, nisi in certis casibus. quorum primus proponitur in iam dictis uerbis hisce:* Nisi apertè cauere iussus esset: *scilicet à testatore. Secundus casus est:Si nudus minister sit ad distribuendum. de quo uide ẽ. d.reg.12. except.1. Cuius exemplum proponitur l.solent.3.§.debebit.ff.de alimentis legatis, de quo j. cap.de aliment.legatis, in fine.*

nominis sint, & ob id quilibet de se testatorẽ dicat sensisse. hoc enim casu, quia legatum certum est, etiam post motam controuersiam sine cautione res hæreditaria ab alterutro solui potest. Quæ duplicatio approbatur d.l. 4. §. si duo. & §. sed cũ de nomine, his uerbis: Si duo ex testamento hæreditatem in solidum sibi uindicent, fortè quòd eiusdem nominis sint, tam in possessorem, quàm in petitorem cõpetunt actiones & creditoribus & legatarijs. Sed cũ de nomine inter duos quæstio est, nunquid nõ sit cauendũ: quia omnimodò unus liberatur, quemadmodũ si æs alienum hæreditariũ soluatur? Sed si petitor suam pecuniã soluat, aut tradat rem suã, non habet unde retineat: & ideo necessaria est ei cautio. *Secunda replicatio est: Nisi eadẽ res alteri purè, alteri sub conditione sit legata. hoc enim casu ei, cui purè legata est, dari non debet, nisi cautione præstita eam reddi cõditione alterius legati existente. Quæ replicatio approbatur l. Iulianus. 9. §. si tibi. ff. ad exhibendum. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 11. causa 54. exemplo 2. except. 3. Tertia exceptio est: Nisi ante interpositã cautionem legatũ sit solutum. Hæc exceptio reprobatur l. nisi. 3. §. fin. ff. si cui plus quàm, &c. cuius uerba uide §. caut. prox. causa 1. except. 6.*

II. QVIBVS CAVENDVM?

Si cum de usufructu legato controuersia esset, proprietas rei nõ sit penes hæredem, sed penes alium. proprietario, nõ hæredi cauendum. Quæ regula approbatur l. si nõ. 9. in prin. ff. si cui plus quàm, &c. his uerbis: Si non in cõtrouersia sit proprietas, sed usus fructus (potest enim rei, cuius proprietas Titio legata est, usus fructus alij legari) tũc de eo restituendo non hæredi, sed Titio caueri debet. Interdum, etsi ab hærede legetur usus fructus, Titio cauendum est: ueluti si detracto usufructu proprietas ei legetur, usus fructus Seio. quid enim attinebit, hoc casu hæredi caueri, ad quem emolumentũ intercidentis usus fructus nõ sit spectandũ? *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi proprietas Titio non purè, sed in diem incertum sit legata. tunc enim non Titio, sed hæredi cauẽdum. Quæ exceptio approbatur d. l. 9. in fine, his uerbis:* Verùm si usufructu Seio legato, proprietas Titio legetur, ut cum ad Seium pertinere desierit, habeat proprietatem: tunc hęredi caueri oportebit à fructuario, ab hęrede autem Titio: quia non sit certum, usufructu intercepto, ad Titium proprietatem reuersuram. *Plura de regula proposita uide §. lib. 24. cap. 6. quæst. 3. reg. 2.*

III. VBI CAVENDVM?

Si Romæ cauere nõ posit, in municipiũ remittẽdus. Quæ regula approbatur l. de die. 8. §. tutor. ff. qui satisdare cogãtur. cuius uerba uide §. caut. prox. quæst. 6.

IIII. EVENTVS, SEV DE Actione quæ ex hac cautione datur.

Sic euicta sit res uel hæreditas, ex hac cautione ad restituendum legatum agi potest. Quæ regula approbatur l. nisi. 3. §. & generaliter. ff. si cui plus quàm, &c. his uerbis: Generaliter ubicunque hæreditatem uel quantitatem uel emolumentũ præstitit is, qui hac stipulatione sibi prospexerat: dicendum est, ibi committi eam, si modò culpa abfit ab eo qui stipulatus est. *Ex his uerbis, præterquàm quòd regula proposita approbatur, simul etiam prima eius exceptio constat, hæc scilicet: Nisi culpa ipsius stipulatoris res uel hæreditas sit euicta. Cui concordat d. l. 3. §. si legatarius, his uerbis:* Si legatarius hæredi, qui controuersiam hæreditatis patitur iam, uel sperat, de restituẽdo legato sibi præstito cauerit, & euicta hæreditas sit, sed negligẽtia uel dolo eius qui legatum præstitit: dicemus non cõmitti stipulationem, propter uiri boni arbitrium, quod inest huic stipulationi. *Secunda exceptio est: Nisi is qui stipulatus est, uel cui cautum est, eui cerit ex alia causa hæreditatem. Hæc exceptio reprobatur d. l. 3. §. item si ipse, his uerbis:* Item si ipse qui præstitit legatum, ex alia causa sibi euicerit: utputa, quia inuenitur sequenti testamento hæres scriptus, in quo legatum iste legatarius non acceperat: dicemus committi stipulationẽ propter uiri boni arbitrium. *Tertia exceptio est: Nisi stipulatio semel sit commissa. Quæ exceptio reprobatur d. l. 3. §. quæsitum, his uerbis:* Quæsitum est, an & sæpius committatur? & placet etiam sæpius eam cõmitti, si per partes ablata sit hæreditas.

V. DE CAVTIONE *boni uiri arbitratu utendi, fruendi, & finito usufructu eum restituendi, usufructo legato, uide §. lib. 24.*

VI. DE CAVTIONE HÆREdem defensum iri aduersus alium.

Huius cautionis primum exemplum proponitur l. fideicommissa. 11. §. plerunq; euenit, in fin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide §. cap. 7. reg. 25. except. 10. Secundum exemplũ proponitur l. quid ergo. 4. ff. de lib. leg. cuius uerba uide §. cap. 1. memb. 3. reg. 3. in prin. Tertium propositæ cautionis exemplum proponitur l. si seruo. 18. ff. de peculio leg. his uerbis: Si seruo manumisso peculium legatum fuerit, in eũ fine dubio creditoribus peculiaribus actiones non cõpetunt: sed non aliter hæres peculium præstare debet, nisi ei caueatur defensum iri ad uersus creditores peculiares. *Vide de hoc §. lib. prox. cap. 14. quæst. 3. reg. 2. Quartum exemplum proponitur ac reprobatur l. 1. §. si hæres. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba §. lib. prox. cap. 2. quæst. 4. reg. 2. except. 5. proponentur. Quintum exemplum proponitur l. si à plurib. 104. in prin. ff. de legat. 1. cuius uerba uide §. cap. 2. reg. 2. except. 1. repl. 13.*

VII. CAVTIO.

Si hæres damnatus sit pecuniã credere, an legatarius de credito reddendo cauere teneatur, definitur l. fideicommissa. 11. §. si hæres. ff. de leg. 3, his uerbis: Si hęres rogatus

rogatus sit certam summam usuris certis fœnori dare, utile est fideicommissum: sed Mæcianus putat, non aliàs cogendum credere, quàm idoneè ei caueatur. sed ego procliuior sum, ut putem cautionẽ nõ exigendam.

VIII. CAVTIO.

Si alicui decem sint legata, ita ut si perdidisset, rursus ei sint relicta: utrum legatario non sit actio danda, nisi cauerit salua fore decem, ne hæres secundò præstare cogatur, definitur d. l. 11. §. si quis alicui. cuius uerba cum l. concordante uide §. lib. prox. cap. 12. causa 58. except. 7.

IX. CAVTIO.

Si hæreditas alicuius sit legata, uel per fideicommissum relicta, legatarius uel fideicommissarius hæredi ea uere tenetur, si eius hæreditatis nomine damnatus esset, id præstari. Quæ cautio approbatur l. cum hæreditas. 36. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis: Cum hæreditas ex fideicommissi causa restitura est, si antè cum hærede compromissum sit, puto fideicommissarium cauere debere hæredi, sicut cum hæres multa, antequam restitueret, administrauit. nam quod dicitur retinere eum oportere, non est perpetuum. quid enim, si nihil est quod retineat: ueluti cum omnia in nominibus sunt, aut in corporibus quæ non possidebat? nempe enim is cui restituta est, omnia persequitur, & tamen hæres iudicijs quibus conuentus est, aut stipulationibus quibus necesse habuit promittere, obstrictus manebit. Ergo non aliàs cogetur restituere, quàm ei caueatur. *Concordat l. qui concubinam. 29. §. cum ita legatum. ff. de leg. 3. his uerbis:* Cum ita legatũ esset, Quanta pecunia ex hæreditate Titij ad me perue nit, tantam pecuniam hæres meus Seio dato: id legatum putat Labeo, quod acceptũ in tabulas suas ex ea hæreditate testator retulisset: cæterùm negat cauendum hæredi à legatario, si quid fortè postea eius hæreditatis nomine hæres damnatus esset. Ego puto contrà: quia non potest uideri ad hæredem peruenisse, quod eius hæreditatis nomine præstaturus esset. Idem Alfenus Varus Seruio placuisse scribit: quod & uerum est. *Concordat l. de euictione. 69. in fine. ff. ad S. C. Trebell. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 2. reg. 4. Concordat item l. Lucius. 78. §. penult. ff. eod. tit. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 4. quæst. 2. reg. 3.*

X. CAVTIO.

Si Titio genero filiæ nomine dos sit legata, Titius legatarius cauere debet dotem mulieri reddi. Quæ cautio approbatur l. Titio. 69. §. fin. ff. de cond. & demonstrat. his uerbis: Sabinus existimabat, nupta muliere Titio, sine cautione legatum deberi: quoniam pecunia dotis efficeretur. sed cum ante nuptias (quia purũ legatum est) peti potest, cautio Mulieri pecuniam reddi, necessaria erit.

XI. CAVTIO.

Si seruo legato libertas sub conditione legata est, legatarius cauere debet, conditione existente seruum ad manumittendum reddituum iri. Quæ cautio approbatur l. si pater. 47. §. cum sub. ff. de fideicommiss. libert. his uerbis: Cum sub conditione legato seruo libertas datur, non aliter fideicommissario tradi debet, quàm ut caueatur, existente cõditione seruum traditum iri.

XII. CAVTIO.

Si ad tempus legatum sit, legatarius cauere tenetur, finito tempore legatum restitui. Quæ cautio approbatur l. ult. in fin. C. de leg. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 6. except. 77.

XIII. CAVTIO.

Si eadem res duobus sit legata, non aliter alteri actio danda est, quàm si cauerit legatum alteri reddi. Quæ cautio approbatur l. is cui. 5. §. si Titio. ff. ut legator. seruand. causa. cuius uerba uide §. cap. 12. quæst. 3. reg. 1.

¶ *Hactenus cautiones ab actore præstandæ propositæ sunt: de cautionibus autem à reo præstandis dictũ est §. cap. 3. reg. 4. cum sequentibus.*

DE RELIQVIS ADIVNctis actionis legatorum, & officio iudicis. Cap. X.

PRima regula: Si legatum uel fideicommissum negetur, quid iuris, definitur inst. de fideicommiss. hæreditat. §. & quia prima, his uerbis: Quia prima fideicommissorum cunabula à fide hæredum pendent, & tam nomen, quàm substantiam acceperunt: ideo diuus Augustus ad necessitatem iuris ea detraxit. Nuper & nos, eundem principem superare contendentes, ex facto, quod Tribonianus, uir excellentissimus, & quæstor sacri Palatij, suggessit, constitutionem fecimus, per quam disposuimus, si testator fidei hæredis sui commisit, ut uel hæreditatem, uel speciale fideicommissum restituat, & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero (qui in fideicommissis legitimus esse nosci tur) possit res manifestari: sed uel pauciores quàm quinque, uel nemo penitùs testis interuenerit: tunc siue pater hæredis, siue alius, quicunque sit, qui fidem hæredis elegerit, & ab eo restitui aliquid uoluerit, si hæres perfidia tentus ad impl ere fidem recusat, negando rem ita esse subsecutam: si fideicommissarius iusiurandum ei detulerit (cum prius ipse de calumnia iurauerit) necesse eum habere uel iusiurandum subire, quòd nihil tale à testatore audiuit: uel recusantem ad fideicommissi uel uniuersalis, uel specialis solutionem coarctari: ne depereat ultima uoluntas testatoris, fidei hæredis commissa. Eadem obseruari cẽsuimus, etsi à legatario uel fideicom-

fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quòd si is à quo relictum dicitur, postquam negauerit, confiteatur quidē aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem decurrat: omnino soluere cogēdus est. *Concordat l.ult.C.de fideicom. hisce uerbis:* Quæstionem ex facto emergētem resecantes, & uoluntati mortuorum prospicientes, sancimus, si sine scriptura & præsentia testium fideicommisso derelicto, fideicommissarius elegerit hæredis iuramentum, uel forsitan legatarij, uel fideicommissarij, quoties ab eo relictum est fideicommissum, siue uniuersale, siue speciale: necesse habere hæredem, siue legatarium, uel fideicommissarium, prius iureiurando de calumnia præstito, uel sacramentum subire, & omni inquietudine sese relaxare: uel si recusandum existimauerit sacramētum, aut certam partem uel quantitatem manifestare fideicommissario derelictam noluerit, si forsitan maiorem fideicommissarius expectat, omnimodò exactioni fideicommissi subiacere, & eum ad satisfactionem compelli: cum ipse sibi iudex & testis inuenitur, cuius religio & fides à fideicommissario electa est, nullis testibus nullisq; alijs aduenticijs probationibus requisitis. sed siue quinque sint testes, uel minores, uel nemo: causam per illius sacramentum uel dandum, uel recusandum, habere tam suam firmitatem, quàm exactionem, siue pater sit, qui fideicommissum dederit, siue extraneus, ut æquitatis ratio communiter in omnes procedat. Cum enim res per testium solennitatem ostenditur, tunc & numerus testium, & nimia subtilitas requirenda est. lex etenim, ne quid falsitatis incurrat, per duos fortè testes compositum: maiorem numerum testium expostulat, ut per homines ampliores perfectissima ueritas reueletur. Cum autem is qui quid ex uoluntate defuncti lucratur, & maximè ipse hæres, cui summa authoritas totius causæ commissa est, dicere compelli tur ueritatem per sacramenti religionem: quis locus testibus relinquatur, uel quemadmodum ad extraneam fidem decurratur, propria & indubitata fide relicta: cum & in leges respeximus, quæ iustis dispositionibus testatorum omnino hæredes obedire compellunt: & sic strictius causam exigunt, ut etiam amittere lucrum hæreditatis sanciant eos qui testatoribus suis minimè paruerint.

II *Regula: Coniectura in legatis & fideicommissis potest admitti. Quæ regula approbatur l.cum prop. 66.ff.de leg.2.his uerbis:* Cum proponebatur in scriptura fideicommissi, quod pluribus sub coniectura fuerat relictum, per errorem omissam mutuam substitutionē, quàm testator in suis tabulis, cum eosdem substituere, expressisset: diuus Marcus & Commodus Impp. rescripserunt, uoluntatem manifestam uideri mutuò factæ substitutionis: etenim in causa fideicommissi (utcunque precaria uoluntas quæreretur) coniectura potuit admitti.

III. *Regula: Ignorantia præsumitur. Itaq; scientiam asserens, eam tenetur probare. Quæ regula approbatur Inst.de leg.§.quod aūt diximus.ibi: & uerius est.cuius uerba uide ē.lib.prox.cap.5.except.49.dist.3.*

IIII. *Regula, De ordine cognitionum, proponitur l.non oportet.54.ff.de legat.2.his uerbis:* Non oportet prius de conditione cuiusquam quæri, quā hæreditas legatúmue ad eū pertineat.

V. *Regula proponitur l.in his.16.ff. de condit.& demonstr.his uerbis:* In his quæ extra testamētum in currunt, possunt res ex bono & æquo interpretationem capere: quæ ex ipso testamento oriuntur, necesse est secundum scripti iuris rationem expediri.

VI. *Regula: Quæstio de uoluntate defuncti in arbitrio ipsius iudicis est. Quæ regula approbatur l.uoluntatis.7.C.de fideic.hisce uerbis:* Voluntatis defuncti quæstio in æstimatione iudicis est. *Exemplum huius regulæ proponitur l.non aliter.67.§.Titius.ff.de legat.3. cuius uerba uide ē.cap.4.de seruis leg. reg.10.*

VII. *Regula: In legatis & fideicommissis posterior scriptura derogat priori. Quæ regula approbatur l.si mihi.12.§.in legatis.ff.de leg.1.his uerbis:* In legatis nouissimę scripturæ ualēt: quia & mutari causa præcedētis legati uel die, uel conditione, uel in totū ademptione potest. sed & si sub alia uel alia cōditione legatum ademptum est, nouissima ademptio spectāda est. *Concordat l.translatio.6.§.fin.ff.de adim.leg. cuius uerba uide ē.lib.prox.cap.8.causa 4. in prin. Concordat item l.nihil.17. ff.eod.tt. his uerbis:* Nihil prohibet priorem scripturā posteriore corrigere, cōmutare, rescindere. *Concordat item l.si quis.14. in prin.ff.de uulg.subst. his uerbis:* In legato & in testamētis nouissima scriptura erit spectanda, sicut in eodē testamento codicillis confirmatis obseruaretur. *Concordat l.cū propon.3. C.de codicillis, hisce uerbis:* Cum proponatis, pupillorū uestrorum matrē diuersis temporib. ac dissonis uoluntatibus duos codicillos ordinasse: in dubiū non uenit, id quod priori codicillo inscripserat, per eū in quē postea secreta uoluntatis suæ cōtulerat, si à prioris tenore discrepat, & contrariā uoluntatē continet, reuocatū esse. *Concordat item l.clari.19.C. de fideic. hisce uerbis:* Clari & aperti iuris est, in fideicōmissis posteriores uolūtates esse firmiores. *Concordat deniq; l.non ad ea.87.ff.de cond. & demonstr. cuius uerba uide ē.cap.8.reg.1. except.6. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ita sit legatum,*

gatum, Quod infrà legauero, id neque do, neque lego. Quæ exceptio approbatur d. l. si mihi. 12. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis: Interdum in legatis non posterior, sed præcedens scriptura ualet. nam si ita scripsero, Quod Titio infrà legauero, id neque do, neq; lego: quod infrà legatum erit, non ualebit. nam & eum sermonem, quo præsentia legata data in diem proferuntur, ad postea quoque scripta legata pertinere placuit. uoluntas ergo facit, ut in testamento scriptum ualeat. *Concordat l. si ita. 14. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ē. cap. 5. reg. 53. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi testator in posteriore scriptura specialiter dixerit, prioris uoluntatis se pœnituisse. Quæ replicatio approbatur l. si quis. 22. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ē. lib. prox. cap. 6. except. 95. Secunda propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi postquam legatorum diem protulit testator, & alia legauit. hoc enim casu prolatio diei etiam ad posteriora pertinet legata. Quæ exceptio approbatur supradictis uerbis hisce:* Nam & eum sermonem, quo præsentia legata data in diem proferuntur, ad postea quoque scripta legata pertinere placuit. *Cui concordat l. talis. 32. §. fin. cum l. sequente. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ē. cap. 8. reg. 1. except. 6. repl. 4. Tertia exceptio est: Nisi posterior scriptura priori non sit contraria. Quæ exceptio patet ex l. cum proponatis. 3. C. de codicillis. cuius uerba uide paulò ē. ead. reg. in prin. Huius exemplum est l. Paulo. 27. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ē. lib. prox. cap. 8. causa 3. except. 11. Aliud exemplum est l. seruo. 110. §. si quis à primo. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ē. cap. 7. reg. 12. except. 1. repl. 3. Quarta exceptio est: Nisi in contenenti, non ex interuallo in eodem testamento utraque scriptura interuenerit. Quæ exceptio approbatur l. non ad ea. 87. ff. de cond. & demonstr. cuius uerba uide ē. cap. 8. reg. 1. except. 6. repl. 1. Huius exemplum etiam proponitur l. si te. 27. in prin. ibi: sed si te. ff. de hæred. inst. cuius uerba uide ī. lib. prox. cap. 6. except. 31. Huius exceptionis prima replicatio hæc est: Nisi posterior scriptura plenior sit priore. tunc enim, quamuis utraque in continenti scripta sit, posterior tamen ualet. Quæ replicatio approbatur l. si ita. 67. ff. d. tt. de hæred. inst. bis uerbis:* Si ita scriptum fuerit, Tithasus si in Capitolium ascenderit, hæres esto, Tithasus hæres esto. secūda scriptura potior erit: plenior est enim, quàm prior. *Secunda replicatio est: Nisi cum commemoratione prioris posterius sit scriptum. Quæ replicatio approbatur l. non ad ea. 87. in fine. ff. de cond. & demonst. cuius uerba uide ē. cap. 8. reg. 1. except. 6. repl. 1.*

VIII. *Regula, De scripto & uoluntate. Voluntas testatoris scripto præferenda. Quæ regula approbatur l. Labeo. 7. §. fin. ff. de supellect. legata, his uerbis:* Prior atq; potentior est quàm uox, mens dicētis. *Concordat l. si mihi. 12. §. fin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide paulò superius, reg. prox. except. 1. Concordat item l. penult. ff. eod. tt. his uerbis:* Sola uoluntas seruatur in fideicommissis. *Item l. fideicommissa. 11. §. item si quis certam, in fine. ff. de leg. 3. his uerbis:* In fideicommissis præcipuè spectanda seruandaq; est testatoris uoluntas. *Item l. non aliter. 67. §. Titius. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ē. cap. 4. de seruis leg. reg. 10. Concordat item l. cum de lanionis. 18. §. asinam. ibi: optimum. ff. de instr. leg. cuius uerba uide ē. cap. 4. de instr. fundi legat. reg. 7. in fine. item ī. reg. prox. Concordat item l. in condit. 19. in prin. ff. de cond. & demon. his uerbis:* In conditionibus primum locum uoluntas defuncti obtinet, eaq; regit conditiones. *Item l. pater. 99. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ī. lib. prox. cap. 7. condit. 2. in fine. Concordat item d. l. 99. §. cōditionum. cuius uerba uide ī. d. cap. 7. condit. 12. Concordat item l. cum uirum. 16. ibi: sanè quoniam. C. de fideicōmissis, cuius uerba uide ē. cap. 4. de eo quod ad rogat. pertinet legato, reg. 5. Concordat item l. cum quæstio. 23. §. fin. C. de leg. his uerbis:* In omnibus testatoris uolūtatem, quæ legitima est, dominari censemus. *Propositæ regulæ elegās exemplum proponitur l. Titia. 35. §. fin. ff. de legatis 2. cuius uerba uide ē. lib. prox. cap. 6. exc. 74. circa medium. Aliud exemplum proponitur l. Pamphilo. 37. in prin. ff. de leg. 3. cuius uerba uide itidem in d. except. 74. §. sed & si quis ita dixerit. Planè proposita regula suas etiam habet exceptiones, quarum prima hæc est: Nisi uerba sint perspicua & aperta. Quæ exceptio approbatur l. ille aut ille. 25. in fine. ff. de leg. 3. his uerbis:* Cum in uerbis nulla est ambiguitas, non debet admitti uoluntatis quæstio. *Concordat l. Labeo. 7. §. fin. ff. de supell. legata. cuius uerba uide ē. cap. 4. de supell. legata, reg. 1. except. 2. repl. unica. Exemplum huius exceptionis proponitur l. si alij. 19. ff. de usufructu legato. cuius uerba uide ē. cap. 3. reg. 17. except. 3. Secunda exceptio est: Nisi diuersa testatoris sententia sit dubia, & non probetur. Quæ exceptio approbatur l. non aliter. 67. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Non aliter à significatione uerborum recedi oportet, quàm cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. *Huius exemplum proponitur l. prædia. 28. §. idem quæsijt. ff. de instr. leg. cuius uerba uide ē. cap. 4. de fundo leg. reg. 5. except. 2. Aliud exemplum proponitur l. Titia. 35. §. Caius. ff. de legat. 2. cuius uerba ī. de liberatione legata proponentur.*

IX. *Regula: In rebus dubijs etiam respiciendum est ad morem regionis. Quæ regula approbatur l. cum de lanionis. 18. §. asinam. ibi: optimum. ff. de instr. legato, his uerbis:* Optimum esse Pedius ait, non propriam uerborum significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare uoluerit: deinde in qua præsumptione sint, qui in quaq; regione commorantur.

X. *Regula huius loci proponitur l. cum in. 25. ff. de reb. dubijs, hisce uerbis:* Cum in testamento ambiguè, aut etiam perperam scriptum est, benignè interpretari, & secūdum id quod credibile est, cogitatum credendum est.

XI. *Regula proponitur l. si fuerit. 11. §. fin. ff. de reb. dubijs, hisce uerbis:* In ambiguis rebus humanis orem sententiam sequi oportet.

petere posse. Claudius notat: Quia creditur appellatione filiorum & naturales liberos, uel in seruitute susceptos contineri. *Concordat etiam l.si unum.69.in prin.ff.de legatis 2.cuius uerba uide suprà lib. proxim. cap. 5. except. 54. repl. 11.* Propositæ regulæ exceptio hæc est: *Nisi cum eadem res duobus in priore testamento legata esset, hæres eam rem alteri ex legatarijs in suo testamento legauit. hoc enim casu tota res ei debetur, dimidia ex priore, altera dimidia ex hæredis testamento. Quæ exceptio approbatur l. Mæuius.68.in prin.ff.de leg.2.his uerbis:* Mæuius fundum mihi ac Titio sub conditione legauit, hæres autem eius eundem sub eadem conditione mihi legauit. uerendum esse, Iulianus ait, ne existente conditione pars eadem ex utroque testamento mihi debeatur. uoluntatis tamen quæstio erit: nam incredibile uidetur id egisse hęredem, ut eadem portio bis eidem debeatur: sed uerisimile est, de altera parte eum cogitasse. Sanè constitutio principis, qua placuit eidem sæpe legatum corpus non onerare hæredem, ad unum testamentum pertinet: debitor autem non semper quod debet, iure legat: sed ita, si plus sit in specie legati. si enim idem sub eadem conditione reliquit, quod emolumẽtum legati futurum est? *Plura de regula proposita eiusq; exceptionibus uide ẽ. lib.prox.cap.5.except.54.*

XII. *Regula proponitur l.si ita.37 ff.de condit.& demonstr. cuius uerba uide suprà d.cap.5. except. 44. repl.2.*

¶ *Hactenus de actione legatorum tractatum est, Ex quibus causis detur, Vbi & apud quem competat, Quibus detur, & Aduersus quos? Quid, quale, & quantum in ea ueniat petendum? Quando competat? Quæ sint in ea actoris, rei conuenti & iudicis officia? Quæ denique eius adfinia remedia? De euentis huius actionis uide ẽ. lib.prox. cap.2. Planè præter eius actionis adfinia remedia, quæ hactenus sunt proposita, sunt & plura: de quibus in sequentibus capitibus nobis tractandum.*

DE CAVTIONE LEGAtorum seruandorum nomine. Cap. XII.

I. CAVSA HVIVS CAVtionis.

SI alicui legatum sit, uel fideicommissum relictum, potest etiam ante diem legati cedẽtem uel uenientem agere, ut sibi de legato uel fideicõmisso præstando caueatur. Quæ causa approbatur l.de die.12. ẽ. fin.ff.qui satisdare cogantur. cuius uerba uide paulò inferius except.3. Exemplum eius proponitur l.filiusfamiliãs.111. ẽ.idem principes.ff.de leg.1.his uerbis: Diui Seuerus & Antoninus rescripserũt, filijs ante diem fideicommissi uenientẽ restitui hæreditatem maternam necesse non esse, sed præstare hæredem posse uulgarem cautionem: aut si eam præstare non poterit, mitti liberos in possessionem fideicommissi seruandi causa, ut pro pignore, non ut pro dominis possideant: nec ut alienandi ius, sed ut pignus habeant, ut filius per patrem fructus consequatur, & seruus per dominum. *Concordat l.quidam.93. ẽ.si scriptus, in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.8.reg.1.except.5. Concordat item l.cum Arthemidoram.4. in fine. C. ut in possess.legatorum, &c. cuius uerba uide ĩ.lib.prox. cap. 4. except.ult. Prima propositæ causæ exceptio hæc est:* Nisi *non in diem uel sub conditione, sed purè sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l. etiam.15. in principio. ff.ut legatorum nomine caueat.his uerbis:* Etiam de præsenti legato locum habet hæc satisdatio: quoniam nonnullas moras exercitio iudicij habet. *Concordat l. hæc stipulatio.14. in princ. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.proximè. Item l.is cui.5.ẽ. imperator.ff.ut in possess.leg.seruand.causa. cuius uerba uide ĩ.cap.proxim.causa 2.in prin. Secunda exceptio est:* Nisi *non legatum sit, sed fideicommissum. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 14. in princ. his uerbis:* Hæc stipulatio & in fideicommissis locum habet, si purè fideicommissum sit relictum, uel ex die certa, uel sub conditione, siue res aliqua sit, siue hæreditas, siue ius aliquod relictum est. *Tertia exceptio est:* Nisi *non legatum, sed substitutio facta sit. Hæc exceptio reprobatur l. inter.22. ff.qui satisdare cogantur, his uerbis:* Inter omnes conuenit, hæredem sub conditione possidentem hæreditatem, substituto cauere debere de hæreditate: & si defecerit conditio, hęreditatem adeuntem substitutum & petere hæreditatem posse: & si obtinuerit, committi stipulationem. Et plerunque ipse Prætor & ante conditionem existentem, & ante diem petitionis uenientem, ex causa iubere solet stipulationem interponi. *Concordat l. Paulus notat.8. in prin.ff.de prætorijs stipulationibus, his uerbis:* Qui sub conditione institutus est, agnita bonorum possessione cogitur substituto in diem cauere longiorem. Prætor enim beneficium suum nemini uult esse captiosum: & potest uideri calumnioso è satis petere, quem alius antecedit. *Quarta exceptio est:* Nisi *ab intestato fideicommissum sit relictum. Quæ exceptio reprobatur l.etiam.15. ẽ.fin. ff.ut legatorum nomine cau.his uerbis:* Etiam si ab intestato debeatur fideicommissum, locum habet hæc stipulatio. *Quinta exceptio est:* Nisi *non hæres sit, à quo fideicommissum relictum est, sed alterius nominis successor. Hæc exceptio reprobatur l.is cui.5.ẽ. si hæres. ff.ut in possess.legator.seruand.causa, his uerbis:* Si hæres non sit, à quo fideicommissum relictum est, sed alterius nominis successor: dicendũ est, ut edicto locus sit, & dolus eius sit æstimandus: sed etsi hæredis hæres sit, qui dolo fecit, æquè nocere debebit.

Concordat

Concordat d.l.5.ẽ.constitutio.ibi: quamuis hæredes. cuius uerba uide ĩ. cap.prox.causa 2.except.4. Sexta exceptio est: Nisi *filio uel seruo à patre uel domino hærede sit legatum. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.filio.7.ff.ut legatorum seruand.causa, his uerbis:* Filio uel seruo, sub conditione à patre dominóue hærede instituto, legatũ est. huius legati satis petere non possunt: sed pendente conditione emancipatus uel manumissus, si satis petant, quæritur an audiendi sint, ne beneficium patris dominiue ipsis onerosum sit, an sibi imputare debeant, qui dederint eis postulandi aduersus se facultatem? sed melius est, per mediocritatem causam dirimere, ut cautioni tantùm cum hypotheca suarum rerum committantur. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur, simul & prima eius replicatio introducitur, hæc scilicet:* Nisi *pendente legati conditione filius emancipatus, uel seruus manumissus, cautionem petat. Secunda replicatio est:* Nisi *testator caueri à patre uoluerit. Tertia replicatio est:* Nisi *pater matérue nuptias iterauerit. Quæ duæ posteriores replicationes approbantur l.iubemus.6.ẽ.in supradictis.C.de S.C.Trebell.his uerbis:* In supradictis casibus fideicommissorum seruandorum satisdationem cessare iubemus, si non specialiter eandem satisdationem testator exigi disposuerit, & cum pater uel mater secundis existimãt nuptijs non abstinendum. In his enim duobus casibus, id est, cum testator specialiter satisdare uoluerit, uel cùm secundis se pater uel mater matrimonijs iunxerit, necesse est ut satisdatio pro legis ordine præbeatur. *Tertiæ replicationi concordat Nouell. c.22. ẽ. placet, his uerbis:* Placet nobis Zenonis piętissimi principis constitutio, quæ decernit, ne aliter à patre, cum sub conditione aut certa die filio suo legatum dare iussus est, legatorum seruandorum causa (ut uocant) satisdatio exigatur, quàm si secundis se nuptijs pater iunxerit: inferatur enim & hæc pœna nuptias repetentibus. *Concordat deniq; d.l.6.ẽ.fin. cuius uerba uide ĩ. libro prox. cap.2. quæst.5.reg.1.except.2.repl.2.dupl.3. Septima exceptio est:* Nisi *is, à quo legatum relictum est, dies sit, uel in dignitate positus. Hæc exceptio reprobatur l.1. ẽ.1. ff.ut leg. seruand.causa caue.his uerbis:* Semper satisdare cogitur, cuiuscunq; sit dignitatis, uel quarumcunque facultatum hæres. nec sine ratione hoc Prætori uisum est. sicuti enim hęres incumbit possessioni bonorum: ita legatarios quoq; carere non debere bonis defuncti, sed aut satisdari eis: aut si satis non detur, in possessionem bonorum uenire, Prætor uoluit. *Octaua exceptio est:* Nisi *non species, sed hæreditas aut aliud quoddam ius sit legatum. Hæc exceptio reprobatur l.hæc stipulatio.14. in princ. ff.ut leg. seruand.causa caue. cuius uerba uide ẽ.except.2. Nona exceptio est:* Nisi *debitori liberatio sit legata. Hæc exceptio approbatur l.1.ẽ.si debitori. ff.ut in possẽ.leg. seruand.his uerbis:* Si debitori liberatio sit relicta, non est exigenda cautio, quia habet penes se legatum: quippe si conueniatur, exceptione doli mali uti possit. *Decima exceptio:* Nisi *minima res sit legata. Hæc exceptio reprobatur l. quamuis.15. ff.d.tt. his uerbis:* Quamuis minima res legata sit, uel per fideicommissum relicta: tamen si non soluatur ab hærede, uel eo nomine caueatur, cum caueri oporteat: in possessionem omnium bonorum, quæ ex ea hæreditate sunt, legatariũ siue fideicommissarium Prętor legatorum seruandorum causa mittit. *Vndecima exceptio est:* Nisi *aliud quàm quod alicui legatũ est, restituere sit rogatus. Hæc exceptio reprobatur l.is cui.5.ẽ.missus, in fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Missio locum habebit non tãtùm, si quis id ipsum quod legatum est, rogatus sit: uerùm etiã, si quid uel ex eo uel pro eo restituere fuerit rogatus. *Duodecima exceptio:* Nisi *per calumniam satis petatur. Hæc exceptio approbatur l.si is.3.ẽ.1.ff.ut in possẽ.leg.seruand.causa, his uerbis:* Necnon illa cognitio imploranda erit ab hærede, si fortè dicatur per calumniam satis peti: hoc enim commune est omnium satisdationum. diuus enim Pius rescripsit, eum apud quem satis petitur, debere explorare, num per calumniã satis petatur: de qua re summatim debet cognosce re. *Decimatertia exceptio:* Nisi *certum sit, legatum non deberi. Hæc exceptio approbatur l.hæc stipulatio. 14.ẽ.fin.ff.ut leg.seruand.causa cau.his uerbis:* Diuus quoq; Pius rescripsit, Quoties euidens res est, ut certum sit, nullo modo fideicommisso locum esse: perquàm iniquũ esse, superuacua cautione onerari hæredem. *Concordat l.1.ẽ.ei cui. ff.ut in possẽs. leg. seruand. his uerbis:* Ei cui legatum relictum est, cum constet legatum non deberi, diuus Pius ad Æmilium equestrem rescripsit, non debere Prętorem satisdationem admittere. *Concordat item d.l. 1.ẽ.fin.his uerbis:* Tunc ante aditam hæreditatem satisdandum de legatis est, cum adhuc dubium est, an hæreditas adeatur. Cæterùm si certum sit repudiatam uel omissam hæreditatem, uel absentes necessarios hæredes: frustra hoc edictum imploratur, cum certum sit legatum uel fideicommissum nõ deberi. *Concordat l.2. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ. eod.cap. in fine, quæst.1.except.5. Concordat item l.si is.3.in prin. ff.d.tt.his uerbis:* Si is à quo satis petitur, offerat cognitionem, & dicat, Hodie constat de fideicommisso, hodie agamus: dicendum est, cessare satisdationem, cum possit antè de fideicommisso, quàm de satisdatione constare. *Huius exceptionis replicatio est:* Nisi *causa fideicommissi dubia sit, & non euidenter constet, fideicommissum non deberi. Hæc re-*

plicatio approbatur l.1. C.ut in posſeſs. legat. seruand. his uerbis: Quoniam nihil actor amplius postulat, quàm ut fideicommiſsi nomine satisdetur,non debet is qui iuri dicendo præest, subtiliter cognoscere, debeatur nè cne fideicommissum : sed tantùm decernere,ut satisdetur. Decimaquarta exceptio est: Nisi lis de legato sit contestata. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. planè si quis. ff.ut legat.seruand.causa, his uerbis: Si quis omissa stipulatione litem de legato contestatus est, probandum est, cessare debere stipulationem:idemq; in fideicommiſsis quoq; probandum est. Huius exceptionis replicatio hæc est:Nisi prouocatum sit,& causa appellatione suspensa. Quæ replicatio approbatur l.postquam.5.§.imperator.ff.eod.tt.his uerbis: Imperator Marcus Antoninus Iulio Balbo rescripsit, eum à quo res fideicommissæ petebantur, cum appellasset, cauere : uel si non caueat, ad aduersarium transferri possessionem debere. Rectè placuit principi post prouocationem cautionē interponi : quod enim ante sententiam, si petitionis dies moraretur, fieri debuit, amitti post uictoriam dilata petitione non oportuit.sed quare nō caueat de fideicommisso, qui prouocauerit? Decimaquinta exceptio : Nisi semel sit cautum. Hæc exceptio approbatur l.si is.3.§.fin. ff.ut in posſeſs. leg.seruand. his uerbis : Si semel fuerit satisdatum, quæsitum est, an etiam rursus cauendum sit,si forte dicatur egenos fideiussores esse datos? & magis est, ut caueri non debeat : hoc enim diuus Pius rescripsit Pacuiæ Licinianæ. ipsam enim facilitati suæ expēsum ferre debere,quæ minus idoneos fideiussores acceperit : neq; enim oportere per singula momenta onerari eum, à quo satis petitur. Huius exceptionis replicatio est: Nisi postea noua causa emerserit, ob quam fideiussio non sit idonea. Quæ replicatio approbatur l.planè.4. ff.d.tt.his uerbis: Planè si noua causa alliegetur, ueluti quòd fideiussor decesserit, aut etiam rem familiarem inopinato fortunæ impetu amiserit: æquum erit,præstari cautionē. Huic simile est quod proponitur l.1.§.fin. ff.ut leg.seruand.causa cau. cuius uerba uide ĩ.quæst.2.regul.4.in fine. Decimasexta exceptio est:Nisi omissa causa testamenti,rogatus ab intestato succedat. Hæc exceptio reprobatur l.ei quoq;.13. ff.ut leg.seruand.cau.his uerbis: Ei quoque,cui legatorum actio daturin eum, qui prætermissa institutione ab intestato possidet hæreditatem,legatorum nomine satisdatur : & nisi satisdetur,in possessionem legatorum seruandorum causa mittetur. nam hæc quoq; Prætor perinde salua esse uult, atq; ea quæ iure ciuili debentur.Idem Aristoni placet. Decimaseptima exceptio est: Nisi legatum solutum sit. Hoc casu sine dubio cautionis onus cessat, secundum ea quæ dicta sunt paulò ſ. except.9. Eius tamen replicatio uidetur esse talis:Nisi ita sit legatum,ut si perdidisset,rursus id sit relictum. Quæ replicatio reprobatur l.1. §.si cui. ibi: uersa uice.cuius uerba hæc sunt: Si cui sit legatum uel fideicommissum relictum,& si id perdidisset, rursus relictum : uideamus, an satis sequentis legati uel fideicommiſsi petere possit. mouet quæstionem,an fideicommissum hoc siue legatum debeatur, & quoties debeatur, & an ipse legatarius cauere debeat se nō perditurum?de his omnibus extat rescriptum diui Pij ad Iunium Mauricium tale: Clodio Structulo secundum ea quæ epistola continentur, legata siue fideicommissa ex testamēto Clodij Felicis præstari debent citra necessitatem cauendi,nihil ex his deminuturum se.nam quod fidei hæredis ab eodem testatore cōmissum est, ut si Structulus perdidisset,quod ei in testamento relictum est, rursus hæres ei id restitueret:nō eò pertinet,ut aut Structulo priorum legatorū nomine satisdatio iniungenda, aut onerandus sit hæres in infinito, ut quoties is perdiderit, restituere ei tantundem debeat:sed ut per fideicommissum posterius duplicata legata eius uideantur,nec amplius ad periculum hæredis pertineat, si quid postea ipse consumpserit, exoluto ei posteriore fideicommisso. Rescripto ergo ostensum, legatarium hæredi non debere esse se non perditurum.Versa uice,an hæres de sequenti legato siue fideicommisso cauere debeat, quæritur? & putem, non oportere ei caueri, cum in suo arbitrio habeat, ne perdat id quod sibi relictum est: quāuis si quis inspexerit, quod sub conditione relictum est, dicere deberet, satisdationem exigendam. Decimaoctaua exceptio est : Nisi hæredi cautio à legatario sit remissa. Hæc exceptio approbatur l.pactum.46.ff.de pactis,his uerbis: Pactum inter hæredem & legatarium factum,ne ab eo satis accipiatur(cum in semestribus relata est constitutio diui Marci, seruari in hoc quoque defuncti uoluntatem) ualidum esse constat: nec à legatario remissa hæredi satisdatio per pactionem ex pœnitentia reuocari debet, cum liceat sui iuris persecutionem aut spem futuræ perceptionis deterio rem constituere. Decimanona exceptio:Nisi testator cautionem remiserit. Hæc exceptio approbatur l.2. C. ut in posſeſs.leg.seru.caut. his uerbis : Ipsis rerum experimentis cognouimus, ad publicam utilitatem pertinere, ut satisdationes, quæ uoluntatis defunctorum ruendæ gratia in legatis & fideicommissis inductæ sunt, eorundem uoluntate remitti possint: quocunque enim iudicio uoluntatis cautio legati seu fideicommiſsi remitti potest. Concordat l.cum Archemidoram. 4. in fine. C. eod. tt.

cuius

cuius uerba uide ĩ.lib.prox.cap.4.except.ult.Item concordat l.scire.7.C.eod.tt.cuius uerba uide ſ.lib.24.cap. 6.quæst.1.except.8.repl.2. Item concordat l.auid.75.§. fin.ibi:quocunq;.ff.de condit.& demonstr.cuius uerba uide ſ. libro 17.cap.2.quæst.4.reg.1.except.1. Huius exceptionis replicatio hæc est:Nisi rogatus desinat esse soluendo. Hæc replicatio reprobatur l.quæ filium.18.in prin.ff.ut leg.seru.causa cau.his uerbis: Quæ filium legitimum relinquebat, patrem eundemq; conlibertū ex asse scripsit hæredem:fideiq; eius commisit, ut quidquid ad eum ex hæreditate eius peruenisset, cum moreretur, restitueret filio testatricis nepoti suo.& hęc uerba adiecit: Satis à Seio patre meo exigi ueto. quæsitum est,cum ille Seius substantiam suam diſsipet, & uereatur pater fideicommissarij,ne inane fideicommissum constituatur: an ad satisdationem fideicōmiſsi nomine pater defunctæ compelli possit? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non compellendum cauere. Vicesima exceptio est: Nisi hæres hæreditatem ex S.C. Trebell. restituat. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.etiam.15. §.fi & ab hærede. ff.ut leg.seruand.cauſ. cuius uerba uide ĩ. eod.cap. de actione, except.3. Vicesimaprima exceptio est: Nisi legatarius scripturam testamenti non exhibeat. Hæc exceptio approbatur l.postquam.5.§.si dies.ff.ut leg.seru.causa, his uerbis: Si dies aut cōditio ad legati seu fideicommiſsi petitionem actionemue differri dicatur, & ideo satisdatio desideretur,hęres autem per calumniam postulari contendat, & relictum neget: non aliter audiēdus erit, qui caueri postulat,quàm si scripturā,quam relictam adfirmet, exhibuerit. Vicesimasecunda exceptio est:Nisi procurator cautionem exigēs, non cauerit de rato. Hæc exceptio approbatur l.si is.3. §.si procurator.ff.ut in posſeſs.leg.seru.his uerbis: Si procurator satis legatorū desideret, si quidem mandatum ei sit, non habebit necesse de rato cauere,sed erit ei satisdandum: si uerò dubitetur, an mandatum sit, uel non sit, de rato cautio erit exigenda.Hæc de causa propositæ cautionis,eiusq; exceptionibus sint dicta.

II. QVIBVS CAVENdum?

I.Regula, De omnibus legatarijs & fideicommissarijs, proponitur l.sed etsi.13. ff.qui satisdare cogantur, his uerbis: Si plures substituti sunt,singulis cauendum est. Huius regulæ exceptio hæc est:Nisi sub contrarijs conditionibus illis sit legatum. Hæc exceptio reprobatur l.Paulus.8.§.fin. ff.de prætorijs stipulat.his uerbis: Cum sub contrarijs conditionibus Titio & Mæuio legatum sit,utriq; cauetur:quia utriq; ex uolūtate defuncti fuerat legatum. Concordat l.sed ex.3.ff.ut leg.seru.causa,his uerbis: Sed & ipsis qui sunt in potestate, cauendum est:quemadmodum solet caueri, si eadem res duobus sub diuersis uel contrarijs conditionibus relicta sit: duobus enim satisdatur, sed in utroq; casu ijsdē personis satisdationem subituris. Concordat item l.etiam si.9.§.fin.ff.ut in posſeſs.leg.seru.causa,his uerbis : Cum sub conditionibus contrarijs eadem res duobus legetur,si non caueatur,uterq; mittitur in possessionem.

II.Regula,De hæredibus legatariorum,proponitur l.1.§.non solùm.ff.ut leg.seru.cauſ.his uerbis:Non solùm omnibus legatarijs, sed & successorib. legatariorum satisdari debere, iam constat: quamuis isti non ex iudicio defuncti, sed successionis necessitate, quasi ad æs alienū admittantur.

III.Regula, De duobus eiusdem nominis de legato contendētibus, proponitur l.si duo.16. ff.ut leg.seruan. causa cau. his uerbis : Si duo eiusdem nominis de legato contēdant, utriſq; satisdaturum: nec onerari hæredem, cum possit eosdem fideiussores ad utramq; stipulationem adhibere,qui & ipsi non onerantur,cum futurum sit,ut uni teneantur.

IIII.Regula, De eo cuius iuri legatarius est subiectus,ut patre & domino, proponitur l.1. §.sed & procuratoribus.ff.ut leg.seruand.causa cau. his uerbis : Si ei qui in potestate alicuius erit,legatum sit, cauebitur ei cuius iuri subiectus est. Huius regulæ exceptio est:Nisi sit emancipatus uel manumissus legatarius. Quæ exceptio approbatur d.l.1. §.fin. his uerbis : Si ei qui in alterius potestate erit, incerta die legatum fuerit: cauebitur ei qui habet eum in potestate, non præcisè, sed sub conditione, si cum eius legati dies cedit,in potestate sit:cæterùm si sui iuris inueniatur, iniquum esse uisum est, patri cautum esse,cum alij legatum debeatur:quanquam etsi sine hac adiectione caueretur, ue runtamen exceptione patrem uel dominū submoueremus,si existentis cōditionis tempore non haberent eos in potestate. Euenit tamen secundum hoc,ut in casu non sit de legato cautum.nam si existentis cōditionis tempore sui iuris sit, non erit cautum.

V.Regula,De legatario qui in alterius est potestate. Et huic cauendum est. Quæ regula approbatur l.sed ex.3. ff.ut leg.seruand.causa. cuius uerba uide ſ.reg.1. except.1.quæst.eadem.

VI.Regula, De procuratore legatarij, proponitur l.1.§.sed & procurator.ff.ut leg.seruan.causa, his uerbis: Sed & procuratoribus legatariorum satisdandum est, eoq; iure utimur. Huius regulæ exceptio est : Nisi non mandatum illi sit, uel non de rato caueat. Hæc exceptio approbatur l.si is.3.§.si procurator.ff.ut in posſeſs.leg.seru. cuius uerba uide ſ. cap.eod.except.21.

VII. Regula, De legatario, & eo cui à legatario per fideicommissum est relictum, proponitur l.is cui.5. §.si Titio.ff.ut in posſeſs.leg.seruand.causa.cuius uerba uide paulò inferius.

III. QVI CAVERE TE neantur?

I. *Regula, De hærede & legatario, cuius fidei commissum est, proponitur d. §. si Titio, his uerbis:* Si Titio purè legatum fuerit, & fidei eius commissum sub conditione, ut Sempronio restituereret: non iniquè Prætorem statuturum Iulianus scripsit, ut si antequàm legatũ consequatur, legatarius fideicommissi conditionalis satis nõ det: magis Sempronio det legati persecutionem, ut is legatario satisdet, deficiente cõditione reddi decem. Sed etsi acceperit Titius ab hærede decem, æquum esse Iulianus ait, cogi eum inuicem satisdare, aut ipsa decem tradere, & Sempronium Titio cauere. & hoc iure utimur: id enim & Marcellus ait. Quid ergo, si & legatum sub conditione sit relictum, & fideicommissum, neq; fideicommissi satisdetur? æquissimum erit, fideicommissarium nomine legati satis accipere ab hærede, si ei legatarius non caueat, scilicet ut & ipse legatario caueat. Quòd si iam accepit legatarius ab hærede satis, decernendum erit, ex ea satisdatione magis fideicommissario, quàm legatario dandam actionem, in eum scilicet casum, quo fideicommissi eius conditio extitit. ipsius etiam legati persecutio danda erit fideicommissario, si nondum solutum est, & conditio eius extitit, scilicet si fuerit fideicommissarius paratus cauere legatario. *Concordat l. si patronum. 44. in prin. ff. de bonis libertorum. cuius uerba uide §. cap. 8. reg. 1. except. 16. in fine.*

II. *Regula, De hæredibus hæredum, proponitur l. 1. §. non solùm. ff. ut leg. seruand. causa, his uerbis:* Non solùm legatorum nomine hæredes cauent, sed & successores eorum. Is etiam cui ex senatusconsulto restituta est hæreditas, nihilominus ad cautionem compellitur: nec non & qui per alios hæredes existunt, uel honorarij successores ad satisdationẽ compelluntur.

III. *Regula, De eo cui ex S.C. Treb. restituta est hæreditas, proponitur paulò superiùs. ibi: is etiam cui ex S.C. Concordat l. si ex causa. 4. ff. eod. tt. his uerbis:* Si ex causa fideicõmissi sit apud aliquem hæreditas, nec legatorum nomine satisdet, in possessionẽ aduersus eum legatarius mittitur. *Concordat item l. etiã. 15. §. si & ab hærede, in fin. ff. eod. tt. cuius uerba ſ. proponentur quæst. 10. except. 3.*

IIII. *Regula, De hærede ex parte & substituto, proponitur l. 1. §. certè siue. ff. ut leg. seru. causa, his uerbis:* Certè siue ex asse, siue ex parte quis legatum debeat, cauere debet, siue institutus sit hæres, siue substitutus.

V. *Regula, De dignitatibus, & ijs qui sunt in dignitatibus, proponitur l. 1. §. semper. ff. ut leg. seru. causa. cuius uerba uide §. eod. cap. quæst. 1. except. 7.*

VI. *Regula, De ciuitate, proponitur l. si quando. 6. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Admonendi sumus, rebus publicis remitti solere satisdationem fideicommissorum, etiamsi, quando necessitas dandi intercedat, repromissio planè exigenda est, uoluntati defuncti statum iri.

VII. *Regula, De fisco, proponitur l. 1. §. si ad fiscum. ff. ut leg. seru. causa, his uerbis:* Si ad fiscum portio hæreditatis peruenerit, cessabit ista stipulatio: quia nec solet fiscus satisdare.

IIII. QVID CAVENDVM, & qua conditione?

Huius loci prima regula proponitur l. 1. in prin. ff. d. tt. his uerbis: Legatorũ nomine satisdari oportere Prætor putauit, ut quibus testator dari fieriue uoluit, ijs diebus ut detur uel fiat, dolumq; malum abfuturum stipulentur.

II. *Regula: Qua conditione patri dominóue legatarij sit cauendum, uide §. quæst. 2. reg. 4.*

III. *Regula: Qua conditione absentis procuratori sit cauẽdum, definitur l. 1. §. procuratori. ff. ut leg. seru. causa, his uerbis:* Procuratori eius qui absens esse dicitur, si stipulanti legati nomine respondeat hæres: Ofilius ait, ita caueri debere, si is cuius nomine cauet, uiuat: uidelicet ne teneatur, illo antè defuncto.

V. QVO CAVTIONIS GENERE cauendum?

Regulariter cauendum per fideiussores. Quæ regula patet ex præcedentibus. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ciuitas caueat: hoc enim casu sufficit repromissio. *Quæ exceptio approbatur l. si quando. 6. §. fin. ff. ut leg. seruan. causa. cuius uerba uide §. quæst. 3. reg. 6. Secunda exceptio est:* Nisi pater dominiusue filio uel seruo caueat. *Quæ exceptio approbatur l. filio. 7. in fin. ff. d. tt. cuius uerba uide §. quæst. 1. except. 6.*

VI. QVANDO CAVENDVM?

Si ab impubere substituto legatum relictum sit, uiuo impubere cautio à substituto exigi non potest. Quæ regula approbatur l. is cui. 5. §. si ab impuberis, in fine. ff. ut in possess. leg. seruan. causa, his uerbis: Si ab impuberis substituto legata sint relicta, uiuo impubere neq; missio, neq; satisdatio locum habet. Ex his uerbis etiam illud colligi potest, quòd quandiu institutus hæreditatem adire potest, cautio à substituto exigi non possit.

VII. VBI *cauendum, definitur l. postquam. 5. §. fin. ff. ut leg. seru. cau. his uerbis:* Cum quærebatur, ubi fideicõmissi seruandi causa caueri oporteret, Imper. Titus Antoninus rescripsit: Si domicilium Romæ non haberet hæres, & omnis hæreditas in prouincia esset, ad satisdationem fideicommissi nomine in prouinciam fideicommissarium remittendum esse. Quare si hæres in eum locum cauendi gratia remitti desideret, ubi domicilium habet: legatarius autem ibi caueri postulet, ubi est hæreditas: non erit hæres remittendus.

dus. idq; & Imp. Titus Antoninus rescripsit: quibus literis adiectum est, Si bona iam distracta sunt uel testatoris permissu, uel concedente legatario, precium eorum fideicommissi seruãdi causa in depositò habendum. *Concordat l. de die. 8. §. hæres quoq;. ff. qui satisdare cogantur, his uerbis:* Hæres quoq;, ut legatorum satisdet, audiendus est, ut in municipium remittatur.

VIII. OFFICIVM *iudicis huius loci definitur l. si quando. 6. in prin. ff. ut leg. seru. cau. his uerbis:* Si quando incerta summa est fideicommissi, eius qui cognoscit, taxatione quoq; fideiussores petuntur.

IX. ADFINIA HVIVS CAVtionis remedia.

Primum ac præcipuum cautionis adfine remedium est, ut si non caueatur, legatarius mittatur in possessionem bonorum hæreditariorum. de quo ſ. cap. proxim. dicetur. Secundum adfine remedium est: Si cautio sit omissa, ipsius legati actio & ad exhibendum, & aliud competit. Quod proponitur l. 1. §. si decem, in fin. ff. ut leg. seru. causa cau. his uerbis: Et si omiserit stipulationem, existente conditione ad exhibendum eum posse agere, Marcellus ait. sed si ignorans hæres legatum decem fructuario dedit, ad exhibendum eum non teneri, palàm est: succurrendum tamen legatario aduersus fructuarium, Marcellus ait. *Concordat l. Iulianus. 9. §. si tibi decem. ff. ad exhibendũ. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 11. causa 54. exemplo 2. except. 3. Tertium adfine remedium est aduersus administratores reipub. qui cautionem non exegerunt. quod approbatur l. contra. 8. C. ut in possess. leg. seru. cau. his uerbis:* Contra eos, siue successores eorum, qui rempubl. administrantes per officij necessitatem ciuitati sub conditione relicti fideicõmissi satis accipere debuerunt, quanti reip. interierit satis acceptum non esse, dirigendã certum est actionem.

X. EVENTVS HVIVS cautionis.

Si debita cautio sit præstita, datur actio. de qua paulò inferius. Si indebita cautio præstita sit, ea potest condici. Quod approbatur l. 1. in prin. ff. ut in possess. leg. seruand. causa, his uerbis: Si quis, cum uetitus esset satis accipere, acceperit, an repeti satisdatio ista possit, ut hæres cõdicat liberationem? & siquidem sciens hæres indebitũ cauit, repetere nõ potest. quid deinde, si ignorauit remissam sibi satisdationẽ? potest condicere. si uerò hoc non potuisse remitti crediderit, nunquid condicere possit, qui ius ignorauit? adhuc tamen benignè quis dixerit, satisdationem condici posse. quid deinde, si commissa sit stipulatio? fideiussores putamus exceptione uti posse, an non? & magis est, ut utantur exceptione: quia ex ea causa intercesserit satisdatio, ex qua non debuit.

DE ACTIONE, QVAE EX CAVtione proposita competit.

I. CAVSA HVIVS ACTIONIS.

Si conditione legati existente, uel die ueniente, legatum non præstetur, uel dolo quid circa legatum sit factum. Quæ causa patet ex l. 1. in prin. ff. ut leg. seruand. causa cau. cuius uerba uide §. eod. cap. quæst. 4. reg. 1. Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi promissor conditione legati existente mortuus sit, eiusq; hæreditas iaceat. *Hæc exceptio reprobatur l. si à te. 10. ff. ut leg. seruand. cauſ. his uerbis:* Si à te hærede legatum mihi fit sub conditione, tuq; postquam adieris hæreditatem, satisfecideris legatorum, & post mortẽ tuam ante aditam tuam hæreditatem conditio legati extiterit: Sabinus ait, fideiussores mihi teneri: quia omnimodò dari oportet legatũ, etsi in rem esset concepta stipulatio. *Secunda exceptio est:* Nisi hæres existente legati conditione sit apud hostes. *Hæc exceptio approbatur l. postquam. 5. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Postquam hæres ab hostibus captus est, conditio legati, cuius nomine proposita stipulatione cautum fuerat, extitit. fideiussores interim teneri negaui: quia neq; ius, neq; persona esset, ad quã obligandam uerba stipulationis dirigi possint. *Tertia exceptio est:* Nisi causa indebito sit præstita. *Hæc exceptio approbatur l. 1. in prin. ff. ut in possess. leg. seruand. cuius uerba uide paulò §. quæst. 10. Concordat l. etiam. 15. §. si & ab hærede. ff. ut leg. seruand. his uerbis:* Si & ab hærede instituto legatorum satis acceperit legatarius, & à Trebelliano fideicommissario: utraq; quidem stipulatio committetur, sed exceptione se tuebitur hæres: quia cauere non debuit. sed si pars hæreditatis restituta sit, ab utroq; cauendum est. *Quarta exceptio est:* Nisi legatum inutile sit, irritúmue factum, aliáue exceptio legatorum petitioni obstet. *Hæc exceptio approbatur l. 1. §. si quis sub. ff. d. tt. his uerbis:* Si quis sub conditione legatum stipulatus, pendente conditione decesserit, stipulatio euanescit: quia legatum non transmittitur: & huic stipulationi easdem causas & conditiones inesse, sciendum est. Proinde si qua sit exceptio, quę petenti legatum opponi solet, eandem ex stipulatu quoque agenti opponendam esse placet. *Quinta exceptio:* Nisi pater dominiusue legatarij qui stipulatus est, legatarium in potestate sua habere desierit. *hoc enim casu ex stipulatu illi actio denegatur: quia nec legati petitio illi datur. Quæ exceptio approbatur l. 1. §. fin. ff. ut leg. seruand. causa. cuius uerba uide §. eod. cap. quæst. 2. reg. 4. Huius exceptionis replicatio uidetur esse talis:* Nisi paratus sit pater cauere, neminem amplius petiturum. *Sed hæc replicatio reprobatur l. 2. ff. d. tt. his uerbis:* Nec si fortè uelit pater cauere, neminem amplius petiturum: compellendus erit hæres legatũ, quod iam filius petere potest, alij quam cui debetur exoluere.

II. ADVERSVS QVOS DETVR?

Tutore cauente, in pupillum datur actio. Quæ regula approbatur l. quæ filium. 18. §. fin. ff. ut leg. seruan. causa, his uerbis: Tutor, qui & cohæres pupilli erat, absente pupillo, cum admonerēt eum legatarij fideicommissi nomine, in solidū ipse cauit. quæsitū est, an in pupillum adultum factum danda sit utilis actio? Scæuola respondit, dandam.

III. QVANDO *detur actio, definitur l. cum leg. 8. cum l. sequente. ff. ut leg. seruand. causa, his uerbis:* Cum legatorum nomine satisdatum est, simul ac dies legatorum nomine cessit, protinus ijsdem diebus etiam ex stipulatione debentur: non tamen, ut statim peti possint. deberi enim dicimus & quod die certa præstari aduersario oportet, licet dies nōdum uenerit.

IIII. QVID ET QVANTVM VEniat in hac actione?

I. *Regula: Vtrum res legatæ, an precia rerum ueniant, definitur l. §. item quæritur. ff. ut leg. seruand. causa, his uerbis:* Quæritur in hac stipulatione, utrum ipsæ res ueniant, quæ legatæ sunt, an uerò precia earum? & est uerius, in hanc stipulationem res uel precia deduci.

II. *Regula, De fructibus & usuris, proponitur d. l. §. bellißimè, his uerbis:* Bellissimè quæritur, an hæc stipulatio incrementum ex fructibus uel usuris sentiat? & rectè placuit, ex mora incrementum habituram stipulationem, ut id quod oportebit comprehendat.

III. *Regula: Hæres qui cauit, non in maiorem partem tenetur, quàm pro qua est hæres, uel hæreditatem possidet. Quæ regula approbatur d. l. §. qui minorē, his uerbis:* Qui minorem partem hæreditatis possidet, cum ex maiore parte hæres sit: siquidem ipso iure minuatur portio hæreditatis, securior erit hæres: neq; enim ex maiore parte ex stipulatu tenetur legatarijs, quàm ex qua hæres est. Si uerò nomen quidem hæredis apud eos integrum maneat, ueruntamen minus effectu habeant hæreditatis, & cauerint legatorum nomine, uidentur onerari: quia ipso iure pro ea parte legata debent, pro qua hæredes sunt. sed enim æquissimum est, non maiorem partem legatarijs soluere, quàm cuius habent emolumentum. hoc autem euenit, cum hæreditas pro aliqua parte ex Trebelliano restituitur. nam pro rata exonerādi sunt hæredes eius partis nomine, cuius emolumentum sibi ablatum est. *Huius regulæ exceptio est: Nisi postea hæredi cohæredis quoq; portio adcrescat. hoc enim casu, quamuis pro parte hæres sit, in solidum tamen is eiusdē fideiussor tenetur. Quæ exceptio approbatur l. si ab uno. 17. ff. ut leg. seruand. causa, his uerbis:* Si ab uno ex hæredibus legatorū satis acceperimus, cum ab omnibus hęredibus nobis legatum esset, & pars cohæredis adcrescat promissori: in totum fideiussores tenentur, si solidū legatum his cœperit deberi.

DE MISSIONE IN POSsessionem legatorum seruandorum causa. Cap. XIII.

I. CAVSAE MISSIONIS.

PRima causa est: Si hæres non caueat legatorū nomine. hoc enim casu legatarius in possessionem rerum hæreditariarū mittitur. Quæ causa approbatur l. 1. §. 1. ff. ut leg. seruan. causa. cuius uerba uide §. capite prox. except. 7. Cōcordat l. si ex. 4. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 3. reg. 3. Concordat itē l. postquam. 5. §. imper. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. exc. 14. repl. 1. Concordat item l. is cui. 5. in prin. ff. ut in possess. leg. seru. causa. cuius uerba uide §. quæst. 4. reg. 2. Concordat item l. filiusfamiliās. 11. §. idem principes. ff. de leg. 1. cuius uerba uide §. cap. prox. in prin. Huius causæ exceptiones plures sunt, quarum prima hæc est: Nisi non stet per hæredem, quo minus caueat. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. non exigit. ff. ut in possess. leg. seruand. his uerbis: Non exigit Prętor, ut per hæredem stet, quo minus caueat: sed cōtentus fuit per legatariū uel fideicommissariū non stare, quo minus ei caueatur. quare si nō fuerit qui interpelletur cautionis nomine, hoc est, is à quo legatum fideiue commissum relictum est, omnimodò poterit legatarius & fideicommissarius in possessionem ex hoc edicto mitti: quia uerum est, per eum, cui cauere oportebat, non fieri, quo minus caueatur. *Secunda exceptio est: Nisi non sit interpellatus hæres ut caueat. Hæc exceptio approbatur d. §. non exigit, in fine, his uerbis:* Num tamen & satisdatio debet offerri legatario? sed sufficit, siue desideraverit, & ei non caueatur: siue non habeat, à quo satis desideret. *Tertia exceptio: Nisi legatarius non caueat de possessione restituenda, conditione legati deficiente, uel cautione ab hærede præstita. Hæc exceptio, si post latam sententiam interposita appellatione quis sibi caueri desideret, approbatur, alioquin reprobatur l. postquam. 5. §. imperator. ibi: si caueret. ff. ut leg. seruand. causa, his uerbis:* Imperator Marcus Antoninus Iulio Balbo rescripsit, eum à quo res fideicōmissæ petebantur, cū appellasset, cauere: uel si nō caueret, ad aduersarium transferri possessionē debere, si caueret aduersarius: cum alia sit edicti conditio. nō enim exigitur à legatario uice mutua cautū, sed uicaria custodię gratia possessio datur: & qui obtinuit, in possessionē per Prætorem aut præsidem inducitur. sed Prætor quidem in omniū rerum possessionem, quæ in causa hæreditaria permanent, omnimodò fideicōmissi seruandi gratia esse permittit: princeps aūt earum rerum nomine, de quibus fuerat iudicatum, mutuas admittit cautiones; sicuti cum de bonis suis conferendis

ferendis filius accepta bonorum possessione cauere non potest, quia denegamus ei actiones: defertur conditio cauendi fratribus ex forma iurisdictionis, quod ex portione fratris consecuti fuerint, cū bona propria conferre cœperint, se restituturos. sed si nec ipsi cauere possint, utiliter probatū est, uirum bonum ab utraq; parte eligendum, apud quem ut sequestrē fructus deponantur, quiq; utiles actiones à Prætore datas exerceat. Possessio autem ex rescripto suprà relato non aliter ad eum qui fideicommissum petit, transfertur, quàm si cauerit: tametsi maximè aduersarius nō per inopiam, sed per contumaciam cauere noluerit. Sed si is qui uicit, non possit cauere: uel res deponenda, uel iurisdictio restituenda erit. *Ex uerbis iam propositis constat, quòd is qui fideicommissum petit & obtinuit, appellatione ab hærede interposita cautionem petere possit: qua non præstita, mittendus sit in possessionem rei ex fideicommisso petitæ. Hē quòd regulæ de missione exceptio hæc est: Nisi fideicommissarius non cauerit hæredi possessionem restitui, si in causa appellationis hæres obtinuerit, hoc enim casu fideicommissarius ob non præstitam cautionem non est mittendus in possessionem, sed res est sequestranda. Cuius exceptionis replicatio uidebatur esse talis: Nisi hæres uictus non per inopiam, sed per contumaciam nolit cauere. hoc enim casu uidebatur, quamuis fideicommissarius non caueret, nihilominus eum mittendum. Verùm reprobatur hæc replicatio uerbis propositis, hisce:* Tametsi maximè aduersarius non per inopiam, &c. *Quarta exceptio est: Nisi postea ab hærede fuerit cautum uel solutum. Hæc exceptio approbatur l. si pecuniæ. 6. §. fin. ff. ut in possess. legat. seruand. his uerbis:* Qui fideicommissi seruandi causa in possessionem missus est, nō prius de possessione discedere debet, quàm ei fideicommissum solutum, aut eo nomine satisdatum fuerit. nam quod, si integra re fieret, in possessionem non mitteretur: id cum offertur, discedere à possessione debet. *Concordat l. si leg. u. ff. ut leg. seruand. causa cau. his uerbis:* Si legatarij aduersus me in possessionem legatorum seruandorū causa missi sint, & procurator uel quis alius meo nomine cauerit: perinde mihi Prætor accommodat interdictum, quo iubentur discedere legatarij de possessione, ac si ego cauissem. *Concordat item l. si pro me. 40. §. fin. ff. de solut. his uerbis:* Si quis soluerit legata, debent discedere legatarij de possessione: alioquin nascitur hæredi interdictū, ut eos deijcere possit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi fideicommissarius eius possessionis nomine ab alio litem patiatur. Quæ replicatio approbatur l. is cui. 5. §. in possessionem. ff. ut in possess. leg. seruand. causa, his uerbis:* In possessionem missus legatorum seruandorum causa, si litem eo nomine contestatus sit, non antè decedere possessione debet, quàm ei pro lite fuerit cautum. *Secunda replicatio est: Nisi missus eius possessionis nomine alij se obligauit uel præstitit, nec id et ab hærede restituatur. Hæc replicatio approbatur exemplo d. l. 5. §. si alius, his uerbis:* Si alius damni infecti nomine missus sit in possessionem, alius legatorum seruandorum causa: posse eum qui legatorum seruandorum causa in possessionem missus est, etiam damni infecti satisdare: qui si satisdederit, non aliter decedere de possessione debebit, quàm ei fuerit cautum etiam eo nomine, quo se damni infecti obligauit. *Quinta exceptio est: Nisi alius in possessionem sit missus. Hæc exceptio reprobatur d. l. 5. §. qui prior, his uerbis:* Qui prior missus est legatarius in possessionem, non præfertur ei qui postea mittitur, inter legatarios enim nullum ordinem obseruamus, sed simul omnes æqualiter tuemur. *Concordat l. si fideicommissorum. 11. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si rei seruandæ causa in possessionem missus sit pro prius creditor hæredis, & rei per fideicommissum mihi relictæ adeptus fuerit possessionem: nihil me lædi exinde oportere conuenit, non magis quàm si ab ipso hærede eam rem pignori accepissem. *Planè admittitur exceptio proposita primùm, si alij certa res legata fuerit: is enim in ea re potior habetur. Quæ distinctio approbatur d. l. 11. in prin. his uerbis:* Si fideicommissorum uel legatorum seruandorum causa missus in possessionem eam rem teneas, quæ mihi per fideicommissum relicta est: æquius est, me eam habere potius, cui ea ipsa relicta est, quàm te, qui alterius fideicommissi nomine ingressus in eam es. nam etsi mihi sub conditione legatum sit, & tu medio tempore in possessionem eius factus fueris legatorum seruandorum causa, deinde conditio impleta sit: non denegabitur mihi eius rei integra persecutio. Sic enim, etsi statuliberum ex eadem causa possidere cœpisses, impleta conditione eius: tamen liberatem eius impedire non potes. *Secundò exceptio proposita admittitur, si uenter sit in possessione. Quæ distinctio approbatur l. cum uēter. 7. ff. ut in possess. leg. seru. causa esse, his uerbis:* Cum uenter in possessione est, nullus legatorum seruandorum causa in possessione esse potest. *Sexta exceptio est: Nisi bona testatoris sint distracta: tunc enim precium deponendum est. Quæ exceptio approbatur l. postquàm. 5. §. fin. ff. ut legat. ser. causa. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 7. Septima exceptio uidetur esse: Nisi res à tertio quodam sit usucapta. Hæc exceptio reprobatur l. misso. 12. ff. pro emptore. item l. 2. in prin. ibi: quid ergo est. ff. pro hærede. quarum uerba uide §. lib. 22. cap. 1. quæst. 3. except. 1. & cap. 5. except. 52. Aliæ huiusmodi exceptiones uide §. cap. prox. in prin.*

Secunda

Secunda missionis causa est: Si legatario legatum nõ soluatur, uel eius nomine satisfiat. Quæ causa approbatur l.is cui.5. §.Imperator. ff.ut in possess. leg. seru. causa, his uerbis: Imperator Antoninus Augustus rescripsit, certis ex causis etiam in propria bona hæredis legatarios & fideicõmissarios esse mittendos, si post sex menses, cũ aditi pro tribunali fuerint hi quorum de ea re notio est, nec satisfactum est: indeq; fructus percepturos, quoad uoluntati defunctorum satisfiat. quod remedium seruabitur & aduersus eos, qui ex aliqua causa fideicommisso moram faciunt. *Concordat l.certa.6.in fine.C.ut in possess.leg.seruand.cuius uerba uide §.quæst.3.reg.3.except.1. Declaratur hæc causa d.l. 5.§.satisfactionis, his uerbis:* Satisfactionis uerbũ, licet latius patet, tamen ad exoluendum legatum refertur. Sex autem mensium puto continuum tempus, nõ possessionum computandum. *Ait Imperator:* Quoad uoluntati defunctorum satisfiat. *Hæc uerba declarantur d.l.5. §.satisfieri, his uerbis:* Satisfieri uoluntati defuncti sic accipitur, quoad uoluntati defuncti uel ex fructibus, uel aliunde satisfiat. *Huius causæ exceptio prima hæc est: Nisi hæredi satisfactio sit remissa. Hæc exceptio reprobatur d.l.5. §.satisfactionis, his uerbis:* Etsi remissa sit satisfactio, rescriptum locum habebit: quia mora fit solutioni. *Secunda exceptio est: Nisi hæres pupillus sit, uel furiosus, uel adolescens, & tutorem uel curatorem non habeat. Hæc exceptio approbatur d.l.5. §.cessatũ, his uerbis:* Cessatum non accipimus, si pupillus tutorem non habeat, nec curatorem furiosus uel adolescens. nam fructuatio non debet huiusmodi personis nocere, quæ sunt indefensæ. *Tertia exceptio est: Nisi hæreditas defuncti aliquandiu iacuerit. Hæc exceptio approbatur d. §.cessatum, his uerbis:* Certè si iacuerit hæreditas aliquo tempore, hoc tempus de medio trahendum est. *Quarta exceptio est: Nisi inutiliter fideicommissum sit relictum. Hæc exceptio approbatur d.l.5.§.constitutio, his uerbis:* Constitutio diui Antonini pertinet ad eos, à quibus utiliter fideicommissum relictum est, quamuis hæredes non sint: par enim utilitas est. *Ait Iurisconsultus:* Quamuis hæredes non sint. *Hisce uerbis reprobatur quinta exceptio talis: Nisi non hæredis, sed alterius fidei commissum sit. Cui concordat §.cap.prox.except.5. Sexta exceptio est: Nisi hæres sit condemnatus ad soluendum. Et hæc exceptio reprobatur l.etiamsi.9. in prin. ff.ut in possess.legat.seruand. causa, his uerbis:* Etiamsi condemnatus hæres fuerit, nec pecuniã soluat, legatarius potest desiderare mitti in possessionem. *Hactenus de causis & exceptionibus missionis dictum est.*

II. QVI IN POSSESSIONEM mittendi?

De pluribus legatarijs mitti petentibus regula proponitur l.is cui.5. §.si plures. ff.ut in possess. legat. seruand. his uerbis: Si plures legatarij mitti in possessionem desiderauerint, omnes uenire debent in possessionem. is enim qui ex causa legatorum possidet, sibi, non alij possidet. Alia causa est, cum creditores rei seruandæ causa mittuntur in possessionẽ. nam is qui possidet, non sibi, sed omnibus possidet. *Plura de hac re uide §.eod.cap.causa.1.except.5.*

De municipibus & actore illorum regula proponitur l.municipijs.12. ff.eod.tt.his uerbis: Municipijs fideicommissum relinqui posse, dubiũ non est: sed si non caueatur, aduersus municipes quidem non dubitamus ex hoc edicto iri in possessionem posse: ipsos uerò municipes, si his non caueatur, non idem eos adsecuturos: sed extrario remedio opus erit, ui delicet ut decreto prætoris actor eorum in possessionem mittatur.

De filiofamiliâs legatario, eiusq; patre, regula proponitur l.si filiofam.11. ff.quibus ex causis in possess. eatur, his uerbis: Si filiofamiliâs legatum uel fideicommissum sub conditione relictum sit, dicendum est, tam ipsum quàm patrem in possessionem mittendos esse: quia ambo spem commodi habent.

III. IN QVARVM RERVM POSSESsionem missio sit facienda?

I. *Regula, De omnibus bonis hæreditarijs, proponitur l.quamuis.13. ff.ut in possess.legat.seruand. causa. cuius uerba uide §.cap.prox.except.10. Cõcordat l.postquam.5.§.Imperator. ibi: sed Prætor. ff.ut leg.seruand. causa. cuius uerba uide §.eod.cap.causa.1.except.3. Item l.is cui.5.§.qui in possess.ff.ut in possess.leg.seruand. cuius uerba uide ȝ.prox.reg.3. in prin. item l.fundus.9.ff. de annuis leg.*

II. *Regula, De actionibus hæreditarijs, proponitur l.sin nullæ.10. ff.d.tt.ut in poss. cuius uerba paulò inferius proponentur, reg.4.except.2.*

III. *Regula, De rebus non hæreditarijs. In harum rerum possessionem missio non est facienda. Quæ regula approbatur l.is cui.5. §.qui in possessionem. ff.ut in possess.legat.seruand.causa, his uerbis:* Qui in possessionem legatorũ seruandorũ causa mittitur, in possessionem quidem rerum hæreditariarum omnimodò ueniet, hoc est, earũ quæ in causa hæreditaria manent: earũ autem, quæ in causa hæreditaria nõ erunt, nõ aliàs mittitur, quàm si dolo malo in ea causa esse desierit: nec semper, sed causa cognita. *Huius regulæ exemplum proponitur d.l.5.§.si deposita, his uerbis:* Si deposita res apud defunctum fuerit, uel commodata, locũ missio non habet: quia non sunt istæ res hæreditariæ. *Ait Iurisconsultus:* Non aliàs mittitur, quàm si dolo malo in ea causa esse desierit. *Hisce uerbis prima aduersus regulam propositam introducitur exceptio talis: Nisi res dolo hæredis hæreditaria esse desierit. Concordat l.certa.6.C.d.tt.his uerbis:* Certa est forma

forma iurisdictionis, qua fideicommissi seruandi causa in possessionem rerum quæ in causa hæreditaria sunt, aut dolo malo esse desierint, is cui legati uel fideicommissi nomine satis nõ datur, mittitur: uel in proprias res hæredis, si fideicommisso satis nõ fecit post sex menses, quàm peti cœperit, secundum diui Antonini patris mei constitutionem. *Ait insuper Iurisconsultus:* Nec semper, sed causa cognita. *Hisce uerbis innuitur, propositam exceptionẽ non in omnibus esse ueram, sed habere suas replicationes Prætori cognoscendas & ponderãdas. Harum replicationum prima hæc est: Nisi non in necem legatariorum hæres alienauit. Quæ replicatio approbatur l.is cui.5.§.dolum. ff.d.tt.his uerbis:* Dolum accipere debemus, culpam latam: nec omnẽ dolum, sed qui in necem legatariorum & fidei commissariorum factus est. *Secũda replicatio est: Nisi non dolo, sed culpa hæres rem alienauit. Quæ replicatio quamuis ipso iure sit uera, admittit tamẽ duplicationem hanc: Nisi culpa lata sit. Quæ duplicatio approbatur dictis uerbis hisce:* Dolũ accipere debemus, culpam latam. *Tertia replicatio est: Nisi hæres locum hæreditarium fecerit religiosum aut publicum, uel seruum manumiserit. Hæc replicatio approbatur l.ult. ff.ut in possess.leg.seruan.his uerbis:* Interdum licet dolo malo fecerit hæres, quo minus res in causa hæreditaria maneant, non poterit in possessionem earum legatarius mitti: ueluti si locum religiosum fecerit, aut quid publicè cõsecrauerit, permissu scilicet Imperatoris, aut aliquẽ non in fraudem creditoris manumiserit. *Quarta replicatio est: Nisi alterius quàm hæredis dolo res hæreditaria esse desierit. Hæc replicatio ipso quidẽ iure subsistit, uerùm eius duplicatio prima hæc est: Nisi hæredis hæres dolo fecerit. Quæ duplicatio approbatur l.is cui.5.§.si hæres. in fin. ff.d.tt.his uerbis:* Sed etsi hæredis hæres sit, qui dolo fecit, æquè nocere debebit. *Secunda duplicatio est: Nisi alterius nominis successor sit. Quæ duplicatio approbatur d.§.si hæres. cuius uerba uide §.cap.prox.quæst.1. except.5. Tertia duplicatio est: Nisi eius cui ex S.C.Treb. restituta est hæreditas, dolo sit factum. Hæc duplicatio approbatur l.si legatorũ. 8.ff.ut in possess.leg.ser.his uerbis:* Si legatorum satis non datur, restituta hæreditate in earum quoq; rerum possessionẽ legatarius mitteudus erit, quę dolo malo eius cui restituta est hæreditas, in hæreditaria causa esse desierunt. *Hæc de prima propositæ regulæ exceptione, cuiusq; replicationibus sint dicta. Secunda exceptio est: Nisi agri sint uectigales, uel res defuncto pignori datæ. Hæc exceptio approbatur l.is cui.5.§.bonorum. ff.d.tt. his uerbis:* Bonorum appellatione hę res comprehensæ uidebuntur, quarum proprietas ad hæredẽ pertinet. sed etsi uectigales agri sint, & si qua pignora testatori data, in eorum quoq; mittetur possessionem. *Tertia exceptio est: Nisi res sint, quæ post mortem testatoris hæreditati accesserunt: hæ enim, quamuis testatoris nunquam fuerint, tamen earum quoq; possessionem legatarius mittendus. Quæ exceptio approbatur d.§. bonorum, his uerbis:* Sed & in partus ancillarum, & fœtus pecorum, item fructus æquè omnimodò legatarius & fideicommissarius mittentur. *Quarta exceptio est: Nisi res sint alienæ à testatore bona fide emptæ. Hæc exceptio approbatur d.§.bonorum, in fine, his uerbis:* Sed etsi rem alienam defunctus bona fide emerit, in possessionem eius mittendum legatarium constat. nam & hæc res in causa hæreditaria est. *Quinta exceptio est: Nisi impuberis bona sint, cui testator substituit. Hæc exceptio approbatur d.l.5.§.si ab impuberis, his uerbis:* Si ab impuberis substituto legata sint relicta, & impubes decesserit: missio nõ solùm in ea bona quæ testatoris fuerunt, uerùm & ea quoq; quæ impubes adquisiuit, locum habebit: nam hæc quoq; hæreditaria sunt. *Sexta exceptio est: Nisi ipsius hæredis sint bona. Hæc exceptio reprobatur, certis tamen conditionibus, de quibus sequitur in regula prox.*

IIII. *Regula, De rebus proprijs ipsius hæredis. In hac regulariter quidem legatarius non mittitur. uerùm eius regulæ exceptiones hæ sunt. Prima est: Nisi hæres non soluat legatum: tunc enim etiam in propria hæredis bona fit missio. Quæ exceptio approbatur l.is cui. 5.§.Imperator. ff.ut in possess.leg.seruand. cuius uerba uide §.cap.eod.causa 2. Concordat l.cæterum.6.in fin.C.d. tt.cuius uerba uide §.reg.prox.except.1. Concordat tiẽ l.si quis.3. §.constitutum. ff.ne uis fiat ei qui in possess. cuius uerba uide §.lib.23.cap.7.quæst.4.except.3. Secunda exceptio est: Nisi res hæreditariæ nullæ sint. Hæc exceptio reprobatur l.sin nullæ.10. ff.ut in possess.leg. seruand.his uerbis:* Si nullæ res sint illæ hæreditariæ, in quas legatarij uel fideicommissarij mittantur: in rem quidem hæredis mitti non possunt, sed per Prætorem denegatas hæredi actiones ipsi persequentur.

V. *Regula huius loci proponitur l.is cui.5.§.si ex duobus. ff.ut in possess.leg.seruand.his uerbis:* Si ex duobus hæredibus alter satisdare sit paratus, alter non: in partem eius missio locum utiq; habere debet. Missi itaq; legatarij impedient etiam ei qui satisdedit, rei administratio nẽ. quare suadendũ hæredi erit, ut in assem satisdet, ne administratio eius impediatur.

IIII. EVENTVS MISSIONIS IN possessionem.

I. *Regula: Si missus non admittatur, quo remedio adiuuetur, definitur d.l.5.§.missus. ff.ut in possess.leg.seruhis uerbis:* Missus in possessionem, si non admittatur, habet interdictum propositum: aut per uiatorem, aut per officialem præfecti, aut per magistratus introducendus est in possessionem. *Concordat l.si quis.3.in prin.ff.ne uis fiat ei qui in poss.his uerbis:* Si quis missus fuerit in possessionem fideicommissi seruandi

di causa, & non admittatur: potestate eius inducendus est in possessionem, qui eum misit: aut si quis uelit uti interdicto, consequens erit interdictum locum habere: sed melius erit dicere, extra ordinem Prætores ipsos iure suæ potestatis exequi oportere decretum suum, nonnunquam etiam per manum militarem. *Sed & missio datur actio in id quod interest. Quod remedium approbatur l.si qui. 14.§.1. ff.quibus ex causis in possess. eatur, his uerbis:* Sed & si quis legatorum seruandorum causa missus in possessionem admissus non est, si legati conditio pendeat, licet possit deficere: æstimatur tamen id quod legatum est, quia interest eius cautum habere. *Item missio non est uis facienda, quo minus utatur, fruatur. Quod approbatur l.is cui.5.§.cõstitutione.ff.ut in possess.leg.seruand.causa,his uerbis:* Quòd si ex constitutione quis in possessionem mittatur, curandum est, ne uis fiat utenti & fruenti legatario.

II. *Regula: Missus non proprietatem,sed ius pignoris nanciscitur. Quæ regula approbatur l.qui legati.5. C.ut in possess.leg.seruand.his uerbis:* Qui legati siue fideicommissi causa in possessionẽ mittuntur, non proprietatem nanciscuntur, sed ius pignoris. Vt autem & post acceptum pignus satisfiat defuncti uolũtati, competens iudex te adeunte prouidebit. *Concordat l.filiusfam.11. §.ijdem principes, in fin. ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.quæst.1.in prin. Concordat l.is cui.5.in prin.ff.ut in possess.leg.seruand.his uerbis:* Is cui legatorum fideiue commissorum nomine non cauetur, missus in possessionẽ, nunquam pro domino esse incipit: nec tam possessio rerum ei, quàm custodia datur. neq; enim expellendi heredem ius habet: sed simul cum eo possidere iubetur, ut saltem tædio perpetuæ custodiæ extorqueat hæredi cautionem.

III. *Regula: Missus expellendi hæredis ius non habet. Quæ regula patet ex uerbis iam propositis.*

IIII. *Regula: Missus creditoribus rei seruandæ causa in eandem possessionem missis potior non habetur. Quæ regula approbatur l.is cui.5. §.postquam. ff.ut in possess.leg.seruand. his uerbis:* Postquam rei seruandę causa creditores possidere cœperũt, legatorum seruandorũ gratia missus in possessionem creditoribus potior non habetur. *Huic quodammodò contradicit l.si postquàm.3.C. d.tt.cuius uerba proponentur paulò ỹ.reg.10.*

V. *Regula: Missus non possidet,sed magis custodiam rerum & obseruationem habet concessam. Quæ regula approbatur l.cum legati.12.ff.quibus ex causis in possess.eatur. De qua re uide ẽ.lib.23.cap.2.except.14. Concordat l.is cui.5.§.qui legatorum. ibi:in cæteris. ff.ut in possess.leg.seruand.causa,his uerbis:* In rebus hæreditarijs missi in possessionem hoc erit officium, ut uniuersas res hæreditarias colligat, & ibi custodiat, ubi domicilium defunctus habuit: & si nulla domus sit, habitationem conducat, uel horreum quoddam, in quo res collectæ custodiantur: & puto ita legatarium custodire res hæreditarias debere, ut neq; hæredi auferantur, neq; depereant, deteriorésue fiant.

VI. *Regula, de officio missi circa fructus, proponitur d.§.qui legatorum,his uerbis:* Qui legatorum seruandorum causa in possessionem mittitur, & fructus custodire, & cætera debebit: & ratio quidem est, hæredem colere agros, & fructus redigere: sed custodire legatarii fructus oportebit, ne ab hærede consumantur. quòd si hæres fructus nolit cogere, permittendum erit legatario cogere fructus, & coactos conseruare: quinimò & si tales sint fructus, quos primo quoq; tempore uenire expediat, uendere quoq; legatario permittendum est, & precium seruare.

VII. *Regula, de rebus perituris, proponitur l.si magist.12.ff.de priuilegijs credit. his uerbis:* Si magistratus fideicommissi seruandi causa in possessionem miserint, dare arbitrum possunt ad ea distrahenda, quæ mora deteriora futura sunt, ita ut precium ex his redactum apud fideicommissariũ in causa depositi sit, donec de fideicommisso, quod ei debeatur, cõstet. *Concordat l.is cui.5.§.qui legatorum.ibi:quinimò. ff.ut in possess.leg.seruand.cuius uerba uide ẽ.reg.prox.*

VIII. *Regula: Interdum mulier missa uescendi causa bona deminuet. Quæ regula approbatur l.penult.ff. ut in possess.leg.seruand.causa,his uerbis:* Quæ legatorum seruandorum causa in bonis est, in causa uescendi deminuet, si filia, neptis, proneptis uxórue sit, nec nupta sit, nec suũ quid quam habeat.

IX. *Regula: Nihilominus ut legatum soluatur, agi potest. Quæ regula approbatur l.qui legati.5.in fin.C. d.tt.cuius uerba uide ẽ.eod.cap.quæst.4.reg.2.*

X. *Regula: Si bona uendãtur,missi causa potior est. Quæ regula approbatur l.si postquã.3. C. ut in possess. leg.seru.causa,his uerbis:* Si, postquam seruandi legati seu fideicommissi gratia in possessionẽ inductus es, pignoris obligatio aut uenditio ab hærede interuenit: præcedere causam tuam, quam iure prętorio uelut pignus habuisti, manifestum est.

XI. *Regula: Legatis solutis,uel cautione præstita,legatarius è possessione decedere debet. de qua re dictum ẽ.eod.cap.quæst.1.caus.1.except.4.*

XII. *Regula proponitur l.is cui.5.§.quæri poterit. ff.ut in possess.leg.seru.his uerbis:* Quæri poterit, an in uicem usurarũ hi fructus cedant, quæ in fideicommissis debentur? & cum exemplum pignorũ sequimur, id quod ex fructibus percipitur, primùm in usuras: mox, si quid superfluum est, in sortem debet imputari: quinimò etsi amplius quàm sibi debetur,

tur, perceperit legatarius, exemplo pignoraticiæ actionis etiam utilis actio ad id refundendum dari debebit. Sed pignora quidem quis distrahere potest: hic autẽ frui tantùm ei constitutio permisit, ut festinetur ad sententiam.

SI QVIS OMISSA CAVSA testamenti, ab intestato uel alio modo possideat hæreditatem.
Cap. XIIII.

SEquitur alia species actionis legatorum, seu aliud eius adfine remedium: si scilicet causa testamenti, in quo legatum relictum est, omissa, ab intestato uel alio modo hæreditatem adierit is, à quo legatum relictum est: hoc enim casu nihilominus legatum debet.

I. CAVSA HVIVS actionis.

Est igitur causa huius actionis quam diximus, eáq; approbatur l.1.in prin.ff.si quis omissa causa testamenti, &c. his uerbis: Prætor uoluntates defunctorum tuetur, & eorũ calliditati occurrit, qui omissa causa testamenti ab intestato hæreditatem partémue eius possident, ad hoc ut eos circumueniant, quibus quid ex iudicio defuncti deberi potuit, si non ab intestato possideretur hæreditas: & in eos actionem pollicetur. *Concordat l.si Proc.3. C.d.tt.his uerbis:* Si Proculina patri uestro, cuius estis hæredes, testamento quid reliquit, & scripti iure secundum eius iudiciũ, uel omissa causa testamenti successerunt ab intestato: aditus competẽs iudex, quãtenus legis Falcidiæ modus patitur, uobis relicta restitui iubebit. *Declaratur causa proposita d.l.1.§.prætermittere, his uerbis:* Prętermittere causam testamẽti est, si quis repudiauerit hæreditatem. *Propositæ causæ exceptio prima hæc est:* Nisi iusta fuit causa omittendi causam testamenti. *Hæc exceptio approbatur l.quia autem.6.§.non simpliciter. ff.d.tt. his uerbis:* Non simpliciter Prætor pollicitus est se daturum actionem, sed causa cognita. nam siue inuenerit testatorem huius rei autorẽ esse, ipsumq; permisisse ab intestato succedere, aut si qua alia iusta causa omittendi in teruenerit, utiq; nõ dabit actionem in eum legatorum. *Huius elegans exemplum extat l.cum pater.79.§.Titio,in fin.ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ. cap.7.reg.21.except.1. Secunda exceptio est:* Nisi consentiente testatore causam testamenti omisit. *Hæc exceptio patet ex uerbis iam propositis hisce:* Siue inuenerit testatorem huius rei autorem esse, ipsumq; permisisse ab intestato succedere, &c. *Concordat d.l.6.§.planè si nominatim,his uerbis:* Planè si nominatim id ei permisit testator, dicemus eum nõ incidere in edictum: quia usus est facultate ea, quam ei testator concesit. *Huius exceptionis replicatio hæc est:* Nisi nõ nominatim testator concesit. *Quæ replicatio approbatur d.§.planè,his uerbis:* Quòd si non ei concessit specialiter testator omittere, is ordo erit sequendus, quem Iulianus ostendit. *De hoc ordine uide ỹ.except.prox. Tertia exceptio est:* Nisi ab intestato quoq; testator fideicommissa reliquit. *Hæc exceptio reprobatur d.l.6.in prin. his uerbis:* Quia autem is qui ab intestato possidet hæreditatem, cõueniri potest, si omittat causam testamenti: quæsitum est, si quasi ex uoluntate testatoris uideatur omisisse, an cogatur præstare? utputa, fratrem suum scripsit hærede, & codicillos fecit ab intestato, petijtq; à fratre, ut si legitima hæreditas ad eũ pertineret, fideicommissa præstaret quibusdã. Si igitur omissa causa testamenti, ab intestato possideat hæreditatẽ, uidendum est, an legatarijs cogatur respondere? & Iulianus lib.26. Digest. scripsit, cogendum primùm legata præstare: mox dimissis legatarijs, si quid superfuerit ex dodrante, tũc fideicommissa cogi præstare. Cæterùm si legata absumant dodrantem, tunc nihil fideicommissarijs præstandum. habere enim integrũ quadrantem, legitimũ hæredem oportet. Ordo igitur à Iuliano adhibetur, ut prius legata præstentur, deinde ex superfluo fideicõmissa, dummodò quadrans non tangatur. Ego puto Iuliani sententiam ita accipiendam, ut si omissa causa testamenti, ab intestato possideat hæreditatem, cogatur omnimodò legata præstare. nec enim utiq; omittere ei hæreditatem permisit, qui fideicommissa ab eo reliquit intestatò. *Huc pertinet etiam d.l.6.§.quid deinde,his uerbis:* Quid deinde dicemus, si ijsdem & ex testamento legata & fideicommissa ab intestato fuerint relicta, & prętereа alijs fideicommissa, an ordinem illum debeamus facere, qué Iulianus monstrat: an uerò contribuemus omnes fideicõmissarios quasi æquales? & magis est, ut ita distinguamus, multum interesse, utrum incideritin edictum hæres, an non. nam si incidit, præferendi erunt hi quibus testamento relicta fuerunt quædam: sin uerò non incidit, quia hęc fuit testatoris uoluntas, ut daret ei facultatem & ab intestato succedendi: uel quia alia causa interceserit, quæ (secũdum ea quæ suprà scripta sunt) nõ offendit edictum: dicendum est, contribui fideicommissa debere quasi exæquata. *Quarta exceptio est: Nisi ex testamento hæreditas adiri non possit, utputa iniusto eo existente, aut rupto. Hæc exceptio approbatur l.2.C.si omissa sit causa testam. his uerbis:* Eũ qui, cùm testamento posset obtinere hæreditatẽ, ab intestato ius successionis uoluit amplecti: libertatibus eodẽ testamento datis obesse nõ posse, iampridẽ placuit. quòd si, cum neq; adiri ex testamento hæreditas, neq; bonorum possessio peti possit, iudi-

cium defuncti non usurpabitur, sed ad irritum iuris ratione uocatum est: petitio relictorum nullo iure procedit. *Quinta exceptio est: Nisi conditio institutionis defecerit, & ob id ab intestato sit locus.* Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, eiusq; exemplum proponitur *l. filiusfam. 8. ff. si tabulæ testam. nullæ ext. his uerbis:* Filiusfamiliâs ut proximus cognatus, patre cõsentiente, possessionem agnouit. Quamuis per conditionem testamento datam, quòd in patris potestate manserit, ab hæreditate sit excluſus: tamen utiliter possessionem agnouisse uidebitur: nec in edicti sententiâ incidet, quoniam possessionem secundum tabulas non agnouit: cum inde rem habere non potuerit, nec in filij potestate conditio fuerit, nec facilè pater emancipare filium cogi poterit. *Planè huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi conditio fuit in potestate ipsius hæredis. Quæ replicatio approbatur l. 1. §. qui sub. ff. si quis omissa, &c. his uerbis:* Qui sub conditione institutus hæres potuit parêre conditioni, nec paruit, cum conditio talis sit, ut in arbitrio sit hæredis instituti, deinde ab intestato possideat hæreditatem: debebit edicto teneri: quia eiusmodi conditio pro pura haberi debet. *Huius replicationis duplicatio habetur l. mater. 27. §. 1. ff. d. tt. cuius uerba uide ff. except. 7. Sexta exceptio est: Nisi cum hæres ex parte institutus hæreditatem repudiasset, cohærede postea quoque repudiante, hæreditas ab intestato priori sit delata. Hæc exceptio sub hac conditione, Si non prior colluserit cum cohærede, ut is quoq; hæreditatem repudiaret: approbatur l. quia autem. 6. §. si patronus. ff. si quis omissa, &c. his uerbis:* Si patronus ex debita sibi portione hæres scriptus, dato sibi cohærede ex alia parte, omiserit institutionẽ, quia debita pars eius erat exhausta, omiserit & cohæres: deinde possideat patronus ab intestato legitimâ hæreditatem totam: dandam in eum legatorũ actionem, Celsus ait, quæ in Titium competeret: sufficeretq; patrono, quòd integrã debitam sibi portionem habeat. Hæc autẽ ita sunt, si cohæres collusit cum patrono: aliter enim nõ esse patronum cogendum legata præstare. neq; enim interdictũ est, ut quis omittat hæreditatem, si sine fraude id fiat. *Septima exceptio est: Nisi seruus uel filius eius, qui ab intestato potuit esse hæres, sit institutus, non ipse dominus uel pater. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. 1. ff. si quis omissa causa, his uerbis:* Parui refert, utrũ quis per semetipsum, an per alium adquirere potuit hæreditatem: nam quomodocunq; potuit, si non adquisijt hæreditatem, in ea causa est, ut incidat in edictum Prætoris. *Concordat d. l. 1. §. prætermittere, his uerbis:* Prætermittere causam testamenti uidetur, qui cum posſit iubere, noluit id facere. *Planè admittitur exceptio proposita, si pater dominusue per filium uel seruum hæres effici non posſit. Quæ distinctio approbatur l. excusatus. 5. in fin. ff. d. tt. his uerbis:* Si seruus alicuius ex asse institutus fuerit, & per quemcunq; casum non potuerit iussu domini adire hereditatem, impunè prætermittet ex testamento hæreditatem. *Ait iurisconsultus:* Per quemcunq; casum. *ueluti si seruus hæres sit institutus sub conditione manumissionis: quemadmodum si filius sit institutus sub conditione emancipationis. hoc enim casu non poterit iussu patris adire, nec patri adquirit: & ob id impunè à patre non emancipatur. Quod exemplum proponitur l. mater. 27. §. 1. ff. d. tt. his uerbis:* In sententiam edicti propter legatorum causam frater incidisse non uidebitur, qui filium suum substitutum impuberi testamento fratris nõ emancipauit, sed ab intestato per eum bona possidere cœpit. *Ait iurisconsultus:* Per eum. *hoc ideo, quia filium absimendo hæreditate, & eum non emancipando, sibi ob id ab intestato datur locus. Octaua exceptio est: Nisi seruus hæres institutus adire iussus, adire noluit. Hæc exceptio reprobatur d. §. prætermittere, his uerbis:* Quid ergo, si seruus eius, cum iuberetur adire hæreditatem, dicto audiens nõ fuit? sed compellẽdus est seruus hoc facere: ideoq; dominus ab intestato ueniens in edictum incidit. *Nona exceptio est: Nisi hæres ab intestato ignorauit, uel se uel seruum suum hæredem esse in stitutum. Hæc exceptio approbatur d. §. prætermittere, in fine, his uerbis:* Sin autem nec certioratus dominus est à seruo, & postea ipse ab intestato possedit hæreditatem: non debet incidere in edictum, nisi si fingit ignorantiam. *Decima exceptio est: Nisi ab intestato hæres in testamento institutus, in legitima sua sit grauatus. Hæc exceptio approbatur l. excusatus. 5. in prin. ff. si quis omissa, his uerbis:* Excusatus uidetur patronus, qui institutionem prætermisit, cum aliter esset à liberto scriptus hæres, quàm eum institui oporteret. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi collusione cum cohærede facta, totam hæreditatem ab intestato possideat. Quæ replicatio approbatur l. quia aũt. 6. §. si patronus. ff. d. tt. cuius uerba uide paulò superius except. 6. Undecima exceptio est: Nisi is qui omittit, hæres sit necessarius in potestate testatoris existẽs. Hæc exceptio reprobatur l. 1. §. qui sunt. ff. d. tt. his uerbis:* Qui sunt in potestate, statim hæredes sunt ex testamento: nec quòd se abstinere possunt, quidquã facit. quòd si postea se immiscuerint, ex testamento uidentur hæredes: nisi abstinuerint quidem se testamento, uerùm ab intestato petierint bonorũ possessionem: hic enim incident in edictũ. *Duodecima exceptio est: Nisi contra tabulas bonorũ possessio petipotuit. Hæc exceptio reprobatur l. si filius. 23. ff. d. tt. his uerbis:* Si filius qui mansit in potestate patris, item filia hæredes instituti, præterito fratre emancipato, qui contra tabulas possessionem accipere potuit, ut intestati patris possessionem acceperint: legata omnibus præstabunt:

stabunt: nec dotem suam filia fratri confert, cum ut scripta uideatur hæreditatem habere. *Decimatertia exceptio est: Nisi dolo tutoris pupillus omiserit. Et hæc exceptio reprobatur l. si dolo. 24. ff. d. tt. his uerbis:* Si dolo tutoris omiserit pupillus causam testamenti, & legitimam hæreditatem possideat, danda est legatorum actio in pupillum: sed earenus, quatenus hæreditas ei adquisita est, &c. *Reliqua uerba uide ff. quæst. 4. reg. 3. Decimaquarta exceptio est: Nisi nõ ab hærede qui hæreditatem omittit, sit legatum relictum: sed ab alio, puta legatarij fidei commissum. Quæ exceptio ipso quidem iure subsistit, uerum admittit replicationem hanc: Nisi dolo alterius, cuius fidei commissum est, factum sit, ut omittatur causa testamenti. Hæc replicatio approbatur l. si quis. 4. §. quanquam. ff. si quis omissa, his uerbis:* Quanquam de hæredibus instituendis uideatur Prætor loqui, attamen etiam ad alios hæc res serpit: ut si sit legatarius, à quo fideicommissum relictum est: & hic id egerit, ut omittatur hæreditas, doloq; id fecerit: conueniri debeat. *Decimaquinta exceptio est: Nisi non causam testamenti, sed cõtra tabulas bonorum possessionem omisit. Hæc exceptio reprobatur l. quia autẽ. 6. §. penult. ff. si quis omissa, his uerbis:* Hoc edictum etiam ad contra tabulas bonorum possessionem pertinere, magis dicendum est: scilicet ut is qui accipiendo contra tabulas bonorum possessionem liberis parentibusq; legata præstaret, si omiserit eam bonorum possessionem, & ab intestato possideat hæreditatem, cogatur ea præstare, quæ præstaret, si contra tabulas bonorum possessionem accepisset. *Decimasexta exceptio est: Nisi is qui causam testamenti omittit, non testatori, sed hæredi instituto ab intestato hæres existat. Hæc exceptio reprobatur l. mater. 27. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Mater secũdis tabulis impuberi filio substituta locum edicto facit, si omisso testamento legitimam hæreditatẽ filij possideat. Idem iuris erit, & si filio hæres data sit, & substituta. *Decimaseptima exceptio est: Nisi omissa institutione, ex substitutione adijt. Hæc exceptio approbatur l. 1. §. si proponatur. ff. d. tt. his uerbis:* Si proponatur idem & institutus & substitutus, & prætermiserit institutionem, an incidat in edictum, quæritur? & nõ puto incidere, quasi testator hanc ei dederit facultatem, qui eum substituit. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi domino uel patre hærede instituto, seruus uel filius eius ei sit substitutus: tunc enim, si omissa sua institutione, pater dominusue ex filij uel serui substitutione adeat, edicto tenetur. Quæ replicatio approbatur l. cui seruus. 25. ff. d. tt. his uerbis:* Cui seruus ipsius substitutus est, seruum suum adire iussit. si idcirco fecit, ne legata præstaret, utraque præstabit: & quia hæres est, & quia omissa causa testamenti possidet ex substitutione hæreditatem, salua Falcidia ei seruata. *Concordat l. Iulianus. 26. ff. d. tt. his uerbis:* Iulianus scribit, patrem qui filiam sibi substitutam iusſit adire hæreditatem, legata quæ ab ipso data sunt, ex sententia edicti præstaturum: quoniam filia patri substituatur in casu, non ut arbitrium eligendi relinquatur. Sed si uaria legata supradodrantem data sunt, eorum prius rationem habendam, quę à filia relicta sunt: non enim carere dolo patrem, qui honore proprio omisso, propter compendium alienam institutionem maluit. *Huius replicationis duplicatio est: Nisi contra instituto filio pater sit substitutus. tunc enim, quamuis omissa institutione ex substitutione adijt, non tenetur. quæ duplicatio approbatur d. l. 26. §. fin. his uerbis:* Denique si filiæ pater substitutus adijt hæreditatem, nihil eum dolo facere, Iulianus existimat: quia nemo filiæ patrem contra uotum parentum substituere uidetur, sed ut arbitrium eligendi relinquat. *Decimaoctaua exceptio est: Nisi ei qui omisit causam testamenti, hæreditas posſit euinci. Quæ exceptio approbatur l. quia autem. 6. §. item si inuenerit. ff. d. tt. his uerbis:* Si inuenerit bona ad alium pertinere, non dabit actionem, si modò nulla collusionis suspicio religionem Prætoris instruxerit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi collusione facta euincatur. Quæ replicatio ex uerbis iam propositis patet. Secunda replicatio: Nisi munitus sit præscriptione contra causam euictionis. Quæ replicatio approbatur exẽplo d. §. item si inuenerit, in fine, his uerbis:* Certè si uacantia bona quis possederit, & quadrienium præterierit, indubitanter conueniri poterit ex hac parte edicti: & quia omisit causam testamenti, & quia ab intestato possedit, & quidem sic, ut præscriptione quadriennij tutus sit. *Tertia replicatio est: Nisi legatarius caueat euicta hæreditate legata reddi. Quæ replicatio approbatur l. 1. §. toties igitur. ff. d. tt. his uerbis:* Toties edictum Prætoris locũ habebit, quoties aut quasi hæres legitimus possidet, aut quia bonorum possessionem accipit ab intestato, aut si fortè quasi prædo possideat hæreditatem, fingens sibi aliquẽ titulum ab intestato possessionis. quocunq; enim modo hæreditatem lucrifacturus quis sit, legata præstabit, sanè interueniẽte cautione, euicta hæreditate legata reddi. De *hac cautione dictum §. capite 9. caut. 4. Decimanona exceptio est: Nisi is qui causam testamenti omisit, hæreditatem non possideat. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 17. ff. si quis omissa causa testam. his uerbis:* Si quis omissa causa testamenti, omnino eam hæreditatẽ non possideat, excluduntur legatarij. nam liberũ cuiq; esse debet, etiam lucrosam hæreditatem omittere, licet eo modo legata libertatesq; intercidunt. *Concordat l. 2. §. fin. C. d. tt. his uerbis:* Si uerò iure facto testamento,

cessante hærede scripto, alter ab intestato adijt hæreditatem: neq; libertates, neq; legata ex testamento posse præstari, manifestũ est. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi fideicommissarius hæreditas, non legatum petatur. Hæc replicatio approbatur d.l.17.his uerbis:* Sed in fideicomissarijs hæreditatibus id prouisum est, ut si scriptus hæres nolit adire hæreditatem, iussu Prætoris adeat & restituat. *Huius replicationis duplicatio est: Nisi non hæreditas, sed res specialis per fideicommissum sit relicta. Hæc duplicatio approbatur d.l.17.in fine, his uerbis:* Quod beneficium his quibus singulæ res per fideicommissum relictæ sunt, non magis tributũ est, quàm legatarijs. *Secunda replicatio est: Nisi aliquandiu ab intestato possedit. Hæc replicatio reprobatur l.quia autem.6. ſ.si autem is cui. ff.d.tt. his uerbis:* Si is cui auferri hæreditas potest, aliquid possidebat de hæreditate, & possidere desijt sine dolo malo: magis est, ut definat conueniri. quod ergo tempus spectabimus, possideat, nécne? litis contestatæ tempus spectari debet. *Tertia replicatio est: Nisi dolo malo possidere desijt. Hæc replicatio approbatur l.1.ſ. etsi non. ff. si quis omiſſ. his uerbis:* Etsi non possideat quis hæreditatem, dolo autem malo fecerit quo minus possideat: eueniet, ut perinde teneatur, atq; si hęreditatem adisset. Dolo autem malo fecisse uidetur, quo minus possideat, qui ad alium transtulit possessionẽ per fraudem, ut legatarij, cæteriq; qui quid in testamento acceperunt, careant his quæ sibi relicta sunt. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi non possederit, sed statim ab initio possessionem omisit. Hæc duplicatio reprobatur d.l.1.ſ.penult. his uerbis:* Sanè quæstionis fuit, utrũ is demum dolo malo facere uideretur, quo minus possideret, qui per dolum eam possessionem dimitteret, quam aliquando habuit: an uerò is, qui hoc ipsum malitiosè fecit, ne ab initio possidere inciperet? Labeo sibi uideri ait, non minus delinquere eum qui non incipiat possidere, quàm eũ qui desinat. quæ sententia obtinet. *De hac replicatione uide plura 3. lib. prox. cap.10. causa 42. except.3 & 4. Quarta replicatio est: Nisi hæreditatem uendiderit. Hæc replicatio approbatur l.si quis.4. ſ.fin. ff.si quis omiſſa, his uerbis:* Si quis uendiderit hęreditatem, utiq; possidere uidetur, non dolo feciſſe quo minus possideat. *Concordat l.si seruum.28.in prin.ff. d.tt.his uerbis:* Si seruum hæredem substitutũ dominus, qui ipse rogatus fuerat fideicommissum præstare, priusquam adire iuberet, uendiderit: præstare id debet, cum per precium serui hæreditatis quoq; æstimationẽ consequatur. *Quinta replicatio est: Nisi unam aliquam rem hæreditariam ab intestato possideat. Hæc replicatio approbatur l.etsi.13. cum ll. sequentibus. ff.d.tt. cuius uerba uide 7.prox.except.21. Plura de proposita exceptione uide 7.eod.cap.quæst.3. item 3. lib.proxim. cap.10.causa 42. Vicesima exceptio est: Nisi is qui causam testamenti omisit, ex alia quàm hæreditatis causa possideat. Hæc exceptio approbatur l.1. ſ.non quærimus. ff.d.tt.his uerbis:* Non quærimus, qui prætermissa causa testamenti ab intestato hæreditatem possideant, utrum iure legitimo possideant, an non? nam quoquo iure possideant hæreditatem uel partem eius, conueniri ex edicto poterunt, utique si non ex alia causa possideant: utputa, si quis omisit quidem hæreditatem, sed ex causa fideicommissi possidet missus in possessionem fideicommissorum seruandorum causa, uel si proponas eum crediti seruandi causa uenisse in possessionem: nam nec ex hac causa legatarijs respondere cogetur. toties igitur edictum Prætoris, &c. *Reliqua huius loci uerba uide 3.cap.eod.except.18.repl.3. Concordat l.ult.ff.eod. tt.his uerbis:* Qui omissa causa testamenti, pro emptore, uel pro dote, uel pro donato, siue alio quolibet titulo, exceptis pro hęrede & pro possessore, possidet hęreditatem: à legatarijs & fideicommissarijs non conuenitur. *Huius exemplum habetur l.cum pater.79. ſ.Titio, in fine. ff. de leg.2. cuius uerba uide 3.cap.7.reg.21.except. 1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi pater à filio hæres institutus, omissa hæreditate ex causa peculij possidere cœperit. quæ replicatio approbatur l.si certarum.17.ſ.si pater.ff. de militari test. his uerbis:* Si pater à filio familiâs milite ex castrensi peculio hæres institutus, omissa causa testamenti aliquid ex peculio possidebit, doluue malo fecerit quo minus possideret: datur in eũ legatorum actio. *Vicesimaprima exceptio est: Nisi is qui causam testamenti omisit, non totam hæreditatem ab intestato possideat, sed unam aliquam rem. Hæc exceptio reprobatur l.etsi.13. cum ll. sequentibus. ff.si quis omissa causa test. his uerbis:* Etsi non totam hęreditatem aliquis, partémue eius, ex qua hęres institutus est, ab intestato possideat, sed minimam portiunculam, uel etiam unam aliquam rem: tenetur hoc edicto: quamuis non propriè pars hæreditatis in una re intelligatur. Nec iniquum est, cum ex suo quisque uitio hoc incommodo adficiatur. Cum enim hęreditas ab eo quoq; peti possit, qui unam aliquã rem hæreditario nomine possideat: dubitari non oportet, quin uerum sit quod diximus. *Vicesimasecunda exceptio est: Nisi nõ sit legatum, sed hæres quis institutus sit sub hac conditione, Si Titius hæres erit: & Titius omisso testamento, ab intestato hæres existat. Hæc exceptio approbatur l.si in.22.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Si in testamento ita scriptum fuerit, Titius hęres esto: & si Titius hæres erit, Męuius hęres esto: & Titius, omissa causa testamenti, hæreditatem legitimam possederit: Mæuio adùersus eum petitio hæreditatis dari non debet pro parte, quam

quã habiturus esset, si testamẽti causa omissa non fuisset. Cum enim omisso testamento hæreditas possidetur, legatorũ quidem & libertatum ratio habenda est: quia aliter quàm ab hærede dari non potuerunt. hęreditatis uerò, quę ita data est, rationem habere Prætor non debet. sua enim culpa testator sub hac conditione hæreditatis partem dedit, quam potuit purè dare. Quare etsi ita scriptum fuisset: Titius hæres esto: Seius hæres esto. quisquis mihi ex supraſcriptis hæres erit, Stichus liber hæresq; esto. & Titius omisso testamento hæreditatem possideat: libertatem Stichi Prætor tueri non debet, nec hæreditatis petitionem ei dare. *Planè hæreditas per fideicommissum relicta nihilominus debetur. de quo 7. quæſt.4. reg.2. Vicesimatertia exceptio est: Nisi legatarius instituto hæredi, qui causam testamenti omisit, fuit cohæres datus uel substitutus. Hæc exceptio approbatur l.si non.10. ſ.cùm substitutis. ff.si quis omissa, his uerbis:* Cùm substitutis ab institutis legata fuissent relicta, & tam instituti quàm substituti, omissa causa testamenti, possideret ab intestato hæreditatem: diuus Pius rescripsit, neque improbè, neq; impudenter institutos legata recusare substitutis data. rectè enim recusare in se dari legatorum fideiue commissorum petitionem substituto, cui liberum fuit adeunti hæreditatem non fideicommissum petere, sed uniuersa bona obtinere. *Concordat l.quidam.7. ff.d. tt.his uerbis:* Quidam Titium & Mæuium instituit hæredes, & centum Titio legauit. uterq; omisso testamento, legitimam adijt hæreditatem. non probè legatorum actionem Titius postulabit. Idem est, si utrique legasset. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi legatarius ab intestato etiam non succedat, & iustam repudiandæ hæreditatis causam habeat. Hæc replicatio approbatur l.si in testamento.22. ſ.fin.ff.d.tt. his uerbis:* Si quis hoc modo testamentum scripserit: Titius hæres esto: si Titius hæres non erit, Mæuius hęres esto: quisquis mihi ex supraſcriptis hæres erit, Mæuio, si mihi hæres nõ erit, centum dato. deinde Titius, omisso testamento, legitimam hæreditatem possideat: an Mæuio, cuius in potestate fuit, ut ex substitutione adeundo totam hæreditatem haberet, legatorum actio dari debeat, quæritur? & placet, dari: quia nihil prohibet, Mæuium iustam causam habuisse, propter quam nollet negocijs hæreditarijs implicari. *Vicesimaquarta exceptio est: Nisi legatarius conditioni legati non paruerit. Hæc exceptio approbatur l.quia autem.6. ſ.fin. ff.d.tt.his uerbis:* Si libertas sub conditione fuerit data, si decem dederit, & omissa causa testamenti fuerit: non aliter libertas competet, quàm si conditioni paritum sit. *Vicesimaquinta exceptio: Nisi legatarius legatum ab alio sit consecutus. Hæc exceptio approbatur l.si ab inſt.11.ff.d.tt.his uerbis:* Si ab instituto & substituto eadem res mihi legata sit, & omissa causa testamenti possideat hæreditatem lege: etiamsi ab utroq; hæredes solidum mihi debetur, tamen ab uno legatum consecutus, ab altero petere non potero: eligere itaq; reum potero.

¶ *Hactenus de causa propositæ actionis, eiusq; exceptionibus.*

II. QVIBVS COMPETIT actio?

Si eadem res alteri ab instituto, alteri à substituto legata sit, utri debeatur, definitur l.si eadem.20. ff.si quis omissa, his uerbis: Si eadem res diuersis personis ab instituto & substituto fuerit relicta: non uterq;, sed qui ab instituto accepit, solus uindicabit.

III. ADVERSVS QVOS COMPETAT hæc actio?

Prima huius loci regula, de duobus institutis causam testamenti omittentibus, proponitur l.duo.18. in prin.ff.si quis omissa, his uerbis: Duo hæredes instituti, si ambo omissa causa testamenti ab intestato possideãt hæreditatem: tunc quia uterq; prætorio iure perinde habetur, atq; si ex testamento hæreditatem adijsset, propartibus in singulos competit actio.

Secunda regula, de instituto & substituto, utroque causam testamenti omittente, proponitur l.si non.10. ſ.si duo. ff.d.tt.his uerbis: Si duo sint hæredes, institutus & substitutus, & ambo omissa causa testamenti ab intestato possideant hæreditatem: quæstionis est, an ambo cogantur legata præstare? & utrum unusquisq; ea legata, quæ à se relicta sunt, an uerò ambo utraque legata cogantur præstare? Ego puto, in solidum aduersus singulos legatorum petitionem dandam. Sed utrum eorũ quæ à se legata sunt, an uerò etiam eorum quæ ab altero hærede, uideamus? Sed & aliter, si proponamus institutum solum possidere hæreditatem, eorum legatorum quæ sunt à se relicta, an etiam eorum quæ à substituto relicta sunt, actionem patietur? Dicendũ est, ita demum etiam eorum, si dolo substituti perueniat ad institutos hæreditas sine pecunia. nam si pecuniam accepit substitutus, ipse erit conueniendus. Item, si solus substitutus possideret: siquidem pecunia accepta institutus omisisset, diceremus institutum suis legatarijs respondere debere, substitutum suis: si autem sine pecunia, aduersus substitutum daremus actionẽ: nunc autem, cum ambo possideant, melius dicetur, singulos suis legatarijs respondere debere. *Planè si eadem res eidem ab instituto & substituto relicta sit, legatarius utrum uelit potest conuenire. quod approbatur l.si ab instituto.11. in fin.ff.d.tt. cuius*

uerba uide §.eod.cap.except.25. Cui concordat l.si pecuniam.3.in fin.ff.d.tt.cuius uerba uide §.lib.prox.cap. 10.causa 42.exc.4. Planè quod dicitur de eo qui pecunia accepta hæreditatē omisit,de hoc uide §.d.exc.4.

Tertia regula,de eo qui simul possidet hæreditatē cū eo qui causam testamenti omisit,proponitur l.si non.10. in prin.ff.si quis omissa causa, his uerbis: Si non solus, sed cum alio possideat hæreditatem is qui omisit causam testamenti: rectissimè Iulianus ait (quod & Marcellus probat) dandam in ipsum quoque legatorum utilem actionem. Nec enim aspernari debet,obesse sibi factum hæredis scripti,cui etiam profuerit. hoc autem ita est,nisi si pecuniam accepit is qui omisit causam testamenti: tunc enim in solidum tenebitur.

Quarta regula,de eo qui omissa causa testamēti hæreditatem non possidet, & eo qui possidet,proponitur l.2. ff.si quis omissa causa. cuius uerba uide §. lib.prox. cap.10.causa 42.except.4. Concordat l.si pecuniam.3. ff.d.tt.cuius uerba uide ibidem. Cōcordat item l.si quis. 4.in prin.ff.d.tt.cuius uerba uide §.d.causa 42.except. 1. Concordat deniq; l.mater.27.§.fin.ff.d.tt. his uerbis: In eum qui testamento scriptus hæres non fuit, si fraudis consilio cum hæredibus scriptis participato,legitimam hæreditatem solus possideat, actio legatorum ex sententia Prætoris dabitur. *Planè quod ad eum qui omissa causa testamenti hæreditatem non possidet, attinet, de eo uide §.cod.cap.except.19.*

Quinta regula,de patre hæredis scripti,proponitur l.si filius.21.ff.d.tt.his uerbis: Si filius meus à matre sua hęres scriptus fuerit,& ego testamēti causa omissa, bonorū possessionem eiusdem filij nomine petiero: actio legatorum in me dari debebit, non secus ac si ipse hæres scriptus, omissa causa testamenti,bonorum possessionem ab intestato accepissem.

Sexta regula,de hærede omittentis,proponitur l.de libertatib.12.§.fin.ff.d.tt.bis uerbis: Hęredem eius, qui omissa causa testamēti ab intestato possidet hæreditatem, in solidum legatorum actione teneri cōstat.magis est enim,rei persecutionem, quàm pœnā continere, & ideo perpetuam esse. hoc autem ita est, nisi propter dolū defuncti conueniatur hæres:tunc enim in id quod ad eum peruenit, conuenietur.

IIII. QVID VENIAT IN hanc actionem?

I.Regula,de libertatibus in testamento relictis,proponitur d.l.12.in prin.his uerbis: De libertatibus quoq; in hoc casu quæsitum est,an competant tam hæ quæ ab instituto, quàm hæ quę à substituto datæ sunt? & magis est,ut cōpetant tā directę,quàm fideicōmissariæ. *Concordat l.si in testamento.22. in prin. ibi:legatorū. ff.si quis omissa.cuius uerba uide §.eod.cap.except.12.Cōcordat item l.si seruū.28.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.reg. prox.Concordat item l.qui omissa.29.ff.d.tt.his uerbis:* Qui omissa causa testamēti,ab intestato possidet hæreditatē, seruos ad libertatem perducere debet, ne eis factum noceat eius qui ex testamento adire noluit:sic tamen,ut habeat libertos. *Concordat deniq; l.2.in prin.C.d.tt. his uerbis:* Eum qui,cùm testamēto posset obtinere hæreditatem,ab intestato ius successionis uoluit amplecti, libertatibus eodem testamento datis obesse non posse,iam pridem placuit.

II.Regula, de hæreditate relicta,proponitur d.l.28. §.fin.ff.si quis omissa,his uerbis: Institutus hæres, & rogatus restituere hæreditatem,si omissa causa testamenti legitimā hęreditatem possideat,non dubiè ut legata cęteraq; fideicō missa,ita hæreditatem quoq; restituere cōpellēdus est: libertates quoq; tam directas, quàm fideicōmissarias: sed etsi alienos seruos rogatus sit manumittere,utiq; redimere eos debebit. Eam aūt decessionem, quā is qui restituit, passurus fuit, patietur is cui restituta fuerit hæreditas. *Planè si Mæuius hæres institutus sit sub hac conditione, Si & Titius hæres erit:Titio causam testamenti omittente,Mæuius hæreditatem petere non potest.de quo uide §.except.22.*

III.Regula:Pro qua parte quisq; ab intestato possidet, pro ea parte tenetur. quæ regula approbatur l.si dolo.24.ff.si quis omissa,his uerbis: Danda est legatorum actio in pupillū, sed eatenus, quatenus hęreditas ei adquisita est. Quid enim,si cum alio possideat hæreditatē? Sed hoc & in eo qui pubes est,pleriq; putāt obseruandum, ut pro qua parte possideat, teneatur: quamuis Prætor perinde in eum det actionem,atq; si adijsset hæreditatem. *Concordat l.duo.18. in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. quæst.3. reg.1. Huius exceptio prima hæc est:* Nisi nominatim à singulis sit legatum. *tunc enim quilibet suis legatarijs tenetur.quæ exceptio approbatur l.si non.10.§.si duo. ff.eod.tt.cuius uerba uide §.d.quæst.3.reg.2. Secunda exceptio est:Nisi eadem res eidem & ab instituto & à substituto sit relicta. tunc enim quilibet eorum in solidum tenetur.Quæ exceptio approbatur l.si ab instituto.11.ff.d.tt.cuius uerba uide §.except.25. Concordat l. si pecuniā.3.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.lib.prox. cap.10.causa 42.except.4. Tertia exceptio est:Nisi in stitutus pecunia accepta hæreditatem omisit.tunc enim in solidum tenetur. quæ exceptio approbatur l.si non. 10.in prin.ff.d.tt.cuius uerba uide §.quæst.3.reg.3.*

IIII. Regula: Hæres omittentis *in solidum tenetur. quæ regula approbatur simul et distinguitur l.si filius. 21.ff.si quis omissa.cuius,uerba uide §.quæst.3.reg.6.*

V.Regula:Ei qui causa testamenti omissa,ab intestato possidet, beneficium legis Falcidiæ concedendum est. Quæ regula approbatur l.duo.18. §.fin.ff.si quis omissa,his uerbis: Admonendi sumus,huic in quem ex hac parte edicti legatorum actio datur, beneficium legis Falcidiæ concedendum.

dendum. *Concordat l.quia autem.6.in princip. ff. eod.tt. cuius uerba uide §.eod.capite,in prin. except.3. Concordat item l.cum seruus.25. in fin. cum l.sequenti. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.eod.cap.except.17. Concordat deniq; l.si Proculina.3.C.eod.tt.cuius uerba uide §.quæst.1.in prin.*

VI. Regula: Patrono, *qui omissa causa testamenti ab intestato succedit,legitima sua salua permanet. Quæ regula approbatur l.prætered.19. ff.si quis omissa, his uerbis:* Patrono quoq;,qui ex asse hæres instituitur est, si ab intestato possideat hæreditatem, commodum partis debitæ, quod habiturus foret,si ex testamento adijsset hę reditatem,saluum esse debet.

V. QVAMDIV COMPETAT hæc actio?

Perpetua est. Quod approbatur l.de libertatibus. 12.§.fin. ibi:& ideo.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.quæstione 3.reg.6.

DE LEGATIS PRAESTANdis, contra tabulas bonorum possessione petita. Cap. XV.

I. CAVSA HVIVS actionis.

SI *contra tabulas bonorū possessio petita sit,quamuis regulariter rescindatur testamentum, tamen nihilominus quibusdam exceptis personis ex edicto Prætoris legatorum actio competit. quæ actio approbatur l.1.in prin.ff.de legat.præstand.contra tabul. bonorum possess.petita, his uerbis:* Hic titulus æquitatem quandam habet naturalem, & aliquod nouum, ut qui iudicium patris rescindunt per contra tabulas bonorum possessionem, ex iudicio eius quibusdam personis legata & fideicommissa præstarent: hoc est, liberis & parentibus, uxoribus nuribusq; dotis nomine legatum. *Huius causæ exceptio prima hæc est:* Nisi non ipsis exceptis personis, *sed ijs qui iuri illorum subiecti sunt, sit legatum. Hæc exceptio approbatur l.sed & si.3.§.hoc autem solum.ff.d.tt.bis uerbis:* Hoc autem solum debetur,quod ipsis parentibus relictum est,& liberis. Cæterùm si seruo eorum fuerit adscriptum, uel subiectæ eorum iuri personæ, non debetur. Nec enim quærimus cui adquiratur, sed cui honor habitus sit. *Concordat l.hi quib.23.ff.eod.tt.his uerbis:* Hi quibus relictum in uirilem portionē diuus Pius conseruare constituit, ex seruis, qui libertatem propter bonorum possessionem contra tabulas acceptam consequi non potuerunt, nihil habebunt. *Planè de hac lege alibi aptius tractabitur. Secunda exceptio est:Nisi coniunctim cum extraneo illis sit relictum. Hæc exceptio reprobatur d. §.hoc autem solum,in fine,his uerbis:* Sed etsi coniunctim fuerit legatum relictū cum eo cui non præstatur, sua tamen portio ei conseruabitur. *Tertia exceptio est:* Nisi exceptis personis ita legatum sit, ut extraneo restituant. *Hæc exceptio approbatur l.sed & si.3. §.item si quis. ff.eod.tt. his uerbis:* Si quis ex his personis rogatus sit restituere extero,quod sibi relictum est: dicendum, non esse legatum præstandum: quia emolumentum ad eum non respicit. *Quarta exceptio est:* Nisi ab alio gradu relictum sit, quàm contra quem bonorum possessio contra tabulas est petita. *Hæc exceptio approbatur l.sed & si.10.§. non omnia. ff. de legatis præstand. his uerbis:* Non omnia quæ ab omnibus gradibus relicta sunt, legata præstare oportet eum qui contra tabulas petet: sed ea sola,quæ in eo gradu data sunt, contra quem bonorum possessionem accepit. *Concordat l.filium.20.§.fin. ff.de bonorum possess. contra tabulas. cuius uerba uide §. except.7. replicat.1. Huius exceptionis exemplum proponitur d.§.non omnia. ibi: ut ecce, his uerbis:* Duos gradus hæredum fecit, & emancipatum præterijt: ab utroq; tamen gradu liberis & parentibus legata adscripsit. Iulianus ait, siquidem aliquis ex primo gradu uiuit, ea legata præstabit, quæ liberis & parentibus à primo gradu data sunt: si uerò nemo uiuit eorum, ea quæ à sequenti. *Proposita exceptio quasdam recipit replicationes. quod approbatur d. §. non omnia. ibi: sed nonnunquam,his uerbis:* Sed nonnunquam contra alium quidem gradum petita est bonorum possessio, ex alio uerò legata præstanda sunt. *Huiusmodi replicationes uide in exceptionibus sequentibus. Quinta exceptio est:* Nisi is à quo *legatum relictum est, hæres non existat. tunc enim eius gradus legata non præstantur, sed à sequenti gradu relicta. quæ exceptio approbatur d.l.10. §.ut ecce. ibi:si uerò nemo. cuius uerba uide §. except. proxim. Concordat d.l.10. §.fin. his uerbis:* Quòd si post mortem testatoris ante aditam hæreditatem instituti decesserint, contra ipsos quidem uideri petitum:ueruntamen ab eis relicta legata non esse præstanda, sed quæ à substitutis relicta sint. *Huius exceptionis replicatio hæc est:* Nisi is à quo *legatū relictum est, cum posset, noluit esse hæres, & ultrò repudiauit ob bonorum possessionem contra tabulas petendam. Hæc replicatio approbatur l.item à sub.13.ff.eod.tt.his uerbis:* A' substituto legata deberi dicimus, si institutus conditione defectus esset,quæ in ipsius potestate non fuerit. nam si eam quæ in ipsius potestate fuerit,non impleuit,pro eo habendus est,qui noluit adire hæreditatem:quando nihil habiturus emolumenti, conditioni meritò non paruit. *Ait Iurisconsultus:* Pro eo habēdus est,qui noluit adire hæreditatem. *Id est,hoc casu nihilominus ab eo relicta debentur. Cui concordat l.siue autem.12.ff.d.tt.his uerbis:* Siue omiserint instituti, siue non omiserint: dicēdum est, legata quę ab ipsis relicta sunt, præstāda,

quamuis secundo gradu instituti omittentibus eis adire possint hæreditatem. *Sexta exceptio est: Nisi legatum inutile sit. Hæc exceptio approbatur l.sed & si.3.§.fin.cum l.sequente.ff.de legat. præstandis, hisce uerbis:* Ea autem legata sola præstant, qui contra tabulas bonorum possessionem accipiunt, quæ utiliter data sunt: uerùm idcirco non debentur, quòd filius contra tabulas bonorum possessionem accepit: cum propter hoc legatum plerunque scripti hęredes omittant hæreditatem, cum scirent emancipatum aut petijsse, aut petiturum contra tabulas bonorum possessionem. *Septima exceptio est: Nisi hæreditas ex testamento non adeatur. Hæc exceptio approbatur l. sed & si.10.§.quòd si neque.ff.eodem titulo, his uerbis:* Quòd si neque ex primo gradu, neque secundo quisquam in rebus fuerit humanis, cum testator moritur: tunc ab intestato magis bonorum possessionem præterito filio competere, nec legata cuiquam præstanda. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi cum possit adiri ex testamento hæreditas, scripti hæredes eam adire nolint. tunc enim nihilominus debentur legata: quia si non fuisset metus petendæ bonorum possessionis contra tabulas, fortè ex testamento adijssent. Quæ replicatio approbatur l.at ubi.11. ff.eod. tt. his uerbis:* At ubi institutus & substitutus uiuunt, licet nemo adeat hæreditatem, ea tamen legata deberi dicimus, quæ ab instituto data sunt. *Concordat l.siue autem.12. ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius except.5. in fine. Concordat item l.filium.20.§.fin.ff.de contra tabulas bonor. possessione, his uerbis:* Si quis accepit contra tabulas bonorum possessionem, etiamsi non fuerit adita hæreditas à scripto, præstat legata ea parte testamenti data, contra quam bonorum possessio accepta est. Erit ergo melior hoc casu condicio in familia relicti filij, quàm foret, si exhæredatus non esset. *Concordat item l.illud.4.in princ.ff.eod.tt. cuius uerba uide ē.lib.31.cap.8.quæst.1.except.23.replic.1. Concordat item l.quod uulgò.19. ff.eod.tt. cuius uerba uide d.except.23.* Octaua exceptio est: *Nisi res legata dolo hæredis scripti interierit. Hæc exceptio reprobatur l.si emancipato.17.ff. de legatis præstandis contra, &c. his uerbis:* Si emancipato filio præterito, pater extraneum hæredem instituisset, & ab eo rem legasset, eaque adita hæreditate dolo scripti hæredis perijsset: aduersus emancipatum utilis actio dari debebit, ei scilicet personæ, cui filius legata præstare cogitur: quia Prætoris propositum est, sine iniuria certarum personarum bonorum possessionem contra tabulas testamenti dari. *Nona exceptio est: Nisi non emancipatus filius, sed is qui in potestate est præteritus, contra tabulas bonorum possessionem acceperit. Hæc exceptio approbatur l.is qui.15. in princ. ff.eod.tt. his uerbis:* Is qui in potestate est præteritus, legatum non debebit præstare, etsi contra tabulas bonorum possessionem petierit: qui & non petita bonorum possessione, intestati hæreditatem obineret. nec enim exceptio doli mali huic noceat. & absurdum est, eum cogi legata præstare, quia bonorum possessionem petierit, cum & sine hac hæreditatem habiturus sit suo iure. *Concordat l.si duo.16. ff.eod.tt. cuius uerba uide ī. quæst. 3.reg.3. Planè hoc casu filius emancipatus hæres scriptus legata debet. Quæ replicatio approbatur d.l.16. Concordat item l.filium.20.§.legata. ff.de bonor. possess.contra tabulas, his uerbis:* Legata ex parte sua iste emancipatus liberis & parentibus præstare cogetur, non solida, sed deminuta in dimidium quod relinquitur manenti in potestate. sed nec aduersus eum constituendæ actionis legatorum ratio est: quia mero iure intestato hæres extitit. *Decima exceptio est: Nisi is qui est in potestate defuncti, simul cum emancipato præterito petere posit contra tabulas bonorum possessionem. Hæc exceptio approbatur d.l.15. §. unde etsi duo, his uerbis:* Si duo præteriti sunt, emancipatus, & is qui in potestate est: quidam nec emancipatum præstare debere legata existimant, quia affectus patris aufert partem dimidiam: cum etsi hic non peteret, suus solus rem habiturus esset. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi is qui in potestate est, non præteritus, sed scriptus sit hæres. Hæc replicatio approbatur d.l.15. §.quid ergo, his uerbis:* Quid ergo est, ubi præteritus sit suus? uerius est quod dictum est: ubi uerò scriptus est, & uoluntatem patris habeat, teneri legatarijs, etiamsi omiserit bonorum possessionem. *Undecima exceptio est: Nisi pater præteritus contra tabulas bonorum possessionem petens, legitimam sit consecutus. Quæ exceptio approbatur l.Paconius.3.§.fin. ff.si à parente quis manumiss. cuius uerba uide ē.lib.prox.cap.4.except.40.replic.12.* Duodecima exceptio est: *Nisi patronus præteritus contra tabulas bonorum possessionem petierit. Hæc exceptio approbatur Instit. de successione libertorum. §.sin autem fine. ibi: ita fine onere. cuius uerba uide ē. lib.22 cap.7. quæst.4. reg.1. except.2.* Decimatertia exceptio est: *Nisi non legatum sit exceptis personis, sed hæredes sint institutæ. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ dicentur ī.eod.capite, quæst.4.reg.1.* Decimaquarta exceptio est: *Nisi mortis causa donatum sit exceptis personis. Et hæc exceptio reprobatur ī.d.quæstione 4.reg.2.*

II. QVIBVS competat actio proposita, definitur *l.1.in prin. ff.de legat.præstandis. cuius uerba uide ē.eod.cap.in princ. Concordat l.1.C.de bonor.possess.contra tabulas, his uerbis:* Liberi contra tabulas parentum bonorum possessione admissa, solis parentibus & liberis legata præstare secundum edictum debent.

De

De liberis exceptiones.

Prima exceptio: Nisi non filij, sed nepotes uel pronepotes sint defuncti. Hæc exceptio reprobatur l.1.§. generaliter.ff.d.tt.his uerbis: Generaliter parentes & liberos Prætor excipit, nec gradus liberorum parentúmue enumerauit. In infinitum igitur eis præstabitur. *Concordat l. ult.§.is cuius, in fine.ff.eod.tt. cuius uerba uide ē.lib.31. cap.8.quæst.1.except.13.replic.1.duplic.6.tripl.2. Concordat item d.l.ult.§.fin. his uerbis:* Si fortè ex filio qui in adoptione erat, retinuerat neporem unum pluréue: indubitatè pro ea parte tuendus est, pro qua parte tueretur, si ex filia nepos aut mater defuncti hæredes instituti essent: nam his comparatur. *Secunda exceptio est: Nisi liberi sint ex fœmineo sexu descendentes. Et hæc exceptio reprobatur d.§.generaliter, his uerbis:* Sed nec personas persecutus est, utrum ex uirili sexu, an ex fœmineo descenderent. Quisquis igitur ex liberis parentibusq; fuerit, ad legati petitionem admittetur: sed ita demum, si iura cognationis sint inter eos. *Tertia exceptio est: Nisi liberi ius cognationis non habeant. Hæc exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed ita demum, si iura cognationis sint inter eos. *Quarta exceptio est: Nisi in adoptionem sint dati liberi. Hæc exceptio reprobatur d.l.1. §. liberos autem. ff. de legat.præstand. his uerbis:* Liberos etiam eos ad legatorum petitionem admittimus, qui in adoptionem dati sunt: uel etiam adoptiui, dummodò remaneant liberi. *Quinta exceptio est: Nisi adoptiui liberi sint emancipati. quæ exceptio approbatur uerbis iam propositis hisce:* Dummodò remaneant liberi. *Huius exceptionis & supradictæ tertiæ replicatio hæc est: Nisi tempore quo dies legati cedit, inter liberos sit, nec emancipatus. hoc enim casu, quamuis adoptiuus postea emancipatus sit, uel naturalis ius cognationis postea amiserit, nihilominus illi datur actio. Quæ replicatio approbatur l. interuenit.24.ff.eod.tt.his uerbis:* Interuenit illa quæstio, quando de liberorum numero esse debeat is cui legatum datum est, ut id ferre possit à filio contra tabulas bonorum possessionem accipiente? & placet, sufficere in ea necessitudine tunc esse, quando dies legari cedit. *Sexta exceptio est: Nisi posthumi liberi sint. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.fin. cum l.sequente. ff. de legatis præstandis, hisce uerbis:* Posthumis liberis legata relicta utiq; præstabuntur: & ideo si prægnante uxore filius fuerit emancipatus, & bonorum possessionem contra tabulas acceperit, legatum nepoti præstare debebit. *Septima exceptio est: Nisi excepta persona, cui legatum est, contra tabulas bonorum possessionem acceperit. Hæc exceptio approbatur l.filium.5.§.omnibus.ff.d.tt. his uerbis:* Omnibus liberis Prætor legata præstari uoluit, exceptis his liberis, quibus bonorum possessionem Prætor dedit ex causis suprascriptis. Nam si dedit bonorum possessionem, non putat legatorum eos persecutionem habere. Constituere igitur apud se debet, utrum contra tabulas bonorum possessionem petat, an uerò legatum persequatur. Si elegerit contra tabulas, non habebit legatum: si legatum elegerit, eo iure utimur, ne petat bonorum possessionem contra tabulas. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi inutiliter bonorum possessionem petierit. Hæc replicatio approbatur d. l.5. §.si quis contra, his uerbis:* Si quis contra tabulas bonorum possessionē acceperit, deinde postea apparuerit eum ex his liberis non fuisse, qui eam bonorum possessionem accipere possunt, ex his tamen esse quibus legata præstantur: obtinuit, non esse ei denegandam petitionem legatorum, siue ordinariam bonorum possessionem petierit, siue Carbonianam. *Concordat l.qui filium. 25. §.is cuius. ff.eod.tt. cuius uerba uide ē. lib.31.capite 8. quæst.1.except.13.replic.1.duplic.6.triplic.2. Secunda replicatio est: Nisi is qui contra tabulas bonorum possessionem accepit, non legatum, sed quid aliud ex testamento petat. Hæc replicatio reprobatur d.l.5.§. non solùm, his uerbis:* Non solùm legatum denegatur ei qui bonorum possessionem accepit, uerùm etiam si quid aliud ex uoluntate acceperit. Cui consequens est quod Iulianus scripsit, Si fratri suo impuberi substitutus sit, acceperitque contra tabulas bonorum possessionem, denegari ei persecutionem hæreditatis fratris sui impuberis mortui, cui à patre substitutus est. *Tertiæ replicatio est: Nisi alio edictum committente, filius hæres scriptus contra tabulas bonorum possessionem acceperit. Hæc replicatio reprobatur l.bonorum.22.ff. de legatis præstandis, his uerbis:* Bonorum possessione contra tabulas testamenti emancipato filio præterito data, scriptus hæres alter filius, qui bonorum possessionem accepit, uel iure ciuili contentus non accepit, legata præcipua non habebit. *Contradicit l.qui filium.25. §.is cuius. ff.eodem titulo. cuius uerba uide ē. libro 31. capite 8. quæst.1. except.13. replic.2. duplic.6. triplicat.2.*

De parentibus exceptiones.

Prima exceptio: Nisi non patri, sed auo uel proauo defuncti sit legatum relictum. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.generaliter.ff.de legat.præstandis. cuius uerba uide paulò superius de liberis, except.1. Secunda exceptio est: Nisi ius cognationis non habeat. Hæc exceptio approbatur d.§.generaliter. cuius uerba uide paulò superius de liberis, except.2. & 3. Reliquas huiusmodi exceptiones uide paulò superius de liberis.

De fratre & sorore defuncti.

His non datur hæc actio. Quæ regula approbatur l.sed & si.3. §.1. ff.de legatis præstandis, hisce uerbis:

Liberis

Liberis tantùm & parentibus Prætor prospexit, non etiam fratri conseruauit legatum, & sorori.

De uxore nuruq; testatoris exceptiones.

His etiam regulariter, accepta contra tabulas bonorum possessione, legati actio non denegatur, ut ex supradictis patet. Eius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non dotis nomine illis sit relictum. Hæc exceptio approbatur l.uirilis.8.§.si quid uxori.ff.de legatis præstandis, hisce uerbis: Si quid uxori nuruiq; fuerit legatum præter dotem, accepta contra tabulas bonorum possessione, non præstabitur. *Secunda exceptio est: Nisi non nurui, sed pronurui dotis nomine sit legatum. Hæc exceptio reprobatur d.l.8.§.nurus, his uerbis:* Nurus autem appellatione & pronurum cæterasq; contineri, nulla dubitatio est. *Tertia exceptio est: Nisi non res dotalis, sed aliud pro dote sit legatum. Hæc exceptio reprobatur d.l.8.§.fin. his uerbis:* Non solùm dotem prælegatam Prætor complectitur, uerùm etiamsi pro dote aliquid fuerit relictum: utputa si dos in rebus, & pro rebus ei quantitas relinquatur, uel contrà: dum tamen nominetur, quod pro dote relinquitur. *Quarta exceptio est: Nisi plus sit in legato quàm in dote. Et hæc exceptio reprobatur l.sed & si.9.ff.eod.tt. his uerbis:* Sed & si plus sit in legato quàm in dote, dabitur illis actio. *Quinta exceptio: Nisi non legatum sit, sed dotis nomine hæres scripta. Hæc exceptio reprobatur d.l.10.in prin.ff.d.tt. his uerbis:* Sed & si pro dote ex parte aliqua eandem hæredem scripserit, tuendam esse puto. *Sexta exceptio: Nisi legataria mortis tempore uxor non fuerit. Hæc exceptio approbatur d.l.10.§.1. his uerbis:* Esse autem uxorem mortis tempore, exigemus. *Septima exceptio est: Nisi cum nurui des legata esset, ea mortis tempore filio defuncti adhuc sit nupta. hoc enim casu, cùm constante matrimonio dotis actio non detur, nec legati petitio est concedenda. Hæc exceptio approbatur d.l.10.§.si nurui, his uerbis:* Si nurui dotem prælegauerit, eaque mortis tempore nupta sit, nullum est legatum: quia dos nondum debebatur. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi in ijs casibus, in quibus constante matrimonio etiam dotis actio datur. Quæ replicatio approbatur d.§.si nurui, his uerbis:* Sed & cùm constante matrimonio aduersus hæredes soceri dabitur actio: dicendum est, etiam prælegatæ dotis petitionem dari debere. *Octaua exceptio est: Nisi legataria dotem non dederit. Hæc exceptio approbatur l.is qui.15.§.ei quæ.ff.de leg.præstan. his uerbis:* Ei quæ dotem non habet, nullum legatum debebitur, licet sub prætextu dotis legetur.

III. ADVERSVS QVOS DATur hæc actio?

Prima regula, De eo qui contra tabulas bonorum possessionem accipit. Hic regulariter hac actione tenetur. Quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt §. eod.cap.in prin.

Secunda regula, De hærede instituto, qui commisso ab alio edicto bonorum possessionem contra tabulas accepit. Hic quoq; proposita actione tenetur. Quæ regula approbatur l.filium.5.§.fin.ff.de leg.præstan. contra tabulas bonorum possess. petit. cuius uerba uide §. quæst.prox.reg.5. Concordat l.is qui.15.§.sed si unus.ff.de legat.præstandis, &c. his uerbis: Si unus emancipatus hæres scriptus sit, alter præteritus, & utriq; contra tabulas bonorum possessionem acceperint: & institutus eadē præstat, quæ præteritus. *Concordat item d.l.15.§.quid ergo. cuius uerba uide §. eod.cap.quæst.1.except.10.in fine. Huius regulæ prima exceptio hæc est: Nisi institutus, omissa contra tabulas bonorum possessione, ex testamento hæreditatem adierit. quæ exceptio reprobatur d.§.sed si unus.ibi: sed si scriptus, his uerbis:* Sed si scriptus quidem adierit hæreditatē, præteritus autem bonorum possessionem acceperit: hic quidem qui bonorum possessionem accepit, certis personis legata debebit. De scripto autem quæritur? Et complures putant, certis personis & eum præstare debere. Quod puto uerius esse. Nam & Prætor hac ratione eum tuetur, quòd ex liberis est, qui contra tabulas petere potuerunt. Ita autem tuendus est in partem dimidiam, si aut ex maiore parte quàm dimidia hæres institutus sit, aut ex semisse. Quòd si non ex maiore parte quàm dimidia hæres institutus sit: dicimus, non ex maiore parte quàm institutus sit, tuendum eum esse. Qua enim ratione maiorem partem habere potest, cum nec bonorum possessionem acceperit, nec ex maiore parte hæres institutus sit? *Concordat d.l.15.in prin. ibi: ubi uerò scriptus. cuius uerba uide §. quæst.1.except.10. Concordat item l.si duo.16. in fine. ff.eod.tt. cuius uerba uide §. reg.prox. Altera propositæ regulæ exceptio est: Nisi pater nepotis cui prælegatum est, contra tabulas bonorum possessionem petierit. hoc enim casu uidetur solus hæres institutus teneri. Verùm exceptio hæc reprobatur l.nepos.18. cum l.sequente. ff.eod.tt. his uerbis:* Nepos qui in potestate remansit, & filius suus, hęredes instituti sunt. nepoti legatum dedit. pater eius emancipatus petit bonorum possessionem. nepos legato contentus est. quidam in eum solum, qui in potestate esset, legati actionem nepoti dandam, responderunt: quia nihil auferat ei, & emancipatus filij sui partem occupet, in qua onus legatorum non consisteret. sed rectius dicetur, in emancipatum solum dandam esse actionem nepoti, & quidem non ultra quadrantem. Quia etsi omnes petiissent bonorum possessionem, semis nepotis inter eum & patrem eius diuideretur.

Tertia regula, De eo qui in potestate defuncti mansit præsit præterito, proponitur l.si duo.16. ff.d.tt. his uerbis: Si duo proponantur esse, unus in potestate præteritus, alius emancipatus institutus, apparet commissum esse edictum per eum qui in potestate est: & si ambo petijssent cō tra tabulas bonorum possessionem, is quidem qui in potestate remansit, cum rem ab intestato habeat, non præstabit liberis & parentibus legata: emancipatus uerò nunquid nec ipse præstat, quia ei rem auferet, qui præstaturus non erat, si solus esset? sed uerius est, uel hunc saltem debere liberis & parentibus præstare legata. Proinde si contra tabulas non acceperit, dicendum est, tuendum eum in partem, & utiq; liberis parentibusq; legata præstaturum. sed an & omnibus, dubito? tamen quia plena fruatur uoluntate, plenum etiam obsequium præstare testatoris iudicio pro sui parte debet. *Concordat l.filium.20.§.legata. ff.de bonorum possess. contra tab. Sed quod ad eum qui in potestate mansit, de eo dictum §. eod.cap.quæst.1.except.9.*

Quarta regula: Pluribus contra tabulas bonorum possessionem petentibus, aduersus omnes datur actio, quamuis unus ex scriptis hæredibus nominatim sit rogatus. quæ regula approbatur l.nunquam.14.§.fin.ff. de legat.præstan. his uerbis: Si ab uno ex filijs hæredе instituto nominatim alicui ex liberis parentibusq; legatum datum sit, & acceperit bonorum possessionem contra tabulas cum alijs: melius est probare, omnes qui cō tra tabulas bonorum possessionem accepe rint, cogendos id legatum præstare.

Quinta regula, De substituto hæredis scripti, proponitur l.ab exhæredati.123.§.sed si committente. ff.de leg.1. his uerbis: Si committente aliquo ex liberis in edictum Prætoris, quo contra tabulas bonorum possessionem pollicetur, scriptus quoque filius contra tabulas bonorum possessionem petierit: substitutus eius legata pro modo patrimonij, quod ad filium peruenit, præstabit perinde, ac si id quod per bonorum possessionem filius habuit, à patre accepisset. *Concordat l.filium.5. in prin.ff.de legatis præstandis contra, &c. cuius uerba uide §. lib.31.capite 8. quæst.4.reg.1.except.4. Concordat item l.ult.§.fin.ff.de leg.3. cuius uerba uide §. cap.7.reg.20.*

Sexta regula, De liberis emancipati, qui cum ipso coniunguntur, proponitur l.2.ff.de coniungendis cum emancipato liberis, hisce uerbis: Nihil in hac parte edicti cauit Prætor, ut legata exceptis personis nepos præstet: sed potest superior sermo & ad hunc casum referri. nam absurdum est, patrem quidem eius legata præstare: ipsum uerò plus habere, cùm eadem conditione in eandem partem uocetur.

IIII. QVID ET QVANtum ueniat in hanc actionem?

Prima regula: Non solùm legatum, sed & hæreditatis portio exceptæ personæ, si hæres sit instituta, conseruatur. quæ regula approbatur l.filium.5.§.sed si portio.ff.de legat.præstandis, hisce uerbis: Si portio hæreditatis fuerit adscripta ei, qui ex liberis paventibúsue est, an ei conseruanda sit, ut solent legata? & Iulianus sæpissimè scripsit, in portione quoq; hæreditatis idem quod in legato probandum. Cuius sententia rescripto diui Pij Antonini comprobata est, cùm hæreditates non modò honesto titulo, sed & pleniore honore tribuantur. Ad eum autem modum talibus personis succurrēdum est, ut ampliore quidem quàm uirili portione hæreditatis data, usq; ad uirilem tueantur: in minore autem eatenus actiones his tribuantur, quatenus scriptæ sunt. Idem obseruatur & circa legata & fideicommissa, quæ his data fuerint, & in mortis causa donationibus. *Concordat l.nam secundum.7.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.5. Concordat item l.sed & si.10. in princip.ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius quæst.2.de uxore, except.5. Concordat item l.uirilis.8. §.si quis ex.ff.eod.tt. his uerbis:* Si quis ex liberis parentibusq; hęres institutus sit, & legatum acceperit, utrum tantùm portionem ei conseruamus, an uerò & legatum, an alterum quod elegerit? & magis est, ut utrunq; conseruetur: sed sic, ne amplius in utroq; quàm uirilem habeat.

Secunda regula, De mortis causa donationibus, proponitur l.sed & si.5.in prin.ff.de leg.præst. his uerbis: Sed & si mortis causa donationes sunt collatæ, credo quòd tuendæ sunt: si autem exceptæ non sunt, inferendas eis puto mortis causa donationes.

Tertia regula, De uirili portione. Exceptis personis non nisi uirilis portio uel legati uel hæreditatis hac actione debetur. quæ regula approbatur l.uirilis.8.§.si quis ex liberis.ff.de legat.præstandis. cuius uerba uide paulò superius reg.1.in fine. Declaratur hæc regula d.l.8.in prin. his uerbis: Virilis portio quemadmodum accipienda sit, uideamus? pone duos esse, qui contra tabulas bonorum possessionem accipiunt: unum esse ex liberis parentibusque, uirilis tertia erit portio. Sed si tres sunt, qui contra tabulas bonorum possessionem acceperint, quarta erit uirilis. Hocidem & in legatis obseruabitur. Sed si unus sit ex liberis, qui accepit contra tabulas bonorum possessionem, plures sint qui ex liberis parentibusque legata acceperint: sic hoc accipiendum est, ut filius præteritus semissem habeat, cæteri omnes, qui sunt ex liberis parentibúsue, semissem. *Concordat l.Saluius.6.ff.eod.tt. his uerbis:* Saluius

Saluius Aristo Iuliano suo salutem. Qui filium emancipatum habebat, præterito eo patrem suum & extraneum hæredem instituit,& patri legatum dedit. filius contra tabulas bonorum possessionem petit. quæro, si aut uterq; hæreditatem adijsset, aut alter ex his, aut neuter, an & quantum legatorum nomine patri debeatur? Iulianus respondit: Sæpe animaduerti, hanc partem edicti, qua emancipatus accepta contra tabulas bonorum possessione, liberis & parentibus legata præstare iubetur, habere nonnullas reprehensiones. nam si dodrans legatus sit, plus habiturus est is, cui legatum erit, quàm emancipatus. Decreto itaque ista temperari debebunt, ut hæreditatis partem emancipatus præstet, ita ne scriptus hæres amplius habeat, quàm emancipatus: & legatorum modus temperetur, ut nihil plus ex legatis ad aliquem perueniat, quàm apud emancipatum bonorum possessionis nomine remansurum est. *Concordat item l. nam secundum. 7. ff. eod. tt. his uerbis:* Secundum constitutionẽ diui Pij ad Tuscium Fuscianum, Numidiæ legatum, placuit parentes & liberos hæredes quoque instituros tueri usque ad partem uirilem, exemplo legatorum, ne plus haberent ex institutione tales personæ, quàm ad eum peruenturum esset, qui contra tabulas bonorum possessionem accepit. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi excepta persona non ex legato uel ex institutione plus habeat uirili portione, sed ex mortis causa donatione. Hæc exceptio reprobatur l. si filius. 20. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si filius emancipatus contra tabulas bonorum possessionem petierit, tuendos quidem liberos ac parentes constat: sed si uariè donatũ fuerit exceptis personis à testatore, mortis causa donata conferent ad uirilem emancipato, sicut accidit in portionibus hæreditarijs & legatis, &c. *Reliqua huius legis uerba uide ĵ. libro 35. cap. 4. quæst. 2. except. 4. Secunda exceptio est: Nisi excepta persona ex institutione uel legato minus habeat, quàm uirilis est portio: tunc enim tantum ei debetur, quantum ei in institutione uel legato est relictum. quæ exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ. lib. 31. capite 8. quæst. 3. reg. 2. except. 1.*

Tertia exceptio est: Nisi uxori uel nurui dotis nomine sit legatum, uel portio hæreditatis relicta. Hæc exceptio approbatur l. uirilis. 8. ş. cum autem. ff. de legatis præstandis, hisce uerbis: Cum dotis nomine legatum est, non puto ad uirilem uxorem nurúmue reducendam, cum mulier ista ad æs alienum ueniat.

Quarta regula: Aucta uel diminuta portione hæreditatis ei qui hæres scriptus est, pro ea quoq; portione exceptis personis legata præstare tenetur. de qua regula dictum ẽ. cap. 7. reg. 20. Idem iuris est, si repudiante hærede scripto, eius portio adcrescat emancipato. Quod approbatur l. si portio. 21. ff. de leg. præstandis, his uerbis: Si portio hæreditatis, quam excepta persona beneficio legis habere potuit, respueretur: pro ea quoq; parte filius, qui bonorum possessionem acceperit, non alijs quàm exceptis personis legata præstabit.

Quinta regula: Legata item extraneis relicta, liberorum & parentum legata augent, quo minus quarta ex ijs retineri possit. quæ regula approbatur l. filium. 5. ş. fin. ff. de leg. præstan. hisce uerbis: Is cui portio hæreditatis conseruatur, utrum omnibus, an tantùm exceptis personis legata cogatur præstare? & magis probatur, exceptis personis solis præstanda. Nec tamen solius commodo id cedit. nam si legatis onerata sit portio tam liberorum parẽtúmue, quàm extraneorum: id quod extraneis non præstatur, liberis parẽtibusq; profuturum non dubitamus. Igitur ita demum, quod extraneis non præstatur, communicatur cum eo qui contra tabulas petit, si non legatarijs liberis parentibusq; dandum sit. *Concordat l. & si contra. 33. ibi: ita ut augeantur. ff. de uulgari substit. cuius uerba uide ẽ. cap. 7. reg. 20. Concordat item l. si extraneo. 53. in princ. ff. de usufructu & quemadm. his uerbis:* Si extraneo, &c. *Contradicit d. l. 5. ş. si legata. ff. de leg. præstan. hisce uerbis:* Si legata fuerint relicta liberis & extraneis, licet utrorumq; præstatio legi Falcidiæ locum faceret, legataque liberorum recíderent: tamen non ob hoc, quòd extraneis non præstantur, legata liberorum augentur. *Sed de hac re ĵ. capite proximo dicetur.*

DIGE-

DIGESTORVM LIBER TRICESIMVS QVARTVS:

DE QUIBUSDAM LEGATI SPECIEBUS.

Hactenus de legatis in genere est actum: nunc de ijs in specie agendum, & primùm quidem de eo, si ultra dodrantem bonorum suorum quis legauerit: de qua legati specie lex Falcidia est lata.

DE LEGE FALCIDIA. Cap. I.

PRIMO': *Causa & uerba legis Falcidiæ proponuntur l. 1. in prin. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Lex etiam Falcidia lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit, his uerbis: Qui ciues Romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatã testamentum facere uolet, ut eam pecuniam easq; res, quibusq; dare legare uolet, ius potestasq; esto. ut hac lege sequẽti licebit. Secundo capite modum legatorum constituit, his uerbis: Quicunq; ciuis Romanus post hanc legem rogatam testamentum facíet, is quantam cuiq; ciui Romano pecuniam iure publico dare legare uolet, ius potestasq; esto: dum ita detur legatum, ne minus quàm partem quartam hæreditatis ex eo testamento hæredes capiant. Eis quibus quidita datum legatúmue erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto: isq; hæres, qui eam pecuniam dare iussus damnatúsue erit, eam pecuniam debeto dare, quã damnatus est. *Concordat insti. eod. tt. in prin. his uerbis:* Supereſt, ut de lege Falcidia dispicia mus, qua modus nouissimè legatis impositus est. Cum enim olim XII. Tabularum lege libera erat legãdi potestas, ut liceret uel totum patrimonium legatis erogare (quippe cum in ea lege cautum esset, Vti quisque legasset suæ rei, ita ius esto) uisum est hanc legandi licẽtiam coartare: idq; ipsorum testatorum gratia prouisum est, ob id quòd plerunque intestati moriebãtur, recusantibus scriptis hæredibus pro nullo aut minimo lucro hæreditatem adire. Et cum super hoc tam lex Furia, quàm lex Voconia latæ sunt, quarum neutra sufficiens ad rei consummationem uidebatur: nouissimè lata est lex Falcidia, qua cauetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorũ: id est, ut siue unus hæres institutus sit, siue plures, apud eum eósue pars quarta remaneat. *Concordat item l. in quantitate. 73. ş. fin. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Optimum quidem est, statim ab initio ita testatorem distribuere legata, ne ultra dodrantem relinquat. quòd si excesserit dodrantem, pro rata portione per legem ipso iure minuuntur. uerbi gratia, si is qui quadringenta in bonis habuit, tota ea quadringenta erogauit: quarta pars legatarijs detrahitur. Si trecenta quinquaginta legauerit, octaua. Quòd si quingenta legauerit, habens quadringenta: initiò quinta, deinde quarta pars detrahi debet. Antè enim detrahendum est quod extra bonorũ quantitatẽ est, deinde quod ex bonis apud hæredem remanere oporter. *Si ergo quis ultra dodrantem bonorum legauerit, hæres ex omnibus legatis quartam hæreditatis partem potest detrahere. cuius regulæ exceptiones sequuntur.*

I. *Exceptio: Nisi miles in suo testamento legauerit. Hæc exceptio approbatur l. in test. 12. C. de testam. militis, hisce uerbis:* In testamento militis legẽ Falcidiam & in legatis & fideicommissis cessare, explorati iuris est. Sanè si quid ultra uires patrimonij postulatur, competenti defensione tueri te potes. *Concordat l. in testamento. 7. in princ. C. ad l. Falcid. cuius uerba uide ĵ. cap. prox. quæst. 5. reg. 4. except. 4. distinct. 2. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ueteranus fuerit miles. quæ triplicatio approbatur l. ad ueter. 40. in prin. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Ad ueterani testamẽtum (siue paterfamiliãs, siue filiusfam. sit) licet intra annum missionis decedat, lex Falcidia pertinet. *Secunda replicatio est: Nisi non in militia, sed ante uel post legauerit. Hæc replicatio approbatur l. si post. 17. ff. eod. tt. his uerbis:* Si post missionem faciat codicillos miles, & intra annũ decedat: ex testamento, quod in militia iure militari fecit, plena legata, ex codicillis habita Falcidiæ ratione præstari debere dicitur. sed res ita expedietur: si cũ quadringenta haberet, testamento quadraginta, codicillis centum legauerit: ex quinta parte, id est octoginta, quę ad legatarium ex codicillis peruenirent, si Falcidiam non pateretur, quartam, id est uiginti, retinebit. *Cõcordat l. si miles. 91. ff. eod. tt. cuius uerba paulò ĵ. proponentur. Concordat item l. ult. ff. eod. tt. his uerbis:* Miles, si dum paganus erat, fecerit testamentum, militiæ tẽpore codicillos: lex Falcidia

in codicillis locum non habet, in testamento locũ habebit. *Concordat item l.si certarum.17. §.fin.cum l.sequente. ff. de militari testam. his uerbis*: Si miles testamentũ in militia fecerit, codicillos post militiam, & intra annũ missionis moriatur: plerisq; placet, in codicillis iuris ciuilis regulã spectari debere, quia non sunt à milite facti: nec ad rẽ pertinere, quòd testamento confirmati sunt: ideoq; in his legatis, quæ testamento data sunt, legi Falcidiæ locum non esse: at in his quæ codicillis scripta sunt, locum esse. Si uerò composita utraque legata, tam quæ testamento, quàm quæ codicillis data sunt, ultra dodrantem sint: quæritur, quatenus minuantur ea, in quibus Falcidia locum habet? Commodissimè autem id statuetur, ut ex uniuersitate bonorum in solidum solutis legatis, quæ testamento miles dederat, id quod supererit, pro dodrante & quadrante diuidatur inter hæredes & eos quibus codicillis legata data sunt. Quid ergo, si cõsumant uniuersorũ bonorum quantitatẽ legata quæ testamento data sunt, utrum nihil ferent hi quib. codicillis legatũ est, an aliquid? & quoniam, si adhuc miles hoc quoq; legasset, contribuerentur omnia, & pro rata ex omnibus decederet ea portio, quam amplius legauerat, quàm in bonis habuerat: nunc quoq; idem fiat. deinde constituta quãtitate legatorum, quæ codicillis data sunt: ex summa quæ efficiebatur debita, si æquo iure omnia deberentur, quartã deducent his solis, quib. codicillis legata sunt. Quòd si post utraq; legata solida computata deprehẽderetur, quod remaneat apud hæredem, non tamen sufficiens quartæ eorũdem legatorum: quod ei deest, derrahatur his solis, quibus codicillis legata data sunt. *Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi miles qui iure militari legauit, annũ post missionem superuixit. Hæc replicatio approbatur l.si miles.91.ff.ad l.Falcid.his uerbis*: Si miles testamento facto partem dimidiam hæreditatis suæ tibi restitui iusserit, deinde post missionem factis codicillis, alteram partẽ Titio restitui rogauerit: siquidem post annum missionis suæ decesserit, & tibi & Titio quartam partem retinebit: quia eo tẽpore testator decesserit, quo testamẽtum eius ad beneficium principale pertinere desierat. si uerò intra annum missionis decesserit, solus Titius deductionem quartæ partis patietur: quia eo tẽpore fideicommissum ei relictum est, quo testator iure militari testari non potuit.

II. *Exceptio: Nisi testator apud hostes decesserit. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.lex Falcidia.ff.ad l.Falcid.his uerbis*: Lex Falcidia etiã ad eos qui apud hostes moriuntur, propter legem Cornelią pertinere uidetur: quod ea lex perinde eorũ testamenta confirmat, atq; si in ciuitate decessissent: propter quã fictionem & lex Falcidia, & omnes testamentariæ pertinent, quæ tamen possint locũ habere. *Concordat l.si filius.18 §.nec huic contrarium. ff.eod.tt. cuius uerba uide ĩ.cap.3.quæst.1.except.3.*

III. *Exceptio: Nisi à principe legatum sit relictũ. Hæc exceptio approbatur l.si legatus.30.§.fin. ff. ad S.C.Trebell. his uerbis*: Et hæredem institutum rogatum q; hæreditatẽ restituere, percepta aliqua summa uel re, etiamsi in perceptione minus quàm quarta pars esset, nõ amplius principem se uindicaturum. pariter & si sine ulla perceptione rogatus fuerit hæreditatem restituere, plerunq; quarta donata est à principe: & ita diuus Traianus, & Hadrianus, & Antoninus rescripserunt.

IIII. *Exceptio: Nisi hæres id egerit, ut fideicõmissum intercidat. Hæc exceptio approbatur l.beneficio. 59.ff.ad l.Falcid. his uerbis*: Beneficio legis Falcidiæ indignus esse uidetur, qui id egerit, ut fideicommissum intercidat.

V. *Exceptio: Nisi hæres tacitam fidem accommodauit ad restituendum ei qui capere non potest. Hæc exceptio approbatur d.l.59. his uerbis*: Præterea & qui non capienti rogatus est restituere hæreditatem, senatusconsulto Plautiano nõ conceditur quartam retinere: sed ea quarta, quam non retinuit, ad fiscum pertinet ex rescripto diui Pij. *Concordat l.hæres.11. ff.de his quæ ut indignis. cuius uerba uide ĩ.repl.2. Ait Iurisconsultus*: Sed ea quarta, quam non retinuit, ad fiscum pertinet. *Huic concordat l.etiamsi. 3.C.ad l.Falcidiam, his uerbis*: Etiamsi tacitum fideicommissum hæredẽ administrasse apparuerit, legata tamen seu fideicommissa, quæ testamento relicta sunt, præstanda esse, ambigi nõ oportet: ad eum uidelicet modum, quem lex Falcidia patitur: cum quartam quæ aufertur hæredi, qui contra legem fidem suam obtulit, legatarijs proficere non placuit. *Planè propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi is qui tacitam fidem accommodauit, domino uel patre suo uolente hoc fecerit. quæ replicatio approbatur l.si tacitum.13.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis*: Si tacitum fideicommissum seruus iniungente domino susceperit, habiturum eum legis Falcidiæ beneficium, quia parẽre domino debuerit, constitutum est. Idemq; placuit in filia, quæ fuit in patris potestate. *Secunda replicatio est: Nisi in reliqua parte, in qua fraudem non adhibuit. quæ replicatio approbatur l.hæres.11. ff. de his quæ ut indignis, hisce uerbis*: Hæres qui tacitam fidem cõtra leges accõmodauit, in ea parte, in qua fraudem adhibuit, Falcidia non utitur: & ita Senatus cõsuit. sed si maior modus institutionis, quàm fraudis fuerit, quod ad Falcidiam attinet, de superfluo quarta retinebitur.

V I. *Exceptio: Nisi principi legatum sit relictum. Hæc exceptio reprobatur l.& in leg.4.C.ad l.Falcidiam, his uerbis*: Etin legatis principi dãtis legẽ Falcidiam locum habere, meritò diuo Hadriano placuit.

V I I. *Exceptio: Nisi municipib. uel ecclesiæ legatum sit relictum. Et hæc exceptio reprobatur l.1.§.ad municipum. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis*: Ad municipum quoq; legata, uel etiam ea quæ Deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet.

V I I I. *Exceptio: Nisi captiuis uel pauperibus fideicommissum sit relictum, uel hæreditas. quæ exceptio approbatur l.si quis.37.C.de episcopis & clericis. cuius uerba cum concordantib. uide §.lib.28. cap.11.except. 90.repl.4.*

I X. *Exceptio: Nisi hæredi sit prælegatum. Hæc exceptio reprobatur l.quod.15.§.fideicommissum.ff.ad l.Falcid. his uerbis*: Fideicommissum portionis supplendæ gratia, pro qua matrem filius hæredem instituit, eidem matri datum, ratione Falcidiæ minuetur, & eam pecuniã mater supra quartam suæ portionis percipiet. *Concordat l.cohæredib.17.C.ad l.Falc.his uerbis*: Cohæredibus relicta legata, quatenus modus legis Falcidiæ præstitutus patitur, posse peti, certissimi iuris est. *Planè exceptio proposita admittitur, si hæredibus inuicẽ alteri ab altero sit legatũ: ut si is cui ab altero prælegatum est, alteri quoq; aliquid restituere sit rogatus. quæ distinctio approbatur l.Nesen.22.in prin.ff.d.tt.his uerbis*: Nesennius Apollinaris Iulio Paulo: Ex facto domi næ species eiusmodi incidit. Titia filias suas tres numero æquis ex partibus scripsit hęredes, & à singulis legata inuicem dedit: ab una tamen ita legauit tam cohæredibus eius, quàm extraneis, ut Falcidiæ locus sit. quæro, an aduersus cohæredes suos, à quibus legata & ipsa accepit, uti possit Falcidia: & si non possit, uel doli exceptione submouenda sit, quemadmodum aduersus extraneos computatio Falcidiæ iniri possit? Paulus respondit: Id quidem quod à cohærede legatorum nomine percipitur, non solet legatarijs proficere, quo minus Falcidiam patiantur: sed cum is qui legatũ præstaturus est, ab eodem aliquid ex testamẽto petit, non est audiendus, desiderans uti aduersus eum Falcidiæ beneficio, si id quod percepturus est, ex uoluntate testatoris suppleat, quod deducere desiderat. Planè cæteris legatarijs non uniuersum, quod cohæredibus præstat, imputabit: sed quantum daturus esset, si nihil ab eo percepisset. *Concordat l.filio.91.ff.eod.tt.his uerbis*: Filio & filia scriptis hæredibus, singulis certa prælegauit, sed longè minus filiæ, cui etiam domum obligatam prælegauit cum instrumẽtis, & quidquid ibi fuerit, & adiecit hęc uerba: Sed ea conditione lego, ut quidquid æris alieni in ea domo erit, Titius libertus filij mei soluat, & fit eis utrisque domus communis. Quæsitum est, si filia legis Falcidię beneficio uti uolet ad quartam retinendã, an ex hæreditate, quę ei relicta est, deducto ære alieno, eius quod superfuerit quartam consequi debeat? Scæuola respondit, iurę quidem id postulaturam: uerùm non aliàs ea quæ ei data sunt accepturam (si modò ea quartam suppleant) quàm uoluntati defuncti soluendum præstando parẽret. *Secundò admittitur exceptio proposita, si impuberi instituto sit legatum: tunc enim, si hæreditas ad substitutum peruenerit, ex hoc legato Falcidia non deducitur. quæ distinctio approbatur l.cum pater.60. in princ. ff. ad l. Falcid. cuius uerba uide ĩ.cap.proxim. quæst.5. reg.12. Tertiò admittitur exceptio, si filiofamil.hærede instituto, pater restituere ei sit rogatus. quæ distinctio approbatur l.cum filiofam.11.uersi.deniq. ff. de leg.1. his uerbis*: Iulianus non insubtili ratione motus, patrem cuius filius hæres institutus esset, extero quidem, habita ratione legis Falcidiæ, restituere hęreditatem ostendit: quoniam ex persona filij teneretur. ipsi uerò filio, non admissa Falcidia. quia ex persona sua sibi filius obligari non posset, ac pater non ut hæres, sed ut pater rogari uideretur.

X. *Exceptio: Nisi exceptæ personæ sit legatum. Hæc exceptio reprobatur l.pater. 28. ff.ad l.Falcid. his uerbis*: Pater quoque in legatis, quæ filius dedit, alio hærede instituto, legis Falcidiæ rationem patitur.

X I. *Exceptio: Nisi res indiuidua sit legata. Hæc exceptio approbatur l.si is.79. §.fin. ff.ad l.Falcid. his uerbis*: Hæc legata, quæ diuiduitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent. *Planè hoc casu hæredi partis quam lex Falcidia auferet, æstimatio præstanda. Quod approbatur d.§.fin. his uerbis*: Sed potest hæredi hoc remedio succurri, ut æstimatione facta legati, denunciet legatario, ut partem æstimationis inferat: si non inferat, utatur aduersus eum exceptione doli mali. *Huius exẽplũ proponitur l.lege. 7.ff.ad l.Falcid.his uerbis*: Lege Falcidia interueniente, legata seruitus (quoniam diuidi nõ potest) non aliter in solidum restituetur, nisi partis offeratur æstimatio. *Aliud exemplum proponitur l.lineam.16. §. fin. ff. eod.tt. his uerbis*: Quæsitum est, an precium statuarum Falcidiam pati debeat? Scæuola respondit, debere. *Plura de hac re uide ĩ.eod.cap.quæst.4.reg.3.*

X I I. *Exceptio: Nisi res aliqua incorporalis sit legata. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.non solùm. ff. eod.tt.cuius uerba uide ĩ.proximè.*

X I I I. *Exceptio: Nisi non testatoris, sed aliena res sit legata. Et hæc exceptio reprobatur d.§.non solùm, his uerbis*: Non solùm ad res proprias testatoris legatas, sed & alienas quoque lex

pertinet: & omne quod ex bonis defuncti erogatur, refertur ad hanc legem, siue in corpore consteterto incertóue, siue pondere, numero, mensura ualeat, aut etiam si ius legatum sit, aut usus fructus, aut quod in nominibus est.

XIIII. Exceptio: *Nisi dos mulieri sit relegata. Hæc exceptio approbatur l. sed usufr. 80. §. dos. ff. ad l. Falc. his uerbis*: Dos relegata extra rationem legis Falcidiæ est, scilicet quia suam rem mulier recipere uidetur. *Plura de hac exceptione uide ĩ. except. 17.*

XV. Exceptio: *Nisi res uxoris causa emptæ paratæ, uxori sint legatæ. Hæc exceptio approbatur d. l. 80. §. fin. his uerbis*: Sed de his quoque rebus quæ mulieris causa emptæ paratæ essent, ut hæ quoq; extra modum legis essent, nominatim ipsa Falcidia lege expressum est.

XVI. Exceptio: *Nisi debitori liberatio sit legata. Hæc exceptio reprobatur l. Nesennius. 22. §. fin. ff. ad l. Fal. de quo ĩ. cap. prox. quæst. 5. reg. 3. exc. 9. replicatione 2. Concordat l. cum pater. 79. §. mater. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ĩ. quæst. 6. reg. 1. Plane uidetur admitti exceptio hæc, si debitor soluendo non sit. uerum & hæc distinctio reprobatur d. §. fin. Cui concordat l. quæreba tur. 81. §. sed cum debitori. ff. eod. tt. his uerbis*: Cum debitori liberatio relinquitur, ipse sibi soluendo uidetur, & (quod ad se attinet) dites est: quippe si ei mortis causa acceptoferatur, id quod debet, scilicet quadringenta, cepisse uidebitur, licet nihil facere possit. sensisse enim liberationem plenam uidetur, quamuis nihil facere possit, si soli ei liberatio relicta est: & ideo Falcidia interueniente, trecenta accepto illi ferri debent, residua centum durabunt in obligatione: & siquidem facere posse cœperit, exigentur ab eo duntaxat usque ad centum. Idemq; erit dicendum, etsi mortis causa accepto ei quadringenta ferantur. Vnde eleganter dicitur, acceptilationem in pendenti fore: ut si quidem mortis tempore quadringenta tota in ueniantur, in trecenta ualeat acceptilatio: si uerò præterea aliquid inueniatur, quod quadrantem suppleat, hæredi in quadringenta acceptilatio proficiat. Quòd si debitor iste quadringentorum duntaxat centum facere potest, quia sibi soluendo est, necesse habebit centum refundere.

XVII. Exceptio: *Nisi debitum creditori sit legatum. Hæc exceptio approbatur l. si creditori. 28. §. fin. ff. de leg. 1. his uerbis*: Marcellus putat, rem quã ex stipulatu mihi debes, si mihi legaueris, utile esse legatum, ut neque Falcidia hoc minuat. *Concordat l. 1. §. idem Iulianus. ff. de dote releg. his uerbis*: Iulian. quærit, si mulieri dos sit relegata, eaque rogata dotem restituere, an Falcidia locum habeat? & negat habere, quoniam fideicommissum quoque negat ualere. quòd si præterea quid uxori legatum sit, putat è residuo fideicommissum præstari, quod utique habita ratione Falcidiæ mulieri præstabitur. *Aliud exemplum proponitur l. si unum. 69. §. 1. ff. de leg. 2. ubi cum hæres uni è familia, cui ipse uellet, dare iussus esset, uni legauerit*: *Papinian. ait*: Si de Falcidia quæratur, perinde omnia seruabuntur, ac si nominatim ei qui postea electus est, primo testamento fideicommissum fuisset relictum. non enim facultas necessariæ electionis propriæ liberalitatis beneficium est. quid enim est, quod de suo uidetur reliquisse, qui quod reliquit, omnimodò reddere debuit? *Huius exceptionis prima replicatio hæc est: Nisi quid amplius debito sit legatum: in eo enim quod excedit, Falcidiæ locus est. quæ replicatio approbatur l. 1. §. si quis. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Si quis creditori suo, quod debet, legauit: aut inutile legatum erit, si nullum commodum in eo uersabitur aut si propter repræsentationis (puta) commodum utile erit, lex quoque Falcidia in eo commodo locum habebit. *Concordat l. uerbis. 5. ff. eod. tt. his uerbis*: Verbis legati uel fideicommissi non necessariò ciuitati relinquitur, quod ex causa pollicitationis præstari necesse est. Itaque si debiti modum testamento dominus excesserit, superfluum duntaxat Falcidia minuetur: quare nec fideicommitti legatarijs poterit. *Concordat item l. 1. §. idem Iulianus. ibi: quòd si præterea. ff. de dote relegata. cuius uerba uide paulò ĩ. Huius replicationis duplicatio est: Nisi ob id quòd in diem, uel sub conditione debitum pure legatum sit, amplius legatum esse censeatur. hoc enim casu eius quod amplius est æstimatio non fit, nec lex Falcidia in eo habet locum. quæ duplicatio approbatur d. l. 5. his uerbis*: Quòd si dies aut conditio legatum fecerit, non utilitatis æstimatio, sed totum petetur quod datum est. *Huic contradicit in alio exemplo l. 1. §. sed & marito. ff. de dote relegata, his uerbis*: Sed & marito ex parte hæredе instituto, à socero dote relegata, legatum dotis Falcidiam passurum: uidelicet, quia adhuc constante matrimonio indebita dos uideatur relegata. uerùm quod Falcidia reciderit, in familiæ erciscundæ iudicio maritum percepturum: quemadmodum totã dotem præciperet, si non esset relegata. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi alij, non creditori debitum sit legatum, ita ut id creditorẽ soluat. Hæc replicatio approbatur exemplo dotis, d. l. 1. §. item quærit, his uerbis*: Quærit Iulianus, si dos alij legata esset, eamque rogatus sit is mulieri restituere, an lex Falcidia in legato locum haberet? & dicit, habere: sed quod minus sit in fideicommisso, mulierem dotis actione consecuturam. Ego quæro, an commoda repræsentationis in hoc legato sic obseruentur, atque si dos ipsi mulieri fuerit relegata? & puto. *Contradicit l. cum dotem. 57. ff. ad l. Falcid. his uerbis*: Cum dotem maritus alicui legauerit, ut uxori restituatur: non habere legem Falcidiam locum, dicendum est. & sanè in plerisque ita obseruatur, ut omissa interpositi capientis persona spectetur. *Tertia replicatio est: Nisi creditori & alij fundus pro debito sit legatus. Hæc replicatio reprobatur exemplo dotis, l. si Seiæ. 10. ff. de dote relegata, his uerbis*: Si Seiæ pro dote centum fundus legatus sit, idemq; Mæuio: quod Mæuio Falcidia aufert, pro eo quasi concursus non fuerit, mulier plus uindicet: quia amplius sit in dote mulieris.

XVIII. Exceptio: *Nisi instrumenta domino prædiorum sint legata. Hæc exceptio approbatur l. si præd. 25. C. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Si prædiorum dotis apud te iure remanentis instrumenta uerbis precarijs, uel testamento, uel codicillis uxor tibi mandauit dari: eius iudicium successores implere compelluntur, cùm instrumentis prædiorum domino relictis, Falcidiæ nulla potest interuenire quæstio.

XIX. Exceptio: *Nisi ultra dodrantem uniuersorum bonorum non sit legatum. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi unius hæredis portio ultra dodrantem legatis sit exhausta. huic enim conceditur portionis suæ quartam partem ex legatis retinere, quamuis à cæteris hæredibus nihil sit legatum. Hæc replicatio approbatur Inst. de lege Falcidia. §. & cum quæritum, his uerbis*: Cum quæsitum esset, duobus hæredibus institutis, ueluti Titio & Seio, si Titij pars aut tota exhausta sit legatis, quæ nominatim ab eo data sunt, aut supra modum onerata: à Seio uerò aut nulla relicta sint legata, aut quæ partem eius duntaxat in partem dimidiam minuunt: an quia is quartam partem totius hæreditatis, aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab ipso relicta sunt, retinere liceret? placuit, ut quartam partem suæ partis saluam habeat: & placuit, quartam posse retinere. etenim in singulis hæredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est. *Concordat l. in fing. 76. ff. eod. tt. his uerbis*: In singulis hæredibus rationem legis Falcidiæ componẽdam esse, non dubitatur: & ideo, si Titio & Seio hæredibus institutis, semis hereditatis Titij exhaustus, Seio autem quadrans totorum bonorum relictus sit, competit Titio beneficium legis Falcidiæ. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cum pupillo duo essent substituti, unius portio sit exhausta legatis, alterius non. hoc enim casu uidetur, quia impubes institutus non potuit uti Falcidia, nec substitutum ea uti posse. Hæc duplicatio approbatur l. 1. §. Marcellus. ff. si cui plus quàm per, &c. his uerbis*: Marcellus ait, qui quadringenta in bonis habebat, impuberem filium hæredem instituit, eique substituit Titium & Seium. si nihil à pupillo testator legauit, sed à Titio trecenta: utrum ducenta (inquit) præstabuntur, an centum quinquaginta? nam trecenta nullo modo eum præstare. mihi uidetur uerius, non amplius eum parte sua erogare compelli, certè nec minus. Secúdum quod eueniet, ut non soli committatur stipulatio, sed omnibus hæredibus interponẽda sit. *Contradicit l. in ratione. 11. §. si filio. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Si filio suo duos substituerit, & alterius portionem onerauerit: tractari solet, an ex persona sua Falcidiam possit inducere substitutus, quam pupillus non haberet, uel unus pupilli substitutus? Et facilè quis dixerit consequenter prioribus, quæ de patrimonij ratione dicta sunt, non esse Falcidiæ locum, & ultra uires portionis conueniendum alterum substitutum. Sed uerior est diuersa sententia, perinde huic quartam relinquendam existimantium, atque si ita patri hæres extitisset. ut enim opes patris, & contributio legatorum inde capiunt & formam & originem: ita plures substituti, subducta persona pupilli, reuocandi sunt ad intellectum institutionis. Quid tamen dicemus de altero substituto, qui non est oneratus: si fortè nondum legata pupillus à se relicta soluerit, & aliquid ultra dodrantem sit: in omnibus & ipsum Falcidiam habiturum? Atquin quartam habet, neq; idem patitur instituti comparatio. Rursus si negemus, aliud apertè quàm quod uulgo probatum est, respondetur. Itaq; uarietas existet, ut is quidem qui proprio nomine oneratus est, ueluti institutus desideret quartam: alter autem, qui non est oneratus, ut substitutus (licet portio eius largiatur) non in solidum conueniatur propter calculi confusionem. *Concordat l. si is. 79. in prin. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Si is qui quadringenta in patrimonio habebat, à filio impubere hærede instituto decenta legauerit, eique Titium & Seium hæredes substituerit, & à Titio centum legauerit: uideamus, quid iuris sit, si nondum solutis legatis pupillus decesserit, & ob id ea legata utrique deberent? solus hæres Titius utetur lege Falcidia. cum enim ducenta ex hæreditate pupilli ad eum pertineant, ducenta legatorum nomine debet: centum ex ducentis quæ pupillus debebat, centum quæ ipse dare iussus est. Itaque ex utraque quantitate quarta deducta, habebit quinquaginta. In persona uerò Seij lex Falcidia non interuenit, cùm ad eum ex hæreditate pupilli ducenta pertineant, & debeat legatorum nomine centum ex ducentis, quæ à pupillo relicta sunt. Quòd si pupillus soluat legata, debent curare tutores pupilli, ut caueant legatarij. *Concordat item l. cohæredi. 39. §*

cohæres.ff.de uulgari substit. cuius uerba uide ȝ.cap. prox.in fine. Plura ad exceptionem propositam pertinentia uide ȝ.cap.prox. de contributione hæreditatum & legatorum.

XX. Exceptio: *Nisi in alimenta legatum relictum sit. Hæc exceptio reprobatur l.diui.88.in prin. ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, pecuniam relictam ad alimenta puerorum Falcidiæ subiectam esse: & utidoneis hominibus collocetur pecunia, ad curam suam reuocaturum Præsidem prouinciæ.

XXI. Exceptio: *Nisi ad monumentum extruendum sit legatum. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.fin. cum l.sequente.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Eum cui pecunia ad faciendum monumentum legata sit,Falcidiam passurum,Marcellus respõdit. Nec amplius concedendum erit,quàm quod sufficiat ad speciem modicam monumenti.

XXII. Exceptio: *Nisi in opus publicum conficiendum, uel ad statuas ponendas sit legatum. Et hæc exceptio reprobatur l.in ponenda.6.§.omnia.C. eod.tt. his uerbis:* Omnia legata, quamuis in operibus publicis conficiendis, statuisque ponendis data sint, ad contributionem dodrantis pro rata suæ cuiusq; quantitatis reuocantur.

XXIII. Exceptio: *Nisi legatum post tempus hæredi à legatario sit restituendum. Hæc exceptio approbatur l.si à me.29.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Si à me tibi fideicommissum uel legatum est, tuq; id post tempus rogatus sis mihi restituere,non puto hoc imputandũ esse in Falcidiam: quia incipio postea quasi fideicommissarius id recipere.

XXIIII. Exceptio: *Nisi seruus ut manumittatur legatus sit. Hæc exceptio approbatur l.si seruus.32. ff. eod.tt.his uerbis:* Si seruus tibi legatus sit,eũq; rogatus sis manumittere, nec præterea capias unde quartam, quæ per Falcidiam retinetur,recipere possis: senatus censuit, cessare Falcidiam. *Concordat l.sed si.36.§.si solus. ff. eod. tt.his uerbis:* Si solus seruus legatus, & fideicommissaria libertate donatus fuerit (licet Falcidia interueniente) totus uindicari petiue potest. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi aliud quid legatum sit,ut seruus manumittatur. tunc enim in eo quod eius rei causa legatum est, legi Falcidiæ est locus. quæ replicatio approbatur l.in test.24. ff. eod.tt. his uerbis:* In testatoris seruo non erit Falcidiæ locus: si uerò pecuniã aliúdue quid legauerit,fideiq; legatarij cõmiserit, ut alienum seruum uel legatarij manumitteret,locus erit. *Concordat l.sed si.36.in prin. ff.eod.tt.his uerbis:* Si nõ seruus ipse legatus sit, sed pecunia, rogatusq; sit legatarius seruũ suum manumittere: Falcidiam patietur, & nihilominus cogetur manumittere: quia tanti æstimasse uidebitur seruũ suum. quòd si alienus seruus fuerit,in eo non plus quàm accepit,ad redimendum cogetur impendere. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi id quod post detractam Falcidiam supereſt,nõ sufficiat ad serui æstimationẽ.quæ duplicatio approbatur l.decem. 6.ff.de fideicom.libert. his uerbis:* Decem legata sunt, & rogatus est legatarius Stichum emere & manumittere.Sed Falcidia interuenit, & minoris seruus emi non potest. Quidam putant dodrãtem accipere legatarium, nec emere cõpellendum. Item putant, si seruũ suum etiam rogatus sit manumittere, & dodrantem ex legato acceperit,non esse compellendum manumittere. Sed uideamus, ne utiq; in hac specie aliud dicendũ sit. Sed superiore casu sunt qui putant, cogendum legatariũ redimere seruũ, & se oneri subiecisse,dum accepit uel dodrantem. Sed si paratus sit retrò restituere quod accepit: an audiendus sit,uidendum? Sed cogendus hæres tota decẽ præstare, perinde atq; si adiecisset testator,ut integra præstentur. *Secunda replicatio est: Nisi præter seruum & aliud quiddam capiat legatarius:in eo enim quod præterea capitur,legi Falcidiæ est locus.quæ replicatio approbatur l.planè.35. ff. ad l.Falcid. his uerbis:* Planè si quid sit præterea legatum ipsi seruo,Falcidię locum fore,senatus declarauit. Vnde Scæuola ait, in eo quod præterea seruo legatum sit, ita Falcidiam admittendam, ut inde & quod pro seruo præstandum est,sumatur. *Concordat l.sed si.36.§.sed etsi aliud.ff.eod.tt.his uerbis:* Sed etsi aliud præterea capiat legatarius,adhuc seruus totus peti potest: quartam autẽ utriusq; ex legato retinendam, ne impediatur libertas. *Concordat item l.cum quo.56.§.Stichum. ff.eod.tt.his uerbis:* Stichum tibi,seruo tuo decem legauit: uel contrà tibi decẽ, seruo tuo Stichum,libertatem q; Stichi fidei eius commisit. lex Falcidia minuit legata. redimere ab hærede partem debes, quemadmodum si tibi utrũq; legasset. *Concordat item l.sed duob. 5.ibi:pone cum. ff. de leg.2. cuius uerba uide ẽ. lib.32. cap.9.causa 29.except.4.replic.1. Tertia replicatio est: Nisi ex die uel sub conditione seruus sit manumittendus. Hæc replicatio approbatur l.cum quo.56.§.is qui.ff.ad l.Falcid.his uerbis:* Is qui in bonis duntaxat unum seruũ habebat,legauit eum Titio,& fidei eius commisit,ut post triennium manumitteret. debet ex eo quod interim ex operis serui ad Titium peruenire potest, quarta apud hæredem remanere: quemadmodum si directò post triennium seruo libertatem dedisset, eius q; usumfructũ ei legasset, aut ei proprietatẽ per fideicommissum reliquisset. *Concordat l.sed si.36.§.si incertũ. ff.eod.tt. cuius uerba uide ȝ.cap.prox. quæst.5. reg.19. except.2. Hæc de 24.exceptione: quæ tamẽ iure nouo mutatur per Nouell.18.§.prohibemus.teste glossa in d. §.prohibemus,in uerbo Relinquat: item glossa in l.Papinianus.8. §.quarta autem. in uerbo, Sed numquid. ff. de inoff.test.*

XXV. Exceptio: *Nisi ita res legata sit, ne alienetur. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.119.§.si quis unquam, his uerbis:* Si quis unquam testatus fuerit, & rem aliquam immobilem familiæ suæ, aut alteri cuipiam personæ legati nomine reliquerit, & specialiter dixerit, ne quo tempore ea res alienetur, sed apud hæredes aut successores illius,cui relicta fuit,permaneat:in hoc legato iubemus,ut nullum penitus locum lex Falcidia habeat, quandoquidem alienationem eius ipse testator prohibuit.

XXVI. Exceptio: *Nisi legatum quid sit,ita ut seruum suum uel alienum manumitteret. De hac re dictũ ẽ.except.24.repl.1.*

XXVII. Exceptio: *Nisi quid legatum sit sub hac conditione, Si tantum daret, quantum res legata æstimatur. Hæc exceptio reprobatur l.si fundus.69. ff. ad l.Falcidiã,his uerbis:* Si fundus legatus sit,quinquaginta dignus, sub hac conditione, Si quinquaginta hæres dederit: plerique putant,utile esse legatum:quia cõditionis implendæ causa datur.nam constat,etiam Falcidiam eum pati posse. Sed si quinquagin ta aurei legati sint,si quinquaginta dedisset: dicendum est, inutile esse legatum, & magis ridiculum esse.

XXVIII. Exceptio: *Nisi omissa causa testamenti,ab intestato succedatur.Item*

XXIX. Exceptio: *Nisi conditio legatario sit remissa. Hæ duæ exceptiones reprobantur l.1.§.ad eos. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Ad eos qui omissa causa testamenti possident hæreditatẽ,non pertinet lex Falcidia, sed per edictum Prætoris inducitur potestas legis. idemq; est, si iurisiurandi conditio remissa sit.

XXX. Exceptio: *Nisi ita legatum sit,Si legi Falcidiæ locus non sit. Hæc exceptio tractatur l.qui quad. 87.in prin.ff.ad l.Falcid.his uerbis:* Qui quadringenta habebat,trecenta legauit:deinde fundum tibi dignum centũ aureis sub hac conditione legauit, si legi Falcidiæ in testamento suo locus non esset. quæritur, quid iuris est? Africanus dixit, τῶν ἀνέφων hanc quæstionem esse, qui tractatus apud Dialecticos τὸ ψευδόμενον dicatur:etenim quidquid constituerimus uerũ esse,falsum reperietur. namque si legatum tibi datum ualere dicamus, legi Falcidiæ locus erit, ideoq; deficiente conditione nõ debebitur:rursus si,quia cõditio deficiet,legatum ualiturum non sit,legi Falcidiæ non locus erit: porrò si legi locus non sit,existente conditione legatum tibi debebitur. Cum autem uoluntatem testatoris eam fuisse appareat, ut propter tuũ legatum cæterorũ legata minuĩ nollet: magis est,ut statuere debeamus,tui legati conditionem defecisse. Quid ergo dicemus, si ducenta legauit, & tibi similiter sub eadem conditione ducenta legata esse proponantur?nam aut extitisse aut defecisse legati tui cõditionem, ut aut totum aut nihil tibi debeatur,& iniquum & contra uoluntatem testatoris existimabitur: rursus partem deberi,rationi non congruit, quãdo necesse est totius legati conditionem uel extitisse, uel defecisse. Ergo per exceptionem doli mali tota ea res temperanda erit. Quare cum quis tale quid consequi uelit,sic consequetur: Si quo amplius legaui uel legauero, quàm per legẽ Falcidiam licebit,tum quantum ad supplendum quadrantem deduci oportet ex eo legato, quod Titio dedi,hæres meus damnas esto dare.

XXXI. Exceptio: *Nisi testator hæredẽ Falcidiã uti prohibuit. Hæc exceptio iure quidem antiquo reprobatur l.quod.15.§.1. ff. ad l.Falcidiam, his uerbis:* Frater, cum hæredem sororẽ scriberet, aliũ hæredem ab ea,cui donatũ uolebat,stipulari curauit,ne Falcidia uteretur, & ut certam pecuniam,si contrà feciſſet,præstaret.priuatorum cautione legibus non esse refragandum constitit: & ideo sororem iure publico retentionem habituram,& actionem ex stipulatu denegandam. *Concordat d.l.15.§.fin.his uerbis:* Quarta quæ per legem Falcidiam retinetur, æstimatione quam testator fecit,nõ magis minui potest,quàm auferri. *Concordat item l.Seius.27.ff.eod.tt. his uerbis:* Seius & Agerius, si intra diẽ tricesimum mortis meę reipub.nostrę cauerint,cõtentos se futuros tot aureis, legis Falcidiæ beneficio omisso, hæredes mei sunto: quos inuicem substituo. quòd si uoluntati meæ non consenserint, exhæredes sunto. quæsitum est, an hæredes instituti hæreditatem adire possint, si conditioni parêre nolint, cum habeant substitutos eadem conditione præscripta? Scæuola respondit, Seium & Agerium primo loco institutos perinde adire posse, ac si ea conditio, quæ fraudis causa adscripta est,adscripta non esset. *Concordat item l.si quis. 18. C.eod.tit. his uerbis:* Si quis quadringentorum fortè solidorum habens substantiam, iusserit hæredem non aliter adire hæreditatem, nisi prius trecentos octoginta solidos cuidam persoluat, uel aliã quantitatem, quæ deminuere Falcidiæ rationem potest: sancimus, hæredem, si adierit, legis Falcidiæ beneficio sustentatum, replere quidem quod ad Falcidiam deest, & prius eo dato uel retento (siue una datio est,quæ celebrari disposita fuerit,siue in multas diuiditur personas) præfatæ legis

immutilatum habere beneficium. Si enim, cum mortis causa donatio procedat, & hæc ultra modum legis Falcidiæ excedit, hæres post additionem repetit eam pecuniam, quæ ultra modum Falcidię corporaliter quidem data est, lege autem in patrimonio testatoris permansit: quare non in præsenti casu uicentibus & moriẽtibus prouidemus, & eorum ultima elogia conseruantes, & commodum hæreditarium non minuentes? *Concordat item l.si, ut all.11.C.eod.tit.his uerbis*: Si, ut allegas, pater tuus eam portionem, ex qua te fecit hæredem, fratribus tuis restituere iussit, certisque speciebus pro Falcidia præcepit esse contentam: auxiliũ legis Falcidię, quod imploras, apud suum iudicem non prohiberis flagitare. *Hæc quidem de iure antiquo, quo exceptio proposita reprobatur. Iure autem nouo proposita exceptio approbatur Nouell. c.1. §.hæc autem dicimus, his uerbis*: Hæc dicimus, ubi errans testator de sua substantia hoc agit: aut fortè cum debuisset etiam ampliorem quantitatem hæredi relinquere, pro minore disposuit. Etenim etiam hoc errantis sententiæ est, & non purę & integræ designationis. Si uerò expressim designauerit, non uelle hęredem retinere Falcidiam: necessarium est testatoris ualere sententiam, & aut uolentem eum parêre testatori, forsan etiam quædam iustè & piè relinquenti, lucrum non in percipiendo, sed solummodo piè agendo habentem: aut si noluerit, eum recedere quidem ab huiusmodi institutione, locum uerò fieri (sicut dudum prædiximus) substitutis, & cohæredibus, & fideicommissarijs, & legatarijs, & seruis, & ijs qui ab intestato ueniunt, & alijs secũdum prius à nobis inuentam in talibus uiam. *Ait Imperator*: Sicut dudum prædiximus. *scilicet §.lib.32.cap.ult.quæst.1.reg.6. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi testator non specialiter expresserit, se nolle ut hæres lege Falcidia utatur. hoc enim casu etiam inuito testatore hæres ea potest uti. quæ replicatio approbatur uerbis propositis hisce*: Hæc dicimus, &c. *Cui concordat d.const.1. §.hinc nos cura, his uerbis*: Hinc nos cura & cogitatio quædam legis Falcidiæ subijt, quæ uel inuitis testatoribus, si patrimonium legatis consumant, hæredibus permittit retinere, quantum illis ad trientem uel semissem bonorum efficiendum satis sit. Tametsi enim pugna contra testatoris uoluntatem hac parte susci pi uidetur, lege tamen permittente id factum defenditur. Sancimus igitur (ubique enim sustentanda nobis defuncti uoluntas est) ut hæredes, si eius legis beneficio uti uelint, incontaminatam legi authoritatem conseruent: neq; ob ea fortè, quæ uel subripuerint, uel dolo interuerterint, conentur Falcidiam introducere, quæ neutiquam competitura sit, si nihil dolo malo egissent interuertissentq;.

XXXII. *Exceptio: Nisi decem legatis adiecit testator: Et quanto minus per legem Falcidiam capere potest, tanto amplius ei hæres dare damnas esto. Hæc exceptio etiam iure antiquo approbatur, nimirũ l.si in test.64. ff. ad l.Falcidiam, his uerbis*: Si in testamento ita scriptum sit, Hæres meus Lucio Titio decem dare damnas esto: & quanto quidem minus per legem Falcidiam capere poterit, tanto amplius ei dare damnas esto: sententiæ testatoris standum est. *Concordat l.qui quadringenta.87.in princ.ibi: quare cum quis. ff.eod.tt.cuius uerba uide §.except.30.in fine.*

XXXIII. *Exceptio: Nisi alius in suo testamento cauerit, ne hæres lege Falcidia in alterius testamento utatur. Hæc exceptio approbatur exemplo l. pater.14.§.auia. ff. ad l.Falcidiam, his uerbis*: Auia nepotibus hæredibus institutis fideicommisit, ut omissa retentione, quæ per legem Falcidiam ex alio testamento competebat, solida legata fratribus & cohæredibus soluerent. rectè datum fideicommissum, Papinianus respondit: sed huius quoque onus in contributione uenire.

XXXIIII. *Exceptio: Nisi non legatum sit, sed donatum. Hæc exceptio approbatur l.ubi ita.26.ff.de mortis causa donat. his uerbis*: Vbi ita donatur mortis causa, ut nullo casu reuocetur: causa donandi magis est, quàm mortis causa donatio: & ideo perinde haberi debet, atq; alia quæuis inter uiuos donatio. Ideoq; inter uiros & uxores non ualet: & ideo nec Falcidia locum habet, quasi in mortis causa donatione. *Concordat l.Scia.41.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis*: Cum pater in extremis uitæ constitutus, emancipato filio quædam sine ulla conditione reddendi donasset, ac fratres & cohæredes eius bonis cõtribui donationes Falcidiæ causa uelint: ius antiquum seruandum esse, respondi. Non enim ad alia constitutionem pertinere, quàm quę lege certa donarentur, & morte insecuta quodammodò à bonis auferrentur, causa retinendi perempta. Eum autem qui absolutè donaret, non tam mortis causa, quàm moriẽtem donare. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi non simplex, sed mortis causa donatio sit. quæ replicatio approbatur l.cũ pater.79. §.1.ff.de legat.2. cuius uerba uide §.lib.32.cap.4. except.40. repl.12.in prin. Cõcordat l.si mortis.5.C.ad l.Falcidiã, his uerbis*: Si mortis causa immodicas donationes in sororem tuam matrẽ contulisse probare potes, legis Falcidiæ ratione secundum constitutionẽ diui Seueri, aui mei, uti meritò potes. *Concordat item l.si quis.18.in fine.C.eod.tt. cuius uerba uide §.eodem cap. except.31. Concordat item l.2.§.fin.C.de mortis causa donat. cuius uerba uide §.lib.14.cap.5. quæst.3. reg.4. Concordat item l.Scia.42. in prin.*

in prin. ibi: muliere. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.libro prox.cap.6.quæst.4. Huius replicationis duplicatio est: Nisi cum debitor gratia donationis mortis causa alij soluere iussus esset, is mortuo creditore soluerit. hoc enim casu legi Falcidiæ locus non est. Quæ duplicatio approbatur simul & distinguitur l. cum pater.79. §. Mæuio. ff.de leg.2. cuius uerba uide §. lib.48.cap.8. repl.1.dupl.7.tripl.1. Secunda replicatio est: Nisi inter uirum & uxorem sit donatum. Hæc replicatio approbatur l.in don.22.C. ad l.Falcidiam, his uerbis: In donationibus inter uirum & uxorem factis legem Falcidiam habere locum, quando fideicommissi partibus funguntur, nonnullis iuris placitis comprehensum est. *Concordat l.cum hic status.32. §.1. ff.de donat. inter uir. & uxor.his uerbis*: Sed de Falcidia, ubi posit habere locum, tractandum est: cui locum ita fore opinor, quasi sit testamento confirmatum, quod donatum est.

XXXIIII. *Exceptio: Nisi non legatũ, sed substitutum sit. De qua exceptione uide §. cap.3. quæst.3. quid ueniatẽ reg.20.*

XXXV. *Exceptio: Nisi hæres solidum soluerit. Hæc exceptio approbatur l.1. C. ad l.Falcid. his uerbis*: Scire debes, omissa Falcidia, quo pleniorem fidem restituendæ portionis exhiberes, non uideri plus debito solutum esse. *Concordat l.error.9.C.eod.tt. cuius uerba uide §.repl.1.dupl.2. Concordat item l.cum certum sit.19. C. eod.tt. cuius uerba uide §.except. prox. Concordat item l.post mortem.12.in fine. C. de fideicommissis. cuius uerba uide §. lib.48.cap.10.except.33.repl.1. Concordat item l.si patronus.20.§.fin. ff.de donationibus. cuius uerba uide §. except.prox. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per errorem solidum soluerit. Hæc replicatio approbatur l. si hæres. 68. §.fin. ff.ad senatus. Trebell. his uerbis*: Si totam hæreditatem rogatus restituere spontè adieris, etsi sine deductione quartæ partis restitueris, difficilè quidem credideris per ignorantiam magis, non explendi fideicommissi causa hoc feciss e: sed si probaueris per errorem te quartam non retinuisse, recuperare eam poteris. *Concordat l.si sponsus.5.§.si quis rogatus, in fine. ff.de donationẽ inter uirum & uxorem. cuius uerba paulò inferius proponentur. Concordat item l.si per.3.C.de S.C.Trebelliano. cuius uerba uide §.quæst.4.reg.2. Concordat item inst. de fideicom.hæred. §.sed quia stipul. ibi: uel repetere solutum. cuius uerba uide §.cap.4.except.6. Vide insuper §. adfinia huius legis remedia. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi non facti, sed iuris sit error. Hæc duplicatio approbatur l.regula est. 9.§.si quis ius. ff.de iuris & facti ignor. his uerbis*: Si quis ius ignorans lege Falcidia usus non sit, nocere ei, dicit epistola diui Pij. *Concordat l. error.9.in fine.C.ad l.Falcid. his uerbis*: Error facti quartæ ex causa fideicommissi non retentæ repetitionem non impedit: is autem qui sciens se posse retinere uniuersum restituit, condictionem non habet: quin etiamsi ius ignorauerit, cessat repetitio. *Secunda duplicatio est: Nisi supina sit ignorantia. Hæc duplicatio approbatur Nouel.c.1.§.sed neque illis, hisce uerbis*: Sed neque illis, qui cùm initio pernoscerent, inconsideratè tamen soluerunt, permittemus, ut percipientibus post deinde negotium facessant, cupiantque quod soluerunt ab ijs recipere. conuenit enim, ut consilium ante facta capiatur, tum demum agatur: non aũt quod recti feceris reijcere in ignorantiam, nisi iusta aliqua id causa introducat: puta, si quid præter opinionem emergat, quod patrimonium deminuat, & repetitioni locum faciat. *Tertia duplicatio est: Nisi stipulatione de eo quod amplius solutum fuerit reddendo, sibi hæres non prospexerit. Hæc duplicatio reprobatur l. hæres.22. ff. ad S.C. Trebellianum, his uerbis*: Hæres, cum deberet quartam retinere, totam hæreditatẽ restituit, nec cauit stipulatione sibi proposita. similem eum esse, Aristo ait, illis qui retentiones, quas solas habent, omittunt: sed posse eum rerum hæreditariarum possessionem uel repetere, uel nancisci, & aduersus agentem doli mali exceptione uti, posse eũ & debitoribus denunciare ne soluerent. *Concordat l.1. §. hæc stipulatio. ibi: quia etsi. ff.si cui plus quàm. cuius uerba uide §. lib.proxim.cap.9.caut.3. in prin. Concordat item l.si cui.31. ibi: nam quamuis. ff. ad l.Falcidiam. cuius uerba uide d.caution.3.in prin. Hæc de prima replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi maritus uxori solidum legatum soluerit. Hæc replicatio reprobatur l.si sponsus.5.§.si quis rogatus, in fine. ff.de donationẽ inter uirum & uxorem, his uerbis*: Si quis rogatus sit, præcepta certa quantitate, uxori suæ hæreditatem restituere, & is fine deductione restituerit: Celsus scripsit, magis pleniore officio præstandæ fidei functũ maritum, quàm donasse uideri: & rectam rationem huic sententię Celsus adiecit, quòd plẽriq; magis fidem exoluunt in hoc casu, quàm donãt: nec de suo putant proficisci, quod de alieno plenius restituunt, uoluntatem defuncti secuti: nec immeritò. sæpe enim credimus aliquid defunctum uoluisse, & tamen non rogasse. quæ sententia habet rationem, & magis in eo qui nõ erat deducta quarta restituere rogatus, & tamen integram fidem præstat, omisso Senatusconsulti commodo. hic enim uerè fidẽ exoluit, uoluntatẽ testatoris secutus. Hoc ita, si nõ per errorẽ calculi feciturq; eterùm indebiti fideicõmissi esse repetitionẽ, nulla dubitatio est. Cũ igitur nihil de bonis erogatur, rectè dicitur ualere donationẽ. *Tertia replicatio: Nisi hæres sub hac conditione, Si solidũ solui sset, sit scriptus. hoc enim casu, quãuis implẽdæ conditionis causa solidum legatum soluerit, eius habet repetitionem iure quidẽ antiquo, l.si quis.18.C.ad l.*

Falci-

Falcidiam. Secus iure nouo. de qua re uide ſ. eodem cap. except.31. Quarta replicatio eſt: *Niſi quaſdam res legatas in ſolidum ſoluit hæres, non omnes. quæ replicatio approbatur l. ſi ex plur. 16. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Si ex pluribus rebus legatis hæres quaſdam ſoluerit, ex reliquis Falcidiam plenam per doli exceptionem retinere poteſt, etiam pro his quæ iam data ſunt. Sed etſi una res ſit legata, cuius pars ſoluta ſit, ex reliquo poteſt plena Falcidia retineri. *Concordat l. in ponenda. 6. ſ. fin. C. eod. tt. his uerbis:* Nec ſi quid ultra ſolidum hæres præſtiterit aut perfecerit, legitimæ computationi præiudicatur. *Concordat l. quod. 15. ſ. non idcirco. ff. d. tt. his uerbis:* Non idcirco minus Falcidiæ rationem in cæteris annuis legatis admitti uiſum eſt, quòd primo ac ſecundo anno ſine ulla detractione fuiſſet legatario ſoluta. *Propoſitæ replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi diuerſis, non uni, pluribus legatis relictis, uni ſolidum ſoluerit. hoc enim caſu & alijs ſolida ſoluere tenetur. quæ duplicatio approbatur Nouell. c. 1. ſ. non dabimus, his uerbis:* Non dabimus hæredi exactè patrimonij modum noſcenti licétiam, ut alijs quidem protinus ab initio integra legata ſolueret, ipſamq; teſtatoris uoluntatem plenè cõſeruare (id quod etiam Conſtitutiones noſtrorum anteceſſorum dicunt) alijs uerò partem detrahere uelit, & ita partim teſtatoris uoluntati ſatisfacere, partim eam minuere: ſed ut is qui circa ſubſtantiæ quantitatem nihil omnino errauerit, & ſtatim atque cognouit teſtatoris uoluntatem ſecutus ſit, per omnia eam exequatur, neque pœnitentia abducatur ad deteriora. neq; enim hoc eſſet purè ſequi. Quinta replicatio eſt: *Niſi alius mandato teſtatoris, non ipſe hæres ſolidum legatum ſoluit. Hæc replicatio approbatur l. cum pater. 79. ſ. Mæuio. ff. de leg. 2. cuius uerba ſ. lib. 48. cap. 8. except. 12. repl. 1. dupl. 7. proponentur.*

XXXVI. *Exceptio: Niſi hæres promiſit ſe ſolidum ſoluturũ. Hæc exceptio approbatur l. qui quod. 46. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Qui quod per legem Falcidiam retinere poterat, uoluntatẽ teſtatoris ſecutus ſpopondit ſe daturum, cogendus eſt ſoluere. *Concordat l. cum certum. 19. C. eod. tt. his uerbis:* Cum certum ſit, hæredem, qui plenam fidem teſtatori exhibet, in ſolidum legata dependentem, nõ poſſe poſtea rationem legis Falcidiæ prætendentem repetitione uti, quia uidetur uolũtatem teſtatoris ſequi: iubemus hoc ſimili modo firmũ haberi, etſi cautionem ſuper integra legatorum ſolutione fecerit. Quod ueteribus legibus in ambiguitatem deductum eſt. In utroq; etenim caſu, id eſt, ſiue ſoluerit, ſiue ſuper hoc cautionem fecerit, æquitatis ratio ſimilia ſuadere uidetur. *Concordat item l. ſi patronus. 20. ſ. fin. ff. de donationib. his uerbis:* De illo dubitari poteſt, qui quod per Falcidiam retinere poterat, uoluntatẽ teſtatoris ſecutus ſponderit ſe daturum? Sed magis eſt, ut non poſſit ſuæ confeſsioni obuiare: quemadmodum enim ſi ſoluiſſet, fidem teſtatori ſuo adimplere uidebatur, & nulla ei repetitio conceſſa fuerat: ita & ſtipulatione præcedente, cõtra fidem teſtatoris, quam agnouit, uenienti ei meritò occurretur.

XXXVII. *Exceptio: Niſi hæredi in uendenda hæreditate ſit cautum ſolida legata præſtari. Hæc exceptio approbatur l. poteſt. 71. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Poteſt hæres in uendenda hæreditate cauere, ut & lege Falcidia interueniente, ſolida legata præſtentur: qui ea lex hæredis cauſa lata eſt, nec fraus ei fit, ſi ius ſuum deminuat hæres.

XXXVIII. *Exceptio: Niſi poſt mortem teſtatoris aucta hæreditate fructibus & alijs, hæres quartam partem ſit habiturus. De hac re dicetur ſ. cap. prox. in eo quod acceſſit bonis.*

XXXIX. *Exceptio: Niſi poſt multum temporis hæres legatum reſtituat, ut ex cõmodo medij temporis quartam habeat. De hac quoq; exceptione uide ibidẽ.*

XL. *Exceptio: Niſi non confecto inuentario hæres hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur l. ult. ſ. ſi quis autem. C. de iure deliberandi, his uerbis:* Si quis temerario propoſito deliberationem quidẽ petierit, inuentarium autem minimè conſcripſerit, & uel adierit hæreditatem, uel minimè eam repudiauerit: non ſolùm creditoribus in ſolidum teneatur, ſed etiam legis Falcidiæ beneficio minimè utatur. *Concordat Nouell. c. 1. ſ. enimuerò, his uerbis:* Enimuerò ſi inuentarium ea forma, quam diximus, non fecerit, non retinebit Falcidiam: ſed legatarijs & fideicommiſſarijs ſatisfaciet, tametſi legatorum præſtatio puræ ſubſtantiæ defuncti modum exceſſerit. neque hoc dicimus, quo legem noſtram infirmemus, quam de eo tulimus, ne quid per creditores damni hæredibus adferatur in rebus ſuis. præſtabit enim illis, utpœnam ſuæ improbitatis luat ex eo quòd leges tranſgreſſus ſit: cum licuiſſet illi cautè omnia agenti, non ſolùm nihil ſentire damni, ſed etiam per contrarium, ea quę lege Falcidia deferantur, lucrifacere.

XLI. *Exceptio: Niſi hæres non ſponte, ſed coactus hæreditatem adierit, eamq; reſtituerit. Hæc exceptio approbatur l. nam quod. 14. ſ. qui compulſus. ff. ad S. C. Treb. his uerbis:* Qui compulſus hæreditatem adijt, ſicuti cæteris commodis caret, ita hoc quoq; caſu caret, ne poſsit pœnitendo quartam retinere: & ita inuenio ab Imperatore noſtro, & diuo patre eius reſcriptum. *Concordat l. quia poterat. 4. ibi: nec quartæ. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. cap. 3. membr. 2. in prin. Concordat item l. ita tamen. 27. ſ. Trebellianum. ibi: tuq; ſponte. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. d. membr. 2. except. 21. Item concordat l. ſi patroni. 55. ſ. ſed nec illud. ibi: ut nec Falcidia. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. d. membr. 2. quæſt. 8. reg. 2. Concordat item l. non iuſtam. 4. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide ſ. lib. 32. cap. 10. cauſ. 42. except. 1. exemplo 1. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi non totam, ſed partem hæreditatis coactus reſtituerit. Hæc replicatio approbatur l. cogi poterit. 16. ſ. idem Mętianus. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Mętianus quærit, an is qui duobus uel pluribus rogatus eſt reſtituere hæreditatem, cogente aliquo adire poſsit, & in horũ qui id non deſiderauerint, portionibus Falcidiæ beneficio uti, ſiue ipſi quoq; deſiderent ſibi reſtitui, ſiue alij in locum eorum ſucceſſerint? & cùm hodie hoc iure utamur, ut totum trãſeat ad eũ qui coegit: conſequens erit dicere, quartæ retentionem amiſiſſe eum qui coactus eſt: quia in ſolidum actiones tranſierint in eum qui coegit. Planè ſi proponas, fideicõmiſſarium non ita coegiſſe, ut tota hæreditas in ſe transferatur: cum cœperint cæteri deſiderare ſibi reſtitui hæreditatem, dicendum Falcidia eũ uti poſſe. Rectè igitur Mætianus ait, multũ intereſſe, utrum totam reſtitui hæreditatem ſibi fideicõmiſſarius deſiderarit, an ſuam tantummodò partem. nã ſi ſola pars transfertur, erit in reſiduo Falcidiæ locus: ſi tota hæreditas translata ſit, ceſſabit huius legis beneficium. *Secunda replicatio eſt: Niſi cum duo eſſent hæredes, unus coactus adierit, alter ſponte: hic enim quartam nihilominus poteſt retinere. quæ replicatio approbatur l. qui ita. 66. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Qui ita inſtitutus eſt, ſi cohæres eius adijſſet: uti poteſt lege Falcidia, etſi cohęres eius coactus adijſſet, modò ſi ipſe non coactus adierit hæreditatẽ. *Concordat l. ſi ita. 19. ff. de cond. inſt. his uerbis:* Si ita ſcriptum fuerit: Titius hæres eſto: ſi Titius hæres erit, Mæuius hæres eſto. ſi Titius ſuſpectam adierit hæreditatem, poteſt Mæuius ſuo arbitrio adire, & quartã retinere. *Tertia replicatio eſt: Niſi coactus pœnitentia ductus, ſua ſponte malit adire. quæ replicatio approbatur eo caſu, quando res adhuc eſt integra: ut, ſi intra tempus deliberandi pœnitentia ducatur. Quod approbatur l. omnes. 71. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Omnes qui de hęreditate deliberãt, deſiderãte eo qui ſuo periculo uelit adire hæreditatẽ, coguntur adire, licet nõ ſtatim reſtituere: ſed ut completo tempore deliberationis (ſi expedire ſibi compererint hæreditatem) ſentiant commodum teſtamenti eo iure, quo ſi ſponte adijſſent: ſin uerò contrà onerоſam crediderint, reſtituta ea exonerentur actionibus hæreditarijs. *Idem iuris eſt, ſi pendente fideicommiſſi conditione, coactus pœnitentia ducatur. Quod approbatur l. ſi patroni. 55. ſ. ſed nec illud. ibi: nam pendẽte. ff. eod. tt. cuius uerba proponẽtur ſ. cap. 3. mẽbr. 2. quæſt. 8. reg. 2. ſuo loco.* Quarta replicatio eſt: *Niſi patronus ex debita parte hæres inſtitutus, coactus adierit. Hæc replicatio reprobatur l. ſi eius. 64. ſ. fin. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Si patronus ex parte debita hæres inſtitutus, rogatus fuerit eam liberis exhæredatis defuncti liberti reſtituere: ſi ſua ſponte adierit, locus erit Falcidiæ: ſi coactus, in ſolidum tranſibũt actiones ex hoc ſenatuſconſulto.

XLII. *Exceptio: Niſi hæres relictum ad pias cauſas non ſoluat, falſa uſus exceptione. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 131. ſ. ſi uerò hæres. cuius uerba uide ſ. lib. 28. cap. 11. except. 90. repl. 4.*

XLIII. *Exceptio: Niſi hæres quædam ſubtraxit, quibus non ſubtractis Falcidia locũ non haberet. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proponuntur ſ. cap. prox. quæſt. 5. reg. 6. Hactenus de cauſa legis Falcidiæ eiuſq; exceptionibus ſit dictum.*

II. QVIBVS BENEFICIVM legis Falcidiæ competat?

I. *Regula, de ſingulis hæredibus, proponitur paulò ſ. except. 19.*

II. *Regula, de hærede hæredis rogati, proponitur l. quanquam. 10. C. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Quanquam pater tuus fratrem tuum rogauerit, ut ſi ſine liberis diem ſuum fungeretur, portionem hæreditatis tibi reſtitueret: tamẽ inteſtato eodẽ diem ſuũ defuncto, id quod beneficio legis Falcidiæ habere potuit, ad ſuccеſſorẽ inteſtati pertinere: ideoq; nõ immeritò ſororẽ tuã, quæ ſimul tecum ab inteſtato ei ſucceſſit, emolumẽti quod retineri potuit portionẽ ſibi uindicare, manifeſtũ eſt. *Concordat l. cohærede. 39. ſ. cũ filiæ. ff. de uulgari ſubſt. cuius uerba uide ſ. lib. 28. cap. 14. except. 167.*

III. *Regula, de fiſco ad quem hæreditas peruenit, proponitur l. Marcellus. 3. ſ. fin. ff. ad S. C. Treb. his uerbis:* Si is qui rogatus fuerat hæreditatem reſtituere, ante quæſtionem de familia habitam uel tabulas aperuerit, uel hæreditatem adierit, uel quid eorum quæ ſenatuſconſulto prohibentur, fecerit, ac per hoc publicata fuerit hęreditas, fiſcus cum ſuis oneribus hæreditatem adquirit: quare commodum quartæ, quod erat habiturus hæres inſtitutus, id ad fiſcum pertinet, & ex Trebelliano actiones tranſeunt. Sed & ſi, quia prohibuerit teſtamentarium introducere, uel teſtes conuenire, uel mortem teſtatoris non defenderit, uel ex alia cauſa hæreditas fiſco uindicata eſt: æquè quartæ quidem commodum ad fiſcum pertinebit, dodrans uerò fideicommiſſario reſtituetur.

IIII. *Regula, de legatario & fideicõmiſſario. Huic regulariter beneficiũ legis Falcidiæ non competit. quæ regula approbatur l. lex Falcidia. 4. 7. ſ. fin. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Nunquam legatarius uel fideicommiſſarius (licet ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituitur ei hæreditas) utitur legis

legis Falcidiæ beneficio. *Concordat l.1.§.si is qui.ibi:quamuis Falcidia. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide ẽ.cap.4. except.6. repl.1. dupl.2. Concordat item d.l.1.§.deniq;.ibi:nec tamen quartam.cuius uerba uide ẽ.d.dupl.2. Concordat item l.mulier.22.§.fin.ff. eod.tt.his uerbis:* Vt Trebelliano locus sit,non sufficit de hæreditate rogatũ esse, sed quasi hæredem rogari oportet. Denique si qua portio hæreditatis fuerit legata (legari enim posse etiam portionem hęreditatis,placet nobis) rogatusq; fuerit hanc partem restituere, proculdubio non fiet restitutio ex senatusconsulto, ideoq; nec quarta retinebitur. *Concordat l.facta.63.§.si cùm suspecta.ibi:nam si quid.ff.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.except.2. Concordat item l.cohæredi.39.§.cum filiæ,in fine.ff.de uulgari substit. cuius uerba uide ẽ.libro 28.cap.14.except.167. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est:Nisi hæreditas, non res specialis per fideicommissum rogato sit relicta. Hæc exceptio reprobatur uerbis suprà propositis hisce:* Licet ex Trebelliano senatusconsulto restituitur ei hæreditas. *Concordat d.l. 22.§.fin.ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide paulò superius. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi hæres,postulante fideicommissario,coactus hæreditatẽ adijt: eamq; fideicommissario restituit. hoc enim casu, cum legatorum actio detur aduersus fideicommissariũ, ex persona hæredis etiam Falcidia uti, & quartam retinere potest.quæ exceptio approbatur l.facta.63.§.si cũ suspecta.ff.ad S.C.Treb.his uerbis:* Si, cùm suspecta uideretur hæreditas,postulante me iussu Prætoris adieris,& restitueris mihi: ita utar legis Falcidiæ beneficio aduersus legatarios,si tu quoq; ea lege uti poteras,& quatenus uti poteras. nam si quid præterea à me alicui per fideicommissum relictum sit, id quasi à legatario relictũ, non uenit in cõputatione eius legis,sed extrinsecus numeratur. *Exemplum huius exceptionis proponitur l.2. & 3.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Qui quadringenta reliquit, Titio trecenta legauit. hæredis fidei commisit,ut tibi hæreditatem restituere:risq; suspectam iussu Prætoris adijt,& restituit. quærebatur,quid legatario dare deberes? dicendum est, quia præsumptum est, uoluisse testatorem cum onere legatorum fideicommissum restitui,tota trecenta te dare Titio debere. nam hæres hic rogatus intelligi debet, ut te suo loco constituat: & quod hæres perfunctis omnibus hæreditarijs muneribus,id est,& post legatorum dationem reliquum habiturus foret, si non esset rogatus & tibi restituere hæreditatem, id tibi restituat.quantũ ergo haberet?nempe centum: hæc ut tibi daret, rogatus est. Itaque ficineunda est legis Falcidiæ ratio, quasi hæres trecenta Titio dare damnatus, tibi centum dare damnatus sit: quo euenit, ut si hæreditatem sua sponte adijsset, daret Titio ducenta uigintiquinque, tibi septuaginta quinque. Non ergo plus Titio debetur, quàm si iniussu Prætoris adita hæreditas foret. Marcellus autem apud Iulianum in hac specie ita scribit, Si ad hæredis onus esse testator legata dixerit, & hæres sponte adijt hæreditatem: ita debere computationem Falcidiæ iniri, ac si quadringenta per fideicommissum essent relicta, trecenta uerò legata: ut in septem partes trecenta diuidantur, & ferat quatuor partes fideicommissarius,tres partes legatarius. quòd si suspecta dicta sit hæreditas, & non sponte hæres adierit & restituerit: centum quidem de quadringentis, quæ habiturus est hæres,redebunt apud fideicommissarium: in reliquis autem trecentis eadem distributio fiet,ut ex his quatuor partes habeat fideicõmissarius,reliquas tres legatarius. nam inquisimum est, plus ferre legatarium ideo, quia suspecta dicta est hæreditas, quàm laturus esset,si sponte adita fuisset. Quod autem in suspecta hæreditate dictum est, hoc item dici potest in his testamẽtis, in quibus lex Falcidia locum non habet:in militis dico,& si qui sunt alij. *Hactenus leges,quibus propositæ exceptio approbatur,sunt propositæ: nunc eius replicationes uideamus. Prima eius replicatio est: Nisi non ex hæredis,sed ex sua persona fideicommissarius legatum debeat.quæ replicatio approbatur uerbis ẽ.in prin.huius exceptionis propositis hisce:* Si quid præterea à me alicui per fideicõmissum relictũ sit,id quasi à legatario relictũ nõ uenit in cõputatione eius legis, sed extrinsecus numeratur. *Cui cõcordat l.si patroni.55.§.qui fideicõmissariam.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Qui fideicõmissariam hæreditatem ex Trebelliano, cũ suspecta diceretur,totã recepit: si ipse quoq; rogatus sit alij restituere, totam restituere cogetur:& in hac quoque restitutione Trebelliano locus erit. quartam enim Falcidiæ iure fideicommissarius retinere nõ potuit. nec ad rem pertinet, quòd nisi prior, ut adiretur hæreditas, desideraſſet, fideicommissum secundo loco datum intercidisset. cùm enim semel adita est hæreditas, omnis defuncti uoluntas rata consistit: nec est contrarium, quòd legata cætera non ultra dodrantem præstat. aliud est enim ex persona hæredis conueniri, aliud proprio nomine defuncti precibus adstringi. Secundũ quæ potest dici, non esse priore tantùm desiderante cogendum instituta adire, ubi nulla portio remansura sit apud eum: utique si confestim uel post tempus cum fructibus rogatus est reddere. sed etsi sine fructibus rogatus est reddere, non erit idonea quantitas ad inferẽdam adeundi necessitatem: nec ad rem pertinebit, si prior etiam libertatem

tatem accepit. ut enim pecuniam,ita nec libertatem accepisse, ad cogendum institutum satis est. Quòd si prior recusauerit,placuit ut recta uia secundus possit postulare, ut hæres adeat,& sibi restituat. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi hæredi, non alij restituere fideicommissarius sit rogatus.quæ duplicatio approbatur d.§.qui fideicomm.in fine,his uerbis:* Quid ergo, si non alij, sed ipsi hæredi rogatus sit restituere? quia non debet eidem quandoque quarta reddi, quam perdidit: propter huius portionis retentionem erit audiendus. *Ait Iurisconsultus:* Erit audiendus. *Scilicet desiderans cogi hæredem ut adeat. de qua re ẽ. Secundæ propositæ exceptionis replicatio est: Nisi ipse hæres Falcidia uti non potuit. Hæc replicatio approbatur l.facta.63. §.si cùm suspecta. ff.eod.tt. his uerbis:* Ita utar legis Falcidiæ beneficio aduersus legatarios,si tu quoque ea lege uti poteras, & quatenus uti poteras. *Tertia replicatio est: Nisi ij quibus ex persona hæredis fideicommissarius tenetur, sint fideicommissarij uniuersales: ex fideicommissis enim uniuersalibus quartam retinere non potest. quæ replicatio approbatur l.ex asse.28.§.fin.ff.ad senatusc.Trebell.his uerbis:* Africanus existimabat, si ex asse hæres institutus mihi quadrantem purè, tibi æquè quadrantem sub conditione restituere rogatus sit,& cum suspectam hæreditatem diceret, cogente me adierit:quandocunq; conditio exiterit,semissem tibi esse restituendum. sed nec lege Falcidia in proposita specie usurum me putat, quamuis scriptus hæres, si sponte adisset, uteretur. *Concordat l.cogi poterit.16. §.Mætianus.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. capite 3. memb.2. quæst.8.reg.4. Concordat item l.non iustam.4.in fin. C. eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.32.capite 10. causa 42. except.2. exemplo 1. Tertiæ propositæ regulæ exceptio est: Nisi hæres,qui quartam potuit retinere,in gratiam fideicommissarij eam non retinuit. Hæc exceptio approbatur l.1.§.deniq. ibi:inde Neratius. ff.ad senatusconſ. Trebell. his uerbis:* Neratius scribit, Si hæres rogatus restituere totam hæreditatem,non deducta Falcidia,rogato & ipso alij restituere, restituat: non utique debere eum detrahere fideicommissario secundo quartam,nisi liberalitatem tantum ad priorem fideicommissarium hæres uoluit pertinere. *Quarta exceptio est:Nisi fideicommissarius Falcidiam ab hærede sit passus, eiq; sua portio sit per Falcidiam deminuta. hoc enim casu & ipso secundo fideicommisso pro rata portione detrahet.quæ exceptio approbatur l.facta.63. §.si Titius. ff. eod.tt. de qua re uide ẽ.lib.prox.cap.7.reg.19.*

III. EX QVIBVS, ET EX quorum legatis quarta detrahenda?

Ex singulis legatis pro rata portionis quarta detrahenda. quæ regula approbatur Instit.de lege Falcidia.§.fin. cuius uerba uide ẽ. quæst. prox. Concordat l.si quis.78.§.1.ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ.lib.prox. cap.7.reg.25.except.7. in fin. Concordat item l.pœnales.32.§.annua.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis: Annua, bima, trima die centenis aureis legatis, ex omnibus summis,non tantùm ex posterioribus portionem legis Falcidiæ detrahi placuit. *Concordat item Instit. de fideicomm.hæred. §. sed quia hæred.in fine,his uerbis:* Ex singulis quoque rebus, quæ per fideicommissum relinquuntur,eadem retentio permissa est. *Concordat deniq; l.2.C.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Falcidiæ rationem aduersus omnes pro modo legatorum & fideicommissorum locum habere,certi & explorati iuris est. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi quædam legata ante deductionem sint soluta.hoc enim casu ex reliquis nondum solutis potest quarta retineri. quæ exceptio approbatur l.si ex pluribus.16.ff.ad l.Falcidiam.cuius uerba uide ẽ.hoc cap.except.35.replic.4. Planè exceptio hæc intelligenda est, si eidem plura legata sint relicta, non si diuersis. nam hoc posteriore casu non ex alterius legato retinendum est, quod alteri ultra debitum est solutum. Secunda exceptio est: Nisi incertum sit, utrum lex Falcidia locum sit habitura. Hæc exceptio approbatur l.lex Falcid.47.in prin. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Lex Falcidia si interueniat,in omnibus pensionibus locum habet, sed hoc ex pòst facto apparebit. utputa in annos singulos legatum relictum est: quandiu Falcidia nondum locum habet, integræ pensiones annuæ dabuntur: sedenim si annus uenerit,quo fit ut contra legem Falcidiam ultra dodrantem aliquid debeatur, eueniet ut retrò omnia legata singulorum annorũ minuantur. *Tertia exceptio est:Nisi miles unum legatum reliquit iure militiæ, alterum extra militiam: hoc enim casu ex illo non detrahitur quarta,ex hoc detrahitur.de qua re uide ẽ.cod.cap.except.1.repl.2 & 3. Quarta exceptio est: Nisi domino & seruo sit legatum. hoc enim casu uidetur ex domini legato quarta etiam, quoad serui legatum,retinenda. uerùm exceptio hæc reprobatur l.si pupillus.21.§.fin.ff.ad l.Falcid. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. quæst.5. reg.23. Quinta exceptio est: Nisi rebus specialibus legatis, etiam hæreditas per fideicommissum sit relicta. hoc enim casu uidetur ex solo fideicommisso quarta retinenda. Hæc exceptio approbatur in casu l.acceptis.92.in princ. ff. ad l.Falcid. cuius uerba uide ẽ. cap. prox.quæst.5.reg. 15. except.1. Alioquin exceptio proposita regulariter reprobatur l.Marcellus.3. §.item Pomponius. ff.ad senatusconſ.Trebell.his uerbis:* Pomponius scribit, si deductis legatis restituere quis hęreditatem rogetur, quæsitũ esse, utrum solida legata præstanda sint, & quartam ex solo fideicommisso detrahere, an uerò ex legatis & fideicommissis quartam detrahere possit? & refert,Aristonem respondisse,ex omnibus detrahendam:hoc est,& ex legatis,&

ex fideicommiſsis. *Sexta exceptio eſt: Niſi fundus & uia legatus ſit. hoc enim caſu Falcidia non ex fundo, ſed ex uiæ precio deducitur: & ob id, ſi uiæ precium minus ſit, legatum uiæ perit. de quo ĵ. eod. cap. quæſt. 7. reg. 2.* Septima exceptio eſt: *Niſi fundus, uel res alia, ei qui Falcidia uel Trebellianica utitur, à defuncto ſit donata uel relicta. hoc enim caſu quartam in iſta re donata uel relicta retinet. Quæ exceptio approbatur l. filium. 24. C. familiæ erciſcundæ, his uerbis*: Filium, &c. *Reliquas huiuſmodi exceptiones uide ſ. eod. cap. inter exceptiones aduerſus l. Falcid.*

IIII. QVID ET QVANtum retinendum?

Prima huius loci regula eſt, quòd quarta pars bonorum defuncti ſit ab hærede retinenda. quæ regula approbatur Inſtit. de lege Falcidia. ĵ. fin. his uerbis: Cum ratio legis Falcidiæ ponitur, antè deducitur æs alienum, item funeris impenſa, & precia ſeruorum manumiſſorum: tũc demum in reliquo ita ratio habeatur, ut ex eo quarta pars apud hæredem maneat, tres uerò partes inter legatarios diſtribuantur, pro rata ſcilicet portione eius quod cuique eorum legatum fuerit. Itaq; ſi fingamus quadringentos aureos legatos eſſe, & patrimonij quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum eſſe, quarta pars legatarijs ſingulis debet detrahi: quòd ſi trecentos quinquaginta legatos fingamus, octaua debet detrahi: quòd ſi quingentos legauerit, initiò quinta, deinde quarta detrahi debet. Antè enim detrahẽdum eſt quod extra bonorum quantitatem eſt, deinde quod ex bonis apud hęredem remanere oportet. *Concordat inſtit. eod. tt. in prin. ibi: nouiſſimè lata eſt lex Falcidia. cuius uerba uide ſ. eod. capite, in princ. Concordat item l. 1. in prin. ibi: dum ita detur. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. d. loco. Concordat item iſſdem uerbis l. in quantitate. 73. ĵ. fin. ff. ad l. Falcidiã. cuius uerba uide ſ. eod. cap. in princ. Idem dicendum, ſi non ſingulæ res legatæ ſint, ſed hæreditatem reſtituere quis iuſſerit rogatus. nam æquè eius hæreditatis quartam partem poteſt retinere. de quo ĵ. in ſenatuſconſult. Trebelliano.*

Secunda regula, de fructibus quartæ, proponitur l. quod. 15. ĵ. fructus. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis: Fructus prædiorum ſub conditione uerbis fideicommiſſi relictorum, in cauſam fideicommiſſi non deductos, hæres in ratione Falcidiæ ſic acceptofacere ſibi cogitur, ut quartam & quartæ fructus ex die mortis, bonorumq; quæ mortis tempore fuerunt, habeat. nec ad rem pertinet, quando Falcidia lex admiſſa ſit. nam etſi maximè poſt impletam conditionem fideicommiſſo locum habere cœperit, tamen ex die mortis fructus quadrantis apud hæredem relinqui neceſſe eſt. *Concordat l. mulier. 22. ĵ. ſi hæres. ibi: tunc enim quod. ff. ad ſenatuſconſ. Trebell. cuius uerba uide ĵ. cap. prox. quæſt. 5. reg. 1. except. 2. Concordat item l. ſi per. 3. C. eod. tt. his uerbis*: Si per fideicommiſſum hæreditas reipublicæ reſtituta eſt, ex Trebelliano ſenatuſconſulto, quod ab inteſtato quoq; locum habet, quartę partis & fructus eius uobis reſtitutio competit. *Sed de fructibus plura dicentur ĵ.*

Tertia regula: *Re indiuidua legata, non rei, ſed æſtimationis eius pars eſt retinenda. quæ regula approbatur l. ſi is. 79. ĵ. fin. ff. ad l. Falcidiam. cuius uerba uide ſ. eod. cap. except. 11. Huius exemplum proponitur l. purè. 5. ĵ. 1. ff. de doli mali except. his uerbis*: Si cui legata ſit uia, & is lege Falcidia locum habente, totam eam uendicet, non oblata æſtimatione quartæ partis: ſummoueri eum doli exceptione, Marcellus ait: quoniam ſuo commodo hæres conſuluit. *Concordat l. lege. 7. & l. lineam. 26. ĵ. fin. ff. ad l. Falcidiam. quarum legum uerba uide ſ. d. except. 11. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi fundo & uia legata, lex Falcidia plus auferat, quàm eſt uiæ precium: tunc enim legatum uiæ perit. quæ exceptio approbatur l. ſi fundus. 23. ff. ad l. Falcidiam. cuiùs uerba proponentur infrà quæſt. 7. reg. 2. Secunda exceptio eſt*: *Niſi ſeruitus ſit perſonalis. Hæc exceptio in uſufructu approbatur l. 1. ĵ. ſi uſusfructus. ff. eod. tt. his uerbis*: Si uſus fructus legatus ſit, qui & diuidi poteſt, non ſicut cæteræ ſeruitutes indiuiduæ ſunt: ueteres quidem æſtimandum totum uſumfructum putabant, & ita conſtituendum, quantum ſit in legato: ſed Ariſto à ueterum opinione receſsit. ait enim, poſſe quartam partem ex eo, ſicut ex corporibus retineri. Idq; Iulianus rectè probat. *Concordat l. ſed uſusfructus. 80. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſuprà lib. 32. cap. 7. reg. 25. except. 14. Item l. uſusfructus. 5. in prin. ff. de uſufruct. & quemadm. cuius uerba uide ſ. lib. 24. cap. 1. except. 13.* Planè quantum ad uniuerſalem legatorum æſtimationem attinet, uſusfructus æſtimatio eſt neceſſaria: quod loco primæ replicationis notandum. *quæ approbatur d. ĵ. ſi uſusfructus, in fine, his uerbis*: Imò & in uſufructu, ſi quæratur quantum hic capiat, cui uſusfructus datus eſt: quantum ad cæterorum legatorum æſtimationem, aut etiam huius ipſius, ne dodrantem excedat legatum, neceſſariò ad ueterum ſententiam reuertendum eſt. *Secunda propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi operæ ſeruorum ſint legatæ. quæ replicatio approbatur d. ĵ. ſi uſusfructus. ibi: ſed operis ſerui, his uerbis*: Sed operis ſerui legatis, cum neq; uſus, neq; uſusfructus in eo legato eſſe uideatur, neceſſaria eſt ueterum ſententia, ut ſciamus quantum ſit in legato: quia neceſſariò ex omnibus quæ ſunt facti, pars decedere debet, nec pars operæ intelligi poteſt.

V. QVANDIV COMPETAT hoc remedium?

Huiꝰ iuris non præſcribitur. quæ regula approbatur

tur l. legis Falcid. 58. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis: Legis Falcidiæ beneficium hæres etiam poſt longum tempus mortis teſtatoris implorare non prohibetur.

VI. QVOD REMEDIVM EX lege Falcidia competat, & quod eius adſine ſit remedium?

Regulariter quidem per retentionem competit: ſed etſi ſolidum legatum ſit ſolutum, uel alio modo ad legatarium peruenerit, competit actio ad repetendam quartam. quæ actio approbatur l. 1. ĵ. ſi legatarius. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis: Si legatarius poſſeſſionem nactus eſt, & non poteſt auocari ei res, quia uoluntate hæredis errantis nactus eſt poſſeſsionem: dabitur actio hæredi, ut id quod ſupra dodrantem eſt, offeratur. *Concordat l. lineam. 26. in princ. ff. eod. tt. his uerbis*: Lineam margaritorum trigintaquinq; legauit, quæ linea apud legatarium fuerat mortis tempore. quæro, an ea linea hæredi reſtitui debeat propter legem Falcidiam? Sçuola reſpondit, poſſe hæredem conſequi, ut ei reſtituatur: aut ſi malit, poſſe uindicare partem in ea linea, quæ propter legis Falcidiæ rationem debet remanere. *Concordat item l. cum pater. 79. ĵ. mater. ff. de legat. 2. his uerbis*: Mater filijs ſuis uulgò conceptis dotẽ ſuam mortis cauſa donando ſtipulari permiſit. cùm alijs hæredibus inſtitutis, petiiſſet à filijs uiro dotem reſtitui: totũ uiro fideicommiſſum dotis deberi, ſi Falcidiæ ratio non interuenerit, ideo retentionem dotis uirum habere placuit: alioquin Falcidiæ partem hæredibus à filijs, ex ſtipulatu cum uiro agentibus, ex dote eſſe per in factum actionem reddendam. *Concordat item d. l. 79. ĵ. Mæuio, in fine. cuius uerba uide ĵ. lib. 48. cap. 8. except. 1. replicat. 1. duplicat. 7. Datur inſuper ad reuocandam quartam partẽ actio ex ſtipulatu de eo quod amplius, &c. de qua ſ. lib. prox. cap. 9. caut. 3. Datur denum de dolo actio, ſi hæres à legatario ſalsò perſuaſus ſoldum legatum ſoluit. quæ actio approbatur l. ſi leg. 23. ff. de dolo malo, his uerbis*: Si legatarius, cui ſupra modum legis Falcidiæ legatum ſit, hæredi adhuc ignoranti ſubſtantiam hæreditatis, ultrò iurando uel quadam alia fallacia perſuaſerit, tanquam ſatis abundeq; ad ſolida legata ſoluenda ſufficiat hæreditas, atque eo modo ſolida legata fuerit conſecutus: datur de dolo malo actio. *Per replicationem deniq; quarta recuperatur, ſi debitori liberatio ſit legata. quod approbatur l. quod. 15. in prin. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Quod bonis iure Falcidiæ contribuendum eſt à debitore, cui mortis cauſa pacto debitũ remiſſum eſt, in factum concepta replicatione retinebitur.

VII. EVENTVS LEGIS Falcidiæ.

Prima huius loci regula eſt, quòd deminuto per legem Falcidiam legato, deminuitur etiam fideicommiſſum. de qua re uide ſ. lib. prox. cap. 7. reg. 19.

Secunda regula: *Deminuto per Falcidiam fundo legato, uiæ legatum ad eum fundum perit. quæ regula approbatur l. Plautius. 49. ĵ. fin. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Interdum euenit, ut propter rationem legis Falcidiæ ſequens legatum extinguatur: ueluti ſi fundus, & ad eum uia legata ſit per alium fundũ. nam ſi pars fundi remanſerit in hæreditate, non poteſt procedere uiæ legatum: quia per partes ſeruitus adquiri non poteſt. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi precium uiæ maius ſit, quàm pars lege Falcidia ablata. quæ exceptio approbatur l. ſi fundus. 23. ff. eod. tt. his uerbis*: Si fundus mihi legetur & uia, in Falcidiæ ratione (ſi tãtum ſit in uia, quanto amplius eſt in Falcidia) integer fundus capietur, & uia peribit: ſed ſi uia legetur, nec ſoluendo ſit hæreditas, non debebitur. Videndum etiam, ſi fundo & uia legato, minus ex utroque deſideretur, quàm ſit uiæ precium. & poteſt coacta ratione dici, non tantùm fundum ſolidum capi, ſed etiam ut doli exceptio tantum ſarciat, quantum deeſt, ne plus habeat quàm Falcidia deſiderat: ut tunc ſolùm uia intercidat, quoties plus Falcidia deſiderat, quàm eſt uiæ precium.

DE COMPVTATIONE ET æſtimatione bonorum legis Falcidiæ gratia facienda. Cap. II.

I. ANTECEDENTIA.

PRima regula, *de eligendo arbitro ad ineundam quantitatem bonorum, proponitur l. 1. ĵ. cum dicitur. ff. ſi cui plus quàm per l. Falcid. his uerbis*: Cum dicitur lex Falcidia locum habere, arbiter dari ſolet ad ineundam quantitatem bonorum, tametſi unus aliquis modicum fideicommiſſum perſequatur. *Concordat l. 2. C. de uſuris uel fructibus legatorum, his uerbis*: Aduerſus eos, qui ſub obtentu legis Falcidiæ legata moratur, notiſsimum eſt iuris auxilium. Si igitur propoſita ſtipulatione cauere cum ſatisdatione poteſtis, uos reſtituturos, quanto amplius quàm per eam legem licet, acceperitis: iudex qui de fideicommiſsis ius dicit, ſolida legata uobis præſtari iubebit. quòd ſi ſatisdationem implere non poteritis, arbitro dato diem uobis præfiniet, intra quem altera parte ceſſante, partib. ſuis fungetur: & ſi conſtiterit legi Falcidiæ locum non eſſe, & uſuras & fructus poſt litem contestatam percipietis.

Secunda regula, de denunciando abſentibus fideicommiſſarijs & creditoribus, ut ad arbitrum ueniant, proponitur d. l. 1. ĵ. cum dicitur. ibi: ſolet tamen, his uerbis: Solet tamen ab hærede etiam cæteris

denunciari fideicommissarijs, ut ueniãt ad arbitrium, ibique causam suam agant: plerunque etiam creditoribus, ut deære alieno probent.

Tertia regula, de instrumentis hæreditarijs & rationibus edendis, proponitur l.penult.§.fin.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis: Post aditam hæreditatem triennio exacto, legatarijs hæres legem Falcidiam opposuit idcirco, quòd administrarit tutelas testator, quarum ratio nondum reddita sit: & quòd neget tantum redigi ex nominibus posse, quantum in cautione deductum est. quæsitum est, an rationis defuncti & omnium instrumentorum hæreditariorum & pupillarium rationum legatarijs desiderantibus hæres describendi potestatem facere debeat, ne in potestate eius sit proferre quod uelit, & per hoc in fraudem legatarij inducantur? Scæuola respondit, ad iudicis officium pertinere, explorare ea per quæ probetur, quatenus sit in bonis.

II. EVENTVS COMputationis.

Computatio huius legis gratia facta, legatarijs absentibus non præiudicat. quæ regula approbatur l.1.§. cum dicitur. ff.si cui plus quàm per l.Falcidiam, &c. his uerbis: Quæ computatio præiudicare non debet cæteris qui ad arbitrium immissi non sunt.

III. ADFINE REmedium.

Hæres, si malit accepta cautione de eo quod amplius, &c. solida legata soluere, quàm hoc arbitrium seu hanc computationem subire, est audiendus. quæ regula approbatur d.l.1.§.solet tamen, in fine, his uerbis: Habet tamen rationem in legatarijs, item in fideicommissarijs, ut si offerat integrum quod relictum est, hæres desiderans caueri sibi hac stipulatione audiatur. *Idem iuris est, si legatarius quoq; hac cautione oblata, integrum sibi solui petat. quod approbatur l.2.C.de usuris & fructibus legatorum. cuius uerba uide paulò superius quæst.prox.reg.1.*

IIII. MODVS COMPVtandi & æstimandi.

Prima regula: *Antè detrahendum quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud hæredem remanet. quæ regula approbatur Instit.de lege Falcidia.§.fin. cuius uerba uide ẽ. cap.prox. quæst.4. reg.1. Concordat l.in quantitate.73.§.fin. ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.in prin.*

Secunda regula, de æstimatione huius legis gratia facienda, proponitur l.in Falcid.44. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis: In Falcidia æstimatio precij rerum ex ueritate facienda est. *Concordat l.in lege.62.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Corpora, si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei ueritatem æstimanda erunt, hoc est, secundum præsens precium: nec quidquã eorum formali precio æstimandum esse, sciendum est. *Exemplum huius regulæ primum proponitur l.cum pater. 60.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Legato petito, cum in litem iuratum est, ratio legis Falcidiæ, non eius summæ in quam legatarius iurauit, haberi debet: sed eius, quãti reuera fuit quod petitum est. Nam id quod pœnæ causa adcreuit, in legem Falcidiam non incidit. *Alia huiusmodi exempla proponuntur l.precia. 63.in prin.ff.eod.tt. his uerbis*: Precia rerum non ex affectu nec utilitate singulorũ, sed communiter singuntur. nec enim qui filium naturalem possidet, tanto locupletior est, quòd eum, si alius possideret, plurimo redempturus fuisset: sed nec ille qui filium alienum possidet, tantum habet, quãti eum patri uendere potest: nec expectandum est, dum uendat: sed in præsentia non quasi filius alicuius, sed quasi homo æstimatur. Eadem causa est eius serui qui noxam nocuit: nec enim delinquendo quisque precioſior fit. Sed nec hæredem post mortem testatoris institutum seruum tanto pluris esse, quo pluris uenire potest, Pedius scribit. Esse enim absurdum, ipsum me hæredem institutum non esse locupletiorem antequam adeam: si autem seruus hæres institutus sit, statim me locupletiorem effectum: cùm multis causis accidere possit, ne iussu nostro adeat. adquiri nobis certè, cum adierit: esse autem præposterum, antè nos locupletes dici, quàm adquisierimus. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi defunctus rem pluris uel minoris emerit. quæ exceptio reprobatur uerbis suprà propositis his.c*: Nec quidquam eorum formali precio æstimandum esse, sciendum est. *Secunda exceptio est: Nisi hæres rem alienam legatam, domino iusto precio uendere nolente, pluris quàm quanti reuera est redemerit. Et hæc exceptio reprobatur l.alienus.61. ff. eod.tt. his uerbis*: Alienus fundus tibi legatus est. hunc cum hæres emere nisi infinito precio non posset, emit multo pluris quàm quanti erat: qua emptione factum est, ut legatarij ad legem Falcidiam reuocarentur. quæro, cum si fundus tanti, quanti reuera est, emptus esset, legata non fuerant excessura ius legis Falcidiæ, an hoc ipso hæres institutus partem reuocandi à legatarijs ius habeat, quòd ex uoluntate defuncti pluris emerit fundum, quàm quanti erat? Iabolenus respondit: Quod amplius hæres, quàm precium fundi, legatario soluit, id in lege Falcidia imputari non potest: quia negligentia eius nocere legatarijs non debet, utpote cum is contestando ueram æstimationem præstare poterat. *Tertia exceptio est: Nisi defunctus rem pluris uel minoris æstimauit. Et*

hæc exceptio reprobatur l.quod.15.§.fin.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis: Quarta quæ per legem Falcidiam retinetur, æstimatione, quam testator fecit, non magis minui potest, quàm auferri. *Huius elegans exemplum proponitur l.si quis.78.§.si libertus.ff.de leg.1. his uerbis*: Si libertus patronum ex septunce hæredem scripserit, alios ex cæteris, & ita legauerit, Quisquis mihi alius ex supraſcriptis cum patrono meo hæres erit, ab eo seruos illum & illum Titio lego, quos singulos æstimo uicenis aureis: intelligendum erit, à cohærede patroni duntaxat legatum datum, & ideo Titium non amplius quincunce in seruis uindicare posse. Adiectio autem illa, Quos singulos æstimo uicenis aureis: non mutat legati conditionem, si legis Falcidiæ rationem habere oporteat: nihilominus enim uerum precium seruorum in æstimationem deducetur. *Quarta exceptio est*: *Nisi ob incertitudinem quantitatis uel rei, ea facilè æstimari non posit: hoc enim casu tanti æstimatio fieri debet, quanti res potest uenire. Hæc exceptio approbatur exemplis, quorum primum proponitur l.cùm Titio.55. ff.ad l.Falcid.his uerbis*: Cùm Titio in annos singulos dena legata sunt, & iudex legis Falcidiæ rationem inter hæredem & alios legatarios habeat: uiuo quidem Titio tanti litem æstimare debet, quanti uenire id legatum potest, in incerto posito quandiu uicturus sit Titius: mortuo autem Titio, non aliud spectari debet, quàm quid hæres ex ea causa debuerit. *Secundum exemplum est, si nomen hæreditarium non sit soluendo: tunc enim tanti æstimandum, quanti uenire potest. quod exemplũ proponitur l.quærebatur.81. in princ. ff.eod.tt. de quo ſ. quæst.5. reg.3.except.9.replic.2. Planè in legato sub conditione relicto, quamuis incertum sit, tamen exceptioni locus non est. quod approbatur l.in lege Falcid. 45.§.in his legatis.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis*: In his legatis, quæ sub cõditione relicta sunt, Proculus putabat, cum quæreretur de lege Falcidia, tantum esse in legato, quanti uenire posset. quod si est: & deductio sic potest fieri, ut tantum uideatur inde deberi, quanti nomen uenire potest. sed hęc sententia non probatur: cautionibus ergo melius res temperabitur. *De hisce cautionibus uide ẽ. lib.proxim. cap.9.cautione 3.causa 1.exemplo 2. Sanè in alimentorum quoq; & usufructus legato, quamuis & ipsum quoad quantitatem incertum sit, tamen propositæ exceptioni locus non est. nec enim tanti æstimari debet, quanti uendi potest. sed alia eius æstimatio proponitur l.hæreditatum.68.in prin.ff.ad l.Falcidiam. de quo paulò inferius reg.4. Quinta exceptio est*: *Nisi fundus pignori sit obligatus: tunc enim tanti æstimandus est, quanti uendi potest. quæ exceptio exemplum est exceptionis præcedentis, & approbatur l.1.§.si hæres.ff.ad senatusconsultum Trebellianum, his uerbis*: Si hæres percepto fundo rogatus sit hæreditatem restituere, ex Trebelliano senatusconsulto restituet hæreditatem: nec multum facit, si fundus pignori datus est. neq; enim æris alieni personalis actio fundum sequitur, sed eum cui hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto restituta est. sed cauendum est hæredi à fideicommissario, ut si fortè fundus fuerit euictus à creditore, habeat cautum. Iulianus autem cauendum non putat, sed æstimandum fundum, quanti ualeat sine hac cautione: hoc est, quanti uenire possit sine cautione. & si possit tanti uendere non interposita cautione, quantum facit quarta pars bonorum, ex Trebelliano transituras actiones: si minoris, retento eo quod deest, similiter ex Trebelliano restitutionem fieri. quæ sententia multas quæstiones dirimit. *Concordat l.mortis causa.18.§.fin.ff.de mortis causa donat. his uerbis*: Qui hominem noxæ nomine, uel aliàs obligatum mortis causa acceperit, tantum accepisse intelligendus est, quanti is homo uenire potuisset. Idem in fundo qui obligatus est, obseruari poterit, ut precium excutiatur.

Tertia regula: Præsentis temporis & loci æstimatio sequenda, non tamen ex ea caritate quæ rarò accidit. quæ regula approbatur l.precia.63.§.fin.ff.ad l.Falcid. his uerbis: Nonnullam precij uarietatem loca temporaq; adferunt. nec enim tantidem Romæ, ut in Hispania, oleum æstimabitur: nec continuis sterilitatibus tantidem, quãti secundis fructibus: dum tamen hic quoque non ex mometis temporum, nec ex ea quæ rarò accidit caritate precia constituantur.

Quarta regula, de alimentorum legato æstimando, proponitur l.hæreditatum.68.in princ.ff.ad l.Falcidiã, his uerbis: Hæreditatum computationis in alimentis faciendæ hanc formam esse Vlpianus scribit, ut à prima ætate usq; ad annum uicesimum quantitas alimẽtorum triginta annorum computetur, eiusq; quantitatis Falcidia præsetur: ab annis uerò uiginti usq; ad annum uicesimumquintum, annorum uiginti octo: ab annis uiginti quinq; usque ad annos triginta, annorum uiginti quinq;: ab annis triginta usq; ad annos triginta quinq;, annorum uiginti duorum: ab annis triginta quinq; usq; ad annos quadraginta, annorũ uiginti: ab annis quadraginta usque ad annos quinquaginta, annorum computatio fit, quot eius ætati usque ad annum sexagesimum deerit, remisso anno uno: ab anno uerò quinquagesimo usque ad annum quinquagesimum quintum, annorum nouem: ab annis quinquaginta quinq; usq; ad annum sexagesimum, annorum septem: ab annis sexaginta (cuiuscunq; ætatis sit) annorum quinq;.

Quinta regula, de usufructus legato æstimando, proponitur d.l.68. §.eoq; nos iure, his uerbis: Eoq; nos iure uti, Vlpianus ait, & circa computationem usufructus faciendam. solitum est tamen à prima ætate usq; ad annum uicesimum computationẽ annorum triginta fieri: ab annis uerò triginta tot annorum computationem iniri, quot ad annum sexagesimum deesse uidentur. Nunquam ergo amplius quàm triginta annorum computatio initur. *Huius regulæ exceptio hæc esse uidetur: Nisi reipubl. ususfructus sit legatus. Hæc exceptio reprobatur d.l.68.§.sic deniq;, his uerbis:* Sic denique, etsi reipubl. ususfructus legetur (siue simpliciter, siue ad ludos) triginta annorum computatio fit.

Sexta regula, de legato in singulos annos relicto. Hoc legatum tanti æstimandum, quanti uendi potest. quæ regula approbatur simul & distinguitur l. cum Titio. 55. ff. ad l. Falcid. cuius uerba uide paulò superius reg. 2. except. 4. Sed & distinguitur hoc modo: Nisi reipub. in annos singulos sit legatum. quæ distinctio approbatur l. si hæres. 5. §. fin. ff. ad l. Falcid. his uerbis: Si reipub. in annos singulos legatum sit, cum de lege Falcidia quæreretur, Marcellus putabat tantum uideri legatum, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes eius summæ, quæ legata est, colligendas.

Septima regula, de re pignori obligata æstimanda, proponitur l. 1. §. si hæres. ff. ad senatusconsult. Trebell. cuius uerba uide paulò superius reg. 2. except. 5.

Octaua regula, de nomine quod non est soluendo, æstimando. Hoc nomen legatum inter cætera legata non computatur, & nullius momenti reputatur. quæ regula approbatur l. Nesennius. 22. §. fin. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis: Si alij nomen, quod non est soluendo, legetur: nullum legatum erit, nec cæteris contribuetur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ipsi debitori liberatio sit legata. tunc enim in totum computatur. de quo uide ẽ. quæst. 5. reg. 3. except. 9. replic. 2. Secunda exceptio est:* Nisi nomine legato, aliquid exigi ab eo possit. *hoc enim quod exigi potest, computatur. Tertia exceptio est: Nisi nomen quod minus soluendo est, donationis causa alicuius creditori sit delegatum. tunc enim tanti æstimatur, in quantum debitor legatarius est liberatus. Hæ duæ exceptiones approbantur l. mortis causa. 18. §. si donationis. ff. de mortis causa donat. cuius uerba uide ẽ. libro prox. cap. 7. quæst. 3. reg. 2. Concordat l. mortis causa. 31. §. si insseris. ff. eod. tt. cuius uerba uide d. reg. 2. Reliquæ huiusmodi exceptiones uide ẽ. quæst. 5. reg. 3. except. 9.*

Nona regula, de legato sub conditione relicto æstimando, proponitur l. in lege Falcid. 45. §. in legatis. ff. ad l. Falcidiam. cuius uerba uide paulò superius reg. 2. except. 4.

Decima regula, de legato in diem relicto, proponitur d. l. 45. in prin. his uerbis: In lege Falcidia non habetur pro puro, quod in diem relictũ est: medij enim temporis commodum computatur. *Concordat l. in quantitate. 73. §. in diem. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 9. cautione 3. causa 1. except. 1. Concordat item l. nisi. 3. §. quoties. ff. si cui plus quàm per l. Falcidiam, &c. cuius uerba uide ẽ. d. except. 1.*

Vndecima regula, de legato seruorum æstimando, proponitur l. si duob. 3. in princ. ibi: cæteris autem. C. cõmunia de legatis. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 11. quæst. 1. except. 21.

V. QVAE EXTRA VEL INTER bona defuncti, uel in quartam hæredis partem, item inter legata sint connumeranda?

1. Regula, De eo quod bonis post mortem testatoris accessit. Per hoc non augetur hæreditas defuncti. Quæ regula approbatur Instit. de l. Falcidia. §. quantitas, his uerbis: Quantitas patrimonij, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. Itaque, uerbi gratia, si is qui centum aureorum patrimonium in bonis habebat, centum aureos legauerit, nihil legatarijs prodest, si ante aditam hæreditatem per seruos hæreditarios, aut ex partu ancillarum hæreditariarum, aut ex fœtu pecorum tantum accesserit hæreditati, ut centum aureis legatorum nomine erogatis, hęres quartam partem hæreditatis habiturus sit: sed necesse est, ut nihilominus quarta pars de legatis detrahatur. Ex diuerso, si septuagintaquinque legauerit, & ante aditam hæreditatem in tantum decreuerint bona, incẽdijs fortè, aut naufragijs, aut morte seruorum, ut non amplius quàm septuagintaquinque aureorum substantia, uel etiam minus relinquatur, solida legata debentur: nec ea res damnosa est hæredi, cui liberum est non adire hæreditatem. quæ res efficit, ut sit necesse legatarijs (ne destituto testamento, nihil consequantur) cum hærede in portione pacisci. *Concordat ijsdem uerbis l. in quantitate. 73. in prin. ff. ad l. Falcidiam. Item concordat l. in ratione. 30. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* In ratione legis Falcidiæ mortes seruorum cæterorumq; animalium, furta, rapinæ, incendia, ruinæ, naufragia, uis hostium, prædonum, latronum, debitorum facta peiora nomina: in summa, quodcunque damnum (si modò culpa legatarij careant) hæredi pereunt: quemadmodum ad hæredis lucrum pertinent fructus, partus ancillarum, & quæ per seruos adquisita sunt, ut stipulationes, rerum traditiones, legata hæreditatésue his datæ, cæteræ donationes, item seruitutes quibus liberata prædia preciosiora fierent, actionesq; adquisitę, ut furti, damni, iniurię, similesq;, quorum nihil in rationem legis Falcidiæ cadit. *Concordat item l. cum quo. 56. in prin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. reg. 3. except. 9. repl. 3.*

repl. 3. Concordat item l. in duplicib. 78. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. reg. 22. except. 1. Concordat item l. scribit. 53. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide ẽ. lib. proxim. cap. 4. de eo quod ad rog. reg. 7. except. 3. Concordat item l. eo tempore. 50. §. si creditor. ff. de peculio. cuius uerba uide ẽ. lib. 45. cap. 12. quæst. 1. reg. 17. except. 1. Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi fructus mortis tempore pendeant. quæ exceptio approbatur l. in Falc. 9. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis: In Falcidia placuit, ut fructus postea percepti, qui matu- ri mortis tempore fuerint, augeant hæreditatis æstimationem fundi nomine, qui uideturillo in tempore fuisse preciosior. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi partus ancillæ sit mortis tempore conceptus. quæ replicatio approbatur d. l. 9. in fine, his uerbis:* Circa uentrem ancillæ uerò nulla temporis admissa distinctio est. nec immeritò: quia partus nondum editus, homo non rectè fuisse dicitur. *Secunda exceptio est: Nisi pendente die uel conditione legati, hæreditati accesserit. quæ exceptio approbatur l. mulier. 22. §. si hæres. ff. ad senatusconsult. Trebellian. his uerbis:* Si hæres post multum temporis restituat, cùm præsenti die fideicommissum sit, deducta quarta restituet. Fructus enim qui percepti sunt, negligentia petentis, non iudicio defuncti percepti uidentur. Alia causa est, si sub conditione, uel in diem rogatus fuerit: tunc enim quod percipitur, submouet Falcidiam, si tantum fuerit, quantum quarta facit, & quartæ fructus. nam fructus qui medio tempore percepti sunt, ex iudicio testantis percepti uidentur. *Concordat l. in fideicommissariam. 18. in prin. ibi: planè fructus. ff. d. tt. his uerbis:* Planè fructus in quartam imputantur, ut est rescriptum. *Concordat item l. deducta. 58. §. ante diem. ff. d. tt. his uerbis:* Ante diem fideicommissi cedentem fructus & usuræ, quas debitores hereditarij, cum postea cessisset dies, soluerunt: item mercedes prædiorum ab hærede perceptæ, portioni quadrantis imputabuntur. *Concordat item l. quod 25. §. quod annus, in fine. ff. ad l. Falcidiam. cuius uerba uide ẽ. reg. 4. except. 4. repl. 2. Concordat item d. l. 15. §. fructus. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. quæst. 4. reg. 2. item l. filiusfam. 18. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. quæst. 1. except. 3. Concordat item l. Falcidiæ. 24. §. 2. ff. d. tt. ubi Paulus respondit, partus ancillarum ante diem fideicommissi editos, ad hæredes eius qui rogatus est, pertinere: eosq; in quartam & quartæ fructus computandos, si de lege Falcidia quæstio incidat. Concordat l. sed si. 16. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Cæcilio placebat, si quid ex operis eius medio tempore consecutus fuerit hæres, id in precium eius erogare eum debere propter legis Falcidiæ rationem. *Concordat item l. in lege Falc. 45. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. eod. cap. quæst. 4. reg. 10. Concordat item l. circa. 66. in princip. ff. eod. tt. his uerbis:* Circa legem Falcidiam in eo quod sub conditione uel in diem alicui relictum est, hoc obseruandum est: Si decem sub conditione alicui fuerint relicta, eaq; conditio post decennium fortè extiterit, non uidentur decem huic legata, sed minus decem: quia interuallum temporis & interusurium huius spacij minorẽ facit quantitatẽ decẽ. *Concordat item l. in quantitate. 73. §. in diem relicta. ff. eod. tt. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 9. caut. 3. causa 1. except. 1. Concordat item l. qui quadringenta. 87. §. fin. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Qui ducenta in bonis relinquebat, legauit mihi centum præsenti die, tibi æquè centum sub conditione. post aliquantum temporis extitit conditio, ita tamen, ut ex reditu eius summæ, quæ tibi relicta est, non amplius quàm uiginti quinq; reciperet. legis Falcidiæ ratio ita habenda erit hæredi, ut uigintiquinq; conferre ei debeamus, & amplius fructus, scilicet medij temporis, qui (uerbi gratia) efficiant quinque. Cum igitur triginta sint conferenda, quidam putant quina dena ab utroque nostrûm conferenda esse: quod minimè uerum est. Licet enim eandem quantitatem acceperimus, manifestum tamen est, aliquanto uberius esse meum legatum: quare statuendum erit, tanto minus in tuo legato esse, quantum ex fructibus eius hæres perceperit. secundum quod in proposita specie computationem ita iniri oportet, ut ex septem partibus ego quatuor, tu tres conferamus: quandoquidem quarta pars amplius in meo, quàm in tuo legato est. *Concordat item l. Papinianus. 8. §. unde si quis, ibi: fructus enim. ff. de inofficioso testamento. cuius uerba uide ẽ. lib. 31. cap. 5. repl. 5. dupl. 2. Hactenus leges quibus exceptio proposita approbatur, enumerasse sufficiat: nunc eius exceptionis replicationes sunt proponendæ. Harum prima hæc est: Nisi legatum purum sit, sed extrinsecus ex aliqua causa differatur: hoc enim casu fructus medio tempore percepti non computantur in Falcidiam. quæ replicatio approbatur l. mulier. 22. §. si hæres. ff. ad senatusconsl. Trebell. cuius uerba uide ẽ. eod. except. in prin. Concordat l. 1. §. sed etsi seruo. ff. ad l. Falcid. cuius uerba uide ẽ. reg. 21. Secunda replicatio est: Nisi filius filiáue testatoris rogati sint post mortem suam hæreditatem restituere: hoc enim casu fructus medio tempore percepti in Falcidiam non imputantur. Hæc replicatio approbatur l. iubemus. 6. in prin. C. de senatusconsl. Trebell. his uerbis:* Iubemus, quoties pater uel mater, filio seu filia, filijs uel filiabus, ex æquis uel iniquis partibus institutis, inuicem seu simpliciter quosdam ex his aut quendam rogauerit, qui prior sine liberis decesserit, portionem hæreditatis suę superstiti seu superstitibus restituere: ut omnibus modis retenta quarta pro authoritate Trebelliani senatusconsulti, non pe- imputationem redituum (licet hoc testa-

tor rogauerit uel iusserit) sed de ipsis rebus hereditarijs dodrans restituatur. Idemq; in retinenda legis Falcidiæ portione obtinere iubemus, etsi pater uel mater, filio seu filia institutis (sicut suprà dictum est) hæredibus, rogauerit eos eásue nepotibus uel neptibus, pronepotibus uel proneptibus suis, siue deinceps restituere hæreditatem. *Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi testator fructus in Falcidiam imputari uoluerit. quæ duplicatio reprobatur uerbis iam propositis hisce:* Licet hoc testator rogauerit uel iusserit. *Secunda duplicatio est: Nisi alius quàm filius uel filia testatoris rogata sit. Tertia duplicatio est: Nisi alijs quàm fratribus aut filijs uel nepotibus suis restituere sit rogatus. Hæ duæ posteriores duplicationes approbantur d.l.6. §.fin.his uerbis:* Illud etiam admonemus, ea quæ de Falcidiæ portione non per reditus, sed per ipsas res hæreditarias retinenda, & de satisdatione fideicommissorum (sicut suprà dictum est) concedenda diximus: non ulterius quàm in his personis & casibus, quorum quarumq; superius mentio facta est, oportere produci. *Ait imperator:* Et de satisdatione fideicommissorum, &c. *De hac re uide ff.lib.prox.cap.12. quæst.1.except.6.replic.2 & 3. Tertia replicatio est: Nisi fructus uel usuras nullas perceperit rogatus. Hæc replicatio approbatur exemplo l.deducta.58. §.ante diem. ibi:cum autem.ff.ad S.C. Trebell.his uerbis:* Cum autem post mortem suam rogatus hæreditatem restituere, res hæreditarias distrahere non cogatur hæres, sortium quæ de precijs eorum redigi potuerunt, usuræ propter usum medij temporis perceptæ non uidebuntur. *Hæc de secunda exceptione ciuúq; replicationibus sunt dicta. Tertia propositæ regulæ exceptio proponitur & reprobatur l.Falcidiæ.24. §.fin.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Paulus respondit, fructus ex propria re hæredis, quæ legata est, post diem fideicommissi cedentem perceptos, etsi non sint restituendi fideicommissario, hæredi in quartam imputari non solere. *Quarta exceptio est: Nisi res testatoris ab hostibus capta, post mortem eius fit recuperata. Hæc exceptio approbatur l.serui.42.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Serui qui apud hostes sunt, post mortem testatoris reuersi (quod ad Falcidiam pertinet) locupletiorem faciunt hæreditatem. *Quinta exceptio est: Nisi per actionem quæ defuncto competebat,hæreditati accesserit,uel accedere possit.Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicentur ff. reg.3. Sexta exceptio est: Nisi nomen quod tempore mortis non fuit soluendo, postea soluendo esse cœperit. Hæc exceptio approbatur ff. reg.3. except.9. repl.4. Septima exceptio est: Nisi, cum sub conditione defuncto deberetur, conditio post mortem eius extiterit. quæ exceptio approbatur per ea quæ dicentur ff. reg.3. except. 16. Octaua exceptio est: Nisi quis sibi & filio suo impuberi testamentum fecerit. hoc enim casu, quantum ad impuberis hæreditatem attinet, eius, nõ testatoris mors spectanda uidetur. Verum exceptio hæc reprobatur l. in duplicib.78.in prin.ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ff.reg.22.except.1.*

II. *Regula, De eo quod bonis post mortem testatoris decessit. Per hoc hæreditas, quoad Falcidiam, nõ deminuitur. quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt ff.reg.prox.in prin. Cui concordat l.deducta.58. §.ante diem,in fine.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Nec periculum mancipiorum aut urbanorum prædiorum hæres præstare cogitur: sed nihilominus usus & casus eorum quadrantem quoque diminuit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi per contra tabulas bonorum possessionem uel aliam similem causam hæreditas uel portio hæredis deminuatur. Hæc exceptio approbatur l.in ratione.11. §.imperator.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Imperator Marcus Antoninus decreuit, hæredes quibus pars bonorum ablata est, non in ampliorem partem, quàm pro ea parte quæ relicta est, legatorum nomine teneri. *Plura de exceptione proposita uide ff. lib. prox. cap.7. reg.19. cum reg.sequente. Secunda exceptio est: Nisi per sententiam iudicis hæreditati decesserit. Hæc exceptio approbatur d.l.11. §.cũ quidam,his uerbis:* Cum quidam parte dimidia bonorum adempta fuisset relegatus, idemq; prouocatione interposita testamento postea facto obijsset, atque post mortem eius, non iustè appellatum esse, pronunciatum esset: quæsitum est, utrum æris alieni loco pars dimidia abscederet, ut residua sola uideretur fuisse in bonis, an uerò succurri hæredi necessarium esse uideretur? Sed uidetur succurri debere, cum animus litigãtis obtinendi uotũ hanc opinionem admittat. *Tertia exceptio est: Nisi propter æs alienum defuncti hæreditati decesserit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicentur in serium reg.* 4. *Quarta exceptio est: Nisi res quæ post mortem testatoris perijt, legata sit. hoc enim casu legatario, non hæredi res perijt. Cuius exceptionis replicatio hæc est: Nisi genus seu res incerta, non species aliqua certa sit legata. Sed & huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi res aliqua incerta ex rebus certis sit legata. hoc enim casu rebus omnibus certis peremptis, et incertæ rei legatũ perit. Hæc exceptio cum sua replicatione & replicationis duplicatione approbatur l.in ratione.30. §. diligenter. ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Diligenter animaduertendũ est, ne quod dicitur, dãna post mortem testatoris illata ad solum hæredẽ respicere, usquequaq; & sine ulla distinctione recipiatur. quod enim remota lege Falcidia in totũ iuris foret, hoc idem foret & in ea parte, quę lege Falcidia constituere tur. hoc enim attinet damna postea facta nõ deduci, ne amota portio legatis fideiue cõmissis detrahatur. Verum est autem, his solis quæ pondere, numero, mensura constant,

itant, nec damno postea incidente, ex portione, quæ fieri solet ad æstimationem eorum bonorum, quæ mortis tempore fuerunt, quidquam detrahi. Certis uerò corporibus, & his ipsis ita relictis, Pecuniam quam in illa arca, uinum quod illis dolijs, pondus argenti quod in illis horreis habeo: si non culpa hæredis deperierunt, uel deteriora sunt facta, proculdubiò aut nihil debebitur, aut eorum quæ extabunt, qualia erunt, ea portio debebitur, quæ per legem Falcidiam efficiatur ex æstimatione bonorum, quæ mortis testatoris tempore fuerint. incertæ autem res relictæ distinctionem recipiunt. nam si ex suis rebus incertam rem testator reliquisset, ueluti, Argentum quod elegerit, & omne argentum testatoris interijsset sine culpa hæredis, nihil deberetur: si uerò argenti pondus purè relictum esset, quamuis omne argentum testatoris deperijsset, admissa lege Falcidia, portio eius quantitatis sumetur, quæ fuit in bonis eo tempore, quo testator decesisit: nec ad deminuendam eam quidquam damna postea incidentia proficient. Res tamen quæ interierint, pro nulla parte, ac ne æstimatio quidem debebitur, non magis quàm si omnes res per speciem enumeratæ relictæ essent. *Sed plura de proposita exceptione cum sua replicatione uide suprà libro 32. capite 11. cauſ.12. item ff. libro 48. capite 19. except.11. Quinta exceptio est: Nisi culpa legatarij quid ex hæreditate perierit. Hæc exceptio approbatur l.in ratione.30. in prin. ibi: si modò culpa legatarij carcant. ff.ad l.Falcid. cuius uerba uide ff.reg.prox.in princip. Sexta exceptio est: Nisi ius aliquod personale fuit, quod cum persona ipsius testatoris est extinctum. Hæc exceptio approbatur l.pœnales.32. §.1.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Sed nec in actoris quidem bonis, defuncto eo, iniuriarum actio poterit computari: quia & ipsa simul cum eo intercidit, uti ususfructus, & id quod in dies, menses annósue singulos alicui, quoad uiuat, debetur. *Septima exceptio est: Nisi simul cum ipso testatore perierit. quæ exceptio approbatur l.sed & 19. in fine. ff. de rebus dubijs,his uerbis:* Sed & circa legem Falcidiam, si dominus cum seruis simul uita functus sit, serui quasi in bonis eius mortis tempore fuerint, non computantur.

III. *Regula, De actionibus defuncto competentibus. Hæ inter bona defuncti computantur. quæ regula approbatur l.bonorum.49. §.fin. ff.de uerb. significis. his uerbis:* Aequè bonis annumerabitur, etiamsi quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. nam hæc omnia in bonis esse uidentur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi actiones sint pœnales. Hæc exceptio reprobatur l.pœnales.32. in prin. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Pœnales actiones (siue legitimæ, siue honorariæ) exceptis popularibus in bonis actoris, non ideo minus computandę sunt, quia morte reorum intercidere possunt: econtrà rió autem eædem actiones nihil bonis rei, defuncto eo, detrahunt. *Secunda exceptio est: Nisi populares sint actiones. Hæc exceptio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Exceptis popularibus. *Tertia exceptio est: Nisi iniuriarum sit actio. Hæc exceptio approbatur d.l.12. §.1. cuius uerba uide ff.reg.prox.ex.6. Quarta exceptio est: Nisi actio nulla certa lege firmetur, sed natura tantũ deberetur. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.1. §.id quod natura. ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Id quod natura hæreditati debetur, & peti quidem non potest, solutũ uerò non repetitur: nõ esse computandum in hæreditate, quidã putant: sed Iulianus & ex hoc euentu augere patrimoniũ, aut non augere existimat, & hæreditario iure id quoq; capi: ideoq; & in restitutionẽ hæreditatis uenturũ. *Ait Iulianus:* Et hoc ex euentu augere patrimoniũ. *Id est, si solutũ sit. Continetur ergo in hisce uerbis aduersus propositam exceptionẽ replicatio hæc: Nisi id quod naturaliter tantùm debetur, solutũ sit. Cuius elegans exemplum proponitur l.si pupillus.21. in prin. ibi: aut etiam in Falcidia hæredi imputentur. ff.d.tt.de quo ff.reg.13.except.3. Quinta exceptio est: Nisi aduersus hæredem defuncti actio competat. Hæc exceptio reprobatur l.1. §.si debitor. ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Si debitor creditori hæres existat, quáuis confusione liberetur, tamen locupletiorẽ hęreditatẽ percipere uidetur, ut cõputetur ei quod debet, quãuis additione cõfusum sit. *Huius exemplũ proponitur l.maritus.94.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Maritus uxoris res extra dotem constitutas administrauit, eaq; decedens ante rationẽ sibi redditam administrationis, ex asse eundẽ maritũ hæredem reliquit, eiusq; fidei commisit, ut decem uncias filio communi, cum moreretur, restitueret, duas autem uncias nepoti. quæsitum est, an id quoq;, quod ex administratione rerũ apud maritum resedisse constiterit, cum cæteris pro rata decem unciarum filio restitui debeat? Scęuola respondit, id quod debuisset hæreditati, in rationẽ uenire debere. *Planè si uẽditor emptoris hæres existens de euictione tenetur, non in duplũ, sed in simplũ fit computatio. Quod approbatur l.cum emptor.48.ff. ad l.Falcidiã. de quo ff.reg.4.exc.4. distinct.4. Sexta exceptio est: Nisi dies actionis nondum cesserit, ueluti si sub conditione debeatur. Hæc except. tractatur l.in quantitate.72. §.magna.ff.ad l.Falcid.his uerbis:* Magna dubitatio fuit de his, quorum conditio mortis tẽpore penderet: id est, an id quod sub cõditione debetur, in stipulatoris bonis adnumeretur, & ꝑmissoris bonis detrahatur? sed hoc iure utimur, ut quãti ea spes obligationis uenire possit, in tãtũ stipulatoris quidẽ bonis accedere uideatur, ꝑmissoris uerò decedere.

decedere. & cautionibus res explicari poteſt, ut duorum alterum fiat, ut aut ita ratio habeatur tanquam purè debeatur, aut ita tanquam nihil debeatur: deinde hæredes & legatarij inter ſe caueant, ut exiſtente conditione authæres reddat, quanto minus ſoluerit: aut legatarij reſtituant, quanto plus conſecuti ſint. *Concordat l. cum quo. 56. in prin. ibi: ſicuti cum conditio. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. except. 9. repl. 3. Huic ſimile eſt, ſi defunctus quid poſt mortem ſuam ſibi dari ſit ſtipulatus. De quo l. pœnales. 32. §. 1. ff. cod. tt. cuius uerba uide ſ. reg. prox. except. 1. Septima exceptio eſt: Niſi defunctus exigi debitũ prohibuit. Hæc exceptio approbatur l. pater. 14. §. auia. ibi: ſed huius quoq; onus. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. cap. prox. except. 33. Octaua exceptio eſt: Niſi eadẽ actio alij quoq; in ſolidum competat. Hæc exceptio approbatur l. in lege. 62 ff. ad l. Falcid. his uerbis:* In lege Falcidia hoc eſſe ſeruandum, Iulianus ait, ut ſi duo rei promittendi fuerint, uel duo rei ſtipulandi, ſiquidem ſocij ſint, in ea re diuidi inter eos debeat obligatio, atque ſi ſinguli partem pecuniæ ſtipulati eſſent uel promiſſiſſent: quòd ſi ſocietas inter eos nulla fuiſſet, in pendenti eſſe, in utrius bonis computari oporteat id quod debetur, uel ex cuius bonis detrahi. *Nona exceptio eſt: Niſi debitor hæreditarius minùs ſit ſoluendo. Hæc exceptio approbatur l. precia. 63. §. penult. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Cuius debitor ſoluendo non eſt, tantum habet in bonis, quantum exigere poteſt. *Concordat l. quærebatur. 81. in prin. ibi: quare cum nomen. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. lib. 32. cap. 12. cauſa 68. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi hæres ipſe ſit debitor hæreditarius, non ſoluendo exiſtens. Hæc replicatio approbatur per ea quæ dicentur ſ. repl. prox. Huius replicationis duplicatio eſt: Niſi hæres non ſuo, ſed filij uel ſerui ſui nomine de peculio teneatur. quæ repli catio approbatur l. cũ quo. 56. in prin. & l. ſi creditor. 82. ff. ad l. Falcid. de quo ſ. repl. 3. Secunda replicatio eſt: Niſi ipſi debitori, qui non eſt ſoluendo, liberatio ſit legata. Hæc replicatio approbatur l. Neſennius. 22. §. fin. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Si debitori liberatio legata ſit, quamuis ſoluendo non ſit, totum legatum computatur: licet nomen hoc non augeat hæreditatem, niſi ex euentu. Igitur ſi Falcidia locum habeat, hoc plus uidetur legatum, quod huic legatũ eſt: cæterа quoque legata minuẽtur per hoc, & ipſum hoc per alia: capere enim uidetur, eo quòd liberatur. Sed ſi alij hoc nomen legetur, nullum legatum erit, nec cæteris contribuetur. *Concordat l. quærebatur. 81. ff. d. tt. cuius uerba uide ſ. lib. 32. cap. 12. cauſ. 68. Item concordat l. mortis cauſa. 30. §. Iuliano. ff. de mortis cauſa donat. his uerbis:* Iuliano placet, licet ſoluendo non ſit debitor, cui acceptolatum ſit, uideri ei mortis cauſa donatum. *Concordat item d. l. 30. §. fin. his uerbis:* Per acceptilationem quoq; egenus debitor liberatur, totam eam pecuniam, qua liberatus eſt, accepiſſe uidetur. *Tertia replicatio eſt: Niſi tempore mortis teſtatoris debitor fuerit ſoluendo. Hæc replicatio approbatur l. in ratione. 30. in prin. ibi: debitorum facta peiora nomina. ff. ad l. Falcid. cuius uerba uide ſ. prox. reg. 1. in prin. Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi pater dominiue hæres filij uel ſerui ſui nomine de peculio teneatur. hoc enim caſu nõ quantum mortis, ſed aditæ hæreditatis tẽpore in peculio fuerit, inſpicitur. quæ duplicatio approbatur l. ſi cred. 82. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Si creditor filij tui hæredem te inſtituerit, & legis Falcidiæ rationem ponas: peculij quantitas, quod aditæ hæreditatis tempore fuit, in quadrantẽ tibi imputabitur. *Huic quodammodò contradicit l. cum quo. 56. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum quo de peculio agi poterat, hæres creditori extitit. quæritur, cuius temporis peculium computari oporteat in Falcidia lege? Pleriq; putãt, quod tunc in peculio fuerit, cum adiretur hæreditas, inſpiciendum. Ego dubito, quoniam mortis tempus in ratione legis Falcidiæ ineunda placuit obſeruari. quid enim intereſt, peculium ſerui poſt mortem creditoris deminutum ſit, an debitor pauperior factus? Aliquis dicet: Quid ex contrario, ſi ante aditam hæreditatẽ adquiſierit ſeruus? & ego quæram, quid ſi debitoris, qui tunc non erat ſoluendo, ampliatæ facultates fuerint? & cũ in iſto placuerit, ex pòſt facto uberiorem uideri fuiſſe hæreditatẽ, ſicuti cum conditio crediti extitit poſt mortem: ita etiam peculij incrementum pleniorem faciet hæreditatem. Scæuola notat: Quid ergo, ſi idem ſeruus defuncto & alij dena debuerit, & unà decem habeat? augetur ſcilicet & his hæreditas, decem quæ defuncto naturaliter debebantur, in hæreditate manentibus. *Quarta replicatio eſt: Niſi debitor poſtea rurſus ſoluẽdo eſſe cœperit. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce:* Et ego quæram, quid ſi debitoris, qui tunc non erat ſoluendo, ampliatæ facultates fuerint? & cum in iſto placuerit, ex pòſt facto uberiorem uideri fuiſſe hæreditatem, &c. *Concordat l. Neſennius. 22. §. fin. ibi: niſi ex euentu. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. proxim. repl. 2. Hæc de nona exceptione. Decima exceptio eſt: Niſi temporariæ ſint actiones. Hæc exceptio reprobatur l. pœnales. 32. §. honorariæ quoq; ff. ad legem Falcidiam, his uerbis:* Honorariæ quoque actiones, quæ intra certum tempus à Prætore promittuntur, tum bonis actoris defuncto eo augmentum, tum rei uerò deceſsionem (ſi tales erunt, ut in hæredem quoque tranſeant) præſtabũt. *Vndecima exceptio eſt: Niſi actio per exceptionem elidi poſſit. Hæc exceptio approbatur quidem ipſo iure, uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi culpa hæredis debitor exceptionem ſit nactus. quæ replicatio approbatur exemplo l. liberto. 26. in fine. ff. de bonis*

de bonis libertorum. cuius uerba uide ſ. lib. 20. cap. 7. quæſt. 2. except. 2. repl. 3.

IIII. *Regula, De actionibus aduerſus defunctum competentibus, & ære alieno. iſtæ actiones regulariter minuunt bona defuncti. quæ regula approbatur inſt. de lege Falcidia. §. fin. cuius uerba uide ſ. cap. prox. quæſt. 4. reg. 1. in prin. Concordat l. ſucceſſores. 16. C. ad legem Falcidiam. & l. ſi uniuerſæ. 15. C. de legatis. de quibus uide ſ. lib. 32. cap. 12. cauſa 68. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi actiones ſint pœnales, uel aliæ quæ morte rei extinguuntur. Hæc exceptio approbatur l. pœnales. 32. in prin. ibi: è contrario autem. ff. ad legem Falcidiam. cuius uerba uide paulò ſuperius reg. prox. except. 1. Concordat d. l. 32. §. etenim ea demum. his uerbis:* Ea demum obligatio rei bonis deminutionem præſtat, quæ in hæredem tranſit: nec contrarium eſt, quòd uiuente reo, eo minus in bonis eius intelligebatur. nam etſi ita ſtipulatus eſſet, ut cum moreretur, débere ei inciperet, tamen augerentur bona eius: quemadmodum ſi ipſe ſub eadem conditione promiſiſſet, defuncto eo minuerentur. *Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi lis uiuo teſtatore eo nomine ſit conteſtata. Hæc replicatio approbatur exemplo l. in ratione. 11. §. cum quidam. ff. ad legem Falcidiam. cuius uerba uide ſupra proximè, regul. 2. except. 2. Secunda exceptio eſt: Niſi dies actionis mortuo demum teſtatore, uel poſt mortem eius cedat. Hæc exceptio reprobatur iam dictis uerbis hiſce:* Quemadmodum ſi ipſe ſub eadem conditione, &c. *Plura de hac exceptione uide ſ. reg. proxim. except. 6. Sanè propoſitæ exceptionis exemplum uidetur eſſe l. ſi dos. 84. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Si dos ſocero data eſt, & ſolus filius hæres patri extitit: dotem confeſtim in computationem hæreditatis & Falcidiæ rationem in ære alieno deducet. Aliter enim uidebitur uxorem indotatam habere. Quòd ſi filius extraneum cohæredem habeat, ipſe quidem ſemper, pro qua parte patri hæres erit, dotem in ære alieno deducet: & cohæres eius, antequam dos à filio percipiatur. *Tertia exceptio eſt: Niſi temporaria ſit actio. Et hæc exceptio reprobatur d. l. 32. §. honorariæ. cuius uerba uide ſupra reg. prox. except. 10. Quarta exceptio eſt: Niſi ipſi hæredi debeatur. Et hæc exceptio reprobatur l. in ponenda. 6. in princip. C. ad l. Falcidiam, his uerbis:* In ponenda ratione legis Falcidiæ, omne æs alienum deducitur, etiam quod ipſi hæredi mortis tempore debitum fuerit, quamuis aditione hæreditatis confuſæ ſint actiones. *Huius exemplum proponitur l. qui fundum. 86. §. ſi quis. ff. ad l. Falcid. his uerbis:* Si quis hæredem inſtituerit eum, cui rogatus fuerat poſt mortem ſuam centum reſtituere, centum in ratione legis Falcidiæ deducere debet: quia ſi alius quilibet hæres extitiſſet, hæc centum in ære alieno ponerentur. *Concordat huic exemplo l. irritum. 8. C. ad l. Falcid. his uerbis:* Irritum quidem propterea teſtamentum fratris tui eſſe non poteſt, quòd ex cauſa fideicommiſſi obligatus fuit, ut ſi ſine liberis prior decederet, paternâ tibi hæreditatem redderet. Sed licet te hæredem ſcripſerit: in ponenda tamen legatorum ratione, quibus te oneratum eſſe ſuggeris, fideicommiſſum debitum ęris alieni loco deduci oportet, inſuperq; in reſiduo legis Falcidiæ beneficium uindicabis. *Concordat item l. fundo. 4. ff. eod. tt. his uerbis:* Fundo legato mihi ſub conditione, pendente legati conditione, hæres me hæredem inſtituit, ac poſtea legati conditio extitit. in Falcidiæ ratione fundus non iure hæreditario, ſed legati meus eſſe intelligitur. *Aliud exemplum proponitur l. licet. 14. C. eod. tt. his uerbis:* Licet adieris patris hæreditatem, & confuſione pro parte, qua eidem ſucceſſiſti, extinguatur actio, quam tibi competere eo, quòd ex adminiſtratione tutelæ multa eum debuiſſe, contendis: pro reſiduis tamen partibus cohæredes conuenire non prohiberis: & fundum à te relictum eatenus, quoad deducta quarta reſidui ſubſtantia patitur, præſtare neceſſe habes. *Concordat l. quod. 15. §. quod auus. ff. d. tt. cuius uerba uide paulò inferius repl. 2. Aliud exemplũ proponitur l. cum hæres. 51. §. ſed cum uxori. ff. ad ſenatuſc. Trebell. his uerbis:* Cum uxori pro parte hæredi ſcriptæ dos relegatur, eaq; deductis legatis hæreditatẽ reſtituere rogatur: etiam ſi quarta, quam per legem Falcidiam retinet, tantũ efficit, quantum in dote eſt: tamen pro ſuæ portione dotis relegatæ partem deducit. cum enim utrunq; conſequitur, nihil intereſt inter hanc mulierem, & quemuis alium creditorem hæredem inſtitutũ, & hæreditatem reſtituere rogatum. Idem probatur, etſi non deductis legatis fideicommiſſum relictum ab ea ſit. *Planè admittitur exceptio propoſita primùm, ſi debiti compenſandi cauſa creditor hæres ſit inſtitutus. quæ diſtinctio approbatur l. ſi debitor. 12. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis:* Si debitor creditorẽ hærede inſtituto petiiſſet, ne in ratione legis Falcidiæ ponenda creditum ſuum legatarijs reputaret: ſine dubio ratione doli mali exceptionis, apud arbitrũ Falcidiæ defuncti uoluntas ſeruatur. *Concordat l. cum pater. 79. §. Titio fratri, in fine. ff. de leg. 2. de qua re uide ſ. lib. prox. cap. 7. reg. 21. except. 1. Huius diſtinctionis replicatio hæc eſt: Niſi debitum quadrantem excedat, tunc enim, quod quadrantem excedit, ex dodrante deuehendum. quæ replicatio approbatur l. quod bonis. 15. §. cũ fideicommiſ. ff. ad l. Falcidiã, his uerbis:* Cum fideicommiſſum ex uoluntate matris à patre moriente debitũ eſſet filio, pater hæreditatem ſuam, quam in filium conferebat, compenſari uoluit cum eo quod filio debere-

tur.

tur. si ratio Falcidiæ poni cœperit, fini quadrantis, quem ex bonis patris cum effectu percepit, compensabitur, atq; ita superfluum eris alieni dodranti tantùm detrahitur. *Sed & alia propositæ distinctionis replicatio est: Nisi non specialiter sit expressum, compensandi debiti animo creditorem hæredem instituisse. Hæc replicatio approbatur exẽplo d.l.15.§.quod auus, his uerbis:* Quod auus ex causa tutelæ nepoti debuit, cùm auo nepos solus hæres extitisset, ratio Falcidiæ si poneretur, in ære alieno bonis deducendum Papinianus respondit: nec ad rem pertinere, quòd hęredem auus idemq; tutor rogauerat, ut si sine liberis ante certam ætatem decederet, tam hæreditaria bona, quàm propria restitueret. non enim ex hoc hæreditatem debito compensatam uideri: cum uel ideo maximè declaretur, non esse compensationem factam, quoniam hæredem suum habere propria bona defunctus ostendit. Planè si conditio fideicommissi fuerit impleta, fructus hæreditatis post mortem aui percepti, pari pecunia debito tutelæ compensabuntur: sed quartam hæres nepos de bonis duntaxat, quæ moriens auus reliquit, retinebit. *Hæc de prima distinctione, qua proposita exceptio admittitur, cũ eius replicationibus sine dicta. Altera distinctio, sub qua admitti uidetur, hæc est: Nisi testamentum militis sit. Hæc distinctio reprobatur l.in testam.7. C.ad l.Falcidiam, his uerbis:* In testamento quidem militis ius legis Falcidiæ cessat: sed si ea quæ ad uos pertinent, defunctus tenuit, bonorum eius uideri minimè possunt: & ideo rectè rationem eorum, ut æris alieni, habere desiderabitis. *Tertia distinctio est: Nisi defunctus non uni certæ personæ ex hæredibus debuerit, sed cui ipse uoluerit. Hæc distinctio reprobatur l.pater.54. ff.ad l. Falcidiam, his uerbis:* Pater filium, ex quo tres habebat nepotes, hæredem instituit, fideiq; eius commisit, ne fundum alienaret, & ut in familia eum relinqueret. filius decedens tres filios scripsit hæredes. quærendum est, an omnino quasi creditores unusquisque in ratione legis Falcidiæ aliquid possit deducere, quia in potestate sua habuerit pater, cui ex his potius relinqueret? Sed hac ratione nemo in Falcidiæ ratione quidquam deducet: quod uidendum ne durè constituatur. utique enim in alieno ære habuit fundum, quippe cùm necessitate obstrictus fuisset filijs eum relinquendi. *Quarta distinctio est: Nisi ex stipulatione de euictione à defuncto hæredi debeatur. hoc enim casu non duplum, sed simplum æris alieni loco deducitur. quæ distinctio approbatur l.cum emptor.48. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Cum emptor uenditori, uel contrà, hæres extitit: euicto homine, utrum duplum in æs alienum deducere uel computare debeat, an simplum? duplum enim esset, si alius hæres extitisset. & benignius est, eodem hærede existente simplum ei imputari. *Hæc de quarta exceptione reprobata, eiusq; distinctionibus. Plura de hac re uide ẽ.lib.prox.cap.7.reg.21. Quinta exceptio est: Nisi eadem actio, quæ aduersus defunctum competit, æquè aduersus alium quoque in solidum competat. Hæc exceptio tractatur l.in lege Falcid.62. ff.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ẽ. reg.proxim.except.8. Sexta exceptio est: Nisi hæres hæreditatem, quæ non est soluendo, pluris uendiderit. Hæc exceptio reprobatur l.si hæres.3.in prin.ff.ad l.Falcid.his uerbis:* Si hæres institutus eam hæreditatẽ, quæ soluendo non est, uendiderit, uix quidem poterit persuaderi, non fuisse eam hęreditatem soluendo, quæ emptorem inuenerit: uera autem ratione nihil legatarijs debebitur: quia magis ex stultitia emptoris uidetur habere hæres institutus, quàm ex bonis defuncti. *Septima exceptio est: Nisi hæres malè uendiderit hæreditatem. Hæc exceptio approbatur d.l.3. in princip. his uerbis:* Nam & econtrario, si malè uendiderit res hæreditarias, non erit hoc legatariorum detrimẽtum. Ita ergo commodum debet esse hæredis, si bene res administrauerit. *Octaua exceptio est: Nisi hæres cũ creditoribus hæreditarijs pactus sit de parte debiti remittenda. Hæc exceptio reprobatur d.l.3.§.sed & si is, his uerbis:* Sed & si is qui soluendo non est, legauerit, & hæres cum creditoribus decideri, ne solidum solueret, & ob eam decisionem factum sit, ut aliquid retineret: nihil tamen legatarijs debiturũ: quia eam pecuniam non ex hæreditate, sed ex decisione habeat. *Nona exceptio est: Nisi non legatum sit, sed mortis causa donatum. Hæc exceptio reprobatur l.circa.66.§.fin. ad l.Falcid.his uerbis:* Sicuti legata non debentur, nisi deducto ære alieno aliquid supersit: nec mortis causa donationes debebuntur, sed infirmabuntur per æs alienum. quare si modicum æs alienum interueniat, ex re mortis causa sibi donata nihil aliquis cõsequitur. *Decima exceptio est: Nisi non proprietas, sed ususfructus bonorum sit legatus. Et hæc exceptio reprobatur l.usufructu.69. ff. cod. tt. his uerbis:* Vsufructu bonorum legato, æs alienum ex omnibus rebus deducendum est: quoniam post Senatusconsultũ nulla res est, quæ non cadat in usumfructũ legatum. *Vndecima exceptio est: Nisi incertum sit æs alienum. hoc casu interponenda cautio est: de qua ẽ.lib.prox. cap.9. caut.3. in prin.exemplo 4. Duodecima exceptio est: Nisi unus hæredum solidũ æs alienum soluere sit damnatus. tunc enim cæteri hæredes æris alieni nomine nihil deducent. quæ exceptio approbatur l.in lege.8. ff.ad l.Falcid. his uerbis:* In lege Falcidia æris alieni ratione in hæreditate relicti, quod unus ex hæredibus soluere damnatus sit, ipse solus habebit. *Concordat l.cũ ab uno.55.§.fin. ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.*

de ẽ.libro 15.capite 5.quæst.2.regul.3.exception.3.

V. *Regula, De rebus ab hærede alienatis. Hæres in quartam partem hæredi computantur. Quæ regula approbatur l.Marcellus.3.§.res quæ.ff.ad senatusc.Trebellianum, his uerbis:* Res quæ ab hærede alienatæ sunt, in quartam imputantur hæredi.

VI. *Regula, De rebus ab hærede subtractis. Harum rerum hæres quartam non retinebit. quæ regula approbatur l.rescriptũ.6. ff.de his quæ ut indignis, &c. hisce uerbis:* Rescriptum est à principe, hæredem rei quam amouisset, quartam non retinere. & ideo si is qui quadringenta habebat, uniuersa quadringenta legasset, & hæres centum subtraxisset, trecentorum quartam retinebit (septuaginta quinque scilicet) & du centa uigintiquinque dabit legatarijs: sed ex centum quæ subripuit, legatarijs quidem dabit septuagintaquinque, reliqua, id est uigintiquinque, ad fiscum uenient. *Concordat l.Falcidiæ.24.in prin.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Falcidiæ legis rationem (si haberi oporteat) ita habendam, ac si res quæ ab hærede subtractæ sunt, in hæreditate relictæ non fuissent. *Concordat item Nouell.c.1.§.sancimus igitur. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.quæst.1. except.31.*

VII. *Regula, De re quam hæres hæreditariam esse negauit. Et huius quartam non retinebit. Hæc regula approbatur l.hæreditatum.68.§.fin. ff.ad l.Falcid. his uerbis:* Si quis ex hæredibus rem propriam esse contendat, deinde hæreditariam esse conuincatur: quidã putant, eius quoq; Falcidiam non posse retineri: quia nihil interfit, subtraxerit, an hæreditariam esse negauerit. quod Vlpianus rectè probat.

VIII. *Regula, De re quam hæres sua culpa amisit. Ea quoq; ei in quartam partem imputatur. quæ regula approbatur exemplo l.alicuius.61. ff.ad l.Falcid. cuius uerba uide ẽ.eod.cap.membro 4.reg.2.except.2. Aliud exemplum proponitur ẽ.cap.prox.except.5. Itẽ exemplum huius regulæ proponitur l.hæredi.15. ff. de his quæ ut indignis, &c. hisce uerbis:* Hæredi qui falsos codicillos esse dixit, neque obtinuit, hæreditas non aufertur: si tamen aliquid à cohærede codicillis acceperit, eius actio denegabitur. Itaque si bonorum inter hæredes diuisionem defunctus codicillis fecerit, partes quidem hæreditarias, in quibus legatum consistere non potuit, tenebit: sed Falcidiæ beneficio non utetur, si tantum in amissis portionibus erit, quod Falcidiam æquitate compensationis recuset. *Aliud exemplum proponitur l.iubemus.6.§.fin.C.ad l.Falcid.cuius uerba uide ẽ.cap.prox.except.35.repl.4.*

IX. *Regula, De statulibero, rebus communibus, & ijs quarum ususfructus alterius est: item de rebus pignori datis, & sub conditione distractis, proponitur l.statul.38. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Statuliber hæredis non auget familiam. Communes serui in utriusq; patrimonio cõnumerantur. Cuius ususfructus alienus est, in dominio proprietarij connumeratur: pignori dati, in debitoris: sub lege commissoria distracti, item in diem addicti, in uenditoris.

X. *Regula, De eo quod defunctus hæredi extra testamentum inter uiuos donauit. Hoc in quartam partẽ ei imputabitur. quæ regula approbatur l.cum quo.56.§.fin.ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Sæpius euenit, ne emolumentum eius legis hæres consequatur. nam si centum aureorum dominus uigintiquinq; alicui dederit, & eum instituerit hæredem, & dodrantem legauerit: nihil aliud sub occasione legis Falcidię interuenire potest: quia uiuus uidetur hæredi futuro prouidere. *Concordat l.Titia.89.§.fin.ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.4.except.40.repl. 12.exemplo 2. Concordat item l.filium.24.C.familiæ erciscundæ. Planè proposita regula exceptionem recipit in dote, quam defunctus pro filia hærede instituta dedit. quæ exceptio approbatur l.pater.14. in prin. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Pater filiam quæ à uiro dũ uerterat, hæredem pro parte instituit: ab ea petijt, ut fratri & cohæredi suo portionem hæreditatis acceptã deducta sexta restitueret. admissa cõpensatione dotis in Falcidiæ ratione, si pater dotẽ consentiente filia non petijsset, Falcidiam quidẽ iure hæreditario, dotem aũt iure proprio filiam habituram, Papinianus respondit: quia dos in hæreditate patris non inueniretur.

XI. *Regula, De eo quod hæredi prælegatũ est. Hoc in quartam hæredi non imputatur. quæ regula approbatur l.quod autem.74. ff. ad l.Falcidiam, his uerbis:* Quod dicitur, si ex iudicio defuncti quartã habeat hæres, solida præstanda esse legata: ita accipere debemus, si hęreditario iure habeat: itaq; quod quis legatorum nomine à cohærede acceperit, in quadrantem ei non imputatur. Sed si ideo legatũ ei datum est, ut integra legata uel fideicommissa præstet: deneganda erit actio legati, si lege Falcidia uti malit. *Concordat l.quod bonis.15.§.fideicommissum.ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.except.9. Concordat item l.Nesennius.22. in prin. ibi: id quidẽ quod. ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.d.except.9. Concordat item l. Titia.85. ff.d.tt. his uerbis:* Titia testamento suo Titium fratrem suum ex parte tertia hæredem instituit, fideiq; eius commisit, ut hæreditatem retenta quarta parte Secundę Proculæ restitueret. Eadem fratri quædam prælegauit. quæro, an Titius ea quæ prælegata sunt, pro ea parte hæreditatis, quam rogatus est ut restitueret, an integra retinere debeat? Iulianus respondit, Titium legata integra retinere debere: sed in partem quartam imputari oportere duodecimam partem prædiorum. Sed si non esset adiectum, ut pars quarta deduceretur: totum trientem prædiorũ legi Falcidiæ imputari oportere:

approbatur exemplo l.quod bonis.13. §.ex donationibus.ff.ad leg.Falcidiam,his uerbis: Ex donationibus in uxorẽ collatis, quod hæres eius reddere uiro cogitur, in bonis mulieris non erit. nam ita fit locupletior, ut tanto pauperior esse uideatur. quod autem hæres inde minuit, uiro non perit. *Propositæ regulæ exemplum seu species est supradicta reg.4.*

XVII. *Regula, De eo quod explicandarum uenditionum causa impenditur, propontur l.quantitas.72.ff. ad l.Falcidiam,his uerbis:* Quantitas patrimonij, deducto etiam eo, quidquid explicandarũ uenditionum causa impenditur, æstimatur.

XVIII. *Regula, De funeris & monumenti impensis. Funeris quoq; impensa ære alieni loco deducitur. quæ regula approbatur Inst. de lege Falcidia. §.cum autem,his uerbis:* Cum ratio legis Falcidiæ ponitur, antè deducitur æs alienum, item funeris impensa & precia seruorum manumissorum. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi non in funus, sed in monumentum sit erogatum. quæ exceptio approbatur l.1. §.fin. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* De impensa monumenti nomine facta quæritur, an deduci debeat? Et Sabinus ita deducendam putat, si necessarium fuerit monumentum extruere. Marcellus consultus, an funeris monumentiq; impensa, quantam testator fieri iussit, in ære alieno deduci debeat? respondit, non amplius eo nomine, quàm quod funeris causa consumptum sit, deducendum. nam eius quod in extructione monumenti erogatum sit, diuersam esse causam: nec enim ita monumẽti ædificationem necessariam esse, ut sit funus & sepultura. Idcirco eum cui pecunia ad faciendum monumentum legata sit, Falcidiam passurum. *Secunda exceptio est: Nisi maritus, uxoris hæres existens, in funus eius impenderit. Quæ exceptio approbatur l.si uir.6.ff.d.tt. his uerbis:* Si uir uxori hæres extiterit, & in funus eius impenderit, non uidebitur totum quasi hæres impendere: sed deducto eo quod quasi dotis nomine, quam lucrifacit, conferre debuit.

XIX. *Regula, De precio seruorum manumissorũ. Hoc quoque ex hæreditate defuncti deducendum. quæ regula approbatur Inst. de lege Falcidia. §. cum autem, cuius uerba uide ẽ.regul.prox.in prin. Concordat l.sed si.36.in prin.ibi: sin uerò hæres.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Si hæres seruum rogatus sit manumittere: placet, precium eius ut æs alienum deducendum esse. *Concordat item l.si ea.13.in fine.C.d.tt.his uerbis:* Si ea, cuius filium tuum seruum significas, ex iudicio defuncti, quem dicis fideicommissariam libertatem ei reliquisse, aliquid consecuta est: ad restituendam fideicommissariam libertatem non immeritò obnoxia constituta debet urgeri. Nam fideicommissum ei relictum usque ad eam modum potest petere, quoad deducto precio seruorum, quos fuerat rogata manumittere, relictorum substantia patitur. *Concordat item l.ita tamen.27. §.fin. ff.ad senatusconsult. Trebell. his uerbis:* Qui seruos suos rogatus est manumittere, & ijsdem hæreditatem restituere: detracto precio seruorum, hæreditatem restituere debebit. *Concordat item l.Papinianus.8. §.quarta autem. uers. Falcidia autem. ff. de inoff. test. Huius regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi seruus ante diem libertatis cedentem decesserit. *Hæc exceptio approbatur l.in ratione.11. §.si seruus. ff.ad legem Falcidiam,his uerbis:* Si seruus testamento manumissus ante aditam hæreditatem decedat, hæredi quidem perijsse intelligitur: sed cuius precij erit, qui si uiueret, non æstimaretur. nam & eos qui moriente domino ea ualetudine affecti fuerant, ut eos non posse uiuere certum esset: tamen si postea morian tur, hæreditati perijsse, responsum est: nec aliud in his qui sub eodem tecto fuerunt, cum dominus à familia necaretur. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi cum sub conditione libertas seruo relicta esset, ante conditionem existentem seruus mortuus fuerit, posteaq; conditio extiterit. Hæc replicatio approbatur d.l.11.§.1. his uerbis:* Si seruus, sub conditione libertate data, uita decesserit: si quidem impleta conditio fuerit quandoque, hæredi non uidebitur perijsse. Quòd si defecerit, in contrariũ ratio trahit, sed quãti statuliber moriens fuisse uidebitur. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi dies uel conditio libertatis adhuc pendeat. hoc enim casu non tanquam manumissi precium statuendum est, sed tanquam statuliberi. quæ exceptio approbatur l.sed si.36. §.fin.cum l. sequente.ff.ad l.Falcid.his uerbis:* Si incertum sit, an libertas præstari debeat (ueluti si sub cõditione uel post tempus data sit) nunquid incerto eo an præstetur (cum possit aut seruus mori, aut cõditio deficere) interim Falcidia admittenda est: deinde cum libertas competere uel deberi cœperit, tum legatarius illam partem recipiet, quam Falcidia detraxit? Valens respondit: Eius serui æstimatio perinde ac statuliberi fieri debet. *Tertia exceptio est: Nisi seruus manumissus alienus fuerit, non testatoris. Hæc exceptio reprobatur l.eius serui.37. ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Sed etsi hæres seruũ alienum rogatus est manumittere, placuit ut etiam huius precium ex æstimatione hæreditatis debeat deduci. *Quarta exceptio est: Nisi non ex testamento libertas seruo data sit, sed à prætore. Hæc exceptio reprobatur l.æris al.39. ff.d.tt. his uerbis:* Aeris alieni loco deducuntur non solùm precia eorum, quibus libertas data est, & eorum qui supplicio sunt affecti: sed & eius, quem Prætor propter indicium proditę mortis, aut detectę coniurationis reorum libertate donauit. *Hæc de 19 regulis quæ tamen iure nouo*

nouo uidetur mutata, per ea quæ §. cap.prox.quæst.1. except.24.in fine sunt proposita.

XX. *Regula, De legatis inutilibus. Hæc hæredi in quartam imputantur. Quæ regula approbatur l.non est.50.cum lege sequente.ff.ad legem Falcidiam,his uerbis:* Non est dubium, quin ea legata, à quibus submouere hæres exceptione petitorem possit, in quartam ei imputentur, ne cæterorum legata minuantur. Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidente postea in eum casum peruenerit legatum, ut actio ei denegaretur. *Concordat l.in rat.11.in prin.ff.ad legem Falcidiam,his uerbis:* In ratione legis Falcidię retentiones omnis tem poris hæredi in quadrantem imputantur. *Concordat item l.id autem.75. §.fin.ff.d.tt. his uerbis:* Placuit legata, quæ legatarij non capiunt, cum apud hæredes subsederint, hæreditario iure apud eos remanere intelligi: & ideo quadranti imputanda: nec quidquam interesse, utrum statim ab initio legatum non sit, an quod legatum est, remanserit. *Concordat item l.quod si.77.ibi: quia & legata.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.reg.23. Concordat item l.ex asse.52.ff.d.tt. his uerbis:* Ex asse patronum hæredem instituit libertus, cum ducentos aureos in bonis haberet, & legauit filio centum uiginti, extraneo reliqua. deminutio legati, quod extraneo præstatur, proficit filio ad consequẽda solida quæ ei legata sunt. quacunque enim ex causa legata non præstantur, imputantur hæredi in quartam partem, quę propter legem Falcidiam remanere apud eum debet. *Propositæ regulæ exempla sunt, si hæredi à semetipso uel seruo eius legatum sit. Quod exemplum proponitur l.in ratione.30.§.penult. ff.ad leg.Falcidiã, his uerbis:* Cum lex Falcidia interuenit, non ueniunt in contributionem, quæ ipsi hæredi à semetipso uel seruo eius legata fideiue commissa sunt. Alia causa est eorum quæ in die certa dantur: nam si libertatis dies cœperit cedere, ei debebuntur, & in contributionem uenient. *Plura de exemplis propositis uide ẽ. lib.32.cap.3.exc.25.& 27. Aliud exemplum est: Si testator seruis proprijs legauerit. Quod exemplum proponitur d. §. penult. his uerbis:* Ac ne ea quidem, quæ quis seruis suis inutiliter sine libertate legauit, fideiue eius commisit, in computationem eius legis cedunt. *Sed & de hoc exemplo uide plura ẽ.d.except.25. Aliud exemplum est: Si à seruo hærede domino legetur, dominusq; per seruum hæres efficiatur. Quod exemplum proponitur l.si à seruo.20.ff.ad leg.Falcidiam,his uerbis:* Si à seruo meo hærede instituto mihi legetur, & mihi adquiratur hæreditas, negat Mætianus id legatum in Falcidiam computari: quia non debeatur. *Et de hoc exemplo uide ẽ.lib.32.cap.3.except.26.& except.36. Planè exemplo proposito in simili casu contradicere uidetur l.à filio.25.ff.de leg.1. cu ius uerba uide ẽ.d.except.36.repl.1.* Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi hæres legatum indebitum soluerit. *quæ exceptio reprobatur l.1.§.item si ita.ff.ad leg.Falcid.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.5.reg.50.except.2. Secunda exceptio est:* Nisi legatum propter rem quæ legata est, sit inutile: quia fortè res sacra, sancta, publica, &c. sit legata. *Huiusmodi enim legatum nec inter legata, nec in quartam hæredis computandam puto, ex l.in ratione.30.§.fin.ff.ad l.Falcidiam. cuius hæc sunt uerba:* Res quas neq; per fideicommissum relinqui posse certum est, in legis Falcidiæ computationem non ueniunt.

XXI. *Regula, De legato quod extrinsecus suspenditur. Hoc hæredi in quartam non imputatur, sed inter legata connumeratur. quæ regula approbatur l.1.§.ad eos.ibi: sed etsi seruo.ff.d.tt. his uerbis:* Si seruo suo testator data libertate legauit, quanquam differtur in id tempus, quo liber futurus est: item si ei qui apud hostes est, aut ei qui nõdum natus est, datum sit aliquid: hæc lex lo cum habebit.

XXII. *Regula, De quarta quam non retinuit hæres ex quorundam legatis quæ solida soluit. Eam quartam ex aliorum legatis detrahere non potest. quæ regula approbatur exemplo l.Nesennius.22.in prin.ibi: planè cæteris. ff. ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ẽ.cap. prox.except.9.*

XXIII. *Regula, De portione uel hæreditate non grauata, quæ grauatæ accedit uel iure adcrescendi, uel iure substitutionis, uel alio simili modo. Ea quoq; portio in quartam imputatur hæredi grauato. quæ regula approbatur l.in sing.76. cum l.sequente. ff.ad l. Falcidiam, his uerbis:* In singulis hæredibus rationem legis Falcidiæ componendam esse, nõ dubitatur. & ideo si Titio & Seio hæredibus institutis, semis hæreditatis Titij exhaustus, Seio autem quadrans totorum bonorum relictus sit: competit Titio beneficium legis Falcidiæ. Quòd si alterutro eorum deficiente, alter hæres solus extiterit, utrum perinde ratio legis Falcidiæ habenda sit, ac si statim ab initio is solus hæres institutus esset, an singularum portionum separatim causæ spectandæ sunt? & placet, si eius pars legatis exhausta sit, qui hæres extiterit: adiuuari legatarios per deficientem partem, quæ non est legatis onerata: quia & legata, quæ apud hæredem remanent, efficiunt, ut cæteris legatarijs aut nihil, aut minus detrahatur. si uerò defecta pars fuerit exhausta: perinde in ea ponendam rationem legis Falcidiæ, atque si ad eum ipsum pertineret, à quo defecta fuerit. *Concordat l.1.§.id quod ex substit.ff.d.tt.his uerbis:* Id quod ex substitutione cohæredis ad cohæredem peruenit, proficit legatarijs. Is enim hæres similis est, ex parte purè, ex parte sub conditione hæredi instituto. Sed ea quæ ab eo legata sunt, si omiserit additionem, non

augebuntur,scilicet si ab eo nominatim data sunt,non,Quisquis mihi hæres erit. *Concordat item l.qui fundum.86. §.qui filium. ibi:quòd si extranei.ff.eod.tt.his uerbis:* Quòd si extranei hæredis semis totus legatus fuerit, isq; pupillo, à quo nihil legatum erat, ex substitutione hæres extiterit: poterit dici augeri legata, & perinde agendum,ac si cuilibet cohæredi substitutus fuisset, eoq; omittente hæreditatem ex asse hæres extitisset:quia semper substitutus rationem legis Falcidiæ ex quantitate bonorum, quæ pater reliquerit, ponet. Eadem dicenda sunt,etsi pater duos impuberes hæredes instituerit, & eosdem inuicem substituerit, deinde iure substitutionis ad alterum hæreditas reciderit,& legis Falcidiæ ratio habenda sit. *Huius regulæ exemplum etiam est, Si idem ex parte purè, ex parte sub conditione hæres sit institutus.nam existente conditione, pars sub conditione data accedit parti purè datæ. Quod exemplum proponitur d.l.86.§.si tu ex parte. ibi:de lege Falcidia.ff.ad leg.Falcid. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.8.reg.1.except.16.in fine.Concordat l.cohæredi.39.§.cohæres.ff.de uulgari substitutione. cuius uerba uide ĵ. eod. cap. in fine. Concordat item l.in ratione.11. §. penult. ibi:ex aliam causam.ff.ad l.Falcid. cuius uerba uide ĵ.reg.prox.except.2.Concordat item d.l.11.§.fin.cuius uerba uide ĵ.except.4.* Huius regulæ exceptio prima hæc uidetur: Nisi ex pupillari testamento pupilli portio non grauata substituto grauato adcrescat. *hoc enim casu uidetur, portio seu hæreditas pupilli accedens substituto, legatis à substituto relictis non prodesse. Verùm exceptio hæc reprobatur l.1.§.1. ff.si cui plus quàm per legem Falcidiam,his uerbis:* Legem Falcidiam semel esse admittendam,etiamsi duplex sit testamentum, iam conuenit, contributis scilicet legatis tam his quæ ab ipso pupillo, quàm his quæ à substituto impuberis relicta sunt. *Concordat d.l.11.§.quod uulgò.ff.ad l.Falcid.cuius uerba uide ĵ.reg.prox.exc.1. Concordat item d.l.11.§.quæsitum. cuius uerba uide d. except.1.repl.2. Concordat item l.in dupl.78.in fin. ff. ad legem Falcidiam,his uerbis:* In duplicibus testamentis, siue de patrimonio quæramus, ea sola substantia spectatur, quam pater cum moreretur habuit: nec ad rẽ pertinet,si post mortem patris uel adquisierit aliquid,uel deminuerit: siue de legatis quæramus, tam ea quæ primis, quàm ea quæ secundis tabulis relicta sunt,in unum contribuuntur,tanquam si ea quæ à filij hærede reliquisset,testator à suo hærede sub alia conditione legasset. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi legata ex portione grauata sint soluta, antequã minus grauata portio accesserit. Hæc exceptio reprobatur l. qui fundum.86.§.fin.ff.d.tt.his uerbis:* Cohæres pupillo datus,si pro parte sua legata, habita legis Falcidiæ ratione, præstiterit,deinde impubere mortuo ex substitutione hæres extiterit, & semis pupilli legatis exhaustus erit: ex integro legis Falcidiæ ratio ponẽda erit, ut contributis legatis, quæ ab ipso & quæ à pupillo data fuerant, pars quarta bonorum apud eum remaneat.licet enim pupillo hæres existat,tamen circa legem Falcidiã perinde ratio habetur, ac si patri hæres extitisset:nec aliter augebũtur legata,quæ ab ipso ultra dodrantem data fuerunt,quàm augentur,cum ex parte hæres institutus,& cohæredi suo substitutus, deliberante cohærede legata, habita ratione legis Falcidiæ, soluerit, deinde ex substitutione alteram quoq; partem hæreditatis adquirat. *Tertia exceptio est: Nisi oneratus in institutione, omissa ea ex substitutione adierit. hoc enim casu legata ab eo, institutione relicta, non augentur per id quod ex substitutione accedit,nisi generaliter,non nominatim ab eo fuerint relicta.quæ exceptio approbatur l.2.§.id quod ex substitut.ibi:sed ea quæ.ff.ad leg.Falcidiam. cuius uerba uide paulò superius cad.reg. in prin.* Quarta exceptio est:Nisi hæreditas impuberis exhæredati grauatæ portioni ex pupillari substitutione accesserit. *Hæc exceptio approbatur l.quod supra.10. ff.ad legem Falcidiã. his uerbis:* Quod supra quadrantem ad hæredem potest peruenire, supra dodrantem in pecunia legatum,non onerat hæredem: ueluti hæreditas pupilli,si fortè substitutus sit exhæredato, qui patri pupilli hæres extitit. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi in secundis quoq; tabulis seu pupillaribus ab instituto legata sint relicta: tunc enim legata contribuuntur, & hæreditas pupilli accedens auget legata, ab instituto in primis tabulis relicta.quæ replicatio approbatur l.in ratione.11. §.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si quis exhæredato filio substituit hæredem institutum, & ab eo tabulis quoque secundis legauerit, necessariò ratio confundetur: cum ideo legata ualere dixerit Iulianus à substituto relicta, quòd idem patri hæres extiterit. *Quinta exceptio est: Nisi non iure testamenti, in quo legata relicta sunt,portio deficiens grauato adcrescat:sed alia ratione, puta, quòd cohæredem adrogauerit, uel illi hæres extiterit.quæ exceptio approbatur l.1.§.si cohæredem.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Si cohæredem meum post aditam hæreditatem adrogauero, non dubitabitur, quin separandæ sint portiones, perinde atque si cohæredi meo hæres extitissem. *Sexta exceptio est: Nisi cum ex duobus impuberibus ei qui postremò moreretur substitutus esset, is qui postremò moritur, priori mortuo fratri legitimus hæres extiterit, & ita substituta utriusque impuberis hæreditatem adquirat. hoc enim casu prioris impuberis defuncti hæreditas non imputatur substituto in quartam. quæ exceptio approbatur l.qui duos.40. ff. de uulgari substitutione, his uerbis:* Qui duos impuberes filios hæredes reliquerat, ita substituit, Si ambo mortui essent. deinde pueri post mortem patris

patris simul perierũt. duæ hæreditates substituto deferuntur. sed si diuersis temporibus uita decedant: in hæreditate nouissimi pueri, eius fratris, qui antè mortuus est, hæreditatem substitutus inueniet. sed in ratione Falcidię pueri prioris hæreditas nõ ueniet, nec substitutus amplius quàm sex uncias iure testamenti desiderabit: legata quoque,quę à substituto eius filij data sunt, qui priorintestatò decessit,ad irritum recidunt. *Concordat l.pater.14.§.fin.ff.ad legem Falcidiam,his uerbis:* Duobus impuberibus substitutum,utriq; hæredem existentem,in alterius hæreditate Falcidia non uti conuenit, si de bonis alterius impuberis quartã partem hæreditatis patris,quæ ad filios perue nerit,retineat. Quòd si fratri legitimus hæres extitit, & impuberi supremo substitutus: portio quidem paternorum bonorum, quam intestatus purè accepit,rationi Falcidiæ non cõfundetur:sed quartam eius tantùm portionis substitutus retinebit, quam impubes accepit, qui substitutum habuit. *Septima exceptio est: Nisi dominus uel pater cohæredem seruum uel filium habens, per eum alteram quoq; portionem non grauatam adquisierit: ea enim portio non uidetur ei in quartam legatorum ab eo relictorum imputanda. Verùm hæc exceptio reprobatur l. maritum.25.in prin. ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Maritum suum & filium communem æquis partibus hæredes instituit.quæritum est,an in ratione legis Falcidiæ imputandum sit marito,quod ad eum ex eadem hæreditate per filium peruenit? Scæuola respõdit,si ex institutione filij tantum peruenerit, quantum ad Falcidiam satis sit, nihil quartæ nomine deducendum. *Idem in domino & seruo probatur l.si pupillus.21. §.si ego.ff.eod.tt. his uerbis:* Si ego & seruus meus hæredes instituti sumus ex diuersis partibus,nec à seruo erogatus est dodrans: his quibus à me legatum est,contra Falcidiam proderit,quod ex portione serui ad me peruenit supra Falcidiam eius portionis. *Concordat l.Nesennius.22.§.seruo hærede.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.libro 32.capite 12. causa 68. in fine.* Octauæ exceptionis loco notanda est regula sequens prox.

XXIIII. Regula, *De portione grauata non grauatæ accedente. Si portio grauata non grauatæ accedat, non contribuuntur legata, potestq; is cui accedit portio grauata,ex ea retinere quartam,quamuis in sua portione quartam habeat. quæ regula approbatur l.1. §.si cohæredis.ff.ad l.Falcidiam,his uerbis:* Si cohæredis mei portio exhausta sit, mea integra, & illam uindicauero: Cassius confundendas esse partes existimat, Proculus contrà. in qua specie & Iulianus Proculo adsensit: quam sententiam probabiliorem esse puto. Sed & (id est, quamuis) diuus Antoninus iudicasse dicitur,commiscendas esse utrasq; partes in computatione legis Falcidiæ. *Concordat l.quòd si.77.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.reg.proxima,in prin. Huius exemplum proponitur l.si pupillus.21. §.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Si seruo meo seruus,& decem mihi legata fuerint: serui Falcidia ex decem mihi legatis non retinetur, exemplo eodem Falcidiæ. nam quartam retineo ex persona serui, quamuis de mea portione nihil exhaustũ sit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi portio pupilli grauata ad substitutum non grauatum ex substitutione perueniat: hoc enim casu portiones confunduntur. quæ exceptio approbatur l.in ratione.11. §.quod uulgò. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Quod uulgò dicitur, in tabulis patris & filij unam Falcidiam seruari: quam potestatem habeat, uidendum est. quamuis enim substitutus, quæ à pupillo relicta sunt, cùm filijs hæres extiterit, ut quodlibet æs alienum debeat:tamen propter ea quæ secundis tabulis data sunt, contributioni locus est. secundum quæ poterit euenire, ne substitutus quidquam retineat, uel ut longè plus habeat paternæ hæreditatis. Quid ergo,si non sufficiat pupilli hæreditas legatis,cum patris suffecerit? de suo quadrante nimirum dabit substitutus: quoniam pater legauit de suo. nec ad rem pertinet, quòd ex nullo testamento præstatur ultra uires patrimonij:cum in hac parte iuris legata,quæ secundis tabulis relinquuntur, quasi in primis sub conditione relicta intelligantur. *Concordat d.l.11.§.quæsitum.ff.eod.tt. cuius uerba uide ĵ.replic.2. Concordat item l.in duplicib.78.in fine. ff.d.tt.cuius uerba uide §.reg.proxima;except.1. Concordat item l.qui fundum.86. §.qui filium. ff. eod.tt. cuius uerba proponentur paulò ĵ. Concordat deniq; l.1. §.1. ff.si cui plus quàm per l.Falc. cuius uerba uide §.reg.prox. except.2.* Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: *Nisi pupillus prius patri hæres extiterit: tunc enim,si eo postea mortuo,portio eius ad substitutum perueniat, ex ista portione accedente substitutus quartam potest retinere, licet suam portionem habeat integram. quæ replicatio approbatur d.l.86. §. qui filium. ff.ad l.Falcidiam, his uerbis:* Qui filium suum impuberem, & Titium æquis partibus hæredes instituerat, à filio totum semissem legauerat,à Titio nihil, & Titium filio substituerat. quæsitum est,cum Titius ex institutione adijsset, & impubere filio mortuo ex substitutione hæres extitisset, quantum legatorum nomine præstare deberet? & placuit, solida legata eum præstare debere: nam confusos duos semisses efficere, ut circa legem Falcidiã totius assis ratio haberetur, & solida legata præstarentur. Sed hoc ita uerum est,si filius,antequàm patri hæres extiterit, decessisset: si uerò prius

hæres patri fuerit,non ampliora legata debet ſubſtitutus, quàm quibus pupillus obligatus fuerat: quia non ſuo nomine obligatur, ſed defuncti pupilli, qui nihil amplius quàm ſemiſsis dodrantem præſtare neceſſe habuit. *Altera propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi & alia legata à ſubſtituto in primis tabulis, tanquam ab inſtituto nominatim ſint relicta.quæ replicatio approbatur l.in ratione.11.§.quæſitum. ibiſed legata quæ.ff.ad leg.Falcidiam, his uerbis*: Quæſitum eſt, ſi quis pupillo cohæredem ſubſtituiſſet,quemadmodum ratio legis Falcidiæ inquiri debeat? & quale ſit quod uulgò dicatur, legatorum rationem ſeparandam? dixit Papinianus, quantum ad legata quæ pater à filio, item à ſubſtituto reliquit, nullam fieri poſſe ſeparationem, cùm communi calculo ſubijciantur, & inuicem inducant contributionem: ſed legata quæ à ſubſtituto extero data ſunt, permiſceri cæteris non oportere. Ideoque quartam pupillo dataæ portionis habere ſubſtitutum, quamuis ſuam portionem habeat ut inſtitutus: & aliam cauſam eſſe eius, qui ex uarijs portionibus hæres ſcriberetur. ibi enim legatorum confundi rationem,non minus quàm ſi ſemel fuiſſet nuncupatus ex ea portione quæ conficeretur ex pluribus: neque referre, purè ſæpe, an ſub diuerſis conditionibus ſit hæres inſtitutus. *Hæc de prima propoſitæ regulæ exceptione, eiusq; replicationibus ſint dicta. Secunda propoſitæ regulæ exceptio hæc eſt: Niſi idem ex uarijs portionibus hæres ſit inſtitutus atque grauatus. tunc enim portio grauata non grauatam cui accedit onerat. quæ exceptio patet ex uerbis iam propoſitis hiſce*: Aliam cauſam eſſe eius qui ex uarijs portionibus hæres ſcriberetur: ibi enim legatorum confundi rationem,&c. *Concordat d.l.11.§.fin. cuius uerba uide ẽ.reg.prox.except.4. Concordat item l.cohæredi.19. §.cohæres.ff.de uulgari ſubſtit.his uerbis*: Cohæres impuberi filio datus, eidémque ſubſtitutus, legata è ſecundis tabulis relicta perinde præſtabit, ac ſi purè partem, & ſub conditione partem alteram accepiſſet. Non idem ſeruabitur in alio ſubſtituto. Namille Falcidiæ rationem induceret, quaſi planè ſub conditione primis tabulis hæres inſtitutus: tametſi maximè cohæres filio datus quadrantem integrum obineret. Nam & cùm legatum primis tabulis Titio datur,ſecundis autem tabulis eadem res Sempronio: Sempronius quandoque Titio concurrit. *Concordat denique l.qui fundum. 86.§.ſi tu ex parte. ibi: de lege Falcid. ff. ad l.Falcid. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.8.reg.1.except.16.in fine.*

DE SENATVSCONSVLTO Trebelliano. Cap. III.

HActenus de prima ſpecie legatorum dictum eſt, quæ ſcilicet dodrantem bonorum excedunt: nunc de ſecunda ſpecie, hoc eſt, de hæreditate legata, uel per fideicommiſſum relicta: de qua tractat ſenatuſconſ.Trebell. Primùm itaq; de actione diſpiciendum, qua fideicommiſſariam hæreditatem perſequimur: deinde de effectu, ſeu de translatione actionum hæreditariarum.

I. CAVSA ACTIONIS ET SENATUSCONSULTI Trebelliani, cum ſuis exceptionibus.

Actio hæc & ſenatuſconſultum Trebellianum competit ex teſtamẽto ſeu fideicommiſſo, quo dicuius fidei eſt commiſſum, ut reſtituat actori hæreditatem defuncti,eiúſue partem: qua reſtituta,in actorem, cui hæreditas eiúſue portio reſtituta eſt, actiones hæreditariæ transferuntur.Cuius regulæ exceptiones hæ ſunt.

I.Exceptio:*Niſi is qui fideicommiſſariam hæreditatem reliquit, inteſtatus mortuus ſit, uel hæres ab inteſtato rogatus. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.hoc autem.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis*: Hoc ſenatuſconſultum locũ habet, ſiue ex teſtamento quis hæres ſit, ſiue ab inteſtato, rogatusq; ſit reſtituere hæreditatem. *Concordat l.ſi per.3. C. eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.1. quæſt.4. reg.2. Concordat item l.& ſine.5. C. eod.tt. cuius uerba uide ẽ. lib.32.cap.4.except.72. Concordat item l.ult.C.quando dies leg.cedat. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.9.cauſa 13. Sed & plura de hac exceptione reprobata uide ẽ.lib.32.cap.3.except.9.*

II.Exceptio:*Niſi filiusfamiliãs per fideicommiſſum reliquerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta ſunt ẽ.lib.32.cap.3.except.3. ubi etiam uide huius exceptionis replicationes.*

III. Exceptio: *Niſi filiusfamil.miles patrem de caſtrenſi peculio reſtituendo rogauerit. Hæc exceptio reprobatur l.ſi filiusfam.18.ff.ad l.Falcid.his uerbis*: Si filiusfam. qui militauerat, decedens patris ſui fidei commiſiſſet codicillis,ut peculium ſuum caſtrenſe Titio poſt mortem reſtitueret: quærebatur, an ut hæres quartam deducere poſſet? Paulus dixit, legem Falcidiam inductam eſſe à diuo Pio & in inteſtatorum ſucceſsionibus propter fideicommiſſa:ſed in propoſito nec hæreditatem eſſe: quamuis placeret mihi, extraneo hærede inſtituto, fieri hæreditatem eius additione.nam cum apud patrem remanet,ius priſtinum durat,& peculium eſt.nec huic contrariũ eſt, quòd in teſtamẽto eius qui apud hoſtes deceſsit,exercetur Falcidia. nã fictio legis Corneliæ & hæreditaté & hæredem facit. Sed nemo dubitabit, quin debeat id quoq; indulgeri legis beneficium, ſiquidẽ patrisfamil.bona reſtituere cogatur:& hæres ſcriptus,omiſſa ex teſtamento additione, & exemplo edicti legatorum nomine conueniretur. His conſequens erit, ut ſi ex fructibus medio tempore quartam & quartæ fructus habuerit pater,etiam Trebellianum ſenatuſconſultum inducamus, & utiles actiones exerceri poſsint, fiatque hæreditas poſt reſtitutionem.

IIII. Exceptio: *Niſi is qui fideicommiſit, ſoluendo non ſit. Et hæc exceptio reprobatur l.ſi hæres.68. in prin.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis*: Si hæres ab eo, qui cum moreretur, ſoluendo non fuerit, rogatus hæreditatem reſtituere, ſuſpectam ſibi dicat: dubium non eſt,quin hodie coactus ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituere poſsit. ſed etſi ſua ſponte adierit, ex eodem ſenatuſconſulto reſtituturus eſt: quamuis cùm ſumma aut certũ corpus per fideicommiſſum ab eo qui ſoluendo non fuit,datum eſt, perinde non debeatur, atq; ſi legatum eſſet. eo enim caſu legatarij, ſuperiore hæredis uice fungi eum, cui fideicommiſſum relictum eſt.

V. Exceptio: *Niſi non hæres, ſed alius rogatus ſit. Hæc exceptio approbatur l.mulier.22. §.fin. ff.ad S.C. Trebell.cuius uerba uide ẽ.cap.1.quæſt.2.reg.4. Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi fideicommiſſarius uniuerſalis ſit rogatus.quæ replicatio approbatur l.1.§.de illo.ff.eod.tt.his uerbis*: De illo quæritur,an is cui ex cauſa fideicommiſi reſtituta eſt hæreditas ex Trebelliano ſenatuſconſulto,ipſe quoq; reſtituendo ex eodem ſenatuſcon.transferat actiones? & Iulianus ſcribit,etiá ipſum transferre actiones.quod & Mætianus probat,& nobis placet. *Concordat l.ſi patroni,55. §.qui fideicommiſſariam. ff. eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.1.quæſt.2.reg.4.excep.2.repl.1. Secunda replicatio eſt: Niſi bonorum poſſeſſor ſit, uel alius ſucceſſor,qui rogatus eſt. Hæc replicatio approbatur d.l.1.§.bonorum,his uerbis*: Bonorum quoque poſſeſſores, uel alij ſucceſſores ex Trebelliano reſtituere poterunt hæreditatem. *Tertia replicatio eſt: Niſi hæredis hæres,aut pater,uel dominus hæredis rogatus ſit. Hæc replicatio approbatur l.1.§.ſi filio.ff.ad S.C.Treb.his uerbis*: Si filio uel ſeruo hærede inſtituto, rogatoq; reſtituere hæreditatem, dominus uel pater reſtituat, ex Trebelliano transferũtur actiones.quod eſt, etiamſi ſuo nomine rogati ſint reſtituere. idem,etſi ipſi filio pater rogatus ſit reſtituere hæreditatem. *Concordat l.quamuis.40. §. 1.ff.eod.tt.his uerbis*: Perſona hæredis inſtituti Trebelliano continetur: uerùm hoc iure utimur,ut & ſucceſſor hæredis rectè ex Trebelliano reſtituat,ueluti hæres bonorũmue poſſeſſor, uel pater dominúſue, quibus adquiſita eſt hæreditas. omnes enim,quod iuris habent,ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituere debent: nec intereſt, is qui inſtitutus eſt, an pater dominúſue rogatus ſit reſtituere. *Quarta replicatio eſt: Niſi tutor uel curator hæredis ſit rogatus. Hæc replicatio approbatur l.1.§.ſi filio,in fin. ff.eod.tt.his uerbis*: Sed etſi tutor uel curator adoleſcentis uel furioſi rogatus ſit reſtituere hæreditatem,ſine dubio Trebelliano locus erit.

VI.Exceptio:*Niſi rogatus inutiliter hæres ſit inſtitutus,& teſtamentum inutile ſit. Hæc exceptio approbatur Inſt.de fideicom.hæred.§.in primis,hiſce uerbis*: In primis ſciendum eſt, opus eſſe ut aliquis recto iure teſtamento hæres inſtituatur, eiusq; fidei committatur, ut eam hæreditatem alij reſtituat: alioquin inutile eſt teſtamentũ,in quo nemo hęres inſtituitur.Cum igitur aliquis ſcripſerit,Lucius Titius hęres eſto: poteſt adijcere, Rogo te Luci Titi, ut cum primùm poteris hæreditatem meam adire,eam Caio Seio reddas & reſtituas.

VII. Exceptio: *Niſi rogatus pro parte tantùm ſit hæres. Hæc exceptio reprobatur Inſtit.d.tt.§.nihil autem intereſt.de quo paulò inferius except.11.*

VIII.Exceptio: *Niſi ex debita portione inſtitutus ſit hæres rogatus. Hæc exceptio approbatur l.patronus.60.ff.ad ſenatuſc.Trebell. his uerbis*: Patronus ex debita portione hæres inſtitutus, ſextam partem reſtituere rogatus reſtituit. nõ tranſeũt ex Trebelliano actiones:quoniam non fuit debitum,quod reſtituit: & ideo, ſi per errorem fecit, etiam repetetur. *Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi liberis liberti patronus reſtituere ſit rogatus. quæ replicatio approbatur l.ſi eius.64.§.fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.capite 1.except.41.replic.4.*

IX. Exceptio: *Niſi filio uel ſeruo hærede inſtituto, pater uel dominus filio uel ſeruo reſtituere ſit rogatus. Hæc exceptio reprobatur l.1.§.ſi filio.ibiidem & ſi ipſi.ff.ad S.C.Trebell.cuius uerba uide paulò ẽ.except.5. repl.3. Concordat l.quidam.25.§.ſi ſeruo.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.4.except.36.replic.2.*

X.Exceptio:*Niſi ciuitatibus ſit fideicommiſſum relictum. Hæc exceptio reprobatur l.omnibus.26.cum l. ſequente,in princ.ff.ad ſenatuſconſ.Trebell. his uerbis*: Omnibus ciuitatibus,quæ ſub imperio populi Romani ſunt, reſtitui debere & poſſe hæreditatem fideicõmiſſam, Apronianum ſenatuſconſultum iubet: ſed & actiones in eas placuit ex Trebelliano transferri:ſed & municipes ad eas admittuntur: ita tamen, ut hi quibus hæreditas reſtituetur, actorem eligant & ad agendum, & ad excipiendas actiones. *Concordat l.ſi per.3.C.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.1.quæſt.4.reg.2.*

XI. Exceptio: *Niſi non tota hæreditas, ſed pars eius per fideicommiſſum ſit relicta.Hæc exceptio reprobatur Inſtit. de fideicommiſſ.hæred. §.nihil autem, his uerbis*: Nihil intereſt, utrum aliquis ex aſſe hæres inſtitutus, aut totam hæreditatem, aut pro parte reſtituere rogatur:an ex parte hæres inſtitutus,aut totam eam partem, aut partem

ſcripſit, non eſſe locum conſtitutioni ſuæ. *Concordat l.non iuſtam.4. C.de S.C. Trebell. his uerbis:* Non iuſtam te gerere ſolicitudinem per fideicommiſſum portionis relictæ hæreditatis perſpicimus, uerentem ne fructum amittas relicti fideicommiſsi: quoniam auia teſtatoris ex parte ſcripta hæres, & rogata reſtituere, calliditate & fraude repudiauit, ut ad alium nepotem eundemq; cohæredem deuoluatur portio, à quo tibi nominatim non fuerat fideicommiſſum relictum: & coacta ſuſpectam hæreditaté adire, priuſquam pro hærede gereret, rebus ſit humanis exempta: cùm diuo Antonino parenti noſtro, deberi etiam à ſubſtitutis fideicommiſſum contemplatione iudicij teſtatoris, quaſi tacitè ab his repetitum, iamdudum placuerit. *Contrarium propoſitæ exceptionis exemplum proponitur l.cogi poterit.16.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide ſ.except.18.duplic.1.triplic.2.*

X. Exceptio: *Niſi rogatus ſubſtitutum habeat, ad quem hæreditas perueniat, quiq; fideicommiſſo quoq; obſtringatur. Hæc exceptio approbatur d.l.4.C.de S.C.Trebell. cuius uerba uide ſ.except.prox.ibi: cùm diuo Antonino, &c. Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi ſubſtitutus alij reſtituere ſit rogatus. Quæ replicatio approbatur l.facta.63.§.Iulianus. ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Iulianus ait, ſi hæres inſtitutus Titio rogatus ſit reſtituere, ſubſtitutus Mæuio, & inſtitutus ſuſpectâ ſibi hæreditatem eſſe dicat, deſiderâte Titio iubendum eum adire & reſtituere.

XI. Exceptio: *Niſi rogatus non compareat, uel ſine hærede deceſſerit. Hæc exceptio tractatur l.ſancimus. 7.§.fin.C.de S.C.Treb.his uerbis:* Cum aliquis hæreditatem reſtituere iuſſus eſt, & dolo malo uel poſt litem conteſtatam, uel antea ſeſe contumaciter celauerit: uel ſi ſuppoſitus fideicommiſſariæ reſtitutioni, antequàm reſtitueret hæreditaté, ab hac luce fuerit ſubtractus, nullo hærede uel ſucceſſore ei exiſtente: uel fideicommiſſarius, cui reſtituta eſt ex Trebelliano hæreditas, alij per fideicommiſſum reſtituere iuſſus fuerit res hæreditarias: quemadmodum actionum tranſlatio celebretur in iſtis tribus caſibus, apud ueteres dubitabatur, & Domitius Vlpianus conſtituendum eſſe ſuper his putauit. Sancimus itaq;, ut ſiue per contumaciam abfuerit is cui reſtitutio impoſita eſt, ſiue morte præuentus nullo relicto ſucceſſore fuerit, ſiue à primo fideicommiſſario in ſecundum translatio celebrari iuſſa eſt, ipſo iure utiles actiones transferantur.

XII. Exceptio: *Niſi rogatus abſit. Hæc exceptio reprobatur l.recuſare.6.in princ.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Recuſare non tantùm præſentes, ſed etiam abſentes uel per epiſtolam poſſunt. nam etiã aduerſus abſentes poſtulatur decretum, ſiue certior ſit eorum uoluntas, qui recuſant adire & reſtituere hæreditatem, ſiue incerta: adeò præſentia eorum non eſt neceſſaria. *Concordat l.ſed etſi.9.in prin.ff.eod.tt. his uerbis:* Etſi alio loco iuſſus ſit adire, & reipub. cauſa abſit: æquè cogendum adire hæreditaté, & reſtituere, Iulianus ait, ubi abeſt. *Concordat item l.ille à quo.13.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Iam igitur non deſideratur hæredis præſentia. *Concordat item l.ſi leg.30. in prin.ff.eod.tt. his uerbis:* Si legatus ſuſpectam hæreditatem dicat, etiam legationis tempore compellendus eſt accipere iudiciũ: quia hic non multum officio occupatur. & licet deliberare ſe dicat an adeat, cogendus eſt adire: ſed non ut ſtatim reſtituat, ſed ut reuerſus domum (ſi putauerit ſibi expedire) commodo Falcidiæ uel teſtamenti utatur: uel ſi non putauerit, reſtituat totam hæreditatem, ne onera patiatur.

XIII. Exceptio: *Niſi rogatus nondum ſecum conſtituerit, utrum uelit adire, nécne. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propoſitis biſce:* Et licet deliberare ſe dicat an adeat, cogendus eſt adire. *Concordat l.recuſare.6.in prin.ibi: ſiue incerta. ff.eod. tt.cuius uerba uide ſ.except.prox.in prin.*

XIIII. Exceptio: *Niſi hæres hæreditatem repudiauerit. Et hæc exceptio reprobatur l.nam quod.14. §.1.ff.ad ſenatuſc.Trebell.his uerbis:* Sed & qui repudiauit hæreditatem, cogetur adire & reſtituere ipſam hæreditatem, ſi iuſtæ cauſæ allegentur.

XV. Exceptio: *Niſi rogatus ſub conditione hæres inſtitutus ſit, conditioq; nondum ſit impleta. Hæc exceptio approbatur l.ſed etſi.9.§.fin. ff.ad ſenatuſc.Treb. his uerbis:* Si quis ſub conditione fuit hæres ſcriptus, pendente conditione nihil agit, tametſi paratus ſit reſtituere hæreditatem. *Concordat l.ſi cui.31.§.fin. ibi: cæteræ condit. ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò inferius. Concordat item l.facta.63.§.ſi ſub condit. ibi: plus enim. ff.eod.tt. his uerbis:* Plus tribui à Prætore ei qui fideicommiſſum petit, quàm teſtator uoluerit, abſurdũ eſt. utiq; autem teſtator, niſi expleta ſit conditio, neq; ſcriptum hæredem ad hæreditatem uocauit, neq; per huncilli uoluit reſtitui hæreditatem. *Planè ſi conditio in poteſtate ſit ipſius hæredis, eam adimplere cogendus eſt. quod approbatur d.l.63.§.ſi ſub, his uerbis:* Si ſub conditione hæres inſtitutus ſit, qui ſuſpectam ſibi hæreditatem eſſe dicit: ſi neq; difficultatem, neq; turpitudinem ullam habet conditio, nec impedimentum aliquod, iubendus eſt parêre conditioni, & adire, & ita reſtituere: ſi uerò turpis aut difficilis ſit conditio, apertè iniquum eſt cogi eum explere eam alterius gratia: ſed & remitti eam ab initio uiſum eſt. *Concordat l.ſi cui.31.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Si ſub conditione hæres inſtitutus, rogatuſq;

rogatusq; hæreditatem reſtituere, non uult conditioni parêre, & adire hæreditatem: ſi uelit eſt, conditioni debet parêre, & adire, & reſtituere: uel ſi in dando ſit, offerente fideicommiſſario, recuſante autem hærede factum adimplere, licentia dabitur fideicommiſſario, ſecundum imitationem dationis factum implere, & tunc neceſsitas imponitur hæredi hæreditatem adire. cæteræ conditiones, quæ non ſunt in poteſtate hæredis, ad officium Prætoris non pertinent. *Concordat item l.ſi eius.64.§.ſi neceſſarij. ff. eod. tt. his uerbis:* Si neceſſarij hæredes ſub conditione quauis leuiſſima hæredes ſint inſtituti, cui parêre ſolent: dicendum eſt, cogi reſtituere hæreditatem deſiderantibus his, quibus reſtituere rogati ſunt: quia hæreditatis reſtituendæ gratia conditioni parêre compellendi erunt. *Hæres ergo ſub conditione, quæ in eius eſt poteſtate, ſcriptus, eam hæreditatis reſtituendæ cauſa adimplere cogendus eſt. Cuius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi turpis uel difficilis ſit conditio. quæ exceptio approbatur l.facta.63.§.ſi ſub. ibi: ſi uerò turpis. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide paulò ſuperius. Secunda exceptio eſt: Niſi in dando conſiſtat. hoc enim caſu, niſi fideicommiſſarius offerat quod dandum eſt, hæres cogendus non eſt. quæ exceptio approbatur l.ſed ſciendum.7.§.nam ſi ita. ff.ad S.C.Trebell. his uerbis:* Si ita inſtitutus eſt, Si Titio decem dediſſet: non aliter cogetur, quàm ſi ei pecunia offeratur. *Concordat d.l.63.§.ſi dandæ. ff.eodem titulo, his uerbis:* Si dandæ pecuniæ conditio adſcripta eſt hæredi, debet offerre ei pecuniam is qui poſcit fideicommiſſum, ut hæreditatem impleta cõditione poſsit adire & reſtituere. *Concordat l.ſi cui.31.§.ſi ſub. ibi: uel ſi in dan. ff.eodem titulo. cuius uerba uide paulò ſuperius. Tertia exceptio eſt: Niſi talis ſit conditio, quam Prætor ſolet remittere. Hæc exceptio approbatur d.l.63.§.quòd ſi conditio, his uerbis:* Quòd ſi conditio adſcripta eſt, & ea eſt quam Prætor remittit, ſufficit edictum, ut Iulianus ait: & hactenus iubendus eſt, ut prætorijs conſtituat actionibus uti, aut petat bonorum poſſeſsionem ſecundum tabulas, ut ita nactus actiones, tunc reſtituta hæreditate trãſferat eas ex ſenatuſconſulto. *Quarta exceptio eſt: Niſi nominis ferendi conditio ſit. Hæc exceptio approbatur d.l.63.§.ſi uerò nominis, biſce uerbis:* Si nominis ferendi conditio eſt, quàm Prætor exigit: rectè quidem facturus uidetur, ſi eam expleuerit. nihil enim mali eſt, honeſti hominis nomen adſumere. nec enim in famoſis & turpibus nominibus hãc conditionem exigit Prætor. ſed tamen, ſi recuſet nomen ferre, remittenda eſt ei conditio, ut Iulianus ait, & permittendæ utiles actiones, aut bonorum poſſeſsio ſecundum tabulas danda eſt, ut nactus actiones tranſferat eas ex ſenatuſconſulto. *Quinta exceptio eſt: Niſi difficilis ſit conditio. Hæc exceptio approbatur d.l.63.§.ſi ſub.ibi: ſi uerò turpis. cuius uerba uide paulò ſuperius. Concordat l.ſed ſciendum.7.§.fin.ff.ad S.C. Trebell. cuius uerba uide ſ.proximè. Sexta exceptio eſt: Niſi dignitati uel ætati hæredis aut iuri non conueniat conditio. Hæc exceptio approbatur d.l.7.§.fin. cum l.ſequente, his uerbis:* Sed & ſalutis ac dignitatis ratio habenda erit. quid enim, ſi morbo adplicitus Alexãdriam iuſſus ſit adire, uel nomen ueſpillonis teſtatoris ferre? De ætate quoq; & iure, id eſt, liceátne ei eò ire, nécne, æſtimabitur.

XVI. Exceptio: *Niſi pater filio quem in ſua poteſtate habet, rogatus ſit reſtituere. Hæc exceptio reprobatur l. cogi poterit.16.§.ſi pater. ff.ad ſenatuſconſultum Trebellianum, his uerbis:* Si pater filio quem in poteſtate haber, reſtituere rogetur hæreditatem: an filius patrem ſuum, ſi ſuſpectam dicat hæreditatem, cogere poſsit? & non eſt dubium, patrem à filio per Prætorem cogi poſſe. Sed & ſi id fideicommiſſum ad caſtrenſe peculium ſpectaturum eſt, & filius familiãs is fuit, qui munus militiæ ſuſtinebat, alióue quo officio præerat: multò magis dicendum erit, poſſe eum poſtulare, ut pater ſuus cogatur adire & reſtituere hæreditaté, quamuis contra obſequium patri debitum uideatur id deſideraturus.

XVII. Exceptio: *Niſi dominus ſeruo ſuo reſtituere ſit rogatus. Hæc exceptio approbatur d.l.16.§.ſed ſi ſeruo, his uerbis:* Si ſeruo ſuo rogatus ſit cum libertate quis hæreditatem reſtituere: ſiue directa data ſit libertas, ſiue fideicommiſſaria: dici poterit, eum à ſeruo ſuo non poſſe cogi adire hæreditatem: quamuis ſi ſponte adiiſſet, cogeretur præſtare fideicommiſſariam libertatem & hæreditatem. idque Mærianus libro ſeptimo de Fideicõmiſsis ſcribit. *Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi quis paratus ſit domino de indemnitate cauere. Hæc replicatio reprobatur d.l.16.§.idem quærit, his uerbis:* Idem quærit, ſi quis paratus ſit domino cauere de indemnitate, an poſsit cogi adire hæreditaté, & maximè ſi precium ſerui offeratur? & rectè ait, non oportere ſub incerto cautionis committere ſe aditioni hæreditatis.

XVIII. Exceptio: *Niſi ſeruo teſtatoris fideicommiſſaria hæreditas ſit relicta. hoc enim caſu, quia non uetat fideicommiſſum, ſecundum ea quæ dicta ſunt ſuprà libro 32.capite 3.except.25. tertia exceptione: nec cogẽ hæres poteſt. Huius exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi libertas ſimul & hæreditas ſeruo per fideicommiſſum ſit relicta. quæ replicatio approbatur l.mulier.22. §.non eſt dubitatum. ff.ad ſenatuſconſultum Trebellianum, his uerbis:* Non eſt dubitatum, cogi poſſe hæredem inſtitutum adire & reſtituere hæreditatem ſeruis, ſiue directa, ſiue fideicommiſſaria libertas eis data fuiſſet: cum a-

ipernari hæres non deberet perſonam cogentis. habet enim hic quoque aditum, ut quilibet nondum petere fideicommiſſariam poſit, nec directam ſibi uindicare: propter ſpem tamen libertatis & hæreditatis aditum ad Prętorem & per ſe habeat. *Propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt: Niſi ab altero libertas, ab altero hæreditas ſeruo ſit relicta. quæ duplicatio approbatur l. ſi res. 52. §. ſeruus. ff. d. tt. bis uerbis:* Seruus ab altero ex hæredibus libertatem, ab altero fideicommiſſum hæreditatis accepit. ſi neuter adire uelit, nullæ Prætoris partes erunt: quia neque propter ſolam libertatem compellitur adire: neque is à quo libertas data nõ eſt, propter eum qui nondum liber eſt, ut adeat compellitur: & ſenatuſconſulto tunc locus eſt, cum ab omnibus directa uel fideicommiſſaria libertas ab eo datur, à quo hæreditas quoque relinquitur. *Concordat l. non eſt. 53. ff. cod. tt. bis uerbis:* Non eſt cogendus hæres ſuſpectam adire hæreditatem ab eo cui libertas à legatario, hæreditas ab hærede relicta eſt: cum ſtatus hominis ex legato pendeat, & nemo ſe cogatur adſtringere hæreditarijs actionibus propter legatum. Quid enim, ſi inter moras non manumittente legatario ſeruus deceſſerit? ſi autem uiuo teſtatore legatarius deceſſerit, benignè reſpondetur, cogendum adire, cum in ipſius ſit poteſtate manumiſſo reſtituere hæreditatem. *Planè duplicationis propoſitæ triplicatio prima hæc eſt: Niſi portio eius à quo libertas ſeruo legata eſt, alteri à quo hæreditas eidẽ ſeruo relicta eſt, adcreuerit. quæ triplicatio approbatur d. l. 52. §. fin. bis uerbis:* Sed ſi fortè is à quo libertas data eſt, portionem ſuam repudiauit, uel conditione excluſus eſt: cum portio eius ad alterum peruenerit, defendi poterit adire cogendum. quid enim intereſt, quo iure debitor libertatis & hæreditatis idem eſſe cœperit? *Concordat d. l. 53. in uerbis paulò ſuperius propoſitis hiſce:* Si autem uiuo teſtatore legatarius deceſſerit, &c. *Secunda triplicatio eſt: Niſi alter, à quo libertas relicta eſt, ſeruum manumiſerit. quæ triplicatio approbatur l. cogi poterit. 16. §. fin. ff. ad ſenatuſconſultum Trebellianum, bis uerbis:* Talis quoque caſus à diuo Pio terminatus eſt, cùm ſeruo uni ex hæredibus legato per fideicommiſſum eſſet ab eo libertas data, & ab altero hæreditas. diuus etenim Pius reſcripſit Caſsio Extero in hæc uerba: Quoniam Hermias Simiaſco Theodoto, ex parte hæredi inſtituto, à Pamphilo teſtatore legatus eſt, eúmque Theodotus, poſtquàm adierat hęreditatem, & priuſquã à cohærede eiuſdem Pamphili adiretur hæreditas, adiuſtam libertatẽ perduxit, & ob hoc in eum caſum res perducta eſt, ut is qui legauit, inteſtatus eſſe non poſsit: Hermia poſtulante Titius Euareſtus compellendus eſt periculo eius adire, & ex cauſa fideicommiſſi hæreditatem ei reſtituere. *Hæc de prima duplicatione eiuſq; triplicationibus ſunt dicta. Secunda propoſitæ replicationis duplicatio eſt: Niſi libertas in diem, hæreditas purè ſit relicta. hoc enim caſu ante diem libertatis uenientẽ hæres ad adeundam hæreditatem cogi non poteſt. quæ duplicatio approbatur l. ſi cui. 31. §. 1. ff. d. tt. bis uerbis:* Si ei qui in diem libertatem acceperit, hereditas per fideicõmiſſum relicta erit: ſuſpectam eam interim non poſſe adiri, diuus Pius Caſsio Hadriano reſcripſit: cum non poſsit nondum libero hæreditas reſtitui, nec rurſus contra uoluntatem defuncti libertas præſtanda ſit. *Cõcordat l. ſi patroni. 55. §. 1. ff. cod. tt. bis uerbis:* Imp. Titus Antoninus reſcripſit, in tempus directò data libertate, non eſſe reputandam hæreditatis reſtitutionem, quando perſona non eſt, cui reſtitui poſsit. *Tertia duplicatio eſt: Niſi is qui ſoluendo non eſt, ſeruo libertatem ſimul & fideicommiſſariam hæreditatem reliquerit. Hæc duplicatio ſtricto quidem iure approbatur, uerùm æquitatis ratione reprobatur l. facta. 63. §. fin. ff. ad ſenatuſconſultum Trebellianum, bis uerbis:* Admonendi ſumus, ſi is qui ſoluendo non ſit, Titio hærede inſtituto, ſeruum eſſe liberum iuſſerit, & rogauerit Titium hæreditatem eidem reſtituere: uix eſſe, ut Titius recuſans hæreditatem adire cogatur. nam licet deſiderante ſeruo Titius adierit hæreditatem, non tamen poteſt libertas ſeruo competere, quaſi in fraudem creditorum data, licet Titius locuples ſit: qua de cauſa nec hæreditas ei reſtitui poteſt. Sed ex ſententia legis dicendum eſt, perinde habendum, ac ſi is ſeruus ſolus liber & hæres ſcriptus eſſet, nec Titius hæres eſſet.

XIX. *Exceptio: Niſi non hæreditas, ſed res aliqua ſeu ſpecies per fideicommiſſum ſit relicta. Hæc exceptio approbatur l. nam quod. 14. §. non omnis. ff. ad S.C. Trebellian. bis uerbis:* Non omnis ſuſpectam hæreditatem repudiatione amiſſam cogere poteſt adiri, & ſibi reſtitui: ſed is demum, ad quem actiones tranſire poſſunt. neque enim æquum eſt, ad hoc quem compelli adire hæreditatem, ut emolumentum quidem hæreditatis refundat, ipſe uerò oneribus hæreditatis obſtrictus relinquatur. Quare ſi fideicommiſſum pecuniarum alicui fuerit relictum, ceſſat compulſio, tametſi indemnitatis cautio offeratur. Proinde qui hæreditatem rogatur reſtituere, is demum compellitur reſtituere. *Ait iuriſconſultus:* Tametſi indemnitatis cautio offeratur. *His uerbis reprobatur prima aduerſus exceptionem propoſitam replicatio hæc: Niſi indemnitatis cautio offeratur. Secunda replicatio eſt: Niſi quis bona, familium, uniuerſam rem, omnia ſua, uel patrimonium, &c.*

rem, &c. reſtituere fuerit rogatus. Hæc replicatio approbatur d. l. 14. §. fin. cum ll. ſequentibus, bis uerbis: Sed ſi quis bona regatus ſit, uel familiam, uel pecuniam, uel uniuerſam rem, uel omnia ſua, cogi poterit. hoc idem, etſi patrimonium fuerit rogatus, etſi Facultates, etſi Quidquid habeo, etſi Cenſum meum, etſi Fortunas meas, etſi Subſtantiam meam, etſi Peculium meum teſtator dixerit (quia plerique *ὑπομνηματικῶς* patrimonium ſuum peculium dicunt) cogendus erit: de ſucceſſione enim ſua etiam hic rogauit. necignoro, in quibuſdam ex his Mætianum dubitare, & dicere uoluntatis eſſe quæſtionem, utrum de pecunia tantùm, an & de ſucceſſione teſtator ſenſerit. in ambiguo tamen magis de ſucceſsione ſenſum dico, ne intercidat fideicommiſſum. Sed etſi quis ita rogauerit, Quicquid ad te ex hæreditate bonisue meis peruenit, rogo reſtituas: cogi poterit adire & reſtituere hæreditatem ex Trebelliano ſenatuſconſulto: quanquam peruenire propriè dicatur, quod deductis oneribus ad aliquem peruenit. Et generaliter autem poteſt dici, ita demũ quem non poſſe cogi adire & reſtituere hæreditatem, ſi de re uel de quantitate fuerit rogatus. Cæterùm ſi de uniuerſitate ſenſiſſe teſtatorem appareat, nulla quæſtio eſt, quin ſiue ſuſpectam dicat, cogi poſsit: ſiue ſpontè adijt, ex Trebelliano tranſeant actiones. *Hæc de ſecunda replicatione, cuius duplicatio hæc eſt: Niſi teſtatorem de pecunia tantùm, non de uniuerſa ſucceſſione ſenſiſſe probetur. quæ duplicatio conſtat ex uerbis ſupradictis hiſce:* Voluntatis eſſe quæſtionem, utrum de pecunia tantùm, &c. *Tertia replicatio eſt: Niſi quis hæreditatem Seiæ, uel id quod ad ſe ex hæreditate peruenerit, reſtitui rogauerit. Hæc replicatio approbatur l. cogi poterit. 16. §. ſed etſi quis non. ff. ad ſenatuſconſultum Trebellianum. cuius uerba uide ſ. eod. cap. qu. æſt. 1. except. 12. repl. 2. Quarta replicatio eſt: Niſi miles certam bonorum ſpeciem reſtitui rogauerit. nam & hoc caſu rogatus cogi poteſt, licet non hæreditas per fideicommiſſum ſit relicta. quæ replicatio approbatur d. l. 16. §. ſed etſi miles. cuius uerba uide ſ. d. except. 12. repl. 1. Quinta replicatio proponitur in caſu l. Paulus. 61. ff. ad S.C. Trebellianum, bis uerbis:* Paulus reſpondit, his uerbis: Semproni, hæredem te non ſcripſi, feſtinans per infirmitatẽ: ideoq; ei dari uolo tantũ, quantum pro uncia hæreditatis cõpeteret. uideri quidem magis quantitatem, quàm portionem hæreditatis relictam: ſed ſic accipiendum, ut uideatur etiam de uncia reſtituenda ſenſiſſe.

XX. *Exceptio: Niſi hæreditas deducto ære alieno ſit per fideicommiſſum relicta. Hæc exceptio reprobatur l. cogi poterit. 16. §. inde quæritur. ff. d. tt. bis uerbis:* Quæritur, ſi quis hæreditatem rogatus ſit reſtituere deducto ære alieno, uel deductis legatis, an ſuſpectam dicens cogi poſsit adire & reſtituere hæreditatem: quia in ipſa magis id quod ſupereſt ex hæreditate, quã ipſam hæreditatem reſtituere ſit rogatus? Et ſunt qui putent (ut Mætianus) inutilem eſſe hanc deductionem: nec enim poſſe exinde deduci quantitatem, non magis quàm ſi fundum quis deducto ære alieno, uel deductis legatis reſtituere ſit rogatus. neque enim recipit fundus æris alieni uel legati minutionem. Sed Iulianum exiſtimare refert, Trebelliano ſenatuſconſulto locum eſſe, ne dupliciter fideicommiſſarius oneretur, cum hæres æs alienum uel legatum deducit: & cum conuenitur à creditoribus & legatarijs, reſtituta ſibi ex Trebelliano hæreditate, debere aut deductionem eum nõ pati ab hærede, aut cauere illi hæredem, defenſum iri eum aduerſus legatarios cæteros q;.

XXI. *Exceptio: Niſi non ſuam, ſed alienam hæreditatem teſtator per fideicommiſſum actori reliquerit. Hæc exceptio approbatur l. ita tamen. 27. §. Trebellianum. ff. ad S.C. Trebellianum, bis uerbis:* Trebellianum ſenatuſconſultum locum habet, quoties quis ſuam hæreditatem uel totam, uel pro parte fidei hæredis commiſit. quare ſi Mæuius te hæredem inſtituerit, & rogauerit ut hæreditatem Titij reſtituas, tuq; hęreditatem Mæuij adieris: perinde à te fideicommiſſum petetur, ac ſi fundum, qui tibi à Titio legatus eſſet, reſtituere rogatus fuiſſes: ideoq; ſi ſuſpectam Mæuij hereditatem dixeris, cogi te non oportet eã adire. Quòd ſi Mæuius te rogauerit & ſuã hæreditatem & Titianam reſtituere, tuq; ſponte adieris hæreditatem: uteris legis Falcidiæ commodo, & partem quartam Mæuianæ hæreditatis retinebis, dimidiam & quartã ex fideicommiſſo reſtitues: nec interererit, eidem utranque hæreditatem, an alij Mæuianam, alij Titianam rogatus fueris reſtituere. ſed ſi ſuſpectam Mæuianam hæreditatem dixeris, cogeris eam adire, & reſtituere ei cui rogatus fueris: is autem cui Titianam hereditatem reſtituere rogatus fueris, non poterit te compellere ad adeundum. *Huius exceptionis prima replicatio hæc eſt: Niſi alienam hæreditatem, quæ ad ſe peruenerit, teſtator per fideicommiſſum reliquerit. Hæc replicatio approbatur l. cogi poterit. 16. §. ſed etſi quis. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. eod. cap. quæſt. 1. except. 12. repl. 2. Secunda replicatio eſt: Niſi teſtator hæredẽ inſtitutum, & filio impuberi ſubſtitutum, rogauerit impuberis filij hæreditatem reſtituere. Hæc replicatio approbatur d. l. 27. §. à patre. ff. d. tt. cuius uerba uide ſ. quæſt. 7. reg. 2.*

XXII. *Exceptio: Niſi non totam, ſed partem hæreditatis actori reſtituere ſit rogatus. Hæc exceptio*

reprobatur d.l.16.§.si quis hæres.ff.ad S.C.Trebellianum,his uerbis: Si quis hæres institutus rogatus fuerit hæreditatem non totam,sed partem restituere:uel si duobus restituere rogatus, & alter ex his uelit sibi restitui hæreditatẽ,alter recuset:senatus cẽsuit,utroq; casu exonerari eum qui suspectã hæreditatẽ dicit,totamq; hæreditatẽ transire ad eum qui adire cogit. *Cõcordat d.l.16.§.si seruo,his uerbis*: Si seruo duorũ rogatus quis sit restituere hæreditatem, & alter cogere uelit suspectam dicentem, alter restitui sibi recuset: hoc erit dicendum,quod in duobus, quorum alter suscipere uoluit hæreditatem,alter non.

XXIII. *Exceptio: Nisi fideicommissarius ex alia causa hæreditatem possit adipisci. Hæc exceptio reprobatur l.recusare.6.§.Titius. ff. ad senatusconsultum Trebellianum,his uerbis*: Titius hæres institutus,Sempronio substituto,rogatus est ipsi Sempronio hæreditatem restituere.institutus suspectam dicebat hæreditatem. quæritur, an cogendus sit adire & restituere hæreditatem? Et deliberari potest: sed uerius est,cogendũ eum: quia interesse Sempronij potest ex institutione, quàm ex substitutione habere hæreditatẽ,fortè legatis uel libertatibus onerata substitutione.nam etsi legitimus hęres fueritis cui fideicõmissaria hæreditas relicta est, idem dicetur. *Concordat l. ita tamen.27.§.qui rogatus.ff.eod.tt.his uerbis*: Qui rogatus est emancipato filio restituere hæreditatem, cogi debet adire & restituere, quamuis filius cõtra tabulas bonorum possessionem accipere possit.

XXIIII. *Exceptio: Nisi damnum quod rogatus sensurus est, per additionem ei à fideicommissario non farciatur,uel ei eo nomine non caueatur. Hæc exceptio approbatur l.apud Iul.11.in prin. ff. ad senatusconsult.Trebellian.his uerbis*: Apud Iulianum relatum est,si legatum fuerit hæredi instituto relictum, si hæres non erit, & ob hoc suspectam dicat hæreditatẽ, ne perdat legatum: offerri ei oportere quantitatem legati à fideicommissario,deinde cogendum. nec illud admittit Iulianus,ut quasi hęreditatem non adijsset, sic legatum à cohærede petat: adijt enim. sed magis arbitratur, à fideicommissario ei præstandum. Sed etsi quid aliud sua interesse dicet,non cogetur adire,nisi ei damnum uel lucrum fideicommissi sarciatur,uel à Prætore onus remittatur,quod recusat. *Concordat d.l.27.§.si perceptis. ff. eod.tt. his uerbis*: Si perceptis quibusdam rebus hæres rogatus sit restituere hæreditatem, & coactus eam adierit,an percipere debeat? Iulianus respõdit, eum qui iussu Prætoris adijsset hæreditatem, omni commodo prohiberi debere. Sed si eidem legatum sit sub hac conditione, si hæres non esset,& suspectam sibi hæreditatem dicat: non aliter cogendus est adire,quàm ut legata, quæ sub conditione, si hæres non esset,data erant, restituantur: non quidem à cohæredibus,ne onerentur, sed ab eo cui restituta fuerit hæreditas. nam sicut explendæ fidei gratia cogendus est adire hæreditatem, ita ob idipsum damno affici non debet. *Concordat item l.debitor.59.§.in re autem.ff.eod.tt.ubi cum creditor à debitore hæres institutus, nollet hæreditatem adire, ne confundatur obligatio debiti uel pignoris: subijciuntur hæc uerba*: In re autem integra non putarem compellendum adire, nisi prius de indemnitate esset ei cautum, uel soluta pecunia esset.nam & cum de lucro hæres scriptus absit, quòd fortè legatum acceperit, si hæres non extitisset: respondum est,non esse cogendum adire,nisi legato præstito. ubi quidem potuit dici, neque cogendum esse hæredem adire quodammodò contra uoluntatem defuncti, qui legando cohæredi, si non adijsset,in ipsius uolũtate posuit additionem.sed cum testator alterutrum dederit, nos utrunque præstamus. *Concordat item l.recusare.6.§.fin.cum l.sequente. ff.eod.tt. his uerbis*: Si quis alio loco restituere hæreditatem iussus sit, & suspectam eam dicat: Iulianus scribit,cogendum eum,similemq; esse ei qui in diem rogatus est restituere. Sed sciendum est,impendiorum quoque, quæ ad iter explicandum necessaria essent, rationem haberi debere. nam si ita institutus est,si Titio decem dedisset, non aliter cogetur, quàm si ei pecunia offeratur. *De hoc posteriore exemplo uide paulò superius except.15.secunda except.*

XXV. *Exceptio: Nisi alio loco restituere sit rogatus. Hæc exceptio reprobatur iam propositis uerbis hisce*: Si quis alio loco, &c. *Planè admittitur exceptio proposita,si rogatus uel morbo,uel ætate, uel iure in locum illum peruenire non possit. Quæ distinctio approbatur l.sed sciendum.7. §.fin.cum l.sequente.ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius except.15.in fine.*

XXVI. *Exceptio: Nisi in diem uel sub conditione restituere sit rogatus,nec dies uenerit, aut conditio extiterit. Hæc exceptio reprobatur uerbis paulo antè propositis hisce*: Similemq; esse ei qui in diem rogatus est restituere. *Reprobatur insuper exceptio proposita l.apud Iulianum.11.§.fin. ff.ad S.C.Trebell.his uerbis*: Antistia decedens Titium hæredem instituit, & libertatem dedit Albinæ directam, eiq; filiam per fideicommissum reliquit, rogauitq; ut filiam manumitteret: sed & Titium rogauit, ut manumissæ Albinæ filiæ restitueret hęreditatem. Cum igitur Titius suspectam diceret hæreditatem,rescriptum est à diuo Pio, compellendum eum adire hæreditatẽ:quo adeunte, Albinæ competituram libertatem, eiq; filiam

filiam tradendam,& ab ea manumittendã, tutoremq; filiæ manumissæ dandũ, quo autore restituatur hæreditas filię statim:quãuis sic fuisset ei rogatus restituere,cum nubilem ætatem complesset. Cum autem possit (inquit) euenire, ut antè decedat ea cui fideicommissaria libertas & hæreditas relicta est,nec oporteat damno affici eũ qui rogatus adijt hæreditatem: remedium dedit, ut si quid horum contigerit,perinde permittantur uenundare bona Antistiæ,ac si hæres ei non extitisset. Cum igitur demonstrauerit diuus Pius, succurri hæredi instituto, qui compulsus adijt:dici potest,etiam in cæteris causis exemplum hoc sequendum, ut ubi euenerit, restituatur fideicõmissaria hæreditas ei qui compulit adire & restituere hæreditatem sibi. *Concordat l.ille à quo.13.in prin.ff.eod.tt. his uerbis*: Ille à quo sub cõditione fideicommissum relictũ est, caussari quid non poterit, ne conditio deficiat, & hæreat actionibus: cum nullũ damnum sit futurũ, secundum ea quæ ostendimus. *Ait Iurisconsultus*: Remedium dedit, ut si quid horum contigerit,perinde permittantur uenundare bona Antistiæ, ac si hęres ei nõ extitisset. *Hæc uerba recipiunt distinctionẽ hanc: Nisi is qui sub conditione rogatus est,cohæredem habeat,qui hæreditatem pro sua parte agnoscat.hoc enim casu, fideicommissario ante conditionem existentem mortuo,non uenundantur bona,sed ad cohæredem pertinẽt. Quæ distinctio approbatur l.sed cũ.12.in prin.ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.ead.quæst.2.except.9. Cõcordat ijs quæ paulò superius proposita sunt, l.si cui.31.in prin. ff. eod.tt. his uerbis*: Si cui purè libertas,& per fideicõmissum sub cõditione hæreditas relicta est: cogitur hæres adire hęreditatem,si suspectã dicat,& restituere: & deficiente cõditione, libertas ei eripi non potest. *Planè admittitur exceptio proposita,si hæres institutus,& impuberi filio substitutus, rogatus sit, quidquid ad se ex substitutione peruenerit,restituere.hoc enim casu uiuo pupillo testatoris hæreditatem adire compelli non potest. quæ distinctio approbatur l.ita tamen.27.§.à parte. ff.ad S.C.Trebell.de quo ĵ.quæst.7.reg.2.*

XXVII. *Exceptio: Nisi, cum sub conditione fideicommissum relictum esset, conditio defecerit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est:Nisi talis sit cõditio,quæ solet remitti. Quæ replicatio approbatur l.seruo inuito.65.§.si testator.ff. ad S.C.Trebell.his uerbis*: Si testator rogasset hęredem, ut restituat hæreditatem mulieri, si non nupserit: dicendum erit, compellendũ hæredem, si suspectam dicat hæreditatem, adire & restituere eam mulieri, etiamsi nupsisset. *Planè iure quidem antiquo conditio hæc, Si non nupserit: remittebatur, secus autem iure nouo. de quo in conditionibus dicetur.*

XXVIII. *Exceptio: Nisi, cum sub conditione non faciendi fideicommissum relictum esset, fideicommissarius cautionem Mutianam non præstiterit. Hæc exceptio approbatur d.§.si testator.ibi: idem,his uerbis*: Idem (*scilicet compellendum hæredem*) in cæteris quoq; conditionibus Iulianus noster probat, quæ similiter, nisi fine uitæ,expleri non possint. secundum quam sententiam cautione præstita his quorũ interest, ab his quibus restitui sub his conditionibus hęres rogatus est,restituet hæreditatem.

XXIX. *Exceptio: Nisi testamentum iniustum dicatur. Hæc exceptio reprobatur l.ille à quo.13.§.i.ff. ad S.C.Trebell.his uerbis*: Si de testamento aliquid quæratur, hęres non debet audiri,si suspectam sibi hæreditatẽ dicat.Nam etsi maximè dicatur uel ius testandi non habuisse eum qui testatus est, uel de uiribus testamẽti,uel de sua cõditione,non erit audiendus.

XXX. *Exceptio: Nisi fideicommissum inutile dicatur. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d.l.13.§.i.his uerbis*: Quid ergo,si de uiribus fideicõmissi tractetur? Hæc quæstio à Prætore prætermittenda non erit. sed quid,si fideicõmissarius dicat, Adeat prius, & sic de hoc quæratur? credo interdum audiendum fideicommissariũ,si cognitio prolixiorẽ tractatum habeat. finge enim,uerba fideicommissi de longinquo petenda, & iustam deliberationẽ de quantitate fideicommissi incidere:dicendum erit,compellendum eum adire, ne prius hæres decedens fideicommissarium decipiat.

XXXI. *Exceptio: Nisi contra tabulas bonorum possessio sit petita. Hæc exceptio approbatur l.ita tamen.27.§.quoties.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis*: Quoties filius emãcipatus bonorum possessionem contra tabulas accipit, nulla ratio est compellendi hæredis ad restituendam hæreditatem: & sicut neq; legata, neq; fideicõmissa cætera præstare cogitur,ita nec ad restitutionem quidem hæreditatis compelli debet. Marcellus: Planè non est cõpellendus adire, si iam filius bonorum possessionem accepit: ne intercidat fideicõmissum mortuo hærede instituto, & omissa à filio bonorum possessione. *Verba hæc posteriora*: Planè nõ est compel.&c.*non satis intelligo quorsum tendant,nec mihi satisfacit Glossa.*

XXXII. *Exceptio: Nisi bona defuncti uenierint. Hæc exceptio approbatur l.nam quod.14.§.i.ff.ad S.C.Trebell. his uerbis*: Planè si bona uenierint, non oportet prætorẽ, ne pupillũ quidẽ restituere,nisi ex causa,ut diuus Pius rescripsit.

XXXIII. *Exceptio: Nisi hæreditas soluendo sit, uel nõ sit soluendo.Hæc exceptio reprobatur l.quia poterat.4.§.nec interest. ff.ad S.C.Trebellian. his uerbis*: Nec interest,soluendo sit hæreditas, nécne. sufficit enim recusari ab hærede instituto. neque illud inquiritur, soluendo sit hæreditas,

ditas,an non sit.opinio enim,uel metus,uel color eius qui noluit adire hereditatem,inspicitur,non substantia hæreditatis: nec immeritò. non enim præscribi hæredi instituto debet, cur metuat hæreditatem adire, uel cur nolit: cum uariæ sint hominum uoluntates, quorundam negocia timentium, quorundam uexationem, quorundam æris alieni cumulum (tametsi locuples uideatur hæreditas) quorundam offensas uel inuidiam, quorundam gratificari nolentium his quibus hæreditas relicta est, sine onere tamen suo. *Concordat l.sed etsi.9.§.penult. ff.eodem titulo. cuius uerba uide infrà quæst.8.regul.3. except.1.*

XXXIIII. Exceptio: *Nisi fidecommissarius sit absens. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ §.proximè de procuratore proponentur.*

XXXV. Exceptio: *Nisi semel adijt hæres coactus. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc esse uidetur: Nisi ipsi hæredi post additionem & restitutionem cohæredis portio adcreuerit. Quæ tamen replicatio reprobatur l.Papin.43.ff. ad S.C.Trebell. his uerbis:* Papinianus tractat,si quis hæres institutus ex semisse rogatus sit restituere hæreditatem, & eam suspectam dicens compulsus adierit, deinde fideicommissarius ignarus sit adcreuisse portionē hereditatis post restitutionem scripto hæredi: an opus sit ei alia actione? & ait, securum eum esse posse. De illo planè solo quærendum ait, an opus sit ei noua restitutione,post eaquam portio adcreuit. *Plures huiusmodi exceptiones uide §.eod.cap.quæst.1. Sequitur nūc,quibus desiderantibus sit cogendus?*

II. QVIBVS DESIDERANTIbus hæres adire cogendus est?

Prima regula,De procuratore absentis. Hoc quoq; desiderante hæres cogendus est. Quæ regula approbatur l.apud Iulianū.11.§.utrum autem. ff.ad S.C.Trebell.his uerbis: Verum præsenti, an etiam absenti restitui possit, procuratore adeunte Prætorem,uidendum est. Ego puto,absente quoq; fideicommissario cogi posse hæredem instítutum adire & restituere: nec uereri hæredem oportere, ne fortè in damno moretur. potest etenim ei per Prætorem succurri, siue cautum ei fiat, siue non: & antè decesserit fideicommissarius, quàm ei restituatur hæreditas. est enim huius rei exemplum capere ex rescripto diui Pij, in specie huiusmodi: Antistia decedens, Titium, &c. Reliqua *uide paulò superius except.26. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi de mandato dubitetur. Hæc exceptio approbatur l.qui ita.66.§.1.ff.eod.tt.bis uerbis:* Etiam absentis procuratori, si desideret, posse restitui hæreditatem ex hoc senatusconsulto,Iulianus scripsit: si tamen caueat de rato habendo,si non euidens absentis uoluntas sit. Sed dicendum est, ut hæres, qui suspectam dicat hæreditatem, non sit compellendus adire, si certum non sit, an mandauerit: quamuis ei caueatur, propter fragilitatem cautionis. quòd si spontè adierit,non magna captio est:sed actiones (si nō mandauerit) transibunt eo tempore, quo ratum habuerit.

Secunda regula, De tutore & curatore desiderante,proponitur l.seruo inuito.65.§.si pupillo.ff.ad senatusconsultum Trebellianum, his uerbis: Si pupillo infanti restituere hereditatem quis rogatus sit: si spontè adierit, etiam seruo eius,& ipsi pupillo,tutore authore,restituetur hæreditas. siquidem eo quòd fari non potest, non magis ea res impedietur, quàm in muto pubere uolente sibi restitui hæreditatem.Si autem hæres recusет adire hæreditatem,quēadmodum res expediri possit, difficile est: quia neque tutore desiderante periculo pupilli adiri hæreditatem, Trebelliano senatusconsulto locus sit futurus: neq; pupillus ipse id desiderare possit, cum fari nō possit. quod aliquatenus circa mutos expediri potest. nā si auditus capaces sunt, uel interrogati nutu possunt significare,uelle se periculo suo hæreditatē adiri, quomodo absentes per nunciū.sed & infanti nō dubito omnimodò subueniendū. idq; ex similitudine iuris ciuilis uel honorarij constituendum est.siue enim hæres institutus esset,non dubiè pro hærede tutore authore gerere posse uideretur: siue de bonorum possessione agitaretur,peti ei per tutorem posset. Ideoq; hæres compelli per tutorem potest adire & restituere hæreditatē: quo exemplo & mutus, qui nihil intelligere potest,per curatorem adiuuatur.

Tertia regula, De domino & seruo,proponitur d.l. 65.in prin.de quo inferius cap.prox.except.2.repl.3.

Quarta regula, De eo cui fideicommissarius restituere rogatus est, proponitur l.cogi poterit.16.§.si ego.ff.ad senatusconsultum Trebellianum, his uerbis: Si ego hæres institutus rogatus sim Stichum manumittere, uel alius legatarius: fidei autem meæ commissum sit, ut Titio hæreditatem restituam: deinde Titij fidei commissum sit,ut Sticho eandem redderet: Stichus cogere me potest adire,& restituere hæreditatem. *Concordat l.si patroni.55.§.qui fideicommissariam.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.cap.1.quæst.2.reg. 4.except.2.*

Quinta regula: De uno ex pluribus fideicommissarijs,uide §.quæst.8.reg.4.

III. A QVIBVS HAERES sit cogendus?

Prima regula: Si rogatus in magistratu sit, à superiore magistratu cogendus. Quæ regula approbatur l.ille à quo.13.§.tempestiuum.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:

Tempestiuum est requirere,per quem quis cogatur adire & restituere hæreditatem: ueluti si prætor aut consul fuerit hæres institutus, suspectámque hæreditatem dicat, an cogi possit adire & restituere? & est dicendum, prætorem quidem in prætorem,uel consulem in consulem nullum imperium habere: sed si iurisdictioni se subijciant,solet prætor in eos ius dicere. Sed & si ipse prætor hæres institutus suspectam dicat,ipse se cogere nō poterit:quia triplici officio fungi non potest, suspectam dicentis, & coacti, & cogentis. Sed in his omnibus casibus atque similibus principale auxilium implorandum est.

Secunda regula: Pater *à filio quoque prætore cogi potest. Quæ regula approbatur d.l.13.§.fin.cum l.sequente, his uerbis:* Si quis filiusfamiliâs sit, & magistratum gerat, patrem suum, in cuius est potestate, cogere poterit suspectam dicentem hæreditatem adire & restituere. Nam quod ad ius publicum attinet,non sequitur ius potestatis.

IIII. VBI COGENdus?

Si absit, ibi ubi est, cogendus est. Quæ regula approbatur l.sed etsi.9.in prin.ff.ad S.C.Trebellian.cuius uerba uide §.except.12.

V. QVI COGENDI?

De uno ex pluribus rogatis. Vnus quoq; ex pluribus rogatis cogi solus potest. Quæ regula approbatur l. cogi poterit.16.§.cum quidam. ff. ad senatusconsultum Trebellianum,his uerbis: Cum quidam duos hæredes instituerit,eosq; inuicem substituerit, & ab his petierit,siue uterque,siue alter hæres esset, ut hæreditas sua ex parte dimidia restitueretur alicui post quinquennium: & si scripti suspectam sibi hereditatem dicant, fideicommissarius autem desideret suo periculo adiri hæreditatem, censuit Senatus ambos hæredes alterúmue cogi adire hæreditatem, & fideicommissario eam restituere,ita ut fideicommissario & aduersus eum actiones competant, quasi ex Trebelliano restituta hæreditate. *Concordat l.ita tamen.27.§.quòd si duo.ff.eod.tt. bis uerbis:* Quòd si duo hæredes à patre instituti fuerint, & utriusque fidei commissum sit,ut exhæredati filij hæreditatem restituerent: satis erit, uel unum cogi adire. hoc enim facto, etiam is qui patris hæreditatem non adijt,filij hæreditatem adire & restituere cogetur. *Concordat item l.apud Iulianum.11.§.1.ff.eod.tt.bis uerbis:* Iulianus ait, Si duo fuerunt à patre instituti cum filio eius impubere,& ijdem substituti filio:sufficere ei qui fideicommissum in secundis tabulis accepit,unum ex hæredibus institutis cogere adire patris hæreditatem. hoc enim facto, cōfirmatis q; patris tabulis, poterunt ex substitutione ambo cogi adire, & restituere hæreditatem.

VI. QVAM HAEREDITATEM adire sit cogendus?

Si filij impuberis hæreditas à substituto sit relicta, ut patris hæreditas adeatur, cogi potest: ut patet ex ijs quæ §.regula proxima sunt proposita.

VII. QVANDO COGENdus hæres?

Prima regula: Etiam ante diem fideicommissi cedentem cogi potest. Quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt paulò superius except.26.

Secunda regula: Si filij impuberis hæreditatem substitus restituere sit rogatus, non nisi mortuo filio cogi potest. Quæ regula approbatur l.ita tamen.27.§.à patre. ff. ad senatusconsult.Trebellianum, his uerbis: A patre hæres scriptus, & exhæredato filio substitutus, si rogatus fuerit hæreditatem, quæ ad eum ex substitutione peruenerit, Titio restituere:cogendus non est,uiuo pupillo patris hæreditatē adire: primùm, quia sub cōditione fideicommissum datum est: deinde, quia non probè de hæreditate uiuētis pueri aget. mortuo autem pupillo compelli debet hæreditatem patris adire.

Tertia regula: Etiam intra tempus deliberandi hæres cogi potest. Quod approbatur l.omnes.71.ff.ad senatusconsult.Trebellian. cuius uerba uide §.cap.1.except.4.1.repl.3. Concordat l.si legatus.30.in prin.ff.eod.tt. cuius uerba uide suprà eodem cap.de cog.hærede, except.12.

Quarta regula: Legatus uel alius qui reipub. causa abest,etiam tempore absentiæ cogi potest. de quo uide §.d.except.12.

VIII. EVENTVS, SI HAEres coactus adierit.

Prima regula: Si hæres coactus adijt hæreditatem, confirmantur omnia in eo testamento relicta, & ad illud pertinentia. Quæ regula approbatur l.nam quod. 14.§.si quis compulsus. ff. ad senatusconsult.Trebellianum,his uerbis: Si quis compulsus adierit hæreditatem ex testamento, quod secundas tabulas habebat: quæsitum est, an per additionem & tabulæ secūdæ firmarētur, quòd uideantur euanuisse,non adita patris hæreditate? & Iulianus libro 15.scribit,& sequentes tabulas confirmari: quæ sententia uerissima est. nemo enim dubitat, etiam legata præstari,& libertates competere,& cætera, quæcunq; sunt in testamento,perinde ualere,ac si sua sponte hæres hæreditatem adijsset. *Cōcordat l.qui plures.36.§.fin.ff.de uulgari substit.his uerbis:* Etsi à patre institutus rogatus q; hæreditatem restituere, coactus à fideicommissario adierit:quamuis cætera quę in eodem testamēto relicta sunt, per eā additionē cōfirmentur,ut legata & libertates: secūdas tamen tabulas nō oportere resuscitari, destituto iam iure ciuili testamento, Serbidi-

rit conditio, si uelit alius fideicommissarius partem suam suscipere, transire ad eum ipso iure actiones. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi is qui coegit, solidũ capere non posſit. Hæc exceptio approbatur l.si postulãte. 67.§.fin.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Si donationis causa suspectam hæreditatem sibi hæres dixerit, & restituerit ei qui solidum capere non possit: aufertur ei id quod capere non potest. Idem dicendum est, etsi citra consilium donandi fiduciarius hæres id fecerit. *Secunda exceptio est: Nisi post restitutam portionem hæredi coacto altera portio adcreuerit. Hæc exceptio reprobatur l.Papinianus.43. ff. ad S.C.Trebell. cuius uerba uide §.de cog.hærede,except.35. Tertia exceptio est: Nisi alter fideicommissarius postea partem suam suscipere uelit. Quæ exceptio approbatur l.1.§. sed & quoties.ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius. Hactenus de cogendo hærede adire, secundo huius Capitis membro.*

III. QVID ET QVANTVM ueniat in actionem fideicommissi hæreditatis restituendæ?

Prima regula, De fructibus,usuris & omni commodo.de hac regula eiusq; exceptionibus uide §.lib.prox. cap.3.reg.11.

Secunda regula, De eo quod per seruum hæreditarium est adquisitum. Hoc fideicommissario non debetur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. facta.63.§.si hæres ante. ff. ad S.C.Trebell. his uerbis: Si hæres ante restitutam hæreditatem seruum hæreditarium hæredem ab aliquo institutum iusserit adire hæreditatem: negat Iulianus, debere hanc hæreditatem restitui: quia de eo rogatus non esset. & hoc est fatendum. Requirendum tamen & illud est, num cum incremento hæres restituere rogatus sit hæreditate. si enim hoc fuerit subsecutum, etiam eam hæreditatem restituere cogitur: nisi euidentissimis probationibus fuerit ab hærede adprobatum; contemplatione sui seruum esse hæredem instituti. *Concordat l.quidam.25.§.fin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.reg.16.except.1.* Ait Iurisconsultus: Requirendum tamen & illud est, num cum incremento hæres restituere rogatus sit hæreditatem, &c. *Hisce uerbis prima aduersus regulam propositam exceptio cõtinetur:de qua uide §.lib.prox. cap.3.reg.11.except.3. Secunda exceptio est: Nisi hæres coactus hæreditatem adierit. Hæc exceptio reprobatur cum conditione l.item facta.27.§.1.ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide §.eod.cap.de cogendo hærede, quæst.8. reg.2. except.6. Tertia exceptio est: Nisi post diem fideicommissi cedentem seruus adquisierit. Hæc exceptio approbatur d.l.25.§.fin.ff.d.tt.cuius uerba uide §.reg.16.except.1.Alias huius regulæ exceptiones uide §.lib.prox.cap.3.reg.11.*

Tertia regula, De prælegatis ipsi hæredi, & fideicommissis eidem relictis. Hæc in restitutione hæreditatis nõ ueniunt. Quæ regula approbatur l.si Titius.94. ff.de legatis 3. his uerbis: Si Titius ex parte hæres rogatus sit Mæuio hereditatem restituere, & rursus Titio cohæres eius rogatus sit suam partem, aut partis partem restituere: an hanc quoque partem, quam à cohærede ex fideicommisso recepit, Titius restituere Mæuio debeat? diuus Antoninus consultus rescripsit, non debere restituere: quia appellatione hæreditatis neque legata, neque fideicommissa continerentur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi simpliciter portionem suam, non portionem hæreditatis restituere sit rogatus. Hæc exceptio approbatur l.Marcellus.3. §.quidam.ff.ad S.C.Trebellianum, his uerbis:* Quidam liberis suis ex disparibus partibus instituti, datis præceptionibus, sicut ipse maximam partem patrimonij inter liberos diuisisset: ita rogauit eum qui sine liberis decederet, portionem suam fratribus restituere. Imperator noster rescripsit, præceptiones quoque fideicommisso contineri: quia non portionem hæreditariam testator commemorasset, sed simpliciter portionem: in portionem autem, & præceptiones uideri cecidisse. *Secunda exceptio est: Nisi legatum uel fideicommissum hæredi relictum, sit inutile. Hæc exceptio approbatur l.cũ hæres.51.in prin. ff.eod.tt. de quo §.reg.17.except.1.repl.2. Concordat l.in fideicommissariam.18.§.fin.ff.d.tt.his uerbis:* Si legatum sit hęredi relictum, & rogatus sit portionem hæreditatis restituere, id solum non debere eũ restituere, quod à cohærede accepit: cæterũ quod à semetipso ei relictum est, in fideicõmissum cadere, diuus Marcus decreuit. *Tertia exceptio est: Nisi ita fideicommissum sit relictũ, Quidquid ex hæreditate ad te peruenerit, restituas. Quæ exceptio approbatur l.cum uirum.16.C.de fideicommiss.de qua re uide §.lib.prox. cap.4.de eo quod ad rogat.peruen.regula 5. Quarta exceptio est: Nisi hæres coactus adijt. de hoc uide §.eod.cap.de cogendo hærede,quæst.8.reg.2. Quinta exceptio est: Nisi testator specialiter & prælegata restitui iusſit. Hæc exceptio ipso quidem iure approbatur: uerùm eius replicatio hæc est: Nisi inter ista prælegata dos quoque uxori à marito sit relegata. hæc enim non debetur, nisi & eam specialiter testator maritus restitui iusſit. Quæ replicatio cũ sua distinctione approbatur l.Lucius.78. §.maritus.ff.ad S.C.Trebellianum, his uerbis:* Maritus uxore hærede instituta ex parte tertia, & pluribus ei fideicommissis datis, dotem quoq; relegauit, his uerbis: Seiæ uxori meæ dari uolo à filijs meis summam dotis eius quæ mihi pro ea illata est. eiusdemq; uxoris fidei commisit, ut partem hæreditatis, & quæcunq; ei legasset, post mortem suã Titio filio communi restitueret. quæsitum est, an summam quoque dotis inter cætera legata

ex causa fideicommissi filio suo restituere debeat? Scæuola respondit, non aliàs, nisi manifestum esset, de dote quoque restituẽda testatorem sensisse: atque etiamsi sensisse eum hoc fuerit approbatum, ita tamen eius quoque petitionem fore, si non minus in quantitate, quæ Falcidiæ nomine remaneret, foret, quàm in quantitate dotis.

Quarta regula, De ijs quæ hæredi conditionis implẽdæ causa data sunt. Hæc in hæreditatis restitutione non ueniũt. Quæ regula approbatur l.qui hæredi.43. §.cũ hæreditas.ff.de cõdit.& demõſt.his uerbis: Cum hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto restituta est, hæredi dandum est, ut implea tur conditio: nec hoc restituendũ est ex causa fideicommissi. *Concordat d.§.cum hereditas, in fine,his uerbis:* Sed si iussus sis mihi dare decem, & accipere hæreditatem ex senatusconsulto, decem tibi ex causa fideicommissi nõ restituam. *Contradicit l.quod statuliber.41. ff.de mortis causa donationibus. cuius uerba uide §.capite prox.quæſt.5.reg.13.except.2. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi hæres coactus hæreditatem adijt. Hæc exceptio reprobatur d.§.cum hæreditas, his uerbis:* Sed cum suspectam adijt, & restituit, dubitatur, an ei auferendũ sit: & benignius est, & in hoc casu nihil ei auferri. *Contradicit l.is cui.34.ff.de cõdition.indebiti,his uerbis:* Is cui hęreditas tota per fideicommissum relicta est, & præterea fundus, si decem dedisset hæredi: si hæres suspectam hæreditatem dixerit, & eam ex Trebelliano restituerit, causam dandæ pecuniæ non habet. Et ideo, quod eo nomine quasi implendæ cõditionis gratia dederit, condictione repetet.

Quinta regula, de eo quod hæres creditoribus hæreditarijs soluit. Hoc in restitutione hæreditatis deducendum. Quæ regula approbatur l.ita tamen.27.§. qui ex Trebelliano,in fine. ff.ad senatusconsultum Trebellianum,his uerbis: Cùm hoc minus ex causa fideicommissi restiturus sit. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi restituta hæreditate illud non deduxit hæres. Hæc exceptio reprobatur l.1.C.eod. tt.his uerbis:* Si ex senatusconsulto quartam partem hæreditatis retinuisti, quod creditoribus hæreditarijs pro nouem uncijs præstiteris, à fideicommissario petere poteris. *Secunda exceptio est: Nisi naturale tantùm fuerit debitum. Quæ exceptio approbatur l.si eius.64.in prin.ff. ad senatusconsultum Trebellianum. cuius uerba uide §. cap.prox.quæſt.2.reg.8. Tertia exceptio est: Nisi usurarum nomine soluerit. Hæc exceptio approbatur l. deducta.58. §.qui post. ibi: quod si fœnus. ff.d.tt. cuius uerba uide §.cap.prox.quæſt.4.reg.2.*

Sexta regula, De eo quod debuit defunctus hæredi. Hoc hæres deducere ac retinere potest. Quæ regula approbatur per ea quæ habentur suprà cap.prox. quæſt.5.reg.4.except.4. item per ea quæ habentur suprà lib.prox.cap.7.reg.21. Sed & de sumptibus, quos hæres in res hæreditarias fecit, deducẽdis, uide §.d.cap. 7.reg.22.

Septima regula, De re ipsi hæredi à defuncto pignori obligata. Hæc non uenit in hæreditatis restitutione. Quæ regula approbatur l.debitor.59.in prin.ff.ad S.C. Trebellianum, his uerbis: Debitor sub pignore creditorem hæredem instituit, eumq; rogauit restituere hæreditatem filiæ suæ. cum nollet adire ut suspectam, coactus iussu Prętoris adijt & restituit. cum emptorẽ pignoris non inueniret, desiderabat permitti sibi, ut iure dominij id possideret. Paulus respondit: Aditione quidem hæreditatis confusa obligatio est: uideamus autem, ne & pignus liberatum sit, sublata naturali obligatione. Atquin siue possidet creditor actor idemq; hæres rem, siue nõ possidet, uideamus de effectu rei: & si possidet, nulla actione à fideicommissario conueniri potest: neque pignoraticia, quoniam hæreditaria est actio: neque fideicommissaria, quasi minus restituerit, rectè petetur: quod eueniret, si nullum pignus interceſsisset. possidet enim eam rem quasi creditor. Sed etsi fideicommissarius rem retineat, & hic Seruiana actione tenebitur. uerum est enim, non esse solutam pecuniam: quemadmodum diximus, cùm amissa est actio propter exceptionem. Igitur non tantùm retentio, sed etiam petitio pignoris nomine competit, & solutum nõ reperitur: remanet ergo propter pignus naturalis obligatio. In re autem integra, &c. *Cætera uide §.eod.cap.de cog. hæred.except.24.*

Octaua regula, De re ipsius hæredis defuncto à tertio quodam legata. Hæc in restitutionem hæreditatis non uenit. Quæ regula approbatur l.si res.52.in prin. ff.ad S.C.Trebell.his uerbis: Si res aliena Titio legata fuerit, isq; domino rei hærede instituto perierit, ut hæreditatem Mæuio restituat: Mæuius legatum inutiliter petet. non enim poterit consequi, quod ad institutum, id est, rei dominum peruenire nõ poterat.

Nona regula, De ijs quæ testator inter uiuos hæredi donauit, uel alio modo extra testamentũ dedit. Hæc in hæreditatis restitutione non ueniunt. Quæ regula approbatur l.sequens.70. ff.de leg.2. de qua re uide §. lib.prox.cap.4.de eo quod ad rogat.peruen.reg.1.Eius etiam exemplum proponitur l.debitor.59.§.fin. ff.ad S.C.Trebell. his uerbis: Ea quæ dotem dabat, pacta erat cum marito, ut morua se in matrimonio dotis pars matri eius redderetur, nec eo nomine stipulatio à matre interposita est: moriens deinde, & matrem & maritum suum hæredem fecerat, & à matre petierat, ut hæreditatem Titio restitueret. iudex aditus de hæreditate diuidenda partem dotis quasi ex utili pacto pro parte matri adiudicauerat. quærebatur, an & ea

portio

portio ex causa fideicommissi præstãda sit? non esse restituendam, Paulus putat: quia non quasi hæres, sed quasi mater ex pacto accepit: nec occasione hæreditatis, sed erro re ex pacto eam habuit. *Aliud exemplum proponitur l.à filia.62.in prin.ff.d.tt.his uerbis*: A filia petij, ut si liberis superstitibus moreretur, partem eius quæ ad eã ex bonis patris peruenisset: quòd si sine liberis, uniuersum fratri restitueret. quæritur, defuncta ea in matrimonio superstite filia, an hæres eius cum parte hæreditatis, eius quoque quod dotis nomine datum erat, partem restituere debeat? Scæuola respondit, id quod in dotẽ fuisset, non contineri in parte hæreditatis, quæ restituenda esset: sed & si ex promissione dotis aliquid debitum fuisset, æris alieni loco habendum. *Plura de regula proposita uide ẽ. d.reg.1.*

Decima regula, De precio seruorum hæredis ex causa testamenti manumissorum detrahendo, proponitur l.ita tamen.27.§.fin.ff.ad S.C.Treb.de quo uide ẽ.cap. prox.quæst.5.reg.19.

Vndecima regula, De rebus quæ ad extraneum hæredem non transeunt. Hæ non ueniunt in restitutione. Quæ regula approbatur exemplo l.si patroni.55.in prin.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis: Si patroni filius extraneo restituerit ex Trebelliano hæreditatem, operarum actio, quæ transferri non potuit, apud hæredem manebit: nec ei nocebit exceptio, cùm eadem prodesse non possit ei qui fideicommissum accepit. & generatim ita respondendum est, non submoueri hæredem, neque liberari ex his causis, quæ non pertinent ad restitutionem. *Aliud exemplum proponitur l.quia perinde est.42.in fine. ff. eod.tt.his uerbis*: Restituta hæreditate, iura sepulchrorum apud hæredem remanent.

Duodecima regula, De eo quod hæredi à debitoribus hæreditarijs solutum est. Hoc quoque restituendum. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi ex naturali obligatione debebatur, cuius retentio quidem erat, sed non petitio. Hæc exceptio reprobatur l.si hæredi. 47.ff.ad S.C.Treb. his uerbis: Si hæredi eius cui natura debuerit, aliquis soluerit: ei cui fideicommisso hæreditas relicta sit, id reddendũ est. *Planè si post restitutam hæreditatem sit solutũ hæredi, tunc is qui soluit, repetet. Quæ replicatio approbatur l.si eius.64.in prin.ibi: etsi eius mihi. ff.ad S.C.Trebellianum. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.quæst.2. regula 8.*

Decimatertia regula, De rebus quæ perierunt. Hæ non debentur. Quæ regula approbatur l.mulier.22. §.fedenim.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis: Si quis rogetur restituere hæreditatẽ, & uel serui decesserint, uel aliæ res perierint: placet, non cogi eum reddere quod non habet. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi res dolo uel culpa hæredis perierint. Hæc exceptio approbatur d.§. fedenim si quis, hisce uerbis*: Culpæ planè reddere rationem cogi placet, sed eius quæ dolo proxima est: & ita Neratius scribit. Sed si, cum distrahere deberet, non fecit, lata culpa, non leui, & rebus suis consueta negligẽtia: huiusmodi rei rationem reddet. sed & si ædes ustę sunt, culpę eius reddet rationem. *Plures huius regulæ exceptiones uide ẽ.lib.32. cap.11. causa 51.*

Decimaquarta regula, De nominibus, quæ soluendo esse desierunt. Nec istorum nominum periculum ad hæredem pertinet. Quæ regula approbatur l.cum pater.79.§.hæreditatem post.ff.de leg.2.his uerbis: Hæreditatem post mortem suam rogati restituere, nominum periculo, quæ per diuisionem obtigerunt, inter cohæredes interpositis delegationibus, non adstringuntur magis, quàm prædiorum: cum permutatio rerum discernens communionem interuenit. *Huius regulæ eædem sunt exceptiones, quæ regulæ præcedentis. Sed & eius exceptio hæc esse uidetur: Nisi à quibusdam hæres pecuniam exegerit. Hæc exceptio reprobatur l.deducta.58.§.1.ff.ad S.C.Trebell. his uerbis*: Cum hæreditas ex fideicommissi causa in tempus restituenda est, non idcirco nominum periculum ad hæredem pertinebit, quòd hęres à quibusdam pecuniã exegerit.

Decimaquinta regula, De rebus usucaptis. Nec hæres ueniunt restituendæ. Quæ regula approbatur l.mulier.22.§.fedenim, in fine.ff.ad S.C.Trebell. his uerbis: Quòd si sine facto eius, prolixitate autem temporis ædes usu adquisitæ sint: æquissimũ erit, nihil eũ præstare, cùm culpa careat.

Decimasexta regula, De rebus ab hærede alienatis, uel perditis, uel corruptis: item de seruis ab hærede manumissis. Harum rerũ ratio in restitutione hæreditatis habenda. Quæ regula approbatur l.si hæres.70.§.si hæres.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis: Si hęres, antequã fideicõmissario hæreditatẽ restitueret, alienauerit quid ex hæreditate, aut seruum hæreditariũ manumiserit, aut ruperit quid, uel fregerit, uel usserit: nõ competit in eum ulla ciuilis actio, restituta postea hæreditate ex Trebelliano senatusconsulto: sed ex fideicõmissi causa erit hoc quod deperierit persequẽdum. sin uerò post restitutam hæreditatem horum quid admiserit hæres: dicẽdum, lege Aquilia cum eo agi posse, si seruũ fortè hæreditarium aut uulnerauerit, aut occiderit. *Concordat l.si duob.3.§.sed quia nostra.C. communia de legatis. cuius uerba uide ẽ.lib.32. cap.2. reg.2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi hæres seruum hæreditarium manumiserit. Hæc exceptio reprobatur iam dictis uerbis hisce*: Aut seruum hæreditarium manumiserit. *Planè hoc casu ad pretium serui manumissi hæres tenetur. quod approbatur l.quidam.25.§.si quis filium.ff.ad S.C.Trebell. his uerbis*: Si quis filium suum ex asse hæredem instituit, & codicillis, quos post mortem filij,

lij aperire iussit, fidei eius commisit, ut si sine liberis decessisset, hæreditatem suam sorori suæ restitueret: & filius, cũ sciret quod in codicillis scriptum esset, Stichũ seruum hæreditarium testamento suo liberum esse iusserit: hæredes filij precium omne eius serui sorori defuncti præstare debent, libertate fauore serui seruata. hoc amplius, etsi ignorasset filius codicillos à patre factos, nihilominus hæredes eius precium præstare debebunt, ne factum eius alteri damnum adferat. *Sed & ad æstimationem hæreditatis, quæ per seruum manumissum adquiri potuit, hæres tenetur. Quod approbatur d.§.si quis filium, in fine, his uerbis*: Sed etsi seruus iste à Sempronio hæres institutus sit, eamque hæreditatem, posteaquam ex testamento fratris ad libertatem peruenit, adierit: hæreditatis quoque æstimationem hæredes fratris sorori eius præstare debent: quia si manumissus non esset, iussu mulieris adire eam potuisset. si uerò uiuente filio Sempronius decesserit, hæreditas in causa fideicommissi non deducetur: quippe ab ipso filio adire iussus hę reditatem, ei adquireret. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi filia hæres instituta, & restituere rogata, quædam in dotem ex ista hæreditate dederit: ea enim non restituentur fideicommissario. Quæ exceptio approbatur l.mulier. 22. §. cum proponeretur.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis*: Cum proponeretur quidam filiam suam hæredem instituisse, & rogasse eam, ut si sine liberis decessisset, hæreditatem Titio restitueret: eaq; dotem marito dedisse certæ quantitatis, mox decedens sine liberis hæredem instituisse maritum suum: & quæreretur, an dos detrahi posset? Vlpianus dixit, non posse dici in euersionem fideicommissi factum, quod & mulieris pudicitiæ & patris uoto congruebat. Quare dicendum est, dotem decedere, ac si quod superfuisset, rogata esset restituere. *Concordat Nouell.c.39. §.hæc meritò, cum sequentibus. cuius uerba uide ẽ. lib.prox. cap.4. de eo quod ad rog. peruen. reg.12. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi hæres mulier tantum ex fructibus hæreditatis perceperit, ut inde doti potuerit satisfieri. Hæc replicatio approbatur d.§.cum proponeretur, in fine, his uerbis*: Quòd si tantos fructus ex hæreditate mulier perceperit, ut inde poterit doti satisfieri: dicendum est, potius fructibus hoc expensum fiendũ, quàm fideicommisso. *Secunda replicatio est: Nisi ad dotem legitima filio portio sufficiat. Quæ replicatio approbatur Nouell.c.39.§.hæc meritò. ibi: si ad dotem donationémue. cuius uerba uide ẽ.d.reg.12. Tertia propositæ regulæ exceptio est: Nisi hæres quædam ex hæreditate ante nuptias donauerit. Hæc exceptio approbatur d.§.hæc meritò. de quo uide d.reg.12. Quarta propositæ regulæ exceptio est: Nisi non hæres, sed testator alienauit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: eius tamen replicatio hæc est: Nisi hæres rem à testatore pignori obligatam non luit, & ob id à creditore uendita est. hoc enim casu hæres tenetur. Quæ replicatio approbatur l.Lucius.78.§.Titia.ff.ad S.C.Trebellian. his uerbis*: Titia ex asse hæres scripta, partem dimidiam hæreditatis Mæuiæ rogata restituere, fundum à testatore obligatum luere noluit, sed eum uendente creditore mandauit redimendum Seiæ. quæsitum est, an Titia ex causa fideicõmissi Mæuiæ teneatur? Scæuola respondit, cùm rogata hæreditatem restituere proponatur, nihil proponi, cur non teneatur. Claudius: Subest enim præstari oportere id, quanto pluris fundus fuit, quàm ad creditorẽ peruenire oportuit. *Quinta propositæ regulæ exceptio est: Nisi non hæreditas, sed id quod ex hæreditate superfuerit, per fideicommissum sit relictum. De hac exceptione eiusq; replicationibus uide ẽ. lib.prox. cap.4.de eo quod supereſt legato, reg.1. Sed & plurę de regula proposita uide ẽ.lib.32.cap.11.causa 54.exemplo 2.item ẽ.lib.32.cap.2.reg.2.*

Decimaseptima regula, De rebus alij legatis, uel per fideicommissum relictis. Has quoq; hæres fideicommissario restituere cogitur. Quæ regula approbatur l.ultima.C.de senatusc. Trebelliano. de quo j.cap.prox. dicetur. Huius autem regulæ exceptio est: Nisi hæres deductis legatis hæreditatem restituere sit rogatus. Hæc exceptio approbatur l. cogi potest. 16. §.inde quæritur. ff.ad S.C.Trebellianum. cuius uerba uide ẽ. eod.cap. de cogendo hærede, except.20. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi hæres non caueat fideicommissario, defensum iri eum aduersus legatarios. Quæ replicatio approbatur d.§.inde quæritur, in fine. Secunda replicatio est: Nisi legata quædam sint inutilia: ea enim fideicommissario restituẽda. Quæ replicatio approbatur l.cum hæres.51.in prin.ff.eod.tt. his uerbis: Cum hæres deductis legatis hæreditatem per fideicommissum restituere rogatur, non placet ea legata deduci, quæ peti non poterant.

Decimaoctaua regula: De partu ancillarum & fœtu pecorum uide ẽ. lib.prox. capite 3. reg.9. except.3. replic.5.

Decimanona regula, De rebus à fideicommissario subtractis. Hæ non ueniunt restituendæ. Quæ regula approbatur l.si certa.48. ff.ad senatusconsultum Trebellianum, his uerbis: Si certa portio hæreditatis alicui relicta proponatur, & is res hæreditarias quasdam furatus sit: in his rebus, quas subtraxit, denegari ei petitionem oportere, rectè respondetur.

Vicesima regula, De quarta hæreditatis parte retinenda, proponitur instit. de fideicommiss. hæredit. §. sed quia hæredes, his uerbis: Quia hæredes scripti, cum aut totam, aut penè totam plerunque restituere rogabantur, adire hæreditatem ob nullum uel minimum lucrum recu-

sabant, atque ob id extinguebantur fideicommissa: postea uerò Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione consulibus, Senatus censuit, ut ei qui rogatus esset hæreditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atq; ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. *Plura de regula proposita uide* §.*cap.*1.*&* 2. *Quæ enim in istis capitib.de quarta ex legatis retinenda dicta sunt,ad hunc quoq; locum pertinent.*

Vicesimaprima regula: Cui pars hæreditatis per fideicommissum est relicta, si hæredem solus adire coegit,tota restituenda est hæreditas. Quæ regula approbatur per ea quæ proposita sunt §.*eod.capite,de cogendo hærede,quæst.*8.*reg.*4.

*Vicesimasecunda regula:Si duobus duæ quadrantes hæreditatis per fideicommissum sint relictæ, & ambo uel alter ex illis cogat hæredem adire hæreditatem,singulis semis hæreditatis debetur. Quæ regula approbatur l.ex asse.*28. §.*fin. ff.ad senatusconsultum Trebell. cuius uerba uide* §. *cap.*1. *quæst.*2. *reg.*4. *except.*2. *replic.*3. *Reliquæ propositæ quæstionis regulas uide* §. *lib.prox.cap.*3.*cum capitibus sequentibus.*

IIII. EVENTVS ACTIONIS fideicommissi & restitutionis hæreditatis.

*Prima regula:Restitutio hæreditatis non tantùm est solutio, sed successio. Quæ regula approbatur l.non enim.*38.*ff.ad senatusc*ō*sultum Trebellianum, his uerbis:* Non tantùm solutio est hæreditatis restitutio,sed & successio,cum obligentur.

*Secunda regula: Dominium rerum transit in fideicommissarium. Quæ regula approbatur l.facta.*63.*in prin.ff.ad senatusconf.Trebellianum,his uerbis:* Facta fideicommissi restitutione, statim omnes res in bonis fiunt eius, cui restituta est hæreditas, etsi nondum earum nactus fuerit possessionem.

Tertia regula:Actiones hæreditariæ tam inferendæ, quàm excipiendæ, in fideicommissarium transferuntur.De qua re §.*cap.prox.*

Quarta regula: Restituta hæreditate, is qui restituit,nihilominus hæres permanet: sed & is cui restituitur, hæredis loco habetur. Quæ regula approbatur Instit.de fideicomm.hæred.§.*restituta,his uerbis:* Restituta hæreditate, is quidem qui restituit, nihilominus hæres permanet: is uerò qui recipit hæreditatem,aliquando hæredis,aliquando legatarij loco habebatur. *Ait lex:* Aliquando hæredis. *Scilicet senatusconsulto Trebelliano, quo in eum transeunt actiones. Cui concordat l.postulante.*44. §.*sed quia non ut hæres. ibi: nam & quodammodò. ff.ad S. C. Trebell. cuius uerba uide* §. *cap.proxim.quæst.*4.*reg.*2. *Ait insuper lex:* Aliquando legatarij loco habebatur. *Scilicet senatusconsulto Pegasiano,quo hæres onera hæreditaria sustinebat, fideicōmissarius autem nequaquam. de qua re Instit.eod.tt.* §.*post quod senatusconsultum, cum sequentibus.cuius uerba uide* §.*cap.prox.except.*6.

*Quinta regula: Restituta hæreditate, non confunduntur seruitutes prædiorum hæredis & hæreditariorum. Quæ regula approbatur l.si hæres.*73.§.*fin.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Cum ex senatusconsulto Trebelliano restituitur hæreditas: seruitutes,quas mutuò prædia hæredis & testatoris habent,nihilominus ualent.

Sexta regula: Restituta hæreditate, restituitur hæredi actio,quæ ei competebat aduersus defunctum. De qua re dictum §.*cap.prox.quæst.*5.*reg.*4.*except.*4.

V. ADFINIA REMEDIA Actionis fideicommissi.

*Prima regula: Si is qui restituere rogatus est, nec contumaciter abfit,uel sine successore decesserit,uel fideicōmissarius alij restituere debeat, ipso iure fit translatio. Quæ regula approbatur l.sancimus.*7.§.*fin.C.de senatusc.Trebell. cuius uerba uide* §.*eod.cap.de cogendo hærede,except.*21.

*Secunda regula: Si filiusfamiliâs, quem testator instituere uolebat, alium rogauerit, ut patiatur se hæredem institui, eiq; patrifamiliâs facto hæreditatem restituat, mandati actio est. Quæ regula approbatur l. quidam.*44.*ff.de hæred.instit. his uerbis:* Quidam, cum filiumfamiliâs hæredē instituere uellet, ne ad patrem eius ex hæreditate quidquam perueniret, uoluntatem suam exposuit filio.filius cum patris offensam uereretur, petijt à testatore, ne sub conditione, Si à patre emancipatus esset, hæredem eum institueret: & impetrauit ab eo,ut amicum suum hæredem institueret: atque ita testamento amicus filij,ignotus testatori, hæres institutus est, nec quidquam ab eo petitum est.quærebatur,si ille amicus aut adire nollet, aut aditam hæreditatem nollet restituere, an fideicommissum ab eo peti posset, aut aliqua actio aduersus eum esset? & utrum patri,an filio competeret? Africanus respōdit, Etiamsi manifestum sit scriptum, hæredem fidem suam interposuisse: non tamen aliter ab eo fideicommissum peti posse, quàm si & ipsum testatorem fidem eius secutum esse probaretur. si tamen,cum à filiofamiliâs rogaretur amicus, & aditurum se hæreditatem recepisset, & restituturum patrifamiliâs facto: non absurdè dici posse, mandati actionem futuram, & eam actionem patri inutilem fore: quia non sit ex bona fide, id ei restitui, quod testator ad eum peruenire noluerit. sed nec filio uulgarem competituram, uerùm utilem: Scuti dare placeret ei,qui cum filiusfamiliâs esset, pro aliquo fideiussisset, ac paterfamiliâs factus soluisset.

*Tertia regula:Si hæres aliquid ex hæreditate fregerit,ruperit,usserit: siquidem ante restitutam hæreditatem,actio fideicōmissi: sin autem post restitutam hæreditatem fecerit,actio legis Aquiliæ cōpetit. Quæ regula approbatur l.si hæres.*70.§.1.*ff.ad senatusconsultum Trebellia-*

*Trebellianum. cuius uerba uide paulò superius quæst.*3.*reg.*16. *Plures huius loci regulas uide* §.*libro prox. capite* 21.

VI. QVIBVS *actio fideicommissi competat, uide* §.*libro prox.cap.*1. *Item, Aduersus quos competat, uide* §.*lib.prox.cap.*2. *Item, Quando competat, uide* §.*lib.prox.cap.*8.

DE TRANSLATIONE actionum hæreditariarum. Cap. IIII.

I. CAVSA, EX QVA ACTIONES hæreditariæ ab hærede ad fideicommissarium transferuntur.

Si ex causa fideicommissi restituta sit hæreditas,actiones hæreditariæ tam inferendæ, quàm excipiendæ,ab hærede ad fideicommissarium ex senatusconsulto Trebelliano transferuntur. Quæ regula approbatur Instit.de fideicommiss. hæredit. §.*restituta.ibi:& Neronis quidem,his uerbis:* Neronis quidem temporibus,Trebellio Maximo & Anneo Seneca consulibus, senatusconsultum factum est: quo cautum est, ut si hæreditas ex fideicommissi causa restituta sit, omnes actiones, quæ iure ciuili hæredi & in hæredem competerent, ei & in eum darentur, cui ex fideicommisso restituta est hæreditas.Post quod senatusconsultum prætor utiles actiones ei & in eum qui recipit hæreditatem, quasi hæredi & in hæredem dare cœpit. *Concordat Instit.eod.tt.*§.*sed si recusset. ibi; quo casu nullis. cuius uerba uide* §.*cap.prox.quæst.*2.*in prin. Concordat item Instit.eod.tt.* §.*sed quia stipulatio.ibi:si uerò totam. cuius uerba uide* §.*except.*6. *Concordat item l.ita tamen.*27. §.*qui ex Trebell. ff.ad senatusconsultum Trebellianum, his uerbis:* Qui ex Trebelliano senatusconsulto hæreditatem restituit, siue petat à debitoribus hæreditarijs, siue ab eo petatur, exceptione restitutæ hæreditatis adiuuari uel submoueri potest. *Concordat l.*2.*C.eod.tt.his uerbis:* Ad eum cui ex senatusconsulto Trebelliano pars hæreditatis restituitur,successionis onera seu legatorum præstationem pro competenti portione spectare,indubitati iuris est. *Sanè uerba Trebelliani senatusc*ō*sulti proponuntur l.*1.*in prin. ff.ad senatusconf.Trebellianum.ubi Vlpianus:* Explicito (*inquit*) tractatu, qui ad fideicommissa singularū rerum pertinet,transeamus nunc ad interpretationem senatusconsulti Trebelliani.factum est enim senatusconsultum temporibus Neronis, octauo calendis Septembribus, Anneo Seneca & Trebellio Maximo consulibus. cuius uerba hæc sunt: Cum autem esset æquissimum in omnibus fideicommissarijs hæreditatibus, si qua de his bonis iudicia penderent,ex his eos subire, in quos ius fructusq; transferretur, potius quàm cuique periculosam esse fidem suam: placuit & actiones quæ in hæredes hæredibusq; dari solent, eas neque in eos, neq; eis dari, qui fideī suæ commissum (sicuti rogati essent) restituissent: sed eis & in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset: quo magis in reliquum confirmētur supremæ defunctorum uoluntates. *Subijcit ibidem Vlpianus usum huius senatusconsulti,his uerbis:* Sublata est hoc senatusconsulto dubitatio eorum, qui adire hæreditatem recusarent seu metu litium, seu prætextu metus. Quanquam autem senatusconsultum subuentum uoluit hæredibus, subuenit tamen & fideicommissario. nam in eo, quòd hæredes, si conueniantur, exceptione uti possunt,hæredibus subuentum est: in eo uerò, quòd si agant, hæredes repelluntur per exceptionem, quodque agendi facultas fideicommissarijs competit, proculdubiò consultum est fideicommissarijs. *Porrò regula proposita declaratur l. restituta.*37.*in princip. ff.ad senatusconf.Trebellianum, his uerbis:* Restituta hæreditas uidetur aut reipsa, si fortè passus est hæres possideri res hæreditarias uel totas, uel aliquas earum, hac mente, ut uellet restituere, & ille suscipere, non si ex alia causa putauit te possidere. Sed & si postea ratam habuit,idem erit dicendum. Sed & si uerbo dixit se restituere, uel per epistolam, uel per nuncium restituat,audietur.

De exceptionibus senatusconsulti Trebelliani.

Nunc propositæ regulæ & Trebelliani senatusconsulti exceptiones uideamus. quanquam plurimæ eius exceptiones propositæ sunt §.*capite proximo,memb.*1 *&* 2. *quæ enim ibi propositæ sunt,pleræq; & propositam regulam de actionibus transferendis distinguunt: sumptæq; sunt partim ex persona testatoris per fideicommissum relinquentis & rogantis, partim ex persona rogati, partim ex re per fideicōmissum relicta, partim ex consequētibus fideicommissum. Nunc ergo proponendæ sunt eæ exceptiones,quæ sumūtur ex circumstantijs restitutionis, ex persona puta restituentis, eius cui restituta est hæreditas, ex re restituta, ex modo & tempore restitutionis,ex antecedentibus deniq; & consequentibus restitutionem.*

I. Exceptio: *Nisi alius quàm hæres rogatus,ex causa fideicommissi hæreditatem restituit. Hæc exceptio approbatur argumento l.mulier.*22.§.*fin.ff.ad senatusconsultum Trebellianum.cuius uerba uide* §.*cap.*1.*quæst.*2.*reg.*4. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: *Nisi fideicommissarius uniuersalis restituit. Quæ replicatio cum alijs similibus approbatur* §.*cap.proxim. quæst.*1. *except.* 5. *Sed & exemplum eius proponitur l.*1.§.*sed & quoties, in fine. ff.d.tt. cuius uerba uide* §. *cap. proximo, de cogendo hærede, quæst.*8. *regula* 4. *Secunda replicatio est: Nisi alius iussu hæredis,uel ra-*

eam restitutionem hæredè habente, restituerit. Quæ replicatio approbatur l.restituta.37.§.1. ff.ad senatusc. Trebell.his uerbis: Si alius iussu meo restituet, uel ratam habuero restitutionem, transisse actiones uidentur. *Tertia replicatio est: Nisi hæres hæredis rogati restituit. Hæc replicatio approbatur l.si eius.64.§.si quis rogatus.ff.eod.tt.his uerbis:* Si quis rogatus restituere hæreditatem, decesserit, antequam eam restituat: hæres eius poterit hæreditatem restituere, & ex Trebelliano senatusconsulto transibunt actiones. *Concordat l.quamuis.40.§.1. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. cap.prox. quæst.1. except.5. replic.3. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi unus ex pluribus hæredibus rogati restituerit: tunc enim non nisi pro parte restituentis transeunt actiones. Quæ duplicatio approbatur d.l.64.§.si quis rogatus, his uerbis:* Sed si duo ei hæredes extitissent, uti quisque restituisset, pro ea parte transituras actiones. nam & si ipse partem restituisset, pro ea parte interim transituras, uerius est. Sed & si plures hæredes extiterint ei qui rogatus est restituere hæreditatem, siquidem interim restituerint: uel cum ei cui restitui debuit, plures hæredes extiterint: cui restituerint, is pro ea parte ex hoc senatusconsulto habebit actiones. *Quarta replicatio est: Nisi fideicommissarius rogati defuncti successor restituit. Hæc replicatio approbatur l.si patroni.55.§. cui Titiana. ff.ad S.C.Trebellianum, his uerbis:* Cui Titiana hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto restituta est, Mæuianam hæreditatem, quam Titius defunctus ex Trebelliano Sempronio restituere debuit, & ipse restituere poterit, sicut alius quilibet successor. *Quinta replicatio est: Nisi pater uel dominus rogati restituat. Hæc replicatio approbatur l.1.§.si filio.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. capite prox. quæst.1. except.5.replic.3. Concordat l.quamuis.40.§.1.ff.eod. tt.cuius uerba uide ẽ.d.replic.3. Sexta replicatio est: Nisi tutor rogati restituit. Hæc replicatio reprobatur l.restituta.37.§.pupillus. ff.ad S.C.Trebell. his uerbis:* Pupillus ipse debet restituere tutore autore, nõ tutor sine pupillo, nisi infans est: quia nec mandare actiones tutor pupilli sui potest. nec se quidem autore pupillum restituere sibi potuisse hæreditatem, diuus Seuerus in personam Arrij Honorati pupilli decreuit, qui prior Antonino patruo & tutori suo restituerat. *Ait Iurisconsultus:* Nisi infans fit. *Hoc casu replicatio proposita approbatur. Est & alius casus, scilicet, si absens sit. Cui concordat l.sancimus.7.in princ. ibi: ubi tamen pupillus. C.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. except.2.replic.5. Concordat item d.l.7.§.hoc eodem.cuius uerba uide ẽ.except.3.repl.6. Septima replicatio est: Nisi curator furiosi rogati restituat. Hæc replicatio approbatur l.cum hæres.35. ff.ad senatusconsul.Trebellianum, his uerbis:* Cum hæres instituta furiosa, esset hæreditatem rogata restituere: curatorem eius, secundum tabulas bonorũ possessione accepta, posse transferre actiones, diuus Pius decreuit. *Concordat d.l.7.§.hoc eodem.C.eod.tt.cuius uerba uide ẽ.except.3.replic.6.*

II. *Exceptio: Nisi quis sibi ipsi restituat, uel se authore ei restituatur. Hæc exceptio approbatur exemplo tutoris l.1.§.fuit quæsitum. ff.ad senatusconsultum Trebell.his uerbis:* Fuit quæsitum, si ipsi tutori rogatus sit restituere pupillus, an ipso authore restitutionem facere possit? & est decretum à diuo Seuero, non posse tutori se authore restitui hæreditatem: quia in rem suam author esse non possit. *Concordat l.restituta.37.§.pupillus.ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius except.prox.replic.5. Planè d.§.fuit quæsitum, proponuntur duæ exceptionis propositæ replicationes. Prima his uerbis:* Curatori tamen adolescentis ab adolescente poterit restitui hæreditas: quoniam necessaria non est curatoris authoritas ad restitutionem. *Altera replicatio est: Si collegium uni ex collegio restituere fuit rogatum. Quæ replicatio proponitur d.l.1.§.si autem, his uerbis:* Si autem collegium uel corpus sit, quod rogatum est restituere: decreto eorũ qui sunt in collegio uel corpore, in singulis (inspecta eorum persona) restitutionem ualere: nec enim ipsi sibi uidetur quis horum restituere.

III. *Exceptio: Nisi alij quàm fideicommissario restituta sit hæreditas. Hæc exceptio ipso quidẽ iure subsistit: uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi uoluntate fideicommissarij, uel ratam fideicommissario habente restitutionem, alij sit restituta. Hæc replicatio approbatur d.l.37.§.1.ff.ad S.C.Trebellianum, his uerbis:* Sed etsi uoluntate tua alij restituerit, in te transibunt actiones. *Concordat l.seruo.65.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Si singulæ res ab hærede traditæ sint iussu meo ei cui eas uendideram: non dubitamus, mihi intelligi factam restitutionem. idem erit, etsi iussu meo tradantur, cui ego ex fideicommisso, aliáue qua ex causa eas præstare debueram, uel in creditum ire, uel donare uolueram. *Cõcordat item l.quamuis. 40.§.fin.cum duabus ll.sequentib. ff.eod.tt. his uerbis:* Nihil interest, cui nostro nomine restituatur, paterfamiliâs sit, an is qui in aliena potestate est: mulier, an masculus. & ideo seruo quoq; uoluntate nostra, uel si postea ratum habuerimus, restitui potest: quia perinde est, atq; si mihi restituta esset hæreditas. *Concordat item l.si legatus.30.§.si filiofamiliâs.ff.eod.tt.his uerbis:* Si filiofamiliâs uel seruo restituatur hæreditas, & postea pater uel dominus ratũ habuerit: transeunt ex Trebelliano senatusconsulto actiones. *Concordat l.seruo.65.in princ. ff.eod.tt. de quo paulò inferius, repl.3. Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi hæredi fideicommissarij sit restituta. Hæc replicatio approbatur l.si*

eius.64.§.penult.ff.ad S.C.Trebellianum. cuius uerba uide ẽ. eod.cap. except.1. replic.3. Tertia replicatio est: Nisi seruo fideicommissarij restituatur hæreditas. *Hæc replicatio reprobatur d.l.65.in princ. ff. ad S.C. Trebellianum, his uerbis:* Seruo, inuito domino, uel ignorante, non rectè restituitur hæreditas. *Planè admittitur hæc replicatio, si dominus uel uoluerit, uel ratum habuerit seruo suo restitui. Quæ distinctio approbatur d.l.65.in prin.his uerbis:* Sed si postea ratum habuerit, confirmabitur restiturio, uerùm ipsi domino adquirẽtur actiones. nec, quia hæreditatis requisitioni similis est hæc restitutio, iussum præcedere oportet: sed (ut dictum est) etiam ratihabitio subsequi poterit, exemplo bonorum possessionis. neq; interest (quod ad propositum attinet) ipsi domino, an seruò quis rogetur restituere hæreditatem: nec in ea re consensu aut opere serui opus est: atquin in bonorum possessione, uel in adeunda hæreditate consensus eius necessarius est. Itaque si qui suspectam diceret hæreditatem, postulante domino compellendi erunt adire & restituere hæreditatem. *Concordat l.si legatus.30.§.si filiofamiliâs.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. replic.1. Concordat item l.seruo.65.§.si pupillo.ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.de cogẽdo hærede, quæst. 2.reg.2. Quarta replicatio est:* Nisi cùm seruo restituere rogatus esset, domino restituta sit. *Hæc replicatio constat ex uerbis iam propositis hisce:* Neq; interest (quod ad propositum, &c. *Quinta replicatio est: Nisi tutori fideicommissarij sit restituta. Hæc replicatio approbatur l.sancimus.7. in prin. C.de S.C.Trebelliano, his uerbis:* Sancimus, licentiam esse etiam soli tutori rectè fieri fideicommissi nomine uniuersitatis restitutionem, quod pupillo relictum est, & sine onere fideiussionis: ubi tamen pupillus fari non possit, uel abesse noscitur: ne dum nimia subtilitate utimur circa res pupillares, ipsa subtilitas ad perniciem eorum reuertatur. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi pupillus fari possit, & præsens sit. Quæ duplicatio approbatur supradictis uerbis hisce:* Vbi tamen pupillus fari non possit, uel abesse noscitur. *Concordat l.sed nec.39. ff. eod.tt. his uerbis:* Sed nec ipsi tutori indistinctè restitui potest. *Sexta replicatio est: Nisi curatori fideicommissarij restituta sit hæreditas. Hæc replicatio approbatur d.l.7.§.idemq;. C.de senatusconsulto Trebelliano, his uerbis:* Idemq; iuris esse oportet, & si furioso fideicommissaria debeatur hæreditas, ut restitutio curatori eius soli, nomine scilicet furiosi, celebretur. quis enim sensus, quæ uox certa furioso esse intelligitur, quum in utroque casu restituentes plenissimam consequantur ex nostra lege securitatem? Hoc eodem obseruando, etsi ipsi pupilli uel furiosi restitutione grauati sunt. *Septima replicatio est: Nisi procuratori fideicommissarij sit restituta. Hæc replicatio approbatur l.qui ita.66.§.etiam absentis. ff.ad S.C.Trebellian. cuius uerba uide ẽ.cap.prox. de cogendo hær. quæst.2.reg.1.*

III I. *Exceptio: Nisi pupillo sine tutoris authoritate sit restituta. Hæc exceptio approbatur l.restituta. 37.§.fin.cum l.sequente.ff.d.tt.his uerbis:* Etsi pupillo sit restituenda, non posse pupillo sine tutoris authoritate restitui constat: non enim tantùm solutio est hæreditatis restitutio, sed & successio, cum obligentur. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi tutore authore, pupillo restituatur. Quæ replicatio approbatur l.seruo.65.§.si pupillo. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. cap.prox. de cogendo hærede, quæst.2.reg.2.*

V. *Exceptio: Nisi furioso & muto, qui nihil intelligit, restituatur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit: eius tamen replicatio hæc est: Nisi curatore authore ei restituatur. Quæ replicatio approbatur dicto §.si pupillo, in fin.*

V I. *Exceptio: Nisi non tota, sed pars hæreditatis sit restituta. tunc enim non nisi pro ea parte actiones trãsferuntur, pro altera parte hæres tenetur uel agit. Quæ exceptio approbatur l.si eius.64.§.si quis rogatus. ff. ad S.C. Trebellianum, his uerbis:* Si ipse partem restituisset, pro ea parte interim transituras actiones, uerius est, &c. *Reliqua uerba uide ẽ. except.1.replic.3. item except.3.replic.2. Proinde si hæres retenta quarta hæreditatem restituit, pro ea parte quam retinet, actionibus hæreditarijs tenetur & aget. Quod approbatur etiam instit. de fideicommiss. hæred. §. post quod senatusconsultum, cum sequentibus, his uerbis:* Post senatusconsultum Pegasianum ipse hæres onera hæreditaria sustinebat: ille autem qui ex fideicommisso recipiebat partem hæreditatis, legatarij partiarij loco erat, id est, eius legatarij, cui pars bonorum legabatur: quę species legati partitio uocabatur: quia cum hærede legatarius partiebatur hæreditatem. unde quæ solebant stipulationes inter hæredem & partiarium legatarium interponi, eædem interponebantur inter eum qui ex fideicommisso recepit hæreditatem, & hæredem: id est, ut lucrum & damnum hæreditariũ pro rata parte inter eos commune sit. Ergo si quidem non plus quàm dodrantem hæreditatis scriptus hæres rogatus sit restituere, tunc ex Trebelliano senatusconsulto restituebatur hæreditas, & in utrumq; actiones hæreditariæ pro rata parte dabantur: in hæredem quidem iure ciuili: in eum uerò qui recipiebat hæreditatem, ex senatusconsulto Trebelliano, tanquam in hæredem. At si plus quàm dodrantem, uel etiam totam hæreditatem restituere rogatus sit, locus erat Pegasiano senatusconsulto, ut & hæres, qui semel adierit hæreditatem, si modò sua uoluntate adierit, siue retinuerit quartam

belliano senatusconsulto restituitur, si res urgeat, & metus sit, ne per absentiam fortè fideicommissarij dies actionis exeat: hæres iudicium susc ipere cogitur. Similiq; modo filio de possessione cõtra tabulas deliberante, scriptus hæres à creditoribus hæreditarijs conuenitur.

XIIII. *Exceptio: Nisi hæres fideicommissario hæres extiterit. Hæc exceptio approbatur l. Stichum. 95. §. aditio. ibi: aliquando euenit. ff. de solut. cuius uerba uide §. lib. 48. cap. 18. reg. 1. in prin.*

XV. *Exceptio: Nisi nondum fuerit restituta hæreditas. Hæc exceptio approbatur l. ita tamen. 27. §. qui ex Trebell. in fine. ff. ad senatusconsultum Trebellianum, his uerbis:* Antequam restituatur hæreditas, exceptione aliqua hæres adiuuandus non est, cum hoc minus ex causa fideicommissi restituturus sit. *Concordat l. cum Arth. 4. C. ut in possess. leg. his uerbis:* Cum Arthemidoram patri pupillorum tuorum hæredem extitisse proponas: quamuis ut fideicommissam hæreditatem his, cum moreretur, restitueret, petita sit: nullam tamẽ aduersus debitores hæreditarios habent pupilli tui actionem. Planè ut satis fideicommissorũ nomine Arthemidora det (si modò testator id fieri nõ prohibuerit) apud suum iudicem conueni.

XVI. *Exceptio: Nisi ex fideicommisso militis hæreditas restituatur. Hæc exceptio reprobatur l. si à mil. 29. in prin. ff. de militari testam. his uerbis:* Si à milite scriptus hæres sua sponte adierit hæreditatem, & rogatus totam hæreditatem restituerit: ex Trebelliano transeunt actiones.

II. QVAE ACTIONES AD fideicommissarium transferantur?

I. *Regula, De actione legatorum, proponitur l. quidam. 8. C. de senatusconsulto Trebelliano, his uerbis:* Quidam testamento condito iussit hæredẽ omnem hæreditatem, quam ei dereliquit, alij restituere: speciale etiam fideicommissum alteri adscripsit: & quærebatur, specialis fideicommissarius, id quod ei derelictũ est, à quo consequi debeat: utrúmne ab hærede, ut post restitutionem eius alias res uniuersitatis fideicõmissarius accipiat: an unà cum alijs rebus oporteat & hoc generali fideicommissario aggregari, ut ipse fideicommissario speciali hoc tradat, siue in rebus, siue in pecunijs fideicõmissum sit? Sancimus itaq;, totam quidem substantiam secundũ senatusconsulti Trebelliani authoritatem restitui generali fideicommissario: illum autem speciali fideicõmissario id quod ei derelictum est, dependere. *Concordat l. 2. C. eod. tt. cuius uerba uide §. cod. cap. in prin. Concordat item l. hæredit. 29. ff. de action. & oblig. his uerbis:* Hæreditariarum actionum loco habentur & legata, quamuis ab hærede cœperint. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi hæres deductis legatis hæreditatem restituere sit rogatus. Quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. cogi potuerit. 16. §. inde quæritur. ff. ad S.C. Trebell. de quo §. cap. proxim. quæst. 2. except. 20.*

II. *Regula, De ijs actionibus, quorum dies eo tempore, quo restituitur hæreditas, nondum cessit. Et hæ transeruntur ad fideicommissarium. Quæ regula approbatur l. ita tamen. 27. §. qui ex Trebelliano. ff. d. tt. his uerbis:* Actiones fideicommissario competunt, quas hæres habuit eo tempore, quo fideicõmissum restituebat. Sed eas quoque actiones, quæ sub conditione erant, & quarum dies eo tempore non cesserat, fideicommissario competere placet.

III. *Regula, De actionibus in quibus lis cum hærede est contestata. Hæ actiones ad fideicommissarium nõ transferuntur. Quæ regula approbatur exemplo l. Lucius. 78. §. rogatus. ff. eod. tt. his uerbis:* Rogatus hæreditatem restituere Septicio, cum erit annorum uiginti: interea fundos, quos defunctus pignori acceperat, uendidit, & propterea pignoraticia à debitore conuentus decesset, hærede relicto Sempronio: & iudicio nondum finito, restituit hæreditatẽ Septicio. quæsitum est, an eo iudicio nihilominus ipse condemnari debeat, cum potuerit retinere uel caueri sibi id quod ex causa iudicati præstaturus esset? Scæuola respondit, iudicij executionem nihilominus aduersus hæredem & post restitutam hæreditatem manssisse.

IIII. *Regula, De actionibus quæ ex contractu uel delicto ipsius hæredis oriuntur. Hæ nõ transeunt. Quæ regula approbatur exemplo l. si hæres. 73. in prin. ff. ad S.C. Trebellianum, his uerbis:* Si hæres pecuniam hæreditariam crediderit, & in eam causam pignora acceperit: actiones non competent ei, cui restituta fuerit hæreditas, aduersus ipsa pignora. sed aliqua dubitatio remanebit, si in eum contractũ, qui à defuncto fuerit interpositus, hæres, antequam restitueret hæreditatẽ, pignus acceperit. sed ne sic quidem ipse admittetur ex fideicommisso: tamen habet aduersus hæredem actionem, ut ei cedat pro pignoris commodo actionem. *Concordat, quoad contractus hæredis, l. si eius. 44. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cod. cap. quæst. 4. reg. 2. in fine. Quoad delicta, l. si pupillus. 79. §. 1. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 3. reg. 16.*

V. *Regula, De actione quæ oritur ex delicto in re hæreditaria commisso. Nec huiusmodi actio ad fideicõmissarium transfertur. Quæ regula approbatur exemplo l. qui ita. 66. §. si damnũ in seruo. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis:* Si damnum in seruo hæreditario datum sit, licet per seruum hæreditarium hæredi competere actio cœpit, non tamen transit legis Aquiliæ actio ad fideicommissarium. hæ enim actiones transeũt, quæ ex bonis defuncti pendent.

VI. *Regula, De actione operarũ, & alia simili, quæ ad extraneum hæredem non transit: nec ea ad fideicommissarium transit. Quæ regula approbatur l. si patroni. 55. in prin. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 3. reg. 11.*

VII. *Regula, De honorarijs actionibus. Hæ ad fideicommissarium transeunt. Quæ regula approbatur l. quamuis. 40. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Quamuis Senatus de his actionibus transferẽdis loquatur, quæ iure ciuili hæredi & in hæredem cõpetunt: tamen honorariæ actiones transeunt: nulla enim separatio est.

VIII. *Regula, De naturalibus obligationibus, ex quibus exceptiones tantùm, non etiam actiones nascuntur. Et hæ transeunt. Quæ regula approbatur d. l. 40. in prin. his uerbis:* Imò etiam causa naturalium obligationum transit. *Concordat l. si eius. 64. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si eius pupilli, cui sine tutoris authoritate pecunia credita erat, restituta ex eo senatusconsulto mihi fuerit hęreditas: si soluam creditori, non repetam: atquin hæres, si post restitutionem soluat, repetet, non ob aliud, quàm quòd ab eo in me naturalis obligatio translata intelligitur. & si eius mihi restituta sit hęreditas, qui pupillo sine tutoris authoritate crediderit: si soluerit mihi pupillus, nõ repetet: at si hæredi soluerit, repetet, non repetiturus, si ante restitutionem soluisset.

IX. *Regula, De petitione hæreditatis. Et hæc ad fideicommissarium transit. Quæ regula approbatur l. 1. cum ll. sequentibus. ff. de fideicommiss. hæred. petit. his uerbis:* Quisquis susceperit restitutam hæreditatem ex senatusconsulto, ex quo actiones transeunt, fideicommissaria hæreditatis petitione uti poterit: quæ actio eadem recipit, quæ hæreditatis petitio ciuilis: nec interest, mihi quis rogatus fuerit restituere, an ei cui hæres extitissem: etsi bonorũ possessor sim eius cui fideicommissaria hæreditas relicta est, uel alius successor, per hanc actionem experiri potero.

X. *Regula, De actionibus quæ neq; hæredi, neq; in hæredem dantur. Hæ nec ad fideicommissarium transeunt. Quæ regula approbatur l. nec interest. 3. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Hæ actiones mihi dantur, quæ hæredi & in hæredem competunt.

XI. *Regula, De actione quæ competit defuncto uel hæreditati aduersus hæredem. Hæc actio non transit ad fideicommissarium, sed fideicommissi actio datur. Quæ regula approbatur d. l. 3. §. sciendum. ff. de fideicommiss. hæred. petit. his uerbis:* Sciendum est, hanc actionem aduersus eum qui restituit hæreditatem, non competere. *Concordat l. debitor. 59. in prin. ibi: neq; pignoraticia, quoniam hæreditaria est actio. ff. ad senatusconsultum Trebellianum. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 3. reg. 7. Concordat item l. mandatum. 70. §. 1. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. proxim. quæst. 3. reg. 16. Idem est, etsi hæres debitori hæreditario hæres extiterit. Nam ne hoc quidem casu fideicommissario in hæredem ciuilis actio datur, sed ex causa fideicommissi. l. deducta. 58. in prin. ff. ad S. C. Trebellianum. ubi Papinianus:* Deducta parte quarta (inquit) restituere rogatus hæreditatem, priusquam restitueret, hæreditario debitori hæres extitit. quoniam actio eo confusa Trebellianum redintegrare non potest, pecuniæ quo que debitę do drans ex causa fideicommissi petetur: sed in eum diem, quo actio confusa est, usuræ præteriti temporis, quæ in obligatione uel in officio iudicis fuerunt, com putabuntur: posterioris ita demum, si mora fideicommisso facta sit. *Ait Iurisconsultus:* Quoniam actio eo confusa Trebellianum redintegrare non potest. *Hisce uerbis ratio propositæ regulæ proponitur, quare aduersus hæredem restituentem non detur fideicommissario actio ciuilis: quia (inquit) confusa est additione hæreditatis actio, quæ Trebelliano non potest redintegrari. Sanè uidetur propositæ regulæ contradicere l. ita tamen. 27. §. si ex Trebellian. ff. eod. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. quæst. 1. except. 15. repl. 1. Sed lex ista loquitur magis de fideicommissi petitione, quàm de actione ciuili.*

XII. *Regula, De actionibus popularibus, proponitur l. populares. 7. in prin. ff. de popularibus actionibus. cuius uerba uide §. lib. 26. cap. 11. quæst. 3. reg. 3.*

III. AD QVOS TRANSferantur actiones?

De eo qui cum adire solus coegisset, totam hæreditatem recepit, et alio fideicommissario. In utrũq; transeunt actiones. Quæ regula approbatur l. 1. §. sed & quoties. ff. ad senatusconsultum Trebellianum. cuius uerba uide §. cap. prox. de cog. hærede, quæst. 8. reg. 4. De hærede fideicommissarij. In eum quoq; transeunt actiones. Quæ regula approbatur l. postulante. 44. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. de cogendo hærede, quæst. 8. reg. 3. except. 3.

IIII. QVID VENIAT IN ACTIOnes translatas?

I. *Regula: Non ultrà tenetur fideicõmissarius, quàm ad eum peruenit ex hæreditate. Quæ regula approbatur l. 1. §. si is qui. ff. ad S.C. Trebell. cuius uerba uide §. eod. cap. quæst. 1. except. 6. repl. 1. dupl. 2. Propositæ regulæ exemplum est §. d. except. 6.*

II. *Regula, De usuris & pensionibus, ex die mortis testatoris hæreditati uel ex hæreditate debitis. Et hæ in actiones ad fideicommissarium translatas ueniunt. Quæ regula approbatur l. deducta. 58. §. qui post. ff. ad S.C. his uerbis:* Qui post tempus hæreditatem restituere rogatus est, usuras à debitoribus hæreditarijs perceptas, quarum dies post mortem creditoris cesserit, restituere nõ cogitur: quibus non exactis, omnium usurarum actio (nam hæreditaria stipulatio fuit) ex Trebelliano trãsfertur: & ideo nec indebiti repetitio erit: ac similiter & hæreditario creditori

ditori (si medij temporis usuræ non soluantur) fideicommissarium in his quoq; Trebellianum tenebit: nec ideo querelæ locus erit, quòd de fructibus hæres, quos iure suo percipiebat, fœnus non soluerit. Quòd si fœnus hæres medij temporis soluerit, eo nomine non erit retentio, cum proprium negocium gesserit: quippe sortem reddere creditori coactus, fideicommissario nihil usurarum medij temporis imputabit. *Concordat l. postulante. 44. §. & in huiusmodi. ff. eod. tt. his uerbis:* Et in huiusmodi quæstione rogo respondeas, an rectè senserim. Rogata est filia ex asse hæres restituere hæreditatis partem dimidiam, deductis legatis minimis, & ære alieno non magno, ut legi Falcidiæ locus non fiat. mora facta non est restitutioni fideicommissi. desidero uerbotenus mihi restitui hæreditatem, ut ex Trebelliano senatusconsulto agenti, & ex eo competentibus actionibus, etiam usuras debitas ex mortis tempore in tempus restitutionis persequar. Itē quæro & de pensionibus: quia locationum obligatio in hæreditate fuit. ab hærede nullos fructus peto. sed illa desiderat refundere me, aut concedere ei actiones usurarum & pensionum. non possum persuadere hæreditatis appellatione, quam rogata erat mihi restituere, etiam hanc stipulationem usurarum & pensionum ad me pertinere. Marcellus respondit: Omnia hæc hæreditatis appellatione cõtinentur. quantum enim ad hoc refert, inter hæc cæteraq;, quæ sub cõditione sunt promissa, aut in annos singulos, uel mẽses, nihil interest. sanè pro fructu rei, qui hereditate cõtinetur, hæc cedũt: nec fructus fideicõmissum sequitur, si mora nõ interceſsit. Sed quia non, ut hęres fideicommissum (ut sic dixerim) suppleat, postulet, sed qualis nunc est hæreditas desideret sibi restitui, nequaquam id debet hæres recusare. nam & quodammodò in parte hæreditatis senatus recipi uoluit fideicommissariũ, & haberi hæredis loco, pro qua parte restituta ei esset hæreditas. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi ex contractu ipsius hæredis, non defuncti, usuræ & pensiones debeantur. Quæ exceptio approbatur d. §. & in huiusmodi, in fine, his uerbis:* Sed cum hæreditarios numos fœnerauit, aut ex fundis fructus percepit, nihil eo nomine præstat ei cui hæreditas per fideicõmissum relicta est, si non interceſsit mora: scilicet quia suo periculo fœnerauit, colendóue fundo, uel in cogendis fructibus insumpsit operã. nec æquũ erat, alterius (ut sic dixerim) procuratorẽ constitui. nullũ aũt impendiũ uel operã interçedit hęredis, cùm his modis, de quibus est quæsitum, augmentũ hęres recepit. *Plura de exceptione proposita uide §. quæst. 2. reg. 4.*

V. VBI COMPETANT ACTIONES translatæ?

Definitur hæc quæstio l. qui ita. 66. §. fin. ff. ad S. C. Trebell. his uerbis: An, ubi defunctus conueniri debuit, & fideicommissarius debeat, uidendum est: & si sua sponte hæres adijt, & restituit hæreditatem, an tribus locis fideicommissarius defendi debeat, ubi defunctus, & ubi hæres, & ubi ipse domicilium habeat? Oportet itaq; ibi fideicommissariũ conueniri, ubi uel domicilium habet, uel maior pars restitutæ hæreditatis habetur. *Planè ubi fideicommissarius hæredem coegit adire, ibi quoq; potest conueniri. quod approbatur d. l. 66. §. si legatus, his uerbis:* Si legatus Romæ compulsus adierit hæreditatem & restituerit, cogetur Romę actiones pati fideicommissarius, quamuis hæres non cogeretur.

VI. EVENTVS TRANSlationis.

Hæredi agenti opponitur exceptio, isq; aduersus agentes defenditur exceptione. quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt §. eod. cap. in prin.

VII. ADFINIA REmedia.

Actio fideicommissi competit, si aduersus hæredem qui hæreditatem restituit, est agendum. de quo uide paulò superius eod. cap. quæst. 2. reg. 11. *Directa ciuilis actio datur hæredi, cui post tempus à fideicommissario restituitur hæreditas. quæ regula approbatur l. si hæres. 70. in prin. ff. ad S. C. Trebellianum. cuius uerba uide §. eod. cap. except. 12.*

DE CONDITIONIBVS ET legatis conditionalibus.

Cap. V.

TErtia species legati est, legatum conditionale: de cuius speciei legatis, necnon & de hæredum institutionibus contractibusq; conditionalibus, adeoq; de conditionibus in genere, in hoc capite & sequẽtibus tractabitur.

I. DIVISIONES CONditionum.

Conditionum diuisio trimembris proponitur l. in facto. 58. in prin. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis: In facto consistentes conditiones uarietatem habent, & quasi tripartitam recipiunt diuisionem: ut quid detur, ut quid fiat, ut quid obtingat: uel retrò, ne detur, ne fiat, ne obtingat. Ex his dandi faciendiq; conditiones in personas collocantur, aut ipsorum quibus quid relinquitur, aut aliorum: tertia species in euentu ponitur. *Ex hisce uerbis duplex conditionum diuisio notanda. Prima diuisio est, quòd conditio aut in dando, aut in faciendo, aut in euentu consistat. Altera diuisio est, quòd alia conditio sit affirmatiua, alia negatiua. In negatiuis conditionibus locus est cautioni Mutianæ: de qua dictum §.* Tertia conditionum diuisio est, quòd alia *expressa*

expressa est, alia tacitè inest: illa facti, hæc iuris appellatur conditio, l. multũ interest. 20. ff. de condit. cuius uerba uide §. lib. 30. cap. 2. reg. 1. except. 15. exemplo 9. Planè conditiones quæ tacitè insunt, non faciunt legata conditionalia. de quo uide §. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 11.

II. SPECIES CONditionum.

Prima species est, dies incertus. quæ approbatur l. dies. 73. ff. de cond. & demonstr. his uerbis: Dies incertus conditionẽ in testamento facit. *Concordat l. talis. 30. §. sed etsi sub cond. ff. de leg. 1. his uerbis:* Dies incertus appellatur conditio. *Concordat item l. cum test. 8. C. de test. manumiss. his uerbis:* Cum testator libertatem tempore nuptiarum filij sui uel filiæ seruo dari iussit, non tempus præstandæ libertati præstitit, sed potius conditioni locum fecit, ut non insecutis nuptijs libertas iure posci non possit. *Secunda species, modus est. quæ approbatur l. 1. C. de his quæ sub modo legata, his uerbis:* In legatis quidem & fideicommissis etiam modus adscriptus pro conditione obseruatur. *Huic contradicit l. libertas. 17. §. hac scriptura. ff. de manumiss. testam. his uerbis:* Hac scriptura testamenti, Pamphilus liber esto, ita ut filijs meis rationes reddat: an sub conditione data libertas uideretur, quæsitum est? Vlpianus respondit, purè quidem datam libertatem, & illam adiectionem, Ita ut rationes reddat: conditionem libertati nõ inijcere: sed quia manifesta uolũtas testantis exprimeretur, cogendum esse eum ad rationes reddendas. *Contradicit item l. 1 pp. 52. ff. eod. tt. his uerbis:* Imperatores Seuerus & Antoninus Frontoni: Testamento militis his uerbis adscriptæ libertates, Stephanum seruum meum liberum esse uolo uel iubeo: adita hæreditate libertas competit: & ideo ea quæ postea adiecta sunt, Sic tamen ut cum hærede meo sit, quousq; iuuenis sit: quod si noluerit aut contempserit, iure seruitutis teneatur: ad reuocandam libertatem, quæ competit, non sunt efficacia. Idem in paganorum testamentis obseruatur. *Contradicit item l. Mæuia. 44. ff. d. tt. his uerbis:* Mæuia decedens, seruis suis nomine Sachi & Eutichię & Thyrenæ sub conditione libertatem reliquit his uerbis: Sachus seruus meus, & Eutichia & Thyrena ancillæ meæ, omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumẽto meo alternis mensibus lucernam accendant, & solennia mortis peragant. quæro, cum assiduè monumẽto Mæuiæ Sachus & Eutichia & Thyrena nõ adsint, an liberi esse possint? Modestinus respondit, neq; contextũ uerborum totius scripturæ, neq; mentem testatricis eam esse, ut libertas sub conditione suspensa sit, cum liberos eos monumento adesse uoluerit: officio tamen iudicis eos esse compellendos testatricis iussioni parẽre, dixit. *Contradicit item l. causam. 20. §. fin. ff. de manumissionibus. cuius uerba uide §. li. 19. cap. 9. except. 38. repl. 18.* *Sanè, non quemadmodum conditio impedit legati actionem, ita etiam modus: sed sub modo relictum, statim peti potest, modo nondum impleto. de quo §. cap. prox. except. 19.* *Plura de proposita specie uide §. lib. 32. cap. 2. reg. 11. & cap. 9. causa 15. Tertia species est, demonstratio in futurum concepta. quæ species approbatur l. Stichum. 6. ff. de leg. 1. de qua re uide §. lib. 32. cap. 8. causa 5. except. 1. repl. 1.* Huius speciei seu regulæ exceptio hæc est: *Nisi demonstratio in præsens uel præteritum tempus sit concepta, non in futurum. tunc enim uim conditionis non habet: & quamuis falsa demonstratio sit, nihilominus tamen legatum debetur. de quo uide §. lib. 32. cap. 6. except. 70.* Eius autem replicatio hæc est: *Nisi nõ certa species, sed genus legatum sit, demonstratione in præsens uel præteritum tempus adiecta. tunc enim demonstratio uim habet conditionis. Quæ replicatio approbatur l. Quintus. 11. ff. de auro legato, his uerbis:* Certo corpore legato, demonstratio falsa posita non petimit legatũ. *Ait iurisconsultus:* Certo corpore legato. *Ergo si corpus incertum seu genus sit legatum, falsa demonstratio nocet ac perimit legatum: quia habetur pro cõditione. Cui concordat l. nuper. 85. ff. de leg. 3. his uerbis:* Nuper constitutum est à principe, ut & non adiecto hoc MEVM, si quis corpus alicui leget, & ita sentiat, ut demum præstetur, si suũ sit: ita ualere legatũ, ut appareat magis sententiam legantis, non hoc uerbũ MEVM respiciendum esse. Et ideo elegans est illa distinctio, ut quoties certũ corpus legatur, adiectum ad præsens tempus hoc uerbũ MEVM non faciat conditionem: si uerò incertũ corpus legetur, uelut ita, Vina mea & uestem meam: uideatur pro conditione hoc uerbũ MEA esse, ut ea demum, quæ illius sint, uideantur legata. quod nõ puto fortiter posse defendi: sed potius & hic uestem, uel uinũ, quod suorum numero habuerit, hoc legatum esse. sic enim responsum est, etiã quod coacuerit uinum, legato cedere, si id uini numero testator habuisset. Planè in mortis tẽpus collatum hunc sermonem, Vestem quę mea erit: sine dubio pro cõditione accipiendum puto. Sed & Stichũ qui meus erit, puto pro conditione accipiendum: nec interesse utrum ita, Qui meus erit: an ita, Si meus erit. utrobique enim conditionem inesse. Labeo tamẽ scribit, etiam in futurũ tempus collatum hunc sermonem, Qui meus erit, pro demonstratione accipiendum: sed alio iure utimur. *Propositæ replicationis exemplum proponitur l. testamento. 51. §. cum ita. ff. de manumiss. test. his uerbis:* Cum ita in testamẽto adscriptũ esset, Serui qui sine offensa fuerunt, liberi sunto: conditionem adscriptam uideri placuit: cuius interpretationem placuit talem faciendam,

faciendam,ut de ijs in libertate danda cogi taſſe non uideatur, quos pœna coercuit, & ab honore adminiſtrandi,uel adminiſtrandæ rei negocio remouit. *Aliud exemplum proponitur l.ſi ſic.74.§.1.ff.de leg.1. cuius uerba uide ĩ.cap.12.in prin.except.1. Sed & plura propoſitæ exceptionis eiuſq; replicationis exempla uide ẽ.lib.32.cap.5.except.45. Quarta ſpecies, de præpoſitione Cum, proponitur & reprobatur l.ſi ita.13.§.ſed etſi ancilla. ff.de manumiſſ.teſt.his uerbis*: Si ancilla cum filijs libera eſſe iuſſa ſit,etſi nullum habeat,libera tamen erit:uel ſi habeat quidem,filij autem eius ad libertatem peruenire non poſſint. Idem erit dicendum, etſi ipſa libera eſſe nõ poſsit,filij autem eius ad libertatem perueniant.Nam hæc adiectio,Cum filijs,non facit conditionem, niſi mihi proponas aliam ſententiam teſtatoris fuiſſe: tunc enim pro conditione erunt hæc uerba accipienda. Conditionem autem non facere, argumento eſt edictũ Prætoris,quo ita cauetur: Ventrem cum liberis in poſſeſsione eſſe iubebo.placet enim,etſi nulli de liberis ſint,uentrem tamen ex edicto in poſſeſsionem eſſe mittendum. *Concordat l.ſi ſeruo.31.§.1.ff.de ſtatuliberis,his uerbis*:Cum quęſitum eſſet,Stichus, cum rationes reddiderit, cum contubernali ſua liber eſto:an mortuo Sticho ante conditionem , contubernalis eius libera eſſe poſsit? Iulianus dixit, quæſtionem eſſe in hac ſpecie,quæ etiam in legatis agitatur, Illi cum illo do lego: an altero deficiente, alter ad legatum admittatur? quod magis ſibi placere, perinde ac ſi ſcriptum eſſet, Illi & illi.Aliam etiam eſſe quæſtionem,an contubernali quoque conditio coniuncta ſit? quod magis eſſe. Itaq; ſi nulla reliqua Stichus habuerit,ſtatim eam liberam eſſe:ſi habuerit reliqua,debere eam numerare pecuniam: nec tamen liciturum ex ſuo peculio dare: quia id illis permiſſum ſit, qui principaliter pro ſua libertate pecuniam dare iubentur.*Concordat item l.ſi quis,18.ff.de leg.1.his uerbis*: Si quis legauerit Titio cum Mæuio, & ſine altero alter ad legatum admittitur : nã & cum dicit Prætor, Ventrem cum liberis in poſſeſsione eſſe iubeo : etſi non ſint liberi,uenter in poſſeſsionem mittetur. *Concordat l.ſi tibi.10.ff.de leg.3.his uerbis*: Si tibi,& ei qui ex tribus liberis meis in funus meum uenerit,centum aureos legauero : non minuetur in tua perſona legatum, ſi nemo uenerit. *Concordat item l.uxorem.39.§.agri plagam.ff.eod.tit. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.9.cauſa 29.except.5.repl.1. Concordat item l.Lucius.90.§.quiſquis.ff.de leg.2.cuius uerba uide ẽ.d.cap.9.cauſa 15.except.8. Item concordat l.ſi cui.52.in prin.ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.4., de ſeruis legatis,reg.16. Idem iuris eſt, ſiſi mater cum natis ſit legata.de quo uide ẽ.lib.32.cap.11.cauſa 51.except.8. Quinta ſpecies eſt, ſi quis acceptis centum , hæreditatem Titio reſtituere ſit rogatus. hoc enim caſu perinde habetur,ac ſi Titio hæreditas relicta ſit ſub hac conditione: Si hæredi centum dediſſet. quæ ſpecies approbatur l.à teſtatore.107.ff.de condit. & demonſtr. cuius uerba paulò inferius proponentur except.3. Sexta ſpecies uidetur, ſi teſtator demonſtrauit , unde pecunia ad legatum ſoluendum eſſet ſumenda. Quæ ſpecies reprobatur l.quidam 92.in prin. ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.8.cauſa 7. Hæc de ſpeciebus conditionum. Sed & plures huiuſmodi ſpecies conditionum,à iure reprobatas, uide ẽ.lib.32. cap.9.cauſa 10.except.1. item lib.33. cap.8. reg.2. except.2. item ĩ.cap.prox.de condit.deficiente.*

III. DE CONDITIONE impleta.

Si factum uel datum ſit aut euenerit id quod in conditione continetur, impleta dicitur conditio, & ex teſtamento datur actio. quæ regula ut per ſe uera eſt,ita plures recipit exceptiones: quæ ordine nunc proponentur.

I. *Exceptio* : *Niſi pupillus ſine tutoris authoritate conditioni paruerit. Hæc exceptio reprobatur l.cond.5.in prin.ff.de cond.& demonſtr.his uerbis*: Conditionibus pupillus & ſine tutoris authoritate parêre poteſt: nec quem mouerit, quòd expleta conditione neceſſarius hæres aliquando eſſe poteſt.nam hoc iure poteſtatis fit,non conditionis expletæ. *Concordat l.ſi pupill.26.ff.de condit.inſt.his uerbis*: Si pupillus ſub conditione hæres inſtitutus fuerit, conditioni etiam ſine tutoris authoritate parêre poteſt:idemq; etſi legatum ei ſub conditione relictum fuerit: quia conditione expleta,pro eo eſt,quaſi purè ei hæreditas uel legatum relictum ſit.

II.*Exceptio: Niſi filiusfamiliâs uel ſeruus ſine iuſſu patris uel domini conditioni paruerit.Et hæc exceptio reprobatur d.l.5.§.fin.his uerbis*: Item ſeruus uel filiusfamiliâs ſine iuſſu patris uel domini conditionem implere poſſunt: quia eo facto nemo fraudatur. *Planè admittitur exceptio propoſita, ſeruo hærede ſub conditione inſtituto. quæ diſtinctio proponitur l.ſub cond.25. ff.de condit. inſtit. his uerbis*:Sub conditione hæres ſeruus inſtitutus, ſine iuſſu domini conditioni parêre non poteſt.

III.*Exceptio:Niſi alius,non in cuius perſonam conditio collata eſt,conditioni paruerit.Hæc exceptio approbatur exemplo hæredis legatarij, l.à teſtatore.107. ff.de condit.& demonſtr.his uerbis*: A' teſtatore rogatus, ut acceptis centum numis reſtitueret hæreditatem Titiæ cohæredi ſuæ, adita hæreditate deceſsit:ſimiliter & Titia,antequam daret centum. quæſitum eſt, an hæres Titię offerendo centum,ſi dejecommiſsi, partem hæreditatis conſequi poſsit? Scæuola reſpondit, hæredem conditioni parêre non poſſe. Claudius magno ingenio de iure

iure aperto reſpondit , cum poſſet dubitari, an in propoſito conditio eſſet. *Concordat l.ſub diuerſis.49.§.fin.ff.d.tt. cuius uerba uide ĩ.except.7. repl.3.Concordat item l.ab omnibus.101.§.in teſtamento.ff.de leg.1. cuius uerba uide ĩ.cap. prox.except.22. Sed & alia propoſitæ exceptionis exempla ſunt exceptiones duæ proximè ſequentes. Planè huius exceptionis replicatio hæc eſt:Niſi alius nomine eius qui conditione continetur,conditioni paruerit. Quæ replicatio approbatur exemplo l.cum ſeruus.104.ff.de uerb. obligat.his uerbis*: Cum ſeruus pecuniam pro libertate pactus eſt,& ob eam rem reum dederit: quamuis ſeruus ab alio manumiſſus eſt, reus tamen rectè obligabitur: quia non quæritur à quo manumittatur, ſed ut manumittatur.*Concordat inſtitut.quibus mod.tollitur obligat. in prin. his uerbis*: Non intereſt quis ſoluat,utrum ipſe qui debet, an alius pro eo,&c.

IIII.*Exceptio: Niſi teſtator ipſe,non legatarius dederit. Hæc exceptio approbatur l.cum tale.70. §.falſam condit.in fine.ff.de condit.& demonſtr. cuius uerba proponentur ĩ.cap.prox.except.2.in fine.*

V.*Exceptio : Niſi cum plures dare uel facere debeuent,unus tantùm, uel non omnes paruerint . hoc enim caſu cæteris qui non paruerint , non prodeſt impleta conditio. quæ exceptio approbatur l.ſi plures.6. C. de condit.inſertis,his uerbis*: Si plures perſonæ unã conditionem implere fuerint iuſſæ, apud Vlpianum dubitabatur,utrúmne omnes ſimul eandem facere debent,an ſinguli quaſi ſoli implere eam compelluntur? Videtur autem nobis, unumquenque neceſsitatem habere hanc conditionem implere, & portionem ſibi contingentem accipere, quidquid ex hoc cõmodi eſt: ut hi quidem qui compleuerint iuſſa, ad lucra uocentur: qui autem neglexerint, ſibi imputent, ſi ab huiuſmodi commodo repellantur. *Concordat l.ſi ita.13.in prin.ff.de manumiſſis teſt.his uerbis*: Si ita fuerit ſeruis duobus libertas data , ſi inſulam ædificauerint,uel ſi ſtatuam poſuerint, diuidi hæc conditio non poterit: ſolummodò illam habebit dubitationem , an altero faciente , ſatisfactum uoluntati uideatur, ideoq; ad libertatẽ perueniat? quod magis eſt, niſi aliud expreſſerit teſtator: faciendo tamen ſibi conditionẽ impleuit, alteri non: quinimò extinguitur ei conditio. Nõ enim amplius conditioni parêre poteſt , cum ſemel expleta ſit. *Quod igitur ad eum qui non paruit conditioni , propoſitæ exceptioni eſt locus : alteri uerò qui paruit, exceptio hæc non obſtat. quod primæ replicationis loco notandum. Cum ergo in duorum perſonas collata conditio eſt,unusq; ſolus conditioni paruerit,uel in unius perſona conditio impleta ſit, non obeſt huic, quòd in alterius perſona conditio defecerit. cuius replicationis exemplum proponitur l.qui cõcubinam. 29.§.ſi Stichus.ff.de leg.3.his uerbis*: Si Stichus & Dama ſerui mei in poteſtate mea erunt cũ moriar, tunc Stichus & Dama liberi ſunto, & fundum illum ſibi habento . ſi alterũ ex his poſt teſtamentum factum dominus alienaſſet uel manumiſiſſet,neutrum liberũ futurum,Labeo putat:ſed Tubero eum qui remanſiſſet in poteſtate,liberum futurũ,& legatum habiturum putat. Tuberonis ſententiam uoluntati defuncti magis puto conuenire.*Concordat l.2.§.fin.ff.de condit.inſtit.his uerbis*: Si duo ſerui ita ſint hæredes inſtituti, Primus & Secundus , ſi mei erunt cum moriar, liberi & hæredes ſunto: & alter ex his ſit alienatus , Celſus rectè putat ſic accipiendũ, atq; ſi ſingulos ſeparatim ſub eadem conditione hæredes inſtituiſſet. *Concordat item l.ſalſa.32.§.fin.ff.de condit.& demonſt.his uerbis*:Si quis ita ſcripſerit, Stichum & Pamphilum Titio do lego , ſi mei erunt cum moriar: & unum ex his alienauerit,an uel alter poſsit à legatario uindicari? & placet uindicari. ná hunc ſermonem, licet pluralis ſit, pro eo oportet accipi, atq; ſi ſeparatim dixiſſet, Stichum, ſi meus erit cum moriar:Pamphilum,ſi meus erit cum moriar. *Concordat item l.ſi ita.13.§.quæſtio.ff.de manumiſſ.teſtamento,his uerbis*: Quæſtio hęc & in eo tractatur,ſi quis libertatem dederit ſeruis duobus,ſi rationes reddiderint. Iulianus enim tractat, ſi alter reddere ſit paratus,alter nõ ſit, an alter per alterum impediatur? Et rectiſsimè ait,ſi quidem ſeparatim rationes geſſerint, ſufficere ad libertatẽ adiſcendã ei qui rationes ſuas reddiderit: ſi uerò ſimul,non aliàs uideri alterum paruiſſe,niſi utriuſq; reliqua exoluerit. In reliquis accipere debemus, ut & ipſa rationũ uolumina reddantur.*Concordat item l.hoc art.29.ff.de hæredibus inſtit.his uerbis*: Hoc articulo Quiſq; omnes ſignificantur. & ideo Labeo ſcribit, ſi ita ſcriptũ ſit, Titius & Seius, quãta quiſq; eorum ex parte hæredem me habuerit ſcriptum, hæres mihi eſto: niſi omnes habeant ſcriptum hæredem teſtatorem, neutrum hę redem poſſe eſſe: quoniam ad omnium factum ſermo referatur . in quo puto teſtatoris mentem reſpiciendã , ſed humanius eſt, eum quidem qui teſtatorem ſuum hæredẽ ſcripſerit, in tantam partẽ ei hæredem fore: qui autem eum non ſcripſerit, nec ad hæreditatem eius admitti. *Planè propoſitæ replicationis duplicatio prima hæc eſt:Niſi in ſolidũ alter conditioni nõ paruerit.tunc enim,quamuis pro parte tantùm paruerit,obſtat ei propoſita exceptio. quæ duplicatio approbatur uerbis iam propoſitis hiſce*:Si uerò ſimul,non aliàs uideri alterum paruiſſe,niſi utriuſq; reliqua exoluerit. *Cõcordat l.tales.110. in prin.ff.de condit.& demonſtr. his uerbis*: Tales conditiones, Si monumentum (puta) fecerint: pluribus propoſitæ,non poſſunt niſi in

omnibus simul personis existere. *Concordat item l.si ita.13.in prin.ff.de manumiß.test. cuius uerba uide §.ead.except.in prin. item l.si quis.13. §.si duo. ff. de statuliberis. cuius uerba uide ȝ.cap.7. condit.8. reg. 2. Ex his autem patet,duplicationem iam dictam in ijs quæ diuidi non possunt, locum habere: in ijs uerò quæ diuidi possunt, etiam unus sine altero conditionem pro parte implendo ad legatum admittitur. quod triplicationis loco notandum. quæ triplicatio constat ex uerbis supradictis hisce:* Siquidem separatim rationes gesserint, sufficere ad libertatem adipiscendam ei qui rationes suas reddiderit. *Approbatur insuper triplicatio ista l.si quis.52. §.finali.ff.de condit.& demonstr.his uerbis:* Duobus eadem res,si hæredi centum dedissent, legata est. si alter ex his quinquaginta dederit,partem legati consequetur: & pars eius qui nõ dederit, alteri cũ sua conditione adrescet. *Concordat item l.cui fundus.54. §.dißimilis. ff.d.tt. de quo paulò inferius except.10. Concordat item l.qui hæredi.43.§.si duorum.ff.d.tt.his uerbis:* Si duorum seruo legatum sit sub conditione dandi,nõ posse per partes conditioni pareri,quidam aiunt,sed semel dandam pecuniã. Sed ego (*Paulus ait*) contrà puto. *Concordat item l.si legato. 21. §.1. ff.de manum. test. his uerbis:* Si Stichus & Pamphilus decẽ dederint, liberi sunto. potest alter quinq; dando liber esse, quamuis quinq; non dederit alter. *Concordat item l.cui ususfr.30.in prin.ff.de usufructu legato,his uerbis:* Cui ususfructus legatus esset,donec ei totius dotis satisfieret: cum ei hæres pro sua parte satisfecisset, quamuis reliqui satis non darent,tamen pro ea parte usumfructum fundi desinere habere mulierem, ait Labeo. Idem fieri, etsi per mulierem mora fieret, quo minus satis acciperet. *Planè proposita triplicatio uidetur distingui hoc modo: Nisi pecuniam duo in opus aliquod indiuiduum dare sint iußi. Sed hæc distinctio reprobatur l. tales.110. §. de illo. ff. de cond.& demonstr.his uerbis:* De illo quæritur. fundus quibusdam legatus est, si pecuniam certam in funus,impensasq; perferendi corporis in aliam regionem dedissent. num, nisi uterq; dederit,neutri est legatum: quoniam conditio nisi per utrunq; expleri non potest? Sed hoc humanius interpretari solemus,ut cùm duobus fundus legatus sit, si decem dedissent, & alteri dando partem, legatum quoque debeatur. *Sed & tam dicta triplicatio distinguitur hoc modo: Nisi unus legatarius pluribus hæredibus relictis decesserit: hoc enim casu unus hæres legatarij pro sua parte conditioni parère non potest. Quæ distinctio approbatur l.cui fundus. 54. in fine. ff. de condition. & demonstr. cuius uerba uide ȝ. except.10. Hæc de prima propositæ replicationis duplicatione sunt dicta. Altera duplicatio est:Nisi testator non nisi utrunq; facere uoluerit: tunc alter sine altero faciens, quamuis in solidum,ad partem legati non admittitur. Quæ duplicatio approbatur l.si ita.13. in principio. ibi: nisi aliud expresserit testator. ff. de manum. test. cuius uerba uide §. ead. except. in princ. Concordat d.l.13.§.item quæri potest. cuius uerba proponuntur infrà proximè. Propositæ duplicationis triplicatio hæc est: Nisi hæredis institutio uel exhæredatio ita facta sit, si uterq; fecerit, non alter sine altero. Quæ triplicatio approbatur l.patersamil.42. ff.de hæredibus instituen.bis uerbis:* Paterfamiliãs testamento duos hæredes instituerat,eosque monumentũ facere iusserat in diebus certis:deinde ita scripserat,Qui eorum non ita fecerit, omnes exhæredes sunto. alter hæres hæreditatem prætermiserat. reliquus hæres consulebat, cum ipse monumentum extruxisset, nunquid minus hæres esset ob eam rem, quòd cohæres eius hæreditatem non adijsset? Alphenus respõdit, neminem ex alterius facto neque hæreditati alligari, neq; exhæredari posse:sed uti quisque conditionem implesset, quamuis nemo adijsset præterea, tamen eum hæredem esse. *Altera propositæ exceptionis replicatio est: Nisi testator uoluerit,uno faciente,alterum quoq; ad legatum admitti: tunc enim, si unus paruerit conditioni, alter quoque qui non paruit, ad legatum admittitur. Quæ replicatio approbatur d. §. item quæri potest, his uerbis:* Quæri potest, etsi fabris duobus uel pictoribus, si templum depinxissent, uel fabricassent nauem, quid adscriptum sit. nam uoluntatis erit quæstio, num alteri alterius facti conditionẽ testator iniunxerit: quæ res efficit, ut quòd alter cessat, alteri quoq; qui facere paratus est, conditio deficiat. Quòd si ex ijs quæ scripsit uel dixit, ostendatur contentus esse testator uel alterum facere: res expedita erit. nam alter faciendo & sibi & socio proderit,aut sibi tantùm, prout uoluisse testatorem apparuerit. *Hæc de quinta exceptione. Sanè si conditio non in legatariorum personam sit collata, sed aliorum, in quorum personis partim extiterit,partim defecerit conditio:de hac re uide ȝ.except.11.*

VI. *Exceptio:Nisi cùm duobus conditionis implendæ causa dandum esset,uni tantùm sit datum. Hæc exceptio ipso quidẽ iure subsistit, uerùm eius replicatio prima hæc est:Nisi cùm duobus hæredibus dare iussus esset legatarius, unus ex ijs hæreditatem repudiauerit. tunc enim alteri tantùm dando impletur conditio. Quæ replicatio approbatur l.qui duob.22. in fine. ff. de condit. et demonst.cuius uerba proponentur ȝ.except.10.repl. 2. Secunda replicatio est: Nisi alter ex ijs fuerit mortuus. Hæc replicatio approbatur l.tales.110.in prin. ff. de condit.& demonstr.his uerbis:* Tales conditiones,Si monumentum(puta)fecerint: pluribus propositæ,non possunt nisi in omnibus simul personis existere. Item,Si Symphoro & Ianuario centum Titius præstiterit, fundum ei lego: Symphoro mortuo, an legatum

tum perijsset? sed hoc quoq; sic putat Pomponius interpretandum, ut si,dum quisque eorum uiueret,præstitisset. sed benigna interpretatione esse dicendũ, si non post morã Titij Symphorus decesset, debere & partem dimidiã Ianuario dantem, partem fundi dimidiam legatarium consequi. Ait Iurisconsultus: Si non post moram Titij Symphorus decesset. Ex *his uerbis elicitur duplicatio hæc: Nisi post moram legatarij alter decesserit.tunc enim si perstiti dando non implet conditionem.*

VII. *Exceptio:Nisi alij quàm cui dare iussus est,legatarius dederit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt ȝ. lib.48. cap.8. in prin. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi hæredi dare iussus,ei cui ex senatusconsulto Trebelliano restituta est hæreditas,dederit. Hæc replicatio reprobatur l.qui hæredi. 43.§. cum hæred.ff.de condit.& demonstr. cuius uerba uide §. cap.3. quæst.3. reg.4. Secunda replicatio est: Nisi hæredi dare iussus, ei qui contra tabulas bonorum possessionem accepit,dederit.Hæc replicatio approbatur infrà exceptione prox. Tertia replicatio est:Nisi hæredi eius cui dare iussus est, dederit. Hæc replicatio approbatur l.sub diuersis.49. §.fin.ff.de condit.& demonstrat.his uerbis:* Hæredi decem dare iussus & liber esse, & hæredis hæredi dando peruenietad libertatem. Quod non similiter in legatarij persona custoditi, Publicius scripsit. *Concordat l.cum ita.92.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Ex his uerbis,Si hæredi,uel,Si hæredi Titio decem dederit, liber esto: non tantùm hæredi, sed etiam hæredis hæredi dando peruenit ad libertatem: at si nullus hæredi successerit,iure constituto nulli dando ad libertatem peruenit. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi non hæredi, sed Titio dare iussus sit. tunc enim hæredi Titij dando non implet conditionem. Quæ duplicatio approbatur d.l.92.in prin.his uerbis:* Cũ ita datur libertas, Si Titio, qui non est hæres, decem dederit: certa persona demonstratur,ac propterea in persona eius tantùm conditio impleri potest. *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est:Nisi tempore mortis Titij is qui dare debuit, pecuniam conditione comprehensam habuerit.Hæc triplicatio in statulibero quidem approbatur,in alijs autem legatarijs reprobatur,d.l.92.§.sanè si cum,his uerbis:* Sanè si cum cesserit dies,pecuniam cõditione comprehensam statuliber habuerit, iure constituto nulli dando consequetur libertatem.Diuersa causa est legatarij, in cuius persona placuit conditionem deficere, si antequam dederit legatarius pecuniam,Titius moriatur. *Altera triplicatio est: Nisi non simpliciter Titio,sed hæredi Titio iussus sit dare.Quæ triplicatio approbatur d.l.92.§.fin. cuius uerba uide paulò superius. Quarta replicatio est: Nisi tutori uel curatori eius cui dare iussus est, dederit. Hæc replicatio approbatur l.si fundus.13. ff. de condit. & demonstrat.his uerbis:* Si fundus alicui legatus fuerit, si pupillo uel furioso pecuniam dedisset, uidetur expleße conditionem curatori uel tutori dando. *Concordat l.Stichum.95.§. usumfructum. ibi:sicuti. ff.de solutionibus. cuius uerba uide alibi. Huius replicationis duplicatio prima hæc est:Nisi collusio facta sit cum tutore in fraudem pupilli. Secunda duplicatio est:Nisi curatore adolescentis sit datum. Hæ duæ duplicationes approbantur per ea quæ habentur ȝ.cap.7.condit.8.reg.2. except.2. replic. 3 & 4. Tertia duplicatio est: Nisi pecunia data in rem pupilli uersa non sit. quæ duplicatio approbatur d. §.usumfructum. ibi: idq; ita recipi. Quinta replicatio est: Nisi domino eius cui dare iussus est, dederit. Hæc replicatio reprobatur l.qui hæredi.43.in prin. ff. de condit.& demonstr.his uerbis:* Qui hæredi dare iussus est, seruo alieno instituto, non domino dare debet. nam etsi alio hæredeinstituto, iussus est seruo Titij dare, ipsi seruo datur:quia quæ facti sunt,non transeunt ad dominum:quamadmodum si mihi aut seruo Titij stipulatus sim, non Titio, sed seruo eius dari potest. & hæc uera sunt. Sed cum hæredi dare iussus est, uideamus ne domino dandum sit? & consequens est,& hic seruo dari. *Planè admittitur replicatio proposita primùm in eo,cui libertas sub conditione relicta est. Quod approbatur d.l.43.§.certè statuliber,his uerbis:* Certè statuliber quin domino dare debeat,non est dubium. *Deinde admittitur,si uoluntate seruidomino detur. quæ distinctio approbatur l.Stichum. 95. §.usumfructum. ibi:cæterùm. ff.de solutionib. cuius uerba uide ȝ.lib.48.cap.8.repl.4.dupl.9.tripl.1. Sexta replicatio est:Nisi seruo eius cui dare iussus est,dederit. Et hæc replicatio reprobatur, sed sub conditione, d.l. 43.§.contrà qui domino,his uerbis:* Contrà qui domino dare debet,non implet conditionem dando seruo eius, nisi dominus cõsenserit. nemo enim in tali specie conditionem nesciente me uel nolente implere potest. *Plura de exceptione proposita uide ȝ.d.cap.8.*

VIII. *Exceptio:Nisi hæreditate per contra tabulas bonorum possessionem euicta, non ei qui hæreditatem euicit,datum sit. Hæc exceptio approbatur l.is qui.15. §.fin.ff.de legatis præstandis contra tabulas,his uerbis:* Si extraneo hærede instituto,sub hac conditione exceptæ personæ legatum sit,Si hæredi decem dederit:ita ei legatorum actio debebitur, si ei qui contra tabulas bonorũ possessionem acceperit, decem dederit, non si hæredi instituto: quia absurdum est, illum commoda hæreditatis habere, & aliũ onera sustinere in præstando legato. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi nõ hæredi,sed Titio dare iussus sit. Hæc replicatio reprobatur d.l.15.§. fin.his uerbis:* Sed etsi Titio iussus fuerit dare, non illi,sed filio dari debet. *Secunda replicatio est: Nisi pro parte hæreditas per contra tabulas bonorum possessionem sit euicta. hoc casu etiam pro parte hæredi,pro parte euincenti dandum est. Quod approbatur*

batur exemplo l.si his.4. in prin. ff.de condit. & demonstr.his uerbis: Si his legatum est,quibus patronus legata præstat,temperare debet Prętor conditionem, ut & patrono & hæredibus scriptis pro portione dentur, conditionis explendæ gratia. Tertia replicatio est: Nisi non hæredi, sed extraneo dare iussus sit. hoc enim casu ei cui dare iussus est, dando implet conditionem. Quæ replicatio sine cuiusquam contradictione est iusta.

IX.Exceptio:Nisi cum sub conditione hac,Si Titius alienauerit, legatum esset: Titius non extraneo,sed alicui ex familia uel corpore alienauerit. hoc enim casu non impletur conditio alienandi. Quæ exceptio approbatur l.prætor filium.36. §.quindecim. ff. de leg.3. his uerbis: Quindecim libertis,quos nominauerat, prædiolum cum taberna legauerat, & adiecerat hęc uerba:Sibiq; eos habere,possidere uolo, ea lege & conditione, ne quis eorum parte suam uendere,donare,aliúdue quid facere alij uelit: quòd si aduersus ea quid factum erit, tunc eas portiones prædiúmue cum taberna ad rempub. Tusculanorum pertinere uolo. quidam ex his libertis uendiderunt partes suas duobus collibertis suis ex eodem corpore:emptores autem defuncti,Caium Seium extraneum hæredem reliquerunt. quæsitũ est,partes quæ uenierunt, utrum ad Caium Seium, an ad superstites collibertos suos, qui partes suas non uendiderunt,pertinerent? Scæuola respondit,secundum ea quæ proponerentur, ad Caium Seium pertinere. Item quæsijt, an partes uenditæ ad rempublicam Tusculanorum pertinerent? Respondit,non pertinere. Claudius:Quia non possidentis persona, qui nunc extraneus est, respicienda est: sed emptorum,qui secundum uoluntatem defuncte ex illis fuerunt,quibus permiserat testatrix uenundari: nec conditio extitit dati fideicommissi reipublicæ Tusculanorum. Plura de hac exceptione uide infrà cap.15. quæst.1.except.4.

X.Exceptio: Nisi pro parte tantùm impleta sit conditio. Hæc exceptio approbatur l.cui fundus.54. in prin.ff.de condit.& demonstrat.his uerbis:Cui fundus legatus est, si decem dederit: partem fundi consequi non potest, nisi totam pecuniam numerarit. Dissimilis est causa, cùm duobus eadem res sub conditione legata est.in hac enim quæstione statim à testamento, quo pluribus conditio adposita est, diuisa quoque in singulas personas uideri potest: & ideo singuli pro sua parte & conditioni parêre, & legatum capere possunt.nam quamuis summa uniuersæ conditionis sit adscripta, enumeratione tamen personarum potest uideri esse diuisa, in eo uerò quod uni sub conditione legatum est, scindi ex accidenti conditio non debet: & omnis numerus eorum qui in locum eius substituuntur, pro singulari persona est habendus. Hisce uerbis exceptio proposita approbatur. Cui concordant etiam ea quæ dicta sunt ĩ. lib.48. cap.9. except.15. Huius exceptionis exemplũ etiam est:Si sub hac conditione,si chirographum hæredi redderetur,legatum sit. hoc enim casu,quamuis chirographum redditum sit,non tamen debitum remissum, non in totum conditio impleta est. Quod exemplum proponitur l.huiusmodi.81. §.si ita legatum. ff.de legatis 1. cuius uerba uide suprà lib. prox. cap.5. reg.12. Sed & alia huiusmodi exempla partim approbata, partim reprobata,uide infrà cap.7. Ait Iurisconsultus: Dissimilis est causa,cùm duobus,&c. Hisce uerbis prima aduersus exceptionem propositam replicatio approbatur, hæc scilicet: Nisi duobus sub conditione sit legatum. hoc enim casu etiam unus pro sua parte conditioni parendo petere legatum potest. de qua re uide ẽ.except.5.repl.1. Secunda propositæ exceptionis replicatio esse uidetur: Nisi duobus dare iussus sit. hoc enim casu uidetur, quòd si uni partem dederit legatarius,ad legatum pro parte admittatur. Verùm replicatio hæc reprobatur l.qui duob.22. ff.de condit.& demonstr. his uerbis: Qui duobus hæredibus decem dare iussus est,& fundum sibi habere: uerius est, ut conditionem scindere non possit, ne etiam legatum scindatur. Igitur, quamuis alteri quinq; dederit, nullam partem fundi uindicabit, nisi alteri quoq; adeunti hæreditatem reliqua quinque numerarit: aut illo omittente hereditatem,ei qui solus adierit hæreditatem, tota decem dederit. Planè admittitur replicatio proposita, si alter,antequam mora dandi facta sit,decesserit. Quæ distinctio approbatur l.tales.110. in prin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.except.6. Tertia replicatio est:Nisi legatarius solidum legatum capere non possit. tunc enim pro portione minuitur etiam id quod conditionis implendæ causa dandum est. Quæ replicatio approbatur l.ei qui.20. ff.de mortis causa donationibus, his uerbis: Ei qui non amplius parte capere poterat,legatus est fundus, si decem dedisset hæredi. non totam summam dare is debet, ut partem fundi habeat: sed partem duntaxat, pro rata qua legatum consequitur. Concordat l.Plautius.42. §.item scinditur. ff.de condition. & demonstration. his uerbis: Scinditur ius dandi, si is cui legatum est, non potest partem hęreditatis sibi relictam totam capere.nam uerius est,partem eum prętare debere,partem illos qui auferunt ab eo quod plus relictum est,quàm à lege conceditur. Quarta replicatio est: Nisi legatũ eius qui dare iussus est, ob aliquam causam minuatur. tunc enim etiam id quod conditionis implendæ causa dandum est, pro portione minuitur. Quæ replicatio approbatur exemplo replicationis præcedentis: item alio exemplo,quod proponitur d.l.42.in prin.his uerbis: Hæres rogatus est à liberto testatore, ut perceptis sibi decem,

cem, totam hæreditatem ei uenderet: postea patronus defuncti bonorum possessionem contra tabulas petierat, & partem hæreditatis quæ debebatur, abstulerat. Proculus & Cassius, fideicommissarium pro rata quod soluit, repetere debere aiũt. Paulus:Hoc iure utimur.nam quemadmodum præstatione fideicommissorum & legatorum hæres exoneratur per Prætorem, ita etiam ipse partem consequi debet. Diuersum est,si Falcidia interueniat, & minuat legatum. Nam his casibus nihil repetetur, quòd in solidum conditioni paretur. Aliud propositæ replicationis exemplum proponitur l.qui hæredi.43. §.si pars. ff. eodem titulo, his uerbis: Si pars rei legatæ usucapta sit,an in solidum parendum sit, dubito? & potest dici, pro parte parendum, ex sententia testatoris. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi legatum per legem Falcidiam sit deminutum. Quæ duplicatio approbatur uerbis supradictis hisce: Diuersum est, si Falcidia interueniat, & minuat legatum, &c. Quinta replicatio est: Nisi hæredi sub conditione dandi quid sit prælegatum. hic enim pro ea parte, qua hæres est, conditionem implere non cogitur. Quæ replicatio approbatur d.l.43. §. Plautius, hisce uerbis: Vni ex hæredibus fundum legauit, si centum hæredibus dedisset. deducet suam partem hæreditariam, & reliquam summam hæredibus pro portione eorum dabit. Concordat l.ab omnibus.101. §.item si iussus. ff. de legatis 1. his uerbis: Item si iussus fuisset hæres decem dare, & fundum sibi habere, deducta sua parte decem dabit. Huius replicationis ratio est, quòd pro ea parte, pro qua hæres est, legatum non consistit. Quod approbatur d.l. 101. §.si Attio. de qua re uide suprà lib. proxim.cap.7. reg.15. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi non prælegatum sit, sed hæres ex parte institutus sub conditione. Hæc duplicatio approbatur d.l.43.§.Plautius, his uerbis: At si hæres ex parte ita institutus esset, si hæredibus decem dedisset: non aliter esset hæres,quàm si tota decem cohæredibus dedisset: qui non antè ad hæreditatem admitteretur, quàm si omnem summam dedisset. Nam & cum seruus testamento liber, & ex parte hæres ita scriptus esset, si hæredibus decem dedisset: constitit non aliter eum liberum hæredemq; futurum, quàm si tota decem cohæredibus dedisset.Paulus:Hoc iure utimur. Sexta replicatio est: Nisi per errorem & imprudentiam minus dederit legatarius, posteaq; reliquum soluat. Hæc replicatio approbatur l.qui putat.73.in prin.ff.de adq. hæredit. his uerbis: Qui putat se decem dare iussum, cum quinque iussus sit: si decem dederit, fiet hæres adeundo. at si quinque putet se iussum dare, cum decem dare iussus sit, & det quinque, non implet conditionem: sed ad aliquid proficit, ut si adimpleuerit reliquum, aliorum quinque datione uideatur conditio esse impleta. Concordat l. qui duobus.22. ibi: nisi alteri quoque. ff. de condit. & demonstrat. cuius uerba uide paulò superius replic.2. Concordat item l. quamuis.31. ff. eod. tt. his uerbis: Quamuis rationes reddere nihil aliud sit, quàm reliqua soluere: tamen si & statuliberi & hæredis culpa (sine fraude tamen serui) minus solutum sit, & bona fide redditas esse rationes existimatum fuerit, liberum fore: & nisi ita obseruetur, neminem qui sub conditione ita manumissus esset,unquam ad libertatem peruenturum, si per imprudentiam minus solutum esset. hæc ita accipienda esse ait, si quando is qui rationes reddere iussus sit, per aliquem errorem sine dolo malo ita rationes reddiderit, ut dominus quoq; circa computationẽ erraret. Plures huiusmodi replicationes uide ĩ.except. prox.repl.3 & 4.

XI.Exceptio: Nisi,cum sub pluribus conditionibus legatum esset, non omnes conditiones sint impletæ. Hæc exceptio approbatur institut. de hæredibus instituendis. §. penult. his uerbis: Si plures conditiones in institutionibus adscriptæ sunt, si quidem coniunctim, utputa, Si illud & illud factum fuerit: omnibus parendum est. si separatim, ueluti,Si illud aut illud factum erit: cuilibet conditioni obtemperare satis est. Exemplum huius proponitur l.codicillis.34. in prin. ibi: item quæsitum. ff. de usufructu legato. cuius uerba uide suprà lib. proxim. cap.2. reg.2. except.5. Concordat l. si hæredi. 5. ff. de condition. institut. his uerbis: Si hæredi plures conditiones coniunctim datæ sint, omnibus parendum est, quia unius loco habentur: sed si disiunctim sint,cuilibet. Ex his uerbis,præterquàm quod exceptio proposita ijs approbatur, constat prima eius replicatio hæc:Nisi disiunctim conditiones sint adscriptæ. tunc enim sufficit uel unam ex ijs impletam esse. Cõcordat huic replicationi l.cum pupillus.76.§.fin. ff. de condit.& demonstrat. his uerbis: Disiunctiuo modo conditionibus adscriptis, alteram defecisse non obest, altera uel postea impleta: nec interest, in potestate fuerit accipientis conditio, an in euentum collata. Concordat item l.in eo quod.110.§.ubi uerba.ff.de reg. iuris. Propositæ replicationis duplicatio uideri poterat talis: Nisi conditio altera quæ defecit, in potestate fuerit accipientis. Verùm duplicatio hæc reprobatur iam dictis uerbis hisce: Nec interest, in potestate fuerit,&c. Secunda propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi legato sub diuersis conditionibus, & in diuersis partibus testamenti relicto, non nouissima sit impleta. Hæc duplicatio approbatur l.si mihi.12. §.in legatis. ibi: sed & si sub. ff.de legat.1. cuius uerba uide suprà lib.prox.cap.10.reg.7. Concordat l.sub diuersis.49. in prin. ff. de condit. & demonstrat. cuius

uerba uide paulò inferius tripl.prox. Concordat item l.quod traditum.85. cum duab. ll.sequentibus. ff.cod.tt. cuius uerba uide §. lib. proxim. cap.8. reg.1. except.6. Concordat item l.tutor.8.§.in tutoris. ff.de test.tutela. cuius uerba uide §.lib.17.cap.2.quæst.1. except.23.repl. 1. Huius duplicationis triplicatio hæc est: Nisi libertas sub diuersis conditionibus sit relicta. tunc enim non nouissima, sed leuissima conditio spectanda. Quæ triplicatio approbatur d.l.49.in prin.ff.de condit.& demonstrat.his uerbis: Sub diuersis conditionibus disiunctim positis liber esse iussus, eam conditionem eligere potest, quæ sibi leuior esse uidebitur: legato uerò eo modo relicto, legatarium nouissimæ conditioni parêre oportet. *Concordat d.l.85.cum l.sequenti. Leuissima autem conditio dicitur, quæ ipsi seruo commodior est.d.l.86. Vel ut Pomponius:* Leuissima libertatis conditio (*inquit*) ea intelligenda est, quæ ad libertatem perducit, quamuis natura grauior & durior sit. *l.leuissima.34. ff.de condit.& demonstr. Planè propositæ triplicationis duæ potissimùm quadruplicationes sunt notandæ, quarum prima hæc est: Nisi non directa libertas sit relicta, sed fideicommissaria. Quæ quadruplicatio approbatur l.in libertat.5.ff.de manumiss.testam.his uerbis:* In libertatibus leuissima scriptura spectanda est, si plures sint. quæ manumisso facilior sit, ea leuissima intelligatur. sed in fideicommissarijs libertatibus nouissima scriptura spectatur. *Concordat l.per fideicommiss.88.ff.de condit. & demonstrat. his uerbis:* Per fideicommissum uatiè data libertate, non leuissima spectanda est, sed nouissima: quia posterior uoluntas potior haberi debet. Cui consonat & rescriptum diui Antonini. *Altera quadruplicatio est: Nisi libertas sub pluribus conditionibus coniunctim adscriptis sit relicta: tunc enim omnibus parendum. Quæ quadruplicatio approbatur l.quod uulgò.45.ff. de manumissis testamento, his uerbis:* Quod uulgò dicitur, sub pluribus conditionibus data libertate, leuissimam conditionem spectandam esse: ita uerum est, si separatim conditiones sint datæ: quòd si coniunctim datæ sint, nisi omnibus paruerit, liber non erit. *Hæc de secunda propositæ replicationis duplicatione sint dicta. Tertia duplicatio est: Nisi plures conditiones negatiuæ disiunctim sint positæ. hoc enim casu disiunctiua resoluitur in copulatiuam: & nisi omnes fuerint impletæ, non debetur legatum. Quæ duplicatio approbatur exemplo l. Lucius.83. ff. de hæred. instituendis, hisce uerbis:* Lucius Titius, qui fratrem habebat, testamento ita cauit: Titius frater meus ex asse mihi hæres esto. Si mihi Titius hæres esse noluerit, aut (quod abominor) prius morietur, quàm meam hæreditatem adierit, aut filium filiámue ex se natum natámue non habuerit: tunc Stichus & Pamphilus serui mei liberi & hæredes mihi æquis partibus sunto. Quæro, cum Titius hæreditatem adierit, & liberos aditæ hæreditatis tempore non habuerit: an Stichus & Pamphilus ex substitutione liberi & hæredes esse possint? Item quæro, si ex substitutione neque liberi, neque hæredes esse possint, an in partem hæreditatis uideantur adiecti? Scæuola respondit: Apparet quidem, non eam mentem testatoris fuisse, ut quenquam hæredem adhiberet fratri, quem apertè ex asse hæredem instituisset. Igitur si frater adijt, Stichus & Pamphilus hæredes non erunt: quòd eos amplius noluerit hæredes esse, si frater, priusquam hæreditatem adiret, decessisset liberis relictis. Nam prudens consilium testatoris animaduertitur. Non enim fratrem solum prætulit substitutis, sed etiam eius liberos. *Concordat l.generaliter.6. in prin. C. de institutionibus sub conditione factis, hisce uerbis:* Generaliter sancimus, si quis ita uerba sua composuerit, ut dicat, Si filius uel filia intestatus uel intestata, uel etiam sine liberis, uel sine nuptijs decesserit, & ipse uel ipsa liberos sustulerit, siue testamentũ fecerit: firmiter res possideri: & non esse locum substitutioni eorum, uel restitutioni. Si enim nihil ex his fuerit subsecutum, tunc ualere conditionem, & res secundum uerba testamenti restitui, ut incertus successionis morientis exitus uideatur certo substitutionis uel restitutionis fine concludi. cui enim ferendus est intellectus, si forsitan testamentum quidem non fecerit, posteritatem autem habuerit, propter huiusmodi uerborum angustias eius liberos omni penè fructu paterno defraudari? uiam itaque impiam obstruentes, ut ne quis & alius deuiauerit, huiusmodi facimus sanctionem, & hanc legem in perpetuum ualituram inducimus, tam patribus quàm liberis gratam: quo exemplo etiam alijs personis, licet extraneæ sint, de quibus huiusmodi aliquid scriptum fuerit, medemur. *Aliud exemplum proponitur l.si is.14. §. fin. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Si paterfamiliâs in testamento ita scripserit, Si quis mihi filius aut filia gignetur, hæres mihi esto: si mihi filius aut filia hæres non erit, Seius hæres esto: non satis uoluntatem suam declarauit, si non aliter extraneum hæredem esse uolet, quàm si neque filius, neque filia hæres sit. hoc enim modo concipi oportet, Si mihi nec filius, nec filia hæres erit. Potest autem interdum superior scriptura esse necessaria, si quis, cum filium aut filiam habeat, utrunque hæredem instituere uelit: sed siue alter futurus sit hæres, extraneum miscere: siue neuter, extraneum substituere.

substituere. sed procliuius est, sententiam testatoris sic esse interpretandam, ut siue filius, siue filia nati ei fuerint, extraneus non admittatur, nisi specialiter hæc testator expresit. *Hæc de prima propositæ exceptionis replicatione sint dicta. Secunda replicatio est: Nisi una conditio sit impossibilis. quamuis enim hæc non sit impleta, tamen sufficit alias impletas esse, quamuis omnes coniunctim sint adscriptæ. Quæ replicatio approbatur exemplo l.si Mæuia.43. ff.de hæredib. instituendis, his uerbis:* Si Mæuia mater mea, & Fuluia filia mea uiuent, tunc mihi Lucius Titius hæres esto. Seruius respondit, si testator filiam nunquam habuerit, mater autem superuixerit, Titium hæredem fore: quia id quod impossibile in testamento scriptum esset, nullam uim haberet. *Concordat l.multa.6.§.sed Seruius. ff.de condit.& demonstr. cuius uerba uide §. cap.prox.except.20. Tertia replicatio est: Nisi, cum ita legatum esset, Si Titius & Mæuius sine liberis decesserit: nouissimus sine liberis decesserit. tunc enim, quamuis primus decesserit liberis relictis, nihilominus debetur legatum. Quæ replicatio approbatur, certo tamen modo, l.hæredes.57.§.cum ita.ff.ad S.C.Trebell. his uerbis:* Cum ita fuerat scriptum, Fidei filiorum meorum committo, ut si quis eorum sine liberis prior diem suum obierit, partẽ suam superstiti fratri restituat: quòd si uterque sine liberis diem suum obierit, omnem hæreditatem ad neptem meam Claudiam peruenire uolo. defuncto altero superstite filio, nouissimo autem sine liberis, neptis prima quidem facie propter conditionis uerba admitti non uidebatur: sed cum in fideicommissis uoluntatem spectari conueniat, absurdum esse, Papinianus respondit, cessante prima substitutione, patris nepti petitionem denegari, quam totum habere noluit auus, si nouissimus fratris quoq; portionem suscepisset. *Quarta replicatio est: Nisi ita legatum sit, illum & illam rem, si mecæ erunt, cum moriar, Titio do lego: & in altera re conditio defecerit. tunc enim nihilominus altera, quæ testatoris est mortis tempore, debetur. Quæ replicatio approbatur l.falsa.32.§.fin. ff.de condit.& demonstrat. his uerbis:* Si quis ita scripserit, Stichum & Pamphilum Titio do lego, si mei erunt cum moriar: & unum ex his alienauerit: an uel alter possit à legatario uindicari? Et placet uindicari. Nam hunc sermonem, licet pluralis sit, pro eo oportet accipi, atque si separatim dixisset: Stichum, si meus erit cum moriar: Pamphilum, si meus erit cum moriar. *Concordat l.2.§.fin.ff.de condit. instit. cuius uerba cum concordantibus alijs uide §. except.5.replic.1. Quinta replicatio est: Nisi idem pluribus institutionibus sub diuersis conditionibus hæres sit institutus: tunc enim sufficit unam esse impletam. Quæ replicatio approbatur l.si te.27.§.fin.ff.de hæredib.instituendis.cuius uerba uide §.cap.prox.except.31. Concordat l.si plures.17. ff.de condit.institit. his uerbis* Si plures institutiones ex eadem parte sub diuersis conditionib. fuerint, conditio quæ prior extiterit, occupabit institutionem. *Hactenus de exceptione undecima.*

XII. *Exceptio: Nisi plus quàm dare iussus est, dederit. Hæc exceptio reprobatur l.qui putat.73.in prin. ff.de acquirend. hæred. cuius uerba uide §. except.10. replic.6.*

XIII. *Exceptio: Nisi legatarius usuras eius quantitatis, quam inferre iussus est, non dederit. Et hæc exceptio reprobatur l.facta.63.§.rescripto.ff.ad senatusc. Trebell. his uerbis:* Rescripto diui Antonini significatur, si quis accepta à Titio pecunia, quæ quartam hæreditatis contineat, rogatus sit ei restituere hæreditatem: licet tardius detur pecunia, sine usuris eam dari debere: quia quanto tardius quisq; pecuniam det, tanto tardius ad fideicommissum perueniat, & medij temporis fructus perdat. quamobrem si ante datam pecuniã tenuerit hæreditatem, fructus quos perceperit, restituere hæredi eum oportere. Idem iuris est, etsi quis ita hæredis fidei commiserit: Rogo, si Titius tibi cẽtum dederit, restituas ei hæreditatem meam.

XIIII. *Exceptio: Nisi alio mõdo, uel ex alia causa, quàm in conditione comprehensum est, uel testator uoluit, factum sit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, eiusq; exemplum proponitur l.alumnæ.30.§.fin. ff. de adim.leg. his uerbis:* Cum post apertas tabulas testamenti Priscianus uixerit, de cuius legata portione hæreditatis mater epistola ita cauerat: Quoniam cognoui, Priscianum filium meum in extremis esse, iustissimum & pijssimum duxi, portionem eius hæreditatis, quam ei testamento dederam, legare Mariano fratri meo, & Ianuario marito meo æquis portionibus: & si quid amplius ei legaueram, & id (si quid humanitùs ei contigerit) do, lego, dariq; eis uolo. postea ex eadem infirmitate Priscianus decessit. quæsitum est, an legatum quoq; eius ad Ianuarium & Marianum ex causa fideicommissi pertineat? Scęuola respondit, posse uideri, si decessisset ex ea infirmitate, omnimodò & legatum ad eos, de quibus quæreretur, transtuliſſe. *Ait iurisconsultus:* Si decessisset ex ea infirmitate. *Ergo si non ex ea infirmitate, quæ fuit eo tempore, cùm epistola conscripta est, sed ex alia decessit, conditio non uidetur extitisse. Aliud propositæ exceptionis exemplum proponitur l.si quis. 4.§.fin.ff.de manu.testam.his uerbis:* Illud cõstat, si libertate data sic fuerit legatũ, Eiq;, si eum uindicta liberauero, hæres meus decẽ dato: licet ex nimia subtilitate separatũ est legatũ à testamento: attamen humanitatis intuitu ualebit legatũ, si uiuus eum manumiserit.

Hisce uerbis posterioribus, Si uiuus eum manumiserit: *Iurisconsultus innuere uidetur, si seruus à testatore uiuo non sit manumissus, sed in testamento, legatum non deberi. Aliud exemplum proponitur l. Titio.94. in prin. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis:* Titio usus fructus serui legatus est, & si ad eum pertinere desisset, libertas seruo data est. Titius uiuo testatore decesit. libertas non ualet: quia conditio nec initium accepit. Ergo, etsi uiuet Titius, & capere non potest, idem dicendum est. desisse enim non uidetur, quod necincipit. *Sed & aliud exemplum est: Si, cum quis hæres institutus esset ita, Si Titius quoq; hæres erit: Titius omissa causa testamenti ab imperato fiat hæres. hoc enim casu alter non admittitur. Quod exemplum proponitur l. si in testamento. 22. in princ. ff. si quis omissa causa test. &c. cuius uerba uide* ẽ. *lib. prox. cap. 24. except. 22. Aliud deniq; exemplum proponitur l. quod quis. 50. ff. de condict. indebiti. cuius uerba uide* ẽ. *lib. 49. capite 7. causa 6. specie 1.* Planè *propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi libertate seruo in testamento relicta, ei legatum fit sub hac conditione, Si liber erit: & testator uiuus eum manumiserit. hoc enim casu nihilominus illi legatum debetur, quamuis non ex testamento liber fiat. Quæ replicatio approbatur l. si quis. 4. in prin. ff. de manumiss. test. his uerbis:* Si quis ita scripserit, Stichus liber esto, eiq; hæres meus decem dato: nulla dubitatio est, quin debeatur, etiam si eum paterfamiliâs uiuus manumiserit. sed etsi sic, Stichus liber esto (siue statim, siue post tempus) eiq; cum liber erit, hæres meus decem dato: idem dicendum est. *Secunda replicatio est: Nisi cum aliquis hæres institutus esset hoc modo, si Titius quoq; hæres esset: Titius coactus hæreditatem adierit. tunc enim nihilominus alter sit hæres. Quæ replicatio approbatur l. si ita. 19. ff. de condit. institut. de qua uide* ẽ. *cap. 1. except. 41. replic. 2. Tertia replicatio est: Nisi cum alicui legatum esset, si morte patris sui iuris efficeretur, per emancipationem sui iuris sit effectus. quæ replicatio approbatur l. fideicommissa. 11. §. si cui ita. ff. de legat. 3. his uerbis:* Si cui ita fuit fideicommissum relictum, Si morte patris sui iuris effectus fuerit: & emancipatione sui iuris factus sit, non uidebitur defecisse conditio. *Concordat l. si ita. 15. ff. quando dies leg. ced. his uerbis:* Si ita esset liberis fideicommissum relictum, si morte patris sui iuris essent effecti: nec mortalitate patris, sed emancipatione patresfamiliarũ constituti sint: deberi eis fideicommissum, nemo dubitauerit, diemq; eius emancipatione cessisse, qui morte patris cederet. *Concordat l. mulier. 22. in princ. ff. ad S.C. Trebellianum. cuius uerba uide* ẽ. *lib. prox. cap. 7. reg. 25. except. 17. replicat. 5. Quarta replicatio est: Nisi cum alicui legatum esset sub conditione emancipationis, is morte patris, uel alio modo sui iuris sit effectus. Hæc replicatio approbatur l. si mater. 2. C. de institutionibus uel substitutionibus, his uerbis:* Si mater uos sub conditione emancipationis hæredes instituit, & priusquam uoluntati defunctæ pareretur, sententiam pater meruit, uel aliter defunctus est: morte eius uel alio modo patria potestate liberati, ius adeundæ hæreditatis cum sua causa quæsistis. *Concordat l. ult. C. de donationib. quæ sub modo, &c. his uerbis:* Si quid mater filiæ suæ, in potestate patris constitutæ, sub hac conditione, Si fueritintra biennium emancipata, donauerit: licet hoc matris uoluntate sui iuris effecta non tenuit: tamen prius marito defuncto, sui iuris quocunq; modo effecta, ad similitudinem legati ita relicti, rem donatam firmiter habere uel uindicare potest. *Quinta replicatio est: Nisi cum mulieri legatum esset, si arbitrio Titij nupsisset, ea sine Titij arbitrio nupserit. quæ replicatio approbatur l. cum tale. 70. §. si arbitratu. ff. de condit. & demonstr. cuius uerba uide* ẽ. *cap. 7. condit. 1. reg. 1. except. 3.*

XV. Exceptio: *Nisi casu, non data opera datum uel factum sit. Hæc exceptio approbatur l. 2. §. fin. ff. de condit. & demonstrat. cuius uerba* ẽ. *proponentur except. 17. in prin.*

XVI. Exceptio: *Nisi inutiliter & illegitimè sit factum. Hæc exceptio approbatur exemplo l. hæc cond. 10. in prin. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Hæc conditio, Filiæ meæ, cum nupserit: talis est, ut qui testatus est, impleri solummodò conditionem uoluerit, non etiam satis exegerit quando: & ideo si uiuo testatore nupserit post testamentum factum, impleta conditio uidetur, præsertim cum conditio hęc talis sit, ut semel impleri debeat. Sedenim nõ omnes coniunctiones implent conditionem. puta enim, nondum nubilis ætatis in domum mariti deductam. non paruit conditioni. Sed & si ei coniuncta sit, cuius nuptijs ei interdictum sit, idem dicemus. An tamen nubendo postea parêre conditioni posit, quasi non nupserit, dubitari potest. Et si testator de primo nuptiali iugo sensit, puto defectam conditionem: benignè tamen dicendum est, nondum conditionem impletam defectam. *Concordat l. quod pup. 30. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis:* Quod pupillæ legatum est, Quandocunque nupserit: si ea minor quàm uiripotens nupserit, non antè ei legatum debebitur, quàm uiripotens esse cœperit: quia non potest uideri nupta, quæ uirum pati non potest. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi id quod inuiliter gestum est, ex post facto conualescat. Quæ replicatio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Non antè ei legatum debebitur, quàm uiripotens esse cœperit: quia hoc casu nuptiæ inutiliter contractæ conualescunt. *Simile exemplum proponitur l. mulier. 20. §. si quis. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Si quis hæreditarium seruum iussus est manumittere,

manumittere, & hæres esse: quamuis si manumiserit, nihil agat, tamen hæres erit. uerum est enim, eum manumisisse. sed post additionem libertas seruo data secundum uoluntatem testatoris conualescit. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi postea rursus factum sit id, quod antea est inutiliter factum. Hæc replicatio approbatur l. hæc conditio. 10. in princ. ibi: an tamen. ff. de condit. & demonstr. cuius uerba uide paulò* ẽ. *Sed & de ea re* ẽ. *dicetur except. 20. Tertia replicatio proponitur l. cum filius. 78. §. non iure. ff. de leg. 2. his uerbis:* Non iure tutori dato mater legauit, si consentiat, ut decreto Prætoris confirmetur. si Prætor non idoneum existimet, actio legati non denegabitur.

XVII. Exceptio: *Nisi uiuo testatore sit impleta conditio. Hæc exceptio approbatur l. si iam. 11. §. fin. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Sciendum est, promiscuas conditiones post mortem impleri oportere, si in hoc fiant, ut testamento pareatur: ueluti, Si in Capitolium ascenderit, & similia. non promiscuas etiam uiuo testatore existere posse: ueluti, Si Titius consul factus fuerit. *Promiscuas conditiones uocat Iurisconsultus eas, quæ in potestate legatarij, cui impositæ sunt, consistentes, facilè impleri, ac sæpius iterari possunt: non promiscuas autem, quæ non facilè impleri, nec sæpius fieri possunt, quamuis in potestate sint ipsius legatarij. Concordat l. 2. ff. cod. tt. his uerbis:* Conditionum quædam sunt, quæ quandoq; impleri possunt, etiam uiuo testatore: utputa, Si nauis ex Asia uenerit. nam quandocunq; uenerit nauis, conditioni paritum uidetur. quædam sunt, quæ non nisi post mortem testatoris: uelut, Si decem dederit, si Capitolium ascẽderit. nam ut paruisse quis conditioni uideatur, etiam scire debet hãc conditionem insertam. nam si fato fecerit, non uidetur obtemperasse uoluntati. *Hisce exceptio proposita approbatur, simul & prima eius replicatio constat, hæc scilicet: Nisi conditio non facilè impleri, nec sæpius iterari possit ab eo cui est imposita. Cui replicationi etiam concordat l. condit. 89. ff. eod. tt. his uerbis:* Conditionum, quæ in futurum conferuntur, triplex natura est: ut quædam ad id tempus, quo testator uiuat: quædam ad id, quod post mortem eius futurum sit: quædam ad alterutrum pertineant: tempus autem uel certum, uel infinitum comprehendatur. quæ omnia non minus in fideicommissis, quàm institutionibus ac legatis incidere solent: ut hæc conditio, Tiæ, si mihi nupserit: non dubiè nisi uiuente testatore: illa autem, Si ad exequias funeris mei uenerit: nisi post mortem impleri non possit: illa uerò, Si filio meo nupserit: uel uiuente, uel mortuo testatore impleri possit. Et prima quidem ac tertia ex relatis conditionibus infinitum tempus habent: quandocunq; enim nupserit, impletur conditio: secunda ad certum tempus adscripta est. *Concordat replicationi propositæ l. Publius. 15. in prin. ff. cod. tt. his uerbis:* Publius Mæuius testamento suo ita cauit, Quisquis mihi hæres hæredésue erunt, do lego, fideiq́ue eorum committo, ut dent Caio Seio fororis meæ filio in honorem consulatus quadringenta. Viuo Mæuio Seius consul designatus est, & munus edidit: deinde ex calendis Ianuarijs consulatum ingressus est, atq; ita Mæuius decesit. quæro, an quadringenta Seio debeantur? Marcellus respondit, deberi. *Concordat item l. hæc conditio. 10. in princ. ff. cod. tt. cuius uerba uide* ẽ. *except. prox. in princ. Item concordat l. si quis. 7. C. de instit. uel substit. his uerbis:* Si quis hæredem scripserit sub tali conditione, Si ille consul factus fuerit, uel prætor: uel ita filiam suam instituerit hæredem, Si nupta erit: uiuo autem testatore uel ille consul processerit, uel prætor fuerit factus, uel filia eius nupta fuerit: uel adhuc uiuo testatore consulatum quidem uel præturam illi defuerint, filia autem eius diuerterit omni ueterum dubitatione explosa, sancimus, quandocunque impleta fuerit conditio, siue uiuo eo, siue mortis tempore, siue post mortem, cõditionem uideri esse completam. Quod & in legatis & fideicommissis & in libertatibus obtinendum censemus, ne dum nimia utimur circa huiusmodi sensus subtilitate, iudicia testantium defraudentur. *Concordat item l. si uir. 59. ff. de condit. & demonstrat. cuius uerba proponuntur* ẽ. *cap. 7. condit. 3. reg. 1. except. 3. Concordat item l. si ita. 66. ff. cod. tt. de quo* ẽ. *except. prox.*

XVIII. Exceptio: *Nisi ante testamentum factum impleta sit cõditio. Hæc exceptio approbatur l. si iam. 11. in princ. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis:* Si iam facta sunt, quæ conditionis loco ponuntur, & sciat testator: quæ iterum fieri possunt, expectẽtur ut fiant: si uerò nesciat, præsenti die debeantur. *Concordat l. si ita. 66. ff. cod. tt. his uerbis:* Si ita legatum esset, Cum nupserit: si nupta fuerit, & hoc testator scierit, alterum matrimonium erit expectandum: nihilq; intererit, utrum uiuo testatore, an post mortem ea iterum nupserit. *Concordat item l. si ita. 46. §. fin. ff. de leg. 2. cuius uerba uide paulò* ẽ. *repl. 2. Item concordat l. solemnis. 9. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Solemnis dicere, eum qui in tempus liberorum uxori legat, de his non sensisse, quos iam tunc uxor habuit, cũ testaretur maritus. *Ait Iurisconsultus:* Quæ iterum fieri possunt, expectentur ut fiant. Ex *his uerbis elici potest prima aduersus exceptionem replicatio hæc: Nisi id quod in conditione comprehẽsum est, iterũ fieri non possit. tunc enim cõditio habetur pro impleta. Secũda replicatio est: Nisi testator ignorauit,*

cum

cum testamentum fecit, id quod in conditione comprehensum est, factum esse: tunc enim conditio habetur pro impleta, & legatum pro puro. Cui concordat l. hæc conditio.10. §.fin. ff.eod.tt. his uerbis: Si sic legatum sit, Si nauis ex Asia uenerit: & ignorante testatore nauis uenerit testamenti facti tempore, dicendum, pro impleta haberi. Et si cui legatum est, Cum pubes erit: simili modo hoc erit dicendum. *Concordat item l.si ita.4.6.§.fin.ff.de leg.2.his uerbis:* Si pater filiæ suæ testamento aureos tot hæredem dare iusserit, ubi ea nupsisset: si filia nupta sit, cum testamentum fit, sed absente patre & ignorante, nihilominus legatum debetur. si enim hoc pater non ignorabat, uidetur de alijs nuptijs sensisse.

XIX. *Exceptio: Nisi non debito tempore datum uel factum sit. Hanc exceptionem ipso quidem iure subsistere, nemo dubitat: eiusq; exemplum proponitur Nouell.c.1.§.illud quoq; prospeximus. cuius uerba uide de ẽ.lib.32.cap.9.causa 15.in prin. Quod autem sit debitum tempus conditionis implendæ, quæritur. Definitur autem illud l.conditionum.89. ff.de condit. & demonstr. cuius uerba uide ẽ.except.17. Sed & definitur debitum tempus l.si intra.45.in prin.ff.eod.tt. his uerbis:* Si intra diem (exempli gratia) centesimum ita imperatum sit statulibero, ut pecuniam solueret, neq; initium temporis eius quod futurum esset, adscriptum sit: adita hæreditate cedere dies incipit: quia absurdũ uisum est, antè diem præterire, quàm is existeret, quem oporteret accipere. & hoc in omnibus qui hæredi dare iussi sunt, dicendum est. Igitur & legatario ex adita hæreditate ad parendum conditioni tempus computabitur. *Sed & in conditionibus quæ sunt in legatarij potestate, debitum tempus censetur, cum primùm post mortẽ testatoris facere potsit. Quod approbatur exemplo l.hæc condit.28. ff.de condit. & demonstrat. his uerbis:* Hæc conditio, Si in Capitolium ascenderit: sic recipienda est, cum primùm potuerit Capitolium ascendere. *Concordat l.qui pot.114.in prin. ff.de reg.iuris, his uerbis:* Qui potest facere, &c. *Planè propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi per alium steterit, quo minus suo tempore legatarius dederit uel fecerit, de qua re dicetur ĩ.cap.prox.except.20. Secunda replicatio est: Nisi non multò post tempus elapsum det uel faciat. Quæ replicatio cum alijs similibus proponitur ĩ.lib.38.cap.6.except.8.*

XX. *Exceptio: Nisi antea conditio defecerit, uel inutiliter datum uel factum sit: tunc enim postea dando uel faciendo non impletur conditio. Quæ exceptio reprobatur in casu l.hæc cõditio.10. in prin. ibi: an tamẽ. ff.de cond. & demonstr. cuius uerba uide ẽ.except.16.*

XXI. *Exceptio: Nisi alius ex eadem parte sub alia conditione fuit institutus, & ista conditio prior extiterit. tunc enim, quamuis conditio ex qua alius pro eadem parte fuit institutus, postea extiterit, nihil agitur. Quæ exceptio approbatur l.si te.27.ff.de hæred.instit. de quo ĩ.cap.prox.except.31.*

XXII. *Exceptio: Nisi res alij antea fuit restituta. Hæc exceptio reprobatur l.uxorem.39. §.Seium. ff.de legat.3.his uerbis:* Seium maritum scripsit hæredem, eiq; substituit Appiam alumnam, fideique hæredis commisit, ut post mortem suam hæreditatem eidem alumnæ restitueret: aut si quid antè cõtigisset alumnæ, tunc Valeriano fratris filio restitueret eandẽ hæreditatẽ. quæsitum est, si Seius uiuus, quidquid ad eum ex hæreditate peruenisset, alumnæ restituisset, an secundum uoluntatem defunctæ id fecisse uideretur, præsertim cum hæc eidem æquè substituta esset? Scæuola respondit, si uiuo Seio Appia decessisset, non esse liberatum à fideicommisso Valeriano relicto. *Planè admittitur exceptio proposita in casu, qui proponitur l.mulier.22. in prin. ff.ad S.C.Trebellianum. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap.7.reg.25.except.17.replic.5.*

XXIII. *Exceptio: Nisi, cum sub hac conditione, si Titio id quod testator debet, soluisset: legatum esset, testator ipse postea soluerit. tunc enim legatarius soluendo nihil agit. Quæ exceptio approbatur l.cum tale. 70.§.falsam condit.in fine.ff.de condit.& demonstrat. cuius uerba uide ĩ.cap.prox.except.2.*

XXIIII. *Exceptio: Nisi cum sub conditione, Si consul factus erit, uel nupserit: legatum esset, uiuo testatore consul factus consulatum resignauerit, uel uiuo testatore nupta diuerterit: hoc enim casu nondum impleta uidetur conditio. Sed reprobatur exceptio hæc l.si quis.7.C.de instit.uel substit. cuius uerba uide paulò superius except.17.*

XXV. *Exceptio: Nisi propter aliam exceptionem legatum peti non possit. Hæc exceptio approbatur l.ei qui.13.ff.de condit.instit. his uerbis:* Ei qui ita hæreditatem uel legatum accepit, Si decem dederit: neq; hæreditas, neq; legatum aliter poterit adquiri, quàm si post impletam conditionem id egerit scriptus hæres uel legatarius, per quod hæreditas aut legatũ adquiri solet. *Præter hactenus ergo propositas exceptiones, & aliæ exceptiones, quæ actioni legatorum opponi possunt, conditioni quoq; impletæ obstant. Sed & alias huiusmodi exceptiones uide ĩ. cap.7. in singulis conditionum speciebus.*

DE CONDITIONE PENDENte ac deficiente. Cap. VI.

HVius capitis regula est, Quòd deficiẽte uel pendente legati conditione, actio legatorum ex testamento denegatur. *Quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ. lib.prox. cap.8.reg.1.except.2. in prin. Concordat l.unica.§.& cum triplici.ibi: uel ipsum relictum. C.de caduc.toll. hisce uerbis:* Ipsum relictum expirabat, fortè quadam cõditione, sub qua relictum erat, deficiente: quod ueteres appellabant, in causa caduci. *Concordat l.2.in*

l.2.in prin.C.de instit.uel substit. his uerbis: Conditioni, sub qua testamento matris tuæ hæres instituta es, si non paruisti, locum habet substitutio. *Concordat item l.falsa.32.§.si quis.ff.de condit.& demonstr.his uerbis:* Si quis legauerit rem ita, Si mortis tempore eius erit: nec ũc eius inueniatur, nec æstimatio eius legata uidebitur. *Concordat demum l.si ea.3.C.de conditionibus insertis, hisce uerbis:* Si ea conditione Aulazanus legata testamẽto præstari uoluit, si cum focaria sua matreq; eius moraretur, & per eum stetit, quo minus uoluntati testatoris parẽret: cum sponte scripturæ testamenti non obtemperauerit, ad petitionem nõ admittitur. *Sed & aliud propositæ regulæ exemplum proponitur l.si quis.80. ff.de hæred. instit. his uerbis:* Si quis ita hæres instituatur, Si legitimus hæres uindicare nolit hæreditatem meam: Scæuola putat, deficere conditionem testamenti illo uindicante. *Sequuntur nunc propositæ regulæ exceptiones.*

I. *Exceptio: Nisi impossibilis sit conditio. Hæc exceptio approbatur l.obtinuit.3. ff.de condition. & demonstrationib. his uerbis:* Obtinuit, impossibiles conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas. *Concordat l.multa.6. §. fin. ff. eod.tt. cuius uerba uide ĩ.except.20. Concordat item l.1. ff.de condit.instit.his uerbis:* Sub impossibili conditione uel alio modo factam institutionem placet non uitiari. *Concordat item l. mulier.20.in princip. ibi: quia ἀδιάφορος conditio pro non scripta accipienda est. ff.de condit.instit. Concordat item l.cum in fundo.16. §.fin. ff.de iniusto test. his uerbis:* In futurum collatæ conditiones si impossibiles sunt, ueluti, Si Titius digito cœlum tetigerit, hæres esto: placet perinde esse, quasi conditio, quę est impossibilis, adscripta non sit. *Concordat item l.ab omnibus.101.§. in testamento, in fin.ff.de legat.1.cuius uerba uide ĩ.except.22. Concordat item instit.de hæredib.instituendis. §.impossibilis, hisce uerbis:* Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, necnõ in fideicommissis & libertatibus, pro non scripta habetur. *Concordat item l.seruum.48.§.si in non.ff. de hæred.instit.his uerbis:* Si in non faciendo impossibilis conditio in institutione hæredis sit expressa: secũdum omnium sententiam perinde hęres erit, ac si purè institutus esset. *Propositæ exceptionis exemplum proponitur l.si quis. 6.ff.de condit.instit.his uerbis:* Si quis ita institutus sit, si monumentum post mortem testatoris in triduo proximo mortis eius fecisset: cum monumẽtum in triduo perfici non possit, dicendum erit, conditionem euanescere, quasi impossibilem. *Sed & impossibilis conditionis species censetur, si quis hæres sub conditione non faciendi ex asse sit institutus. Quæ species proponitur l.si qui.4.§.fin. ff.eod.tt. his uerbis:* Iulianus scribit, eum qui ita hæres institutus est, Si seruum hæreditarium non alienauerit: cauentem cohæredi implere conditionem: cæterùm si solus hæres scriptus sit, sub impossibili conditione hæredem institutum uideri. quæ sententia uera est. *Concordat l.mulier.20.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Mulier, quæ uiro suo ex dote promissam pecuniam debebat, uirum hæredem ita instituerat, si eam pecuniam, quam doti promisisset, neque petijsset, neq; exegisset. Labeo putat, si uir denunciasset cæteris hæredibus, per se non stare, quo minus acceptum faceret id quod ex dote sibi deberetur: statim eum hæredem futurum. quòd si solus hæres institutus esset sub tali conditione, nihilominus puto, statim eum hæredem futurum: quia ἀδιάφορος conditio pro non scripta accipienda est. *Postremò impossibilis conditionis species est: Si res, in qua & circa quam conditio implenda erat, ante testamentum factum perierit. de qua re ĩ. eod.cap.except.22.dicetur. Planè conditio hæc, Si municipes iurassent: impossibilis non est. Nam ita Paulus:* Municipibus *(inquit)* si iurassent, legatum est. hæc conditio non est impossibilis. quemadmodum ergo pareri potest per eos itaq; iurabunt, per quos municipij res geruntur. *l.municipib.95.ff.de condit.& demonstrat.*

II. *Exceptio: Nisi conditio falsa sit. Hæc exceptio approbatur l.cum tale.70.§.falsam condit.ff.eod.tt. his uerbis:* Falsam conditionem Caisius & Cælius Sabinus impossibilem esse dixerunt: ueluti, Pamphilus, si quod Titio debeo, soluerit, liber esto. si modò nihil Titio fuit debitum. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi post testamentum factum testator ipse debitum soluerit, & ob id conditio ex post facto falsa sit effecta. Quæ replicatio approbatur d.§.falsam condit. his uerbis:* Quòd si post testamentum factum testator pecuniam exoluit, defecisse conditionem intelligitur.

III. *Exceptio: Nisi conditio turpis sit, aut contra leges. Hæc exceptio approbatur l.condit.14.ff.de condit. instit. his uerbis:* Conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis uicem obtinent, scriptæ; item quę contra bonos mores uel deridiculiæ sunt, aut huiusmodi, quas Prætor improbauerit, pro non scriptis habentur: & perinde, ac si conditio hæreditati siue legato adiecta non esset, hæreditas legatúmue capitur. *Concordat l.condit.9.ff.eod.tt.his uerbis:* Conditiones, quæ contra bonos mores inferuntur, remittendæ sunt: ueluti, Si ab hostibus patrem suum non redemerit: &, Si parentibus suis patronisue alimenta non præstiterit. *Concordat item instit. de legatis. §.fin. l.unica.§.fin. C.de his quæ pœnæ nomine. de quib. uide ẽ. lib.32. cap.6. except.88. Concordat item l.in conditionib.19.§.fin.ff.de cond.& demonstr. cuius uerba uide ĩ.exc.prox. Estq; propositæ exceptionis

pisse proponas, Si à marito non diuertisset: iurisdictionis originem perinde seruari æquum est, ac si nihil super ea re scriptum fuisset. Nec exemplum legati uel hæreditatis, in quibus conditio diuortij nonnunquã remitti solet, huic rei cõparandum est: cum absurdum sit, ideo perpetui edicti formam negligi, quia patris sui uoluntati non obtemperatur.

XL. Exceptio: *Nisi sub hac conditione, Si reliquias testatoris in mare abiecerit: hæres sit institutus. Hæc exceptio approbatur l.quidam.17.in princ. ff.de condit.instit.his uerbis*: Quidam in suo testamento hæredem scripsit sub tali conditione, Si reliquias eius in mare abijciat. quærebatur, cum hæres institutus conditioni non paruisset, an expellendus esset ab hæreditate? Modestinus respondit: Laudandus est magis, quàm accusandus hæres, qui reliquias testatoris non in mare, secundum ipsius uoluntatem abiecit, sed memor humanæ conditionis sepulturæ tradidit. Sed hoc prius inspiciendum est, ne homo, qui conditionem talem imposuit, neque compos mentis fuerit. Igitur si perspicuis rationibus hęc suspicio amoueri potest, nullo modo legitimus hæres de hæreditate controuersiam faciet scripto.

XLI. Exceptio: *Nisi ita sit relictum, A te Sei peto, ut cum ad annum uicesimum quintum peruenerit, militiam Sticho compares. hoc enim casu, quamuis Seius ad uicesimum quintum annum non peruenerit, sed antè mortuus sit, nihilominus tamen legatum debetur. Quæ exceptio approbatur l.libertis.18. §.ab hæredibus.ff.de alimentis legatis. cuius uerba uide §.lib.prox. cap.8.reg.3.except.2.*

XLII. Exceptio: *Nisi ita quis rogatus sit, Si hæres erit, uel hæreditatem adierit. Hæc enim uerba conditionem non faciunt. Quæ exceptio approbatur l.si Titiæ.22.§.quædam.ff.quando dies legat.cedat. cuius uerba §.lib.prox.cap.8.reg.1.except.2.replic.4. ubi etiam propositæ exceptionis replicationem uide.*

XLIII. Exceptio: *Nisi ei conditionis implendæ causa dandum sit, cum quo non est testamenti factio. Hæc exceptio reprobatur l.Mæuius.53. ff.de condit. & demonstr. his uerbis*: Mæuius, cui fundus legatus est, si Callimacho, cum quo testamenti factionem non habebat, ducenta dedisset: conditioni parêre debet, & ducenta dare, ut ad eum legatus fundus pertineat, licet numos non faciat accipientis. quid enim interest, utrum tali personæ dare iubeatur, an aliquo loco ponere, uel in mare deijcere? neq; enim illud quod ad talem personam peruenturum est, testamenti nomine, sed mortis causa capitur.

XLV. Exceptio: *Nisi ita libertas seruo sit relicta, Si certas operas extraneo præstiterit. Et hæc exceptio reprobatur l.quæsitum est.55. ff.d.tt.his uerbis*: Quæsitum est, an si iussus fuerit seruus quinque operas extraneo dare, ut liber sit, conditio talis sit recipienda, ut quemadmodum circa pecuniæ dationẽ dicitur, ita & circa præstationem operarum dicamus? Sed hoc iure utimur, ut quemadmodum dictum est, si pecuniam ex peculio det extraneo, admitti eum ad libertatem: ita & si operam præstiterit, necesse sit eum admitti ad libertatem. Itaque in proposito sapienter faciet hæres, si impedierit eum, quo minus præstet & operas. hac enim ratione seruus peruenietquidem ad libertatẽ, sed operis eius extraneus non utetur.

XVI. Exceptio: *Nisi is cui dare iussus est legatarius, suspectam dixerit hæreditatem, eamq; coactus adierit. De hac re uide §.cap.3.quæst.3.reg.4.*

XVII. Exceptio: *Nisi incertæ personæ dare iussus sit. Hæc exceptio reprobatur l.Paulus.4. ff.de rebus dubijs, hisce uerbis*: Paulus respondit, id quod conditionis implẽdæ causa dandum est, sine dubio certis & incertis personis dari debere, ut fideicommissi petitio possit competere.

XVIII. Exceptio: *Nisi conditio pœnæ nomine sit adiecta. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ dicta sunt §.lib.32.cap.6.except.68.*

XIX. Exceptio: *Nisi non conditionaliter, sed sub modo sit legatum. Hæc exceptio approbatur l.eas causas.78.ff.de condit. & demonstr. his uerbis*: Eas causas, quæ protinus agentem repellunt, in fideicommissis non pro cõditionalibus obseruari oportet: eas uerò, quæ habent moram cũ sumptu, admittemus cautione oblata. nec enim parem dicemus eum, cui ita datum sit, Si monumentum fecerit: & eum, cui datum est, ut monumentum non faciat. *Plura de hac exceptione uide §. cap.proxim. quæst.2.specie 2.*

XX. Exceptio: *Nisi solutionis tantùm causa in gratiam debitoris tempus uel conditio sit adiecta. Quæ exceptio approbatur per ea quæ §. lib.32.cap.9. causa 10.except.1.sunt proposita.*

XXI. Exceptio: *Nisi non stet per legatarium, quo minus conditionem impleat. Hæc exceptio approbatur l.in omnib.39.ff.de reg.iuris, his uerbis*: In omnibus, &c. *Concordat l.1. C.de his quæ sub modo, his uerbis*: In legatis quidem & fideicommissis etiam modus adscriptus pro cõditione obseruatur: sed si per te non stat, quo minus uoluntati testatoris pareas, sed per eum cui nubere iussa es: quo minus id quod tibi relictum est, obtineas, non oberit. *Concordat l. uter.23.§.fin.ff.de condit.instit.his uerbis*: Plerunq; hęc conditio, Si uxorem duxerit, si dederit, si fecerit: ira accipi oportet, quòd per eum non stet, quo minus ducat, det aut faciat. *Propositæ exceptionis exemplum proponitur l. Titius.14.ff.de condit. & demonstr.his uerbis*: Titius, si statuas

si statuas in municipio posuerit, hæres esto. si paratus est ponere, licet locus à municipibus ei non datur: Sabinus, Proculus, hæredem eum fore, & in legato idem iuris esse dicunt. *Aliud exemplum proponitur l.cum filius.78.§.non iure.ff.de legat.2.his uerbis*: Non iure tutori dato mater legauit, si consentiat, ut decreto Prætoris confirmetur. si Prætor non idoneum existimet, actio legati non denegabitur. *Aliud exemplum proponitur l.mulier.20. in prin.ff.de condit.instit. cuius uerba uide §.except.1. Aliud exemplum proponitur l.quibus dieb.39. in prin. ff.de condit. & demonstr. his uerbis*: Quibus diebus uicinus tuus te uia publica (cum ad parendum cõditioni ire uelles) ire prohibuit, nec per te stetit, quo minus agendo ob calumniam eum submoueas, hi dies conditioni non imputabuntur. *Concordat item l.quæsitum.55. §.fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide paulò superius except.15. Item concordat l.cum pupillus.76. in prin.ff.d.tt.his uerbis*: Cum pupillus aut tutor eius conditionem in persona pupilli collatam impedit, tam legati quàm libertatis iure communi conditio impleta esse uidetur. *Concordat item l.Titia.35.§.si ea condit.ff.de leg.2. his uerbis*: Si ea conditione liberto fideicommissum relictum est, ne à filijs eius recederet, & per tutores factum est, quo minus cõditionem impleret: iniquum est, eum, cum sit inculpatus, emolumento fideicommissi carere. *Aliud exemplum proponitur l.si fundum.89.§. Iulianus.ff.de leg.1.his uerbis*: Si Titio pecunia legata fuerit, & eius fidei commissum, ut alienum seruum manumitteret, nec dominus eum uendere uelit, nihilominus legatum capiet: quia per eum non stat, quo minus fideicommissum præstet. nam etsi mortuus fuisset seruus, à legato non submoueretur. *Aliud exemplum proponitur l.Mæuia.13.in princ. ff.de annuis legatis, hisce uerbis*: Mæuia nepotem ex Mæuio puberem hæredem instituit, & Lucio Titio ita legauit: Lucio Titio bono uiro, cuius obsequio gratias ago, dari uolo annuos (quamdiu uiuet) aureos decem, si rebus nepotis mei interuenerit, omnemque administrationẽ rerum nepotis mei ad solicitudinem suam reuocauerit. quæro, cum L. Titius aliquo tempore Mæuij negocia gesserit, & per eum non stetit, quo minus gerat, P. autem Męuius nolit eum administrare, an fideicommissum præstari debeat? Scæuola respondit, si non propter fraudem aliámue quam iustam causam improbandæ operæ causa remotus esset à negocijs, quæ administrare secundum defuncti uoluntatem uellet, percepturum legatum. *Est & aliud propositæ exceptionis exemplũ seu species, si per eum stet conditionem non impleri, cuius interest ne ea impleatur. Quæ species proponitur & approbatur l. iure.23.ff.de condit. & demonstr.his uerbis*: Iure ciuili receptum est, quoties per eum, cuius interest conditionem non impleri, fit quo minus impleatur, ut perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset: quod plerique & ad legata, & ad hæredum institutiones perduxerunt. Quibus exemplis stipulationes quoq; committi quidam rectè putauerunt, cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni parêret. *Concordat l.Iulius Paulus.79. §.fin. ff. eod.tt. his uerbis*: Tunc demum pro impleta habetur conditio, cum per eum stat, qui si impleta esset, debiturus erat. *Concordat item l.in iure ciuili.122. ff.de reg.iuris. cuius eadem ferè sunt uerba, quæ d.l.23.iam proposita. Concordat item l.testamento.90.§.fideicommisit. ff.de leg.2.his uerbis*: Fideicommisit filiæ in hæc uerba, Peto à te filia mea, ut dotalem cautionem post mortem meam mutes, & ita renoues, ut fratres tui dotem stipulẽtur hoc casu, ut si sine liberis uno pluribúsue in matrimonio morieris, dos ad eos perueniat. Post mortem patris decessit maritus, antequam renouaretur cautio dotalis: & postea nupta alij decessit, nullo liberorum relicto, uiuo adhuc Titio uno ex fratribus. quæsitum est, an Titius petitionẽ haberet rerum quæ in dote fuerant? Scæuola respondit, posse fideicommissum ab hæredibus fororis peti, si per eam stetisset, quo minus dotẽ frater stipularetur. *Concordat item l.cui usufr.30. in prin.ibi: idem fieri.ff.de usufr.legato. cuius uerba uide §. cap.prox. quæst.3. except.5. repl.1. dupl.1. tripl.1. Sed & propositæ exceptionis species est, si per eũ stat, quo minus conditio impleatur, cui conditionis implendæ causa dandum uel faciendum fuit: utputa, si is oblatum accipere nolit. Quæ species approbatur l.si ita.3. ff.de condit.instit.his uerbis*: Si ita hæres institutus sim, si decem dedero: & accipere nolit, cui dare iussus sum, pro impleta conditio habetur. *Concordat l.Iulianus.44. ff.de condit. & demonstr.his uerbis*: Iulianus ait, si hæredi legatarius, cui sub conditione legatum erat, Si hæredi decem dederit: id quod ei debebat, hæres accepto tulisset: non quidem uideri conditioni paruisse quasi dederit: sed quasi per hæredem stet, quo minus pareat, posse petere legatũ, quasi extiterit conditio. *Concordat item l.fideicommissa.15. §.cum esset. ff.de leg.2. cuius uerba uide §.lib.32.capite 10.causa 42. except.2. Concordat item l.seruus.34.§.sed etsi hæres.ff.de statuliberis. cuius uerba uide §.condit.8.reg.3.except.3. Idem dicendum est, si in faciendo conditio consistat. Cuius exemplum proponitur l.si quis.11. ff.de condit.instit. his uerbis*: Si quis testamento hoc modo scripserit, Filius meus, si Titium adoptauerit, hæres esto: si non adoptauerit, exhæres esto: & filio parato adoptare, Titius nolit se adrogandum dare, erit filius hæres, quasi ex-

pleta conditione. *Aliud exemplum est, si cum mulieri legatum esset sub conditione hac, si Titio nupsisset, Titius eam in uxorem ducere nolit: uel contrà, si cum alicui legatum esset, si Seiam uxorem duceret, Seia illi nubere nolit. hoc enim casu nihilominus debetur legatum. Quod exemplum proponitur l.in testamento.30.ff.de condit.& demonstrat. cuius uerba uide paulò inferius repl.2. Concordat l.1.C.de instit.uel substitut.his uerbis:* Cum autem maternum ea conditione filiam tuam hæredē instituisse proponas, si Anthylli filio nupsisset: non prius eam hæredē existere, quàm conditioni paruerit, aut filio Anthylli recusante matrimonium impeditum fuerit, manifestū est. *Concordat item l.1.C.de his quæ sub modo. cuius uerba uide §.ead.except.in prin. Aliud exemplum est, si cum ita legatum esset, si cum filio certo loco moraretur, filius aliò migrauerit. Quod exemplum proponitur l. qui concubinam.29. §.uxori. ff.de legatis 3. his uerbis:* Vxori meæ, dum cum filio meo Capuę erit, hæres meus ducenta dato. filius à matre migrauit. si ambo Capuæ habitassent, legatum matri debitum iri putaui, quamuis unà non habitassent: sin autem in aliud mancipium transissent, unius tantummodò anni debitum iri, quo unà habitassent quantolibet tēpore, Trebatius ait. uideamus an his uerbis, Dum cum filio Capuæ erit: non conditio significetur, sed ea scriptura pro superua cua debeat haberi? quod non probo: sin autem per mulierem mora nō est, quo minus cum filio habitet, legatum ei deberi. *Alia propositæ exceptionis species est: Si is cui conditionis implendæ causa dandum uel faciēdum est, mortuus sit. Hæc species approbatur exemplo l.turpia.54.§.penul. ff.de leg.1.his uerbis:* Sed & si serui mors impedisset manumissionem, cum tibi legatum esset, si eum manumisisses, nihilominus debetur tibi legatū: quia per te non stetit, quo minus perueniat ad libertatem. *Concordat l. quæ sub conditione.8.§.mortuo. ff.de condit. instit. his uerbis:* Mortuo uel manumisso Sticho, uiuo testatore, qui ita hæres institutus est, si iurasset se Stichum manumissurum: non uidebitur defectus conditione hæres, quamuis uerum sit, compellendum eum manumittere, si uiueret. Idem est, etsi ita hæres institutus esset quis, Titius hæres esto, ita ut Stichum manumittat: aut, Titio centum ita lego, ut Stichum manumittat. nam mortuo Sticho, nemo dicet submouendum eum. non uidetur enim defectus conditione, si parēre conditioni non possit. Implenda est enim uoluntas, si potest. *Concordat item l.multa.6.§.si seruos. ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Si seruos certos quis manumisisset, hæres esse iussus erat. quibusdam ex his antè mortuis, Neratius respondebat, deficieum cōditione: nec æstimabat, parēre posset conditioni, nécue. Sed Seruius respondit, cum ita esset scriptū, Si filia & mater mea uiuet: altera iam mortua, non defici cōditione. Idem est & apud Labeonem scriptum. Sabinus quoque & Cassius, quasi impossibiles eas conditiones in testamento positas pro non scriptis esse: quæ sententia admittenda. *Aliud propositæ speciei exemplum est, si conditionis implendæ causa cum Titio quis tabernam exercere iussus sit, & Titius sit mortuus. quod exemplum proponitur l.Lucius.90.§.quisquis mihi ff.de leg.2. cuius uerba uide ē. Sed & aliud propositæ speciei exemplum proponitur l.1.C.de legatis, his uerbis:* Quamuis uerbis his, Quoad cum Claudio Iusto morati essetis, alimenta uobis & uestiarium legatum sit: tamē hanc fuisse defuncti cogitationem interpretor, ut etiam post mortem Iusti uobis eadem præstari uoluerit. *Concordat exemplo proposito, simul & distinguitur illud l.illis.82.ff.de condit.& demonstr.his uerbis:* Illis libertis alimentorum nomine, si cum filio meo morati fuerint, menstruos denarios centenos & uestiaria dari uolo. liberti in obsequio fuerūt, quandiu adolescens ad militiam promoueretur: qua causa effectum est, ut quibusdam Romæ relictis proficisceretur, & apud castra defunctus est. quæsitum est, an ab hæredibus eius alimenta debeantur? Paulus respondit, conditionem quidem in persona libertorum, qui cum filio defuncti morati sunt, aut per eos non stetit, quo minus morarentur, mortuo filio testatoris defecisse non uideri: sed si testator propter filij utilitatem his qui cum eo morati fuissent, alimenta præstari uoluisset, contra uolūtatem defuncti petentes audiri non oportere. *Hisce uerbis, præterquā quòd exceptio proposita in proposita specie approbatur, eius etiam introducitur replicatio prima, talis scilicet: Nisi alimenta relicta sint propter utilitatem eius, cum quo legatarius morari iussus est. tunc enim mortuo eo, cum quo morari iussus est, deficit alimentorum legatum. Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cum alimenta uel annuum legatum relictum esset, si duorum uel plurium negotia gereret, unus ex ijs adhuc sit superstes: tunc enim pro eius parte durat annuum legatum. Quæ replicatio approbatur l.Scio.10.in princ. ff.de annuis legatis, hisce uerbis:* Scio amico fidelissimo, si uoluerit, sicut meis interueniebat, eodem modo filiorum meorum negocijs interuenire, annuos senos aureos & habitationē, qua utitur, præstari uolo. non ideo minus annua Scio pro parte hæreditaria uiuentis filiæ deberi placuit, quòd ex tribus filijs Titiæ duo alijs hæredibus institutis uita decesserint, cum tam labor quàm pecunia diuisionem recipiat. *Secunda propositæ exceptionis replicatio talis est: Nisi cum sub conditione nubendi, uel uxorem ducendi legatum esset, is cui nubere iussa est, uel ea quam*

quam uxorem ducere est iussus, decesserit. tunc enim, quamuis per legatarium uel legatariam non stet, quo minus conditioni pareat, tamen deficit legatum. Quæ replicatio approbatur l.in test.30. ff. de condit. & demonstr.his uerbis: In testamento ita erat scriptum, Stichus & Pamphila liberi sunto: & si in matrimonium coierint, hæres meus his centum dare damnas esto. Stichus ante apertas tabulas decessit. Africanus respondit, partem Stichi defectam esse: sed & Pamphilam defectam conditione uideri: ideoq; partem eius apud hæredem remansuram. Sed etsi uterque uiueret, & Stichus nollet eam uxorem ducere, cum mulier parata esset nubere: illi quidem legatum deberetur, Stichi autē portio inutilis fiebat. nam cum uni ita legatum sit, Titio, si Seiam uxorem duxerit, hæres meus cētum dato: siquidem Seia moriatur, defectus conditione intelligitur: at si ipse decedat, nihil ad hæredem suum eum trāsmittere: quia morte eius defecisse conditio intelligitur. utroq; autem uiuente, siquidem ipse nolit uxorem ducere (quia ipsius facto conditio deficit) nihil ex legato eum consequi. muliere autem nolente nubere, cum ipse paratus esset, legatum ei debetur. *Concordat l.legatum.4.C.de condit.insertis, his uerbis:* Legatum siue fideicommissum à patruo tuo relictum tibi sub conditione, si filio eius nupsisses: cùm filio mortuo, priusquam matrimonium cum eo contraheres, conditio defecerit, nulla ratione deberi tibi existimas. *Propositæ replicationis duplicatio proponitur in casu l.qui ex.24.ff.de condit. instit.his uerbis:* Qui ex fratribus meis Titiam consobrinam uxorem duxerit, ex besse hæres esto: qui non duxerit, ex triente hæres esto. uiuo testatore cōsobrina defuncta, ambo ad hæreditatem uenientes semisses habebunt: quia uerum est, eos hæredes institutos, sed emolumento portionum euentu nuptiarum discretos. *Concordat l.2.§.si quis ita. ff.de bonor.possess.secundum tabulas. cuius uerba uide §.lib.28.cap.23.reg.12. Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cum sub conditione dandi esset legatum, is cui dandum fuit, antequam ei daretur, sit mortuus. hoc enim casu, quamuis non stet per legatarium, quo minus ei det, nihilominus deficit relictum. Quæ replicatio approbatur simul et distinguitur per ea quæ dicta sunt §.cap.proxim.membr.3.except.7.replicat.3. Concordat l.tales.110.in princ. ff.de condit.& demonstrat. cuius uerba uide §.d.membr.3.except.6.replic.2. Quarta propositæ exceptionis replicatio est: Si cum uni ex duobus legatum esset ita, uter ex ijs Seiam uxorem duceret: Seia alteri nubere uelit, alteri nolit: hoc enim casu alteri, cui Seia nubere non uult, non debetur legatum: quamuis uerum sit, non per eum stare, quo minus eam ducat. Quæ replicatio approbatur l.uter.23. ff.de condit. instit. his uerbis:* Vter ex fratribus meis consobrinam nostram duxerit uxorem, ex dodrante: qui non duxerit, ex quadrante hæres esto. aut nubit alteri, aut non uult nubere consobrina. & ubi alteri non uult nubere, qui ex his duxit uxorem, habebit dodrantem, erit alterius quadrans: si neuter eam duxerit uxorem, non quia ipsi ducere noluerunt, sed quia illa nubere noluit, ambo in partes æquales admittuntur. *Concordat l.2.§.si quis ita. ff.de bon.poss.secundum tabulas. cuius uerba uide §.lib.28.cap.23.reg.9. Quinta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cum is, in cuius personam collata conditio est, antea oblatum accipere uel fieri noluisset, postea mutata uoluntate uoluit: hoc enim casu cessante legatario deficit conditio. Quæ replicatio approbatur exemplo l.pater.99. §.fin. ff.de condit.& demonstrat. his uerbis:* Fideicommissa menstrua & annua sub ea conditione liberto relicta, Quandiu res patroni filiæ gesserit: etsi præstari necesse est, filia prohibente res suas administrari: tamen uoluntatem filia mutante, conditionem resumunt: quoniam plura sunt. *Sexta replicatio est: Nisi non in legatarij, sed alterius personam & potestatem conditio collata sit: hoc enim casu, si alter conditioni parēre uel nolit, uel non possit, legatario actio denegatur: quamuis non per eum, sed per alium stet, quo minus conditioni pareatur. Quæ replicatio ipso quidem iure subsistit, uerum eius duplicatio hæc est: Nisi per eum stet, cuius interest conditionem non impleri. Quæ duplicatio approbatur per ea quæ dicta sunt §.ead.except. §.est & aliud. Sed & alia eius duplicatio est §.except.proxim. Hactenus ergo de uigesima exceptione sit dictum: quam quam eius aliquot species proponuntur §.in exceptionibus proximè sequentibus.*

XXI. Exceptio: *Nisi cum alicuius arbitratu quid conditionis implendæ causa dandum uel faciendum esset, is arbitrari uel nolit, uel non possit, aut antè mortuus sit. Hæc exceptio species est exceptionis præcedentis, & approbatur exēplo l.multa.6.in prin.ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Multa testamento non committitur ab hærede, uel legatario, uel eo qui ex ultima uoluntate aliquid lucratur, qui alicuius arbitratu monumētum facere iussus est, si is cuius arbitrium est, nō uiuat, uel adesse non possit, aut ei arbitrari nolit. *Aliud propositæ exceptionis exemplum proponitur l.filiæ.27.in princ. ff.eod.tt. his uerbis:* Filiæ suæ ita quis legauit, Si Attia filia mea arbitratu Lucij Titij nupserit, ei tot hæres meus dato. Titio ante testatorem mortuo, Attia nupserat. quærebatur, an legatum ei deberetur? Paulus respondit, deberi. *Idem exemplum proponitur l.cum tale.70. §.si arbitratu. ff.d.tt. cuius uerba uide §. cap.prox. condit.1. reg.1. except.3. Concordat ità l.turpia.54.§.si Titiæ. ff.de leg.1.his uerbis:* Si Titiæ legatum relictum esset, si arbitratu Seij nupsisset, & uiuo testatore Seius decessisset, & ea nupsisset: legatum ei debe-

bitur. *Aliud propositæ exceptionis exemplum proponitur l.si duob.2. §.sed etsi quis. C. communia de legatis, hisce uerbis*: Si quis optionem serui uel alterius rei reliquerit, non ipsi legatario, sed quem Titius fortè elegerit: Titius autè uel noluerit eligere, uel morte fuerit præuentus: & in hac specie dubitabatur apud ueteres, quid statuendum sit, utrúmne legatum expiret, an aliquod ei inducatur adiutoriũ, ut uiri boni arbitratu procedat electio? Censemus itaq; si intra annale tempus ille qui eligere iussus est, hoc facere superfederit, uel minimè potuerit, uel quandocunq; decesserit, ipsi legatario uideri esse datam electionem: ita tamen, ut non optimum ex seruis uel alijs rebus quidquam eligat, sed mediæ æstimationis, ne dum legatarium satis esse fouendum existimamus, hæredis commoda defraudentur.

XXII. *Exceptio: Nisi res quæ conditionis implendæ causa danda est, perierit. Et hæc exceptio species est superioris uicesimæ exceptionis, & approbatur exemplo l. ab omnibus. 101. §.1. ff. de leg.1. his uerbis*: In testamento sic erat scriptum: Lucio Titio, si is hæredi meo tabellas, quibus ei pecuniam expromiseram, dederit, centum dato. Titius deinde, antequam tabellas hæredi redderet, decesserat. quæsitum est, an hæredi eius legatum deberetur? Cassius respondit, si tabulæ fuissent, non deberi: quia non redditis his dies legati non cessisset. Iulianus notat, si testamenti faciendi tempore tabellæ nullæ fuerunt, uera ratione dici potest, legatum Titio deberi: quòd *κολώδες* conditio pro non scripto habeatur. *Aliud exemplum proponitur l. qui dotem. 12. ff. de dote relegata, his uerbis*: Qui dotem in pecunia numerata & æstimatis rebus acceperat, uxori ita legauit: Seiæ uxori meæ, si omnes res, quæ tabulis dotalibus continentur, hæredi meo exhibuerit & tradiderit, summam dotis, quam mihi pro ea pater eius intulit, dari uolo, hocamplius denarios decem. quæsitum est, cum res in dotem datæ plures ipso usu finiræ essent, nec moriente marito fuerant, an quasi sub impossibili conditione legatum datum debeatur? Scæuola respondit, uideri conditioni paritum, si quod ex rebus in dotem datis supererat, in potestatem hæredis peruenit. *Aliud exemplum proponitur l. turpia. 54. §. penult. ff. de leg.1. cuius uerba cum legibus similibus uide §. cod. cap. except. 20. uers. alia propositæ exceptionis species est. Sed & aliud exemplum uide §. cap. prox. except. 11. replic. 2. Planè hoc casu, quo res quæ conditionis implendæ causa danda fuit, perijt, nihilominus quidem legati dies cedit, idq; peti potest: sed legatarius ad æstimationẽ eius rei præstandam tenetur, quamuis non fuerit in culpa uel morã, quo magis illa res periret. quod primæ replicationis loco notandum. Quæ replicatio approbatur exemplo libertatis relictæ l. cum quidam. 7. C. de conditionibus insertis, hisce uerbis*: Cum quidam testamento condito libertatem seruo suo dereliquit sub conditione, si suo hæredi certum numerum solidorum præstet, uel aliam quandam speciem, uel uicarium seruum: ille autem seruus non in eodem loco constitutus, ubi etiam hæres fuerat, herili testamento cognito properabat ad hæredem cum ipso quod iussus erat dare hæredi: sed in medio latronum uel hostium incursione peremptum est, quod portabat: quærebatur inter antiquos, si præpediretur libertas, quia hoc dare seruus non potest propter memoratum fortuitum casum? Itaque ueterum dubietate quiescẽte, nobis placuit, ut & libertas omnimodò competat, & commodum, quod hæredi uel extraneo relinquitur, non abstrahatur. Ex quacunque igitur causa impediatur, siue per hæredem, siue per eum cui dare aliquid iussus est, siue per fortuitos casus, in libertatem quidem ipse omnimodò perueniat, nisi ipse seruus noluit adimplere conditionem: obnoxius tamen constituatur post libertatem hæredi, uel ei cui dare aliquid iussus est (nisi & ipse oblatas pecunias non susceperit: quod enim semel repudiatum ab eo est, redintegrari minimè concedimus) quatenus hoc quod dare iussus est, omnimodò implere compellatur: uel in ipso mancipio, si extat, uel in æstimatione eius, non amplius quàm quindecim solidis computanda: uel in alia re, si & ipsa appareat: uel si non extat, eius uera æstimatione præstanda. *Ait imperator*: Nisi & ipse oblatas pecunias non susceperit, &c. *Hisce uerbis duplicatio aduersus dictam replicationem introducitur, quòd nec ad æstimationem rei præstandam seruus uel legatarius teneatur, si is cui dare iussus est, rem ante interitum oblatam noluit accipere. Altera propositæ exceptionis replicatio est*: Nisi post moram à seruo uel legatario factam res interierit: hoc enim casu deficit conditio, & per consequens ipsa libertas uel legatum. *Quæ replicatio approbatur uerbis paulò superius propositis hisce*: Nisi ipse seruus noluit adimplere conditionem. *Sanè quæ exceptiones §. libro 32. capite 11. causa 52. propositæ sunt, eas hic replicationum quoque loco arbitror repetendas.*

XXIII. *Exceptio*: Nisi *propter ignorantiam legatarius conditioni intra tempus præstitutum non paruit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. si quis. 3. §. fin. ff. de S. C. Siloniano, his uerbis*: Si conditioni intra diem ex die mortis præstitutum parêre iussi, ignorantia non paruerũt: si idcirco ignoratum est, quia metu senatusconsulti aperiri tabulæ non potuerunt, succurritur eis ad implendam cõditionem. sed si aliud

si aliud impedimentum sit in non adeunda hæreditate, quàm aperiendarum tabularũ, & senatusconsulti: nihil prodesse impedimentum senatusconsulti, si & aliud hic fuit: ueluti si prægnans uxor occisi fuit, uel etiã putabatur, & propterea adire hæreditatem institutus non potuerit.

XXIIII. *Exceptio: Nisi cum alicui hæreditas esset relicta, si hæredi certam quantitatem dedisset, hæres non percepta ista quantitate lege Falcidia sit usus. Hæc exceptio approbatur l. si hæres. 89. ff. ad l. Falcidiam, his uerbis*: Si hæres, cuius fidei commissum est, ut accepta certa pecunia hæreditatem restituat, à uoluntate eius qui testamentum fecit, discedat, & postea legis Falcidiæ beneficio uti uolet: etsi non detur ei id, quo accepto hæreditatem restituere rogatus est, tamẽ fideicommissum restituere cogi debet: quoniã quod ei paterfamiliãs dari uoluit, legis Falcidiæ commodum præstat.

XXV. *Exceptio*: Nisi *cum is cui legatarius dare iussus est, legatario certam quantitatem debuisset, legatarius ei conditionis implendæ causa illud debitum accepto tulit. Hæc exceptio approbatur l. si fundum. 78. §. Titio. ff. de leg. 2. his uerbis*: Titio fundum do lego, si hæredi meo decem dederit. si decẽ hæres Titio debuisset, & ea Titius accepta ei fecisset, fundum uindicare potest. *Concordat l. Iulianus. 44. ff. de cond. & demonstr. cuius uerba uide §. except. 21.*

XXVI. *Exceptio: Nisi cum in futurum concepta esset conditio, ante testamentum factum defecerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt §. cod. cap. except. 22. in prim. item §. cap. prox. except. 11. repl. 2.*

XXVII. *Exceptio: Nisi conditio legato adscripta, postea rursus sit adempta. Hæc exceptio approbatur l. si quis. 3. §. conditio. ff. de adimendis leg. his uerbis*: Conditio legati an adimi possit uel hæreditatis, uel statuliberi, uidendum. & Iulianus scribit, in statulibero detractam conditionem non repræsentare libertatem. Papinianus quoq; scribit, generaliter conditionem adimi non posse: nec enim datur conditio (inquit) sed adscribitur: quod autem adscribitur, non potest adimi, sed quod datur. Sed melius est, sensum magis quàm uerba amplecti, & conditiones sicut adscribi, ita & adimi posse. *Propositæ exceptionis exemplum proponitur l. si quis. 51. ff. de condit. & demonstr. his uerbis*: Si quis seruum liberum esse iusserit, si hæredi rationes reddidisset, posteaq; eum rationes reddere uetuerit, quasi putà facturus libertatẽ: competit ei ex testamento libertas.

XXVIII. *Exceptio: Nisi cum antea sub conditione esset legatum, postea purè sit repetitum. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt §. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 2. repl. 11.*

XXIX. *Exceptio*: Nisi *conditio hæredi instituto in codicillis demum sit adiecta. Hæc exceptio approbatur l. quidam. 27. §. fin. ff. de condit. institut. his uerbis*: Hæredi, quem testamento purè instituit, codicillis adscripsit conditionem. quæro, an ei parêre necesse habeat? Modestinus respondit: Hæreditas codicillis neq; dari, neque adimi potest: porrò in defectu conditionis de ademptione hæreditatis cogitasse intelligitur. *Concordat instit. de codicillis. §. fin. his uerbis*: Nec conditionem hæredi instituto codicillis adijcere, neque substituere directò quis potest. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi hæres in testamento sit institutus ita, Secundum conditiones infrà scriptas. tunc enim, quamuis in codicillis conditio hæredi adscripta sit, nisi tamen eam impleuerit, hæres esse non potest. Quæ replicatio approbatur l. si testamentum. 8. in fine. C. de institutionibus uel substit., sub conditione factis. cuius uerba uide §. prox.*

XXX. *Exceptio*: Nisi *sub conditione quidem legatum sit, uel hæres institutus, conditio autem specialiter non sit expressa. Hæc exceptio approbatur d. l. 8. his uerbis*: Si testamentum ita scriptum inueniatur, Ille hæres esto secundum conditiones infrà scriptas: siquidem nihil adiectum, neque aliqua conditio in testamento posita est, supernacuam esse conditionum pollicitationem sancimus, & testamentum habere institutionem puram. Et argumento utimur, quod Papinianus respondit, uicos reipublicę derelictos, qui propios fines habebant, nõ ideo ex fideicommisso minus deberi, quòd testator fines eorum & certaminis formam, quam celebrari singulis annis uoluit, alia scriptura se declaraturũ promisit, ac postea morte præuentus non fecit. Sin autem conditiones quasdam in quauis parte testamenti posuit, tunc uideri ab initio conditionalem esse institutionem: & sic omnia compleri, tanquam si testator ipsas institutiones eisdem conditionibus copulasset, quæ infrà scriptæ sunt.

XXXI. *Exceptio: Nisi cum idem ex una parte purè, ex altera sub conditione hæres institutus esset, ex una parte adierit. tunc enim, quamuis alterius partis conditio deficiat, nihilominus in solidum fit hæres. Quæ exceptio approbatur l. si quis. 33. ff. de hæredibus instituen. his uerbis*: Si quis ita scripserit, Titius ex parte dimidia hæres esto: idem Titius ex altera parte dimidia, si nauis ex Asia uenerit, hæres esto, cum ex pura institutione hæres adierit, quamuis conditio alterius institutionis pendeat, ex asse sit hæres, scilicet etiam conditione deficiente, cum non prosit ei quidquam conditio existens: quippe cum non dubitetur, quin si quis ex parte dimidia hæres institutus sit, nec præterea quisquam alius, ipse ex asse hæres institui uideatur. Pro-

positæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi in ea parte, quæ sub conditione relicta est, substitutio sit facta. Hæc replicatio approbatur l. si te. 27. ff. eod. tt. his uerbis: Si te solum ex parte dimidia purè, ex altera sub conditione hæredem instituero, & substituero tibi: non existente conditione, substitutum ex ea parte hæredem fore, Celsus ait. Sed si te hæredem instituero, & deinde sub conditione eundem te instituam: nihil ualere sequentem institutionẽ, quia prior satis plena fuisset. Sed si plures institutiones ex eadem parte sub diuersis conditionibus fuerint factæ, utra prior conditio extiterit, id faciet quod suprà diximus, si purè & sub conditione idem instituatur.

XXXII. *Exceptio: Nisi idem in eodem testamento ex eadem parte purè & sub conditione hæres sit institutus. hoc enim casu conditionalis institutio nullius est momenti. quæ exceptio approbatur iam dictis uerbis hisce:* Sed si te hæredem instituero, & deinde sub conditione eundem te, &c. *Idem iuris est, si idem in eodem testamento primùm sub conditione, deinde purè institutus est hæres. nam & hoc casu prior conditionalis institutio nihil operatur. quod approbatur l. si ita. 67. ff. de hæred. instit. his uerbis:* Si ita scriptum fuerit: Tithasus, si in Capitoliũ ascenderit, hæres esto: Tithasus hæres esto. secunda scriptura potior erit. plenior est enim quàm prior. *Sed de hac re uide plura ẽ. lib. prox. cap. 10. reg. 7. except. 4.*

XXXIII. *Exceptio: Nisi is sub conditione hæres sit institutus, ad quem ab intestato quoq; hæreditas pertinet. Hæc exceptio approbatur l. si sub. 5. ff. de bonorum possessione secundum tabulas, his uerbis:* Si sub conditione hæres institutus quis sit, & acceptа bonorum possessione secundum tabulas, conditio defecerit: interdum euenit, ut res possessori concedenda sit, utputa, si filius emancipatus sit sub conditione hæres institutus. nam si defecerit conditio, attamẽ secundum tabulas bonorum possessionem eum accipere, Iulianus scribit. Sed etsi is fuerit, qui ab intestato bonorum possessor futurus esset, tuendum esse scripsit: & hoc iure utimur. Videndum est, an legata ab eis debeantur? & filius quidem quasi contra tabulas bonorum possessione accepta, rem habere uidetur: cæteri uerò quasi ab intestato: & ideo liberis parentibusq; legata relicta solis præstare cogitur, cæteris non. Plane ei cui ab intestato fideicommissum relictum est, erit præstandum: quasi uideatur hocipso fraudatus, quòd ex testamento petita sit bonorum possessio. *Concordat propositæ exceptioni l. 2. §. 2. ff. eod. tt. his uerbis:* Si sub conditione hæres institutus filius sit: Iulianus peræquè putauit secundum tabulas competere ei quasi scripto bonorum possessionem, qualiscunque conditio sit, etiamsi hæc, Si nauis ex Asia uenerit: & quamuis defecerit conditio, tamen Prætor filium, qui admiserit secundum tabulas, tueri debebit, ac si contra tabulas acceperit: quæ tuitio ei qui emancipatus est, necessaria est.

XXXIIII. *Exceptio: Nisi cùm seruo libertas & legatum sub eadem conditione relictum esset, alio modo liber sit factus. hoc enim casu uidetur legatum sine conditione ei deberi. Verùm exceptio hæc reprobatur l. hæres. 64. ff. de condit. & demonstrat. his uerbis:* Hæres statuliberum, cui in euentum conditionis fideicommissum restituere rogatus erat, manumisit. quæro, an fideicommissum ei præstare debeat? Herennius Modestinus respondit: Quanquam statuliberum hæres manumiserit, tamen fideicommissum, quod sub ijsdem conditionibus relictum ei debet, ita præstare cogitur, si conditiones impletas esse pręstabit, aut per eum steterit quo minus impleantur. *Concordat l. Iulianus. 84. ff. eod. tt. his uerbis:* Iulianus noster eum qui decem dare, & ita liber esse iussus esset: si à uiuente manumissus esset, non aliter legatum, quod ei cum libertate datum esset, habiturum, quàm si conditioni libertatis paruisset. Idem in emptore, si alienatus esset. Sed id tunc locum habet, cum omnimodò simul cum libertate legatum adquiri potuit, licet legato imposita non sit: ueluti, cum in tempus libertatis collatum esset legatũ. Cum uerò libertas, &c. *Cætera uide ẽ. lib. 32. cap. 3. except. 25. tertia except. replic. 1. dupl. 4.*

XXXV. *Exceptio: Nisi testator ipse uel alius dederit uel fecerit, quod legatarius implendæ conditionis gratia dare uel facere iussus est. Hæc exceptio reprobatur exemplo l. cum tale. 70. §. falsam, in fine. ff. de condit. & demonstr. cuius uerba uide ẽ. eod. cap. except. 2. in fine. Aliud exemplum proponitur l. filio. 31. §. Scia. ff. de adim. legatis. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 9. causa 15. except. 9.*

XXXVI. *Exceptio: Nisi legatum ad alium pertinuerit, quàm ad eum cui relictũ est. Hæc exceptio reprobatur exemplo l. in facto. 58. §. fin. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Fiscus ijsdem conditionibus parêre debet, quibus persona, à qua ad ipsum, quod relictum est, peruenit. sic etiam cum suo onere hocipsum uindicat. *Quod dictum de fisco, idem etiam in persona hæredis legatarij locum habet. quod exemplũ proponitur l. si post diem. 5. §. ijsdem. ff. quando dies leg. ced. his uerbis:* Ijsdem diebus, id est, ijsdem conditionibus hæredi pręstabitur legatũ, quibus legatario ipsi pręstabatur. *Sed quomodo hæredi legatarij præstabitur legatum conditionale, cùm mortuo legatario ante legati conditionem existentem, euanescat legatum, nec ad hæredem transmittatur? Tu dic, proposita uerba de ijs conditionibus intelligenda, quæ actionem legati nõ suspendunt:*

spendunt: ut sunt conditiones quæ in non faciendo consistunt, item legata sub modo relicta. nam quamuis modus æquiparetur conditioni, non tamen differt actionem legati, nec suspendit: ut suprà est ostensum. Postremò reprobatur exceptio proposita l. unica. §. ne autem hoc. C. de caducis tollend. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 10. causa 42. except. 1. repl. 3. Planè admittitur exceptio proposita, si coniunctæ personæ, cui eadem res purè legata erat, alterius portio, cui sub conditione legata erat, adcrescat. quæ distinctio approbatur l. si separatim. 29. ff. de condit. & demonstr. cuius uerba uide ẽ. d. causa 42. except. 1. repl. 4. in fine. Huius tamen distinctionis replicatio hæc est: Nisi non purè, sed sub eadem quoq; conditione coniunctæ personæ, cui adcreseit, sit legatum. Hæc replicatio approbatur l. si quis. 52. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. membr. 3. except. 5. repl. 1. dupl. 1. tripl. 1.

XXXVII. *Exceptio: Nisi in unius tantùm, nõ in alterius persona conditio sit adiecta. hoc enim casu is, in cuius persona conditio adiecta non est, ad suum legatum admittitur, quamuis conditio alterius legati defecerit. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. quæ conditio. 38. in prin. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Quæ conditio ad genus personarum, non ad certas & notas personas pertinet, eam existimamus totius esse testamenti, & ad omnes hæredes institutos pertinere: at quæ conditio ad certas personas accommodata fuerit, eam referre debemus ad eũ duntaxat gradum, quo hæ personæ institutæ fuerunt. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur, simul & prima eius replicatio introducitur, hæc scilicet: Nisi non specialiter uni certæ personæ, sed generaliter omnibus conditio sit adscripta. Secunda replicatio est: Nisi personæ & re & uerbis coniunctæ apposita sit conditio: tunc enim alteri quoq; adposita censetur. quæ replicatio approbatur exemplo l. si seruo. 31. §. 1. ibi: aliam etiam. ff. de statuliberis. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. membro 2. quarta specie. Planè stricto quidem iure dicta replicatio subsistit, æquitatis autem ratione nequaquam: quod duplicationis loco notandum. quæ duplicatio approbatur l. Iulius. 79. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Iulius Paulus Numphidio: Quæsijsti, si ita in testamento cautum esset, Stichus, si rationes reddiderit, cum cõtubernali sua liber esto, eisq; decem hæres dato: an Sticho mortuo, antequam rationes redderet, uel pariatore, uel reliqua habente, libera sit mulier: & an de legato idẽ accipiamus libertate data, si rationes reddiderit? Hac conditione rationum reddendarũ iussus uidetur reliqua reddere, si qua habet, cũ fide actus sui: quę si nulla sunt, purè accepisse libertatem uidebuntur: & si post aditam hæreditatem decesset, competente libertate, etiam legatũ eos consecutum est. quòd si, cum adhuc reliqua haberet, decesset, sub eadem cõditione & cõtubernalis eius libertatem accepisse uidetur, & defectam condi tionem. sed non ineleganter illud dicetur, Stichum quidem sub conditione manumissum, contubernalem autem eius purè: & illam coniunctionem nõ ad cohiungendam conditionem, sed ad necessitudinem demonstrandam pertinere. tũc enim demum pro implera habetur cõditio, cum per eum stat, qui si impleta esset, debiturus erat. *Concordat l. testamento. 91. §. Seio. ff. de leg. 2. his uerbis:* Seio, quem hæredi substituerat, ita legauit: Seio, si mihi hæres non erit, & uxori eius Marcellæ argenti libras quindecim dari uolo. quæro, cũ Seius hæres extiterat, an Marcellæ legati dimidia portio debeatur? Scæuola respondit, secundum ea quę proponerentur, deberi. *Concordat item l. si tibi. 10. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. quæst. 2. specie quarta. Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi legatum cõditionale ab uno ad aliũ sit translatũ: tunc enim sub conditione quoq; translatum esse censetur, quamuis nulla conditionis mentio in translatione legati sit facta. quæ replicatio approbatur l. legatum. 91. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Legatum sub conditione relictum, & ad alium translatũ, si non conditio personæ cohæreat, sub eadem conditione translatũ uidetur. *Concordat l. leg. 24. in prin. ff. de adim. legatis, hisce uerbis:* Legatũ sub conditione datum cum transfertur, sub eadem conditione transferri uidetur, si non conditio priori personæ cohæreat. nam si quis uxori sublatis liberis legauerit, repetita conditio non uidetur, quæ fuit in persona mulieris necessaria. *Hisce uerbis propositæ replicatio approbatur, simul & distinguitur hoc modo:* Nisi conditio personæ cohærcat. *Quarta propositæ exceptionis replicatio est: Nisi legatum conditionale in persona eius, cui relictum est, deficiens, ad alium deuoluatur, ad fiscum puta uel alium. hoc enim casu is ad quem deuoluitur, nihilominus conditioni parêre tenetur, quamuis alij sit iniuncta. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt ẽ. except. prox.*

XXXVIII. *Exceptio: Nisi conditio alij legato, quàm quod petitur, sit adscripta. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi hæreditas eidem sub conditione sit relicta. hoc enim casu hæreditatis conditio etiam in legato repetita censetur. quæ replicatio approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt ẽ. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 4. Sed etsi seruo libertas sub cõditione relicta est, eidemq; legatum datum, in legato quoq; conditio repetita censetur. Quæ replicatio approbatur l. cũ seruus. 80. in prin. ff. de condit. & demonst. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 3. except. 25. tertia except. repl. 1. dupl. 4.*

XXXIX. *Exceptio: Nisi cum hæres institutus esset sub hac conditione, Si uiuo testatore pater eius mortuus esset: pater non mortuus sit, sed hæres institutus alia ratione potestate eius sit liberatus. Quæ exceptio approbatur l. Gallus. 29. in prin. cip. ff. de libe-*

ris &

ris & posthumis. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.20.excepta.28.repl.2.dupl.4.triplic.4.cum sequentibus. Concordant ea quæ proposita sunt ẽ.cap.prox. except.14. repl.3. Hæc de conditione pendente ac deficiente sunt dicta. Plura huc pertinentia uide ẽ.lib.32. cap.9. causa 20.& causa 15.item lib.33.cap.8.

DE QVIBVSDAM CONditionum speciebus. Cap. VII.

I. DE CONDIT. SI nupserit.

PRima regula: *Conditio hæc, Si uel cum nupserit: regulariter existit,& legatum debetur, si nupserit mulier. cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi legatum à muliere translatum sit sub hac conditione,Si nupserit: uel,Nisi non mulieri,sed alij legatum sit sub hac conditione,Si nupserit mulier. Hæc exceptio approbatur l.quoties.21.ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Quoties sub conditione mulieri legatur,Si non nupserit: & eiusdem fidei cõmissum sit,ut Titio restituat, si nubat: commodè statuitur,etsi nupserit,legatum eam petere posse, & non esse cogendam fideicommissum præstare. *Huius exceptionis ratio proponetur j.condit.prox. Eius autem replicatio hæc est: Nisi seruo mulieri legato libertas relicta sit, si mulier nupserit. Hæc replicatio approbatur l.Titio.94. §.fin.ff. de condit.& demonstr. his uerbis:* Serui usus fructus mulieri,quoad uidua esset,legatus est. Idem seruus, si ea nupsisset, liber esse iussus est,si mulier nupserit,liber erit: quia potior est legato libertas. *Concordat l.ult.ff.de statuliberis, his uerbis:* Si quis eundem hominem uxori suæ legauerit, & cùm ea nupsisset, liberum esse iusserit, & ea lege nupserit,liber fiet is homo. *Planè quidem iure antiquo exceptio proposita approbatur, reprobatur uerò iure nouo: de quo j.condit.prox. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi ancillæ alienæ ita legatum sit,cum nupsisset. Hæc exceptio reprobatur l.si ancillæ.56. ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Si ancillæ alienę,cùm ea nupsisset, legatum sit: Proculus ait, utile legatum esse: quia posit manumissa nubere. *Tertia exceptio est: Nisi cum ita legatum esset, si arbitrio Titij nupsisset: nupserit quidem,sed non arbitrio Titij. Hæc exceptio reprobatur l.cum tale.70.§.si arbitratu.ff. de condition.& demonstrat. his uerbis:* Si arbitratu Titij Seia nupserit, hæres meus fundum dato. uiuo etiam Titio sine arbitrio Titij eam nubentem legatum accipere, respondendum est: eamq; legis sententiam uideri, ne quod omnino nuptijs impedimentum inferatur. Sed si Titius uiuo testatore decedat, licet conditio deficit: quia tamen suspensa quoque pro nihilo foret, mulieri succurretur. *Ait Iurisconsultus:* Eamq; legis sententiam, &c. *De hac lege, quæ postmodum est sublata, dicetur j.condit.prox. Ait insuper Iurisconsultus:* Sed si Titius uiuo testatore decedat, &c. *Similes leges uide ẽ.cap.prox.except.21. Quarta propositæ regulæ exceptio est: Nisi illegitimè nupserit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l.hæc conditio.10.§.sedenim non omnes. ff.de condit.& demonstr. cuius uerba uide ẽ.cap.5.membr.3.except.16. Concordat l.pupillæ.30.ff.quando dies leg.ced. cuius uerba uide ẽ.d.except.16. Quinta exceptio est: Nisi ante testamentum factum nupserit. Hæc exceptio approbatur simul et distinguitur per ea quæ dicta sunt ẽ.cap.5.membr.3.except.18. Sexta exceptio est: Nisi non uiuo testatore, sed post mortem eius nupserit. reprobatur hæc exceptio l.in cond.19. in prin. ff.de condit. & demonstrat. his uerbis:* In conditionibus primum locum uoluntas defuncti obtinet, eaq; regit conditiones. Deniq; & in ea conditione, Si filia mea cum Titio nupta erit: placuit non semper mortis tempus obseruari, sed uoluntate patrocinante tardius produci. *Concordat l.conditionum.89. §.illa uerò. ff.eod.tt.his uerbis:* Illa conditio, Si filio meo nupserit: uel uiuente, uel mortuo testatore impleri potest. *Septima exceptio est: Nisi nondum concubuerit. Hæc exceptio reprobatur l.cum fuerit.15. ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Cum fuerit sub hac conditione legatum, Si in familia nupsit: uidetur impleta conditio statim atque ducta est uxor, quamuis nondum in cubiculum mariti uenerit. nuptias enim non concubitus, sed consensus facit. *Octaua exceptio est: Nisi alij quàm cui nubere iussa est, nupserit. De hac exceptione uide inferius proximè except.1. Nona exceptio est: Nisi nuptiarum festiuitas non accesserit. Hæc exceptio approbatur l.sanctum.24.C.de nuptijs. cuius uerba uide j.reg.prox.in prin.*

II. *Regula: Conditio hæc, Si uel cum nupserit: regulariter deficit, legatiq; actio denegatur, si non nupserit. quæ regula approbatur d.l.24. his uerbis:* Sancimus, si quis nuptiarũ fecerit mentionem in qualicunque pacto, quod ad dandum uel ad faciendum, uel non dandum uel non faciendum concipitur, & siue nuptiarum tempus dixerit, siue nuptias nominauerit: nõ aliter intelligi conditionẽ esse adimplendam uel non extenuandam, nisi ipsa nuptiarum accedat festiuitas: & nõ esse tempus inspiciendum, in quo nuptiarum ætas uel fœminis post duodecimũ annum accesserit, uel maribus post quartum decimum annum completum: sed ex quo uota nuptiarum re ipsa processerint. sic etenim & antiqui iuris contentio dirimetur, & immensa librorum uolumina ad meliorem modum tandem peruenient. *Planè propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi ei nubere iussit, cui nubere honestè non potest, uel cum quo ei non potest esse matrimonium. Hæc exceptio approbatur l.cum ita.61.ff.de condit. & demonstr. his uerbis:* Videamus & si ita legatũ sit, Si Titio nupserit. & quidẽ si honestè Titio posit

posit nubere, dubium non erit, quin nisi paruerit conditioni, excludatur à legato: si uerò indignus sit nuptijs eius iste Titius, dicendum est, posse eam beneficio legis cuilibet nubere. quæ enim Titio nubere iubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur. Itaq; si Titius indignus sit, tale est, quale si generaliter scriptum esset, Si non nupserit. Imò (si uerum amamus) durior hæc conditio est, quàm illa, Si non nupserit. nam & cæteris omnibus nubere prohibetur, & Titio cui inhonestè nuptura sit, nubere iubetur. *Ait Iurisconsultus:* Et quidem, si honestè Titio posit nubere, dubium non erit, quin nisi paruerit conditioni, excludatur à legato. *Ex his uerbis constat replicatio propositæ exceptionis, hæc scilicet: Nisi ei nubere iussa sit mulier, cui honestè nubere potuit. Huic concordat l.Titio.69.§.1.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib. prox. cap.9. cautione 2.except. 3. Huius etiam loci est l.2.C.de institut.uel substit.cuius hæc sunt uerba:* Conditioni, sub qua testamento matris tuæ hæres instituta es, si non paruisti, locum habet substitutio. nec enim uideri potest sub specie turpium nuptiarum uiduitatem tibi indixisse, cùm te filio sororis suæ, consobrino tuo, probabili consilio matrimonio iungere uoluerit: nec extraordinario auxilio indiges, cum ex ijs precibus, quas libello complexa es, declaretur non per eum stetisse, quo minus supremæ uoluntati matris tuæ testatricis satisfieret. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi per eum cui mulier nubere iussa est, stet quo minus nubat. Hæc exceptio approbatur l.in testamento.30. ff.de condit. & demonstr. cuius uerba uide ẽ.cap.prox. except.20. repl.2. Tertia exceptio est: Nisi uir cui sub conditione nuptiarum, uel mulier cui sub conditione nubendi legatum est, uel hæreditas relicta, monasterium ingrediatur, aut clericatum suscipiat. Hæc exceptio cum alijs similibus approbatur Nouell.c.123. §.si quis sub cõdit.his uerbis:* Si quis sub conditione nuptiarum aut susceptorum filiorum, uel dotis aut nuptialis donationis gratia uel donauerit, uel reliquerit filijs suis, aut cuicunq; alij personæ, uel hæreditatem, uel legatum: aut si initio purè ipsis relinquat, postea sub una aliqua memoratarum conditionum substitutione aut restitutione eos prægrauet: iubemus, ut si mares aut fœminæ, qui talibus conditionibus obnoxij sunt, monasterium ingrediantur, aut clerici diaconissæúe aut ascetriæ fiant, ifiiusmodi cõditiones inualidæ, & pro non scriptis sint. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi uir uel mulier uitam monasticam rursus reliquerit. Quæ replicatio approbatur d.§.si quis sub, his uerbis:* Hoc autẽ auxilio tam clerici, quàm diaconissæ ecclesiarũ perfruũtor, si usq; ad finem uitæ suæ ijs insistant, & res ea conditione donatas aut relictas, in pios usus insumpserint aut reliquerint. Nã in personis, quę in monasterium aut ascete rium ingrediuntur, & huiusmodi castã conuersationẽ relinquunt: iubemus, ut res quæ ea conditione donatæ aut relictæ sunt, cum alia eorum substantia ad monasterium aut ascæterium, in quo initiò erant cum ingrederentur, pertineant. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi in defectum conditionis ad redemptionem captiuorum, aut in causam pauperum sit relictum. tunc enim, quamuis uir uel mulier monasterium ingrediatur, tamen nihilominus deficiente conditione institutionis, substitutioni ac restitutioni locus est. Quæ replicatio approbatur ibidem his uerbis:* Si ramen ad redemptionem captiuorum, aut exhibitionem pauperum, prædictis conditionibus substitutio aut restitutio fiat, nullo prædictorum modorum hanc excludi concedimus. *Reliquas propositæ secundæ regulæ exceptiones uide j.condit.prox.*

II. DE CONDITIONE, Si non nupserit.

De iure antiquo.

Iure antiquo conditio hæc, Si non nupserit: pro non scripta habetur: & licet nupserit mulier, tamen id quod ei sub conditione ista relictum est, non deficit, sed ei debetur. Quod ius antiquum approbatur lege Iulia Miscella. cuius sententiam uide j. except.10. §. enimuerò quem deinceps. Concordat l.quoties.21.ff de condit.& demonstr. cuius uerba uide ẽ.eod.cap.in prin. Concordat l.seruo.65.§.si testator.ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide ẽ.cap.3.de cogendo hærede, except.27. Concordat item l.2. C.de indicta uidu. cuius uerba uide j. except.10. Item concordat l.sed si.60.§.fin. & l.cum tale. 70.§.Mæuiæ.ff.de condit.& demonstrat. quorum uerba uide paulò inferius except.3. Sunt tamen proposiri iuris antiqui decem potissimùm exceptiones. Quarum prima hæc est: Nisi non simpliciter nubere prohibita sit mulier, sed alicui certæ personæ nubere sit prohibita. Hæc exceptio approbatur l.cum ita.61.in prin. ff.de condit.& demonstr. his uerbis: Cum ita legatum sit, Si Titio non nupserit: uel ita, Si neq; Titio, neq; Seio, neque Mæuio nupserit: & deniq;, si plures personæ comprehensæ fuerint, magis placuit, cuilibet eorum si nupserit, amissuram legatum: nec uideri tali conditione uiduitatem iniunctam, cum alij cui libet satis commodè posit nubere. *Concordat l.hoc modo.62.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide j. except.prox. Secunda exceptio est: Nisi non simpliciter, sed certo quodam loco nubere mulier sit prohibita. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur d.l.62. his uerbis:* Hoc modo legato dato, Si Lucio Titio non nupserit: non esse legi locum, Iulianus aiebat, quòd si ita scriptum esset, Si Ariciæ non nupserit: interesse, an fraus legi facta esset. nam si ea esset, quæ alibi nuptias non facilè posset inuenire, interpretandum

terpretandum ipso iure rescindi,quod fraudandę legis gratia esset adscriptum. Legem enim utilem reipublicę,sobolis scilicet procreandæ causa latam, adiuuandam interpretatione. *Tertia exceptio est: Nisi non simpliciter, sed ad certum tempus mulier nubere sit prohibita. Hæc exceptio approbatur l.cum tale.70. §.Mæuiæ. ff.de condit.& demonstr.bis uerbis:* Mæuiæ,si non nupserit,fundum, cum morietur, lego. potest dici,etsi nupserit, eam confestim ad legatum admitti. Non idem probatur, si certus dies incertúsue alius legato fuerit adscriptus. *Huius exemplum proponitur l.sed si.60. §.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Cum uir uxori,si à liberis non nupserit, in annos singulos aliquid legauit,quid iuris sit.Iulianus respondit,posse mulierem nubere, & legatum capere. Quòd si ita scriptum esset, Si à liberis impuberibus non nupserit:legem locũ non habere: quia magis cura liberorum, quàm uiduitas iniungeretur. *Quarta exceptio est:Nisi sub contraria conditione eidem mulieri ab eodem sit legatum. Hæc exceptio approbatur l.Titiæ.98. ff. de condit.& demonstr. his uerbis:* Titiæ,si nupserit, ducenta: si non nupserit, centum legauit. si nupserit mulier, ducenta, non etiam centum residua petet. ridiculum est enim,eandem & ut uiduam, & ut nuptam admitti. *Quinta exceptio est: Nisi seruus mulieri sit legatus, si non nupserit: & si nupserit, seruus liber esse iussus sit. Hæc exceptio approbatur l.Titio.94. §.fin. ff.de condit.& demonstr. cuius uerba uide ſ. condit.1. regula 1. except.1. Concordat l.ult.ff.de statuliberis. cuius uerba uide d.except.1. Sexta exceptio est: Nisi mulier legatum alij restituere sit rogata:tunc enim,quamuis condi tio ei remittatur, fideicommissum tamen ei non remittitur. Quæ exceptio approbatur l.non dubium.14. in prin.ff.de leg.3.bis uerbis:* Non dubium est,quin si uxori legatum sit,si non nupserit,idq; alij restituere rogata sit: cogenda sit, si nupserit, restituere. *Huius exceptionis replicatio hæc est:Nisi sub contraria conditione(puta,si nupserit mulier)fideicommissum ab ea sit relictum.Hæc replicatio approbatur l.quoties.21.ff.de condit.et demonstr.cuius uerba uide ſ.eod.cap. in prin. Septima exceptio est: Nisi alij, non mulieri legatũ sit sub hac conditione, Si non nupserit mulier.Hæc exceptio approbatur l.1.C.de indicta uiduitate,bis uerbis:* Legatum alij sub conditione sic relictum, Si uxor nuptui se post mortem mariti non collocauerit:contractis nuptijs conditione deficit: ideoq; petit legatũ nequaquã potest. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi in fraudem legis patri mulieris ita sit legatum,uel cõtrà.Hæc replicatio approbatur l.hæres meus.77. §.fin. ff.de condit.& demonst. his uerbis:* Quod in fraudẽ legis.ad impediendas nuptias scriptum est,nullam uim habet:ueluti, Titio patri centũ,si filia,quam habet in potestate,nõ nupserit,hæres dato: uel,Filiofami lijs,si pater eius uxorem non duxerit,hæres dato. *Secunda replicatio est:Nisi alij coniunctim cũ muliere ita sit legatũ. Hæc replicatio approbatur l.mulier.72.ff.de condit.& demonst. cuius uerba uide ſ.lib. prox.cap.7. reg.25. except.17. repl.6. Tertia replicatio est: Nisi legatarius mulieri restituere sit rogatus. Hæc replicatio approbatur l.auia.75. §.Titio.ff.eod.tt. his uerbis:* Titio,si mulier non nupserit,hæres centum dato. quam pecuniam eidem mulieri Titius restituere rogatus est.si nupserit mulier,die legati cedente fideicommissum petet:remoto autem fideicommisso,legatarius exemplũ Mutianæ cautionis non habebit. *Octaua exceptio est:Nisi non mulieri sit legatum sub conditione non nubendi,sed uiro,ita,Si uxorem nõ duxerit.Hæc exceptio reprobatur l.legem.3.in prin.C. de indicta uiduitate. cuius uerba proponentur paulò inferius.Concordat l.hæres meus.77.§.fin.ff.de condit. et demonst.cuius uerba uide paulò ſ.except.prox.regl.*

1. *Nona exceptio est: Nisi non ita,Si non nupserit: sed ita sit legatum, Si uel quoties uidua erit, aut si uxorem,uel quando ad cœlibatum peruenerit.Hæc exceptio approbatur d.l.3. C. de indicta uiduitate. cuius hæc sunt uerba:* Legem Iuliam Miscellã quem admodum in fœminis sustulimus,ita & masculis esse sublatam, pertinere equidem ad sensum nostræ legis, quã super hoc promulgauimus,non est incertum.ne tamen quædã ambiguitas simplices animos moueat, etiam expresim sancimus,legem Iuliã Miscellam, & S. C.quod circa eam factum est, necnon Mutianã cautionem,quæ super talibus nuptijs introducta est,nõ solùm in fœminis,sed etiã in masculis cessare.Sed quia apud Vlpianũ in lib. Sabinianis inuenimus quædam uerba,quę effugiunt legis Miscellæ obseruationem: ne quis & ea sublata esse putauerit,sancimus, cùm huiusmodi uerbis mulieribus aliquid relinquatur, Si uidua erit,uel quoties uidua erit:uel econtrariò maribus,Si amiserint uxores,uel quãdo ad cœlibatũ peruenerint:non uetari ea uindicare, uel legitimi modo sumere, quæ eis derelicta sunt. neq; enim ut permaneãt uel fœminæ in uiduitate,uel masculi in cœlibatu,uidetur esse relictũ,ut locum uel ante nostram legẽ habuerit lex Iulia Miscella, quæ iam perempta est:sed quãprimùm hoc euenerit, illicò competat talibus personis eius quod relictum est persecutio:quia sub conditione relictũ esse uidetur, siue semel,siue in annos singulos hæc liberalitas fuerit cõscripta, quasi pro solatio suæ tristiciæ. *Hæc constitutione Imp. Iustiniani proposita exceptio approbatur, & præcedens proxima reprobatur. Quæ autem fuerit lex Iulia Miscella, cuius hic fit mẽtio,nec non constitutio, qua lex illa sublata est, proponetur ſ. except. prox. Decima exceptio est: Nisi uir uel mulier, cui sub conditione non iterandi nuptias legatum est,*

est,non iurauerit,liberorum procreandorum causa nuptias se iteraree: tunc enim conditio non nubendi ei non remittitur.Hæc exceptio approbatur lege Iulia Miscella,cuius sententia proponitur Nouell.c.22. §.enimuerò quem deinceps. de quo uide paulò inferius. Ista autem lex Iulia Miscella, simul etiam exceptio proposita,quã lex ista introduxit, tollitur ac reprobatur l.2. C. de indicta uiduitate,bis uerbis: Ambiguitates legis Iuliæ Miscellæ generali lege tollentes, nullum concedimus fieri iuramentum secundum prædictam legem, sed penitus ea unà cũ Mutiana cautione super hac causa quiescente, licere mulieribus, etiam maritorum suorum interminatione spreta, quæ uiduitatem eis indicit, & non dato sacramento procreandæ sobolis gratia tantùm ad secundas migrare nuptias, pœna huiusmodi cessante,siue habeat liberos,siue non,percipere ea quæ maritus dereliquit. quorum omnium manifestissimum est, dominium minimè eas liberis existentibus habere,usu fructu tantummodò apud eas manente, & ad liberos prioris thori proprietate eorum deferenda, secundum ea quæ de secundis nuptijs,& lucris quæ mulieribus ex his statuta sunt,ne ex necessitate legis & sacramẽto colorato periurium committatur. Cum enim mulieres ad hoc natura progenuit, ut partus ederent, & maxima eis cupiditas in hoc constituta est, cur scientes prudentesq; periurium committi patimur? Tale igitur iuramentum adquiescat,& lex Iulia Miscella cedat, cum Mutiana cautione super hoc introducta à republica separata. augeri etenim magis nostram rempublicam, & multis hominibus legitimis progenitis frequẽtari, quàm impijs periurijs adfici uolumus: cum satis esse inhumanum uideatur,per leges,quæ periuria puniunt, uiá periurijs aperiri. *Hæc lege exceptio proposita in fœminis reprobatur.In uiris autem reprobatur l.legem.3.in prin.C.cod. tt. cuius uerba uide ſ.except.prox. Concordat iam dictæ legi Nouell.c.22.§.enimuerò quẽ deinceps,bis uerbis:* Quem deinceps tractatum aggredimur, tametsi uetus est, & multas in se correctiones suscepit, non ab alijs tantùm, sed etiam à nobis deniq; ipsis: nondum tamen ad absolutam eius rectitudinẽ peruenimus, quã hoc tempore persequentes præsentia sancimus. Verus enim illa & antiqua lex, quã Iuliam Miscellam uocant, quæ circa procreandos liberos prætendit studium, permittebat,etsi uir prohibuisset, & quædam in hoc reliquisset, ne ad secundas mulier nuptias progrederetur, ut nihilominus in ius alterius mariti transiret: & iurata,quòd liberorum causa hoc ageret, relictum caperet. Atque eam licentiam mulieribus intra annũ lex dabat: hoc uerò prætorito, siquidem relictũ uolebat capere,non aliter & prius hoc mulieribus capere licebat, quàm cautionẽ exposuissent,se ad secundas nuptias nõ peruenturas. Sed hanc appendicem & clausulam nõ ipse Iulius Miscella adinuenit: uerũ Q.Mutius Scæuola,qui in omnibus quæ ex facti prohibitione penderent,eiusmodi cautiones excogitauit, hãc fortè legi apposuit. Nos certè, cũ pleraſq; mulieres uideremus nuptias appetere non tam procreandæ sobolis gratia, quàm impulsu quodam naturæ, item iurare, mox nubere,& defunctorũ uoluntates transgredi: principio tanquam sacratiori parti medendum esse arbitratisumus,periurioq; illis interdicendũ,nec committendũ, ut eiusmo di iuramenta subeant, in quibus omnino peierare promptũ esset. Neq; enim illi legi adiectum erat,ut hæ tantùm mulieres,quæ filios nõ haberent,id iuramẽti darent: sed etiam filios habentibus iuramenta proponebantur, Deum simul & defuncti animam cõtristantia:quandoquidem ut peierarent, promptum existeret: ut uerò liberos procrearent, in muneribus & arbitrio fortunæ esset positum.

De iure nouo.

Hactenus de iure antiquo, quo conditio nõ nubendi remissa est:cuius iuris decem propositæ sunt exceptiones. Sequitur nunc ius nouum, quo dictum ius antiquũ tollitur, & conditio proposita nõ remittitur,atq; ob id exceptiones enumeratæ superuacuæ habentur. Illud autem ius nouum proponitur Nouell.c.22. d.§.enimuerò. uerſ.quia uerò,bis uerbis: Quia uerò,ex quo nostra hoc lege sanximus,adepto illis iuramẽto, & permissa taliũ perceptione, cogitationes subijt,horum alterũ à nobis prætermissum esse,quo animæ etiã defuncti ratio habenda erat, propterea sanè præsentẽ legem perferimus. Nolumus enim, ut defunctorũ uoluntates,quę nihil habent absurdi,intercidãt. Siquidẽ enim dixissemus, ut omnino mulier,si maritus præcepisset,ne uuberet,nec esse haberet hoc obseruare: habuisset fortasse lex in se nõnihil amarulentię.Nunc uerò,cum alterũ illud ad manum sit, ut si uelit nubere,relictũ non capiat:summa quædam importunitas fuerit,ita periclitantẽ defuncti uoluntatẽ despicere, ut huic & nubendi, & relictũ capiendi, & per omnia priorẽ coniugem contristandi facultatẽ det. Vnde sancimus,si quis uxorẽ, &c. *Reliqua uide ſ.lib.prox. cap.9.cautione 1. iure igitur nouo,si deficit cõditio nõ nubendi,deficit & legatum mulieri sub ista conditione relictum.Existit autem conditio,& per consequens legatum debetur,si mulier non nupserit. Cuius tamen clegãs proponitur exceptio l.pater.99.in prin ff.de cond. & demonstr.bis uerbis:* Pater Seuerinam Proculam Aelio Philippo cognato nuptijs testamento designauit: eidem filiæ prædium, si

Aelio Philippo nupsisset, uerbis fideicommissi reliquit: quòd si non nupsisset, idem prædium Philippo dari uoluit. nondum uiripotens puella diem suum obijt. Respondit Papinianus, cum in conditionibus testamentorum uoluntatem potius, quàm uerba considerari oporteat: Aelio Philippo fideicommissum ita datum uideri, si ei Procula defuncti filia nubere noluisset. quare cùm ea, priusquam uiripotens fieret, uita decesserit, conditionem extitisse non uideri. *Alias huiusmodi exceptiones conditionis non nubendi existentis, uide* §. *cond.1.reg.2. Hactenus igitur de conditione non nubendi sit dictum.*

III. DE CONDITIONE, SI liberos habuerit.

Prima huius conditionis regula: Si liberos habuerit, conditio existit. Quæ regula ut per se uera est, ita suas habet exceptiones, quarum prima hæc est: Nisi adoptiui sint liberi. Hæc exceptio approbatur l.si ita.53.§.fin. ff.de leg.2.his uerbis: Is cui in tempus liberorũ tertia pars relicta est, utiq; non poterit adoptando tertiam partem consequi. *Secunda exceptio est: Nisi nullos alios liberos habeat, quàm quos testamenti facti tempore habuit. Hæc exceptio approbatur l.solemnis.9.ff.de condit.& demonstr. cuius uerba uide* §. *cap.5. membr.3. except.13. Tertia exceptio est: Nisi uiuo marito testatore liberi sint nati. Reprobatur hæc exceptio l.si uir.59.ff.de condit.& demonst. his uerbis:* Si uir uxori ad tempus liberorum legauerit, dubitari potest, an de his duntaxat filijs senserit testator, qui post mortem eius nati fuissent: an de his, qui uiuo eo ab eo susceptí fuissent post testamentum factum, cùm manente matrimonio decessisset? Verùm æquum est proficere, siue uiuo marito, siue post mortem nascantur. *Quarta exceptio est: Nisi post mortem legatarij nascantur. Et hæc exceptio reprobatur l.sed etsi.20. ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Sed & si ad tempus liberorum fuerit legatum relictũ, & is uxore prægnante decesserit, ad hæredem suũ transferet legatum. *Concordat l.is cui.18.ff.quando dies leg.ced. his uerbis:* Is cui legatum ita est, Si quando liberos habuerit: si prægnante uxore relicta decesserit, intelligitur expleta conditione decessisse, & legatum ualere, si tamen posthumus natus uiuus fuerit. *Concordat item l.intelligendus.153.ff.de uerb.signif.his uerbis:* Intelligẽdus est mortis tempore fuisse, qui in utero relictus est. *Concordat item l.si quis.147.ff.de reg. iuris, his uerbis:* Si quis prægnantẽ uxorem reliquit, non uidetur sine liberis decessisse. *Quinta exceptio est: Nisi exciso uētre natus sit infans. Hæc exceptio reprobatur l.etiam.141.ff.de uerb.signif. his uerbis:* Etiã ea mulier, cum moreretur, creditur filium habere, quę excisо utero edere posit. *Sexta exceptio est: Nisi apud hostes sit filius. Hæc exceptio reprobatur d.l.141. his uerbis:* Necnõ etiã alio casu mulier potest habere filium, quẽ mortis tempore non habuit: utputa, eũ qui ab hostibus captus remeauit. *Septima exceptio est: Nisi mortuus natus sit filius. Hæc exceptio approbatur l.qui mortui.129.ff.de uerb.signif.his uerbis:* Qui mortui nascuntur, neq; nati, neq; procreati uidentur: quia nunquã liberi appellari potuerũt. *Octaua exceptio est: Nisi liberi nati ſtim sint mortui. Hæc exceptio reprobatur l.cũ uxori.* 4.*C.quãdo dies leg.cedat, his uerbis:* Cũ uxori usus fructus prędij legatur, & eius proprietas, cũ liberos habuerit: nato filio, statim proprietatis legati dies cedit, nec quidquã obest, si is decedat. *Nona exceptio est: Nisi mulier legataria ex alio quàm ex testatore liberos habuerit. Hæc exceptio approbatur l.cũ uir.24.ff.de cond.& demonst.his uerbis:* Cum uir uxori, quandocũq; liberos habebit, fundũ legauit: si mulier diuortio facto liberos ex alio procreauerit, deinde soluto secundo matrimonio ad priorẽ maritũ redierit: non intelligitur expleta conditio, quòd testatorẽ uerisimile nõ est de his liberis sensisse, qui se uiuo ex alio suscepti fuissent. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi testator specialiter expresserit, etiam ex alio liberos. Quæ replicatio approbatur l.sed si.60.in prin.ff.d.tit. his uerbis:* Sed si hoc specialiter expresit testator, etiamsi ex alio post mortẽ suã liberos procreauerit, nihilominus eã ad legatũ admitti. *Hæc de prima propositæ cõditionis regula sint dicta. Cuius tamen plures exceptiones uide* ỹ.*cond.prox.reg.2.item li.50.cap.4.in uerbo Liberi, & Liberorũ appellatione.*

Secunda regula: Si non habuerit liberos, conditio proposita deficit, & legati actio denegatur. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi legatarius uel legataria, cui sub ista conditione legatũ est, monasterijs ingredíatur, uel clericatum suscipiat. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.123. §.si quis sub. cuius uerba uide §. *condit.1.reg.2.except.3. Secunda exceptio est: Nisi legatarius, cui sub tali conditione legatum est, prægnante uxore decesserit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt paulò superius reg.prox.except.4. Pluris exceptiones uide* ỹ.*condit.prox.reg.1.*

IIII. DE CONDITIONE, SI sine liberis decesserit.

Prima huius cõditionis regula: Si sine liberis mortuus fuerit, hæc conditio existit. Quæ regula approbatur l. ex facto.17.§ si quis aũt. ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba ỹ. *proponẽtur. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi filius quẽ habet, ante patrẽ uel simul cũ patre decesserit. Secunda exceptio est. Nisi mercũ fit, an ũ pater, an filius prior decesserit. Hæ duæ exceptiones reprobantur d.§.si quis aũt, his uerbis:* Si quis susceperit quidem filiũ, uerùm uiuus amiserit, nidebitur sine liberis decessille. Sed si naufragio, uel ruina, uel aggressu, uel quo alio modo si mul cum patre perierit, an cõditio defecerit, uideamus? & magis non defeciſſe arbitror: quia non est uerum, filium eius superuixisse.

uixisse. Aut igitur filius superuixit patri, & extinxit conditionem fideicommissi: aut non superuixit, & extitit conditio. Cum autem quis ante, & quis postea decesserit, non apparet: extitisse conditionẽ fideicommissi, magis dicendum est. *Plura de hac re uide* §. *lib.7.cap.9. reg.13. Tertia exceptio est: Nisi prægnante uxore decesserit. Hæc exceptio approbatur l.si quis.147.ff.de reg.iuris, hisce uerbis:* Si quis prægnantem uxorem reliquit, nõ uidetur sine liberis decessisse. *Concordat l.intell.153.ff.de uerb. signif.his uerbis:* Intelligendus est mortis tempore fuisse, qui in utero relictus est. *Concordat item l.sed & si.20.ff.ad S.C.Trebell. cuius uerba uide* §. *condit.prox.reg.1.except.4. Iam dictæ exceptionis replicatio hæc est:* Nisi posthumus uiuus natus non sit. *Hæc replicatio approbatur l.is cui.18.in fine.ff.quãdo dies leg.cedat. cuius uerba uide* §. *cond.3.reg.1. exc. 4. Quarta exceptio proponitur l.hæredibus.77. in prin.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Hæredibus instutis filijs utriusq; sexus, singulos rogauit, ut qui sine liberis decederet, partem suã hæreditatis sorori fratriue restitueret: aut si frater sorórue nõ esset, matri suæ. & hæc uerba adiecit: Vosq; liberi charissimi, hoc fideicommisso teneri inuicem uolo, donec liberos binos educaueritis. quęsitum est, si quis ex liberis duos filios procreauerit, quãuis superstites non reliquerit, an hæredes eius fideicommissum debeant? Scęuola respondit, secundum ea quę proponerentur, uideri fideicommissi onere liberatos. *Alias huiusmodi exceptiones uide* §. *cond.prox.reg.2.*

II. *Regula: Si liberis relictis decesserit, conditio defeciſſe intelligitur, legatiq; actio denegatur. Quæ regula approbatur l.ex facto.17. §.si quis aũt.ibi aut igitur. ff.ad S.C. Trebell. cuius uerba uide paulò* §. *reg.prox. except.2. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi adoptiui sint liberi, quos reliquit. Hæc exceptio approbatur l.fideicom.74.ff.de condit.& demonstr.his uerbis:* Fideicommissum à filijs relictum, si quis ex his sine liberis diem suum obierit, adoptionis commento non excluditur. *Secunda exceptio est: Nisi liberos naturales reliquit. Hæc exceptio reprobatur, certo tamen modo, l.ex facto.17. §.si quis rogatus.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Si quis rogatus fuerit, ut si sine liberis decesserit, restituat hereditatem: Papinianus lib.8. Responsorum scribit, etiam naturalem filium efficere, ut deficiat cõditio: & in libertino, eoq; conliberto hoc scribit. Mihi autẽ (quod ad naturales liberos attinet) uoluntatis quæstio uidetur esse, de quibus liberis testator senserit: sed hoc ex dignitate & ex uoluntate & ex conditione eius qui fideicommisit, accipiendum erit. *Tertia exceptio: Nisi ex illegitimo matrimonio nati sint liberi. Hæc exceptio reprobatur l.hæredibus.77. §.fin. ff.ad S. C. Trebell. his uerbis:* Titius nepotes ex filia & furiosam filiam suam hæredem instituit, & fideicommisit filiæ, ut si sine liberis decesisset, pars ei data perueniret ad cohæredes. eam furiosam ipse Titius in matrimonio collocauit, & enixa est filiam post mortem patris. quęsitum est, defuncta furiosa, superstite ex huiusmodi coniunctione parta filia, an fideicommissum ad cohæredes pertineret? Scæuola respondit, cum filiam reliquisse proponeretur, fideicommissum non deberi. Claudius: Nam etsi matrimonium cum furioso non fuit, satis tamen factum est eiusmodi conditioni. *Quarta exceptio est: Nisi liberi relicti post deportationem patris sint concepti. Hæc exceptio approbatur l.ex facto.17. §.ex facto.ff.ad S.C.Trebell.his uerbis:* Ex facto tractatum memini: rogauerat quædam mulier filium suum, ut si sine liberis decesisset, restitueret hæreditatem fratri suo: is postea deportatus in insulam, liberos susceperat: quærebatur igitur, an fideicommissi conditio defeciſſet? Nos igitur hoc dicimus, conceptos quidem ante deportationem, licet postea edantur, efficere ut conditio deficiat: post deportationem uerò susceptos quasi ab alio non prodesse, maximè cum etiam bona sua quodammodò cum sua causa fisco sint uindicanda. *Quinta exceptio est: Nisi libertinus sit filius et collegatarius. Hæc exceptio reprobatur d.l.17.§.si quis rogatus. ibi: & in libertino. cuius uerba uide paulò* §. *except.2. Concordat l.cum pater.79.§.uolo.ff.de leg.2.his uerbis:* Volo prædia dari libertis meis: quòd si quis eorum sine liberis uita decesserit, partem eius ad reliquos pertinere uolo. collibertum patris eundemq; filium ex uoluntate substitutionem excludere placuit. *Concordat item l.ult. ff.de iure deliberandi, his uerbis:* Qui filium libertinum habebat, hæredem eum instituerat: deinde ita scripserat, Si mihi filius nullus erit, qui in suam tutelam ueniat, tunc Dama seruus liber esto. is filius pupillus libertinus erat. quærebatur, si Dama liber esset? Trebatius negat: quia filij appellatione libertinus quoque contineretur. Labeo contrà: quia eo loco uerum filium accipi oporteret. Trebatij sententiam probo (*laboleuus ait*) si tamen testatorem de hoc filio locutum esse appareat. *Sexta exceptio est: Nisi filius apud hostes sit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi post mortem legatarij ab hostibus redierit. Quæ replicatio approbatur l.etiam.141. ff.de uerbor. signif. cuius uerba uide* §. *condit.3. reg.1. except.6. Septima exceptio est: Nisi posthumi liberi sint. Quæ exceptio reprobatur l.iubemus.6. §.fin autem is. C. de S. C. Trebell. cuius uerba* ỹ. *proponentur except.9. Concordant ea quæ dicta sunt* §. *reg.prox.except.3. Octaua exceptio est: Nisi non filium, sed nepotem reliquerit. Et hæc ex-*

ceptio reprobatur d.§.fin autem is. Concordat l.1.C.de cond.insertis,hisce uerbis: Cum testatorem fideicommissum Trallianis ab eo,quem pro parte hæredem instituerat,ita reliquisse proponas, Si sine liberis institutus diem obijsset: isq; nepotem quem ex filia susceperat, hæredē instituerit: conditionē adscriptam fideicommisso defecisse manifestum est, nisi alia defuncti uoluntas euidenter probabitur. *Nona exceptio est: Nisi unico tantùm filio uel nepote relicto decesserit. Hæc exceptio reprobatur l.pater.99.§.ita fideicommisso.ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Ita fideicommisso dato, Volo restituas,si sine liberis decedas: conditio deficit ex uolūtate, uel uno filio superstite relicto. *Concordat d.l.6.§.fin autem is. C.de S.C. Trebell. his uerbis:* Quoties pater uel mater,filio seu filia, filijs seu filiabus, ex æquis uel inæquis partibus institutis, inuicē seu simpliciter quosdam ex his,aut quendā rogauerit,qui prior sine liberis decesserit,portionem hæreditatis suæ superstiti seu superstitibus restituere:si is qui fideicōmissaria restitutione grauatus est, uno filio superstite, uel nepote ex filio seu ex filia nato,uel pronepote uel post humo relicto decesserit,nō uidetur extitisse conditio,& ideo deficit fideicommissi petitio. *Concordat item l.non est.148.cum l.sequente.ff.de uerb.signif.his uerbis:* Non est,&c. *Decima exceptio: Nisi liberi relicti hæredes defuncti non extiterint. Hæc exceptio reprobatur l.filiusfamilias.111.§.cū quis.ff.de leg.1.his uerbis:* Cum quis rogatus erit, si sine liberis decesserit, per fideicommissum restituere: conditio defecisse uidebitur, si patri superuixerint liberi, nec quæretur an hæredes extiterint. *Vndecima exceptio est: Nisi incertum sit uter utri superuixerit, uel simul cum patre filius interierit. Hæc exceptio approbatur l.ex facto.17.§.si quis autem.ff.ad S.C. Trebell. cuius uerba uide ẽ.reg.1.except.2. Hæc de secunda regula: de qua tamen uide plura ẽ.condit.prox.reg.1.*

V. DE CONDITIONE, SI VEL dum cum liberis erit: item, Si non à liberis recesserit.

Deficit hæc conditio,legatiq; acto denegatur,si à liberis recesserit. Quæ regula approbatur l.si ea conditione.3.C.de condit.insertis.cuius uerba uide ẽ.cap.proxim.in prin. Eius autem regulæ exceptio prima hæc est: Nisi per legatariū non stetit,quo minus sit cum liberis. Hæc exceptio approbatur l.Titia.35.§.si ea conditione.ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.except.20.in prin. Concordat l.qui concubinam.29.§.uxori,in fin.ff.de leg.3. cuius uerba uide d.except.20. Secunda exceptio est: Nisi consilium retinuerit secum habendi liberos. Hæc exceptio approbatur l.si quis.8.ff.de condit.& demonstr. his uerbis: Si quis ita legauerit, Dum uxor mea cū filio erit, hæres meus ei tantū dato: si ea latitans patronū de medio discesserit, ut tamē consiliū retineret habendi secū liberos, deberi ei legatū, Trebatius & Labeo aiunt: quia non omne momentū exigendum sit, ut cum liberis sit, sed ut eam mentem & id propositum habeat, ne filium à semet dimittat, néue per eam stet, quo minus cum ea filius educetur. *Tertia exceptio est: Nisi ob grauiorem seruitutem uitandam à liberis discesserit. Hæc exceptio approbatur l.Caio.13.§.fin.ff. de alimentis legatis, hisce uerbis:* Consultus de tali scriptura, Et recum sint semper uolo: quæro, cum manumisi ab hærede, cum quo morati diu sint, sed ob grauiorem seruitutem ab eo discesserint, an alimenta his debeantur, quæ negauit se præstare, nisi uice seruitutis his uteretur? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, deberi. *Quarta exceptio est: Nisi liberi, cum quibus morari debuit, mortui sint. Hæc exceptio approbatur d.l.13.§.Imperator, his uerbis:* Imperator Antoninus Pius libertis Sextæ Basiliæ. Quamuis uerba testamenti ita se habeant, ut quoad cum Claudio Iusto morati essetis, uobis alimenta & uestiaria legata sint: tamē hanc fuisse defuncti cogitationem interpretor, ut post mortē Iusti eadem uobis præstari uoluerit. Scæuola respondit, eiusmodi scripturam ita accipi, ut & necessitas alimentis præstandis perpetuò maneat. *Concordat l.Stichus.20.§.fin.ff.d.tt. his uerbis:* Mater filio hærede instituto, per fideicommissum libertatem Pamphilo seruo suo dedit: eidem cibariorum nomine legauit quinos aureos, & uestiarij in singulos annos quinquagenos, si cum filio eius moraretur. quæro, filio eius defuncto, an alimenta deberentur? Scæuola respondit, si conditioni paruisset, deberi etiam post mortem. *Concordat item l.annua.20. in prin. ff.de annuis legat. hisce uerbis:* Annua his uicibis legauit, Si morentur cum matre mea, quam hęredem pro parte instituit: quæsitum est, an mortua matre conditio adposita defecisse uideatur, ac per hoc neq; uestiaria, neq; cibaria his debeantur? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, deberi. *Concordat item l.1.C.de leg. cuius uerba uide ẽ.cap.proxim.except.20. Propositæ exceptionis replicatio proponitur l.illis.82. in fine.ff.de cond.& demonstr. de qua uide ẽ.d.except.20.repl.1. Quinta exceptio est: Nisi is cum quo morari iussus est, assiduè proficiscatur, & in loca longinqua. Hæc exceptio tractatur l.Mœuia.13.§.fin.ff.de annuis legatis, hisce uerbis:* Vxore hærede scripta ita cauit: Libertis meis omnibus alimentorum nomine singulis annuos denarios duodecim ab hærede dari uolo, si ab uxore mea non recesserint. quæro, cum paterfamiliās sua uoluntate de ciuitate difficilè profectus sit, ea autem assiduè proficiscatur, an liberi cum ea proficisci debeant? Scæuola respondit, non posse absolutè responderi, cùm

cum multa oriri possint, quæ pro bono sint æstimanda: ideoq; huiusmodi uarietatem uiri boni arbitrio dirimendam esse. *Sexta exceptio est: Nisi is cum quo morari iussus est, nihil amplius illi præstet, quàm legatum est. Et hæc exceptio tractatur d.§.fin.bis uerbis:* Item quęritur, cum proficiscens eis nihil amplius obtulerit, ac propter hoc eam secuti non sint, an legatum debeatur? Scęuola respondit, & hoc ex longin quis breuibusq; excursionibus, & modo legati æstimandum esse.

VI. DE CONDITIONE, Si hæres erit.

I.Regula: Legatum ab aliquo ita relictum, Si hæres erit: conditionale non est. Quæ regula approbatur l. hæc uerba.3.ff.de leg.1.his uerbis: Hæc uerba testatoris, Quisquis mihi ex suprascriptis hæres erit: aut, Si hæres erit Seius: uel, Si hæreditatem adierit: subiectū legatum uel fideicommissum non faciunt conditionale. *Concordat l.in conditionib.19.§.hæc scriptura.ff.de condit.& demonstr. cuius uerba uide j.except.prox. Concordat itē l.aliquando.105. in prin. ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.8.reg.1. except.2.repl.3. Concordat item l.si dies.21.§.fin.ff.quando dies legat.cedat. cuius uerba uide d.repl.3. Concordat item l.si Titio.22.§.quædā.ff.d.tt. cuius uerba uide d.except.2.repl.4. Proinde etsi hæres institutus, à quo ita legatum est, Si hæres erit: hæres non existat, nihilominus tamen substitutus legatum debet. l.antepenult.§.fin.ff.de leg.1. Et si legatarius, antequàm ille, à quo legatiū ei relictū est, hæreditatē adeat, decesserit, nihilominus legatum ad suos hæredes transmittit. d.l.22.§.quædam.ff.quando dies leg.cedat. Planè propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi testator uoluerit conditionem esse. Hæc exceptio approbatur l. in conditionib.19.§.hæc scriptura.ff.de condit.& demonst. his uerbis:* Hæc scriptura, Si Primus hæres erit, centum dare damnas esto: pro conditione non est accipienda. magis enim demonstrauit testator, quando legatū debeatur, quàm conditionem inseruit: nisi fortè hoc animo fuerit testator, ut faceret conditionem. *Secunda exceptio est: Nisi duobus hæredibus institutis, Seio puta & Mœuio, dixerit testator: Si Seius mihi hæres erit, tunc hæredes mei Titio centum danto. Hæc exceptio approbatur l.si Titio.22.§.fin.ff. quando dies leg.ced. his uerbis:* Si tantùm duos hæredes instituam, & si alter ex his adeat hæreditatem, alicui legem ab omnibus hæredibus: non erit quidem pro superuacuo ea conditio, sed in portione quidem cohæredis ualebit: in ipsius autem, cuius persona in conditione comprehensa est, superuacua erit, perinde atq; si solo cohærede instituto, eo modo legatum est. *Tertia exceptio est: Nisi non legatum sit, sed institutio hæredis facta, si & alter hæres esset. Hæc exceptio approbatur l.seruus.3.§.si quis ita.ff.de hæred.instit. his uerbis:* Si quis ita scripserit, Si Titius hæres erit, Seius hęres esto: quasi quæuis conditio expectatur Titij adtio, ut Seius hæres fiat: & sanè & Iuliano & Tertylliano hoc uidetur.

II. Regula: In ijs ergo casibus, in quibus scriptura hæc, Si hæres erit: conditionem facit, conditio regulariter existit, si hæres extiterit. Cuius regulæ exceptiones hæ sunt. Prima exceptio est: Nisi coactus hæreditatem adierit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ habentur ẽ.cap.1.except.41.repl.2. Secunda exceptio est: Nisi ab intestato hæres existat. Hæc exceptio approbatur l.si in testamento.22.in prin. ff.si quis omissa causa testam. cuius uerba uide ẽ.lib.prox. cap.14. except. 22. Concordat l.cùm filio.3.& l.qui liberis.8.§.hæc uerba. ff.de uulgari substit. quarum legum uerba uide ẽ. lib.28. cap.13. except.139. item cap.22.reg.16. Tertia exceptio est: Nisi cum quis filio suo impuberi Seium substituisset, & ab eo legasset Titio ita, Si Seius mihi hæres erit: filius hæres extiterit, & intra pubertatem decessisset. hoc enim casu Seius substitutus impuberis, non testatoris hæres efficitur, & ob id uidetur defecisse conditio. Verùm exceptio hæc reprobatur l.paterfam.44.ff.de uulgari substitut. his uerbis: Paterfamiliās primis tabulis posthumo hęrede instituto, secundis sibi uel filio, si intra pubertatem decessisset, Caium Seium fratrem suum substituit, deinde Titium Caio Seio, & postea sic dixit: Quòd si Caius Seius frater meus primo loco substitutus hæres mihi erit, tunc Titio fideicommissum relinquo. Quæro, cum filius patri hæres extiterit, eoq; intra pubertatem mortuo, frater testatoris ex substitutione hæres sit, an fideicommissum debeatur, cum ita relictum sit, si Caius Seius frater suus sibi hæres extitisset? Paulus respondit, defuncti fratrem, qui in utrunq; casum substitutus est, filio impubere defuncto, ea quæ testator reliquit, præstare debere: nec aduersari hęc uerba, Quòd si Caius Seius mihi hæres erit, tunc dari uolo: cum uerum sit, eum testatori hæredem extitisse. *Quarta exceptio uidetur: Nisi hæres existens, postea hæres esse desierit. quæ exceptio reprobatur l.in substit.29.ff.de uulgari substit. his uerbis:* In substitutione filio ita facta, Quisquis mihi ex suprascriptis hæres erit, idem filio hæres esto: quæritur, quisquis hæres quandoque fuerit intelligatur, an quisquis tum hæres erit, cum filius moriatur? Placuit prudentibus, si quandoque hæres fuisset: quamuis enim uno pupillo hæres esse desijsset (fortè ex causa de inofficioso, quæ pro parte mota est) futurum tamen cum hæredem ex substitutione creditum est. Non simili modo in hac specie dicendum est, si quis, cum filios duos haberet, Caium puberem, Lucium impuberem, ita filio substituisset: Si Lucius filius meus impubes decesserit, neque mihi Caius filius hæres erit, tunc Seius hæres esto. Nam ita prudentes hoc interpretati

terpretati sunt, ut ad impuberis mortem conditio substitutionis esset referenda. *Concordat l.ex facto.41.§.Iulius. ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.13.except.118.repl.2.* Quinta exceptio est: *Nisi per alium existat hæres, ut dominus uel pater instituti. Hæc exceptio approbatur per ea quæ proposita sunt ẽ.lib.28.cap.22.reg.16.* Sexta exceptio uidetur: *Nisi ex substitutione,non ex institutione hæres existat.* Hæc exceptio reprobatur *l.ex duobus.32.§.1.ff.de uulg.substit.cuius uerba uide ẽ.d.cap.22.reg.17.*

VII. DE CONDITIONE, SI hæres non erit.

1.Regula: *Existit hæc conditio,si hæres non sit. Cuius regulæ exceptio prima hæc est:Nisi ita institutio hæredis sit facta, Si Titius hæres non erit, Titius hæres esto. Hæc exceptio approbatur, certo tamen modo, l. ult.§.2. ff.de uulgari & pupill. substit. de quo ẽ. lib.28. cap.13. except.128. Secunda exceptio est: Nisi cum quis substituto substitutus esset sub hac conditione, Si substitutus hæres non erit: substitutus hæres non fit ob id, quia institutus hæres existat. tunc enim substituto substitutus cum instituto hæres esse nequit, quãuis conditio substitutionis extiterit.quæ exceptio approbatur l.cum in testamento.37.in prin.ff.de hæred.instit. cuius uerba uide ẽ.lib.28.cap.22.reg.12. Tertiã exceptio est: Nisi hæres non fit ob id,quòd ante diem hæreditatis cedentem fuerit mortuus.Hæc exceptio reprobatur l.ult. ff.quando dies leg.cedat.,his uerbis:* Vxori ex parte dextante hæredi institutæ substituit, & hæredum fidei commisit,si uxor hæres nõ erit, dotem ei & alia quædam dari.post mortem mariti uxor ante conditionem, & priusquã adiret hæreditatem,decesit.quæsitum est, an dies fideicommissi,cum moritur, cessisse uideatur, ideoq; hæredibus eius debeatur? Respondit Scæuola, Si uxor prius decessit,quàm hæreditatẽ adiret, uideri diem fideicommissi cessisse. *Concordat l.ab omnibus. 101.§.cum quidam. ff.de leg.1. cuius uerba uide ẽ. lib. prox.cap.8.reg.1.except.4.* Quarta exceptio est: *Nisi aduersus repudiationẽ hæreditatis in integrũ sit restitutus, & ita hæres effectus. Quæ exceptio approbatur l.ait prætor.7.§.sed quod Papinianus. ff. de minoribus 25.annis,his uerbis:* Quod Papinianus, &c.

11.Regula: *Deficit hæc conditio,& legati actio denegatur, si hæres extiterit. Quæ regula approbatur l. in conditionib.19.§.sed si sic.ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Si sic leget, Si Primus mihi hæres non erit,damnas esto Secundus dare:& Primus hæres extiterit, legatum non debebitur. *Huius regulæ exceptio prima hæc est:Nisi pro parte tantùm hæres sit. Hæc exceptio reprobatur d.§. sed si sic,his uerbis:* Si Primus adierit cum Secundo, non extitisse conditionem, nequaquam ambigendum est. *Concordat d.l.19. §. si à Primo. cuius uerba uide ẽ. proximè. Secunda exceptio est: Nisi alter ex duobus hæres non extiterit. tunc enim, quamuis alter hæres extiterit, legatum tamen debebitur. Hæc exceptio approbatur in casu d.§. si à Primo,his uerbis:* Si à Primo ita legatum sit, Si Secundus hæres non erit, uiginti Titio dato: simili modo à Secundo, si eidem Titio ita legatum sit,si Primus hæres non erit: & ambo hæredes extiterint, legati conditio deficiet. si alter hæres extitit, alter non extitit, legatum debebitur. *Tertia exceptio est: Nisi cum seruus duorum hæres institutus esset,& ita esset legatum,Si seruus hæres non erit: seruus altero dominorum iubente, altero prohibente, hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur l.seruum. 4.6.in prin.ff.de uulgari substitut.his uerbis:* Seruum communem habemus, hic hæres scriptus est, & si hæres non fit, Mæuius illi substitutus est. alterius iussu dominorum adijt hæreditatem,alterius non.quæritur,an substituto locus sit,an non? & uerius est,substituto locum esse. *Quarta exceptio est: Nisi coactus hæreditatem adierit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ.cap.3. membr.2. except.24.* Quinta exceptio est: *Nisi per contra tabulas bonorum possessionem hæres extiterit. Hæc exceptio reprobatur l. in conditionib.19.§.si patronus. ff.de condit.& demonstrat.his uerbis:* Si patronus contra tabulas bonorum possesione accepta, debitam portionem occupet:legata quæ sic data sunt,Si patronus hæres non erit: non debet cohæres patroni præstare. *Sexta exceptio est:Nisi hæres existens postea aduersus additionem in integrum sit restitutus. Quæ exceptio approbatur l.ait prætor.7.§. sed quod Papinianus. ff.de minorib.25.annis. Plura de regula proposita uide ẽ.lib.28.cap.13.except.132.*

VIII. DE CONDITIONE, Si rationes reddiderit.

Prima regula, De definitione huius conditionis,proponitur l.cum seruus.80.§. quid ergo. ff.de condit.& demonstrat. his uerbis: Quid continetur his uerbis, Si rationes reddiderit? quidam hoc aiunt, Si reliqua reddiderit: quasi nihil interfit,utrum sub hac conditione, Si reliqua: an sub hac, Si rationes reddiderit. Sed nos (*Callistratus ait*) neque conditionem meram putamus esse, quæ in datione existat: neque meram conditionem, quæ in facto sit: sed eam conditionem,quæ ex quadam mistura consistat. nam non utique, si ille in folle reliqua obtulerit, liber erit. non enim testator hoc sensit: sed illud, ut rationes reddat, quomodo seruus reddere solet: id est, legendas offerre rationes primùm, deinde computandas,ut explorari possit,imputationes probè, an improbè referantur: rectè relata accepta, an non rectè. ita enim incipit quidem res à facto, peruenit autem ad pecuniam. Inest his uerbis etiam, hæredes noticia instrui rationum, ut sciant quid in quaque ratione scriptum sit. Nam quod ipse uiuus facturus erat, id ab hæredibus suis fieri iussisse intelligitur. Ille autem

tem utiq; solebat, non sic seruo suo ostendenti reliquas rationes subscribere: sed ita ut legeret, examinaret, exciperet. Itaq; & cùm seruo sub hac conditione testamento libertas datur, Si rationes reddiderit: non hanc solam habet significationem, si cautiones instrumentaq; omnia actus sui exhibuerit hæredi, sed & si reliqua soluerit. *Concordat l.quamuis.31.in princ.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ. cap.5.quæst.3.except.10.replic.6. Concordat item l.Iulius.79.§.hac conditione.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.except.37.repl.2. Concordat item l.si seruo.31.in prin.ff.de statuliberis,his uerbis:* Si seruo sub conditione rationum editarum legatum sit: per eam conditionem iussum esse eum accipere legatum, ut pecuniam reliquorum reddat,non dubitatur. *Alia huiusmodi definitio proponitur l.qui sub.109. ff. de condit.& demonstr.his uerbis:* Qui sub conditione rationum reddendarum liber esse iussus est, docere debet, constare fidem omnibus quæ ab eo gesta sunt, ut neque subtraxerit quid ex his quæ acceperit:neq; expressum rationibus præscripserit, quod non dederit: sed & quod reliquum per contextum scriptum est remanere apud eum, soluere debet. neque enim aliter liber esse potest, quàm si hoc modo conditioni, sub qua data est libertas, satisfecerit. Cæterùm debitores,cũ quibus ipse contraxit, non utique in diem mortis domini sui fuisse idoneos, præstare cogendus est: sed eo tempore, quo his creditum est,eius conditionis fuisse, ut diligẽs paterfamiliãs his crediturus fuerit. *Sed & alia huiusmodi definitio continetur l. Thais. 41.§. Stichus.ff.de fideicommiss.libert.his uerbis:* Stichus & Damas serui mei,si rationes reddiderint,liberi estote. quæsitum est, an non solùm rationes, uerùm si qua alia consilio & fraude eorum amota sunt,præstari ab his debeant, ut ad libertatem perueniant? Scæuola respondit,rationum reddendarum conditione contineri omne, quod quoquo genere serui actum fidemq; respiceret.

Secunda regula: Existit hæc conditio, si seruus rationes reddiderit,& reliqua soluerit. Quæ regula ex præcedentibus patet. Eius autem regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cùm duobus sub conditione rationum reddendarum legatum esset, altero rationes reddere parato, alter non reddat rationes. Hæc exceptio approbatur certa conditione l.si quis.13.§.si duo. ff.de statuliberis, hisce uerbis: Si duo serui rationibus redditis liberi esse iussi fuerint, & separatim rationes gesserint, non dubiè separatim quoq; conditioni parêre poterunt.Sed si actus eorum communiter gestus ita mixtus fuerit, ut separari non possit,necessariò alter cessando alterius libertatẽ impedier: nec uidebitur conditio in persona alterius impleta, nisi id quod computatione rationum habita reliquum fuerit, aut uterque, aut alter totum soluerit. *Plura de exceptione proposita uide ẽ. cap.5. quæst.3. except.5.repl.1. Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi alij quàm hæredi rationes reddiderit, uel reliqua soluerit. Hæc exceptio ut regulariter uera est, ita suas habet replicationes, quarum prima hæc est: Nisi hæres absens sit, tunc enim arbiter à magistratu dari potest, cui seruus rationes reddat. Quæ replicatio approbatur l.si pater.47.§.si Sticho.ff.de fideicommiss.libertat. his uerbis:* Si Sticho libertas per fideicommissum data fuerit sub conditione, si rationes reddidisset, & is absente hærede paratus sit reliqua soluere: Prætoris officio continetur, ut uirum bonum eligat, cuius arbitrio rationes computentur: & ut pecuniam, quæ ex computatione colligitur, deponat, atq; ita pronunciet libertatem eorum ex causa fideicommissi deberi. Hoc autem fieri conueniet,si hæres iusta ex causa aberit. nam si latitauerit,satis erit liquere Prætori,per seruum non stare, quo minus conditioni pareat: atque ita pronunciare de libertate oportebit. *Concordat l.si cui.48. ff.de condit.& demonstr. his uerbis:* Si cui libertas data sit directò sub hac conditione,si rationes reddidisset: arbitrum à consulibus dari, diuus Pius permisit his uerbis: Aditi à uobis amplissimi consules arbitrum dabunt, qui excussis rationibus, non tantùm quæ reliqua sunt Epaphroditi, cõstituent, uerùm etiam quas rationes, quæque instrumenta tradere aut exhibere dominis suis debeat. Cuius sententiæ cum fuerit satisfactum,nõ impedietur Epaphroditi libertas. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi hæres statuliberum uenditerit. hoc enim casu emptori reliqua soluendo conditio existit. Quæ replicatio approbatur l.si statuliberum.6.§.fin.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Si quis non dare decem,sed rationibus redditis liber esse iussus est, an ad emptorem hęc conditio transeat, uideamus? Et aliàs sciendum est, eas demum conditiones ad emptorem transire, quæ sunt in dando. cæterùm si quæ sunt in faciendo,non transeunt: utputa, si filium eius literas edocuerit. hæ enim personis eorum cohærent,quibus adscribuntur. Rationum autem reddendarum conditio,quod ad reliqua quidem attinet, in danda pecunia consistit: quod autem ad ipsa uolumina rationum tradenda, percontandas atq; examinandas rationes, & dispungendas atq; excutiendas, factum habet. Nunquid ergo reliqua quidem emptori dando perueniat ad libertatem, cætera in persona hæredis consistant? Puto igitur, & ad emptorem reliquorum solutionẽ transmitti: sic fiet,ut diuidatur conditio.

& ita Pomponius libro octauo, & Sabinus scribunt. *Tertia replicatio est: Nisi tutori hæredis impuberis reliqua soluerit. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio hæc est: Nisi in fraudem hæredis cum tutore collusio sit facta. Hæc duplicatio approbatur l.qui filium.22.in princip. ff.de manumiß.testam.his uerbis:* Qui filium impuberem hæredem instituit, Stichum ratione argenti, quod sub cura eius esset, reddita liberum esse iusserat. is seruus partem argenti subtractam cum tutore diuisit, atque ita tutor parem ei rationem adscripsit. consultus Africanus, an Stichus liber esset? respondit, non esse liberum. Nam quod alioquin placet, si statuliber pecuniam dare iussus tutori det, uel si per tutorem stet, quo minus pareatur conditioni, peruenire eum ad libertatem: ita accipiendum est, ut bona fide & citra fraudem statuliberi & tutoris id fiat, sicuti & in alienationibus rerum pupillarium seruatur. Itaque etsi offerente statulibero pecuniam tutori, in fraudem pupilli accipere nolit, non aliter libertatem contingere, quàm si seruus fraude careat. Eademque & in curatore sunt dicenda, *Quarta replicatio est: Nisi curatori hæredis adolescentis reliqua soluit. Hæc replicatio reprobatur l.Lucius.33.ff.eodem titulo, his uerbis:* Lucius Titius seruo libertatem dedit, si rationem actus sui ex fide reddidisset Caio Seio filio suo. Cum annos pubertatis egressus fuisset Caius Seius, à curatoribus eiusdem conuentus seruus apud iudicem omnibus satisfecit, exacta cautione à curatoribus. pronunciatum est, liberum eum esse. nunc Caius Seius filius testatoris negat, curatoribus suis rectè pecuniam illatam esse. quæro, an iure soluta sit quantitas? Paulus respondit, curatoribus quidem adolescentis reliquam rationem, ut conditio testamento adscripta impleatur, non iure solutam uideri: sed si præsente adolescente pecunia illata est, uel in rationes eius relata, impletam conditionem uideri, acsi ipsi soluta fuisset. *Hæc de secunda exceptione eiusq; replicationibus sint dicta. Tertia exceptio est: Nisi non omnibus hæredibus reliqua soluerit. Hæc exceptio approbatur l.si quis.12. ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Si quis testamento libertatem acceperit sub conditione, Si rationem reddiderit: debet pro hæreditaria parte hæredibus reliqua soluere, etiam si nomina quorundam hæredum sint in conditione posita. *Quarta exceptio est: Nisi non solidum sit solutum uel præstitum. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi per errorem & imprudentiam minus sit solutum. Hæc replicatio approbatur l.quamuis.31. ff. de condit. & demonstrat. cuius uerba cum aliis similibus uide ff. capite 5. membr.3. except.10. replic.6. Secunda replicatio est: Nisi reliquum sit obscurius, pro quo satisfare sit paratus. Hæc replicatio approbatur l.Statuliber.5.in princip.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Statuliber rationem reddere iussus, reliquum quod apparet soluit, de eo quod obscurius est satisdare paratus est? Neratius & Aristo rectè putant, liberum fore, ne multi ad libertatem peruenire non possint incerta causa, ratione & genere negocij huiusmodi. *Concordat l.seruus.34. §.fin. ff.eod.tt. cuius uerba uide ff. reg.3. except.3. in fine. Tertia replicatio proponitur l.Thais. 42. §. libertatem. ff. de fideicommiß.libert.his uerbis:* Libertatem ita testamento dedit, Cupitum seruum meum, cum Martianus filius meus sedecim annos impleuerit, rationibus redditis liberum esse uolo, post mortem testatoris tutores Cupito exactionem commiserunt, isq; numos redactos expensauit eisdem tutoribus: deinde filius impubes decessit, cui mater hæres extitit, & tutorem tutelæ iudicio filij condemnatum habuit. Cupitus ad libertatem proclamabat eo tempore, quo si uiueret Martianus, annos sedecim ætatis habiturus esset, offerés rationes unius anni in die mortis testatoris, quo cæteræ subscriptæ fuerunt. quæsitum est, an eas quoq; rationes, quas tutores periculo suo egerunt, Cupitus reddere compelli debeat? Scæuola respondit, eum de quo quæritur, conditioni rationis reddendæ ita uideri paruisse, si omne quod ex eo quod gesit, rectè desiderari potest, reddiderit. nam alteram conditionē humaniore interpretatione ita accipi posse, ut defuncto pupillo tempus, quo si uiueret, sexdecim annos impleret, expectare satis fuerit. *Quarta replicatio proponitur ac reprobatur d.l.42. §.ab hæredibus, his uerbis:* Ab hæredibus meis peto, fideique eorum committo, cum filius meus sedecim annos impleuerit, Stichū rationibus redditis manumittant. quæro, an eundem seruum testator usq; in diem pubertatis filij sui actū agere uoluerit? Scæuola respondit, manifestum esse, testatorem huius quoq; actus rationem à Sticho reddi uoluisse. *Quinta replicatio proponitur & uariè tractatur l.Sticho.40. §.seruus. ff.de statulib. hisce uerbis:* Seruus testamento ita manumissus est: Stichus seruus meus actor, si rationem omnem actus sui hæredi meo reddiderit, eoq; nomine satisfecerit, liber esto: eiq; cum liber erit, dari uolo uiginti, & peculium suum. quæsitum est, an si rationes quas egit per multos annos sine subscriptione testatoris, hæredi reddere paratus sit, liber ex testamento fiat, cum propter grauem ualetudinem testator non potuerit rationibus subscribere, testaméto tamen

tamen subscripserit? Scæuola respondit, si ex fide ratio redderetur, reliquaq; inferantur, liberum fore. Item quæro, an ea quæ exacta sunt per adiutores eius, neq; calendario illata sunt, aut fraudulenter acta, huic adscribi possint, cum esset his præpositus? Idem respondit, si id esset, quod culpæ eius deberet imputari: spectare ad rationis reddendæ necessitatem. Item quæro, an eo quoque nomine ratio haberi debeat, quòd neq; à conductoribus prædiorum, neque à uillicis pēsiones exegerit, & insuper etiam quòd mutuum eis dederit? Idem Scæuola respondit, ut suprà respōsum est. Item quæro, an & eo nomine teneatur, quòd omnem rem suam, id est, peculium suum exportauerit, antequam rationes redderet? Respondit idem, nihil eam rem impedire conditionem, si modò ratio redderetur. *Sexta replicatio proponitur d.l.40. §. fin. his uerbis:* Argentarius coactor, cum penè totam fortunam in nominibus haberet, seruis actoribus ita libertatem dedit: Quisquis mihi hæres erit, si Damas seruus meus actus sui, qui agitur eius nomine & Pamphili conserui sui, hæredi meo rationes reddiderit, pariáque fecerit, à die mortis meę intra mensem sextum liber esto. quæsitum est, an hęc uerba, Pariaq; fecerit: ad omnia nomina pertineant, perinde ac hoc significent, si omnem pecuniam ab omnibus exegerit, & hæredi soluerit, uel eorum nomine satisfecerit: & si in exactione nominum cessauerit, intra sex menses libertas illis non competat? Scæuola respondit, manifestam esse conditionem uerbis testamenti suprascriptis propositam. igitur ita demum liberos fore, si aut ei pareant, aut per hęredem stet, quo minus pareant. *Septima replicatio est: Nisi quædam casu sine culpa eius qui reliqua soluere debuit, perierint. Hæc replicatio approbatur l.qui filium.22. §.fin. ff.de manumiß.test.his uerbis:* Quæsitum est, si rationem argenti reddere iussus est, in quem modum intelligendus sit conditioni paruisse: id est, an si quædam uasa sine culpa eius perierint, atq; ita reliqua uasa hæredi bona fide asignauerit, perueniat ad libertatem? Africanus respondit, peruenturum. nam sufficere, si ex bono & æquo rationem reddat: deniq; quam rationem bonus paterfamiliās reciperet, ea hæredi reddita impletam conditionem uideri. *Concordat l.Thais.42. §. Titius ff.de fideicommiß. libertat. his uerbis:* Titius Sticho seruo suo libertatem sic dedit, Si rationes reddiderit. quæro, an ratio per eum gesta ita computari debeat, ut damna quæ casu contigerunt, ad onus reliquorum non pertineant? Scæuola respondit, in negocio, quod uoluntate domini administratte proponatur, ea damna, quæ casu ita acciderūt, ut seruo nihil imputari possit, non pertinere ad reliquorum onus. *Octaua replicatio est: Nisi rationes sint non scriptæ. Hæc replicatio reprobatur l.libertate.26.in prim.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Libertate seruo sub conditione rationis redditæ testamento data, hæres non solùm scriptam rationem exigit, uerumetiam quę sine scriptura ab eo administrata est. *Reliqua quæ in ratione reddenda ueniant, uel non ueniant, uide §.reg.1. Sed & propositæ exceptionis species & exempla sunt exceptiones tres proximè sequentes. Quinta exceptio est: Nisi rationes & instrumenta non exhibuerit uel reddiderit. Hæc exceptio approbatur l.si ita.13. §.quæstio, in fin. ff.de manumiß.test. his uerbis:* In reliquis accipere debemus, ut & ipsa rationum uolumina reddantur. *Concordat l.non solùm.8.§.is qui reddere. ff.de liberat. legat. his uerbis:* Is qui reddere rationes iussus est, non uidetur satisfacere, si reliquum reddat, non editis rationibus. *Concordat item l.si cui.48. ff.de condit. & demonstrat. cuius uerba uide paulò superius except.2. replicat.1. Item concordat l. cum seruus.80.§.quid ergo. ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.1.in prim. Sexta exceptio est: Nisi ea quæ furto abstulit, non reddat. Hæc exceptio approbatur l.Sticho.40.in princ.ff.de statuliberis, hisce uerbis:* Sticho libertas data est hoc modo, Ab hæredibus meis peto, fideique eorum committo, ut rationibus redditis Stichum manumittant. quæsitum est, cum ampla pecunia exacta post mortem testatoris sibi commissa relinqueretur, & quasdam summas à colonis exactas rationibus non intulerit, hæreditatemque spoliauerit, apertis clàm horreis, sublataque supellectili, & uestę & uasis, & apothecis exhaustis: an non prius ei fideicōmissaria libertas debeatur, quàm & ea quæ mala ratione reliquatus est, & quæ furatus est, reposuerit? Scæuola respondit, non prius ei fideicommissariam libertatem præstandam, quàm & reliqua omnia, quæ per eum abessent, restituisset. *Concordat l.Thais. 42. §. Stichus. ff. de fidicommiß. libert. cuius uerba uide paulò superius reg.1. in fine. Concordat item l.is cui.4.C.de test.manumiß.his uerbis:* Is cui libertas, seu fideicommissaria, seu directa, si rationes reddidisset, relicta est: ante reliqua illata, & ea quæ malo consilio amota sunt, ad libertatem non potest peruenire. *Septima exceptio est: Nisi debitores rationum defierint esse soluendo. Hæc exceptio reprobatur l. qui sub. 109. in fine. ff. de condit. & demonstrationib. cuius uerba uide §. reg.1. Cui concordat l. Thais. 42. §.fin. ff. de fideicommiß. libert. his uerbis:* Stichum rationibus redditis manumitti uolo. Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes à domino scriptas exhibet, nec postea nomen ullum fecit.

quæro,

quæro,an si qui minus soluēdo fuerint debitores, quibus alij exactores erant applicati, nondum uideatur conditioni satisfactum? Scęuola respondit,secundum ea quæ proponerentur,non pertinere ad onus reddendarum rationum, quòd soluendo non essent debitores. *Octaua exceptio est: Nisi non ibi,ubi oportet,rationes reddat,uel reliqua soluat. Hæc exceptio approbatur l.tales.110. §.fin. ff.de condit. & demonstr.his uerbis*: Priscus respondit,statuliberum non utiq; ibi, ubi paterfamiliâs decesserit,aut ubi ipse relictus sit,aut ubi uelit, rationem reddere debere:sed interim proficiscì ad eum, cui reddere debeat, utique si is reipub.causa aberit. Verisimum est autem, ut aliàs aliud ex persona loco q; sit æstimandum. *Nona exceptio est: Nisi non debito tempore reddat. Hæc exceptio approbatur l.Thais. 41.§.intra certa.ff.de fideicomm.libert.his uerbis*: Intra certa tempora conditioni reddēdarum rationum non paruerunt, postea parati erant. quæsitum est,an perueniant ad libertatem? Scæuola respondit, si per ipsos stetisset, quo minus intra tempora præscripta conditioni parêrent, non idcirco liberos fore, quòd postea rationem uelint reddere. *Ait iurisconsultus*: Si per ipsos stetisset, quo minus intra tempora prędcripta conditioni parêrent. *Ex hisce uerbis elicitur prima aduersus exceptionem propositam replicatio, hæc nimirum: Nisi non stet per legatarium, quo minus intra statutum tempus conditioni pareat. Cuius elegans exemplum proponitur l.si hæred.28. in princ. ff.de statuliberis, hisce uerbis*: Si hæreditas eius qui seruum intra dies 30 mortis suæ, si rationes reddidisset, liberum esse iusserat, fortè post 30 dies adita est: iure quidem stricto ita manumissus liber esse non potest, quoniam conditione deficitur: sed fauor libertatis eò perduxit, ut responderetur expletam esse conditionem,si per eum cui data esset,nō staret,quo minus expleretur. *Secunda replicatio est: Nisi testator tempus conditioni rationum reddēdarum non adiecit. Hæc replicatio approbatur l.Sticho.40.§.Titius.ff.de statuliberis,hisce uerbis*:Titius testamento seruos actores singulos diuersis personis legauit cum adiectione, Si rationes reddiderint hæredi: deinde proprio capite ita scripsit, Omnes actores quos legaui,uel manumisero,intra quartum mortis meæ mensem rationes reddere uolo,& dominis quibus à me legati sunt,reddi. infrà deinde aliosactores liberos esse iussit q̣uè cum hac adiectione, Si rationes hæredi reddiderint. quæro,cum per hæredem fiat,quo minus reddantur, utrum statuliberi esse desinant,an nihilominus quādoq; possint reddita ratione, & reliquis illatis, libertatem ex testamento consequi? Scæuola respondit, legata quidem & libertates non aliàs competere, quàm si rationes redditæ essent,aut per hæredem staret,quo minus rederentur. Verùm iudicatur æstimandum, utrum tempus conditioni legatorum libertatumq; additum uideatur, an libero tempore reddere uolentibus reliqua hæredibus quatuor menses appositi sint, sollicito testatore cunctationem & moram eorum proscribente? Melius autem est, præsumptionem pro statuliberis esse.

Tertia regula: Deficit conditio proposita, & ob id legati actio denegatur, si seruus non reddiderit rationes,nec reliqua soluerit. Cuius regulæ exceptio prima hæc est:Nisi nulla sint reliqua. Hæc exceptio approbatur l.Iulius.79.§.hac cōditione.ff.de cond.& demonst. cuius uerba uide ꝛ. cap.prox.except.37.replic.2. Concordat l.si seruo.31.§.fin.ff.de statulib. cuius uerba uide ꝛ.cap.5.membr.2.quarta specie. Item concordat l.cùm testamento.4. §.fin. C.de testam. manum. hisce uerbis: Si non debitor ex rationibus fuerit repertus, post aditam hæreditatem quasi puram libertatem consequitur. *Secunda exceptio est: Nisi nullas rationes administrauerit.Hæc exceptio approbatur l.Thais.41.§.penult. ff.de fideicomm.libert. his uerbis*: Splendoforus,cùm filia mea in familia mea nupserit,si rationes idoneæ filiæ meæ administrationis reddiderit,liber esto.filia,cùm adhuc impubes esset,uiuo patre decesit, & ex substitutione Seius hæres extitit. quæro,cum Splendoforus rationes pupillæ non administrauerit,& uiuo patrefamiliâs desierit ipsius rationes administrare, & si uiueret Titia, annos haberet amplius duodecim, an ex testamento liber sit? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, liberum esse, si nullas rationes administrasset, quas reddere hæredi deberet. *Concordat l.libertate.26.§.fin.ff.de statulib.hisce uerbis*: Seruus iussus reddita ratione ad libertatem peruenire, licet nullam administrauerit rationem, nihilominus liber erit. *Tertia exceptio est: Nisi per hæredem stet,quo minus rationes reddātur. Hæc exceptio approbatur l.seruus. 34.§.Imp.ff.de statuliberis,hisce uerbis*: Imperator Antoninus rescripsit, iussum rationes reddere,& liberum esse:si hæres causabitur accipere rationes, nihilominus liberum fore. *Concordat l.si intra.23.§.fin.ff.eod.tit.his uerbis*: Si rationes reddidisset,liberum esse iussum,non patitur hæres rebus peculiaribus uenditis reliqua soluere:perinde liber erit,quasi conditioni paruerit. *Concordat item l.si pater.47.§. si Sticho, in fin. ff.de fideic.libert. cuius uerba uide ꝛ. reg.2.except.2. Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi seruus non offerat reliqua,uel aliud etiam impedimentum libertatis sit, quamuis hæres paratus esset audire rationes. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur d.§.Imperator,his uerbis*: Quod rescriptum

ptum ita accipi debet, ut si reliqua non trahat,liber sit: quòd si trahat,ita demū,si protulerit eam quantitatem, quæ refundi debuit ex fide ueritatis.non enim liberari sufficit hæredem in mora fuisse, si non id fiat per statuliberum, quod remota hęredis mora libertati aditum daret. Quid enim,si ita manumissum Damam, Si in Hispaniâ profectus,anno proximo fructus coegerit,liber esto: Romæ retineat hæres, neq; proficiscì patiatur, nunquid dicturi sumus ante fructus coactos liberum fore? Nam & cum Romæ stipulatio concipitur ita: Centum in Hispania dare spondes? inesse stipulationi tempus, quo possit in Hispaniam peruenire,nec antè iure agi placuit.Sed si hæres,acceptis rationibus, & reliquis computatis, donare se ea statulibero,non habenti quod inferat, perscribat, aut etiam literis ad eum missis palàm faciat: conditio libertatis impleta uidebitur. Quid ergo,si neget se reliqua contraxisse, atq; ideo,quia per hæredē steterit, ut acciperet rationes, liberum factum: hæres autem neq; se fecisse moram, & reliqua debere statuliberum contendat? Apud eum qui de libertate cognoscit, an conditio sit impleta,constabit:cuius officio continebitur de mora considerare, nec minus computare rationes, & si reliqua trahi compererit, non esse liberum pronunciare. Sed si nunquam negauit reliqua debere, cum autem conueniret hæredem, & rationes offerret, professus sit refuturum, quidquid in reliquis esse constiterit, & eius pecuniæ reum numerare paratum idoneum obtulerit,& hæres in mora fuerit: sententia pro libertate dicetur. *Hisce uerbis, præterquam quòd replicatio proposita approbatur, simul etiā duæ eius duplicationes introducuntur. Prima: Nisi seruus se neget reliqua debere. Altera: Nisi reliquum sit obscurius,pro quo reddendo, si cōstiterit, satisfdare seruus sit paratus. de qua posteriore duplicatione uide item ꝛ. reg.2.except.4.repl.2. Quarta exceptio est: Nisi per tutorem hæredis uel alium stet, quo minus reliqua soluantur. Hæc exceptio approbatur ipso iure, eiusq; replicatio hæc est: Nisi seruus legatarius fraudis particeps sit, quo per alium stet. Quæ replicatio approbatur l. qui filium.22.§.itaq; etsi offeren.ff.de manum.test. cuius uerba uide ꝛ.reg.prox.except.2.replic.3.*

IX. DE CONDITIONE, SI meus uel meum erit, cum moriar.

Prima regula: Existit hæc conditio, & legati actio competit, si testatoris sit mortis tempore,exemplo l.filiæ.27.§.fin.ff.de condit.& demonstr.cuius uerba uide ꝛ.lib.32.cap.8.causa 5.except.2. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi usumfructum eius testator alienauerit. Hæc exceptio reprobatur l.2.in prin. ff.de cond. instit.his uerbis: Si testamento comprehensum sit,Ille seruus,si meus erit,aut qui meus erit cum moriar,hæres esto: quatenus accipiatur Meus,quæritur? & siquidem alienauerit in eo usumfructum, nihilominus ipsius est. *Secunda exceptio est:Nisi partem in eo alienauerit.Et hæc exceptio reprobatur,certa tamē conditione,d.l.2. his uerbis*: Si uerò partem in eo alienauit, an deficiat conditio institutionis, quæritur?& uerius est,non defeciſſe conditionem, nisi euidentissimis probationibus testatorem uoluisse apparuerit,pro hac conditione hæc uerba inserere, Si totus seruus in dominio eius remanserit:tunc enim parte alienata,conditio deficit.

Secunda regula: Deficit conditio proposita, & legati actio denegatur, si fuerit alienatum. Quæ regula approbatur l.talem.49.§.1.ff.de hæred.instit. hisce uerbis: Si quis ita scripserit,Stichus,si meus erit cum moriar, liber & hæres esto: alienatus non poterit iussu emptoris adire hæreditatem: quamuis,etsi non erat hoc expressum, non aliàs liber & hæres fieri poterat, quàm si mansisset eius. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi testator rem alienatā uiuus receperit. De qua exceptione uide d.lib.32. cap. 8. causa 5.except.2. Altera exceptio est:Nisi seruo hærede instituto sub hac conditione,Si testatoris erit:testator uiuus seruum manumiserit. Quæ exceptio approbatur d.l.49.§.fin.his uerbis*: Sed si uiuus eum manumiserit, Celsus lib.16. Digest.scribit, fieri hunc hæredē: non enim hunc casum testatorem uoluisse excludere palàm est, neque uerba omnino repugnant. nam quamuis seruus eius non est,at certè libertus est.*Plura de conditione proposita uide ꝛ.lib.prox.cap.4.de suis reb.leg.item ꝛ.hoc lib.cap.5.membr.2.tertia specie.*

X. DE CONDITIONE, CVM IN tutelam suam & ad pubertatem peruenerit.

Existit hæc conditio, si pubes factus fuerit. *Hæc regula approbatur l.cum filiof. 48. in princ. ff. de legat.1.his uerbis*: Cùm filiofamiliâs ita legatur, Cum is in tutelam suam peruenerit: pubertatis tempus significatur. *Concordat instit. de pupillari substit. in princ. ibi: & prius moriatur. cuius uerba uide ꝛ. lib.28.cap.14. in princ. Huius regulæ exceptio prima hæc est*: Nisi filiæfamiliâs ita sit legatum. *Hæc exceptio approbatur l.si filiaf. 49. ff.de legatis 3.his uerbis*: Si filiæfamiliâs ita legatum sit, Cum in tutelam suam peruenerit: tunc debebitur,cum uiripotens facta fuerit. *Secunda exceptio est: Nisi mater filio suo, in patria potestate constituto, ita legauit, cum patrem haberet suspectum. Hæc exceptio approbatur d.l.48. §.1.ff.de leg.3.his uerbis*: Sanè si impuberi filiofamiliâs sit legatum, plerunq; sentiendum est,quod Sabinus ait,ut non fiat paterfamiliâs, sed ut pubes. Cæterùm si mater, quæ suspectam habuit mariti, à quo diuerterat, uitam,

uitam,filio suo quamuis impuberi leget:nõ uidetur sensisse de eo tempore,quo iam pubes est:sed de eo,quo & pubes & paterfamiliàs est. nam etsi pubes fuit,multò magis dicemus de patrefamiliàs eam sensisse, ac si dixisset, In suam tutelá, & in suam potestatem. *Tertia exceptio est: Nisi alia mens fuerit testatoris, & puberi ita sit legatum. Hæc exceptio approbatur d.l.48.§.quòd si quis,hisce uerbis:* Quòd si quis patrifamiliàs impuberi leget, cum suæ tutelæ sit, de pubertate sensit:interdum & de uigintiquinq; annis, si mens testantis apparet.nam si ita puberi,minori tamen uigintiquinq; annis, legauit,proculdubiò anni uiginti & quinq; erunt præstituti. *Concordat d.l.48.§.& ex his,hisce uerbis:* Ex his apparet,huiusmodi uoluntatis quæstionem Sabinum interpretatum: & utiq; non dubitaret,si puberi, & multò magis si maiori uigintiquinque annis ita sit legatum, de sua potestate testatorem sensisse. Sic autem scriptura hęc uaria est, & uoluntatis habet quæstionem,ut & illa quoque,si quis ita scripserit, Cum sui iuris fuerit factus.nam aliàs aliter accipitur, & plerunq; potestatis liberationem continet, plerunq; pubertatem uel uicesimumquintum annum. Ego quidé,etsi quis iam puberi, minori tamen uigintiquinq; annis, sic legauerit,Cum ad pubertatem peruenerit:puto de ea ætate eum sensisse,quæ caret in integrũ restitutione. Item etsi,Cum suæ ætatis fuerit factus,uel Legitimæ ætatis: utrum de pubertate,an de uigintiquinq; annis sensum? disputari de uoluntate potest, non minus quàm si ita scripserit,Cum iustę ætatis factus,uel cum maturæ ætatis sit, uel cum adoleuerit. *Quarta exceptio est: Nisi furioso, prodigo, uel alij curatorem habenti, ita sit legatum. Hæc exceptio approbatur d.l.48.§.item si furioso, his uerbis:* Item si furioso, uel prodigo,uel ei cui Prætor ex causa curatorem dedit, ita sit legatum: puto & de eo sensum casu,quo cura & tutela liberentur.

XI. DE *conditione, Cum quatuordecim puta annorum erit: uel,cum ad annum decimumquartum peruenerit:uide* ẽ *lib.prox.cap.8.reg.12.*

XII. DE CONDITIONE, SI tutelam in decimumoctauum annum gesserit.

De hac tractatur l.pater.99.§.conditionum. ff.de condit.& demonstr.his uerbis: Conditionum uerba,quæ testamento præscribuntur, pro uoluntate cõsiderantur:& ideo cùm testamento tutores dati(quoniam interea puer adoleuerat) id egerint, ut curatores ipsi constituerentur, cõditio fideicommissi talis præscripta,Si tutelam in annum decimumoctauum gesserint:defecisse non uidebitur.

XIII. DE CONDITIONE, SI antequam res suas administrare posit,decesserit.

Hæc conditio definitur l.cum fil.111. ff.de condit.& demonstr.bis uerbis: Cum filius rogatus fuisset à patre, si antequam res suas administrare posset,decesisset,hæreditatem Titio restitueret,& egressus uiginti annos decesisset, rescriptum est,fideicommissum deberi.

XIIII. DE CONDITIONE, Si arbitratus fuerit.

De boni uiri arbitrio intelligenda est conditio. Quæ regula approbatur l.fideicommissa.11.§.quanquam. ff. de leg.3. de quo cum lege concordante uide ẽ. *libro 32. cap.6.except.76.*

XV. DE CONDITIONE, SI demeruerit,uel te non offenderit.

Definitur hæc conditio d.l.11. §.proinde etsi ita. ff. de legat.3. bis uerbis: Si ita sit fideicommissum relictum illi, Si demeruerit: omnimodò fideicommissum debebitur, si modò meritum quasi apud uirum bonum collocare fideicommissarius potuit. Et si ita sit, Si te non offenderit: æquè debebitur,nec poterit hæres causari non esse eum meritum, si alius uir bonus & non infestus meritum potuit admittere.

XVI. DE CONDITIONE, SI me hæredem instituerit,uel quid mihi legauerit.

Definitur hæc conditio l.mulier.20.§.fin.ff.de cond. instit. bis uerbis: Si quis te hæredem ita instituit, si se hæredem instituisses, aut quid sibi legasses:nihil interest,quo gradu is à te hæres institutus,uel quid ei legatum sit, dummodò aliquo gradu id feciste te probes.

XVII. DE CONDITIONE, SI impensam,quam in fundum feci,reddiderit.

Tractatur l.quibus diebus.39.§.quidam. ff.de cond. & demonstr.bis uerbis: Quidam ita legauerat, Si P.Cornelius impẽsam, quam in fundum Seianum feci,hæredi meo dederit, tunc hæres meus P.Cornelio fundum Seianum dato. Cascellius aiebat, etiam precium fundi dari debere. Ofilius impensæ uerbo negat precium significari, sed eos duntaxat sumptus,quos in eum, posteaquã emptus esset, fecisset. Idẽ Cinna scribit,adiecto eo,quòd non deductis fructibus impensarum ratio haberi debeat:& magis uerum puto.

XVIII. DE CONDITIONE, Si moriatur,antequam ei res restituatur.

Tractatur l.quidam.25.in prin.ff.ad S.C.Trebell.bis uerbis: Quidam ita testamento scripserat,A te hæres peto, fideique tuæ committo, ut quidquid ex hæreditate mea ad te peruenerit,

nerit,filio meo prima quaq; die, uel si prius quid ei acciderit,matri eiusdẽ reddas.quæritur, si antequam adeatur hæreditas, puer decesserit, an fideicommissum matri debeatur? Iulianus respõdit,si puer,antequàm dies fideicommissi cedat,decesserit,fideicommissum translatum esse ad matrem: posteà autem quàm dies fideicommissi cesit,si decesserit,ad hęredem pueri fideicommissum pertinere. Sed an ea uoluntas fuerit patrisfamil. ut si ante restitutum fideicõmissum puer decesisset, matri potius quàm hæredibus præstaretur, Prætor æstimabit ex persona matris,& ex persona hæredis pueri. Marcel.Sed testatoris uoluntati congruum est,quandocunque puer decesserit, siue antequàm dies fideicommissi cedat, siue posteà, ad matrem transferri fideicommissum, si non iam puer hoc accepit: eoq; iure utimur. *Huius exceptio hæc est: Nisi per hæredem steterit,quo minus restituerit. Quæ exceptio approbatur l.si quis.3.§.1. ff.de adim.leg. cuius uerba uide* ẽ. *lib.32.cap.8.causa 3.except.5.*

XIX. DE CONDITIONE, SI VEL cùm uidua erit, quoties uidua erit, si uxorem amiserit,& quando ad cœlibatum peruenerit.

Tractatur l.legem.3. C.de indicta uiduitate. cuius uerba uide ẽ.*eod.cap.condit.2.reg.1.except.9. Sed & tractatur l.22. ff. de annuis leg. cuius uerba itidem uide d.except.9.*

XX. DE CONDITIONE, SI alieno hærede decesserit.

Definitur hæc conditio l.ex facto.17.§.fin.ff.ad S.C. Treb. bis uerbis: Si quis ita fideicõmissum reliquerit,Fidei tuæ, fili, committo, ut si alieno hærede moriaris, restituas Seio hæreditatem. uideri eum de liberis sensisse, diuus Pius rescripsit: &ideo cum quidam sine liberis decederet, auunculũ ab intestato bonorum possessorem habens, extitisse conditionem fideicommissi,rescripsit.

XXI. DE CONDITIONE, si tabulas chirographi mei hæredi meo reddiderit.

Definitur hæc cõditio l.huiusmodi.81.§.si ita legatũ. ff.de leg.1.cuius uerba uide ẽ.*lib.prox.cap.5.reg.12.*

XXII. DE CONDITIONE, si primùm marem pepererit.

Tractatur l.si fuerit.11.§.fin. ff. de reb.dubijs, hisce uerbis: Si ita ancilla libertatem acceperit, Si primùm marẽ pepererit,libera esto: & hæc uno utero marem & fœminam peperisset: siquidem certum est quod prius edidisset, non debet de ipsius statu ambigi, utrum libera sit,nécne,sed nec filiæmam si posteà edita est,erit ingenua.sin autem hoc incertũ est, nec potest per subtilitatem iudicialem manifestari,in ambiguis rebus humanioꝝ sententiam sequi oportet,ut tam ipsa libertatem cõsequatur, quàm filia eius ingenuitatem,quasi per præsumptionem priore masculo edito.

XXIII. DE CONDITIONE, qui prior Capitolium ascenderit.

Duobus simul ascendentibus, quid iuris sit, uide ẽ. *lib.32.cap.6.except.93.*

XXIIII. DE CONDITIONE non faciendi.

Impletur hæc conditio,& ob id actio competit,si legatarius cauerit se non facturum. Quæ regula approbatur l.si qui.4.§.fin. ff. de cond.inst. bis uerbis: Iulianus scribit, eum qui ita hæres institutus est, Si seruum hęreditarium nõ alienauerit: cauentẽ cohęredi implere conditionẽ. *Sanè cautio hæc dicitur Mutiana,de qua cũ propositæ regulæ exceptionib.uide* ẽ.*lib.prox.cap.9.in prin. Sed & existit cõditio proposita,si nõ fit factũ, quod ne fiat,in conditione est cõprehensum. Quæ regula ut per se uera est, ita recipit exceptionẽ hanc: Nisi cum alicui sub conditione faciendi quid esset legatũ,& nisi fecisset,ad alium legatũ esset translatũ, per legatarium non steterit, quo minus faciat. tunc enim perinde habetur, ac si sub cõtraria conditione legatũ ad alium translatum nõ sit. Idem iuris est,si legatarius,antequam facere posset, decesserit. tunc enim legatũ ad alium sub contraria conditione inutiliter est translatũ. cuius elegãs exemplum proponitur l.pater.99.in prin.ff.de cond.& demonstr. cuius uerba uide* ẽ.*eod.cap.cond.2.in fine. Aliud propositæ exceptionis exemplum uide* ẽ.*lib.32.cap.8.causa 3. except.5. Sanè quæcunq; exceptiones* ẽ.*cap.prox.enumeratæ sunt,aduersus defectum conditionis competentes, easdem etiam aduersus regulam propositam eo casu,quo legatum sub cõditione faciendi alicui relictum, sub conditione contraria non faciendi ad alium translatum est,non inutiliter opponi arbitror.*

XXV. DE *conditione non alienandi,uide* ĩ.*de legato familiæ relicto.*

XXVI. DE *conditione,Si quid filio meo acciderit, tractatur l.in uulgari.163.§.si quis.ff.de uerb.signif.cuius uerba uide* ĩ.*lib.50.cap.4.in uerbo* Accidere.

¶ *Hactenus igitur de conditionibus & legatis conditionalibus, tertia legati specie, sit dictum. Sequitur quarta legati species.*

DE ANNVIS LEGATIS. Cap. VIII.

I. SIMILE EST DIFFERENTIÆ.

Simile est usufructus legato. Quod approbatur,si mul & differẽtiæ inter hoc & illud legatũ proponũtur l.in fing.8. ff.de annuis legatis,hisce uerbis: In singulos annos relictũ legatũ simile est usufructui, cùm morte finiatur. Sanè capitis deminutione non finitur, cum ususfructus finiatur. Sed & ususfructus ita legarã

potest: Titio usum fructum fundi lego, quoties q; capite minutus erit, eundē usum fructum ei do. Illud certè amplius est in hoc legato, quòd ingressu cuiuslibet anni, si decesserit legatarius, eius anni legatum hæredi suo relinquat. quod in usufructu non ita est, cum fructuarius, etiam si maturis fructibus, nondū tamen perceptis decesserit, hęredi suo in eos fructus actionē non relinquat.

II. PLVRA *sunt legata, non unum. de quo uide ē. lib. 32. cap. 1. quæst. 5.*

III. SPECIES ANNVI legati.

I. *Species: Si ita sit legatum, Quotannis hæres totidem dato: annuum est legatum. Quæ species approbatur l. nec semel. 12. §. nouissimè. ff. quando dies leg. ced. cuius uerba uide ē. lib. prox. cap. 8. reg. 2. except. 1.*

II. *Species: Si alicui quinquaginta sint legata, donec nubat, annuum est legatum. Quæ species approbatur l. legatū. 17. in prin. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Legatum ita est, Attiæ, donec nubat, hęres meus quinquaginta dare damnas esto: neq; adscriptum est, In annos singulos. Labeo & Trebatius præsens legatum deberi putant, sed rectius dicetur id legatum in annos singulos deberi.

III. *Species: Si ex reditu decem legata sunt die natalium, annuum est legatum. Quæ species approbatur l. annua. 20. §. Attia. ff. de annuis legatis. cuius uerba inferius eod. cap. proponentur quæst. 5. reg. 2.*

IIII. *Species: Si decurionibus die natalis sui certū quid præstari uoluit, annuum est legatum. Quæ species approbatur l. cum quidam. 23. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Cum quidam decurionibus diuisiones dari uoluisset die natalis sui, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, non esse uerisimile testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato.

V. *Species: Si Reipub. centum sint relicta per quadriennium cuiusdam certaminis, perpetuum censetur legatum. Quæ species approbatur l. cum erat. 24. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum erat pecunia certa reipub. Sardianorum relicta, per quadriennium certaminis Chrysanthiani: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, uideri perpetuam pensitationem reliquisse testatorē per quadriennium, non in primum quadriennium.

VI. *Species: Si annua, bima, trima die sit relictum, annuum censetur legatum, ex l. si legatum. 3. ff. de annuis legatis. cuius uerba ī. eod. cap. proponentur quæst. 7. regula 1.*

VII. *Species est: Si ex reditu certam partem fructuum legauit, annuum censetur legatum. Quæ species approbatur l. defuncta. 58. §. Sempronio. ff. de usufruct. & quemad. quis utatur, his uerbis:* Sempronio do lego ex reditu fructuum holeris & porrinæ, quæ habeo in agro Ferrario, partē sextam. quæritur, an his uerbis usus fr. legatus uideatur? Scæuola respondit, nō usumfructum, sed ex eo quod redactum esset, partem legatam. Item quæsitum est, si usus fructus nō esset, an quotannis partem sextam redactam legauerit? Respondit, quotannis uideri relictum, nisi contrarium specialiter ab hærede probetur.

IIII. AN EX LEGATO annuo detur actio?

Regulariter ex hoc legato perinde ac ex alijs legatis dari actionē, non dubitatur. Verūm eius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi legatarius sit mortuus. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicentur ī. eod. cap. membr. 5. reg. 1. Secunda exceptio est: Nisi legatarius capite fuerit deminutus. Hæc exceptio reprobatur l. legatum. 10. ff. de cap. demin. hisce uerbis: Legatum in annos singulos uel mēses relictum, uel si habitatio legetur, morte quidē legatarij legatū intercidit, capitis deminutione tamen interueniente perseueratiui delicet, quia tale legatū in facto potius, quàm in iure cōsistit. *Concordat l. in singulos. 8. ff. de annuis leg. cuius uerba uide ē. eod. cap. in prin. Tertia exceptio est: Nisi is, à quo legatum relictū est, mortuus sit. Hæc exceptio regulariter reprobatur. de quo paulò inferius membr. 6. dicetur. Quarta exceptio est: Nisi cum à fructuario ex reditu fundi annuū legatum esset relictū, ususfructus sit extinctus. Hæc exceptio approbatur l. Titia. 19. in prin. ff. de annuis legat. hisce uerbis:* Titia hærede Seia scripta, usum fructum fundi legauit Mæuio, eiusq; fidei commisit in hæc uerba: A te Mæui ex reditu fundi Speratiani præstari uolo Arrio Pamphilo & Arrio Sticho die mortis meæ annuos sexcentos quotannis, quoad uiuent. quæsitum est, cū Mæuius annua alimēta pręstiterit, post mortem autem eius fundus ad hæredem Titiæ pleno iure redierit, an alimenta ex fideicōmisso Pamphilo & Sticho debeantur? Scæuola respondit, nihil proponi cur debeant præstari ab hæredibus Titiæ, cum ab usufructuario alimenta relicta sint. Idem quæsijt, an ab hæredibus Mæuij legatarij pręstanda sint? Respondit, nihil ab hæredibus legatarij præstandum: nisi testatorē manifestè probetur uoluisse etiam finito usufructu pręstari, si modò id quod ex usufructu receptum esset, ei rei præstandæ sufficeret. *Concordat l. annua. 20. §. Titia. ff. de alim. leg. cuius uerba uide ī. cap. prox. quæst. 3. reg. 1. except. 4. Quinta exceptio est: Nisi cum ex reditu fundi annuū legatum relictū esset, aliquo anno nullu uel minores fructus ex eo fundo fuerint percepti. hoc enim casu uidetur, quòd eius anni legatum non debeatur. Verūm exceptio hæc reprobatur l. legatum. 17. §. fin. ff. de ann. leg. hisce uerbis:* Vini Falerni, quod domi nascetur, quotannis in annos singulos, binos culleos hæres meus Attio dato. etiam pro eo anno, quo nihil uini natū esset, deberi duos culleos, Iabolenus respon-

respondit, si modò ex uindemia cęterorum annorū dari possint. *Concordat l. ex eo. 13. ff. de uino leg. his uerbis:* Ex eo uino, quod in illo fundo nascetur, hæres meus amphoras decem quotannis in annos singulos dato. quo anno natū non fuisset, ex superiore anno eius fundi eum numerū amphorarum hęredem daturum, Sabinus existimat: quę sententia, si uoluntas non aduersetur, mihi quoq; (*Vlpianus ait*) placet. *Concordat item l. Lucius. 12. ff. de alim. leg. hisce uerbis:* Lucius Titius libertis suis cibaria & uestiaria annua cæterorum numerum reliquit, & posteriore parte testamenti ita cauit: Eis obligatos ob causam fideicommissi fundos meos illū & illum, ut ex reditu eorū alimenta suprascripta percipiant. quæsitum est, an si quanto minores reditus peruenerint, quàm est quantitas cibariorum & uestiariorū, hæredes ad supplendum eam onerari nō debeant: uel si alio anno excesserint, an supplendum sit, quod superiori anno minus perceperint? Paulus respondit, cibaria & uestiaria libertis defuncti ĩntegra deberi: neq; ex eo, quòd postea prędia his pignoris iure testator obligare uoluit, ut ex reditu eorum alimenta perciperent, minuisse eum uel auxisse ea quæ reliquerat uideri. *Concordat deniq; l. Firmio. 26. in prin. ff. quādo dies leg. ced. cuius uerba uide ē. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 11. Sexta exceptio est: Nisi prædium, ex cuius reditu annuum legatum debetur, fuerit ab hærede alienatū. Hæc exceptio reprobatur l. liberto. 21. in prin. ff. de ann. leg. hisce uerbis:* Liberto suo ita legauit, præstari uolo Philoni, usque dum uiuit, quinquagesimā omnis reditus, quæ ex prędijs à colonis, uel emptoribus fructus, ex cō suetudine domus meæ præstatur. hæredes prędia uēdiderūt, ex quorū reditu quinquagesima relicta est. quęritū est, an precij usurę, quę ex consuetudine in prouincia præstarē tur, quinquagesima debeatur? Scæuola respondit, reditus duntaxat quinquagesimas legatas, licet prædia uendita sint. *Concordat l. nihil. 117. in prin. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ē. lib. 32. cap. 2. reg. 2. except. 4. Septima exceptio proponitur & reprobatur l. annuam. 6. ff. de ann. leg. cuius uerba uide inferius membr. 6. except. 2. Reliquas exceptiones aduersus annuum legatū uide ē. in generali exceptionum aduersus legata tractatu.*

V. QVIBVS EX LEGATO annuo detur actio?

I. *Regula: Hæredi legatarij non datur annuum legatum, uel eius actio. Quæ regula approbatur simul & distinguitur per ea quæ dicta sunt ē. lib. proxim. cap. 1. quæst. 3. reg. 1. except. 5.*

II. *Regula: Si sacerdotib. & ministris Ecclesiæ relictum sit, etiam successorib. in illud ministerium datur. Quæ regula approbatur l. annua. 20. §. Attia. ff. de ann. leg. hisce uerbis:* Attia fideicōmissum his uerbis reliquit, Quisquis mihi hæres erit, fidei eius cōmitto, ut det ex reditu cœnaculi mei & horrei post obitum sacerdoti & ἱεροφύλακι & libertis qui in illo templo erunt, denaria decem die nundinarū, quas ibi posui. quæro, utrum his dūtaxat, qui eo tempore, quo legabatur, in rebus humanis & in eo officio fuerint, debitum sit, an etiam ijs qui in locū eorum successerunt? Scæuola respondit, secundū ea quæ proponerentur, ministerium quidem nominatorū designatum, cæterùm datū templo. Item quæro, utrum uno duntaxat anno decē fideicommissi nomine debeātur, an etiam in perpetuū decem annua præstanda sint? respondit, in perpetuum.

VI. ADVERSVS QVOS EX legato annuo detur actio?

Regulariter etiam aduersus hæredē rogati, seu eius à quo legatū relictum est, competit hæc actio, secundū ea quæ dicta sunt ē. lib. prox. cap. 2. reg. 3. Verūm eius regulæ prima exceptio hæc est: Nisi à fructuario legatum annuum sit relictum: hoc enim casu, quoniā morte fructuarij extinguitur ususfructus, etiam legatum annuum extingui dicendum est, & ob id hæredes rogati non teneri. Quæ exceptio approbatur l. Titia. 19. in prin. ff. de ann. leg. cuius uerba uide ē. quæst. prox. except. 4. Secunda exceptio est: Nisi cum legatum annuum ad ludos ciuitati relictum esset, testator hæredes ludis præsidere uoluerit: tunc enim hæredes hæredum non teneri uidetur. Verūm exceptio hæc reprobatur l. annuam. 6. ff. de ann. leg. hisce uerbis: Annuam pecuniam ad ludos ciuitati reliquit, quibus præsidere hæredes uoluit. successores hęredum negāt se debere, quasi testator tamdiu pręstari uoluerit, quamdiu præsiderent hæredes. quæro igitur, cum præsidendi mentionem fecerit, ad tempus fideicōmissum, an perpetuò præstari uoluerit? Modestinus respondit, fideicommissum quotannis in perpetuum reipublicæ præstandum esse.

VII. QVID ET QVANTVM ueniat in actionem ex annuo legato competentem?

I. *Regula: Si annua, bima, trima die (triginta fortè) sint relicta, singulis annis dena debentur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur l. si legatū sit. 3. ff. de ann. leg. hisce uerbis:* Si legatum sit relictum annua, bima, trima die (triginta fortè) dena per singulos debentur annos, licet non fuerit adiectū, Æquis pensionibus. proinde & si adiectū fuerit pensionibus, licet non sit insertū Æquis: itē & si scriptū fuerit Æquis, licet nō sit adiectū Pensionibus: dicendum erit, æquas fieri. *Propositæ regulæ exceptio hæc est: Nisi testator adiecerit, Pensionib. iniquis. Quæ exceptio approbatur, simul etiam declaratur d. l. 3. his uerbis:* Sed si adiectū sit, Pensionib. iniquis: inæquales debebuntur. Quæ ergo debeantur, uideamus. Ercputo eas deberi (nisi specia-

liter testator electionẽ heredi dederit) quas uir bonus fuerit arbitratus, ut prò facultatibus defuncti, & positione patrimonij debeantur. Sed & si fuerit adiectũ, Boni uiri arbitratu: hoc sequemur, ut pro positione patrimonij sine uexatione & incommodo hæredis fiat. quòd si ita, Pensionib. quas putauerit legatarius: an totũ petere possit, uideamus. & puto totũ simul non petendũ, sicut & in heredis electione: fieri enim pensiones debere testator uoluit, quãtitates duntaxat pensionum in arbitriũ hæredis aut legatarij cõtulit. Sed si ita sit legatum, Hæres meus Titio decẽ trima die dato: utrum pensionibus, an uerò post triennium debeatur? & puto sic accipiendũ, quasi paterfamiliãs de annua, bima, trima die sensisse proponatur.

I I. *Regula: Si legatarius fuerit mortuus, eius anni, in quo decesserit, totum legatũ hæredi eius debetur. de qua re uide* ℈. *lib. prox. cap. 1. quæst. 3. reg. 1. exc. 5. repl. 1.*

I I I. *Regula: Si mulieri legatum sit, Quoties uidua erit: eius anni quo rursus nubit, integrum legatum ei debetur. quæ regula approbatur l. filiæ. 22. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Filiæ meæ, quotiescunq; uidua erit, in annos singulos centũ hæres meus dato. Quæritur, si filia minus annuo tẽpore uidua fuisset, nunquid minus ei centum deberentur? Alfenus respondit, sibi uideri, tametsi totus annus nondum fuisset, tamen deberi.

VIII. ADFINE *dictæ actionis remediũ est, actio hypothecaria, & missio in possessionem rei seruandæ gratia. Quod remedium approbatur l. fundus. 9. ff. de annuis legatis, hisce uerbis:* Fundus, quem paterfamiliãs libertis legatorum nomine, quæ in annos singulos reliquit, pignori esse uoluit, ex causa fideicõmissi rei seruãdæ gratia rectè petetur. Paulus notat, hoc admittẽdum & in alijs rebus hæreditarijs, ut & in eas legatarius mittatur. *De hoc remedio uide plura* ℈. *lib. prox. cap. 13. Sed & alia huius actionis adfinia remedia uide* ℈. *lib. prox. cap. 11.*

DE ALIMENTIS LEgatis. Cap. IX.

QVinta legati species est, alimentorum legatum: de quo in hoc capite tractandum.

I. AN EX LEGATO ALImentorum detur actio?

Regulariter quidem actionem dari, nemo est qui neget: uerùm eius regulæ exceptiones hæ sunt. Prima exceptio est: Nisi legatarius fuerit mortuus. Quæ exceptio approbatur per ea quæ dicentur ℈. eodem cap. quæst. 2. Secunda exceptio est: Nisi in metallum damnato alimenta sint relicta. Hæc exceptio reprobatur l. in metallum. 3. in prin. ibi: extra causam alius. ff. de his quæ pro non scriptis hab. cuius uerba uide ℈. *lib. 32. cap. 3. except. 28. Concordat l. is cui. 11. ff. de alim. legatis, hisce uerbis:* Is cui alimenta relicta fuerant, in metallum damnatus, indulgentia Principis restitutus est: Paulus respondit, eum & præcedentium annorum rectè cepisse alimẽta, & sequentium deberi ei. *Tertia exceptio est: Nisi legatarius ad pubertatem peruenerit. Hæc exceptio tractatur l. Mela. 14. in prin. ff. de alim. legatis, hisce uerbis:* Mela ait, si puero uel puellę alimẽta relinquantur, usq; ad pubertatem deberi. Sed hoc uerum nõ est. tamdiu enim debebuntur, donec testator uoluit: aut si non pateat quid sentiat, per totũ tẽpus uitæ suæ debebũtur. Certè si usq; ad pubertatem alimenta relinquãtur, si quis exẽplum alimentorũ, quæ dudũ pueris & puellis dabantur, uelit sequi: sciat Hadrianum constituisse, ut pueri usq; ad decimum & octauum, puellæ usq; ad decimum quartũ annum alantur: & hãc formam ab Hadriano datam obseruandã esse, Imperator noster rescripsit. Sed etsi generaliter pubertas non sic definiatur: tamen pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus ætatis esse obseruandũ, non est inciuile. *Quarta exceptio est: Nisi cum alicui tanquam liberto alimenta relicta essent, is ius annorum annulorum impetrauerit: huic enim tanquam ingenuo, non liberto, alimenta uidebantur non deberi. Verùm exceptio hæc reprobatur l. 1. ff. de iure aurcor. annul. his uerbis:* Inter cęteros alimenta liberto relicta, non idcirco non debentur, quia ius annulorum aureorum ab Imperatore libertus acceperit. Diuersum in eo probatur, qui iudicatus ingenuus, collusione per alium patronum detecta, conditioni suæ redditus, alimẽta sibi, quæ tertius patronus reliquerat, præberi desiderat. Hunc enim etiam beneficium annulorum amittere placuit. *Quinta exceptio est: Nisi libertus, cui alimenta relicta sunt, sine liberis patroni defuncti egerit. Et hæc exceptio reprobatur l. libertis. 4. ℈. fin. ff. de alim. legatis, hisce uerbis:* Lucius Titius testamento suo libertis libertabusq; suis cibaria & uestiaria à liberis eisdemq; hæredibus præstari iussit, nulla conditione addita. quæro, an si sine patroni liberis ijdem liberti agant, cibaria & uestiaria accipere possint? Modestinus respondit, nihil proponi, propter quod petitio eorum, quæ testamento purè legata sunt, non competat. *Sexta exceptio est: Nisi legatarius iussa testatoris non fecerit. Hæc exceptio approbatur exemplo l. libertis. 18. ℈. fin. ff. de alim. legatis, hisce uerbis:* Cibaria & uestiaria per fideicommissum dederat, & ita adiecerat: Quos libertos meos, ubi corpus meũ positum fuerit, ibi eos morari iubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad sarcophagum meũ memoriam meam quotannis celebrent. quæsitum est, uni ex libertis, qui à die mortis neque ad hæredes accesserit, neq; ad sepulchrum morari uoluerit, an alimenta præstanda

standa sint? Scæuola respondit, nõ præstanda. *Plures de exceptione propositæ uide* ℈. *lib. 32. cap. 9. causa 15. Septima exceptio est: Nisi legatarius intra multos annos alimenta non petierit. Hæc exceptio reprobatur d. l. 18. ℈. munumissis, hisce uerbis:* Manumissis testamento cibaria annua, si cum matre morabũtur, per fideicommissum dedit. mater filio triennio superuixit, neque cibaria, neq; uestiaria eis præstitit, cum in petitione fideicõmissi liberti cessarẽt. Sed & si lia, posteaquã matri hæres extitit, quoad uixit, annis quatuordecim de ijsdem soluẽdis interpellata nõ est. quęsitũ est, an post mortẽ filiæ à nouissimo hærede petere possint, & tam præteriti tẽporis, quàm futuri, id quod cibariorum nomine & uestiarij relictũ est? Scæuola respondit, si conditio extitisset, nihil proponi cur nõ possent. *Octaua exceptio est: Nisi is, cuius fidei commissum est, id legatum, ex quo alimenta præstanda sunt, repudiauerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt* ℈. *lib. 32. cap. 10. causa 42. in prin. Eius autem replicatio hæc est: Nisi aliud legatum ex eodem testamento agnouerit. Quæ replicatio approbatur l. à filio. 15. in prin. ff. de alim. leg. hisce uerbis:* A filio hærede codicillis Seiæ decẽ reliquit, & alumno his uerbis: Mæuio infanti alumno meo quadringẽta dari uolo, quæ peto à te Seia suscipias, & usuras eius quincunces in annum usq; ad uicesimum ętatis præstes, eumq; suscipias & tuearis. quæsitũ est, an Seia, postquam legatũ suum accepit, si noluerit pecuniam alumno relictam suscipere, uel in suscipienda ea cessauerit, onera alimentorum ex die mortis testatoris compellenda sit agnoscere? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, compellendum præstare, cui fideicommissum sit. Idem quæsijt, an hæres quoq; Seiæ in annos uiginti alimenta præstare debeat? respondit, debere. *Propositæ replicationis rationẽ uide* ℈. *lib. 32. cap. 9. causa 29. except. 14. repl. 1. Sed & plures propositæ exceptionis replicationes uide* ℈. *lib. 32. cap. 10. causa 42. Nona exceptio est: Nisi is, cuius fidei commissum est, in compẽsationem alimentorum fideicommissario uineas legauerit. Hæc exceptio approbatur l. cum alimenta. 22. ℈. fin. ff. de alim. legatis. cuius uerba uide* ℈. *lib. 32. cap. 9. causa 15. inter exempla.*

II. QVIBVS EX ALIMENTOrum legato detur actio?

Si generaliter libertis alimenta relicta sunt, regulariter omnibus libertis testatoris alimenta debentur. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi seruis legatis, quibus fideicommissaria libertas in eodem testamẽto est relicta. Quæ exceptio reprobatur l. 2. in prin. ff. de alim. leg. hisce uerbis: Si quis libertis alimẽta reliquerit, etsi legati fuerint serui, & rogati legatarij manumittere, ad fideicommissum admittuntur, ut & diui Seuerus & Antoninus rescripserũt. *Secunda exceptio est: Nisi si antea uel postea quosdã libertos specialiter nominauerit. Hæc exceptio reprobatur l. uerba. 5. ff. eod. tt. his uerbis:* Verba testamenti, Omnibus libertis meis cibaria præstabitis pro arbitrio uestro, non ignorantes quos ex his charos habuerim. Item alio loco: Protimum, Polychronium, Hippatium commendo, & ut uobiscum sint, & cibaria præstetis peto. quæro, an omnibus cibaria debeant dari, an his tantùm, quos cõmendauit, & cum hæredibus esse iussit? Modestinus respondit, omnibus libertis cibaria relicta proponi, quorum modus uiri boni arbitrio statuendus sit. *Concordat l. ult. ff. de rebus dubijs, hisce uerbis:* Plures testamento manumiserat, in quibus Sabinam & Cyprogeniam, cum quisque eorum ad tricesimum annum ętatis peruenisset, & cum liber quisq; eorum esset, certam summam dare uoluit: & coniuncta scriptura ita cauerat: Sabinæ & Cyprogeniæ dari uolo, cum ad statutam ætatem peruenerint, singulis decem: & hoc amplius, alimentorum nomine in annos singulos, quoad uiuent, singulis decem. quęsitum est, utrum omnibus manumissis alimenta debeantur, an uerò Sabinæ & Cyprogeniæ solis? Scæuola: Respondi, secundum ea quæ proponerentur, uideri omnibus alimenta legata. *Tertia exceptio est: Nisi quibusdam libertis specialiter alimenta relicta sint, uel quid aliud sit legatũ. Hæc exceptio approbatur l. alimenta. 16. ℈. Basilicæ. ff. de alim. legat. hisce uerbis:* Basilicæ libertę decem dedit, quam apud Epictetum & Callistũ libertos esse uoluit, ut cum fuerit Basilica annorum uiginti quinq;, cũ usuris quincunibus restituerẽtur, ita ut ex usuris aleretur, prout ætatem ampliaret. quæsitum est, an ex alio capite, quo generaliter libertis libertabúsque cibaria & uestiaria & habitationẽ reliquit, etiam Basilicæ deberentur? Scæuola respõdit, secundum ea quæ proponerentur, non deberi, nisi hoc quoq; ei datum probaretur. Claudius: Quia destinauerat alimentis eius usuras pecuniæ, quas specialiter ei prælegauerat. *Concordat l. Stichus. 20. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Stichus nutricis meæ nepos liber esto, cui decẽ aureos annuos dari uolo. qui deinde interpositis nominibus eidẽ Sticho contubernalem eius & libertos legauit. his quoq;, quæ uiuus præstabat: deinde alio capite libertis omnibus, quæ uiuus præstabat, dari iussit. quæro, an Stichus præter suũ legatum, & alimenta percipere possit? Scæuola respondit, secũdum ea quæ proponerentur, non posse. Item cum alimenta libertis utriusque sexus reliquerit à republ. & ex prædijs quæ ei legauit, dari uoluerit: quæro, Sticho contubernali & libertis, utrũ ab hęrede instituto, an à repub. diaria & uestiaria,

stiaria, quæ uiuus dabat, præstari debeant? Respondit, posse benigna uoluntatis interpretatione dici, his quoq; à repub. præstanda. *Propositæ exceptioni quodammodò contradicit l.libertis.18.in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.lib.32. cap.8.cauſ.4. Contradicit item l.testamento.19.ff.eod. tt.cuius uerba uide §.except.prox.* Quarta exceptio est: *Nisi cum ita esset legatum, Omnibus libertis meis cibaria, quæ uiuus præstabam, dari uolo: quibusdam uiuus cibaria non præstiterit. Hæc exceptio reprobatur l.à filio.15.§.fin.ff.de alim.leg.hisce uerbis:* Titia decedens testaméto ita cauit, Omnibus libertis libertabúsque meis cibaria & uestiaria, quæ uiua præstabam, dari præstariq; uolo. quæsitum est, cùm tribus solis eo tempore, quo ea uixit (sicut rationibus cõtinebatur) cibaria & uestiaria præstiterit, an hęres eius à cæteris quoq; libertis conueniri possit: an uerò tantùm tribus sit obnoxius, qui rationibus ipsius cibaria & uestiaria accepisse reperiuntur? Scæuola respondit, ab omnibus. *Concordat l.testam.19.ff.eod.tt. his uerbis:* Testaméto ita cautũ fuit, Libertis meis cibaria, quæque alia præstabã, ab hæredibus meis præstari uolo. unus ex libertis ex uoluntate patroni negocij sui gratia quadriennio ante diem mortis abfuit: ex hac causa cibaria, quæ antè acceperat, mortis tempore non accepit: cui tamen liberto eodem testamento patronus, sicut & alijs, quos uiuus manumiserat, legatum quinque dederat. quæsitum est, an illi quoque cibaria & reliqua, quæ cæteris libertis legata sunt, debeantur? Scæuola respondit, Cur non? *Igitur multò magis ei dabitur legati actio, qui uiuente patrona pecuniam annuam, item frumentum & uinum menstruum accepit. Quod exemplum proponitur l.alio.9. §.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Eum quoq; libertum inter eos quibus cibaria, item uestiaria patrona, quæ uiua præstabat, reliquit, rectè fideicommissum petiturum Papinianus existimauit, qui annuos uiginti aureos, & menstruum frumentum atq; uinum acceptauit. *Quinta exceptio est: Nisi quendam libertum testator unus de domo sua dimiserit, & cibaria quæ præstabat, dare desierit: huic enim inter cæteros libertos non dabitur alimentorum actio. Quæ exceptio approbatur cum conditione seu replicatione sua, l.Lucius Titius.90.§.Lucius Titius.ff.de leg.2. his uerbis:* Lucius Titius Damam & Pamphilum libertos suos ante biennium mortis suæ de domo dimisit, & cibaria quæ dabat, præstare desijt: mox facto testaméto ita legauit, Quisquis mihi hęres erit, omnibus libertis meis, quos hoc testaméto manumisi, & quos antè habui, quósque ut manumittantur petij, alimentorum nomine in menses singulos certam pecuniam dato. quęsitum est, an Damæ & Pamphilo fideicommissum debeatur? Respondit Scæuola, secundum ea quæ proponerentur, ita deberi, si hi qui peterét, manifestè docerent, eo animo circa se patronum, cum testamentum faceret, esse cœpisse, ut his quoq; legatum dari uellet: alioquin nihil ipsis præstetur. *Sexta exceptio est: Nisi non testatoris sit libertus, sed liberti eius libertus. Hæc exceptio approbatur l.Modest.105.ff.de uerb.ſignif.his uerbis:* Modestinus respondit, his uerbis, Libertis Libertabusq; meis: libertum libertæ testatoris non contineri. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi testator eum suum libertum nominauerit. Quæ exceptio approbatur cum conditione l.alimenta.16.§.libertis.ff.de alim.leg.hisce uerbis:* Libertis libertabusq;, item quos quásue testamento codicillisue manumiserat, alimenta commoda, quæ uiua præstabat, dari iusserat, itẽ omnibus libertis libertabusq; fundos. quæsitũ est, an ad ea legata admitteretur liberti paterni libertus, cui scribere solebat ita, ἀπὸ ῥῴμης ἑαυτοῦ ἀπελευθέρῳ, id est, Rufina prognato liberto nostro: epistola etiam emissa ad ordinem ciuitatis, unde oriunda erat, petierat uti publicè, quòd medicus esset, salaria ei præstarentur, manifestando literis suis eum suum esse libertum. Scæuola respondit, eum cuius notio est æsti maturum, ut siquidem uiua ea ei præstabat, nihil ominus ad fideicommissum admitteretur: aliter uerò non. *Septima exceptio est: Nisi quidam libertus iussa testatoris non fecerit. Hæc exceptio approbatur l.libertis.18.§.fin.ff.de alim.legatis. cuius uerba uide §.quæst.1. except.6.eod.cap.* Octaua exceptio est: *Nisi unus ex libertis ius aureorum annulorum impetrauerit. Hæc exceptio reprobatur l. 1.in prin.ff.de iure aureor.annulor. cuius uerba uide §. eod.cap.quæst.1. except.4.* Nona exceptio est: *Nisi unus ex libertis per collusionem ingenuus pronunciatus, postea collusione detecta cõditioni suæ redditus sit. Huic enim non dabitur actio.* Quæ exceptio approbatur *d.l.1.in fine.cuius uerba uide §.d.except.4.*

III. ADVERSVS QVOS EX alimentorum legato detur actio?

1. Regula, *De hæredibus rogati. Hæres quoque hæredis rogati ad alimenta præstanda tenetur. Quæ regula approbatur l.à filio.15.in prin.ibi:idem quæsijt.ff. de alim.leg.cuius uerba uide §.eod.cap.quæst.1.except.* 8. *Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi rogatus pluribus hæredibus relictis decesserit. Quæ exceptio reprobatur l.cum unus.10.in prin.ff.de alim.legatis.cuius uerba uide §.lib.prox.cap.1.quæst.3.reg.1.except.*8. *Secunda exceptio est: Nisi rogatus proprio nomine sit appellatus in fideicõmisso. Et hæc exceptio reprobatur l.alimenta.16.in prin.ff.de alimentis legatis,hisce uerbis:* Alimenta & uestiaria libertis suis dedit. quęsitum est, an quia nominatim à Moderato uno ex hæredibus dari iussit testator, solus Moderatus debeat, nõ etiam post

post mortem Moderati hæredes eius? Scæuola respondit, etiam hęredes teneri. *Tertia exceptio est: Nisi à rogato alimenta nunquam sint petita. Et hæc exceptio reprobatur l.libertis.18.§.manumissus.ff.de alimentis legatis. cuius uerba uide §.eod. cap.quæst.1.except.7. Quarta exceptio est: Nisi usufructu fundi legato, legatarius rogatus sit ex fructibus fundi alimenta præstare: tunc enim mortuo legatario extinguitur ususfructus, & alimentorũ fideicommissum. Quæ exceptio approbatur l.Stichus.20.§.Titia. ff.de alim.legat.hisce uerbis:* Titia usumfructum fundi legauit Mæuio, eiusq; fidei commisit, ut ex reditu fundi legati præstaret Pamphilæ & Sticho annuos centenos numos, quoad uiueret. quæro, an mortuo Mæuio hæres alimenta debeat? Scæuola respondit, nihil proponi, cur debeant præstari ab hærede Titiæ: sed nec ab hærede legatarij, nisi id testatrix manifestè probetur uoluisse etiam finito usufructu præstari, si modò id quod ex usufructu receptũ esset, ei rei præstandæ sufficeret. *Concordat l.Titia.19.in prin.ff. de ann.legatis. cuius uerba uide §.cap.prox. quæst.4. except.4.*

II. Regula: *Is in quem prædium, ex quo alimenta præstanda sunt, translatum est, ad alimenta præstanda tenetur. Quæ regula approbatur l.Caio.13.in prin.ff. de alimentis legatis.de qua re uide §.lib.32.cap.10.cauſ. 4.2.except.1.exemplo 4. Sed & huius regulæ exemplũ proponitur l.Stichus.20.§.item cũ alimenta.ff.eod. tt, cuius uerba uide paulò §.eod.cap.quæst.2.except.3.*

IIII. QVID ET QVANtum ueniatin alimentorum legatum?

1. Regula, *De aqua, proponitur l.1. ff.de aliment. legatis,hisce uerbis:* Si alimenta fuerint legata, dici potest etiam aquam legato inesse, si in ea regione fuerunt legata, ubi uenundari aqua solet.

II. Regula: *Cibaria & uestitus & habitatio debetur. Quæ regula approbatur l.legatis.6.ff.eod.tt. his uerbis:* Legatis alimẽtis, cibaria & uestitus & habitatio debebitur: quia sine his ali corpus nõ potest. cętera quę ad disciplinã pertinet, legato non cõtinentur, nisi aliud testatorem sensisse probetur. *Concordat l.ult.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.eod.lib.cap.ult.quæst.2.reg.1.*

III. Regula: *Quæ ad disciplinam pertinent, hoc legato non continentur. Quæ regula approbatur simul & distinguitur d.l.6.cũ l.sequente,d.uerbis hisce:* Cętera quæ ad disciplinam, &c.

IIII. Regula, *De præteriti temporis alimentis. Hæc nihilominus debentur, quamuis nec petita, nec lis eo nomine fuerit contestata. Quæ regula approbatur l.cum unus.10.§.uerbis.ff. de aliment.leg. hisce uerbis:* Verbis fideicommissi purè manumisso præteriti quoque temporis alimenta reddenda sunt, quamuis tardius libertatem recuperauerit, nec hæres moram libertati fecerit: tunc enim explorari moram oportet, cũ de usuris fideicommissi quæritur, non de ipsis fideicommissis. *Concordat l.is cui.18.ff.eod. tt. cuius uerba uide §.eod.cap.quæst.1.except.2. Concordat item l.libertis.18.§.manumissis.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.eod.cap.quæst.1.except.7.*

V. Regula: *Si alimẽta relicta sint, non adiecta quantitate, quid iuris sit, definitur l.cũ alimenta.22.in prin. ff.de alim.leg.de quo uide §.lib.prox.cap.7.reg.1.*

VI. Regula: *Si alimenta præstari iussit arbitrio hæredis, uiri boni arbitrio modus est statuendus. Quæ regula approbatur l.uerba.5.in fine.ff.de alim.leg. cuius uerba uide §.eod.cap.quæst.2.except.2.*

VII. Regula: *Si arbitratu boni uiri filiæ alimenta relicta sunt, quãtum debeatur, definitur l.cum unus.10. §.fin.ff.de alim.legat. hisce uerbis:* Alimentis uiri boni arbitratu filiæ relictis ab hærede suo, p̃modo legatę dotis, quã solá pater exhęre datæ filiæ nubẽti dari uoluit, atq; pro incrementis ætatis eam exhibendá esse Papinianus respondit, non pro uiribus hæreditatis.

V. EVENTVS LEGATI ALImentorum, & de executore alimentis distribuendis dando.

De executore dãdo regula proponitur l.solent.3.ff. de alim.leg.cuius hæc sunt uerba: Solẽt iudices ex causa alimẽtorum libertos diuidere, quoties plures sunt hæredes, ne à singulis hæredibus minutatim alimẽta petẽtes distringantur: quam diuisioné perinde tueri oportet, atq; si paterfam. ipse libertos diuisisset. Solent & unũ eligere, per quẽ alimẽta præstẽtur, aut ex uolũtate defuncti, aut ex arbitrio suo, ut rescripta subiecta ostẽdunt. Exemplũ libelli dati mihi à libertis Falalij misi uobis, sciens ad exemplũ istam rẽ pertinere: quia multi testamẽtis suis libertis præstare iubẽt necessaria: quæ quia minimi ęris sunt, ad nihilũ perducuntur, cũ plures hæredes cœperunt per successionẽ existere: qua de causa puto uos rectè facturos, si cõuocatis Falalij hæredib. procuratoribúsue eorũ cõstituerit, cui à cæteris dari debeat pecunia, ex cuius usuris alimẽta præstentur. Debebit autem is qui accipiet, cauere eis qui dabunt, se redditurum, ut quisq; ex libertis decesserit, alióue quo modo in ciuitate esse desierit, tantum ex forte, quantũ efficiet pro portione computatio. Diuus Pius Rubrio cuidam Telesphoro rescripsit: Cõsules, uocatis his, à quibus uobis alimenta deberi ex causa fideicommissi constiterit, uel omnes ab uno, uel facta pro rata distributione, quid & à quibus percipiatis decernẽt. fiscus etiã, si eo nomine quid ab eo uobis debebitur, id exẽplum sequetur. Iam nũc sciatis, partes eorũ qui soluẽdo esse desierint, non pertinere ad onus reliquorũ hęredum. Ex *hac lege tria notanda sunt. Primum, si alimenta plurib. plures hære-*

des debeant, legatarios dividendos inter hæredes, ut alter ab altero suæ alimenta in solidum percipiat: aut unũ ex hæredibus eligendum, qui solus legatarijs alimenta præstet. Deinde notandum, executorem distribuendis alimentis constitutum, cæteris cauere teneri de reddenda portione pecuniæ, uno aut altero ex legatarijs deficiente. Quod approbatur ſ. propoſitis uerbis hiſce: Debebit autẽ is qui accipiet, cauere eis qui dabunt, se redditurum, ut quisque ex libertis decesserit, alióue quo modo in ciuitate esse desierit, tantum ex sorte, quantum efficiet pro portione cõputatio. *Huic concordat l.pen.ſ.filiæ.ff.ad l.Falcid. his uerbis:* Filiæ, quã mater rogauerat, si impubes decessisset, restitueret hæreditatẽ Titio, paruus legitimus hæres extitit. in ratione legis Falcidiæ ponenda desiderat deduci sortes, ex quarum usuris alimenta impubes defuncta ex persona testatricis suæ pluribus debita præstitit. quęsitum est, an si eas deduxerit, cauere debeat, defunctorum alimentariorum portiones pro modo sortium se restituturum? Scæuola respondit, debere cauere. *Planè cautio dicta exigenda est à nudo ministro præstandorum alimentorum. Si autem unus hæredum à defuncto iussus sit præcipere pecuniam, & alimenta præstare, ad propoſitam cautionem præstandam nõ tenetur. de qua re dictum ſ. lib. prox. cap. 9. caut. 3. causa 6. item lib. 32. cap. ult. quæſt. 1. reg. 12. Postremò notandum, quod in fine propoſitæ legis dicitur de partibus eorum qui soluendo esse desierint: de qua re uide ſ. lib. prox. cap. 2. reg. 1. except. 1. repl. 1.*

DE DOTE RELEGATA. Cap. X.

SExta legati species est, legatum dotis, si maritus uxori dotem relegauerit, uel filio pater. de qua nunc agendum.

I. AN, SI MARITVS VXORI dotem relegauerit, actio eo nomine detur?

Hoc casu uidebatur dicendum, actionem nullam nasci. Quoniam quando debitor creditori suo legat id quod ei debet, inutile est legatum, secundum ea quæ dicta sunt ſ. lib. 32. cap. 5. except. 54. in prin. *Maritus autem uxori suæ post mortem suam dotem restituere debet, siue de dote reddenda stipulatio interuenerit, siue non. l. unica. C. de rei uxoriæ action. Verùm hiſce non obstantibus, dicendũ est, propoſitam legati speciem utilem esse, iuxta ea quæ dicta sunt ſ. d. except. 54. repl. 5. Regulariter igitur, si dos uxori à marito relegata sit, ex eo legato nascitur actio. cuius regulæ exceptiones hæ sunt. Prima exceptio est: Nisi uxor marito nullam dotem dederit. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur inſt. de leg. ſ. ſed si uxori, his uerbis:* Si uxori maritus dotẽ legauerit, ualet legatũ: quia plenius est legatũ, quàm de dote actio. Sed si quam non acceperit, dotem legauerit: diuj Seuerus & Antoninus rescripserunt, si quidem simpliciter legauerit, inutile esse legatum: si uerò certa pecunia uel certum corpus aut instrumenta dotis in prælegando demonstrata sunt, ualere legatum. *Concordat l. 1. ſ. adeò. ibi: sed etsi dotem. ff. de dote relegata, his uerbis:* Si dotem promiserit mulier, neq; dederit, & decedens maritus uxori dotem relegauerit, mulier nihil amplius quàm liberationem habebit. nam etsi quis ita legauerit, Centum quæ in arca habeo, aut quæ ille apud me depoſuit: si nulla sint, nihil deberi constat, quia nulla corpora sunt. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi certa pecunia, uel certum corpus demonstratũ sit à testatore, tanquam doti sibi datum: tunc enim, quamuis doti datum non sit, nihilominus legatum debetur. quæ replicatio approbatur supradictis his uerbis:* Si uerò certa pecunia, &c. *Concordat l. 1. ſ. si quis uxori. ff. de dote releg. his uerbis:* Si quis uxori fundum Titianum legasset his uerbis, Is enim fundus propter eam ad me peruenit: omnimodò fundus debebitur. Nam quidquid demonstratæ rei additur, satis demonstrare frustra est. *Secunda replicatio est: Nisi non dos ipſa, sed aliud pro dote sit legatum. Hæc replicatio approbatur l. cum scriptum. 6. ff. d. tt. his uerbis:* Cum scriptum esset, Quæ pecunia proter uxorem meam ad me peruenit, quinquaginta, tantundem pro ea dote hæres meus dato: quãuis quadraginta dotis fuissent, tamen quinquaginta deberi, Alfenus Varus Seruium respondisse scribit: quia propoſita summa quinquaginta adiecta sit. Item ei quæ dotẽ nullam habebat, uir sic legauerat, Quanta pecunia dotis nomine, & reliqua, pro ea quinquaginta hæres dato: deberi ei legatũ, Ofilius, Cascellius, item & Seruij auditores retulerunt, perindéque habendum esse, ac si seruus mortuus alicui, aut pro eo centum legata essent. quod uerum est: quia his uerbis non dos ipſa, sed pro dote pecunia legata uidetur. *Secunda exceptio est: Nisi dos uxori constante matrimonio sit soluta. Hæc exceptio approbatur l. 1. ſ. adeò. ff. de dote relegata, his uerbis:* Adeò dotis actionem continet dotis purè relegatio, ut si uiuus eam uxori (scilicet quibus casibus licet) soluerit, cesset legatum. *Tertia exceptio est: Nisi res in dotem data perierit. Hæc exceptio approbatur d. ſ. adeò, his uerbis:* Sed etsi mancipia fuerint in dotem non æstimata, & hæc demortua sint, legatum dotis in his euanescit. *Huius exceptionis replicatio est: Nisi pecunia uel quid aliud pro dote sit legatum. Hæc replicatio approbatur l. uir ux. 8. ff. eod. tt. his uerbis:* Vir uxori, quæ dotem in mancipijs habebat, pecuniam pro dote legauerat. uiuo uiro mancipijs mortuis, uxor post uirum uita decesit. ad hæredem eius actio legati rectè transmittitur: quoniam mariti uoluntas seruanda

seruanda est. *Quarta exceptio est: Nisi socer mutui constante matrimonio dotem relegauerit. Hæc exceptio approbatur, certa tamen conditione, l. 1. ſ. Celſius. ff. de dote relegata, his uerbis:* Celsus lib. XX. Digest. scribit, Si socer nurui dotem relegauit, si quidem ius actionis de dote uoluit relegare, nullius momenti esse legatum: quippe nupta est. sed si uoluit eam recipere dotalem pecuniam, utile (inquit) erit legatũ. si tamen hæc dotem receperit, nihilominus maritus dotis persecutionem habebit: siue hæres institutus est, familiæ erciscundæ iudicio: siue non, utili actione. Ego puto, quoniam non hoc uoluit socer, ut bis dotem hæres præstaret, mulierem agentem ex testamento cauere debere, defensum iri hæredem aduersus maritum. Ergo & maritus itidem cauere debebit, aduersus mulierem defensum iri, si prior agat. *Ait iurisconſultus:* Quippe nupta est. *De hac ratione uide l. unicam. C. si dos constante matr. Quinta exceptio est: Nisi non directis uerbis dotem relegauit, sed ita: Vxor mea, quod mihi dedit, è medio sumat. reprobatur hæc exceptio l. uxori. 17. in prin. ff. de dote relegata, his uerbis:* Vxori ita legauit, Vxor mea, quidquid ei comparaui, & quod mihi dedit, è medio sibi sumat. quæro, an dos relegata uideatur? Scæuola respõdit, uerba quę proponerentur, uideri & de dote relegata loqui, nisi aliud testatorem uoluisse probaretur. *Sexta exceptio est: Nisi antè conuenerit, ut morte uiri soluto matrimonio, liberis interuenientibus, dos apud mariti hæredem remaneret. Hæc exceptio reprobatur l. 1. in prin. ff. de dote releg. his uerbis:* Cũ dos relegatur, uerum est id dotis relegato inesse, quod actioni de dote inerat. & ideo, si inter uirum & uxorem conuenerat, ut morte uiri soluto matrimonio, filio communi interueniente, dos apud mariti hæredem permaneret, & maritus decedẽs dotem relegauerit: stari pacto non debet, ob hoc quòd dos relegata est. Verùm & citra relegationẽ hoc probari debet. nam quod est admissum, posse deteriorem conditionẽ dotis fieri interuenientibus liberis, toties locum habet, quoties ipsa in matrimonio decedit, uel diuortium interuenit. *Concordat l. 2. ff. de pactis dotalibus. cuius uerba uide ſ. lib. 15. cap. 6. except. 27. repl. 1. Septima exceptio est: Nisi alius quàm uxor antea sibi dotem reddi sit stipulatus. Hæc exceptio approbatur cum sua replicatione l. qui dotem. 16. ff. de dote relegata, his uerbis:* Qui dotem à matre uxoris acceperat, & stipulanti ei promiserat, testamento uxori dotem legauit. cum quæsitum esset, an uxor dotis summam consequi posset? respondit Scæuola, non uideri dari uxori, quod necesse sit matri reddi. aliàs sic respondit, non deberi, nisi manifestè uxor docuisset, eam testantis uoluntatem fuisse, ut onerare hæredes dupli- 10 ci præstatione dotis uellet. *Octaua exceptio est: Nisi actor non caueat de indemnitate hæredi, si forte alius aliáue dotis actione aduersus hæredem experiri posit. Hæc exceptio approbatur exemplis 3. quorum primum proponitur l. 1. ſ. Celſus. ibi: ego puto. ff. de dote relegata. cuius uerba uide paulò superius except. 4. Secundum exemplum proponitur d. l. 1. ſ. per contrarium, hiſce uerbis:* Apud Iulianum lib. 37. quęritur, si socer filio suo exhæredato dotem nurus legasset: & ait, agi quidem cum marito exhæredato de dote non posse: uerùm tamen ipsum dotem persecuturum ex causa legati: sed non aliàs eum legatum consecuturum, quàm si cauerit, hæredes aduersus mulierem defensum iri. & differentiam facit inter eum, cui dos relegata est, & Orcinum libertum, cui peculium legatum est. namque eum de peculio posse cõueniri ait, hæredem non posse: quia desierit peculium penes se habere. at dotis actio nihilominus competit, etsi dotem desierit habere. *Concordat huic l. pater. 7. in prin. ff. cod. tt. his uerbis:* Pater dotem à nuru acceptam filio exhæredato legauit. hæres patris, opposita doli exceptione, non antè soluere legatum cogendus est, quàm cautum ei fuerit de indemnitate soluto matrimonio. *Tertij exempli loco potest poni exceptio præcedens proxima, quamuis in ea nulla cautionis mentio sit facta. Planè propoſitæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi omissa cautione, dos ex causa legati sit soluta. Hæc replicatio approbatur d. l. 7. ſ. si fortè, his uerbis:* Si fortè per errorẽ cautio defensionis omissa sit, & ex causa fideicommissi filius dotem acceperit, ut indebitum fideicommissum non repetetur: cautionis enim præstandæ necessitas solutionem moratur, nõ indebitum facit, quod fuit debitum. Sed non erit iniquum, hæredi subueniri. Quid ergo, si patris hæres nõ sit soluendo? nónne iustè mulieri dabitur aduersus uirum utilis actio dotis, cui dos perire non debet: quia non interpoſuit cautionem hæres per errorem. *Nona exceptio est: Nisi testator maritus dotalem fundum alij locauerit. Hæc exceptio approbatur certo modo l. 1. ſ. final. ff. de dote relegata, his uerbis:* Mela scribit, si fundus in dotem locatus sit à marito ad certum tẽpus, uxorẽ nõ aliàs fundum ex relegatione consequi, quàm si cauerit se passuram colonum frui, dummodò ipsa pensiones percipiat. *Decima exceptio est: Nisi uxor legataria dotem promiſſam non soluerit. Hæc exceptio approbatur l. 1. ſ. adeò. ibi: ſed etsi dotem. ff. de dote relegata. cuius uerba uide ſ. except. 1. Vndecima exceptio est: Nisi dos marito legata, mulieri soluta sit. Hæc exceptio approbatur l. 1. ſ. idem Iulianus. ff. de dote relegata, his uerbis:* Iulianus quærit, si dotem marito relegauerit socer, an dote soluta mulieri, lega-

absit. hoc enim casu uidetur legatario electio adempta: uerùm nihilominus uel præsentem, uel absentis æstimationem potest eligere. Exceptio igitur proposita reprobatur l.cum res.47.§.sed si Stichus.ff.de leg.1.cuius uerba uide ē.lib.32.cap.11. causa 56. replic.1. Octaua exceptio est: Nisi altera res ex duabus alternatiuè legatis ex causa lucratiua legatarij esse cœperit: hoc enim casu uidetur illi alterius petitio esse deneganda. uerùm exceptio hæc reprobatur l.non quocunq;.79.§.final.ff. de leg.1. cuius uerba uide ē.d.cap.11. causa 57. except.8. Nona exceptio est: Nisi certa aliqua species legatario sit soluta, uel seruo eius præstita, illo iubente, uel ratum habente. Hæc exceptio approbatur l.cum incert.13.ff. de leg.1. his uerbis: Cum incertus homo legatus tibi esset, hæres Stichum seruo tuo tradidit. Neratius respondit, si uoluntate domini tradidit, uel ratum hoc dominus habuit, perinde eum liberatum, atq; si Stichus legatus esset. *Decima exceptio est: Nisi seruum ab hærede manumissum elegerit. Hæc exceptio reprobatur l.si cum.14. ff. de optione legata, his uerbis:* Si cum optio serui ex uniuersa familia legata esset, hæres aliquem priusquam optaretur manumisit, ad libertatem eum interim non perducit: seruum tamen, quem ita manumisit, amittit: quia is aut electus legato cedit, aut relictus tunc liber ostenditur. *Concordat l.si optio.3. ff. qui & à quibus manumissi. cuius uerba uide ē.lib.19.cap.10. quæst.10. reg.3. Vndecima exceptio est: Nisi rem quam semel repudiauit, postea elegerit. Hæc exceptio reprobatur l.homine.18. ff.de opt.leg. his uerbis:* Homine legato, Neratius ait, nihil agi repudiato Pamphilo: itaq; eum ipsum eligi posse. *Duodecima exceptio est: Nisi eum qui sub conditione à testatore manumissus fuerit, optauerit. Hæc exceptio approbatur l.cum ita.9.§.fin.ff.de opt.leg. cuius uerba paulò inferius proponentur. Eius autem replicatio hæc est: Nisi conditio libertatis defecerit. quæ replicatio approbatur d.§. fin. his uerbis:* Quæsitum est, si Stichus sub cõditione liber esse iussus esset, & optione seruorum mihi data, antequam optarem, conditio statulibertatis defecisset, an Stichum optare possim? puto Mutianæ sententiæ adsentiendum, qua placet, ipsa libertate legatum perimi, nõ datione statulibertatis. quare siue uiuo testatore, siue post mortem eius ante aditam hæreditatem conditio statulibertatis defecerit, legatum erit utile. nam sicut pura libertas, ita statulibertas aditæ hæreditatis tempore uires accipit. Ideo Stichum optare possum. *Decimatertia exceptio est: Nisi una re ex pluribus legata, optimam legatarius elegerit. Hæc exceptio approbatur l.legato.37.in prin. ff. de legat.1. his uerbis:* Legato generaliter relicto, uelluti hominis, Caius Cassius scribit id esse obseruandum, ne uel optimus, uel pessimus accipiatur. quæ sententia rescripto Imperatoris nostri & diui Seueri iuuatur, qui rescripserunt, homine legato actorem non posse eligi. *Concordat l.si duob.3.§.sed etsi quis.tbi: ita tamen. C. communia de legatis. cuius uerba uide ē.cap.6.except.21.in fine. Decimaquarta exceptio est: Nisi cum alicui seruorum electio legata esset, non adiecto numero, plures quàm duos eligat. Hæc exceptio tractatur ac definitur l.1.ff.de opt.leg. his uerbis:* Diuus Pius Cæcilio Proculo rescripsit, eum cui seruorum legata sit electio, tres posse eligere. *Decimaquinta exceptio est: Nisi duabus rebus alternatiuè legatis, legatarius utriusque partẽ optauerit. Hæc exceptio approbatur l.si ex toto.8.§.fin.ff. de legat.1. his uerbis:* Si ita legatum sit, Lectica-rios octo, aut pro his in homines singulos certam pecuniã, utrum legatarius uolet: nõ potest legatarius partem seruorum uindicare, pro parte numos petere: quia unum in alterutra causa legatum est: quemadmodũ & si olei pondo quinquaginta, aut in singulas libras certum æs legatũ sit: ne aliter obseruantibus, etiam uno homine legato, diuisio concedatur. nec interest, diuisa ea summa, an iuncta ponatur. Certè octo seruis legatis, aut pro hominib. certa pecunia legata: nõ posse inuitum hæredẽ partẽ pecuniæ, partẽ mancipiorũ debere, cõstat. *Concordat l.si quis.15.ff. de leg.2. his uerbis:* Si quis duob. hæredibus institutis ita legauerit, Stichum aut decem hæredes danto: non potest alter hæredum quinque, alter partem Stichi dare: sed necesse est utrunq; aut Stichum totum, aut decem soluere. *Decimasexta exceptio est: Nisi aliam rem, quàm quæ testamenti facti tempore testatoris fuerit, elegerit. Hæc exceptio constat ex ijs quæ dicta sunt ē.lib.prox.cap.3.reg.9. except.4. Sed & approbatur exemplo l.nomen.33.§.filio.ff.de leg.3. cuius uerba uide ē.lib.prox.cap.5.reg.10. Aliud propositæ exceptionis exemplum est l.uxorem.39.§.testamento. ff.eod.tt. cuius uerba uide ē.lib.prox.cap.4.de seruis legatis, reg.11. Contrarium exemplum proponitur l.ult.ff.de opt.legata, his uerbis:* Maritus uxori suæ codicillis per fideicõmissum dedit prædia, item lãces quas elegisset quatuor. quæsitum est, an ex his lancibus, quæ mortis tẽpore sint, eligere possit? Scæuola respondit, posse. *Decimaseptima exceptio est: Nisi electione rei legatæ, huiusmodi materiæ res nullæ in hæreditate inueniantur. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi aliæ similes res, uel eius generis, quamuis alterius materiæ, sint in hæreditate. quæ replicatio approbatur l.Seia.37. ff.de auro legato, his uerbis:* Sciæ dulcissimæ poculum aureum, quod elegerit, fidei hæredum committo ut dent. quæro, cum in hæreditate non sint nisi trullæ, scyphi, modiali, phialæ, an Seia de his speciebus eligere possit? Scæuola respondit, cum omnia potui parata pocula dicũtur, posse eam ex his eligere. *Secunda replicatio proponitur & approbatur l.Titia.*

niæ. ff.eod.tt. his uerbis: Semproniæ hoc amplius, coopertoria, tibiana & tunicas très cum palliolis, quæ elegerit, dari uolo. quæro, an ex uniuersa uestẽ, id est, synthesi tunicas singulas & palliola Sempronia eligere possit? Scæuola respondit, si essent tunicæ singulæ cum palliolis relictæ, ex his duntaxat eligi posse: quòd si non essent, hæredem uel tunicam & palliolum ex synthesi esse præstaturum, uel ueram æstimationem earum. *Decimaoctaua exceptio est: Nisi non debito tempore optauerit uel elegerit. Hæc exceptio approbatur simul & declaratur per ea quæ proponentur ī. eod.cap. quæst.4. Decimanona exceptio est: Nisi semel optatum sit. Hæc exceptio approbatur l.apud Ausid.20. ff.de optione legata, his uerbis:* Apud Ausidium libro primo Regularũ scriptum est, cum ita legatum est, Vestimenta quæ uolet tricliniaria sumito, sibiq; habeto: si is dixisset quæ uellet, deinde antequã ea sumeret, alia se uelle dixisset, mutare uoluntatem eum non posse, ut alia sumeret: quia omne ius legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumpsit: quinetiam res continuò eius fit, simul ac dixerit eam se sumere. *Concordat l.serui.5.in prin.ff.de legat.2. his uerbis:* Serui electione legata, semel duntaxat optare possumus. *Item l.si pluribus.33. in fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide ē.lib.prox.cap.7.reg.25. except.8. Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi filiusfamilias sine iussu patris optauerit. Hæc replicatio approbatur l.iul.10. ff.de leg.2. his uerbis:* Iulianus necà filio familiâs sine iussu patris optari posse, nec ante aditam hæreditatem putat: quod est uerum. *Secunda replicatio est: Nisi alienum seruum uel hominem liberum optauerit. Hæc replicatio approbatur l.2. §.data igitur. ff.de opt.leg. his uerbis:* Data optione, si quis optauerit alienum seruum uel hominem liberum, uidendum est, an consumpserit optionem? & putat Vlpianus, nõ consumi. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi hæres istum hominem ante electionem alienauerit uel manumiserit. quæ duplicatio approbatur l.si cum.14. ff.eod.tt. cuius uerba uide ē.except.10. Tertia replicatio est: Nisi homine legato, statuliberum elegerit. Hæc replicatio approbatur l.cum ita.9.§.quæsitum.ff. de optione legat. his uerbis:* Quæsitum est, si Stichus sub conditione liber esse iussus, & mihi optio serui data esset, uel seruus generaliter legatus esset, quid iuris esset? dixit Paulus, commodius constitui, eum qui sub conditione libertatem Sticho det, in optione seruorum nõ cogitare de Sticho: si cuti constat, non cogitare eum de eo, cui præsentem dederit libertatem: secundum quod, si Stichum optauero uel elegero, nihil agam, & ex cæteris nihilominus optabo. *Quarta replicatio est: Nisi uini electione legata, acetum elegerit. Hæc replicatio approbatur l.2. §.fin. cum l.sequente. ff.de opt.legata, his uerbis:* Eum cui centum amphorarum electio data sit, acetum eligentem non consumere optionem, si id acetum elegerit, quod uini numero paterfamiliâs non habuit, scilicet si ante exhibitionem, hoc est, ante degustationem acetum elegerit. *Ex his uerbis, præterquam quòd replicatio proposita ijs approbatur, simul etiam duæ eius duplicationes eliciuntur. quarum prima est: Nisi id acetum elegerit, quod testator uini numero habuit. Altera: Nisi post degustationem acetum elegerit. Quinta replicatio est: Nisi legatarius ignorans sibi electionem legatam, rem quam solam sibi legatam putabat, petierit. Hæc replicatio reprobatur l.si is.19. ff.de legat.2. his uerbis:* Si is cui legatus sit Stichus aut Pamphilus, cum Stichum sibi legatum putaret, uindicauerit: amplius mutandæ uindicationis ius non habet. nanq;, etsi damnatus hæres alterutrum dare, Stichum dederit, cum ignoraret sibi permissum uel Pamphilum dare: nihil repetere poterit. *Sexta replicatio est: Nisi hæres non omnes res, quarum optio relicta est, exhibuerit. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur l.scyphi. 4. cum l.sequente. ff.de optione legata, his uerbis:* Scyphi electione data, si non omnibus scyphis exhibitis legatarius elegisset, integram ei optionem manere placet: nisi ex his duntaxat eligere uoluisset, cum sciret & alios esse. Nec solùm, si fraude hæredis, sed etiamsi alia qualibet causa deuenerit. *Propositæ replicationis exemplum proponitur l.scilicet.3. ff. eod.tt. cuius uerba uide paulò superius replic.4. Ait Iurisconsultus:* Nisi ex his duntaxat eligere uoluisset, cum sciret & alios esse. *Hisce uerbis continetur prima replicationis propositæ duplicatio hæc: Nisi legatarius sciens & alias res esse, eas exhiberi non petierit: sed contentus ijs quæ exhibitæ fuerunt, elegerit. Altera duplicatio est: Nisi sine dolo hæredis non omnes res exhibitæ sint. quæ duplicatio reprobatur uerbis iam dictis hisce:* Nec solùm si fraude hæredis, &c. *Septima replicatio est: Nisi legatarius nondum sumpserit rem, quam dixit se uelle. Hæc replicatio reprobatur l.apud Ausidium.20. ff.de optione legata. cuius uerba uide ē.eod.except.in prin. Hæc de exceptione decimanona, eiusq; replicationibus sint dicta. Vicesima exceptio est: Nisi cùm duobus electio data esset, alter tantùm elegerit. Hæc exceptio reprobatur l.si tibi.8.§.unius. ff.de opt. leg. de quo ī. quæst. 6.reg.1. Vicesimaprima exceptio est: Nisi cùm pluribus electio legata esset, illi inter se dissentiant. Hæc exceptio iure quidem antiquo approbatur, reprobatur uerò iure nouo, certo tamen modo, Inslit. de legatis.§.optionis.ibi: & diligentiore, his uerbis:* Et hoc in nostra constitutione additum est, ut siue plures legatarij extiterint, quibus optio relicta est, & dissentiant in corpore eligendo: siue unius legatarij plures hæredes sint, &

inter se circa optandum dissentiant, alio aliud corpus eligere cupiente: ne pereat legatum (quod pleriq; prudentum contra benuolentiam introducebant,) fortunam esse huius optionis iudicem, & sorte esse hoc dirimendum, ut ad quem fors deueniat, illius sententia in optione præcellat. *Concordat l.si duob.3.in princ. C.comm. de legatis, hisce uerbis:* Si duobus uel tribus hominibus, uel pluribus fortè, optio serui uel alterius rei fuerit relicta, uel si uni quidem legatario optio serui uel alterius rei relicta est, ipse autem moriens plures sibi reliquerit hęredes: dubitabatur inter ueteres, si inter legatarios uel hæredes legatarij fuerit certatum, & alter alterum seruum uel aliam rem eligere uelit, quid sit statuendum? Sancimus itaque, in omnibus huiusmodi casibus rei iudicem fortunam esse, & sortem esse inter altercantes adhibendam: ut quem fors prætulerit, is quidem habeat potestatem eligendi, cæteris autem æstimationem præstet contingentium eis partium: id est, seruis quidem & ancillis maioribus decem annis, si sine arte sint, uiginti solidis æstimandis, minoribus uidelicet decem annis non amplius quàm in decem solidos computandis. sin autem artifices sint, usq; ad triginta solidos æstimatione eorum procedente, siue masculi, siue fœminæ sint: exceptis notarijs & medicis utriusq; sexus, cum notarios quinquaginta solidis æstimari uelimus, medicos autem & obstetrices sexaginta. eunuchis minoribus quidem decem annis usque ad triginta solidos ualentibus, maioribus uerò usq; ad quinquaginta: sin autem artifices sint, usque ad septuaginta. *Vicesimasecunda exceptio est: Nisi testator uel lex specialiter hæredi electionem permiserit. Hæc exceptio, quoad testatorem, approbatur Instit. de legatis. §. si generaliter. ibi: nisi aliud testator dixerit. cuius reliqua uerba uide ẽ. eod. cap. in prin. Quando autem lex hæredi electionem concedat, uide in exceptionibus præcedentibus. Nunc huius exceptionis propositæ, quando scilicet non legatario, sed hæredi uel à testatore, uel à lege data est electio, replicationes sunt proponendæ. Harum prima hæc est: Nisi hæres electionem habens, pessimam rem uelit præstare. Secunda replicatio est: Nisi hæres rem alienam, uel eam quæ legatario ex aliqua causa posit auferri, præstiterit. Hæ duæ replicationes propositæ sunt ẽ. libro prox. capite 6. in princ. reg. 1. except. 2. Tertia replicatio est: Nisi electione serui hæredi data, furem dederit. Hæc replicatio approbatur l. si generaliter. 107. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 2. reg. 5. Concordat l. si à substit. 45. §. hæres. ff. eod. tit. cuius uerba uide suprà d. except. 2. Quarta replicatio est: Nisi hæres rem dederit, quæ postea est euicta. Hæc replicatio approbatur l. qui concubinam. 29. §. si hæres. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si hæres tibi, seruo generaliter legato, Stichum tradiderit, isque à te euictus fuerit: posse te ex testamento agere, Labeo scribit: quia non uideatur hæres dedisse, quod ita dederat, ut habere non possis. & hoc uerum puto. Sed hoc amplius, &c. *Reliqua huius loci uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 2. reg. 4. except. 3. replic. 2. Quinta replicatio est: Nisi hæres unam rem soluerit. hoc enim casu electio illi est perempta. Cuius replicationis duplicatio hæc esse uidetur: Nisi hæres ignorans sibi electionem permissam, alteram rem tanquam debitam per errorem soluerit. Hæc duplicatio reprobatur l. si is. 19. ff. de legat. 2. cuius uerba uide ẽ. except. 19. repl. 5. Sexta replicatio est: Nisi cùm pluribus hæredibus electio competeret, illi in eligendo dissentiant. Hæc replicatio approbatur l. seruo. 12. ff. de opt. leg. his uerbis:* Seruo generaliter legato, uerius est omnes hæredes, si eis electio data sit, eundem dare debere: & si non consentiant hæredes, ex testamento eos teneri. *Septima replicatio est: Nisi hæres alteram rem ex duabus rebus alternatiuè legatis ante electionem alienauerit. Hæc replicatio reprobatur l. si quando. 106. §. hæres. ff. de leg. 1. his uerbis:* Hæres, cuius fidei commissum erat, ut mihi fundum aut centum daret, fundum Titio uendidit. cum electio ei relinquatur, utrum malit dandi (ut tamen alterum solidum præstet) Prætoris officio conuenire existimo, ut si pecuniam offerat, inhibeat fundi persecutionẽ: ita etenim eadem causa constituetur, quæ futura esset, si alienatus fundus non fuisset: quando etiam aduersus ipsum hæredem officium Prætoris siue arbitri tale esse deberet, ut si fundus non præstaretur, neq; pluris, neque minoris quàm centum æstimaretur. *Octaua replicatio est: Nisi duabus rebus alternatiuè relictis, utram hæres uoluerit, altera res perierit uel absit. hoc enim casu hæredi electio est adempta. quæ replicatio approbatur l. cum res legata. 47. §. sed si Stichus. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si Stichus aut Pamphilus legetur, & alter ex his uel in fuga sit, uel apud hostes: dicendum erit, præsentem præstari, aut absentis æstimationem. toties enim hæredi electio est committenda, quoties moram non est facturus legatario. qua ratione placuit, etsi alter decesserit, alterum omnimodò præstandum, uel fortasis mortui precium. *Concordat l. statuliberum. 11. §. fin. ibi: si ante diem. ff. de leg. 2. his uerbis:* Stichum aut Pamphilum, utrum hæres meus uolet, Titio dato. Si ante diem legati cedentem alter mortuus fuerit, alter qui supererit, in obligatione manebit. *Propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi hæres, antequam res perierit, dixerit se eam præstare uelle: tunc enim interitu eius rei etiam ab alterius rei præstatione est liberatus. quæ duplicatio approbatur l. huiusmodi. 81. §. Stichum. ff. de leg. 1. de quo ẽ. lib. proxim. cap. 11.*

cap. 11. causa 51. except. 8. repl. 3. est dictum. Nona replicatio est: Nisi hæres debito tempore non dicat, uteram uelit præstare. Hæc replicatio approbatur d. l. 11. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis: Stichum aut Pamphilum, utrum hæres meus uolet, Titio dato: dum, utrũ uelit dare, eo die, quo testamentum meum recitatum erit, dicat. si non dixerit hæres, Stichum an Pamphilum dare malit, perinde obligatum eum esse Pomponius putat, ac si Stichum aut Pamphilum dare damnatus esset, utrum legatarius elegerit. *Decima replicatio est: Nisi semel hæres elegerit. Hæc replicatio approbatur d. §. fin. his uerbis:* Cum semel dixerit hæres, utrum dare uelit, mutare sententiam non poterit: & ita etiam Iuliano placuit. *Concordat l. huiusmodi. 81. §. Stichum. ff. de leg. 1. ijsdem uerbis. Huius replicationis duplicatio hæc esse uidetur: Nisi hæres per errorem alteram rem dixerit se soluturum. Hæc duplicatio uidetur reprobari l. si is. 19. in fine. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. except. 19. replic. 5. Hæc de uicesimasecunda exceptione, ciusq; replicationibus sint dicta. Vicesimatertia exceptio est: Nisi cuidam tertio testator electionem dederit. De hac re uide ẽ. capite 6. except. 21. Vicesimaquarta exceptio est: Nisi duabus rebus alternatiuè relictis, una tantum res sit in hæreditate. Hæc exceptio reprobatur exemplo l. si tibi. 8. §. 1. ff. de opt. legata, his uerbis:* Si ex quatuor uiriolis duæ, quas elegissem, mihi legatæ sunt: siue duæ solæ sint relictæ, siue ab initio duæ solæ fuerint, utalet legatum.

II. QVIBVS DATVR optio uel electio?

Prima regula, De hæredibus legatarij. Si legatarius, antequam eligat, fuerit mortuus: iure quidem antiquo hæredibus eius non dabatur electio, iure autem nouo datur. quæ regula approbatur Instit. de legatis. §. optionis, hisce uerbis: Optionis legatum, id est, ubi testator ex seruis suis uel alijs rebus optare legatarium iusserat, habebat olim in se conditionem: & ideo nisi ipse legatarius uiuus optauerat, ad hæredem legatum non transmittebat. Sed ex constitutione nostra & hoc in meliorẽ statum reformatum est, & data est licentia & hæredi legatarij optare seruum, licet uiuus legatarius hoc non fecerit. *Aut imper.* Ex constitutione nostra. *Constitutio ista habetur l. si duob. 3. in princ. C. comm. de legatis. cuius uerba uide paulò superius except. 21. Concordat l. illud. 19. ff. de opt. leg. his uerbis:* Illud aut illud, utrum elegerit legatarius. nullo à legatario electo, decedente eo post diem legati cedentem, ad hæredem transmitti placuit. *Item concordat l. nec semel. 12. §. penult. ff. quando dies leg. cedat, his uerbis:* Si cui homo generaliter legatus sit, si antequam uindicet decesserit, ad hæredem suum legatum transfert. *Planè usufructu aut decem alternatiuè legatis, legatario, antequam eligat, mortuo: decem quidem legatum ad hæredes transit, electio uerò nequaquam, cum usufructus etiam electus cum legatario esset extinctus: quod primæ exceptionis loco notandum. quæ exceptio approbatur l. si usufructus. 14. in prin. ff. quando dies leg. cedat. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 12. Secunda exceptio est: Nisi duabus rebus alternatiuè legatis, altera purè, altera sub conditione sit legata, & legatarius pendente conditione decesserit. hoc enim casu ad hæredes electio non transmittitur. quæ exceptio approbatur l. cum illud. 25. in princ. ff. quando dies leg. ced. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. capite 1. quæst. 5. reg. 1. except. 4. Alterius tamen rei purè relictæ legatum ad hæredes trãsit. de quo uide ẽ. cap. 18. reg. 1. except. 2. replic. 7. Hæc de prima regula.*

Secunda regula, De electione seruo relicta, utrum domino, an seruo manumisso competat, definitur l. si Pamph. 10. ff. de opt. leg. his uerbis: Si Pamphilo seruo Lucij Titij seruus generaliter legatus sit, deinde dominus Pamphili, postquam dies legati cesit, eum manumiserit: siquidem Titius seruum uindicauerit, extinguitur Pamphili legatum: quia non est in hæreditate, qui possit optari. Si uerò Titius legatum à se repudiasset, Pamphilum optare posse constat legatum. licet enim manumissione Pamphili duæ personæ constituantur, Titij & Pamphili, unius tamen rei legatum inter eas uertitur: & Titio uindicante optio extinguitur, repudiante Pamphilus optare potest. *Plura de regula proposita uide ẽ. lib. prox. capite 1. quæst. 3. reg. 2. except. 1. Est enim lex proposita distinctio quædam d. except. 1. replic. 3.*

III. ADVERSVS QVOS datur hæc actio electionis legatæ?

Etiam aduersus detentorem & possessorem rerum datur, ut res exhibeat eligendas. quæ regula approbatur l. si tibi. 8. §. fin. ff. de opt. leg. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 11. reg. 2.

IIII. QVANDO COMPETAT electio uel optio?

Prima regula: Ante aditam hæreditatem optando uel eligendo nihil agitur. quæ regula approbatur l. optione. 16. ff. de opt. leg. his uerbis: Optione legata, placet non posse ante aditam hæreditatem optari, & nihil agi si optetur. *Concordat l. iulianus. 10. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ẽ. eod. cap. except. 19. repl. 1. Concordat item l. si usufr. 14. in prin. ibi: quamuis enim. ff. quando dies leg. cedat. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 8. reg. 1. except. 11.*

Secunda regula: Pendente legati conditione, optando nihil agitur. quæ regula approbatur l. cum illud. 25. in prin. ibi: nam pendente. ff. quando dies leg. ced. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 1. quæst. 5. reg. 1. except. 4.

Tertia regula, De die à Prætore decernendo, intra quem legatario sit eligendum, proponitur l. mancipiorum. 6. in prin. ff. de opt. leg. his uerbis: Mancipio-

rum electio legata est. ne uenditio quandoq; non eligente legatario interpelletur: decernere debet Prætor, nisi intra tempus ab ipso præfinitum elegisset, actionem legatorum ei non competere. *Alia diei præfiniendi causa proponitur l.si tibi.8.in princ. ff.eod.tt. his uerbis*: Si tibi electio serui, & mihi reliqui legati sint: decernendum est à Prætore, nisi intra certum tẽpus optaueris, petitionem tibi non datum iri. *Propositæ regulæ exceptio uidetur esse talis*: *Nisi non hæres, sed emptor hæreditatis diem legatario petat præfiniri. Hæc exceptio reprobatur l.si optio.13.§.fin.ff.eod.tt.his uerbis*: Pomponius scribit, emptore hæreditatis postulante, ut is cui serui optio legata sit, optet: uidendum esse, an Prætor, ut id faciat, cogere debeat legatarium, quemadmodum si hæres institutus id postularet: quia possit per hæredem id emptor consequi. & quare non possit, non uideo.

Quarta regula: *Si ergo legatarius intra diem à Prætore præfinitum non elegerit, postea illi denegatur actio. quæ regula ex ijs quæ iam dicta sunt constat. Eius autem regulæ exceptio hæc est*: *Nisi die præterito res adhuc sit integra. quæ exceptio approbatur, simul & exemplis declaratur d.l.6.§.quid ergo. ff. de opt. leg. his uerbis*: Quid ergo, si die præterito, sed tamen antequam uenderet hæres, uindicare legatarius uelit? audietur: quia non est damnum subiturus hæres, propter quod decernere id Prætor solet. & quid si die præterito, quẽ præfinijt Prætor, hæres aliquos ex seruis uel omnes manumiserit? nónne Prætor eorum tuebitur libertatem? Ergo toties actio deneganda non est, si omnia in integro sint. Idem est, etsi pignori aliquos ex his seruis hæres dederit post diem, uel uendiderit. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est*: *Nisi in quibusdam res non sit integra. tunc enim etiam eorum, in quibus res adhuc integra est, optio denegatur. quæ replicatio approbatur l.imò, etsi.7.ff.eod.tt.his uerbis*: Imò, etsi quosdam seruos distraxerit, quosdam retinuerit, non est audiendus legatarius, si uelit optare ex retentis ab hærede, cum iam disposuerit hæres familiam.

V. QVAE *competat actio, & adfinia remedia, uide* ſ. *lib.prox.cap.11.reg.2.*

VI. EVENTVS OPTIONIS & electionis.

Prima regula: *Res sit communis legatariorum. quæ regula approbatur l.si tibi.8.§.unius. ff.de opt.leg. his uerbis*: Vnius hominis mihi & tibi optio data est. si, cum ego optassem, nec mutassem uoluntatem, deinde tu eundem optaueris: utriusq; nostrũm seruum futurum. *Huius regulæ exceptio hæc est*: *Nisi alter legatarius non consentiat in eandem rem, quam alter elegit. hoc enim casu forte dirimitur contentio, & is cui sors electionem dederit, totam rem quam elegerit habebit, collatavio partis æstimatione præstita. quæ exceptio approbatur l.si duob.3.in princ. C.commun.de legatis. cuius uerba uide* ſ. *hoc capite, quæst.1.except.21. Huius autem exceptionis replicatio hæc est*: *Nisi alter, antequam consentiat, mortuus fuerit, uel furiosus sit factus. hoc enim casu, quamuis non consentiat, nihilominus res sit communis. quæ replicatio approbatur d.l.8.§.unius. ibi quòd si antè, his uerbis*: Quòd si antè decessissem, uel furiosus factus essem, non futurum communem: quia non uidear consentire, qui sentire non possim. humanius autem erit, ut & in hoc casu, quasi semel electione facta, fiat communis.

De uindicatione rei electæ.

Secunda regula: *Re optata & electa, uindicatio eius competit. Quæ regula approbatur l.nec semel.12.§.fin. ff.quando dies legati ced. his uerbis*: Si Titio sit legatum, quod Seius elegerit, & Seius post electionem decesserit, locus est uindicationi semel adquisitæ. *Huius regulæ exceptio hæc est*: *Nisi seruus optatus crimen aliquod commisisse dicatur, hoc enim casu hæres eum quæstionis habendæ gratia retinere potest. Quæ exceptio approbatur l.bis consequenter.18. in princ. ff.familiæ ercisc. his uerbis*: Si ex plurib. hæredibus uni, &c.

Quid ueniat in hanc uindicationem?

Tertia regula: *Fructus rei electæ, item partus ancillæ electæ, & id quod per seruum electum adquisitum est, ad legatarium non pertinet, nisi post moram factam. de quo* ſ. *lib.prox.cap.3 & 4. item* ſ. *hoc lib. cap.3. quæst.3.reg.2. est dictum, eiusq; exemplum proponitur l.si Eros.11. ff.de opt. leg. his uerbis*: Si Eros Scio legatus sit, & Eroti fundus, deinde optio serui Mæuio data fuerit, isque Erotem optauerit: fundus ad solum Seium pertinebit: quoniam aditæ hæreditatis tempore is solus erat, ad quem posset legatum pertinere. nam cum seruo communi alter ex socijs legat, idcirco ad solum socium totum legatum pertinet, quoniam die legati cedente, solus est qui per eum seruum possit adquirere. *Concordat l.seruo.15. ff.eod.tt. his uerbis*: Seruo sine libertate legaui, deinde optionem seruorum Mœuio dedi: is eundem seruum optauit. quæro, an id quoq; quod legatum est ei, debeatur? Labeo respondit, non puto legatum huius serui nomine ad dominum pertinere. *Aliud exemplum proponitur l.filium.21. ff.d.tt. his uerbis*: Filium & uxorem hæredes scripsit: filiam exhæredauit, & ei legatum dedit, cum in familia nuberet, centum, his uerbis: Insuper arbitratu Semproniæ matris eius mancipia decem, quæ confestim post aditam hæreditatem meam à Sempronia uxore mea eligi uolo: quæ mancipia, cum in familia nupserit, dari uolo: & si antequam nupserit, aliquod ex ijs mancipijs decesserit, tunc in locum eius arbitratu Semproniæ matris eius dari uolo, dum ad eam plenus numerus perueniat. quòd si Sempronia mater eius non elegerit, tunc ipsa sibi, quem uolet, eligat. quæsitum est, cum mater elegerit, an ea quæ ex his mancipijs ante nuptias agnata sunt, ad puellam supra numerum decem mancipiorum pertineant? Scæuola respondit, cum mancipiorum legatum in tempus nuptiarum testator transtulit, id quod medio tempore ancillæ enixæ sunt, ad filiam non pertinere. Idem quæsijt, ante nuptias eorundem mancipiorũ fructus & usus an ad Semproniam matrem pertineant? Respondit, nihil proponi, cur ad matrẽ pro solido pertineant. *Hactenus de optione legata, septima legati specie. Sequitur octaua species.*

DE ACTIONE LEGAta, seu eo quod sibi debetur. Cap. XII.

I. AN EX HOC LEGAto detur actio?

SI actionem, seu id quod sibi debetur, testator legauerit, utile est legatum, daturq; hinc aduersus hæredem actio ad cedendam sibi aduersus debitorem actionem. quæ regula approbatur inſt.de legat.§. tam autem, his uerbis: Tam corporales res legari possunt, quàm incorporales. & ideo quod defuncto debetur, potest alicui legari, ut actiones suas hæres legatario præstet, nisi exegerit uiuus testator pecuniam: nam hoc casu legatum extinguitur. *Huius exemplum proponitur l.cum seruus.19. §.idem Iulianus. ff. de leg.1. his uerbis*: Iulianus scribit, si fundum testator, quem ab alio emerat, mihi legauit: hæredem cogendum mihi actionem ex empto præstare, scilicet, si nondum res tradita fuerit uel defuncto, uel hæredi. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est*: *Nisi quid tanquam debitum sit legatum, quod non debetur, seu debitor exceptione se tueri possit. Hæc exceptio approbatur l.si sic.74.§.si mihi. ff. de leg.1. his uerbis*: Si mihi, quod Titius debet, fuerit legatum, neque Titius debeat: sciendum est, nullum esse legatum. & quidem, si quãtitas non sit adiecta, euidenti ratione nihil debebitur: quia non apparet quãtum fuerit legatum. Nam & si, quod ego Titio debeo, ei legauero, quantitate non adiecta, constat nullum esse legatum: cum si decem, quæ Titio debeam, legauero, nec quidquam Titio debeam, falsa demonstratio non perimat legatum, ut in legato dotis Iulianus respondit. *Iam dictæ exceptionis replicatio prima hæc est*: *Nisi quantitate adiecta ita sit legatum, Quod Titius debet. Hæc replicatio, quamuis in alijs admittatur, de quo* ſ. *lib.32. cap.5.except.45.replic.2. est dictum*: *probatur tamen in actione legata d.§.si mihi. §.quòd si addiderit. cuius uerba uide* ſ. *d.repl.2. duplicatione prima. Secunda replicatio est*: *Nisi naturalis obligatio subsit, & naturaliter debeatur, quod quidem peti non possit, sed solutum possit per exceptionem retineri. Hæc replicatio approbatur l.cum illud.25.§.hæres. ff. quando dies legati cedat. cuius uerba uide* ſ. *d. except.45.in prin. Tertia replicatio est*: *Nisi debitum iure nouationis sit sublatum. Hæc replicatio approbatur l.cum filius.78.§.hæres.ff.de legat.2. his uerbis*: Hæres meus Titio dato, quod mihi ex testamento Semproni debetur. cùm iure nouationis, quam legatarius idemq; testator antè fecerat, legatum ex testamẽto non debeatur: placuit, falsam demõstrationem legatario non obesse, nec in totum falsum uideri, quod ueritatis primordio adiuuaretur. *Secunda exceptio est*: *Nisi cum duo alternatiuè testatori deberentur, Stichus puta aut Pamphilus alterum, puta Pamphilum, qui sibi debeatur, legauerit, posteaq; Stichum elegerit debitor seu promissor præstandũ. Hæc exceptio approbatur l.si Titius.52.in prin. ff.de leg.2. his uerbis*: Si Titius mihi Stichũ aut decem debeat, & legauero tibi Stichum quem mihi debet: placet extingui legatum decem solutis. Et ex diuerso, si alij decem, alij Stichus legatus fuerit: ex euentu solutionis legatum ualet. *Concordat l.si sic.74.§.fin. ff.de legat.1. his uerbis*: Si quis ita stipulatus, Stichum aut decem, utrum ego uelim: legauerit quod ei debeatur: tenebitur hæres eius, ut præstet legatario actionem, electionem habituro, utrum Stichum, an decem persequi malit. Proinde si Stichũ legauerit, cum ille ei Stichum aut decem deberet: incerti actio legatario aduersus hæredem competit (ut scribit Iulianus libro 33. Digest.) per quam actionem compellat hæredem experiri. & si Stichum consecutus fuerit, præstabit ei: si decem, nihil consequetur. Secundum quod erit in arbitrio debitoris, an sit legatarius is, cui Stichus legatus est. *Huius exceptionis replicatio hæc est*: *Nisi electio sit non promissoris, sed creditoris uel hæredis, à quo legatum relictum est. Hæc replicatio approbatur l.plane.19.§.si cui Stichus. ff.de leg.1. cuius uerba uide* ſ. *libro 32. cap.10. causa 42. except.10. Tertia exceptio est*: *Nisi cum duo alternatiuè testatori deberentur, Stichus puta aut Pamphilus, alteri Stichum, alteri Pamphilum legauerit. Et hæc exceptio approbatur l.quòd si quis.75. ff. d.tt. cuius uerba uide* ſ. *lib.prox. capite 2. reg.15. except.4. Quarta exceptio est*: *Nisi id quod sibi sub conditione debetur, testator legauerit. Hæc exceptio approbatur l.legata.40.ff.de condit.& demonstr. his uerbis*: Legata sub conditione relicta non statim, sed cum conditio extiterit, deberi incipiunt. Ideoq; interim legari non potuerunt. *Hæc exceptio satis dura uidetur, cum sub conditione debitum emi ac uendi possit. l.nomina.17. & l.multum.19. ff.de*

hæred.uel act.uendita. item donari. l.ſpem futuræ.3.C. de donationibus. Quinta exceptio eſt: *Niſi hæres actionem aduerſus debitorem ceſſerit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ habentur ſ. eod. capite, quæſt.2. Eius autem replicatio uidetur eſſe talis: Niſi debitor nõ ſit ſoluendo. Hæc replicatio reprobatur l.Lucius.90. §.ciuib. ff. de legat.2.his uerbis:* Ciuibus meis do lego chirographum Caij Seij. poſtea codicillis uetuit à Seio exigi, & ab hærede petijt, ut ex alterius debitoris debito, quem codicillis nominaſſet, eandem ſummã reipub.daret. quæſitũ eſt, ſi poſterior idoneus non eſſet, an integram quantitatem hæredes præſtare debeant? Scæuola reſpondit, hæredes reipub. aduerſus eum dũtaxat debitorem, qui nouiſſimis codicillis, ut proponitur, deſignatus eſt, actionem præſtare debere. *Sexta exceptio eſt: Niſi teſtator ipſe pecuniam exegerit. Hæc exceptio approbatur inſtit.de legatis.§.tam autem,in fin.cuius uerba uide ſ.cod.cap. in prin. Concordat l.ſi ſic.74.§.proinde etſi Titio.ibi: nam etſi uiuus.ff.de leg.1. cuius uerba uide ſ. libro 32. cap.5.except.45.repl.2.dupl.2. Concordat l.Lucius.90. in prin.ibi:non etiam id.ff.de leg.2.cuius uerba uide ſ. repl.2.* Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: *Niſi non eo animo teſtator exegit,ut fideicommiſſum extingueret, debitóruc ultrò pecuniã obtulit. quæ replicatio approbatur l.fideicõmiſſa.11. §.ſi rem ſuam. ibi:ergo etſi nomen.ff.de leg.3. his uerbis:* Si nomen quis debitoris exegerit, quod per fideicommiſſum reliquit, non tamẽ hoc animo, quaſi uellet extinguere fideicommiſſum, poterit dici deberi: niſi fortè inter hæc intereſt. hic enim extinguitur ipſa conſtantia debiti, ibi res durat, tametſi aliena ſit. Cum tamẽ quidam nomen debitoris exegiſſet, & pro depoſito pecuniam habuiſſet, putauit Mæcianus fideicommiſſi petitionem ſupereſſe: maximè quia non ipſe exegerat, ſed debitor ultrò pecuniam obtulerat, quam offerente ipſo non potuit non accipere. Paulatim igitur admittemus, etſi ex hac parte pecuniæ rem comparauerit, quam non hoc animo exegit, ut fideicommiſſarium priuaret fideicõmiſſo, poſſe adhuc fideicommiſſi petitionem ſupereſſe. *Ait Iuriſconſultus:* Niſi fortè inter hæc intereſt, &c. *Ad hæc uerba intelligenda uide uerba eiuſdem legis proximè præcedẽtia, quæ habentur ſ.lib.32.cap.8.cauſa 5.except.1. ibi.1.§. ſi rem ſuam.ff.de legat.3.* Planè replicationis propoſitæ probatio ipſi legatario replicanti incumbit. *quod approbatur l.penult.§.fin.ff.de adimendis legatis,hiſce uerbis:* Filiæ, quam in poteſtate habebat, inter cætera legauit peculium: idem poſt teſtamentum factum pecuniam à debitore filiæ exegit, & in ſuam rationem conuertit. quæro, an filia eo nomine cum hæredibus patris agere poſsit? Scæuola reſpondit, ſi probaretur non adimendi animo factum, agere poſſe. *Secunda propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi teſtator pecuniam exactam rurſus alij credidit,uel credito deſtinauit. Hæc replicatio approbatur l.qui filium.62. ff.de legat.3. cuius uerba uide ſ. lib.prox.cap.5.reg.10. Concordat l.Lucius.90.in prin. ff.de legat.2. cuius hæc ſunt uerba:* Lucius Titius teſtamento ita cauit: Si quid cui liberorum meorum dedi aut donaui, aut in uſum conceſsi, aut ſibi adquiſiuit, aut ei ab aliquo datum aut relictum eſt, id ſibi præcipiat, ſumat, habeat. filij nomine calendarium fecerat. poſtea ſententia dicta eſt, & placuit id quod ſub nomine ipſius filij in calendario remanſerat, ei deberi, non etiam id quod exactum in rationes ſuas pater conuertiſſet. quæro, ſi id quod exegiſſet pater ex nominibus filij ante teſtamentum factum, iterum poſt teſtamentum factum in nomen filij conuertiſſet, an ad filium ſecundum ſententiam pertineret? Scæuola reſpondit, id quod ex cauſa exactum in eandem cauſam redijſſet, deberi. *Septima exceptio eſt: Niſi teſtator debitori debitum acceptum tulit. Hæc exceptio approbatur l.non quocunque.79.§. qui Caium,in fine. ff.de leg.1. cuius uerba uide ſ.libro prox. cap.7. reg.25. except.8. Octaua exceptio eſt: Niſi teſtator debitum exigi poſtea uetuit. Hæc exceptio approbatur l.Lucius.90. §.ciuibus. ff. de legat.2. cuius uerba uide ſ. except.5. Huius exceptionis replicatio eſt: Niſi debitori liberatione legata,id quod fideiuſſor debet, legatum ſit. hoc enim caſu hæres legatario litis æſtimationem præſtare cogitur. quæ replicatio approbatur l.ſi damnatus.10.in fin. ff.de liberat. legata. cuius uerba uide ſ. cap. proximo, quæſt.1. except.11. replic.1. duplic. 1. triplic.1. Nona exceptio eſt: Niſi debitum ſit ſolutum, uel alio modo debitor liberatus, Hæc exceptio approbatur l.ſi id.21. in princ. ff.de liberat. legata, his uerbis:* Si id quod mihi deberes, uel tibi uel alijs legauero, idque mihi ſolueris, uel qualibet alia ratione liberatus à me fueris: extinguitur legatum. *Propoſitæ exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi non ipſi teſtatori, ſed hæredi eius exigenti debitum ſit ſolutum. Hæc replicatio approbatur d.l. 21. §. ſed ſi ſub, his uerbis:* Si ſub conditione dato legato hæres præoccupauerit, & exegerit debitum, aliud dici oportet: quia in arbitrio hæredis eſſe non debet, ut quandoque conditione exiſtente neque ipſi legatario debeatur legatum (ſi tum uiuat, & capere poſsit) neque ei ad quem hoc commodum peruenit, ſi legatarius capere non poſsit. *Secunda replicatio eſt: Niſi facto hæredis debitor ſit liberatus. Hæc replicatio approbatur exemplo l.qui duos.15. in princ.ff.de leg.2. his uerbis:* Qui duos reos eiuſdem pecuniæ habebat, Titium atque Mæuium ita legauit: Quod mihi Titius debet, Mæuio hæres meus dato: quod Mæuius, Seio dato, his uerbis onerat hæredem.

nam

nam cum actiones ſuas hæres Mæuio præſtiterit aduerſus Titium, uidetur Mæuius facto eius liberatus eſſe: & idcirco Seio hæres tenebitur. *Alias propoſitæ exceptionis replicationes uide ſ.except.6. Decima exceptio eſt: Niſi teſtator debitori hæres extiterit. Hæc exceptio approbatur d.l.21. §.1.his uerbis:* Iuliano placet, etſi debitori hæres extiterit creditor, poſteaq; ipſe creditor deceſſerit, legatum extingui. & hoc uerum eſt: quia confuſione perinde extinguitur obligatio, ac ſolutione. *Vndecima exceptio propoſitæ probatio ipſi legatario replicanti incumbit. quod approbatur l.penult.§.fin.ff.de adimendis legatis,hiſce uerbis:* Filiæ, quam in poteſtate habebat, inter cætera legauit peculium: idem poſt teſtamentum factum pecuniam à debitore filiæ exegit, & in ſuam rationem conuertit. quæro, an filia eo nomine cum hæredibus patris agere poſsit? Scæuola reſpondit, ſi probaretur non adimendi animo factum, eo qui teſtamentũ feciſſet, nondũ uenisſe. adijciendo autem hæc uerba, Præſens in diémue: apertè uidetur mihi oſtendiſſe, eã quoq; ſe pecuniam legare uoluiſſe.

V. *Regula, De uſuris debiti, proponitur l.nomen.37. in prin.ff.de leg.3.his uerbis:* Nomen debitoris in hæc uerba legauit Titio, Hoc amplius dari uolo decẽ aureos, quos mihi hæredes Caij Seij debent, aduerſus quos ei actionẽ mandari uolo, eiq; eorundẽ pignora tradi. quæro, utrum hæredes tantùm decem dare debeant, an omne debitum, hoc eſt, & in uſuras debeant mandare? Scæuola reſpondit, uideri uniuerſam eius nominis obligationẽ legatam. Item, cùm ignorante matrefamiliãs, actores in prouincia, adiectis ſorti uſuris, decem ſtipulati ſint, an ex cauſa fideicõmiſſi ſupraſcripti etiam incrementũ huius debiti ad Titium pertineat? Scæuola reſpondit, pertinere.

II. QVID VENIAT IN hanc actionem?

I. *Regula: Aduerſus hæredẽ teſtatoris actio ex teſtamento datur, ut legatario aduerſus debitorem actionẽ mandet. quæ regula approbatur per ea quæ dicta ſunt ſ.cod.cap.in prin. Concordat l.ſeruum.44.§.eum qui. in fine. ff.de leg.1. cuius uerba uide ſ. lib. prox. cap.5. reg.33. Concordat item l.ſi ſic.74. §.proinde etſi, in fine. ff.d.tit. cuius uerba uide ſ. lib.32. cap.5. except.45. repl.2.dupl.2. Concordat item d.l.74.§.ſi quis ita. cuius uerba uide ſ.hoc cap.except.2. Item concordat l.legatum.102. ff.de leg.1. his uerbis:* Legatum ita erat, Quæ Lucius Titius mihi debet, ea hæres meus Cornelio dare damnas eſto. nihil amplius ex hoc legato, quàm actiones ſuas, hæres præſtare debet. Deniq; *concordat l.ſi damn. 10.in prin.ff.de liberatione legata,his uerbis:* Si damnatus hæres fuerit à fideiuſſore quidem nõ petere, quod autem reus debet, Titio dare: paciſci debet, ne à fideiuſſore petat, & aduerſus reum actiones ſuas præſtare legatario, quemadmodum damnatus, &c. *Reliqua uerba uide ſ.cap.prox.quæſt.1.except.11.repl.1.dupl.1. triplic.1.*

II. *Regula: Interdum datur actio aduerſus hæredẽ, ut ipſe contra debitorem experiatur, & id quod conſecutus fuerit, legatario præſtet. Huius exemplum uide ſ.hoc cap.except.2.*

III. *Regula: Interdum legatario æſtimatio nominis ab hærede præſtanda eſt. Cuius exemplum proponitur l.quod ſi quis.75.ff.de leg.1. cuius uerba uide ſ.lib.proxim.cap.5.reg.15.except.4. Aliud exemplum proponitur l.qui duos.13.in prin.ff.de leg.2. cuius uerba uide ſ. hoc cap.except.9.repl.2. Aliud exemplum proponitur l.ſi damnatus.10. in fine. ff. de liberatione legata. cuius uerba uide ſ.cap.prox.quæſt.1.except.11.repl.1.dupl.1. triplic.1.*

IIII. *Regula, De debito, cuius dies mortis teſtatoris tempore nondũ uenit. Illud non debetur legatario. quæ regula approbatur cum conditione l.ſi ſcripſ.47. ff.de leg.2.his uerbis:* Si ſcripſiſſet, qui legabat, Quid quid mihi Luciũ Titiũ dare facere oportet, Sempronio lego: nec adieciſſet, Præſens in diémue: non dubitaré (quantum ad uerborum ſignificationẽ attinet) quin ea pecunia comprehenſa nõ eſſet, cuius dies moriente

III. ADFINE REmedium.

Legatarius omiſſa actione ex teſtamẽto aduerſus hæredem, utilem etiam habet actionem aduerſus debitorem. Quod approbatur l.ex legat.18.C.de legatis,hiſce uerbis: Ex legato nominis, actionibus ab his qui ſucceſſerunt nõ mandatis, directas quidem actiones legatarius habere nõ poteſt, utilibus autem ſuo nomine experietur.

DE LIBERATIONE Legata. Cap. XIII.

NOna legati ſpecies eſt, *legatum liberationis: de quo in hoc Capite agendum.*

I. AN HOC LEGATVM LIBERAtionis utile ſit, & ex eo actio detur, uel exceptio?

Regulariter quidem utile eſt, pariũq; tam actionem, quàm exceptionem. Quæ regula approbatur l.1.in prin.ff.de liberat.leg.his uerbis: Omnibus debitoribus etiam ea quæ debent, rectè legantur, licet domini eorum ſint. *Concordat l.liberationem.3.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Liberationem debitori legari poſſe, iam certum eſt. *Item concordat inſtit.de legatis.§.ſi quis debitori,his uerbis:* Si quis debitori ſuo liberationem legauerit, legatum utile eſt, & neque ab ipſo debitore, neq; ab hærede eius poteſt hæres petere, neq; ab alio qui hæredis loco eſt. Sed & poteſt à debitore cõueniri, ut liberet eum. *Concordat l.cum neceſs.18. C. de fideicommiſsis, his uerbis:* Cum neceſsitatem reddendæ rationis defunctus remittendã tibi eſſe petierit, manifeſti iuris eſt, uoluntatem defuncti immutatam eſſe debere. *Nunc regulæ huius exceptiones ſunt proponendæ. Prima exceptio eſt: Niſi non totum debitum ſit remiſſum, ſed pars eius. Reprobatur hæc exceptio l.non ſolùm.7. in prin. ff.de liberat.lega-*

ta,his uerbis: Non solùm totum quod debetur, remitti potest, sed etiam pars eius, uel pars obligationis,ut est apud Iulianum lib. 32.Digest. tractatum. *Secunda exceptio est: Nisi plus remissum sit,quàm debetur.Et hæc exceptio reprobatur d.l.7. §.sed etsi, his uerbis*: Sed etsi debitorem decem damnatus sit hæres uiginti libe rare,idem Iulianus scripsit, nihilominus esse liberandũ decem. nam & si ei uiginti acceptoferantur,& in decem liberabitur. *Tertia exceptio est:Nisi debitum nullum sit,creditorq; petens exceptione submoueri possit. Hæc exceptio approbatur l.si creditor.12. in prin. ff.de liber.leg.his uerbis:* Si creditor debitori, qui se exceptione perpetua tueri poterat, legauerit quod sibi deberet:nullius momenti legatum erit. *Huius exemplum proponitur l.petitor.30. ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.5.except.54.repl.7. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi spes sit debitũ iri.Hæc replicatio approbatur l.uideamus.27. ff.de liberat.legata,his uerbis:* Videamus,si ei cum quo de peculio actio erat, liberatio testamẽto legata sit: an si die quo legata cedere solent, nihil in peculio sit, legatarij loco habeatur? atqui non dũ debitor fuit, nec procedit ut emolumentũ aliquod ex legato ad eũ perueniat, nisi propter spem futuri peculij:nunquid ergo in pendenti est, an legatarius fuerit, perinde atq; si qua alia causa spem legati dubiam faceret?quod magis est. *Concordat l.si quis. 5.§.idem Iulianus.ibi:& parui.item ibi:nam & tunc licet.ff.d.tt. cuius uerba ĩ.proponentur except.11.repl.1. dupl.1. Secũda replicatio est: Nisi certa res uel summa tanquam debita, quæ debita nõ est, expressa sit & remissa. Hæc replicatio reprobatur l.legaui.25.§.quòd si etiam.ff.de lib.leg.his uerbis:* Quòd si centum aureorũ uel fundi debiti mentionem fecit, siquidẽ debitor fuisse probetur,liberãdus est: quòd si nihil debeat,poterit dici,quasi falsa demonstratione adiecta,etiã peti,quod cõprehensum est,posse. Sed poterit hoc dici,si ita legauerit, Centũ aureos, quos mihi debet:uel,Stichũ quem debet,hęres meus dãnas esto nõ petere.quòd si sic dixerit, Hęres meus centũ aureos,quos mihi debet, damnas esto ei dare : etiam illud tentari poterit, ut petere possit,quasi falsa demonstratione adiecta. quod mihi nequaquã placet, cum dandi uerba ad debitum se referre testator existimauerit. *Concordat l.si sic.74.§.si mihi.ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.5.except.45.repl.2. dupl.1. Quarta exceptio sumitur ex causa debiti, ac reprobatur.Nihil enim interest,ex qua causa debeatur id quod remittitur.unde Pomponius*:Et ei liberatio rectè legatur(*inquit*) apud quem depositum fuero, uel cui commodauero, pignoriue dedero, uel ei quę ex furtiua causa mihi dare oportet. *l.non solùm.8.§.fin.ff.de lib.leg. Sed & si debeatur conditione indebiti,ualet legatum. Nam ita iurisconsultus*: Creditori(*inquit*)ita potest legari,ne indebitum ab eo repetatur. *l.creditori.24.ff.de leg.3. Quinta exceptio est:Nisi non testatori, sed hæredi uel alij debeatur. Hæc exceptio reprobatur l.non solùm.8.in prin.ff.de lib.leg.his uerbis:* Non solùm nostrum debitorem, sed etiam hæredis, & cuiuslibet alterius,ut liberetur,legare possumus. *Huius exemplum proponitur l.si debitor.11.in prin.ff.de lib.leg. cuius uerba uide ẽ.li.32.cap.5.except. 54.repl.2.Aliud exemplum proponitur l.legaui.25.ff.d. tt.cuius uerba uide ẽ.lib.32. cap.2. reg.12. Sexta exceptio est:Nisi non capaci liberatio sit legata. Huius exceptionis elegans replicatio proponitur l.si is.29. ff.de liber.leg. his uerbis:* Si is qui duos reos promittendi habet,damnauerit hæredẽ,ut utroſq; liberet: si alter ex his capere non possit,nec socij sint, delegari debebit is qui nihil capit, ei cui hoc commodum lege competit:cuius petitioni utrunq; accedit,ut & hoc commodum ad eum perueniat, & is qui capit liberetur. quòd si socij sint,propter eum qui capax est,& ille capit per consequentias,liberato illo per acceptilationem:id enim cueniret,etsi solum capacem liberare iussus esset. *Quod ad uerba hæc posteriora attinet,uide ĩ.except.11.repl.1.dupl.1,tripl.1. Septima exceptio est:Nisi debitori qui nõ :st soluendo,liberatio legata sit.Hæc exceptio uidetur subsistere ratione l.si creditor.12. in prin.ff.de liber.leg. cuius uerba uide paulò ẽ.except.3. uerũm reprobatur exceptio hæc l.Nesennius.22. §.fin. ff.ad l.Falc. cuius uerba uide ẽ.cap.2.quæst.5.reg.3.except.9.repl.2.Concordat l.quærebatur.81.§.sed cum debitori.ff.d.tt.cuius uerba uide ẽ.cap.2.exc.16. Octaua exceptio est:Nisi nõ directis uerbis liberatio sit relicta. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ dicta sunt ẽ.lib. 32.cap.6.exc.74. Quibuscunq; igitur uerbis liberatio sit relicta, nihil interest. Cui concordat l.legaui.25. in prin. ff.de lib.leg. his uerbis*: Legaui Titio quod mihi debetur,uel adiecta certa quãtitate siue specie,uel non adiecta: aut ex contrario, æquè cũ distinctione: ueluti, Titio, quod ei debeo: uel ita,Titio centum,quæ ei debeo. quæro,an per omnia requirendũ putes,an debitũ sit? & plenius rogo,quæ ad hæc spectãt,attingas:quotidiana enim sunt. Paulus respõdit: Si is cui Titius debebat, debitũ ei remittere uoluerit:nihil interest,hęredẽ suũ iusserit,ut eũ liberaret,an prohibeat eũ exigere:utroq; enim modo liberãdus est debitor, & utroq; casu cõpetit ultrò ad liberandũ debitori actio,&c. *Reliqua uerba uide ẽ.eod. cap.except.3.repl.2.Sed & si testator ad debitorẽ scripsit hæc uerba, Contentus sis ista re quam mihi debes: liberatio legata censetur. Quod approbatur l.cũ quis. 35. §.nuptura,in fin. ff.de leg.3. cuius uerba uide ẽ.lib. 32.cap.6.except.74. Item,si hæres dotem, quam debet maritus, ei restituere iussus est, perinde est, ac si iussus sit hæres dotẽ non repetere. Quod approbatur l.cũ pater.79.§.mater.ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.cap.1.qu. 6.reg.1.*

6.reg.1. Concordat l.creditor.31.in prin.ff.de lib.leg.cuius uerba uide paulò ĩ.except.12.Sed & alia huiusmodi forma debiti remittendi proponitur l.pater.17. §.anus. ff.de dol mali except. cuius uerba uide ẽ.lib.32.cap.6. except.74.§.præterea uerba. Item,si testator scripsit, solutam esse pecuniam quæ soluta non est,debitori liberatio legata censetur,nisi contrarium probetur. Quod approbatur l.1.C.de falsa causa adiecta,his uerbis: Verba testamenti quę inseruisti,aut solutam pecuniam debitam testatori declarant, aut uoluntatem eius liberare uolentis debitorem manifestè ostendunt: & ideo aut peti quod solutum est non potest, aut ex causa fideicommissi, ut debitor liberetur, agendum est: nisi liquidò probari possit, eum non liberari debitoré uoluisse, sed errore lapsum, solutam sibi pecuniam existimasse. *Concordat l.si dotem.4.C.d.tt.his uerbis*:Si dotem(ut proponis) defuncta in matrimonio uxore tua, patri eius reddidisti, uel etiam ea non reddita,testamenti uerbis(ut adfueras) munitus es, quibus recepisse dotem uniuersam quandam socer tuus significauit:ne hoc nomine conueniaris, sollicitè agere nõ debes: cum aut soluta dote nulla superstet actio, aut non reddita aduersus petentẽ iuxta defuncti uoluntatem parata sit exceptio. *Sed & interdum, si creditor debitori pignus reddi iusſit, liberatio quoq; legata censetur, l.1. ff.de liber. leg. de quo ĩ. quæst.4.Postremò,si quis cum quem ab hostibus redemit,sibi ipsi legauerit, liberatio pignoris intelligitur legata. Quod approbatur l.fenatus.42.§.fin. ff.de leg.1. his uerbis*: Qui ab hostibus redemptus erit,legari sibi poterit,& proficiet legatum ad liberationem uinculi pignoris, quod in eo habuit qui redemit. *Nona exceptio est:Nisi ad tempus liberatio sit legata.Hæc exceptio reprobatur l.non solùm.8.§.1.ff.de liber.leg.his uerbis:* Potest hæres damnari,ut & ad certum tempus non petat à debitore: sed sine dubio nec liberare eum intra id tempus cogitur.sed etsi debitor decesserit,ab hærede eius intra id tempus peti non poterit. *Concordat Inst.de legatis.§.si quis debitori,his uerbis*: Potest quis uel ad tempus iubere ne hæres petat. *Huius exemplum proponitur l.Aurelius.28.§.centũ.ff.de liberat.leg. his uerbis*: Centum quæ apud Apronianum deposita habeo, apud ipsum esse uolo, donec filius meus ad annos uiginti peruenerit, eiusque pecunię usuram exigi uero.quęsitum est,an ex causa fideicommissi Apronianus consequi possit, ne ante tempus à testatore præscriptum ea summa ab eo exigatur? Scæuola respondit,secundum ea quę proponerentur,cõsequi posse. *Decima exceptio est:Nisi sub condtione liberatio sit legata. Hæc exceptio approbatur l.purè.5. in prin. ff.de doli mali except. his uerbis*: Purè mihi decem debes: ea tibi sub conditione legaui,interim hęres meus si petat,doli exceptione nõ est submouendus, cũ possit etiam deficere conditio.Itaq; legatorum stipulationem interponere debebit. *Huius exceptionis replicatio hæc est*: Nisi hæres debitum petens, non caueat debitori, conditione legati existente, pecuniam se redditurum. *Quæ replicatio approbatur d.l.5.in prin.his uerbis*: Sed si non caueat hæres, doli exceptione submouebitur: expedit enim legatario retinere summã magis, quàm mitti in possessionem rerum hęreditariarũ. *Sanè si non exacta cautione debitor soluerit, existente conditione legati, nihilominus illi ex testamento actio competit: de quo ĩ.except.12. repl.2. dupl.2. Undecima exceptio est:Nisi debitori debitũ sit remissum.Hæc exceptio ipso quidem iure nalet, uerùm eius replicatio hæc est: Nisi non per acceptilationem sit remissum, sed nudo tantùm pacto.Hæc replicatio approbatur l.liberationem.3.§.nunc de effectu.ff.de liberat.leg.his uerbis*: Nunc de effectu legati uideamus,& siquidẽ mihi liberatio sit relicta,cum solus sim debitor: siue à me petatur, exceptione uti possum: siue nõ petatur,possum agere, ut liberer per acceptilationẽ. *Huius replicationis duplicatio hæc est: Nisi cum duo eandem pecuniam deberent, testator uni liberationẽ legauerit : hoc enim casu sufficit eum pacto liberari, ne simul liberetur & alter. Quæ duplicatio approbatur d. §. nunc de effectu.uersſed etsi cum alio,his uerbis*: Sed si cũ alio sum debitor (puta, duo rei sumus promittendi) & mihi soli testator consultum uoluit, agendo consequar,non ut accepto liberer,ne etiam correus meus liberetur contra testatoris uoluntatem,sed pacto liberabor. *Concordat l.si quis.5.§.1.ff.d.tt.his uerbis*: Quòd si fideiussori sic liberatio legata,sine dubio (ut & Iulianus scripsit) pacto erit fideiussor liberandus. Sed & hic puto interdum acceptilatione liberandum,si uel reus ipse uerè fuit, aut in eam rem socius scripsit. *Concordat item l.si damnatus.10. ibi:pacisci debet.ff.d.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.qu.est.2.reg.1. Aliud propositæ duplicationis exemplũ proponitur d.l.5.§.idem Iulianus, his uerbis*: Iulianus eodem libro scripsit,Si filius familiâs debitor fuerit, & patri eius fuerit liberatio relicta, patrem pacto liberandũ esse,ne etiam filius liberetur:& parui(inquit) refert, si sit aliquid in peculio die legati cedente, nécne: securitatem enim pater per hoc legatum consequitur, maximè(inquit) cum rei iudicandæ tempus circa peculium spectetur. *Ait iurisconsultus*: Et parui refert,si sit aliquid,&c. *Hæc pertinent ad ea quæ dicta sunt ẽ.eod.cap.except.3.repl.1. Propositæ duplicationis triplicatio prima hæc est*: Nisi ij qui eandem pecuniam debent, socij sint,uel alio modo alter soluens, aduersus alterum habeat regressum. tũc enim,si uni,aduersus quẽ alteri datur regressus, liberatio legata est,nõ pacto,sed acceptilatione est liberandus. *Hæc triplicatio approbatur l,liberationẽ.3.d.§.nũc de effectu.uersſed quid si soci.ff.*

cij ff. de liberat. legata, his uerbis: Sed quid si socij fuimus? uideamus ne per acceptilationem debeá liberari: alioquin dum à correo meo petitur, ego inquietor. & ita Iulianus libro 32. Digestor. scribit, si quidé socij non simus, pacto me debere liberari: si socij, per acceptilationem. *Aliud præpositæ triplicationis exemplum proponitur simul & distinguitur l. si quis. 5. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Si quis reum habeat, & fideiussorem, & reo liberationem leget: Iulianus ibidem scripsit, & reum per acceptilationem liberandum: alioquin si fideiussorem cœperit conuenire, alia ratione reus cõuenitur. Quid tamen, si donationis causa fideiussor interuenit, nec habeat aduersus reum regressum? uel quid si ad fideiussoré pecunia peruenerit, & ipse reum dederit uice sua, ipseq; fideiusserit? pacto est reus liberandus. alioquin solemus dicere, pacti exceptionem fideiussori dandam, quæ reo competit. Sed cùm alia mens sit legantis, alia pacisscentis, nequaquá hoc dicimus. *Concordat huic exemplo l. si damnatus. 10. in fine. ff. d. tt. his uerbis:* Damnatus hæres ne à reo petat, & damnatus dare quod fideiussor debet: & reo acceptum facere, & legatario litis æstimationem sufferre cogitur. *Tertium exemplum triplicationis propositæ proponitur d. l. 5. §. quòd si fideiussori. ibi sed & hic puto. cuius uerba uide paulò superius.* *Hæc de prima triplicatione.* *Secunda propositæ duplicationis triplicatio est:* *Nisi filiofamilias libera tio sit legata. hoc enim casu, quamuis pater eius eandem debeat pecuniam, nihilominus tamen acceptilatione liberandus est filius. Quæ triplicatio approbatur simul & distinguitur l. si quis. 5. §. sed si damnatus. ff. de liberat. leg. his uerbis:* Si damnatus sit hæres filium liberare, nõ adijcit Iulianus, utrum acceptilatione filius, an pacto sit liberandus? sed uidetur hic sentire, quasi acceptilatione debeat liberari: quæres patri quoq; prodesit. quod obtinendum est, nisi euidenter adprobetur, contrarium sensisse testatorem, id est, ne filius inquietetur, non ne pater: tunc enim acceptilatione eum non liberandum, sed pacto. *Duodecima exceptio est: Nisi debitum sit solutum. Hæc exceptio approbatur l. non solùm. 7. §. liberatio. ff. de liberat. legata, his uerbis:* Liberatio debitori legata ita demum effectum habet, si non fuerit exactum id à debitore, dum uiuat testator. cæterùm si exactum est, euanescit legatum. *Concordat l. si id. 21. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. quæst. 1. except. 9. Item concordat l. cum hæres. 24. in prin. ff. d. tt. de quo paulò inferius repl. 2.* *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum testator pecuniam exegisset, ita legauit, Quidquid mihi debuit, dari uolo: nõ, Quod mihi debet. Hæc replicatio approbatur sub conditione l. cred. 31. in prin. ff. de liberat. leg. his uerbis:* Creditor debitori legauit ita, Caio Seio, quidquid mihi sub pignore hortorum suorum debuit, ab hæredibus meis dari uolo. quæro, cum testator uiuus à Seio aliquid recepit, an id ex causa legati peti possit? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, non posse. Idem repetijt, & ait, testatorem ante factos codicillos, quibus legauit, penè omnem pecuniá sortis & usurarũ recepisse, ita ut modicũ sortis seu usurarum debeatur: & quęsijt, an ei repetitio competeret propter uerba ad præteritum relata, Quidquid mihi debuit? Respondit, prius quidem secundum ea quæ proponerentur, rectè responsum esse: uerùm posterius propter ea quę in tempore adderentur, ita à iudice æstimandum, ut inspiceret obliuionẽ pecuniæ solutę, an quòd eo inscio numerata esset, id fecisset: an consultò, quòd quantitatem quondam debitam, non ius liberationis dari uoluisset. *Hisce uerbis replicatio proposita approbatur, simul eius duplicatio proponitur talis: Nisi testator per errorem & ignorantiam debitum solutum esse, ita legauit, Quidquid mihi debuit, dari uolo. tunc enim actio legati est deneganda.* *Secunda replicatio est: Nisi non testator, sed hæres pecuniam exegit & recepit. Hæc replicatio approbatur, certa tamen conditione, l. cũ hæres. 24. ff. de liberatione legata, his uerbis:* Cum hæres rogatur debitorem suũ liberare, de eo tantùm cogitatum uidetur, quod in obligatione mãsit. Itaq; si quid ante tabulas apertas fuerit solutũ, ad causam fideicommissi non pertinebit: quod autem post tabulas apertas ante aditam hæreditatem ab eo qui uoluntatẽ defuncti non ignorauit, fuerit exactum, dolo proximum erit, ideoq; repeti potest. *Concordat l. non solùm. 7. §. liberatio. uersi. unde quærit. ff. d. tt. his uerbis:* Quærit Iulianus, si ab impuberis substituto sit liberatio relicta, deinde impubes exegerit qđ debetur, an euanescat legatum? & cum constet, pupillum in his quæ à substituto relinquuntur, personam sustinere eius à quo sub conditione legatur: consequens est, substitutum actione ex testamento teneri, si pupillus à debitore exegerit. Idemq; est, etsi pupillus non exegerit, sed summodò litem sit contestatus: teneri enim eum, ut remittat actionem. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi cum hæres debitorem suum liberare iussus esset, ante apertas tabulas ei ab eo sit solutum. Quæ duplicatio approbatur l. cum hæres. 24. in prin. ff. de liber. legata. cuius uerba uide paulò superius.* *Secunda duplicatio est: Nisi cum sub conditione liberatio legata esset, hæres pendente cõditione debitum exegit. Hoc enim casu uidetur, cum hæredi ante legati cõditionem existentem liceat debitum exigere, secundum ea quæ dicta sunt paulò superius except. 10. hæredi solutum, postea existente legati conditione non posse repeti. Verùm duplicatio hæc reprobatur l. non solùm. 7. §. fin. ff.*

fin. ff. de liber. leg. his uerbis: Si debitori liberatio sub conditione legata fuisset, & uel lis fuisset contestata, uel etiam exactum pendente conditione, ex testamento actio maneret liberatione relicta. *Concordat l. si id. 21. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. except. 9. repl. 1.* *Tertia propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cum sub conditione deberet, ante existentem conditionem soluerit. hoc enim casu aduersus liberationem legatam non proficit proposita solutionis exceptio. Quæ replicatio approbatur l. si quis. 5. §. idem Iulianus. uersi. huic patri. ff. de liberat. legata, his uerbis:* Huic patri similem facit Iulianus maritum, cui uxor post diuortium liberationem dotis legauit. nam & hunc, licet die legati cedente soluendo non sit, legatarium esse, & utrunq; ait solutum repetere nõ posse. Sed est uerius quod Marcellus notat, patrem repetere posse: nondũ enim erat debitor, cum solueret: maritũ nõ posse, quòd debitũ soluerit. patrem enim, etsi quis debitorem existimauerit, attamen loco esse conditionalis debitoris, quem solutum repetere posse non ambigitur. *Ait Iurisconsultus:* Huic patri similem facit, &c. *Ad intelligenda ista uide uerba præcedentia eiusdem legis, quæ habentur ẽ. eod. cap. except. 11. repl. 1. dupl. 1. §. idẽ Iulianus.* *Ait insuper* I.C. Licet die legati cedente soluendo non sit. *Ad hæc intelligenda uide ẽ. eod. cap. except. 3. repl. 1.* *Ait deniq;:* Attamen loco esse conditionalis debitoris, quem solutum repetere posse non ambigitur. *Ex hisce uerbis elici potest replicatio proposita, licet Glossa ista uerba non de actione ex testamento, sed de conditione indebiti interpretetur.* *Decimatertia exceptio est: Nisi alia ratione liberatus sit debitor. Hæc exceptio approbatur l. si id. 22. ff. de liberat. legata. cuius uerba uide ẽ. cap. proxim. except. 9 & 10.* *Decimaquarta exceptio est: Nisi postea debiti nouatio sit facta. Hæc exceptio approbatur ratione exceptionis proximè præcedentis. Eius autem replicatio hæc est: Nisi testator in priore uoluntate manserit. Quæ replicatio approbatur l. ult. §. fin. ff. de liberat. leg. cuius uerba uide ẽ. eod. cap. quæst. 4. reg. 1. except. 2.* *Decimaquinta exceptio est: Nisi hæres debitori nondum debitum acceptotulerit. Hæc exceptio reprobatur l. si cred. 17. C. de fideicommissis, hisce uerbis:* Si creditoris uoluntas iure subnixa liberari te debito uolentis doceri potest, & antequam solenniter tibi liberatio à successore præstetur, exceptionem tibi ex uoluntate defuncti descendentẽ competere, manifestum est. *Hactenus de prima huius capitis quæstione, an legatum liberationis sit utile, & ex eo detur actio uel exceptio.*

II. QVIBVS ACTIO VEL exceptio ex liberatione legata competat?

Huius loci regula prima est de hæredibus debitoris: quibus, quem admodum & ipsi debitori, liberatione legata, tam actio quàm exceptio competit. Quæ regula *approbatur inst. de legatis, §. si quis debitori. cuius uerba uide ẽ. eod. cap. in prin. Concordat l. non solùm. 8. §. si uerba. ff. de liber. legata, his uerbis:* Si uerba liberationis in rem sunt collata, pro eo est, quasi hæres ab eo debitore hæredeq; eius petere uetitus sit, ut adiectio hæredis perinde nihil ualeat, atq; non esset ualitura, ipsius debitoris persona non comprehensa. *Concordat d. l. 8. §. 1. ibi sed etsi debitor. cuius uerba uide paulò superius except. 9. Item concordat l. si quis. 15. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Si quis in testamento damnatus est, neà Titio debitore exigat neq; ipsum, neq; hæredem eius potest conuenire. nam neq; hæredis hæres agere, neque ab hæredis hærede peti potest. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi legatum sit personale, ut testator solum debitorem liberari uoluerit, non eius hæredem. Hæc exceptio approbatur d. l. 8. §. tale legatum. ff. de liber. legat. his uerbis:* Tale legatum, Hæres meus à solo Lucio Titio ne petito: ad hæredem Lucij Titij non transit, si nihil uiuo Lucio Titio aduersus testamentum ab hærede, eo quòd ab eo exigere debitum tentauit, sit commissum. quoties enim cohæret personæ id quod legatur, ueluti personalis seruitus, ad hæredem eius non transit. *Concordat l. Aurelio. 20. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Aurelio Sempronio fratri meo. Neminem molestari uolo nomine debiti, nec exigere aliquid ab eo, quandiu uiuet, neq; de forte aut usura nomine debiti: & absoluo & libero ex pignoribus eius domum & possessionem. Causa perlata, Modestinus respondit, ipsum debitorem, si conueniatur, exceptione tutum esse: diuersum in persona hęredis eius. *Propositæ exceptionis replicatio hæc est: Nisi hæres testatoris ab ipso debitore uiuo debitum exigere tentauit. tunc enim & hæres debitoris exceptionem habet. Quæ replicatio approbari uidetur uerbis paulò superius propositis hisce:* Si nihil uiuo Lucio Titio aduersus testamentũ ab hærede, eo quòd ab eo exigere debitũ tentauit, sit cõmissum.

III. *Regula: Vni reo promittendi uel tutori liberatio ne legata, alter reus uel tutor non liberatur. Quæ regula approbatur l. creditor. 31. §. Titia. ff. de liberat. leg. his uerbis:* Titia, quæ duos tutores habuerat, ita cauit: Rationem tutelæ meæ, quam egit Publius Mæuius cum Lucio Titio, ab eo reposci nolo. quęritur, an si qua pecunia apud eum ex tutela remanserit, peti ab eo possit? Scæuola respondit, nihil proponi, cur non pecunia, quæ puellæ esset, & apud tutorem remaneret, legata uideretur. Item quęritur, an contutor liberatus uideretur? respondit, contutorem non liberari. *Concordat l. liberationem. 3. §. nunc de effectu. ff. d. tt. cuius uerba uide ẽ. eod. cap. quæst. 1. except. 11. dupl. 1.*

III. *Regula: Fideiussori liberatiõe legata, reo nõ datur exceptio. Quæ regula approbatur l. 2. ff. de lib. leg. his uerbis:*

uerbis: Hæredem damnatum à fideiussore non petere, à reo petere posse: sed à reo petere uetitum, si à fideiussore petat, reo ex testamento teneri, Celsus putat.

IIII. Regula: *Debitori liberatione legata, liberatur & fideiussor. Quæ regula approbatur uerbis iam propositis hisce:* Sed à reo petere uetitum, si à fideiussore petat, reo ex testamento teneri, Celsus putat. *Concordat l. si quis. 5. in prin. ff. d. tt. cuius uerba uide paulò superius except. 11. replic. 1. duplic. 2. tripl. 1.*

V. Regula: *Si filiusfamiliâs debeat, patri liberatione legata, non liberatur filius: contrà tamen, filiofamiliâs liberatione legata, liberatur & pater. Quæ regula approbatur d. l. 5. §. idem Iulianus. cuius uerba uide paulò superius except. 11. repl. 1. dupl. 1. Concordat l. nõ solùm. 7. §. illud quæri. ff. d. tt. his uerbis:* Illud quæri potest, an eo quoq; nomine pater ex testamento agere possit, ut & filius actione liberetur? quibusdam eò usq; extendi actionem placebat, quia patris interesse uideretur, si peculium filio post emancipationem concessisset, ius eius integrũ permanere. Ego contrà sentio, nihil quidquã amplius patri præstandum ex eiusmodi scriptura testamenti putans, quàm ut nihil ex eo quod præstaturus hæredi fuerit, præstet.

VI. Regula: *Pupillis liberatione legata, non liberatur tutor. quæ regula approbatur l. Aurelius. 28. in prin. ff. de liber. leg. cuius uerba uide ĩ. quæst. 4. reg. 18.*

III. ADVERSVS QVOS LIberatione legata actio uel exceptio competat?

De hærede hæredis, uel eius qui uetitus est debitum petere, proponitur regula l. 2. §. fin. ff. de liber. leg. his uerbis: Celsus ait, nullam dubitationem habere, quin hærede petere à debitore uetito, nec hæres hæredis petere possit.

IIII. A QVO DEBITO LIberatio contingat?

I. Regula, *De debito quod post testamentum factum acceßit. Ab eo debito non contingit liberatio. quæ regula approbatur l. Aurelius. 28. §. testamento. ff. de liber. legata, his uerbis:* Testamento facto debitoribus liberationem reliquerat: pòst inciso lino, & recognito testamento, aliud testamentum fecit, in quo repetijt legatũ his uerbis: Quibuscunq; legata in eo testamento, quod incideram, dedi, omnia rata esse, quæcunque scripta sunt, uolo. quæsitum est, adita ex sequente testamento hæreditate, an debitores, quibus priore testamento liberatio relicta erat, consequi possint, ut etiã eius quantitatis nomine, quam post prius testamentũ debere cœperãt, liberarentur: & si ab his hæredes petere cœperint, an doli mali exceptione submouerentur? Scęuola respondit, non liberari. *Concordat d. l. 28. §. Titius Scio, his uerbis:* Titius Scio debitori suo ita legauit, Do lego Seio denarios decem: item do illi quic quid sortis & usurarũ nomine mihi debeat. præterea generaliter damnauit hæredes, fideiq; eorũ commisit, uti darent, restituerẽt unicuiq;, quidquid ei legasset. postea Seius aliam præterea pecuniam à Titio mutuatus est. quæro, an hæc quoq; pecunia, quæ post testamentũ factum data est Seio, legata intelligatur? Scæuola respondit, cum in prætitum tempus uerba collata proponerentur, non esse posterius credendum legatũ. Iam *dictæ regulæ exceptio prima hæc est:* Nisi posterius debitum ex priore nascatur, ueluti usurarum: tunc enim eius quoq; liberatio legata censetur. *Quæ exceptio approbatur d. l. 28. §. legatum, his uerbis:* Legatum est testamento hoc modo: Seio concedi uolo, quidquid mihi ab eo debitum est, uel fidem meam pro eo obligaui. quæro, utrum id solum, quod testamẽti facti tempore debebatur, legatũ sit: an etiã, si quid ex ea summa usurarũ nomine postea accesit, legato cedat? Scæuola respõdit, uideri omnem obligationem eius debiti per fideicõmissum solui uoluisse. *Concordat l. creditor. 31. §. Caio Seio. ff. d. tt. his uerbis:* Caio Seio optimè merito hoc amplius lego, cõcedi; uolo, neq; ab eo peti, neq; ab hæredibus eius, quidquid mihi aut ex chirographis aut rationibus debitor est, uel quidquid à me mutuum accepit, uel fidem meã pro eo obligaui. quæro, utrũ id solum, quod eo tempore, quo testamentũ fiebat, debebatur, legatũ sit: an & si quid ex ea summa usurarũ nomine postea accesit, legato cedat? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, uideri omnẽ obligationem Seio eius debiti per fideicõmissum solui uoluisse. *Secũda propositæ regulæ exceptio est: Nisi postea nouatione prioris debiti facta, alia summa sit adiecta. nam huius summæ postea adiectæ liberationẽ quoq; legatam esse uideri potest. uerum exceptio hæc reprobatur d. l. 31. §. fin. his uerbis:* Quæritur, si postea nouatione facta & ampliata summa cœperit debere, an id quod ex uetere cõtractu debeatur, nihilominus in causa legati duret? an uerò nouatione facta, quasi debitor nouus ampliatæ summę possit conueniri? Scæuola respondit, id duntaxat legatum uideri, quod tunc debuisset: si tamen mansit in ea uoluntate testator, qua tunc fuit.

II. Regula: *Si pignoris liberatio legatio sit, utrum etiam debitum principale remissum uideatur, definitur l. 1. §. Iulianus. ff. de liber. leg. his uerbis:* Iulianus scribit, si res pignori data legetur debitori à creditore, ualere legatũ, habereq; eum actionem, ut pignus recipiat, priusquã pecuniam soluat. Sic aũt loquitur Iulianus, quasi debitum non debeat lucrari. sed si alia testantis uoluntas fuit, & ad hoc perueniretur exemplo luitionis. *Cõcordat l. uxori. 32. §. final. ff. de leg. 3. his*

uerbis: Cum Seius pro uxore centum aureos creditori soluerit, & ornamentũ pignori positum luerit: postea aũt testamento facto uxori suæ legauerit, quidquid ad eum ãnúe stipulatũ eius cõcesit: & hoc amplius, uicenos aureos annuos: quæsitũ est, an hos centũ aureos hæredes uiri ab uxore uel hęredibus eius repetant? Scęuola respondit, si donationis causa creditori soluisset, teneri hæredes ex causa fideicommissi, si repetãtur; exceptione etiam petentes submoueri: quòd præsumptũ id esse debeat, nisi contrarium ab hæredibus probetur. *Concordat l. post pignus. 3. ff. de pactis. cuius uerba uide ĩ. li. 37. cap. 2. diuis. 6. specie 1.*

III. Regula: *Si ei qui duplici actione eiusdem pecuniæ nomine tenetur, liberatio sit legata, utraq; actio remissa ei uidetur, nisi contrarium actum probetur. Quæ regula approbatur exẽplo l. si quis. 5. §. fin. ff. de liber. leg. his uerbis:* Iulianus scripsit, si pro filio pater fideiusserit, eiq; liberatio sit legata: eũ pacto liberandũ quasi fideiussorem, non quasi patrẽ, & ideo de peculio posse conueniri. Hoc ita demũ putat, si duntaxat quasi fideiussorem eũ uoluit testator liberari: cęterùm si & quasi patrem, & de peculio erit liberandus.

IIII. Regula: *Si patri, qui de peculio tenebatur, liberatio sit legata, quid ueniat in actionem ex testamento, definitur l. post emanc. 6. in prin. ff. de liber. leg. his uerbis:* Post emancipationem filij eatenus pater actionem habebit, quatenus aliquid ex peculio, aut in rem uerso præstaturus est. Id enim legatorum nomine ad patrem pertinebit, quod eius interierit.

V. Regula: *Si cum Stichus aut decem deberentur, Stichum petere hæres uetitus sit, etiam in decem liberatio contingit. Quæ regula approbatur l. non solùm. 7. §. 1. ff. de liber. l. g. his uerbis:* Si is qui est stipulatus Stichũ aut decem, damnauerit hæredẽ Stichum non petere: legatum ualere constat: sed quid contineat, uideamus? Et Iulianus scribit, actionẽ ex testamento in hoc esse uideri, ut debitor accepto liberetur. quæ res utiq; debitorem & in decem liberabit: quia acceptilatio solutioni comparatur. & quem admodũ si Stichum soluisset, debitor liberaretur: ita & acceptilatione Stichi liberari.

VI. Regula: *Si ad tẽpus liberatio relicta sit, eius temporis nec usuræ, nec pœnæ exigi possunt. Quæ regula approbatur l. nõ solùm. 8. §. illud uidendum. ff. de liber. leg. his uerbis:* Illud uidendum est, an eius temporis, intra quod hęres petere uetitus sit, uel usuras, uel pœnas petere possit? & Priscus Neratius existimabat, cõmittere eũ aduersus testamentũ, si petijsset: quod uerum est.

VII. Regula: *Si negociorum gestorum actio remissa sit, uel rationes reddere quas uetitus sit, id quod dolo uel fraude gestum est, remissum non uidetur. Hæc regula approbatur d. l. 8. §. si hæres, his uerbis:* Si hæres uetitus sit ag. rẽcũ eo qui negocia defuncti gessit: non uidetur obligatio ei prælegata, quæ dolo uel ex fraude eius qui negocia gessit, commissa sit, ut & testator uideatur id sensisse. & ideo si hæres negociorum gestorũ egisset, agens procurator ex testamento incerti doli mali exceptione excludi potest. *Concordat l. Lucius. 12. ff. cod. tt. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. Item concordat l. si quis. 9. ff. d. tt. ubi eiadem propositæ regulæ proponitur exceptio. Eius autem legis uerba hæc sunt:* Si quis rationes exigere uetetur (ut est sæpißime rescriptũ) non impeditur reliqua exigere, quę quis ipse reliquauit: etsi quid dolo fecit, qui rationes gesit. Quòd si quis & hæc uelit remittere, ita debet legare: Damnas esto hæres meus, quidquid ab eo exegerit illa uel illa ratione, id ei restituere, uel actionem ei remittere. *Concordat item l. si seruus. 116. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. & l. cum tale. 70. §. Titius, in fine. ff. de condit. & demonstr. his uerbis:* Si ita scriptum esset, Peto post mortẽ tuam restituas hæreditatẽ, ita ne satis fideicommisi nomine petatur, néue ratio exigatur: sine dubio per huiusmodi uerba non interponendæ quidẽ cautionis conditio uidebitur adscripta, rationẽ uerò non exigendæ modus adhibitus: scilicet ut culpa, non etiã dolus remissus intelligatur. Idq; in eius persona qui negocia gessit, cuiq; rationis reddendæ necessitas fuerat testamento remissa, rescriptum est. *Concordat item l. Aurelio. 20. §. fin. ff. de liberatione legata. cuius uerba uide ĩ. reg. prox. Eius autem exceptio hæc est: Nisi filius patri liberationem legauerit. Quæ exceptio approbatur l. Aurelius. 28. §. Titius testam. ff. de liber. legata. cuius uerba uide ĩ. reg. 14.*

VIII. Regula: *Si quis rationes reddere uetitus sit, ea quæ exegit & accepit, remissa ei non uidentur, nec etiam ea quæ antea debuit. Hæc regula approbatur uerbis d. l. 9. iam propositis. Sed & approbatur l. Lucius. 12. ff. d. tt. his uerbis:* Lucius Titius, cum Erotem actorem haberet, codicillis ita cauit: Erotẽ liberum esse uolo, quẽ rationes reddere nolo eius temporis, quod erit post nouissimã meam subscriptionẽ. postea uinus Erotem manumisit, & in eodem actu habuit rationes, quas subscripsit usq; in eum diem, qui fuit ante pauciſsimos dies quã moreretur. Hæredes Lucij Titij dicunt, quasdam summas & seruũ adhuc Erotem, & postea libertũ accepisse, neq; in eas rationes, quæ à Lucio Titio subscriptæ sint, intulisse. quæro, an hæredes ab Erote nihil exigere debeãt eius tẽporis, quo Lucius Titius subscripsit? Iulianus respondit, Erotẽ ex ea causa quę proponeretur, liberationẽ petere non posse, nisi & hoc specialiter ei remissum esset. *Concordat l. si seruus. 126. ff. de leg. 1. his uerbis:* Si seruus uetitus est à testatore rationes reddere, nõ hoc con

sequitur, ut nec quod apud eum sit, reddat & lucrifaciat: sed ne scrupulosa inquisitio fiat, hoc est, ut negligentiæ ratio nō habeatur, sed tantùm fraudum. Ideo & manumisso nō uidetur peculiū legari per hoc, quòd uetitus est rationes reddere. *Concordat item l. Aurelio. 20. §. fin. ff. de liberat. leg. his uerbis:* Caius Seius, cū adoleuisset, accepit curatores Publium Mæuium & L. Semproniū. Sed enim idem C. Seius intra legitimam ætatem constitutus, cùm in fatum concederet, testamento suo de curatoribus suis ita cauit: Quæstionem curatoribus meis nemo facier: rē enim ipse tractaui. quæro, an rationē curæ hæredes adulti à curatoribus petere possint, cū defunctus (ut ex uerbis testamenti apparet) confessus sit, se omnem rem suam administrasse? Modestinus respondit, si quid dolo curatores fecerunt, aut si quæ res testatoris penes eos sunt, eo nomine conueniri eos posse. *Concordat item l. dominus. 23. §. fin. ff. de pecul. legato, cuius uerba uide ē. lib. prox. cap. 5. reg. 27. Cō cordat item l. creditor. 31. §. inter cætera. ff. de liber. leg. cuius uerba uide ī. reg. 10. item concordat d. l. 31. §. Titia, cuius uerba uide ē. quæst. 2. reg. 2. Postremò concordat regulæ propositæ l. Aurelius. 28. §. Mæuia. ff. de liber. leg. his uerbis:* Mæuia testamento suo alterum ex tutoribus suis actione tutelæ uoluit liberare his uerbis: Rationem tutelę, quam egit Iulius Paulus cum Antistio Cicerone, posci ab eo nolo, eoq; nomine omnino liberatum esse uolo. quęro, an si qua pecunia ex tutela apud eum remanſit, peti ab eo possit? Scæuola respondit, nihil proponi cur pecunia, quæ pupillæ fuisset, & apud tutorē posita maneret, legata uideretur. *Planè regulæ propositæ exceptio est d. l. 28. §. Titius testamēto. cuius uerba uide ī. reg. 14. Sed & exceptio eius proponitur d. l. 28. §. Sticho testamento, his uerbis:* Sticho testamento manumisso fundū instructum & alia legauit, & hæc uerba adiecit: Quem rationē reddere uetо: quia instrumentum penes se habet. Quæsitum est, an Stichus reliqua, quæ ex administratione actus debuerat, reddere debuerit? Scæuola: Respondi, Stichum eo nomine non teneri. Claudius: Nemo enim ex seruitutis actu post libertatem tenetur, & consultatio ad ius debiti relata fuit. Retineri ergo reliqua possunt cum peculio, aut ex eo deduci quod sibi legatum est.

IX. *Regula: Si rationes reddere quis uetitus sit, non tamen ob id, quod nomine testatoris creditit, ei legatū uidetur. Quæ regula approbatur l. procur. 23. ff. de liber. leg. his uerbis:* Procurator, à quo rationem hæres exigere prohibitus, eoq; nomine procuratorem liberare damnatus est: pecuniā ab argentario debitam ex contractu, quem ut procurator fecit, iure mandati cogetur restituere, uel actiones præstare.

X. *Regula: Si rationes reddere quis uetitus sit, nihilominus libros rationum restituere tenetur. Quæ regula approbatur l. creditor. 31. §. inter cætera. ff. de liber. leg. his uerbis:* Inter cætera liberto ita legauit, Et si quid me uiuo gesſit, rationes ab eo exigi ueto. quęritur, an chartas, in quibus rationes conscriptæ sunt, item reliqua secundū accepta & expensa hæredibus reddere debeat? Scęuola respondit, ea de quibus quæreretur, posse hęredem uendicare. Id autem quod conseruis, qui remanerent in hæreditate, credidisset, & in rem domini uersum esset, desisse in reliquis esse.

XI. *Regula: Si ei, cui fundum uel habitationem ad tempus locauit testator, liberationem legauit, quid debeatur, definitur l. si cui. 16. cum duab. ll. sequentibus. ff. de liber. leg. his uerbis:* Si ei, cui fundum in quinquennium locauerā, legaui quidquid eum mihi dare facere oportet, oportebitue, ut finiret hæres eum sibi habere: Nerua & Atilicinus, si hæres prohiberet eum frui ex conducto, si iure locationis quid retineret, ex testamento fore obligatum aiunt: quia nihil interesſet, peteret, an retineret. totam enim locationem legatam uideri: reliqua quoq; in iudicio locationis uenire. Cassius: Euāsi habitatio eo modo legata esset, gratuitam habitationem hæres præstare debet. Et præterea placuit, agere posse colonum cū hærede ex testamento, ut liberetur conductione. quod rectissimè dicitur.

XII. *Regula: Si negociorum gestori liberatio sit legata, & pecunia quæ ei credita est, uel quam ille nomine testatoris alij credidit, remissa ei uidetur. Hæc regula approbatur l. cum ita. 19. ff. de liber. leg. his uerbis:* Cū ita testamur, Hæres meus damnas esto liberare illum, quòd negocia mea gesſit: & si quid eum mihi dare facere oportet, ab eo non exigere: damnatus hæres nec creditas ab eo pecunias exiget. In simili aūt legato uix est, ut de eo quoq; legando paterfamiliās senserit, quod seruis eius peculij nomine debetur. *Diuersum est, si rationes tantùm reddere uetitus sit. hoc enim casu pecunia ab eo credita non continetur: de quo paulò superius reg. 9.*

XIII. *Regula: Liberatione eius quod testatori debetur legata, id quod seruis eius debetur, remissū nō uidetur. Quæ regula approbatur uerbis iā propositis hisce:* In simili autem legato uix est, ut de eo quoque, &c.

XIIII. *Regula: Si actio tutelæ remissa sit, quid remissū sit, definitur l. Aurelius. 28. §. Titius testamēto. ff. de liber. leg. his uerbis:* Titius testamēto facto, & filijs hæredib. institutis, de patre tutore suo quondā facto ita locutus est, Seiū patrē meū liberatū esse uolo ab actione tutelæ. quęro, hęc uerba quatenus accipi debeāt? id est, an pecunias, quas uel ex uēditionibus rerū factis, aut ex nominib. exactis in suos usus cō uerterit, uel nomine suo fœnerauit, filijs & hæredibus testatoris, nepotibus suis, debeat reddere? Scæuola respondit, eum cuius notio est, æstimaturum: præsumptio enim propter naturalem affectum facit omnia patri uideri concessa, nisi aliud sensisse testatorē, ab hæredibus eius adprobaretur. *Planè regula propositæ nihil aliud est, quàm exceptio regulæ superioris septimæ & octauæ, ad quam referenda.*

XV. *Regula: Si liberatione legata, postea usuras debiti exigi prohibuerit testator, à sortis liberatione uidetur recessum. Quæ regula approbatur d. l. 28. §. testamento. ff. de liber. leg. cuius uerba uide ē. lib. prox. cap. 5. reg. 18. except. 2.*

XVI. *Regula: Si quis rationes reddere uetitus sit, quid legato isto contineatur, æstimationi iudicis relinquitur. quæ regula approbatur d. l. 28. §. filias. ff. de liber. leg. his uerbis:* Filias hęredes scripserat, quarum fidei commisit in hæc uerba: Ne à Caio Seio rationem actus rei meæ, quæ per mensam siue extra in diem mortis meæ gesta est, exigatis, eoq; nomine eū liberetis. quæsitum est, cum uniuersas rationes in diem mortis iste administrauerit, & per mensam suam & extra mensam, an ad rationes reddendas hæredibus teneatur? Respōdit Scæuola, liberationē quidem secundum ea quę proponerentur, legatam esse: sed quatenus præstanda sit, ex qualitate disceptationis iudicem æstimaturum. *Sanè quid hoc legato contineatur, si quis rationes reddere sit uetitus, apertius indicatum est ē. reg. 7. cum tribus regulis sequentibus. sed & definitur hoc l. si seruus. 116. ff. de leg. 1. cuius uerba uide ē. reg. 8.*

XVII. *Regula: Liberatione legata, ea quæ testator in domum legatarij transtulit, legato non continentur, nisi contrarium testatorem uoluisse probetur. quæ regula approbatur l. Titia. 35. §. Caius. ff. de leg. 2. his uerbis:* Caius Seius, cum domum haberet, & in prætorium uxoris suæ se contulisset, quasdam res de domo sua in idem prætorium transtulit, ibiq; post multos dies decedens, testamento uxorē suam hæredem & alios complures reliquit: quo testamento significauit uerba quæ infrà scripta sunt: In primis sciant hæredes mei, nullam pecuniam esse penes uxorē meam, sed nec aliud quid quam: ideoq; eam hoc nomine inquietari nolo. quæro, an ea quæ uiuo eo in prætoriū uxoris eius translata sunt, communi hæreditati uindicari possint, & an secundū uerba testamenti præscribi cohæredibus possit à parte uxoris defuncti? Modestinus respondit, si ea quæ de domo sua in prætoriū uxoris defunctus transtulit, præcipua ad eam pertinere uoluit, nihil proponi, cur uoluntati ipsius testatoris standum non sit. Necesse igitur habet mulier, talem fuisse testatoris uoluntatem ostendere: quod nisi fece

rit, in hæreditatem mariti eius & hæc remanere oportet. *Plura de regula proposita uide ē. eod. cap. reg. 8.*

XVIII. *Regula: Actione tutelæ contraria pupillis à tutore remissa, non continetur actio aduersus alium tutorem. quæ regula approbatur l. Aurel. 28. in prin. ff. de liber. leg. his uerbis:* Aurelius Symphorinus fideiusserat pro tutore quodā, & decedens eiusdem pupillis legauit in hæc uerba, Aurelio Latino & Aurelio Fœlici singulis quina, cum quis eorum quatuordecim annorum fuerit: ad quod tempus pręstari eis uolo singulis alimentorum nomine mēstruos denarios senos, & uestiarij nomine annuos denarios XXV. quo legato cōtenti esse debetis: quoniam tutela uestra non minimo damno rationem meam affixerit. A' nobis autem hæredes mei peto, ne quid ex ratione tutelæ ab his exigere, uel ob hoc legatū eorum retinere uelitis. quæsitum est, si hæres eius ex causa fideiusionis aliquid præstiterit, an ab hærede filiorum eius, pro quo fideiusserat, repetere possit? Scęuola respondit, uerbis quæ proponerentur, id solùm uideri hæredum fidei commissum ne exigerent, quod ex ratione tutelæ, quā ipse Symphorinus administrauerat, ab Aurelijs sibi deberetur.

XIX. *Regula: Liberatione legata, id quod testator uiuus exegit, nō debetur. de quo uide ē. eod. cap. quæst. 1. except. 12.*

XX. *Regula: Si is qui rogatus est liberare debitorem suum, minus ex testamento percipiat, quàm sibi debetur: usq; ad quantitatem eius quod rogatus ex testamento percipit, debitori competit liberatio. quæ regula approbatur l. 2. §. fin. C. de his quæ sub modo, his uerbis:* Si legato uel fideicommisso relicto, testator legatarium seu fideicommissarium prohibuerit hæredem suum uel alium quendā debitum exigere: habet debitor aduersus legatarium seu fideicommissariū agentem usq; ad quantitatem relicti fideicommissi uel legati exceptionem. *De hac re uide plura ē. lib. 32. cap. 4. except. 40.*

V. QVOD REMEDIVM COMpetat liberatione legata?

Tam actio competit ad liberandum, quàm exceptio ad absoluendum. Quæ regula approbatur l. liberationem. 3. §. nunc de effectu. ff. de liber. leg. cuius uerba uide ē. quæst. 1. except. 11. Concordat l. quod mihi. 12. ff. de tt. his uerbis: Quod mihi Sempronius debet, peti nolo. nō tantùm exceptionem habere debitorē, sed & fideicommissum, ut liberetur, petere posse, responsum est. *Concordat ité l. dolo. 8. ff. de doli mali except. his uerbis:* Dolo facit, qui petit quod redditurus est. Sic si hæres damnatus sit non petere à debitore, potest uti exceptione doli mali debitor, & agere ex testamento. *Concordat item instit. de legatis.*

§.si quis debitori. cuius uerba uide ſ.eod.cap.in prin. Item concordat l.cum quis.35.§.nuptura.ff.de leg.3. cuius uerba uide ſ.lib.32.cap.6.except.74. §.caſu igitur.

Adſine remedium eſt ex conducto actio: quod proponitur & approbatur l.ſi ei.16. cum l.ſequente. ff.de liber.leg.cuius uerba uide ſ.quæſt.4.reg.11.

DE PECVLIO LEGATO. Cap. XIIII.

Decima legati ſpecies eſt legatum peculij: de quo nunc agendum.

I. AN EX HOC LEGATO detur actio?

Regulariter actionem ex eo dari, dubium non eſt. Verùm eius exceptio prima hæc eſt: Niſi prius peculiũ ſeruo legatum ſit, quàm libertas adſcripta. Reprobatur hæc exceptio l.quidam.14.ff.de peculio legato, his uerbis: Quidam teſtamento ita ſcripſit, Pamphilus ſeruus meus peculiũ ſuũ, cum moriar, ſibi habeto, liberq; eſto. cõſulebatur, recténe Pamphilo peculiũ legatũ uideretur, quòd prius quàm liber eſſet, peculium ſibi habere iuſſus eſſet? Alfenus reſpondit, in coniunctionibus nullum ordinem eſſe, nec quidquam intereſſe, utrum eorum primum diceretur aut ſcriberetur: quare rectè peculium legatum uideri, ac ſi prius liber eſſe, deinde peculium ſibi habere iuſſus eſſet. *Secunda exceptio eſt: Niſi peculium legatum ſit, non deducto ære alieno. Reprobatur exceptio hæc l.ſi peculium.6.§.1.ff. d.tt.his uerbis:* Et ſi fuerit legatũ peculium, nõ deducto ære alieno, uerendum ne inutile legatum ſit: quia quod adijcitur, contra naturam legati ſit: ſed putauerim hanc adiectionem non uitiare legatum, ſed nihil ei adijcere. nec enim poteſt creſcere uindicatio peculij per hanc adiectionẽ. Planè ſi proponas legatarij nactum poſſeſsionem rerum, exceptione doli aduerſus hæredem uindicantẽ uti poteſt: habet enim in ſolidis rebus uolũtatem æris alieni non deducendi. Sed etſi dominus remittere ſe ſeruo quod debet, uel nihil ſibi ſeruum debere ſignificauit, uaalet hæc adiectio: quia nuda uolũtate poteſt dominus ſeruo remittere quod ei debet. *Tertia exceptio eſt: Niſi nihil ſit in peculio. Et hæc exceptio reprobatur l.ei quoq;.11. ff.de peculio legato, his uerbis:* Ei quoq; qui nihil in peculio habet, poteſt peculium legari. non enim tantùm præſens, ſed etiam futurũ peculium legari poteſt. *Quarta exceptio eſt: Niſi ſeruo cum peculio legato, ſeruus mortuus ſit. tunc enim etiam peculij legatum extinguitur. quæ exceptio approbatur per ea quæ dicta ſunt ſ.lib.32.cap.11.cauſa 51.except.8.repl.1.*

II. QVID LEGATO PECVLIO in actione ueniat?

I.Regula, De eo quod peculio acceſſit uel deceſſit. Id legatarij lucro uel damno eſt. Quæ regula approbatur ff.de legatis.§.ſi peculium, his uerbis: Si peculium legatum fuerit, ſine dubio, quidquid peculio accedit uel decedit uiuo teſtatore, legatarij lucro uel damno eſt. *Concordat l.peculium.67.in prin.ff.de leg.2. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.3.reg.9. in prin.* Propoſitæ regulæ exceptio hæc eſt: *Niſi poſt mortem teſtatoris peculium augeatur. tunc enim augmentum legatario non cedit. Cuius exceptionis duæ ſunt replicationes, quarum prima hæc eſt: Niſi peculium ipſi ſeruo, non extraneo ſit legatum. Secunda replicatio eſt: Niſi augmentum ex ipſis rebus peculiaribus acceſſerit. Hiſce enim duobus caſibus augmentum, quamuis poſt mortem teſtatoris acceſſerit, legatario debetur. Quæ duæ replicationes cum ſua exceptione approbantur inſt.d.§.ſi peculiũ, his uerbis:* Quòd ſi poſt mortem teſtatoris ante aditam hæreditatem aliquid ſeruus adquiſierit, Iulianus ait, ſi quidem ipſi manumiſſo peculium legatum fuerit, omne quod ante aditam hæreditatem adquiſitum eſt, legatario cedere: quia huiuſmodi legati dies ab adita hæreditate cedit. Sed ſi extraneo peculium legatum fuerit, non cedere ea legato, niſi ex rebus peculiaribus auctum fuerit. *Concordat l.deniq;.8. §.utrum autem. ff.de peculio leg.his uerbis:* Vtrum id demum peculiũ accepimus, quod mortis tempore fuit, an uerò & quod poſtea acceſsit applicamus, uel quod deceſsit detrahimus? Et Iulianus aliter accipiendum legatum peculij ait, ſi ipſi ſeruo legetur, aliter ſi alij. nam ſi ipſi, id tempus in legato ſpectandum, quo dies legati cedit: ſi uerò extraneo, mortis tempus, hic tamen, ut incrementa ex rebus peculiaribus ad eum perueniant: utputa partus ancillarum, uel fœtus pecorum. Quod autem ex operis ſuis uel ex alia re accedit, id, ſi alij quàm ipſi legetur peculium, non debebitur. Hoc utrunq; Iulianus ſecundum uoluntatem teſtatoris ſcribit. Cum enim ipſi ſuum peculium legatur, ueriſimile eſt eum omne augmentum ad ipſum pertinere uoluiſſe, cui patrimonium manumiſſo futurum eſt: cum alij, non ſic. ut tamen, ſi in alterius perſona & hoc eum ſenſiſſe appareat, idem dicas. *Concordat item l.penul.ff.de peculio, his uerbis:* Eum qui ſeruum teſtamento liberum eſſe iubet, & ei peculium legat, eius temporis peculium legare intelligi, Iulianus ſcribit, quo libertas competit: ideoq; omnia incrementa peculij, quoquo modo ante aditam hæreditatem acquiſita, ad manumiſſum pertinere. at ſi quis extraneo peculium ſerui legauerit, in coniectura uolũtatis teſtatoris quæſtionem eſſe: & ueriſimilius eſſe, id legatũ, quod mortis tempore in peculio fuerit: ita ut, quæ ex rebus peculiaribus ante aditam hæreditatem acceſſerint, debeantur: ueluti partus ancillarũ, & fœtus pecudum. quę aũt ſeruo donata fuerint, ſiue ex operis ſuis adquiſierit,

quiſierit, ad legatarium non pertinere. *Concordat deniq; l.ſi hæreditas.28.§.ſtatuliber. ff.de ſtatuliberis, his uerbis:* Statuliber, antequam conditio libertatis obtigit, ſi quid cõparaſſet, peculio legato non ceſſurũ, in libris Caij Caſſij ſcriptũ eſt: niſi id legatũ in tempus libertatis collatũ eſſet. Videamus, ne cum peculium & acceſsionẽ & deceſsionem habeat, augmentum quoque peculij eius (ſi modò ab hærede ei ablatum non ſit) legato ceſſurum ſit? Et magis hoc iure utimur.

II. *Regula: Peculio legato, uicarij quoq;, & uicarij uicariorum continentur. Quæ regula approbatur l.ſi ſernus.25.ff.de peculio leg.his uerbis:* Si ſeruus liber eſſe iuſſus ſit, eiq; peculium legatum ſit, uicariorum eius uicarij legato continentur. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi uicarijs quoque libertas ſimul & peculium legatũ ſit. Hæc exceptio approbatur l.ſi peculiũ.6.§.ſi ſeruus.ff.d.tt. his uerbis:* Si ſeruus & uicarius eius liberi eſſe iuſſi ſint, eisq; peculia ſua legata ſint, uerba ſecũdum uoluntatẽ teſtatoris exaudienda, tanquam de duobus ſeparatisq; peculijs teſtatore locuto: & ſecundum hæc uicarius uicarij non communicabitur, niſi hæc mens fuit teſtantis. *Secunda exceptio eſt: Niſi uicarius manumiſſus ſit. Hæc exceptio approbatur l.ſi pecul.10. in prin.ff.de manumiſſis teſt. his uerbis:* Si peculium prælegatum eſt, & uicarius liber eſſe iuſſus ſit, liberum eum eſſe conſtat. Multum enim intereſt inter genus & ſpeciem. Speciem enim eximi de genere placet, quod eſt in peculio legato & uicario manumiſſo.

III. *Regula, De ſeruo peculiari manumiſſo. Hic peculio legato non continetur, ut ex uerbis iam propoſitis conſtat. Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi inutiliter ſit manumiſſus. Quæ quidem exceptio uidet, uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi legatarius ipſe ſeruum uiuo adhuc teſtatore manumiſerit. quæ replicatio approbatur l.cum dominus.19.§.fin.cum l.ſequente. ff.de peculio legato, his uerbis:* Filius familiâs, cui pater peculium legauit, ſeruum peculij uiuo patre manumiſit. ſeruus communis omniũ hæredum eſt exemptus peculio, propter filij deſtinationem: quia id peculium ad legatarium pertinet, quod in ea cauſa morien te patre inueniatur: nihilq; intereſt, legatus deinde inutiliter manumiſſus ſit, an contrà.

IIII. *Regula, De rebus peculiaribus alij legatis. Hæ res peculium mmuunt. quæ regula approbatur exemplo l. deniq;.8.§.item ſi ſeruo.ff.de peculio legato, his uerbis:* Si ſeruo peculium ſit legatum, & à debitore eius peculiari hæres uetitus ſit petere: uerum eſt, hoc minus eſſe in legato peculij: hoc eſt, id detrahendum, quod debitori legatum eſt. *Concordat l.dominus.22.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Dominus ſeruum, qui cum eo uicarium communem habebat, teſtamento manumiſerat, & peculium ei legauerat: deinde ipſum uicarium, qui communis erat, nominatim & ipſi & libertæ ſuæ legauerat. Iabolenus reſpondit, partem quartam libertæ, reliquam partem quartam liberti futuram: quod & Trebatius ait. *Huius regulæ exceptio hæc eſt: Niſi non ſpecialiter res aliqua peculiaris alij legata ſit, ſed generaliter, ueluti ancillæ omnes, cùm ancilla eſſet in peculio. hoc enim caſu res peculiaris, quæ comprehenditur ſub illo genere rerum alij legatarum, non minuit peculium. Quæ exceptio approbatur exemplo l.ſeruo.15.ff.eod.tt. cuius uerba uide ſ.lib. prox.cap.4.de ſuis rebus legatis, reg.1.except.7.*

V. *Regula: Peculio legato, id quod domino eiuſq; ſeruis ac liberis aut hæredi debetur, deducitur. Quæ regula approbatur l.ſi pecul.6. in prin.ff.de peculio legato, his uerbis:* Si peculium legetur, & ſit in corporibus (puta fundus uel ædes) ſiquidem nihil ſit, quod ſeruus domino uel conſeruis liberiſue domini debeat, integra corpora uindicabuntur: ſi uerò ſit quod domino uel ſupraſcriptis perſonis debeatur, deminui ſingula corpora pro rata debebunt: & ita Iulianus & Celſus putant. *Huius regulæ exceptio prima hæc eſt: Niſi dominus ſeruo debitum remiſerit. Quæ exceptio approbatur d.l.6.§.1. in fine. cuius uerba uide paulò ſuperius quæſt.1.except.2. Secunda exceptio eſt: Niſi dominus non peculium, ſed ſpecialiter ſingulas res quæ in peculio ſunt, legauerit. Hæc exceptio approbatur l. ſi pecul.10. ff. eod. tt. his uerbis:* Si peculium ſeruo uel filio prælegare uelis, ne deducatur id quod tibi debebitur, ſpecialiter ea quæ in peculio erunt, leganda ſunt. *Tertia exceptio eſt: Niſi ſeruo eiuſdem peculij debeatur. Hæc exceptio approbatur l.id quod.9. in prin.ff. de peculio legato, his uerbis:* Id quod ſeruo, qui in ipſius peculio eſt, debetur, nõ deducitur ex legato peculio, quamuis conſeruus eius ſit. *Quarta exceptio: Niſi ob defenſionem uicarij debeatur, & non ſeruus legatarius, ſed uicarius ſerui, ſeu ſeruus peculiaris domino debeat. Hæc exceptio approbatur l.Stichus.16.ff.de peculio legato, his uerbis:* Stichus habet in peculio Pamphilum: hunc dominus noxali iudicio defendit, & damnatus litis æſtimationem ſoluit: deinde Stichum teſtamento manumiſit, eiq; peculium legauit. quæſitum eſt, an quod Pamphili nomine præſtitum ſit, ex peculio uel ipſius Pamphili, uel Stichi deducendum ſit? Africanus reſpondit, Pamphili quidem de peculio utiq; deducendum, quantacunque ea ſumma eſſet: id eſt, etiamſi eum noxæ dedere expediſſet. quidquid enim pro capite ſerui præſtitum ſit, in eo debitorem eum domini conſtitui. Quòd ſi Pamphili peculium non ſufficiat, tunc ex peculio Stichi non ultra precium Pamphili deduci debere. Quæſitum eſt, ſi ex alia cauſa Pamphilus pecuniam domino debuiſſet, nec ea ex peculio eius

seruari posſit, an usque ad precium eius ex peculio Stichi posſit deducere? negauit. neque enim simile id superiori esse: ibi enim propterea precium uicarij deducendum, quòd eo nomine ipse Stichus ob defensionem uicarij sui domino debitor constituatur: at in proposito, quia Stichus nihil debeat, ex eius peculio nihil esse deducendum, sed ex Pamphili duntaxat, qui certè ipse in suo peculio esse intelligi non poteſt. *Concordat l.ſi Sticho.21.ff.de peculio legato, his uerbis:* Si Sticho, &c. *Quinta exceptio est: Nisi non ipsi domino, sed seruo eius, conseruo suo, debeat. Hæc exceptio reprobatur l.ſi peculium.6.in prin. ff.de peculio legato. cuius uerba uide §.ead.reg.in prin. Concordat l.deniq.8.§.1 ff.eod.tt.his uerbis:* Qui Stichum & Pamphilum seruos habebat, testamento eos manumisit, & unicuique peculium suum legauit. placet, quod alter alteri debet, de peculio eius decedere, & alterius legato accedere. *Sexta exceptio est: Nisi ob hoc debeat, quòd conseruum suum uulnerauerit, uel deteriorem fecerit. Et hæc exceptio reprobatur l.id quod.9.§.1. ff.de peculio leg. his uerbis:* Si conseruum suum uulnerauerit seruus, & uiliorem fecerit: Marcellus ait, non esse dubitandum, deduci ex peculio quod domini interſit. nam quid interest, conseruum uulneret, an scindat aliquid uel frangat, an subripiat? quo casu sine dubio minuitur peculium, sed non ultra simplum. *Septima exceptio est: Nisi ob id debeat, quòd seipsum seruus uulnerauerit uel occiderit. Hæc exceptio approbatur d.l.9. §.fin. his uerbis:* Sed si se uulnerauerit, uel etiã occidit, nihil est deducendum hoc nomine. alioquin dicemus, & si fugerit, deducendum id, quanto uilior sit factus propter fugam. *Octaua exceptio est: Nisi fuluerit seruus hæredi. Hæc exceptio approbatur l.dominus.22. in princip. ff.de peculio leg. his uerbis:* Dominus seruum testamento manumiserat, & ei peculium legauerat. is seruus mille numos domino debuerat, & eos hæredi soluerat. Iabolenus respondit, omnes eas res deberi Orcino, si pecuniam Orcinus, quam debuerat, soluisſet. *Nona exceptio est: Nisi non testatori, sed hæredi eius debeatur. Hæc exceptio reprobatur l.ſi peculium.6. §.fin. ff.de peculio legato, his uerbis:* Non solùm quod domino debetur, peculio legato deducitur, sed & si quid hæredi debitum fuerit. *Concordat l.deniq.8.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Pegasus respondit, si statu libero, cui peculium legatum sit, hæres interim crediderit: id ipso iure detrahi, & singula corpora per hoc æs alienũ deminui. Proinde si purè libertatem acceperit, & hæres uel uiuo domino, uel ante aditam hæreditatem seruo crediderit: legatum peculij minuetur secundum Iuliani sententiam, licet dominus serui nunquam fuerit. *Decima exceptio est: Nisi res peculiares alij sit legata. hæc enim ob debitum domini deminui non debebit. Quæ exceptio approbatur l.ſi Sticho.21. ff.de peculio legato. cuius uerba uide §. lib.prox. cap. 4.de seruis legatis, reg.6. Vndecima exceptio est: Nisi omne peculium reddere iussus sit hæres. Hæc exceptio uidetur approbari l.Thais.41.§.item quæro.ff.de fideicommiss. libertatib. his uerbis:* Quæro, cum omne peculium reddere iussus sit, an ita peculium computari debeat, ut solùm id peculium esse uideatur, quod deducto eo, quod quacunq; ex causa domino debetur, superest? Scæuola respondet, in ea specie, de qua quæritur, non debere deduci ex peculio, quod domino debeatur. *Duodecima exceptio est: Nisi seruus liber factus debere cœperit. Hæc exceptio approbatur l.dispens.62.ff.de solutionibus, his uerbis:* Dispensatore meũ testamento liberũ esse iussi, & peculiũ ei legaui. Is post mortem meã à debitoribus pecuniã exegit. An hæres meus retinere ex peculio eius quod exegerit posſit, quæritur? Et si quidẽ post aditam hæreditatẽ exegerit pecuniã, dubitari non debet, quin de peculio eo nomine retinerẽ nihil debeat: quia liber factus incipit debere, si liberantur solutione debitores. Cũ uerò ante aditam hæreditatem pecuniã accepit dispensator, si quidem liberantur debitores ipsa solutione, non est dubium, quin de peculio id retinendum sit: quia incipit debere hoc hæredi, quasi negociorum gestorum uel mandati actione. Si uerò nõ liberantur, illa quæstio est, cum negociũ meum gerens à debitoribus meis acceperis, deinde ego ratum non habuero, & mox agere uelim negociorum gestorum actione: an utiliter agam, si caueam te indemnem futurum? Quod quidem ego non puto. Nam sublata est negociorum gestorum actio, eo quòd ratũ nõ habui: & per hoc debitor mihi constituitur. *Decimatertia exceptio est: Nisi seruus, cui libertas simul & peculium legatum est, ante aditam hæreditatem quid à debitoribus hæreditarijs exegit: hoc enim debitum deducendum non est. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur uerbis d.l.62. iam propositis hisce:* Cum uerò ante aditam hæreditatem, &c.

VI. *Regula: De eo quod conditionis implendæ causa dandum est. Et hoc ex peculio deducendum. quæ regula approbatur l.deniquc.8.§. item quæritur. ff.de peculio legato, his uerbis:* Quæritur, si seruo libertas data sit, si decem dedisſet hæredi, peculiumq; ei legatum sit: an decẽ quæ dedisſet hæredi, debeant de peculio decedere? & est uerum quod Sabino placuit, hoc minus esse in peculio legato. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi cum seruus non hæredi, sed alij dare iussus esset, hæres cum prohibuerit quo minus alij daret. Hæc exceptio reprobatur l.ſi pecul.20. in prin.*

ff.de statuliberis, hisce uerbis: Si peculium seruo legatum sit, qui iussus est alij decem dare, & sic liber esse, & hæres eum prohibuerit dare, deinde manumissus peculium perat ex causa legati: an per doli exceptionem eam summam, quam daturus esset, deducere hæres posſit, ut ipsi prosit non manumisſo, quòd ea pecunia data non est: an uerò indignus sit hæres, qui contra uoluntatem defuncti fecit, eam pecuniã lucrari? Et cùm seruo nihil obsit, & libertas ei competat, inuidiosum est hæredem fraudari.

VII. *Regula, De eo quod seruus hæredi debet deducendo, uide paulò superius reg.5.except.9. De eo quod seruus hæredi uendidit, de peculio deducendo, regula proponitur l.deniq.8.§.item quæritur, in fin.ff.de peculio legato, his uerbis:* Ait Sabinus, si statuliber seruum hæredi uendiderit, perinde desinere eum in peculio esse, atq; si extraneo uendidisſet.

VIII. *Regula, De eo quod dominus seruo debet. Hoc auget peculium. Quæ regula approbatur l.ſi peculium.6.§.sicut. ff.de peculio leg. his uerbis:* Sicut æs alienum, hoc est, quod debetur domino, minuit legatum peculium: ita per contrarium id quod dominus debet seruo, augere debet. Sed huic sententiæ aduersatur rescriptum Imperat. nostri & patris eius, quod ita est: Cum peculium seruo legatur, non etiam id conceditur, ut petitionem habeat pecuniæ, quam se in rationes domini impendisse dicit. Quid tamen, si hæc uoluntas fuit testatoris, cur non posſit consequi certè compensari debet hoc quod impendit, cum eo quod domino debetur. *Concordat l. dominus.23.§.testamento.ff.eod.tt.his uerbis:* Testamento codicillisue seruos manumisit, & pecuniam legauit, & de Sticho ita cauit: Stichum seruum meum liberũ esse uolo, eiq; uolo dari decem aureos, & quidquid ex ratione loculorum meorum habet. rationes autem hæredibus meis dari uolo. his omnibus, quos hoc testamento manumisi, peculium suum concedi uolo. Quæsitum est, an quod amplius rationi loculorũ in diem mortis erogauit Stichus ex peculio suo, ab hæredibus recipere debeat, cum ex consuetudine domus esset, ut quidquid amplius de suo in ratione loculorum erogasset, dominica ratio ei deberet atq; exoluerett Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, propter consuetudinem id quoque peculio legato contineri, quod & dominica ratio deberet, & solita erat reddere. *Ait I.C.in supradicto §.sicut:* Sed huic sententiæ aduersatur rescriptum Imper. nostri & patris eius, quod ita est: Cum peculium seruo legatur, non etiam id conceditur, ut petitionem habeat pecuniæ, quam se in rationes domini impendisse dicit. *Hoc rescriptum (ut ait Iurisconsultus) regulæ propositæ contradicit. Cui concordat Inſt.de legatis.§.peculium. ibi: ijdem, his uerbis:* Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, peculio legato non uideri id relictum, ut petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impenderit.

IX. *Regula, De eo quod dominus scripsit se seruo debere. Hoc peculio legato non cedit. Quæ regula approbatur l.ſi peculium.6. §.penult. ff.de peculio legato, his uerbis:* An & quod dominus scripsisset, se seruo debere, peculio legato cederet? Pegasus negat. Idem Neraa. Et cum Cneus Domitius filiæ suæ peculium, quod eius esset, legasset, & annuum quod ei solitus erat dare, biennio non dedisset, sed in rationib. suis retulisset, filiæ se debere quinquaginta: Atilicinus existimauit, legato non cedere. quod uerum est: quia consonat rescripto. *De hoc rescripto uide §.reg.prox.*

X. *Regula, De pecunia, quam seruus domino pro libertate dedit, quatenus ea peculio legato cedat, definitur l.seruus.6.ff.de manumiss. his uerbis:* Seruus pecuniam ob libertatem pactus erat, & eam domino dederat. dominus, priusquã eum manumitteret, mortuus erat, testamentoq; eum liberum esse iusserat, & ei peculium suum legauerat. Consulebatur, quam pecuniam domino dedisset ob libertatẽ, an eam hæredes patroni reddere deberent, nécne? Alphenus respondet, si eam pecuniam dominus, posteaquam accepisset, in suæ pecuniæ rationem habuisset, statim desisse eius peculij esse: sed si interea dum eum manumitteret, acceptam seruo retulisset, uideri peculij fuisse, & debere hæredes eam pecuniam manumisso reddere. *Concordat l.deniq. 8.§.his consequenter. ff.de peculio legat. his uerbis:* Quæritur, si seruus cum domino de libertate pactus fuerit, & partem pecuniæ dederit, & antequam residuum daret, dominus decesserit, liberumq; esse testamento iusserit cum peculio legato, an quod domino dederit, in peculio sit imputandum? & ait Labeo, de peculio decedere. Planè si nondum dederat, sed donec totum traderet, pro deposito apud eum fuerit, id in peculio esse placuit.

XI. *Regula, De eo quod hæres seruo debet. Id quoq; peculio legato cedit. Quæ regula approbatur l.peculio.5.ff.de peculio legato, his uerbis:* Peculio legato, constat hęredem nomina peculiaria persequi posſe, & insuper ipsum (si quid debeat seruo) reddere legatario debere.

XII. *Regula, De rebus quas seruus in professione peculij non edidit. Hæ peculio legato non cedunt. Quæ regula approbari uidetur l.cum dominus.19. in princ. ff. de peculio legato, his uerbis:* Cum dominus seruum uellet manumittere, professionem

edi sibi peculij iussit, atque ita seruus libertatem accepit. res peculij professioni subtractas, non uideri manumisso tacitè concessas, apparuit.

XIII. *Regula, De actionibus aduersus debitores peculiares cedendis, proponitur d.l.19.§.1.his uerbis:* Testamento data libertate, peculium legauerat, eundemq; postea manumiserat. libertus, ut nominum peculij actiones ei præstẽtur, ex testamento consequetur.

XIIII. *Regula, De actionibus aduersus debitores, pro quibus seruus soluit, cedendis, proponitur l.dominus.23.in prin.ff.de peculio legato, his uerbis:* Dominus Sticho seruo suo, qui bona liberti eius gessit, cui pro parte dimidia testamento hæres extiterat, in quibus negocijs gestis & calendaria fuerunt, testamento suo libertatem dederat, si rationem reddidisset, eique peculium suum per fideicommissum dedit. Stichus summas, quibus reliquatus erat, tam ex calendario, quàm ex uarijs causis, reddidit: manentibus debitoribus, pro quibus ipse pecuniam hæredibus patroni refuderat: libertatemq; adeptus decessit. quæsitum est, an hæredibus Stichi aduersus nomina debitorum, pro quibus Stichus pecuniam hæredibus patroni intulit, hæredes patroni ex causa fideicommissi compellendi sint actiones præstare, cum nihil aliud à Sticho patrono debitum fuit? Scæuola respondit, præstandum.

XV. *Regula huius loci habetur l.ult.ff. de pecul. leg. his uerbis:* Titi fili, è medio percipito, sumito, tibiq; habeto domum illam, item aureos centũ. alio deinde capite peculia filijs prælegauit. quæsitum est, an peculio prælegato, & centum aurei & usuræ eorum debeantur, cùm rationibus breuiarijs in ære alieno & sortem & usuras inter cæteros creditores complexus sit? Scæuola respondit, si id fœnus nomine filij exercuisset, & usuras ita, ut proponeretur, filio adscripsisset, id quoque peculio legato deberi. *Hæc de secunda huius capitis quæstione sint dicta.*

III. EVENTVS HVIVS legati.

I. *Regula: Peculio legato, hæres ante cessionem nihilominus actiones habet aduersus debitores peculiares. Quæ regula approbatur l.peculio.5.ff.de pecul. leg. cuius uerba uide paulò superius reg.11.*

II. *Regula: Creditoribus peculiaribus nihilominus aduersus hæredem, non legatarium datur actio, & ob id hæredi de indemnitate à legatario cauendum. Quæ regula approbatur l.si seruo.18.ff.de pecul. legato, his uerbis:* Si seruo manumisso peculium legatum fuerit, in eum sine dubio creditoribus peculiaribus actiones non competunt: sed non aliter hæres peculium præstare debet, nisi ei caueatur defensum iri aduersus creditores peculiares. *Huic concordat l.qui peculium.17.ff.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.libro prox.cap.9. caut.4. in princ. Contradicere uidetur l.1.§.per contrarium. ibi: & differentiam. ff.de dote relegata. cuius uerba uide ẽ.cap.10.except.8. Hactenus de peculio legato, decima legati ſpecie. Sequitur undecima ſpecies, de legato familiæ relicto.*

DE LEGATO FAMILIAE relicto, uel ne alienetur.

Cap. XV.

I. CAVSA, EX QVA DATVR huius legati nomine actio.

SI legato familiæ relicto, uel ita ne alienetur, res legata fuerit alienata: tunc alijs eius familiæ datur actio ad repetendam rem alienatam. Quæ causa approbatur l.peto.71.§.fin. ibi: sed si domus. ff.de leg.2. cuius uerba uide ẽ.eod.cap.quæſt.2.reg.1.except.2. Concordat l.ſancimus.7.C.de reb.alienis non alien. cuius uerba uide ẽ. lib.11.cap.4. cauſa 1.except.8. Huius autem causæ exceptiones hæ sunt. Prima exceptio est: Nisi in legato non aliendi causa non sit expressa. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur l. filiusfam.111.§.diui Seuerus. ff.de leg.1.his uerbis: Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, eorum qui in testamento uetant quid alienari, nec causam exprimunt, propter quam id fieri uelint: nisi inueniatur persona, cuius respectu hoc à testatore dispositum sit, nullius esse momenti scripturam, quasi nudum præceptum reliquerint: quia talem legem testamento non possint dicere. Quòd si liberis, aut posteris, aut libertis, aut hæredibus, aut alijs quibusdam personis consulentes, eiusmodi uoluntatem significarent, seruandam eam esse. Sed hæc neq; creditoribus, neq; fisco fraudi esse. nam si propter hæredis creditores testatoris bona uenierint, fortunam communem fideicõmissarij quoque sequuntur. *Concordat propositæ exceptioni l.pater.36.§.Iulius Agrippa.ff.de leg.3.his uerbis:* Iulius Agrippa primipilaris testamento suo cauit, ne ullo modo reliquias eius & prædiũ suburbanum, aut domum maiorem hæres eius pignoraret, aut ullo modo alienaret. filia eius hæres scriptam hæredem reliquit filiam suam, neptem primipilaris, quæ eadem res diu possedit, & decedens extraneos instituit hæredes. quæsitum est, an ea prædia extraneus hæres haberet, an uerò ad Iuliam dominam, quæ habuit patruum maiorem Iulium Agrippam, pertinerent? Scæuola respondit, cùm hoc nudum præceptum esset, nihil proponi contra uoluntatem defuncti factum, quo minus ad hæredes pertinerent. *Concordat item ijsdem ferè uerbis l.Lucius.91.in princ. ff.eod.tt. his uerbis:* Lucius Titius testamento suo ita cauit, Nullo modo

modo prædium suburbanum aut domum hæres alienet. filia eius hæres scripta hæredem reliquit filiam suam, quæ eadem res diu possedit, & decedens extraneos hæredes instituit. quæsitum est, an prædia pertinerent ad Iuliam, quæ L. Titium testatorem patruum maiorem habuit? Scæuola respondit, nihil proponi contra uoluntatem defuncti factum, quo minus ad hæredem pertinerent, cum hoc nudum præceptum est. *Secunda exceptio est: Nisi res per uniuersitatem ad alium transeat. Hæc exceptio reprobatur l.peto.71.§.fratre. ibi: uel extero hærede instituto decesserit. ff.de leg.2. cuius uerba proponentur inferius quæſt. 2.reg.1. Concordat l.si quis.8.§.cæterum. C.de ſecundis nuptijs. cuius uerba uide ẽ. lib.14. cap.6. quæſt.1.except.2.replic.2.duplic.1. Concordat item d.l.71.§.prædium, in fin. cuius uerba uide ẽ.except.prox. Concordat item l.Lucius.90.§.penult. ff.de legat.2. his uerbis:* Matre & uxore hæredibus institutis, ita cauit: A te uxor charissima peto, ne quid post mortem tuam fratribus tuis relinquas: habes filios sororum tuarum, quibus relinquas: scis unum fratrem tuum filium nostrum occidisse, dum ei rapinam fecit: sed & alius mihi deteriora fecit. quæro, cum uxor intestata decesserit, & legitima eius hæreditas ad fratrem pertineat, an filij fideicommissum ab eo petere possint? Scæuola respondit, posse defendi, fideicommissum deberi. *Concordat item l.ita quis.135.§.ea lege. ff.de uerb. obligat. cuius uerba uide ẽ. Contradicit l.quædam.62.ff.de adquir.rerum domin. cuius uerba uide ẽ. lib.21.cap.4.cauſa 1.except.8.in fin. Sed & contradicit l.pater.36.§.Iulius. & l.Lucius.91.in princip. ff.de leg.3.quorum uerba uide ẽ.except.prox. Contradicit item d.l.36.§.fundum. ff.de leg.2.bis uerbis:* Fundum Titianum à filio, quoad uixerit, uetuit uenundari, donari, pignorari: & hęc uerba adiecit, Quòd si aduersus uoluntatem meam facere uoluerit, fundum Titianum ad fiscum pertinere: ita enim fiet, ut fundus Titianus de nomine nostro nunquam exeat. quæsitum est, cum uiuus filius eum fundũ secundum uoluntatem patris retinuerit, an defuncto eo non ad hæredes scriptos à filio, sed ad eos qui de familia sunt, pertineat? Scæuola respondit, hoc ex uoluntate defuncti colligi posse: filium, quoad uiueret, alienare uel pignorare non posse: testamenti autem factionem & in eo fundo in extraneos etiam hæredes habiturum. *Contradicit demum d.l.36.§.quindecim. cuius uerba uide ẽ. cap.5. quæſt.3. except.9. Contradicit denique Nouell.c.159.§. unde tametsi testamentum. cuius uerba uide ĩ. except.9. Hanc antinomiam alijs soluendam relinquo. mihi quidem uidetur exceptio propositæ reprobandæ potius, quàm approbandæ. Tertia exceptio est: Nisi necessitate urgente, & creditoribus bona distrahentibus, res alienari prohibita alienetur. Quæ exceptio approbatur l.filiusfamil.111.§.diui, in fine. ff. de leg.1. cuius uerba uide paulò superius except.1. Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi hæredis bonis uenditis, hæres postea sit mortuus: tunc enim nihilominus emptores ad istam rem restituendam ex fideicommisso conueniri possunt. Quæ replicatio approbatur l. peto.71.§.prædium. ff.de leg.2.bis uerbis:* Prædium quod nomini familiæ relinquitur, si non uoluntaria facta sit alienatio, sed bona hæredis ueneant, tamdiu retinere emptor potest, quamdiu debitor haberet bonis non uenditis: post mortem eius non habiturus, quod exterus etiam hæres præstare cogeretur. *Quarta exceptio est: Nisi res alienari prohibita, uni è familia sit alienata. Hæc exceptio approbatur l.pater.36.§.quindecim. ff.de leg.3. cuius uerba uide ẽ. cap.5.quæſt.3.except.9. Qui autem in familia connumerentur, & per consequens locum faciant huic exceptioni, uide ĩ.quæſt.2.reg.1.cum sequentibus. Concordat l.uoluntas. 4. C. de fideicommiſſ. hisce uerbis:* Voluntas patris prohibentis liberos fundos extra familiam uendere, uel pignori dare, fratrem sorori donare prohibuisse non uidetur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum hæres rem uni è familia legasset, eum rogauerit, ut eam alicui extero restituat. hoc enim casu exterus, cui res ex causa fideicommissi restituta est, de ea restituenda potest conueniri. Quæ replicatio approbatur l.si unum.69.§.sed etsi fundum. ff.de leg.2.bis uerbis:* Si fundum hæres uni ex familia reliquerit, eiusq; fidei commiserit, ut eum extero restituat: quæsitum est, an hoc fideicommissum ab extraneo peti possit? dixit Papinianus, ita demum peti posse, si præterea tantundem ei relictum esset, quod fundi precium efficeret. & siquidem ille prior testator ita fideicommissum reliquisset, Rogo, fundum cui uoles, aut quibus uoles ex familia relinquas: rem in expedito fore. quòd si talia uerba fuissent, Peto ne fundus de familia exeat: hæredis hæredem propter sequens fideicommissum, quod in exterum collatum est, oneratum intelligi, petituris deinceps cæteris ex primo testamento fideicommissum, post mortem uidelicet eius qui primò electus est. & ideo si electo uno, fideicommissum in exterum non conferatur: non aliàs ei qui electus est, fideicommissum præstandum erit, quàm interpositis cautionibus, fundum, cum morietur, si non in familia cum effectu relinqueretur, restitui. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi uni tantùm, non omnibus è familia res sit relicta. Hæc replicatio reprobatur l.filiusfamil.111.§. cum pater. ibi: sed si omnes. ff.de leg.1.his uerbis:* Si omnes filij hæredes instituti sint ex disparibus partibus, non possunt petere fideicommissum ex minore parte scripti, ut uiriles,

non

non hæreditarias partes in eo habeant: uerum est enim in familia reliquisse, licet uni reliquisset. Item si unum hæredem instituisset, nec quidquam legasset: exhæreditati nihil interim, quamdiu in familia res est, petere possunt. *Concordat l.si unum.69.§.1. ibi: itaq; si cum fortè. ff.de leg.2. ubi de legato familiæ relicto tractans Papinianus ait:* Si cum fortè tres ex familia essent eius qui fideicommissum reliquit, eodem uel dispari gradu: satis erit, uni reliquisse. Nam postquam paritum est uoluntati, cæteri conditione deficiunt. *Concordat item l.is qui.92. ff.de leg.3. cuius uerba uide §. quæst. prox. reg.1. except.6. Quinta exceptio est: Nisi omnium, quibus ex fideicommisso actio competit, cõsensu res alienetur. Hæc exceptio approbatur l.quoties.11. C.de fideicommiss. hisce uerbis:* Quoties ab omnibus, qui alienatione facta ad fideicommissi petitionem adspirare possunt, uenditio celebratur, aut quibusdam uendentibus alij consenserint: contractus authoritas conuelli nequaquam potest. *Concordat l.nihil.117.§.omnibus. ff.de legat.1. cuius uerba uide §.lib. 32.cap.11. causa 54.exemplo 2.except.5. Sexta exceptio est:* Nisi ij quibus actio hæc competit, ei qui alienauit, hæredes existant, uel legata ab eo acceperint. *hoc enim casu ratam alienationem habere coguntur. Hæc exceptio approbatur l.ex qua. 192. ff. de reg. iuris, his uerbis:* Ex qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet. *Proinde etsi legatum relictum sit ei cui competit hæc actio, rogatusq; sit rem alienari prohibitam extero præstare, fideicommissum ualet. Quod approbatur l.si unum. 69.§.sed etsi fundum. ibi: ita demum peti posse. ff.de leg.2. cuius uerba uide paulò superius except.4. replic.1. Huius exceptionis replicatio est:* Nisi non omnes quibus competit actio, alienanti hæredes existant: *tunc enim nihilominus datur actio his qui hæredes non sunt.de quo §.quæst.2.reg.1.except.5. Septima exceptio est: Nisi nemo è familia supersit. Hæc exceptio approbatur l.cum pater.79.§.libert.in fin. ff.de leg.2. his uerbis:* Si nemo uendiderit, & nouissimus sine liberis uita decesserit: fideicommissi petitio non supererit. *Octaua exceptio est:* Nisi cùm filijs re aliqua relicta, *prohibuisset ne ista alienaretur, nulli alij filij eius gradus supersint. tunc enim extinguitur fideicommissum, quamuis alij eius familiæ sint. Quæ exceptio approbatur Nouell.c.159.cuius uerba uide §.except.proxima. Nona exceptio est:* Nisi nulli eius familiæ intra quartum gradum supersint. *tunc enim, quamuis familiæ legatum relictum sit, tamen ijs qui ultra quartum gradum supersunt, non datur petitio fideicommissi. Quæ exceptio approbatur Nouell. c.159. cuius hæc sunt uerba:* Tantum nobis benignitatis adest, ut ne priuatas quidem causas, quæ iudicum nobis inquisitionem superare uidentur, legibus nostris definire indignum putemus: ne si quando priuata causa audientiam in iudicium deferri solitam excedat, longa mora eos qui in iure controuerso hærent, atterat. Aliquoties igitur gloriosissimus uir Alexander ad nos retulit, gloriosæ memoriæ patrem suum Hierium, cum testamenti tabulas conscriberet, hisce uerbis usum esse: Volo ac iubeo, ut hæredes mei, Constantinus quidem clarissimus uir deputatam sibi domum cum omnibus (ut præscriptum est) cohærentibus illi iuribus, & suburbium in Coparijs appellatum, item cum omnibus (ut præscriptum est) iuribus ad ipsum pertinentibus, & domum Antiochiæ sitam emptã ab Ammiano: Anthemius uerò dulcissimus suburbium in Blachernis dictum, redemptum à gloriosæ memoriæ uiris Eugenio & Iuliano, & suburbium in Promontorio sinus Sosthenij, quod olim in dominio Ardaburij gloriosæ memoriæ fuit: Calippius autem clarissimus uir suburbium Bycharium siue Philothei nuncupatum: & Alexander clarissimus uir suburbium in Venetis, neque per uenditionem, neque donationem, neque permutationem, neque quocunq; tandem titulo in alium transferant reijciantúe, aut eam domum seu præscripta quinque suburbia è meo nomine & mea familia alienent: sed siquidem (quod Deus faxit) nascantur filij, & relictis post se filijs aut nepotibus, siue legitimis, siue etiam naturalibus, moriantur, ut pro se quisque deputatum sibi suburbium aut domos tam in hac regia urbe, quàm Antiochiæ positas, filijs ac nepotibus, legitimis aut etiam naturalibus suis relinquant. Perfuasum etenim habeo, quòd neq; in naturalibus liberis ac nepotibus dispositionem uoluntatemq; hanc meam negligent. Si uerò in uniuersum omnes, aut aliqui, aut unus ex ijs (quod abominor) sine liberis decedat, uolo & iubeo, ut qui liberis orbi aut orbus mortem obierit, superstitibus aut superstiti ex ipsis fratri præscriptas domos, tam quæ in hac urbe, quàm quæ Antiochiæ est, item prius declarata quinque suburbia cum omnibus eorum iuribus, & omnibus deniq; rebus ac personis quæ ijs continentur, citra ullam exceptionem restituat, cessante uidelicet inter eos fideicommissorum seu legatorum causa satisdatione. Volo etenim ac iubeo, ne quisquam ab alio huius generis satisdationé experat: ijs uel eo, qui præter paternam & pietatis erga ipsos plenissimam intentionem meam, à fratribus suis satisdationem in rebus abalienari prohibitis expetere pertentauerint, omnimodò eius fideicommissi amissionem sustinentibus uel sustinente. Atq; hæc quidem ipsum protulisse in testamento, conscripsisse autem

tem & codicillum, in quo talibus propemodum uerbis usus sit: Manifestum planè facio, quòd pridem testamentum per scripturam fecerim, & quæ in eo conscripta sunt, ex animi mei sententia composuerim: uoloq; ac iubeo, ut omnia quæ in eo testamento continentur, omnimodò firmitatem obtineant, his solis exceptis, per quæ fortè in hoc meo codicillo uel aliquid mutauero, uel relicta alicui legata ademero. Volo igitur ac iubeo, ut suburbium illud meum, quod Coparia appellitant, quod in proposito testamento magnificẽtissimo filio meo Constantino reliqui, detur, & pleno proprietatis atq; possessionis iure ad clarissimum pariter ac generosissimum nepotem meum, Constantini magnificentissimi filij mei filium, Hierium, simul uniuersum pertineat cum omnibus prætorijs, quæ in eo sunt, & omnibus scalis, & quæ uel intra urbem, uel extra urbem pro pensione elocantur, ædibus atq; officinis, & balneo, & hortis tam intra quàm extra muros existentibus, & hippodromo, neq; non horto qui in ipso est, & cisterna, atq; omni denique iure, quod ullo modo in eo mihi suburbio competit. Id ipsum uerò suburbium tunc demum prædicto clarissimo nepoti meo Hierio dari uolo, cum primùm post meam mortem patris sui potestate solutus, per emancipationem sui iuris factus erit: nulla licentia eidem generosissimo nepoti meo concedenda, ut præfinitum rei terminum excedat, aut ijs qui uel ex hoc meo & eiusdem clarissimi nepotis testamento in eadem iura successerint, ut idem suburbium uel partem eius aliquam, uel ius diuendant permuténtue, aut alicui donent, aut quocunq; titulo deniq; abalienent: propterea quòd hoc ipsum suburbium & ædes, situm sitáſue intra portam muri siculnei, qua uia ducit ad sacrosanctum martyrium sanctæ Theclæ, per omnia & perpetuò uelim permanere in familia mea, neque unquam de meo nomine egredi. Volo autem & iubeo, siquidem eueniat, ut generosissimus nepos meus Hierius uel intra pubertatem, uel etiam post pubertatem, sine liberis tamen legitimo matrimonio procreatis moriatur: ut eius suburbij siue ædium possessio, simul & proprietas perueniat & deferatur aut restituatur magnificentissimo patri eius Constantino sub eadem cõditione, ne unquam de familia mea meoq; nomine abalienentur. His ita confectis, ipsum quidem è rebus humanis abijsse, Hieriũ uerò gloriosæ memoriæ, domum quidem Theopoli sitam, quæ successione paterna ad ipsum peruenerat, alijs personis uẽdidisse: ipsam autem domum, quæ in hac alma urbe est, & insuper suburbium quod illi codicillo datum erat, in quibus omnib. interdicta fuerat alienatio, ad Constantem gloriosæ memoriæ filium suum trãsmisisse: illumq; rursus prægnante uxore relicta, uitam finisse, scripto prius testamento, in quo disposuerit, ut si puer uel natus non esset, uel natus ante pubertatem mortuus esset, tam gloriosissima eius mater Maria, quàm inclyta etiam uxor eius altera Maria ad successionem eius uocarẽtur. Postea uerò quàm nata filia in ipsa infantia, & teneram adhuc ætatem agens, humanis rebus excesit, tum reliquam substãtiæ partem, tum etiam domum in ampla hac urbe, & insuper suburbiũ, quod expressis uerbis Hierio gloriosæ memoriæ in codicillo relictũ fuit, ad inclytas mulieres deuoluta esse, meritoque tam ex testamento, quàm ex uerbis codicilli domum iuxtà & suburbium uindicãdi sibi locum datum, utpote qui solus hoc tẽpore ex Hierij gloriosæ memoriæ liberis superstes permanserit, & primum gradũ in nomine familiæ obtineat. Verùm qui pro Maria & Maria gloriosissimis fœminis faciebãt uerba, hi aiebant, neq; testaméti uerbis ullum locum factum esse. neq; enim Cõstantem gloriosæ memoriæ absq; liberis ex rebus humanis abijsse, ut utrarumq; ædium restitutioni locus sit. Sed neq; suburbij nomine ritè secundumq; leges Alexandrum gloriosissimum uirum hasce adorini, cum & ipse suburbium quod ipsi relictum fuerat, in quo communis pater æquè ut in cæteris, alienationem illi prohibuit, ante id tempus alienauerit. sed & alios fratres idem hoc fecisse: & leges nostras, siquidem omnes ordine, in quibus huiusmodi aliquid definitum sit, defuncti uoluntatem transgrediantur, ex æquo omnibus restitutionem adimere, ne si uicissim alter alterum mutua petitione in ius uocent, multis in una causa subdantur iudicijs: legesq; de hoc propositas nobis reuocarunt in memoriam. Alexander autem, gloriosissimus uir, rectè se actionem intẽtare aiebat, & maximè de utrisque ædibus: defunctum enim satis manifestè suam in codicillo sententiam de ijs rebus declarasse, cum res familiæ conseruari uoluerit. sed multò iustioribus sẽrationibus inniti in suburbio. neq; enim rectè illas sibi alienationem exprobrare, cui ex imperiali iussione hoc facere indultum fuerit. Ac prolixis in ea causa disputationibus utraque pars usa est, nunc testatoris interpretando uoluntatem, nunc nostras usurpando leges, quas in rem quoque suam facere arbitrabatur. Nos igitur, cum & legum & testaméti interpretationem perspectam habere-

haberemus, non nuda sententia, sed lege eius causæ decisionem complectendam duximus, simul ut præsentem dirimeremus controuersiam, simul ut cæteris mouendæ de his contentionis ansam præriperemus. Vnde subtilius pariter & exactius testamenti uerbis innixi, deprehendimus, ipsis quidem filijs hæreditatem capessentibus, alienationem interdictam, si sine liberis uita functuri essent, non ulterius uerò his etiam, qui eis filijs succederent: sed contentum fuisse defunctum, si inter filios duntaxat alienationis interdictum constitueret. neq; enim, si & ipsi relictis filijs decederent, maiore ipsum cura perquisijsse, cui aut quomodo res relinqueretur, nec uoluisse alienationis interdictum ultra filiorum uitam extendere. Enimuerò codicillum, qui de suburbio duntaxat factus fuit, interdixisse his etiam, qui ex testamento gloriosæ memoriæ Hierij (de iuniore loquimur) res per successionem cepissent, ne suburbium alienarent: & quod consequenter inducitur, in his quòq; defunctum uoluisse, ut id perpetuò in familia permaneret. Et quidem quæ in controuersiam deducta sunt, eiusmodi fuerunt. Nos uerò, cum totam causam cum diligentia, qua decet, penitus intueremur, in alijs quidem rebus, quarum sanè Constantinus gloriosæ memoriæ, Hierij senioris filius, ex paterni testamenti tabulis dominus factus fuit, præclarè nullam quæstionem excitandam rati sumus: arcendumque in his actione non solùm Alexandrum gloriosissimum uirum, sed etiá omnem reliquam familiam: cum & testamenti uerbà prohibitionem inter solos constituant filios: & ipsi gloriosæ memoriæ Hierij filij, per quos qui post eos illius familiæ portio extiterunt, Hierij sibi iura uindicãt, nonnullas apud se constitutas res alienauerint, perinde quasi ex una uoluntate fideicommissum repudiantes. Quod autem ad suburbium attinet, cuius dominum codicillus ostendit esse gloriosæ memoriæ Hierium, præter modum scrupulosa nobis diligentia plenum uisum est, si post quatuor demũ generationes huiusmodi quæstionem produceremus in medium. Nunc certè, cùm Maria & Maria gloriosissimæ fœminæ etiamnum superstint, quas alicubi & ipsas nostræ leges in familiam reponunt, ut quæ sponsas quoque hac appellatione dignentur: neq; rectè, neq; ordine Alexander gloriosissimus uir litem à se prætensam instituit. Quin ut maximè hæ decessissent, tamen quòd quatuoriam generationes præterijsse uiderentur, haud sustineremus tam obsoletam causam denuò tradi iudicijs, & maximè cùm Cõstantis filia in pupillari adhuc ætate uitam finierit. Vnde tametsi testamentum ille non confeciſſet, suburbium tamen ad matrem eius peruenisset: non ipsa pupilla, sed ipsa quodammodò lege horum causa existente, quamuis nemo successorum gloriosæ memoriæ Hierij circa uoluntatem eius deliquisset. Licet enim Constans, cum testamenti tabulas conscriberet, substitutiones quasdam fecerit, filia intra pubertatem mortua: nihil tamen inde excellens introducitur, cum & ipsa lex pupillę substantiam matri, quasi ea sine testamenti tabulis decessisset, per se præbitura esset. Sancimus igitur, ut neq; gloriosissimus uir Alexander, aut eius filij, neq; reliqui senioris Hierij gloriosæ memoriæ liberi, neque alius quisquam omniũ, qui genus suum in eorum familiã referunt, uel Mariam & Mariam gloriosissimas fœminas, occasione rerum apud ipsas consistentiũ, uel alios, apud quos aut hoc tempore res existant, aut ad quos sequente tempore peruenturæ sint, in quibus alienationẽ fortè Hierius gloriosæ memoriæ prohibuit, adoriãtur iudicio, aut omnino mentionẽ decæterò prohibitionis & familiæ nominis faciant, & aliquod sibi exinde ius adquirãt: utpote cum & alij Hierij gloriosæ memorię filij res suas alienauerint, & reliquorum quodammodò alienationibus consenserint, ac per has, neq; non alias quas prædiximus rationes, quæ ad huiusmodi iudicationem & legislationem abundè nobis sufficiunt, sibi pariter ac successoribus suis actiones, quæ ipsis potuissent competere, sustulerint. Atq; hæc non tantùm præsentis causæ decisio esto, sed & reliquarum, in quibus huiusmodi prohibitione facta, tot successiones præterierint, & ultimus hęredũ per interuenientem aliquem in medio impuberem hæreditatẽ capessat. Tunc enim his etiam, qui sunt extra familiam eius qui primus prohibuit, per præsentem nostrã legem transmittẽdarum rerum licentiam habebit. siquidem in commune hanc legem, tam de præsenti casu, quàm de omnib. posthac futuris ad eum modũ prohibitionibus, protulimus, simul contentionem componentes, quæ hoc tempore euenerat, simul (ut probabile est) futuras præcidentes. *Decima exceptio est: Nisi actor non caueat, se ulterioribus eius familiæ post mortem suam restituturum. Quæ exceptio approbatur l. peto. 71. §. fin. ff. de leg. 2. cuius uerba uide §. reg. 2. except. 1.* *Vndecima exceptio est: Nisi non ipsam domum alienauit, sed pensiones eius creditori suo delegauerit. Hæc exceptio approbatur l. Lucius. 90. §. instituto. ff. de leg. 2. his uerbis:* Instituto filio hærede, & ab eo nepotibus emancipatis, ita testator cauit:

βούλομαι δὲ τὰς ἐμὰς οὐσίας μὴ κωλύεσθαι ὑπὸ τῶν κληρονόμων μήτε ἀκριβάζεσθαι κατ' αὐτῶν· ἀλλὰ μένειν αὐτὰς ἀπερρίζους αὐτοῖς ἀεὶ ἐσομένοις εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. ἐὰν δέ τις βουληθῇ αὐτῶν τι κωλύσαι τὸ μέρος αὐτῆς, ἢ ἀκριβάζεσθαι κατ' αὐτῆς, ἐξουσίαν δὲ ἐχέτω κωλύσαι τῷ συγκληρονόμῳ αὐτῆ, ἢ ἀκριβάζεσθαι κατ' αὐτῆς. Εἰὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιῇ, ἐγὼ τὸ χρυσάτριζμενον ἄργυρον δώσω. Id est: Non uolo autem, ut à meis hęredibus ædes meæ teneantur, illarúmue nomine pecunia mutua accipiatur: sed ut apud eos (siue filij, siue nepotes sint) in omne æuum inuiolabiter permaneant. Si quis uerò eorũ partem suam uel uendere, uel in causam mutui obligare uoluerit: saltem cohæredi suo eius uendendi uel obligandi potestatẽ habeto. Quòd si aduersus ea quis fecerit, quidquid eius rei gestum esse dicetur, id infirmum atque irritum esto. Quæritur, cum filius defuncti mutuam pecuniam à Flauia Dionysia acceperit, & locatis ædibus pro parte sua pensiones sibi debitas creditrici delegauerit: an conditio testamenti extitisse uideatur, ut filijs suis fideicommissi nomine teneatur? Scæuola: Respondi, secundum ea quæ proponerentur, non extitisse. *Duodecima exceptio est: Nisi tantùm pignori obligauit, uel seruitutem imposuerit. Hæc exceptio reprobatur l. sancimus. 7. C. de rebus alienis non alien. cuius uerba uide §. lib. 11. cap. 4. causa 1. except. 8.* *Decimatertia exceptio est: Nisi ob debitum hereditarium prædia pignori obligauit, uel distraxit. Hæc exceptio approbatur certo modo l. pater. 36. in prin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Pater filium hæredem prædia alienare, seu pignori ponere prohibuerat, sed conseruare liberis ex iustis nuptijs, & cæteris cognatis fideicõmiserat. filius prædia, quæ pater obligata reliquerat, dimisso hæreditario creditore numis noui creditoris, à priore in sequentem creditorem pignoris hypothecæue nomine transtulit. quæritum est, an pignus rectè contractum esset? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, rectè contractum. Idem quæsijt, cum filius prædia hæreditaria, ut dimitteret hæreditarios creditores, distraxisset: an emptores, qui fideicommissum ignorarunt, bene emerint? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, rectè contractum, si non erat aliud in hæreditate, unde debitum exolueret.

II. QVIBVS DATVR EX hoc legato actio?

Huius loci prima regula hæc est, Quòd omnes eius familiæ admittantur ad petitionẽ fideicõmissi. Quæ regula approbatur l. peto. 71. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis: Fratre hærede instituto, petijt ne domus alienaretur, sed ut in familia relinqueretur. si non paruerit hæres uoluntati, sed domũ alienauerit, uel extero hærede instituto decesserit: omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerint. *Declaratur hæc regula definitione familiæ, l. ult. C. de uerb. signif. his uerbis:* Suggestioni Illyricianæ aduocationis respondentes, decernimus, familiæ nomen talem habere uigorem: parentes & liberos, omnesq; propinquos, & substantiam, libertos etiam & patronos, necnon seruos per hanc appellationem significari: & si quis per suũ elogium fideicommissum familiæ suæ reliquerit, nulla speciali adiectione super quibusdam certis personis facta, non solũ propinquos, sed etiam his deficientibus generum & nurum. eos enim nobis humanum uidetur esse ad fideicommissum uocari, ita uidelicet, si matrimonium morte filij uel filiæ fuerit dissolutum. nullo etenim modo possit gener uel nurus filijs uiuentibus ad tale fideicommissum uocari, cũ hi proculdubiò eos antecedant. & hoc uidelicet gradatim fieri, ut post eos liberti perueniant. Hoc eodem ualente, etsi quis rem immobilem cuidam legauerit uel fideicommiserit, eamq; alienari prohibuerit, adijciens, ut si hoc fideicommissarius præterierit, familiæ suæ res adquirantur. In alijs casibus autem nomen familiæ pro substantia oportet intelligi: quia & serui & aliæ res in patrimonio uniuscuiusque esse putantur. *Aliam similiæ definitionem uide l. pronunciatio. 195. cum l. sequente. ff. de uerb. signif.* *Planè regulæ propositæ exceptio prima hæc est: Nisi actor qui est de familia, gradu sit remotior, quem alij gradu antecedant. Hæc exceptio approbatur d. l. 71. §. fin. ff. de leg. 2. bis uerbis:* Quid ergo, si non sunt eiusdem gradus? ita res temperari debet, ut proximus quisque primo loco uideatur inuitatus: nec tamen ideo sequentium causa propter superiores in posterum lædi debet. Ita proximus quisque admittendus est, si paratus sit cauere, se familiæ domum restituturum. Quòd si cautio non fuerit ab eo, qui primo loco admissus est, desiderata: nulla quidem eo nomine nascetur condictio: sed si domus ad exterum quandoq; peruenerit, fideicommissi petitio familiæ competit. Cautionem autẽ ratione doli mali exceptionis puto iustè desiderari, quamuis nemo alius ulterior ex familia supersit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi testator ulterioris gradus personas nominauerit. Quæ replicatio approbatur l. cum ita. 33. §. fin. ff. de leg. 2. his uerbis:* In fideicommisso quod familiæ relinquitur, hi ad petitionem eius admitti possunt, qui nominati sunt, aut post eos omnes extinctos, qui eo nomine fuerint eo tempore, quo testator moreretur, & qui ex his primo gradu procreati sint, nisi specialiter defunctus ad ulteriores uoluntatem suam extenderit. *Secunda*

replicatio est: Nisi proximioris gradus personæ decesserint. Hæc replicatio approbatur l.peto.71.§.fin.ff. de leg.2.ibi:quòd si cautio non fuerit. cuius uerba uide paulò superius. Secunda exceptio est: Nisi actores non fuerint in uita tempore mortis testatoris,nec ex ijs qui tunc uixerint,primo gradu fuerint procreati. Hæc exceptio approbatur simul & distinguitur uerbis d.l. 32.§.fin.iam propositis. Tertia exceptio est: Nisi actores ultra quartum gradum defuncto testatori cognati fuerint. Hæc exceptio approbatur Nouell.c.159. cuius uerba uide ẽ.eod.cap.except.9. Quarta exceptio est: Nisi actores emancipati fuerint. Hæc exceptio reprobatur l.peto.71.§.fin. ff. de legat.2. bis uerbis: Si quidam sint postea emancipati, tractari potest,an hi quoque fideicommissum rectè petant? & puto rectè petituros: quoniam familiæ appellatione hæ quoque personæ demonstratæ intelliguntur. Concordat l.filiusfamil.111.§.cum pater.ibi:quod euenit. ff. de leg.1. cuius uerba uide ĩ.except.prox. Quinta exceptio est: Nisi quidam ex actoribus hæredes rogato existant, quidam non existant ei hæredes: hoc enim casu illis solis, qui hæredes eius non sunt,competit actio,alijs non competit. Quæ exceptio approbatur d.§.cum pater, bis uerbis: Cum pater filio hærede instituto,ex quo tres habuerat nepotes, fideicommisisset, ne fundum alienaret, & ut in familia relinqueret: & filius decedens,duos hæredes instituisset, tertiũ exhæredasset, eumq; fundũ extraneo legasset:diui Seuerus & Antoninus rescripserunt,uerum esse, nõ paruisse uoluntati defuncti filiũ:sed etsi,cũ duos exhæredasset,unum hæredem instituisset,fundumq; extraneo legasset: putat Marcellus, posse exhæredatos petere fideicõmissum. Quod euenit,etsi uiuus filios emancipasset, & postea fundum alienasset. Ratio huius exceptionis proposita est ẽ.eod.cap.except.6. Planè hæredes instituti partem faciunt, ita ut exhæredati,non nisi pro reliqua parte rem alienatam ex causa fideicommissi petere possint. Quod approbatur l.si unum.69.§.1.ff.de leg.2.bis uerbis: Si uno ex familia hærede instituto, ille fundus extraneo relictus est: perinde fideicommissum ex illo testamento petetur,ac si nemo de familia hæredi hæres extitisset: uerùm is qui hæres scriptus est,ratione doli exceptionis cæteris fideicõmissum petentibus facere partẽ intelligitur.nam quæ ratio cæteros admittit,eadem tacitam inducit pensationem. Si duos de familia non æquis portionibus hęredes scripserit, & partem (fortè quartam) extero eiusdem fundi legauerit: pro his quidem portionibus,quas iure hæreditario retinent, fideicommissum nõ magis petetur, quàm si alteri fundum prælegasset:pro alia uerò parte,quæ in exterum collata est, uirilem qui sunt de familia petent,admissa proptèr hæredum uirilem portionem pensatione. Sexta exceptio est: Nisi cùm tribus è familia fundus relictus esset ita,ne alienaretur,unus ex ijs suam partem alienauerit:hoc enim casu uidetur collegatarijs tantùm,non etiam alijs eius familiæ personis actio danda. Verùm exceptio hæc reprobatur l.is qui.92.ff.de leg.3. cuius hæc sunt uerba: Is qui complures libertos reliquerat, tribus ex his fundum legauerat,& petierat,ut cũrarent, ne de nomine suo exiret.quærebatur,ex tribus qui primus moriebatur, utrum utrique, uel alteri ex his qui in legato sibi coniuncti essent,relinquere partem suam deberet, an possit uel alij colliberto suo eam relinquere? Placuit (etsi uoluntatis quæstio esset) satis illum facturum, etsi alij reliquisset. Quòd si nulli dedisset,occupantis,an omnium collibertorum, & num eorum tantùm, quibus pariter legatum esset,fideicommissi petitio esset,dubitabatur? Et Iulianus rectè omnibus deberi putauit. Septima exceptio est: Nisi actores suas etiam partes in re alienata alienauerint. Hæc exceptio approbatur l.cum pater.79.§.libertis.ff. de leg.2.bis uerbis: Libertis prædium reliquit, ac petijt ne id alienarent, atque in familia libertorum retinerent. si excepto uno cæteri partes suas uendiderint, qui non uendidit, cæterorum partes, quibus non dedit alienandi uoluntatem, integras petet. eos enim uidetur ad fideicommissum inuitasse, qui iudicio paruerunt. alioquin perabsurdum erit, uice mutua petitionem induci: scilicet, ut ab altero partem alienatam quis petat, cum partem suam alienando perdiderit. sed hoc ita procedere potest, si pariter alienauerint. cæterùm prout quisque prior alienauerit, partem posteriori nõ faciet. qui uerò tardius uendidit,ei qui non uendidit, in superiorum partibus fecisse partem intelligitur. Concordat Nouell.c.159.§. fancimus igitur.ibi:utpote cum &c. cuius uerba uide ẽ. quæst.1.except.9.

Secunda regula, De hærede eius cui competijt hæc actio. Et huic,quamuis extraneus sit,competit hæc actio. Quæ regula approbatur l.qui solidũ.80.§.prædium.ff.de leg.2. bis uerbis: Prædium pater de familia liberos alienare uerbis fideicommissi prohibuit: supremus ex liberis, qui fideicommissum petere potuit, non idcirco minus actionem in bonis suis reliquisse uisus est, quòd hæredem extraneum sine liberis decedens habuit.

Tertia regula, De libertis testatoris. Liberti quoq; familiæ appellatione continentur,& ad hanc actionem admittuntur. Quæ regula approbatur l.ult.C.de uerbor.signif. cuius uerba uide ẽ. reg.1. in prin. Huius regulæ exceptio prima hæc est:Nisi cognati uel adfines defuncti supersint. Quæ exceptio approbatur d.l.ult. ibi:ut post eos liberti perueniant. Secunda exceptio est: Nisi ab extraneis hæredibus illis libertas fuerit relicta.

Hæc exceptio reprobatur l.cum pater.79.§.fidei hæredum.ff.de leg.2. bis uerbis: Fidei hæredũ meorum committo,ne fundum Tusculanũ alienent,& ne de familia nominis mei exeat.secundum uoluntatem eos quoq; inuitatos intelligendum est, quibus hæredes extranei fideicommissariam libertatem reddiderunt.

Quarta regula, De filijs libertorum. Et hi in familia esse reputantur. Quæ regula approbatur d.l.79.§. cum inter,bis uerbis: Cum inter libertos ad prędij legatum liberta quoque fuisset admissa, quod patronus petijt, ut de nomine familiæ non exiret: hæredem libertæ filium partem prædij,quam mater accepit,retinere uisum est.

Quinta regula, De libertis hæredis. Hi in familia testatoris non computantur. Quæ regula uidetur approbari l.pater.36.§.duob.ff.de leg.3.bis uerbis: Duobus libertis Sticho & Erote hæredibus instutis,ita cauit, Fundum Cornelianũ de nomine meo exire ueto. unus ex hæredibus Stichus ancillam, scilicet Arethusam, testamento liberam esse iusit, eidemq; partẽ suam fundi legauit. quæro, an Eros & cæteri colliberti Stichi ex causa fideicomisi eius fundi partem ab hærede Stichi petere possint? Scæuola respondit,non contineri.

Sexta regula,De genero & nuru. His quoque familiæ nomen competit,& hæc actio. Quæ regula approbatur l.ult.§.& si quis per suum.C.de uerb.signif. cuius uerba uide ẽ.reg.1. in prin. Concordat Nouell.c. 159.§.nunc certè cum Maria & Maria.cuius uerba uide ẽ.quæst.1.except.9.

III. QVID VENIAT IN hac actione?

Prima regula:Si quidam ex ijs quibus competit hæc actio, ei qui rem alienauit hæredes existant: cæteris qui hæredes eius non sunt agentib.nõ nisi pro uirili parte competit actio. Quæ regula approbatur l.si unum. 69.§.sed si uno.ff. de leg.2. cuius uerba uide ẽ.quæst. prox.reg.1.except.5. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi alij qui hæredes sunt, suas quoq; partes alienauerint.tunc enim alijs,qui suas partes retinuerunt,in solidum datur actio. Quæ exceptio approbatur l.cum pater.79.§.libertis. ff. de leg.2. cuius uerba uide ẽ.quæst. prox.reg.1.except.7.

Secunda regula:Si pars rei alienari prohibitæ apud hæredes remaneat, pars extero sit legata:pro eã tãtùm parte,quæ extero relicta est, ijs qui hæredes ex ea familia non sunt,competit actio. Quæ regula approbatur l.si unum.69.§.si duos. ff. de leg.2. cuius uerba uide ẽ. quæst.prox.reg.1.except.5.

Tertia huius loci regula proponitur l.libertis.106. ff.de condition.& demonstr. his uerbis: Libertis omnibus legauit domum,& hęc uerba adiecit, Vt in ea habitent liberti, nec de nomine exeat, & ut ad unum, qui nouissimus extiterit,perueniat: & eo amplius eisdem libertis meis dari uolo fundum Seianum.quæsitum est, an conditio apposita, Ne de nomine exiret, ad sequens quoq; legatum pertineret? Scæuola respondit,pertinere.

IIII. QVANDO COMpetat?

Bonis eius qui alienare prohibitus est, à creditoribus eius uenditis, post mortem demum eius res ex causa fideicommissi uindicanda. Quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ.eod.cap.quæst.1.except.3.in fine. Hactenus de legato familiæ relicto. Sequitur duodecima & ultima species,facti scilicet legatum.

DE FACTO LEGAto. Cap. XVI.

I. AN LEGATVM FACTI utile sit,& ex eo nascatur actio?

REgulariter utile & obligatorium est hoc legatum. Quæ regula approbatur instit.de leg.§. §.sed & tale,bis uerbis: Sed & tale legatũ ualet, Damnas hæres meus esto domum illius reficere, uel illum ære alieno liberare. Aliud huius regulæ exemplum proponitur l.si seruus. 105.§.fin.ff.de leg.1.bis uerbis: Aufidius filio suo fideicommisit, ut certam pecuniam quatuor libertis suis mutuam daret, & usuras leuiores taxauerat.placuit,hoc fideicommissum utile totũ esse. Cõcordat l.fideicõmissa.11.§.si hæres. ff. de leg.3. cuius uerba uide ẽ. lib.prox.cap.9. caut.7. Aliud exemplũ est,si hæres emere uel uendere sit iussus. Quod proponitur l.etsi æquo.65.ff.de leg. 1.bis uerbis: Etsi æquo precio emere uel uendere iusserit hæredem suum testator,adhuc utile legatum est. quid enim,si legatarius, à quo emere fundum hæres iussus est, cũ ex necessitate eum fundum uenderet,nullum inueniret emptorem? uel ex diuerso, Quid si legatarij magis interesset eum fundũ emere, necaliter hæres uenditurus esset, quàm si testator iussisset? Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi impossibile sit id quod quis facere iussus est. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ.cap.6.except.1.item lib.32.cap.6.except.92. Secunda exceptio est: Nisi legibus interdictum sit id quod quis facere iussus est,aut alias probrosum.Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ.except. 92. Tertia exceptio est: Nisi ineptũ sit id quod quis facere iussus est. Hæc exceptio approbatur ẽ.lib.32. cap.6.except.90. Quarta exceptio est:Nisi id quod quis facere iussus est,solam authoritatem testatoris respiciat,non alterius utilitatem. Hæc exceptio approbatur certo modo l.Quintus.7.ff.de ann.leg.bis uerbis: Quintus Mutius ait, si quis in testaméto ita scripsit, Filij filiæq; meæ ibi sunto, ubi eos mater sua esse uolet:eisq; hæres meus in annos singulos, inq; pueros puellasq; singulas dãnas esto dare cibarij nomine aureos decem. Si tutores eam pecuniam dare no-

sunt ei, apud quem pueri atq; puellæ sunt: nihil est, quod ex testamento agere possit. nam ea res eò pertinet, ut tutores sciát quæ uolútas testatoris fuerit, uti possint eam pecuniam sine periculo dare. Pomponius: In testamentis quædam scribúntur, quæ ad authoritatem scribentis duntaxat referuntur, nec obligationem pariunt. hæc autem talia sunt, Si te hæredem solum instituam, & scribam uti monumentum mihi certa pecunia facias. nullam enim obligationé ea scriptura recipit, sed ad authoritaté meam conferendam poteris (si uelis) facere: aliter atq; si cohærede tibi dato, idem scripsero. nam siue te solum damnauero, uti monumentũ facias: cohæres tuus agere tecum poterit familiæ erciscundę, uti facias: quoniam interest illius. quin etiam si utriq; iussi estis hoc facere, inuicem actionẽ habebitis. Ad authoritatem scribentis hoc quoq; pertinet, cum quis iussit in municipio imagines poni. nã si non honoris municipij gratia id fecisset, sed sua: actio eo nomine nulli cõpetit. Itaq; hæc Quinti Mutij scriptura, Liberi mei ibi sunto, ubi eos mater sua esse uolet: nullam obligationẽ parit, sed ad authoritatem defuncti conseruandam pertinet, ut ubi iusserit, ibi sint. Nec tamen semper uoluntas eius aut iussus conseruari debet: ueluti si Prętor doctus sit, non expedire pupillũ eo morari, ubi mater iusserit, propter uitiũ quod pater fortè ignorauit in eis esse personis, apud quas morari iusit. Si autem pro cibarijs eorum in annos singulos aurei decem relicti sint: siue hoc sermone significantur, apud quos morari mater pupillos uoluerit: siue ita acceperimus hunc sermonẽ, ut ipsis filijs id legatum debeatur: utile erit. magis enim est, ut prouidentia filiorum fuorũ hoc fecisse uideatur. Et in omnibus, ubi authoritas sola testatoris est, neq; omnimodò spernenda, neq; omnimodò obseruãda est: sed interuentu iudicis hęc omnia debent (si nõ ad turpem causam referuntur) ad effectum perduci. *Ait iurisconsultus:* Ad authoritatem scribentis hoc quoq; pertinet, cum quis iussit in municipio imagines poni. nam si non honoris municipij gratia id fecisset, sed sua: actio eo nomine nulli cõpetit. *Ex hisce colligi potest exceptionis propositæ replicatio hæc: Nisi alterius quoq; interfit fieri. Cui concordat l. Lucius. 7. ff. de auro legato, his uerbis:* Lucius Titius testamẽto ita scripsit, Hæredem meum uolo, fideique eius committo, ut in patria mea faciat porticum publicam, in qua poni uolo imagines argenteas, item marmoreas. quæro, an legatum ualeat? Marcellus respondit, ualere: & operis cæterorumq; quæ ibi testator poni uoluerit, legatum ad patriam pertinere: intelligi enim aliquod inde ciuitati accedere ornamẽtum. *Quinta exceptio est: Nisi nudum sit præceptum sine causa, & in nullius utilitatem cautum. Hæc exceptio adfinis est præcedenti, & approbatur per ea quæ habentur ẽ. cap. prox. in prin. except. 1. Sexta exceptio est: Nisi quis aliquem iussus sit adoptare. Hæc exceptio approbatur l. uxorem. 59. ẽ. hæres. ff. de leg. 3. his uerbis:* Hæres uel legatarius rogatus est, ut quendam adoptaret, his uerbis adiectis: Si aliter fecerit, exhæres esto, uel perdito legatum. quæsitum est, si non adoptauerit, an actio quædam ex fideicommisso competat? Scæuola respondit, fideicommissum, quo quis rogatur ut adoptet, ratum non esse. *Septima exceptio est: Nisi quis filium suum emancipare iussus sit. Hæc exceptio approbatur l. filius famil. 111. ẽ. secundum uulgarem. ff. de leg. 1. his uerbis:* Secũdum uulgarem formã iuris, etsi liberos suos emancipare rogatus fuerit quis, nõ cogitur hoc facere. potestas enim patria inæstimabilis est. *Contradicit l. si cui. 90. ff. de cond. & demonst. his uerbis:* Si cui legatũ fuerit relictum, is q; rogatus fuerit liberos suos emancipare, an cogi debeat manumittere? Et retineo me dixisse, deficere eos à petitione fideicommissi: neque enim prætor fideicommissarios eos ad libertatem tuetur, ut seruos. Papinianum quoque libro nono Responsorum scribere referebam, non esse cogendum emancipare filios suos. Arbitror tamen extra ordinem debere constitui, cum qui agnouerit quod sibi relictum est hac contemplatione, ut liberos suos emanciparet, cogendum emancipare: neque enim debet circumueniri testantium uoluntas. sic deinde hoc accipiendum, quemadmodum si sub conditione liberorum emancipatorum ei fuisset legatum relictum, uel ita ut eos emanciparet. Cui rei consequens est, quod diuus Seuerus rescripsit. nam cum quædam mulier nepotes suos hæredes instituisset, & ipsum filium cohæredem filijs suis dedisset, eósque inuicem substituisset, rogasset q; filium, ut filios emanciparet, non autem rogasset, ut hæreditatem eis restitueret: ex authoritate diui Seueri emancipare eos compulsus est, hisq; restituere hæreditatem: & adiectum est, si id tardius faceret, quasi ex mora usuras præstaturum: uideri enim eum qui moram faceret emãcipationis, moram etiam restitutioni fideicommissi facere. *Octaua exceptio est: Nisi aliquem hæredem instituere iussus sit. Hæc exceptio tractatur d. l. 111. ẽ. ut quis hæredem. de qua re uide suprà lib. 32. cap. 5. except. 60. Nona exceptio est: Nisi quis iussus sit, ne testamentum faciat. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt ẽ. lib. 32. cap. 6. except. 74. distinct. 1. Decima exceptio est: Nisi quis iussus sit omnem substantiam defuncti*

functi loco depositi apud se habere. Hæc exceptio approbatur l. Lucius. 78. ẽ. Mæuia. ff. ad senatusc. Trebell. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 1. quæst. 1. reg. 21. Vndecima exceptio est: Nisi quis ædes destruere sit iussus. Hæc exceptio approbatur l. filiusfamiliãs. 111. ẽ. ædes. ff. de legatis 1. his uerbis: Ædes destruendæ neque legari, neque per fideicommissum relinqui possunt: & ita Senatus censuit. *Plura de hac re uide ẽ. lib. 32. cap. 5. except. 65. Duodecima exceptio est: Nisi debitor soluere iussus sit. Hæc exceptio approbatur l. cum pater. 79. ẽ. curatoris. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 8. reg. 3. except. 7. Decimatertia exceptio est: Nisi is qui facere iussus est, pecuniam dare malit, quã fieri possit. Hæc exceptio reprobatur l. fideicommissa. 11. ẽ. fin. ff. de leg. 3. his uerbis:* Si quis opus facere iussus, paratus sit pecuniam dare reipub. ut ipsa faciat, cũ testator per ipsum id fieri uoluerit, non audietur: & ita diuus Marcus rescripsit. *Decimaquarta exceptio est: Nisi cum aliquem artificium docere iussus esset, genus artificij non sit expressum. Reprobatur exceptio hæc l. Stichus. 12. ff. de leg. 3. cuius uerba uide ẽ. lib. prox. cap. 5. reg. 6. Decimaquinta exceptio est: Nisi cum quis aliquid facere iussus esset, locus nõ sit adiectus, in quo sit faciendum. Hæc exceptio reprobatur exemplo l. quæ conditio. 38. ẽ. fin. ff. de condition. & demonstr. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 9. causa 15. except. 11. Alias huiusmodi exceptiones uide ẽ. d. causa 15.*

II. QVID VENIAT IN HANC actionem ex facto legato competentem?

Prima regula: Si educare aliquem iussus sit, quid ueniat, definitur l. rogatus. 23. ff. de alimentis legatis, hisce uerbis: Rogatus es, ut quendã educes, ad uictum necessaria ei prętare cogẽdus es. Paulus: Cur plenius est ergo alimentorum legatum, ubi dictum est, & uestiarium & habitationẽ cõtineri? imò ambo exequãda sunt. *Secunda regula: Si quis signum Dei ponere iussus sit in templo, cuius materiæ signum faciendum sit, definitur l. Titia. 39. ẽ. fin. ff. de auro leg. his uerbis:* Seia testamento ita cauit: Si mihi per conditionem humanam contigerit, ipsa faciam: si minus autem, ab hęredibus meis fieri uolo: iubeóque signum Dei ex libris centum in illa sacra æde & in patria statui, cum subscriptione nominis mei. quæsitum est, cum in eo templo nõ nisi aut ærea, aut argẽtea sint dona: hæredes Seiæ utrũ ex auro, an argento signum ponere compellẽdi sint, an æreum? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, argenteum ponendum.

Tertia regula: Pecunia data non liberatur. de qua re uide paulò superius except. 13.

Quarta regula: Si, cum quis aliquid facere iussus esset, testator ipse postea partem eius fecerit: hæres uel legatarius facere iussus, reliquum quod superest faciendo liberatur. Quæ regula approbatur l. Lucius. 90. ẽ. quæ marito. ff. de legatis 2. his uerbis: Quæ marito hæres extiterat, ita testamento cauit, Mæui & Semproni dulcissimi filij, præcipitote omne, quidquid ex hæreditate bonisue Titij domini mei, patris uestri, ad me peruenit mortis eius tempore: ita tamen, ut omne onus eiusdẽ hæreditatis, tam in præteritũ, quàm in futurũ, necnõ etiam si quid post mortem Titij domini mei solui, agnoscatis. quæro, an si quid soluisset post mortem mariti (cùm ipsa fructus, quos percepisset, dedisset) ad onus eorũ pertineret? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerentur, ea duntaxat onera legatarijs imposuisse, quæ superessent.

¶ *Hactenus de speciebus legatorum sit dictum. Sanè de usufructu legato & seruitute dictum est ẽ. lib. 24. & lib. 25. De auro legato, penu legata, supellectile legata, & alijs pluribus dictum est ẽ. lib. prox. cap. 4. & sequente. Hactenus ergo de legatis & fideicommissis.*

DIGESTORVM LIBER TRICESIMVS QVINTVS:

DE DONATIONIBVS.

DE DEFINITIONE, AC DIUISIONIBUS donationis: necnon de eius effectibus. Cap. I.

PRIMO': *Definitio nominis proponitur l. senatus. 35. ẽ. donatio. ff. de mortis causa donationib. his uerbis:* Donatio dicta est à dono, quasi doni datio, tracta à Græco δώρον ἀπὸ τοῦ δίδωμι, id est, donum & donare.

II. DEFINITIO *rei proponitur l. donari. 29. ff. de donation. his uerbis:* Donari uidetur, quod nullo iure cogente conceditur. *Concordat iisdem uerbis l. donari. 83. ff. de reg. iuris. Sed & similis definitio proponitur l. cuius. 54. ff. de regul. iuris, hisce uerbis:* Cuius per errorẽ dati repetitio est, eius consultò dati donatio est.

III. GENVS.

Donatio non est bonæ fidei contractus. Quod approbatur l. eum qui. 22. in fine. ff. de donation. cuius uerba uide ẽ. cap. prox. quæst. 3. reg. 3. Sed est contractus nominatus, qui adiuuatur l. si quis argentũ. 35. ẽ. sed si quidem. C. de donationibus. cuius uerba uide inferius cap. prox. in prin.

IIII. DIVISIO *donationis proponitur instit. de donationib. in prin. his uerbis:* Donationum duo

sunt genera: mortis causa,& nō mortis causa. *Concordat l.1.ff.eod.tt.his uerbis*: Donationes complures sunt. Dat aliquis ea mente, ut statim uelit accipiētis fieri, nec ullo casu ad se reuerti: & propter nullam aliam causam facit,quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat. hæc propriè donatio appellatur. Dat aliquis,ut tunc demum accipientis fiat,cum aliquid secutū fuerit.hæc non propriè donatio appellatur, sed totum hoc donatio sub conditione est. Item cum ipse ea mente dat, ut statim quidem fiat accipiētis: si tamen aliquid factum fuerit,aut non fuerit, ueluti si, cum conualuerit, uelit id ad se reuerti: hęc non propriè dicitur donatio.sed totum hoc donatio dicitur,quæ sub conditione resoluitur,qualis est mortis causa donatio. Igitur cum dicimus, inter sponsum & sponsam donationem ualere: propria appellatione utimur, & factū demonstramus, quod ab eo proficiscitur, qui liberalitatis gratia aliquid dat, ut confestim faciat accipientis,nec unquam ullo facto ad se reuerti uelit. cum uerò dicimus, Si hac mente donat sponsus sponsæ, ut nuptijs non secutis species auferatur,posse repeti: non contrarium priori dicimus,sed concedimus inter eas personas fieri donationem eam quæ sub conditione soluitur. *Hisce uerbis donatio diuidi tur in propriam & impropriam. Propriam donationem dicit iurisconsulus, cùm ea mente datur, ut res statim fiat accipientis,nec donans eam uelit aliquo casu ad se reuerti: impropriam autem, cum sub conditione donatur, aut purè quidem donatur,sed ita ut sub certa conditione donatio resoluatur. Huius posterioris generis duas species proponit, mortis causa donationem, & donationem ante seu propter nuptias dictā.de mortis causa donatione ff.dicetur: de donatione ante seu propter nuptias dictum ff.lib.25.cap.11. Ait iurisconsultus*: Cum dicimus, inter spōsum & sponsam donationem ualere, propria appellatione utimur. *De hac re dicetur inferius capite 8. except.1.*

V. EFFECTVS DONATIONIS.

Effectus donationis sunt triplices. Datur enim ex donatione primùm actio donatario aduersus donatorem. Deinde ex donatione datur actio donatori aduersus donatarium.Postremò ratione donationis interdum datur actio tertio aduersus donatorem uel donatarium. Primi generis est, actio ad rem donatā tradendam, de qua ff.cap.prox.dicetur. Est item huius generis actio de dolo,re donata,in quā donatarius sumptus fecit,euicta. Quæ actio approbatur l.Aristo.18.§.fin.ff.de donationibus, his uerbis: Labeo ait, si quis mihi rem alienam donauerit,inq; eam magnos sumptus fecero, si ea mihi euincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere: & planè de dolo posse me aduersus eum habere actionem, si dolo fecit. *Secundi generis effectus primus est, actio quæ datur donatori ad reuocandam donationem: de qua ff. Secundus huius generis effectus est, actio qua donator donatarium ad obsequium placitorum compellit. Quæ actio proponitur & approbatur l.legem.9.C.de donationibus, his uerbis*: Legem quam rebus tuis donando dixisti, siue stipulatione tibi prospexisti, ex stipulatu: siue non, incerti iudicio, id est, præscriptis uerbis, apud Præsidem prouinciæ debes agere,ut hanc impleri prouideat. *Concordat l.cùm res.22.C.eod.tt.his uerbis*: Cum res filio emancipato ea conditione,ut creditoribus tuis solueret, te donasse proponas: si stipulatione, uel in continenti habito pacto huic rei prospexisti, creditoribus quidem non cōtra eum ex placito uestro,sed aduersus te competit actio. Eum autem, cui prædia certa lege donasti, incerti ciuili actione ad placitorum obsequium urgeri secundū legem donationibus dictam conuenit. *Concordat item l.hæred.28. ff. de donationibus, his uerbis*: Hæreditatem pater sibi relictā filiæ sui iuris effectæ donauit. creditoribus hæreditarijs filia satisfacere debet: uel si hoc minimè faciat,& creditores contra patrem ueniant, cogendam eam per actionē præscriptis uerbis patrem aduersus eos defendere. *Concordat deniq; l.si donationis.3.in fin.C.de contrah.emption.his uerbis*: Si in possessionem rei sub specie uenditionis causa donationis, ut te alieret, induxisti: sicut perfecta donatio facilè rescindi non potest,ita legi quam rebus tuis donans dixisti, parēre conuenit. *Propositi effectus exceptio hæc est: Nisi illegitimū sit id quod in donatione cōuenit. Hæc exceptio approbatur l.donatio.25.in prin.C.de donat. his uerbis*: Donatio, siue directa sit, siue mortis causa instituta, siue cōditione faciendi aut nō faciēdi suspēsa, siue ex aliquo notato tēpore promissa,sīue animo dantiū accipientiúmue sentētijs (quantū ius sinit) cognominata: sub hac fieri debet obseruatione,ut quas leges indulgent actiones,cōditiones pactionesq;,cōtineat: hisq; penitus cognitis, uel recipiātur, si cōplacitæ sint: uel reijciantur,si sunt molestæ. *Sed & approbatur exemplo l.2.C.ne fiscus uel respub.pro curat.cuius uerba uide ff.lib.5.cap.6.qu.est. 4.except.15. Sed plura de propositæ actione uide alibi in actione Præscriptis uerbis: item ff. capite 3.in prin. Tertius secundi generis effectus est,actio immodicæ donationis actis nō insinuatæ. Quæ approbatur l.ut mihi.21.ibi:sed ego.ff.de donationib.de qua ff.dicetur cap. prox.except.30. Tertij atq; postremi generis effectus sunt, primus quidem, actio inofficiosæ donationis de qua ff. Secundus huius generis effectus est, actio mandati eius qui rem suam mandatu donatoris donatario dedit. Quæ actio approbatur simul & distinguitur l.hoc iure.19.§.si quis dederit. ff. de donationibus, his uer-*

bis uerbis: Si mandauero tibi,ut tuam pecuniam Titio des, cui donare uolebam, & tu ignorans me mortuum hoc feceris,habebis aduersus meos hæredes mādati actionem: si sciens,non habebis. *Tertius huius postremi generis effectus uidetur esse,quòd creditores donatoris aduersus donatarium suas actiones exercere possint,iuxta l.ex qua persona.192.ff.de regulis iuris. Verùm hic effectus reprobatur l.æris.15.C.de don.his uerbis*: Aeris alieni,quod ex hæreditaria causa uenit, non eius qui donationis titulo possidet,sed totius iuris successoris onus est. Si itaq; nemini obligata prædia per donationem consecuta es, supernacuā geris solicitudinem, ne uel hæredes donatricis,uel eius creditores te iure possint conuenire. *Concordat l.cum res.22.ibi:creditorib.quidem.C.eod.tt. cuius uerba uide paulò ante §.secundi generis effectu 2. Concordat item l.si patri.24.C.eod.tt.his uerbis*: Si patri tuo hęres non extitisti, ex facta ab eo liberalitate titulo donationis non posse iura tua lædi, manifestissimi iuris est. *Planè si res donata à donatore pignori fuit obligata,eius nomine in donatariū,qui pignus possidet, actio hypothecaria non est deneganda. quæ distinctio approbatur l.ult.§.Lucius,in fine.ff. de donationibus, cuius uerba uide ff.except.32. Sed & elici potest hæc distinctio ex uerbis paulò ante propositis hisce*: Si itaque nemini obligata prædia per donationem consecuta es. *In summa, actiones reales donatarius rei donatæ nomine competentes, quemadmodum alius quilibet possessor cogitur sustinere.*

DE ACTIONE DONATARIJ AD REM DONATAM TRADENDAM. CAP. II.

I. CAVSA HVIVS actionis.

Si dicui res aliqua sit donata, quæ causa approbatur l.si quis argentum.35.§.sed si quidem. C.de donationibus,*his uerbis*: Si quidem ususfructus fuerit à donatore retentus, & traditionem iure intelligi fieri: si autem hoc minimè donator expresserit, si quidem stipulatio donationi inserta sit, ex eius authoritate traditionem compelli fieri: sin uerò & hoc prætermissum sit, & usumfructum minimè detinuerit, nihilominus ex lege nostra necessitaté ei imponi, etiá tradere hoc quod donare existimauerit: ut non ex hoc inutilis sit donatio, quòd res non traditæ sunt, nec confirmetur ex traditione donatio: sed liberalitatem plenam, & secundum legem nostram perfectissimam constitutam,necessarius traditionis effectus sequatur, & necessitaté habeat donator omnimodò uel res, uel partem substantiæ quam donauerit, uel totam substantiam tradere. cùm enim in arbitrio cuiuscunque sit, hoc facere quod instituit, oportet eum uel minimè ad hoc prosilire: uel cum ad hoc uenire properauerit, non quibusdam excogitatis artibus suum propositum defraudare,tantamq; indeuotionem quibusdam quasi legitimis protegere uelamentis. Tantóque magis hæc firma esse,si pijs actibus uel religiosis personis donatio deputata sit, monumentorum obseruatione in his modis, secūdum quod specialiter à nobis in huiusmodi casibus prædictum est, obseruanda, ne in præfatis causis ex quibusdam machinationibus nō solùm indeuotus, sed etiam impius donator intelligatur: pœnasq; non solùm legitimas, sed etiam cœlestes expectet: resq; donatas in omnibus suprascriptis casibus non solùm eos dum supersunt,sed etiam eorum successores reddere compelli, non tantùm ijs in quos donatio facta est, sed etiam eorum hæredibus. *Hisce uerbis causa actionis propositæ approbatur, cuius causæ exceptiones plures sunt pro uarietate circumstantiarum, personæ scilicet donantis, & eius cui donatum est, rei donatæ, causæ, modi, &c. de quibus exceptionibus ordine nunc dispiciendum, & primùm de ijs quæ sumuntur ex persona donantis.*

1. Exceptio: Nisi *filiusfamiliās donauerit. Hæc exceptio approbatur l.filiusfam.7.in prin. ff. de donationibus, his uerbis*: Filiusfamiliās donare non potest, neque si liberam peculij administrationem habeat: non enim ad hoc ei conceditur libera peculij administratio, ut perdat. *Concordat l.contra iuris.28.§.si filius.ibi:nam cum uerum. ff.de pactis. cuius uerba uide ff.lib.37.cap. 5.replic.3. Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: Nisi *iustam donandi rationem habeat. Hæc replicatio approbatur d.l.7.§.1.his uerbis*: Quid ergo, si iusta ratione motus donet, nunquid possit dici locum esse donationi? quod magis probabitur. *Secunda replicatio est*: Nisi *libera peculij administratione concessa, hoc adiectum sit, ut & donare ei liceat. Hæc replicatio approbatur d.l.7.§.item uidemus,his uerbis*: Videamus, si quis filiofamiliās liberā peculij administrationē cōcesserit, ut etiam nominatim adiecerit, sic se ei concedere, ut donare quoque possit, an locum habeat donatio? Et non dubitat Vlpianus, donare quoque eum posse. *Tertia replicatio est*: Nisi *filiusfamiliās aliqua dignitate sit præditus. Hæc replicatio approbatur d.l.7.§.nonnunquam, his uerbis*: Nonnúquam etiam ex persona poterit hoc colligi. pone eum filium esse senatoriæ,uel cuiusuis alterius dignitatis: quare non dicas uideri patrem (nisi ei specialiter donandi facultatem ademerit) hoc quoque concessisse, dum liberam ei dat peculij administrationē? *Quarta replicatio est*: Nisi *mortis causa filius donauerit. Hæc replicatio reprobatur d.l.7.§.*

pari autem, his uerbis: Pari ratione, qua donare filiusfamiliâs prohibetur, etiam mortis causa donare prohibetur. quamuis enim ex patris uoluntate mortis quoque causa donare possit: attamen cum cessat uoluntas, inhibetur hæc quoque donatio. Sed enim meminisse oportebit, si cui donare quoq; permissum est (nisi specialiter etiam mortis causa donare fuerit permissum) non posse causa mortis donare. *Quinta replicatio est*: Nisi filiusfamiliâs rem castrensis, uel quasi castrensis peculij donauerit. *Hæc replicatio approbatur d.l.7.§.fin. his uerbis*: Hæc omnia locum habebunt in paganis: cæterùm qui habent castrense peculium, uel quasi castrense, in ea conditione sunt, ut donare & mortis causa, & non mortis causa possint, cũ testamenti factionẽ habeant. *Sexta replicatio est*: Nisi uolente & cõsentiente patre, filius donauerit. *Hæc replicatio approbatur l.in ædib.9.§.penult.ff.de donationib. his uerbis*: Quod filiusfamiliâs patris iussu aut uoluntate donauit, perinde est, ac si pater ipse donauerit, aut si mea uoluntate rem meam tuo nomine Titio dones. *Concordat l.2.in princip.ff.eod.tt.his uerbis*: Si, cum filiusfamiliâs pecuniã donare uellet, patris iussu eam promiserit: ualet donatio perinde, ac si fideiussorem dedisset. *Huius replicationis duplicatio hæc est*: Nisi cum pater donare permisisset, filius mortis causa donauerit. *Hæc duplicatio approbatur l. filiusfamil.7.§.pari autem. ibi: sed enim meminisse. ff. de donationibus. cuius uerba uide paulò superius replicat.4.*

II. Exceptio: Nisi mutus aut surdus donauerit. *Hæc exceptio reprobatur l.qui id.34.§.mutus.ff.de donat. his uerbis*: Mutus & surdus donare non prohibentur.

III. Exceptio: Nisi mente captus donauerit. *Hæc exceptio approbatur l.Modest.23.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis*: Modestinus respondit, mente captum donare non posse.

IIII. Exceptio: Nisi senex donauerit. *Hæc exceptio reprobatur l.senectus.16.C.de donationib. his uerbis*: Senectus ad donationem faciendam sola non est impedimento.

V. Exceptio: Nisi donator crimen capitale commiserit. *Hæc exceptio reprobatur l.post contr.15.ff. de donationib.his uerbis*: Post contractum capitale crimen donationes factæ ualent ex cõstitutione diuorum Seueri & Antonini, nisi condemnatio secuta sit. *Per hæc uerba posteriora*, Nisi condemnatio secuta sit: *prima distinctio, qua exceptio admittitur, proposita est. Altera distinctio est*: Nisi crimen sit perduellionis. *quæ distinctio approbatur l.donationes.32.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis*: Perfectæ donationes esse non possunt post crimen perduellionis cõtractum, cum hæredes quoque teneat, etsi nondum postulatus de uita decesserit.

VI. Exceptio: Nisi parens filio, quem habet in potestate, donauerit. *Hæc exceptio approbatur l.fuse.17.in fin.C.de donat. cuius uerba uide paulò ỹ.replic.u. Concordat l.cum de.11.C.eod.tt.his uerbis*: Cum de bonis tuis partem quidem penes te retinuisse, partem uerò in eum quem in potestate habes, donationis titulo contulisse commemores: non est incerti iuris, in eum qui in sacris familiæ tuæ remanet, destinationem magis paternæ uoluntatis factam, quàm perfectam donationem peruenisse. Delegationes autem nominum in emancipatum collatæ, perfectam donationem actione efficiunt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est*: Nisi pater postea filium emancipans, peculium ei non ademerit. *Hæc replicatio approbatur l.donationes.32.§. pater.ff. de donation. his uerbis*: Pater qui filiæ, quam habuit in potestate, mancipia donauit, & peculium emancipatæ non ademit, ex pòst facto donationem uidetur perfecisse. *Concordat l.fuse.17.C.eod.tt.his uerbis*: Siue emancipatis filijs res donasti, siue in potestate constitutis, & sui iuris effectis, ac tenentibus non ademisti: blandiri tibi non debes, ueluti res donatas ex pœnitentia liceat auferre. Sanè si ea quæ in tua positis potestate donaueras, post emancipationẽ cõtra tuam tenuerunt uoluntatem: horum penes te dominium remansit: siquidẽ nec tempore quo uoluisti, propter uinculum potestatis sibi quidquam quærere, nec pòst inuito te de rebus tuis potuerunt. *Secunda replicatio est*: Nisi, *cum partem bonorum parens filio donasset, emancipato nomina delegauerit. Hæc replicatio approbatur l.cum de bonis.11.in fine. C.eod.tt. cuius uerba uide paulò ỹ.ead.except.in prin. Tertia replicatio est*: Nisi parens donator in eadem uoluntate usq; ad mortem perseuerauit. *quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l.donationes.25. C.de donat.inter uirũ & uxorem. cuius uerba uide ỹ.cap.8.except.39.repl.19.*

VII. Exceptio: Nisi maritus uxori, uel contrà uxor marito donauerit. *De hac except ỹ.dicetur d.cap.8.*

VIII. Exceptio: Nisi meretrici donatum sit. *Hæc exceptio reprobatur l.affectionis.5.ff.de donationibus, his uerbis*: Affectionis gratia neq; honestæ, neq; inhonestæ donationes sunt prohibitę: honestæ erga bene merẽtes amicos uel necessarios, inhonestæ circa meretrices.

IX. Exceptio: Nisi reipubl.donatum sit. *Hæc exceptio reprobatur, certa tamen conditione, l.hoc iure. 19.in prin.ff.de donationib. his uerbis*: Hoc iure uti mur, ut in rebus publicis, cũ de donatione quæritur, illud solùm spectetur, utrum ob causam aliquam iustam reipub. promittat quis, uel polliceatur, an non: ut si ob honorem aliquem promittat, teneatur: si minus, non. *De hac re plura uide ŝ.lib.12.cap.8.*

X. Exceptio: Nisi extraneo & ignoto sit donatum. *Hæc exceptio reprobatur l.in extraneos.29. C.de donationib.*

bis uerbis: In extraneos, & sæpe ignotos donationẽ collatã ualere, receptum est.

XI. Exceptio: Nisi infanti donatum sit. *Et hæc exceptio reprobatur l.donatarum.3. C.de acquirend. poss: ŝ. cuius uerba uide ŝ.lib.12.cap.2. except.6.in fine. iure autem antiquo non nisi per seruum uel tutorẽ infanti adquirebatur res donata, etiaq; possessio: de qua re uide d.except.6.*

XII. Exceptio: Nisi nolenti & inuito donetur. *Hæc exceptio approbatur l.hoc iure.19.§.non potest. ff.de donat. bis uerbis*: Non potest liberalitas nolenti adquiri. *Concordat l.inuito.70. ff.de regulis iuris, his uerbis*: Inuito beneficium non datur. *Item cõcordat l.inuitus.198.§.fin. ff.eod.tt.bis uerbis*: Quod cuique præstatur, inuito non tribuitur.

XIII. Exceptio: Nisi absenti donatum sit uel per epistolam, aut per nuncium. *Hæc exceptio reprobatur l.nec ambigi.6.C.de don. his uerbis*: Nec ambigi oportet, donationes etiam inter absentes, maximè si ex uoluntate donantiũ possessionem hi, quibus res donata est, nanciscantur, ualidas esse. *Concordat l.absenti.10.ff.eod.tt. bis uerbis*: Absenti, siue mittas qui ferat, siue quod ipse apud se habeat, sibi habere eum iubeas, donari rectè potest. Sed si nesciat, rem quæ apud se est, sibi esse donatam, uel missam sibi non acceperit: donatæ rei dominus non sit, etiamsi per seruum eius cui donabatur, missa fuerit: nisi ea mente seruo eius data fuerit, ut statim eius fiat. *Concordat item l.etiam.4.ff.de donationibus, his uerbis*: Etiam per interpositam personam donatio consummari potest.

XIIII. Exceptio: Nisi ei qui iam mortuus est, ab ignorante sit donatum. *Quæ exceptio approbatur l. Neratius.151.ff.de reg.iuris, his uerbis*: Neratius, &c.

XV. Exceptio: Nisi res donata non fiat donatarij. *Hæc exceptio approbatur l.in ædib.9.§.fin. ff. de donat.bis uerbis*: Donari non potest, nisi id quod eius fit, cui donatur. *Huius exemplum proponitur l.si filius.14.C.eod.tt.bis uerbis*: Si filius tuus res ad te pertinentes sponsæ suæ te non cõsentiente donauit: ad eam, quod nõ habuit, transferre non potuit. *Concordat item l.sed & si.15.§.fin.ff. de contrab.empt. cuius uerba uide ŝ.lib. 21.cap.4.causa 1.except.1.repl.1.dupl.2. Cõcordat item l.tutor.21.in fine.ff.de administr.tutor.bis uerbis*: Donationes à tutore factę, pupillo non nocent. *Planè leges propositæ magis de transferendo dominio loquũtur, quàm de exceptione aduersus actionẽ propositam. Nec enim, quamuis nõ transferatur dominium in donatorem, ob id donator exceptione uidetur esse tutus, si ad rem donatam tradendam conueniatur, secundum ea quæ proponentur paulò inferius except.23.*

XVI. Exceptio: Nisi quis res à maioribus adquisitas extero donauerit. *Hæc exceptio reprobatur l.si auia.19.C.de donationibus, his uerbis*: Si auia uestra propitias res, quacunque ratione factas, titulo liberalitatis in eum, cõtra quem preces funditis, contulit: quo minus hæc ratæ manent, quòd ex origine patris uel aui uestri descendunt, nihil prodest.

XVII. Exceptio: Nisi quis rem sibi cum alio communem donauerit. *Hæc exceptio reprobatur l.portionem.12.C.de donationib.his uerbis*: Portionẽ propriam, rebus necdum diuisis, nemo prohibetur titulo donationis in alium transferre.

XVIII. Exceptio: Nisi uxor dotem cõstante matrimonio donauerit. *Hæc exceptio approbatur l.constante.21. C.eod.tt. his uerbis*: Constante matrimonio dotem penes maritum suum constitutam alia tua donare tibi non potuit.

XVIII. Exceptio: Nisi res incorporalis donetur. *Hæc exceptio reprobatur l.in ædib.9.in prin. ff. de donat.cuius uerba uide ỹ.prox.*

XIX. Exceptio: Nisi habitatio sit donata. *Hæc exceptio reprobatur d.l.9.in prin.bis uerbis*: In ædibus alienis habitare gratis, donatio uidetur: id enim ipsum capere uidetur, qui habitat, quòd mercedem pro habitatione non soluit. Potest enim & citra corporis donationem ualere donatio: ueluti, si donationis causa cum debitore meo paciscar, ne ante certum tempus ab eo petam. *Concordat l.si gratuitam.17.in prin. ff. de præscriptis uerbis. ubi Vlpianus*: Si gratuitam tibi habitationem dedero (*inquit*) an commodati agere possim? & Viuianus ait, posse: sed est tutius, præscriptis uerbis agere. *Concordat item l.Attilius.27.ff.de donationibus, his uerbis*: Attilius Regulus iuuenis ad Nicostratum præceptorẽ ita scripsit: Quoniam & cum patre meo semper fuisti, & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidisti, dono & permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoq; uti. defuncto Regulo, controuersiam habitationis patiebatur Nicostratus: & cum de ea mecum contulisset, dixi posse defendi, non meram donationẽ esse, uerùm officium magistri quadam mercede remuneratum Regulum: ideoq; non uideri donationem sequentis temporis irritam esse. Quòd si expulsus Nicostratus ueniat ad iudicem, ad exemplum interdicti quod fructuario proponitur, defendendus erit, quasi loco possessoris cõstitutus, qui usum cœnaculi acceperit. *Contradicit huic l.Lucius.33.ff.eod.tt.bis uerbis*: Lucius Titius epistolam talem misit: Ille illi salutem. Hospitio illo, quamdiu nolueris, utaris superioribus diætis, & his omnibus gratuitò, idq; te ex uoluntate mea facere hac epistola notum tibi facio. quæro, an hæredes eius habitationem prohibere possint? Scæuola respondit, secundum ea quæ proponerẽtur, hæredes eius posse mutare uoluntatem. *De hac antinomia uide gloss.in d.l.27.in uerbis sequentis temporis.*

XX. Exceptio: *Nisi quis spem futuræ hæreditatis donauerit. Hæc exceptio approbatur l.quidam.30. §.fin.cum l.sequente.ff.de donationib.cuius uerba uide ff.lib.32.cap.9.causa 25.*

XXI. Exceptio: *Nisi quis uniuersa bona sua donauerit. Hæc exceptio reprobatur l.si quis argentum. 35.§.sed etsi quis. C.de donationibus, hisce uerbis:* Etsi quis uniuersitatis faciat donationem,siue dimidiæ partis suæ substantiæ, siue tertiæ, siue quartæ,siue quantæcunq;,uel etiam totius:si non de inofficiosis donationibus ratio in hoc reclamauerit, coartari donatorẽ legis nostræ authoritate tantum, quantum donauit, præstare: obseruatione & hic monumentorum, secundum quod iam sanximus,omnimodò requirenda. *Hisce uerbis exceptio proposita reprobatur,quamuis opinione doctorum approbetur hac ratione,quasi per uniuersalem donationem tollatur libera testamenti factio.*

XXII. Exceptio: *Nisi non donandi animo fecerit. Hæc exceptio approbatur l.si præses.8.C.de donationibus, his uerbis:* Si præses prouinciæ non donandi uoluntate filiorum tuorum nomine prædia in centum detulisse te manifestis probationibus cognouerit, quod fides ueri suggerit,id statuet.

XXIII. Exceptio: *Nisi in fraudem alterius donauerit. Hæc exceptio reprobatur l.cum confitearis. 4.C.de reuocandis donationibus, his uerbis:* Cum confitearis te in fraudem alterius donasse, professionem inhonestam cõtinere intelligisitaq; si donationẽ perfeciſti,eam reuocare non potes ex memorata allegatione subobtentu pœnitentiæ.

XXIIII. Exceptio: *Nisi in breui epistola sit donatum. Hæc exceptio reprobatur l.si aliquid.13.C. de donationibus,his uerbis:* Si aliquid per epistolam donatum tibi probetur, breuitas chartulæ donationi, si hæc rectè facta probetur, nihil quidquam derogat.

XXV. Exceptio: *Nisi mulier marito & liberis absentibus dicui donauerit. Hæc exceptio reprobatur l.uelles.6.C.de reuocandis donationibus,his uerbis:* Velles nécne filio tuo prædia, itemq; mancipia donare,fuit initio tibi liberum.desine itaq; postulare, ut donatio quam perfeceras,reuocetur prętextu mariti ac liberorum absentiæ, cum huius firmitas ipsorum præsentia non indigeat.

XXVI. Exceptio: *Nisi imperfecta sit donatio, uel uerba insint superflua. Hæc exceptio ut per se uera est, ita recipit replicationem hanc: Nisi uerba quædam superflua, quæ olim inseri solebant donationibus, sint omissa: ob id enim non uiciatur donatio. Quæ replicatio approbatur simul & declaratur l.uerba.37.C. de donationibus,his uerbis:* Verba superflua,quæ in donationibus poni solebant, id est,sesterius numi unius asium quatuor,penitus esse reijcienda censemus, quid enim uerbis opus est, quæ rerum effectus nullus sequitur? Sancimus itaq;, nullo modo eorũ uerborum mentionem uel in imperialibus donationibus, uel in alijs omnibus decæterò fieri:sed etsi quisquam per uerbo sitatem aliquid tale inscripserit siue remiserit, nulla differentia sit.

XXVII. Exceptio: *Nisi sine scriptura facta sit donatio. Hæc exceptio reprobatur l.in extraneos.19. in fine.C.de donationib. his uerbis:* Etsi sine scripto donatum quid fuerit, adhibitis alijs idoneis documentis, hoc quod geritur cõprobetur. *Concordat l.in donationibus.31.in fine.C. eod.tt.his uerbis:* Donationibus quæ sine scriptis conficiuntur, suam firmitatem habentibus, secundum constitutionem Theodosij & Valentiniani ad Hierium præfectum prætorio promulgatam.

XXVIII. Exceptio: *Nisi nullis adhibitis testib. donatio sit cõscripta, uel à testibus nõ subscripta. Hæc exceptio reprobatur d.l.31.his uerbis:* In donationibus,quæ actis insinuantur, non esse necessarium iudicamus uicinos uel alios testes adhiberi. nam superfluum est priuatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant.Verùm & illas donationes,quas gestis non est necessariũ alligari, si forte per tabellionẽ uel alium scribantur, & sine testiũ subnotatione ualere præcipimus: ita tamẽ, si ipse donator uel alius uoluntate eius secũdum solitam obseruationem subscripsit.

XXIX. Exceptio: *Nisi donator instrumento donationis non subscripsit. Hæc exceptio approbatur uerbis iam dictis hisce:* Ita tamen, si ipse donator uel alius uoluntate eius secundum solitam obseruationem subscripsit. *Concordat l.nec ign.10.C.eod.tt. his uerbis:* Nec ignorás,nec inuitus quisquam donat. Vnde si de hoc fundo non cogitasti, cuius uelut donationi consensisse te continetur instrumento: maiores ueritate rei quàm scriptura uires obtinente: intelligis, de quo non cogitasti, nec specialiter subscripsisti, nihil te perdidisse. *Huius exceptionis replicatio hæc est: Nisi alius uoluntate testatoris subscripserit. Hæc replicatio approbatur uerbis supradictis hisce:* Vel alius uoluntate eius. *Concordat l.uice.20.C.eod.tt.his uerbis:* Vice do natricis alio uoluntate eius subscribẽte, iure facta donatio non habetur irrita.

XXX. Exceptio: *Nisi cum donatio esset immodica,actis non sit insinuata. Hæc exceptio approbatur l.donatio.25.in fine.C.de donat.his uerbis:* In conscribendis donationibus nomẽ donatoris, ius acrẽ notari oportet:neq; id occultè aut priuatim,sed aut tabula,aut quodcunq; aliud materiæ genus dabit tẽpus. uel ab ipso, uel ab eo quem fors ministrauerit præscribatur: actis etiam adnectẽdis,quæ apud iudicẽ uel magistratus cõficiẽda sunt, ubi hoc leges

leges expostulent. *Concordat l.lata.27.C.eod.tt. cuius uerba proponentur j.cad.except.repl.6. Concordat item l.si quis argẽtũ.35.§.sed in his omnibus.C. eod.tt.his uerbis:* In his omnibus,siquidem intra legitimam summam donatio fiat, nulla monumenta requirantur: sin autẽ amplioris summæ, tunc ad acta publica decurratur. *Quæ autem immodica sit donatio insinuationem requirens,uariè definitur. iure quidem antiquissimo erat donatio ducentos excedens solidos.Inst.de donationib.§.& cum retrò principum.quod ius Imperator Iustinianus corrigens,statuit eam donationem insinuatione indigere, quæ trecentos solidos excedat, l.sancimus. 34.in prin. C.de donat. tandem idem Imperator hanc suam constitutionem mutans,pro trecẽtis solidis quingentos statuit, l.si quis.36. §.finali. C.de donationibus, his uerbis:* Cæteris etiam donationibus,quæ gestis interuenientibus minimè sunt insinuatæ, sine aliqua distinctione,quingentos usque ad solidos ualituris: hoc etenim tantummodò ad augendas huiusmodi donationes addendum esse ex præsenti lege decernimus, anteriore tempore nostra lege præcedente moderando,qua usque ad trecentos solidos factæ donationes & sine insinuatione firmitatem obtinere sunt iussæ. *Concordat Instit.de donationib.§.& cum retrò principum, his uerbis:* Cum retrò principum dispositiones insinuari donationes actis interuenientibus uolebant,si maiores ducentorum fuerant solidorum, constitutio nostra eam quantitatem usque ad quingẽtos solidos ampliauit, quam stare etiam sine insinuatione statuit. Et quasdam donationes inuenit,quę penitus insinuationem fieri minimè desiderãt,sed in se plenissimam habent firmitatem. *Hisce quæ hactenus proposita sunt, exceptio proposita partim approbatur, partim declaratur definitione immodicæ donationis exposita,partim etiam distinguitur. Nam prima propositæ exceptionis replicatio ex ijs quæ iam dicta sunt patet, hæc scilicet: Nisi donatio quingentorum solidorum quantitatem non excedat. tunc enim, quamuis actis insinuata non sit,nihilominus ualet. Cui concordat l.si quis argentum.35.§.sed in his omnibus.C.eod.tt. cuius uerba uide ff.ead.except.in prin. Item concordat l. sancimus.34.in prin.C.de donationib.his uerbis:* Sancimus,omnem donationem, siue communem,siue ante nuptias factam,usque ad trecentos solidos cumulatam,nõ indigere monumẽtis,sed communem formam habere: ut non usque ad ducentorum solidorum summam teneat,sed in huiusmodi obseruatione similes sint tam communes,quàm ante nuptias donationes. *Quod ait Imp.* Vsq; ad trecentos solidos: *id ab eo postea est mutatum in quingentos solidos:de quo paulò superius est dictum. Secundæ replicationis loco notandum, quòd quamuis donatio ultra quingentos solidos actis non insinuata non ualeat,illud tamen intelligendũ sit tantùm de summa quæ quingentos solidos excedat, in reliqua summa nihilominus donatione subsistẽte. quæ replicatio approbatur d.l.34.§.si quid autem,his uerbis:* Si quid supra legitimam definitionem fuerit donatũ, hoc quod superfluum est,tantummodò nõ ualere:reliquam uerò quantitatem,quæ intra legis terminos constituta est, in suo robore perdurare,quasi nullo penitus alio adiecto,sed hoc pro non scripto uel intellecto esse credatur. Exceptis donationibus tam imperialibus,quàm ijs quæ in causas piissimas procedunt: quarum imperiales quidẽ donationes meritò indignaẽ sub obseruatione monumẽtorum fieri, tam à retrò principibus quàm à nobis sancitum est, sed habere propriam maiestatem. Alias uerò,quæ ad pietatem respiciunt, usque ad quingentorum solidorum summam, & sine monumentis esse ualidas censemus. Insuper ante nuptias donationibus, quę in adultas minores sui iuris constitutas cuiuscunq; summæ procedunt, secundum ueterum legum scita, etsi non actis interuenientibus corroboratæ sunt,suam retinentibus firmitatem. Sin autem non in auro res donationis fuerint datæ,sed per tres mobiles uel immobiles uel se mouentes,quantitatem earum æstimari: & siquidem usque ad legitimam solidorum summam erigatur, ualidam eam & sine monumẽtis conseruari: sin autẽ amplioris summæ inueniatur, & minimè actis comprobata est,superfluum tantùm uacuari. Ne autem communione inducta donatori,& ei qui liberalitatem suscepit, aliqua oriatur cõtentio: electionem damus ei qui ampliorẽ summam in re donata habuerit, reliquam æstimationis quantitatem offerre ei qui minorem causam habuit,& totum possidere. Sin autẽ hoc minimè facere maluerit,tunc omnimodò res diuidi secundũ quantitatẽ utriq; parti competentẽ,si res diuidi sine suo periculo possibilis est. Sin aũt in huiusmodi casibus, in quibus partitio utiliter celebrari minimè potest, amplioris summæ dominus noluerit offerre æstimationem: tunc licebit etiam ei qui minoris summæ habet potestatem,offerre precium, & totum sibi uindicare. *Concordat replicationi propositæ Nouell.c.162. §.sed & illud, his uerbis:* Et illud constituere iussum duximus, ut siquidem initiò donationes apud actorum monumẽta insinuatæ fuerint, omnibus modis silentio confirmentur.si uerò insinuatæ non fuerint,transcendant aũt modũ qui insinuatione indigeat:ad eam dũtaxat quantitatem conualescant,quatenus uel sine insinuatione donationes firmas esse lege à nobis expressum est. hoc enim cum posterius

rius fancierimus, obtinere & ipsum uolumus, neque quod rectè se habere poterat, propter quantitatis appendicem intercidere: idq; etiam in generalibus iam donationibus lex nostra dicit. *Concordat l.ut mihi.21.§. sed ego.ibi:ita ut in reliquum. ff.de donationibus. cuius uerba uide ff.repl.15. Tertia replicatio est: Nisi plures res uel summæ diuersis temporib.donatæ,quingentos solidos excedant.quæ replicatio approbatur l.sancimus.34.§.si quis autem. C.de donationibus, his uerbis:* Si quis per diuersa tempora in eandem personam multas faciat liberalitates, quarum singulæ quidem legitimam quantitatē non excedunt,in unum autem cōpositæ & prædicto modo exaggeratæ redundare uidentur,& maioris esse quantitatis: non uideatur eas oportere in unum coadunare,& introducere modos,per quos non ualeant,& in irritum deuocētur:sed econtrariò & plures intelligantur, & singulæ secundum sui naturam obtineant, & monumētorum obseruatione non indigeant. Cum enim à ueteribus super hac re uariatum est,alijs multas,alijs unam esse definientibus:nobis causa placuithumanior,ut & multæ intelligantur, & omnes ualidæ: & ij qui liberalitates accipiunt, sciant ueros, non falsos suos esse donatores. *Quarta replicatio est: Nisi annuum quiddam sit donatum,ut unius aut alterius anni reditus non excedant legitimam quantitatem, plurium autem annorum reditus excedant. Hæc replicatio approbatur simul & distinguitur d.l.34. §.si quis autē,his uerbis:* Si quis talem recipit donationē,in qua stipulatus fuerit annuam quādam sibi præstari quantitatem tantæ summæ, quæ non excedat legitimum donationis modum:uariebatur,utrum eum ex particulari donatione multas fecisse donationes existimandū sit, & eas actis non indigere: an ex totius stipulationis fundamēto & fonte eius,ex quo annuæ donationes profluxerunt,& unam esse eam donationem putandum,& procul dubiò monumentorum obseruatione uallandam? quod ueteres quidē sat abundeq; uariauerunt.Nos autem certa diuisione cōcludimus, ut si huiusmodi quidē fuerit donatio, ut intra uitam personarum stet uel dantis,uel accipientis: & multę intelligantur donationes, & liberæ monumentorum obseruatione. Incertus autem fortunæ exitus hoc nobis suggessit, ut possibile sit unius anni tantummodò,uel breuioris, uel etiam ampliorıs temporis metas superuiuere, uel donatorē, uel eum qui donationem accepit,& ex hoc inueniri totam summam donationis non excedere legitimam quantitatem. Sin autem etiam hæredum ex utraque parte fuerit mentio,uel adijciatur tempus uitę uel donatoris,uel qui donationem accepit: tunc quasi perpetuata donatione, & continuatione eius magnam & opulentiorem eam efficiente, & una intelligatur, & quasi densioribus donationibus cumulata excedere legitimum modum, & omnimodò acta reposcete,& aliter minimè conualescere. *Quinta replicatio est: Nisi ante nuptias donatio sit. Hæc replicatio approbatur Nouell.c.119.in prin.de quo in antenuptiali donatione tractabitur. Sanè replicatio hæc olim specialis fuit in antenuptiali donatione facta fœminæ minori.d.l.34.§.insuper ante nuptias. C.de donationib. cuius uerba uide paulò superius repl.2. item l.mimorib.17.C.de donationib.ante nuptias. Tandem autem facta est proposita replicatio communis omnium ante nuptias donationum,per d.c.119.in prin. de qua re uide ē.lib.15.cap.21. quæst.4. reg.3.except.5. Sexta replicatio est: Nisi inter parentes & liberos facta sit immodica donatio. Hæc replicatio reprobatur l.l.ata.27.C.de donationib.his uerbis:* Lata iam pridem lege statuimus,ut donationes interueniente actorum testificatione conficiantur: quod uel maximè inter necessarias coniunctissimasq; personas cōuenit custodiri. Siquidem clandestinis ac domesticis fraudibus facilè quiduis pro negocij opportunitate confingi potest, uel id quod uerè gestum est aboleri. Cum igitur ne liberos quidem ac parētes lex nostra ab actorum confectione secernat,id quod necessariò super donationibus apud acta conficiendis iam pridem statuimus, uniuersos teneat:gesta autem confici super rebus etiā alibi collatis ubicunq; sufficit. *Septima replicatio est:Nisi in pias causas facta sit donatio. Hæc replicatio uidetur approbari l.sancimus.34. §.exceptis donationib.C.de donationibus.cuius uerba uide ē.repl.2. Verùm ibidem §.alias uerò,constituitur certa quantitas,scilicet quingentorum solidorum, intra quam donationes in pias causas sine monumentorum obseruatione fieri possint: quæ tamen quantitas tandem generaliter omnibus donationibus est concessa.de quo dictū ē.ead.except.in prin. Sanè declaratur replicatio proposita definitione piarum causarum l.illud.16.C.de sacrosanctis ecclesijs,his uerbis:* Illud quod ex ueteribus legibus,licet obscurè positis,à quibusdam attētabatur, ut donationes super pijs causis factæ,licet minus in actis intimatæ essent, tamē ualerēt:certo & dilucido iure taxamus,ut in alijs quidem casibus iura ueteraa super intimandis donationibus intacta maneant.si quis uerò donationes usque ad quingentos solidos in quibuscunq; rebus fecerit,uel in sanctā ecclesiam, uel in xenodochiū, uel in nosocomiū, uel in orphanotrophium,uel in ptochotrophium,uel in gerontocomium, uel in curotrophium, uel in brephotrophium,uel in ipsos pauperes, uel in quamcunque ciuitatem:istæ donationes etiam citra actorū cōfectiones cōualescant.

Sin

Sin uerò amplioris quantitatis donatio sit (excepta scilicet Imperiali donatione) non aliter ualeat, nisi actis intimata fuerit: nulli danda licentia, quacunq; alia causa, quasi pietatis iure subnixa, præter eas quas specialiter exposuimus,introducēda,ueterum scita super intimandis donationibus permutare. *Octaua replicatio est:Nisi in redemptionem captiuorum sit donatum. Hæc replicatio approbatur l.si quis.36.in princ. C.de donationibus, his uerbis:* Si quis pro redemptione captiuorum pecunias dederit, siue per cautionem dare promiserit cuiuscunq; quantitatis: cognoscat se neq; repetitionem habere, neq; exactionem cautionis posse declinare, utpote gestis (sicut in donationibus) non subsecutis super insinuatione eiusdem quantitatis: eo uidelicet, qui pecunias accepit, uel primauice, uel post cautionem necessitatem habente pijssimam administrationem adimplere,nulla ei molestia uel inquietudine inferenda uel ab eo qui pecunias præbuit, uel ab alijs ex legum authoritate permissis hoc requirere:sed tantummodò sacramentum præstare,quòd reuera omnem quantitatem sine dolo uel aliqua deminutione ad redemptionem dederit captiuorum. *Nona replicatio est:Nisi ijs donatum sit,quorum ædes incendio uel ruina sint consumptæ. Hæc replicatio approbatur d.l.36.§.eandem,his uerbis:* Eandem liberalitatem nostræ legis indulgemus etiam ijs, quorum incendio uel ruina domus corruptæ sunt, quibusdam fortè pecunias cuiuscunq; quantitatis præbentibus, uel cautionem conficientibus,ut & ipsi nec repetitionem timeant:uerùm etiam exactionem pecuniarum confessioni insertarū facere possunt,licet gesta non fuerint subsecuta : nulla eis licentia danda, pecunias ad alias causas,nisi ad refectionem domorum erogare. Quòd si aliqua dubitatio orta fuerit,utrum tota quantitas, an pars eius in ædificijs expensa sit, hoc domini domus sacramento dirimetur. *Decima replicatio est: Nisi magister militum militibus donauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.36. §.simili etiam, his uerbis:* Simili etiam modo à gestorum absoluimus ordinatione donationes rerum mobilium, uel sese mouentium , quas uir gloriosissimus magister militum fortissimis præstat militib.tam ex sua substantia, quàm ex spolijs hostium, siue in ipsa bellorū occupatione , siue in quibuscunq; locis degere noscuntur. *Vndecima replicatio est:Nisi imperator alicui donauerit.Hæc replicatio approbatur l.sancimus.34.§.exceptis donationibus.C.de donationib. cuius uerba uide ē.replic.2. Concordat l.illud.16. in fin. C.de sacrosanctis ecclesijs. cuius uerba uide ē.repl.7. Duodecima replicatio est: Nisi imperatori facta fit donatio. Hæc replicatio approbatur Nouell.c.52. §.enimuerò,his uerbis:* Et illud nobis huic adijcere legi uisum est, ut quemadmodū donationes à maiestate Imperatoria in alios collatæ actorum confectione non indigent, sed suapte natura firmitatem ac robur obtinent: ita neq; quæ à priuatis in maiestatem Imperatoriam fiunt (si modò reuera & seriò fiant absolutæ in foro à tabellione,& subscriptionem habentes donatoris ac testium , neque non reliquam obseruationem in conficiendis donationibus adhiberi solitam)actorum confectione indigeant ad quantamcunq; summam factæ.Neq; enim consentaneum fuerit, ut non ijsdem quoq; maiestas Imperatoria à priuatis potiatur,quæ ipsa concedit illis. Hæc autem inæqualitas ex innouatione extitit, quam Zenonis pientissimi principis introduxit constitutio , ne Imperiales scilicet donationes actis publicis opus haberent. Quia igitur simpliciter ea causa & defunctorie antea considerata fuit, propterea nos summam illi imponentes manum, utring; id tenere uolumus, tam in donationibus quæ ab Imperatore fiunt in priuatos, quàm quæ à priuatis conferuntur in maiestatem Imperatoriam , ut per hanc æquabilitatem causæ apponatur id quod iustū est. *Decimatertia replicatio est:Nisi usuræ futuri temporis à creditore remissæ & condonatæ sint. Hæc replicatio approbatur l.Modest. 23. ff. de donationibus, his uerbis:* Modestinus respondit , creditorem futuri temporis usuras & remittere & minuere pacto posse, nec in ea donatione ex summa quantitatis aliquid uitij incurrere. *Decimaquarta replicatio est : Nisi donator immodicæ donationis delegatus sit creditori eius cui donatum uoluit. hoc enim casu aduersus creditorem agentem non potest uti hac exceptione: sed potest uti actione aduersus donatarium,à quo est delegatus. Hæc replicatio approbatur l.purè.5.§.si eum.ff.de doli mali exceptione, his uerbis:* Si eum qui uolebat mihi donare supra legitimum modum, delegauero creditori meo:non poterit aduersus petentem uti exceptione,quoniam creditor suum repetet. In eadem causa est maritus: nec enim hic debet exceptione submoueri, qui suo nomine agit. Nunquid ergo nec de dolo mulieris excipiendum sit aduersus maritum qui dotem petit, non ducturus uxorem,nisi dotem accepisset:ubi iam diuerterit? Itaq; condictione tenetur debitor qui legauit, uel mulier, ut uel liberet debitorem: uel si soluit, ut pecunia ei reddatur. *Plura de hac replicatione uide ī. lib.48.cap.14.reg.7. Decimaquinta replicatio est : Nisi quis donaturus debitorem suum donatario delegauerit. hoc enim casu debitori delegato exceptio proposita non competit, ipsi tamen donatori deleganti cōdictio datur eius quod*

excedit modum legitimum. quæ replicatio approbatur l.ut mihi.21.ff.de donationibus,his uerbis: Vt mihi donares, creditori meo delegante me promisisti. factum ualet:ille enim suum recepit. Sed si debitorem meum tibi donationis immodicæ causa promittere iussi,an summouearis donationis immodicæ exceptione,nécne,tractabitur. Et meus quidem debitor exceptione te agentem repellere non potest: quia perinde est,quasi exactam à debitore meo summam tibi donauerim, & tu illam ei credideris. Sed ego,siquidem pecuniæ à debitore meo nondum solutæ sint, habeo aduersus debitorem meum rescissoriam in id quod supra legitimum modum tibi promisit, ita ut in reliquum tantummodò tibi maneat obligatus. Sin autem pecunias à debitore meo exegisti,in id quod modum legis excedit, contra te condictionem habeo. *Decimasexta replicatio est: Nisi fideiussor donatoris, eo nolente, proposita exceptione uelit uti: hoc enim casu,cum principalis renunciet exceptioni,nec eius fideiussori uidetur danda. Verùm replicatio hæc reprobatur l.fideiuss.24. ff.de donationibus, his uerbis*: Fideiussori eius qui donationis causa pecuniam supra legis modum promisit, exceptio dari debet etiam inuito reo: ne si fortè reus soluendo non fuerit, pecuniam fideiussor amittat. *Decimaseptima exceptio est: Nisi donatarius sciente donatore in loco donato ædificauerit, nec reddat donator impensas. Hæc replicatio approbatur l. purè. 5. §. si donaui. ff. de doli mali except. his uerbis*: Si donaui alicui rem, nec tradidero, & ille cui donaui, non tradita possessione, in eo loco ædificauerit me sciente, & cum ædificauerit, nactus sim ego eam possessionem, & petat à me rem donatam, & ego excipiam,quòd supra legitimum modum facta est:de dolo replicandum est. dolo enim feci: quia passus sum eum ædificare, & non reddo impensas. *Decimaoctaua replicatio est: Nisi donatio immodica actis sit insinuata. Hæc replicatio ut per se uera est, ita recipit duplicationem hanc: Nisi non suo loco seu apud suum magistratum sit insinuata. quæ duplicatio generaliter quidem reprobatur, cum non interfit apud quemcunq; magistratum insinuatio fiat, l.in hac.30. C.de donationibus. cuius hæc sunt uerba*: In hac sacratissima urbe conscriptę donationes ubicunq; positarum rerum apud magistrum census insinuentur. In alijs uerò ciuitatibus, siue absens, siue præsens Rector prouinciæ sit, siue eadem ciuitas habeat magistratus, siue non habeat, & defensor tantummodò sit: donator habeat liberam facultatem donationes rerum suarum ubicunq; positarum, siue apud moderatorem cuiuslibet prouincię,siue apud magistratum,siue apud defensorem cuiuscunque ciuitatis, prout maluerit publicare: atque utipsa donatio sita est in uoluntate donantis, ita ei liceat donationem suam apud quemcunque ex memoratis uoluerit intimare. Et hæ donationes, quæ in diuersis prouincijs & ciuitatibus apud quemlibet ex prædictis fuerint publicatæ, obtineant inconcussam & perpetuã firmitatem. *Concordat l.lata.27.in fin. C.eod.tt. cuius uerba uide §. replic.6. Ait Imper.Leo*:In hac sacratissima urbe conscriptę donationes ubicunq; positarum rerum apud magistrum census insinuentur. *Hisce uerbis casus proponitur, quo duplicatio proposita admittitur, scilicet si donatio in urbe Constantinopolitana sit facta. hoc enim casu, nisi apud magistrum census sit insinuata, tanquam non suo loco facta insinuatio non ualet. Huic concordat l.secundum.32.C.eod. tt. his uerbis*: Secundum diui Leonis constitutionem donationes apud uirum clarissimum, magistrum census tantummodò insinuari præcipimus, huiusmodi forma in illis instrumentis obseruanda,quæ in hac regia urbe confecta seu celebrata fuerint: nec concedi quenquam apud defensores seu magistratus aliarum ciuitatum, uel in alijs quibuslibet locis præter memoratum iudicium insinuare:sciẽtibus tam ijs qui ad huiusmodi insinuationem peruenerint, quàm qui eam susceperint,necnon tabellionibus, quicunq; testimonium suum non in competenti(ut dictum est)loco uel iudicio præbuerint, uicenarum librarum auri mulcta, & alia grauissima indignatione se feriendos. *Decimanona replicationis loco notandum, quòd fructus, partus & alia, quæ donator ob moram cum re donata præstat, donationem non augeant. quæ replicatio approbatur l.in ædib.9.§.ex rebus.& l.cum de donatione.11.ff.de donationib. de qua re uide §.eod. cap.quæst.3.reg.2. Vicesima replicatio est:Nisi mortis causa donatio facta sit. Hæc replicatio approbatur §. cap.6. except.10. Vicesimaprima replicatio est: Nisi donatio in ultima uoluntate sit confirmata. Approbatur hæc replic. l.donationis.25. §.si uerò specialiter.C.de donat.inter uir.& uxorem.cuius uerba uide §.cap.8.except.39.repl.19. Hactenus de tricesima exceptione,eiusq; replicationibus est dictum.*

XXXI. *Exceptio*: *Nisi donatorem donationis pœnituerit. Hæc exceptio reprobatur inst.de donationibus.§.aliæ autẽ,his uerbis*: Aliæ donationes sunt, quę sine ulla mortis cogitatione fiunt,quas Inter uiuos appellamus, quæ non omnino comparantur legatis: quæ si fuerint perfectæ,temerè reuocari non possunt. *Concordat l.irritam.3.in prin. C.de usucap.pro donato,his uerbis*: Irritam facere donationem perfectam nemini licet. *Concordat l.2. C.de reuocandis donat. his uerbis*: Si apud prouinciæ Præsidem aduiam filiæ tuæ, quasi pœnitentia ductam, subtracta instrumenta donationum igne exusisse

exusisse constiterit: uereri te non oportet, ne id quod iure uires acceperat, ex pòst facto possit in dubium reuocari. *Concordat item l.possęs.3.C.eod.tt.his uerbis*: Possessionem,quã in uos emancipatos mater contulit per donationem,ex pœnitentia sola alienare non potuit. *Item concordat l.cum confitearis.4.in fin.C. eod.tit.cuius uerba uide §.excepi.23. Planè admittitur exceptio proposita in mortis causa donationibus, ut §. suo loco docebitur.*

XXXII. *Exceptio*: *Nisi donator rem postea alienauerit, uel pignori obligauerit. Hæc exceptio reprobatur l.ad eum.36.§ Lucius. ff.de donationibus, his uerbis*: Lucius Titius fundum Mæuiæ donauit, & ante traditionem eundem fundum post dies paucos Seio pignori obligauit, & intra dies triginta Mæuiam in uacuam possessionem eiusdem fundi induxit. quæro, an donatio perfecta sit? Scæuola respondet,secundum ea quæ proponerentur, perfectam esse: nerùm creditorem firmam pignoris obligationem habere.

XXXIII. *Exceptio*: *Nisi res ex causa donationis non fuerit tradita. Hæc exceptio iure quidem antiquo subsistit, quo ex donatione tanquam ex nudo pacto non poterat oriri actio. cuius tamen iuris antiqui replicatio prima hæc erat*: *Nisi donaturus iussu donatarij alij spopondisset.quæ replicatio approbatur l.2.§. cum uerò. ff.de donationibus,his uerbis*: Cum ego Titio pecuniam donaturus,te qui mihi tandem donare uolebas, iussero Titio promittere:inter omnes personas donatio perfecta est. *Concordat l.qui id.34.§.fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide §. quæst.3. reg.10. except.2. Secunda replicatio est: Nisi actione donata,debitor donatario stipulanti promiserit. quæ replicatio approbatur l.si pater.35.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Si pater emancipati filij nomine donationis animo pecuniam fœnerauerit, eamq; stipulatus est filius: & ipso iure perfectam donationem, ambigi non potest. *Tertia replicatio erat: Nisi nummi donentur ea lege, ut statim donatori mutuò dentur. quæ replicatio approbatur l.qui id.34. §.ea lege. ff.eod.tt. his uerbis*: Ea lege donationis causa Titio pecunia numerata, ut statim donatori mutuò detur, non impeditur dominij translatio: ac propterea numis ijsdem donatori creditis, nouum dominium in his quæritur. *Quarta replicatio erat*: *Nisi donator sibi usumfructum in re donata retinuisset. quæ replicatio approbatur l.quisquis.28.C.eod.tt.his uerbis*: Quisquis rem aliquam donando, uel in dotem dando, uel uendendo, usumfructum eius retinuerit: etiamsi stipulatus nõ fuerit,eam continuò tradidisse credatur, nec quid amplius requiratur, quo magis uideatur facta traditio:sed omnimodò idem sit in his cauis usumfructum retinere, quod tradere. *Plures huiusmodi replicationes uide §. eod.except. §. proinde quantum, cum sequentibus: item §. cap.8.except. 39.replic.18.Hæc de iure antiquo. Iure autem nouo exceptio proposita reprobatur Inst. de donationib. §. perficiuntur, his uerbis*: Perficiuntur donationes,cum donator suam uoluntatem scriptis aut sine scriptis manifestauerit. Et ad exemplum uenditionis nostra constitutio eas in se habere necessitatem traditionis uoluit, ut etiamsi non tradantur,habeant plenissimum & perfectum robur,& traditionis necessitas incumbat donatori. *Ait Imp.*Nostra constitutio: *nimirum l.si quis.35.C.de donationibus. cuius uerba uide §. eod.cap.in princ. Concordat item Nouell.c.162. §. primùm igitur, his uerbis*: Mulier quædam, cum res ipsi à coniuge donatæ essent,neque tamen traditæ: uoluit marito mortuo,& donationem silentio prætereunte,res uindicare, quasi harum domina tam donatione quàm silentio mariti facta. Opponebatur à rerum possessoribus, habere ipsam solummodò exceptionem in ius uocatam, si possideat, non etiam ab alio hasce per uindicationem petere posse. Et quidem quod controuersum est,eiusmodi fuit. Nos uerò & constitutionem nostram reuocauimus in memoriam, quæ dicit, donatorem, licet traditio ab eo stipulata non fuerit, necesse tamen habere, ut donatam rem tradat. neque enim per imposturam, & ut in nudis consistant literis quæ geruntur, instrumenta confici conueniens est. Sumpsimus præterea in mentem sanctionem ueteris legis Æliæ Sentiæ, quam rectè & pro officio è legum suarũ corpore ablegauit olim respub. consimilia promulgantem, quæ in præsentia hærent in controuersia. Et sancimus, ut si istiusmodi donatio, prout antè à nobis dictum est, perfectè omnia habeat, tam quoad modum, quàm quoad insinuationem:ab eo statim tempore quo facta est, omnimodò secundum prædictam constitutionem silentio mariti conualescat: ut tametsi maritus eam rem postea hypothecæ det, tamen qui id silentio præterijt, abalienasse non uideatur:& traditio,si facta est,largiatur ei exceptionem: si facta non est,præbeat etiam (siquidem stipulatio interposita est) exactionem per actionem ex stipulatu, ut donatam rem percipiat. *Ait Imperator*: Siquidem stipulatio interposita est. *Quid ergo, si stipulatio interposita non est? nihilominus condictio danda est ex d. l.35. Sanè re donata, non autem tradita, in personam quidem actio hodie nascitur ad eam tradendam: in rem autem agere,& rem uindicare donatarius tanquam dominus ne iure quidem nouo potest, secundum ea quæ dicta sunt §. lib.21.cap.1.causa 18. item cap.10. except.11. Proinde quantum ad res donatæ uindicationem attinet, exceptio proposita etiam nouo iure approbatur*; & donatarius, cui res do-

nata quidem est, sed nondum tradita, eam uindicans repellitur hac exceptione, Si res donata tibi à donatore fuisset tradita. Cuius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi donator usumfructum rei donatæ sibi retinuerit: tunc enim res pro tradita habetur. quæ replicatio approbatur d.l.55. §.sed si quidem. C.de donationibus.cuius uerba uide §.eod.cap.in prin. Secunda replicatio est: Nisi tempore donationis res sit penes donatarium. Hæc replicatio approbatur per ea quæ dicta sunt d.causa 18. except.1. replic.1. Eius autem duplicatio hæc est: Nisi donatarius ignoret, rem quæ penes se est, sibi esse donatam. Hæc duplicatio approbatur l.absenti.10. ibi sed si nesciat. ff.de donationibus. cuius uerba uide §. except.13. Tertia replicatio est: Nisi res alij tradita sit ad donatarium perferenda. Reprobatur hæc replicatio d.l.10. Quarta replicatio est: Nisi donator rem à procuratore suo exigendam donatario mandauerit: hoc quidem casu donatario actio cessa aduersus procuratorem tanquam rei uendicatio competit. uerum eius replicationis duplicatio hæc est: Nisi donator, antequam donatarius rem à procuratore exegerit, fuerit mortuus: tunc enim actio cessa aduersus procuratorem donatario danda non est, cum morte mandatoris mandatum soluatur. Hæc duplicatio approbatur l.si quidem.8. C.de obligat. & actionib. bis uerbis: Si quidem donationis causa ei, quem affectione patris te dilexisse proponis, tuâ accipere pecuniam permisisti, & hanc tuam liberalitatem remunerans, te à procuratore suo aliam pecuniam sumere præcepit, rebusque humanis ante præceptionem fuit exemptus: nec quod desideras, recuperare (cum perfectam habuit donationem) nec quod tibi dari mandauit, necdum tibi traditum, petere potes à procuratore. Quòd si mutuò dedisti, nec delegatis dari nouandi causa stipulatus es, successores eius solutioni parêre compellantur. *Quod imperator hic subnectit de mutuo, idem iure nouo de donatione est intelligendum: ut quamuis donatario actio cessa aduersus procuratorem denegetur, non tamen actio personalis ex causa donationis aduersus hæredes donatoris ei sit deneganda, secundum ea quæ dicta sunt paulò superius eod. except. in princ. Quinta replicatio est: Nisi donatarius uoluntate donatoris rem donatam occupauerit uel perceperit. hoc enim casu, quamuis ei manu donatoris non sit tradita, nihilominus dominus efficitur. quæ replicatio approbatur exemplis l.qui saxum.6.ff.de donationibus, bis uerbis:* Qui saxum mihi eximere de suo permisit donationis causa, statim cum lapis exemptus est, fit meus: neq; prohibendo me uehere efficit, ut meus esse desinat: quia quodammodò traditione meus factus est. Planè si mercenarius meus eximit, mihi eximit. Sed si is quià me emerat, siue mercede conduxerat, ut paterer eum sibi iure eximere: si antequà eximat, me pœnituerit, meus lapis durat: si postea, ipsius factum reuocare non possum, quasi traditio enim facta uidetur, cum eximitur domini uoluntate. Quod in saxo est, idem erit etiam, si arbore cæsa uel dempta id acciderit. *Sexta replicatio est: Nisi instrumentum emptionis rei donatæ donatario sit traditum. Hæc replicatio approbatur l.1. C.de donationib. bis uerbis:* Emptionum mâcipiorum instrumentis donatis & traditis, & ipsorum mancipiorum donationem & traditionem factam intelligis: & ideo potes aduersus donatorem in rem actionem exercere. *Septima replicatio est: Nisi testator in suo testamento scripserit, se uiuum donasse. quæ replicatio approbatur l.ex hac.16.ff.de donationibus, bis uerbis:* Ex hac scriptura, Sciant hæredes mei, me uestem meam uniuersam, ac res cæteras, quascunque in diem mortis meæ mecum habui, illi & illi libertis meis uiuum donasse: dominium ad libertos benigna interpretatione pertinere dicimus. *Ratio huius replicationis proponitur l.si don.5.C.de donationibus, bis uerbis:* Si donatio per epistolam facta non apparet, uerba tamen testamẽti, quibus liberalitas testatricis confirmata est, fideicommissum tenere non ambigitur. *Plures huiusmodi replicationes uide §. lib. 21.cap.1.causa 18.*

XXXIIII. *Exceptio: Nisi rescripto Principis donatio rescindatur. Hæc exceptio reprobatur l.si don.5. C.de reuocandis donationibus, bis uerbis:* Si donationem ritè fecisti, hanc authoritate rescripti nostri rescindi non oportet.

XXXV. *Exceptio: Nisi donator postea liberos sit nactus. Hæc exceptio approbatur l.si unquam.8.C.d.tt. bis uerbis:* Si unquam libertis patronus filios non habens, bona omnia uel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos: totũ quidquid largitus fuerit, reuertatur, in eiusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum. *Concordat l.si totus.5. C.de inofficiosis donationib. cuius uerba uide §.cap.4. quæst.3.in prin.*

XXXVI. *Exceptio: Nisi conditio donationis defecerit, uel causa non sit secuta. Hæc exceptio approbatur sub conditione l.2.§.fin.cum lege sequente. ff.de donationib. bis uerbis:* Titio decem donaui ea conditione, ut inde Stichum sibi emeret. quæro, cum homo, antequá emeretur, mortuus sit, an aliqua actione decem recipiam? Vlpianus respondit: Facti magis quàm iuris quæstio est. nam si Titio decem in hoc dedi, ut Stichum emeret, aliter non donaturus, mortuo Sticho condictione repetam. Si uerò aliàs quoque donaturus Titio decem, deinde quia interim Stichum emere proposuerit, dixerim in hoc ei dare, ut Stichũ emeret: causa magis donationis, quàm conditio dandæ pecuniæ existimari debebit, & mortuo Sticho pecunia apud Titium remanebit. Et generaliter hoc in his donationibus

tionibus definiendum est, multum interesse, causa donandi fuerit, an cõditio. si causa fuerit, cessare repetitionem: si conditio, repetitioni locum fore. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur, simul & prima eius replicatio proponitur talis: Nisi non conditionaliter causa sit expressa. Cui concordat l.sed si mors.13.§.fin.ff.de donat. inter uirum & uxor. bis uerbis:* Cum quis acceperit ut in suo ædificet, cõdici ei id non potest: quia magis ei donari uidetur. quæ sententia Nerati quoq; fuit. Ait enim, datum ad uillam extruendam uel agrum cõserendum, quod alioquin nõ facturus erat is qui accepit, in speciem donationis cadere. Ergo inter uirum & uxorem hæ erunt interdictæ. *Secunda replicatio est: Nisi conditio non in continenti, sed ex interuallo sit apposita à donatore. quæ replicatio approbatur l.perfecta. 4. C.de donat. quæ sub modo, bis uerbis:* Perfecta donatio conditiones postea non capit. Quare si pater tuus donatione facta quasdam post aliquantum tempus perficisse conditiones uidetur, officere hoc nepotibus eius fratris tui filijs minimè posse, non dubium est.

XXXVII. *Exceptio: Nisi conditio post mortem demum donatoris extiterit. Hæc exceptio reprobatur l.2.§.si pecuniam.ff.de donationib. bis uerbis:* Si pecuniam mihi Titius dederit absq; ulla stipulatione, ea tamen conditione, ut tunc demum mea fieret, cum Seius factus consul esset: siue uiuente eo, siue mortuo Seius consulatum adeptus fuerit, mea fiet.

XXXVIII. *Exceptio: Nisi donatarius ingratus fuerit aduersus donatorem. Hæc exceptio approbatur Instit.de donat. §.sciendum, bis uerbis:* Sciendum est, quòd & si plenissimæ sint donationes, si tamen ingrati existant homines, in quos beneficium collatum est, donatoribus per nostram constitutionem licentiam præstauimus certis ex causis eas reuocare: ne illi qui suas res in alios cõtulerint, ab his quandam patiãtur iniuriam uel iacturam, secundum enumeratos in constitutione nostra modos. *Constitutio cuius hic fit mentio, proponitur l.ult.C.de reuocan.don.bis uerbis:* Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas illibatasq; manere, si non donationis acceptor ingratus circa donatorem inueniatur: ita ut iniurias atroces in eum effundat, uel manus impias inferat, uel iacturæ molem ex iniurijs suis ingerat, quæ non leuem sensum substantiæ donatoris imponat, uel uitæ periculum aliquod ei intulerit, uel quasdam conuentiones, siue in scriptis donationi impositas, siue sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spopondit, minimè implere uoluerit. Ex his enim tantummodò causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas euerti concedimus: ne sit cuiquam licentia & alienas res capere, & fragilitatem videre donatoris, & iterum ipsum donatorem suasq; res perdere, & præfatis malis ab ingrato donationis acceptore affici. Hoc tamen usq; ad primas personas tantummodò stare censemus, nulla licentia concedenda donatoris successoribus huiusmodi querimoniarum primordium instituere. Etenim si ipse qui hoc passus est, tacuit: silentium eius maneat semper, & non à posteritate eius suscitari concedatur, uel aduersus ipsum qui ingratus esse dicitur, uel aduersus eius successionem. *Hac constitutione exceptio proposita approbatur, simul & declaratur, causis ingratitudinis, ex quibus actio uel exceptio proposita competat, enumeratis. Harum enim quinq; recensentur, scilicet, si donatarius donatario atroces iniurias fecerit, si manus ei intulerit, si damnum dederit in bonis donatoris, si uitæ periculum ei intulerit, si denique legi donationis non paruerit. Concordat l.1.C. eod.tt. bis uerbis:* Etsi perfectis donationibus in possessionem inductus libertus, quolibet tempore ea quæ sibi donata sunt, pleno iure ut dominus possederit: tamen si ingratus sit, omnis donatio mutata patronorum uoluntate reuocanda est. Quod obseruabitur & circa ea quæ libertorum nomine, pecunia tamen patronorum & beneficio cõparata sunt. nam qui obsequijs suis liberalitatem patronorum prouocauerunt, non sunt digni quo eam retineant, cum cœperint obsequia negligere: cum magis in eos collata liberalitas ad obsequium inclinare deberet, quàm ad insolentiam erigere. Hoc tamen ius stabit intra ipsos tantùm, qui liberalitatem dederint. cæterùm neque filij eorum, neq; successores ad hoc beneficium pertinebunt. neque enim fas est ullo modo inquietari donationes, quas is qui donauerat, in diem uitæ suæ non retractauit. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi alia ingratitudinis causa à donatore proponatur, quàm ea quæ propositæ sunt paulò superius. Hæc replicatio approbatur d.l.ultima. ibi: ex his etenim tantummodò, &c. cuius uerba uide paulò superius. Concordat l.donationes.9.C.de reuocandis donationibus, bis uerbis:* Donationes circa filium uel filiam, uel nepotem neptémue, pronepotem proneptémue emancipatos celebratas, pater seu auus uel proauus reuocare non poterit: nisi edoctis manifestissimis causis, quibus eam personam, in quam collata donatio est, contra ipsam uenire pietatem, & ex causis quæ legibus continentur, fuisse constabit ingratam. *Planè præter quinque ingratitudinis causas §. l.ult. C.de reuocandis donationibus, enumeratas, sexta additur l.1.C.eod.tt.*

si scilicet libertus donatarius patrono donatori obsequium non præstiterit.cuius legis uerba uide itidē paulò superius. Secunda replicatio est:Nisi mater donatrix iterauerit nuptias: tunc enim ob ingratitudinem filij donationem non potest reuocare,nisi ex certis causis. quæ replicatio approbatur l.bis solis.7. in prin. C. de reuocandis donat. his uerbis: His solis matribus,quæ non in secundi matrimonij fœdus nupserint, sed unius tantùm matrimonij sunt, reuocandarum donationum, quas in filios fecerint,ita decernimus facultatem,si eos ingratos circa se esse ostenderint. *Concordat simul & distinguit Nouell. c.22. §.mater sanè, his uerbis:* Mater quæ per donationem aliquid rerum suarum in filium contulit,siqui dem ad secūdas migrauit nuptias, id quod datum est, per causam ingratitudinis reuocare non potest. Neq; enim sincero animo ingratitudinem uidetur inducere, quippe cum præsumatur ad hunc decurrere prætextum ex cogitatione secūdarum nuptiarum:nisi liquidò filius uel infidias uitæ matris posuisse,uel impias intulisse manus,uel contra ipsam ad totius substantiæ eius subuersionem molitus aliquid commonstretur. *Tertia replicatio est: Nisi mater donatrix impudica fuerit. Hæc replicatio approbatur d.l.7.in fin. his uerbis:* De cæteris quæ portentosæ uilitatis abiectæq; pudicitiæ sunt, satis etiam tacitè cautum putamus. Quis est enim, qui ijs aliquid arbitretur tribuendum esse,cum etiam illis quæ iure secundas tantùm contraxerunt nuptias, nihil ex his priuilegijs tributum esse uelimus? *Quarta replicatio est: Nisi donator, dum uixit, ob ingratitudinem donatarij donationem non reuocauit: tunc enim nec hæredi eius reuocare licebit.quæ replicatio approbatur l.ult.§.hoc tamen usq;.C.de reuocandis donationibus. cuius uerba uide paulò superius cad.except.in prin. Concordat l.1. in fin. C.eod.tt. cuius uerba uide item ē.cad.except. in prin. Concordat deniq; l.bis solis.7.§.actionem.C.eod. tt.cuius uerba proponentur ĵ.proximè. Quinta replicatio est:* Nisi donatarius sit mortuus. *Hæc replicatio approbatur d.§.actionem, his uerbis:* Actionem matris ita personalem esse uolumus, ut uindicationis tantùm habeat effectum, nec in hæredem detur,nec tribuatur hæredi. *Sexta replicatio est:* Nisi res donata à donatario sit alienata. *Hæc replicatio approbatur d.l.7.§.quidquid igitur,his uerbis:* Quidquid is, qui à matre impietatis arguitur, ex titulo donationis tenet: eo die, quo controuersiæ qualecunq; principium iussu iudicantis datur, matri cogatur reddere. cæterùm quæ antè adhuc matre pacifica iure perfecta sunt,& ante inchoatum cœptumq; iurgium uendita, donata,in dotem data, cæterisq; causis legitimè alienata,minimè reuocamus. *Hæc de triginta octaua exceptione, uel potius de actione ad donationem ingratitudinis ergò reuocandam, sint dicta. de qua actione ĵ.etiam dicetur cap.prox.*

XXXIX. *Exceptio:* Nisi donatarius postea eandem rem donatori donauerit. *Hæc exceptio approbatur l.si ea.23. C.de don.his uerbis:* Si ea quæ donaueras, posteriore placito, qui acceperat in donum tibi reddidit: donationis antecedentis instrumentum actis sequentibus nihil obesse potest. *Hactenus exceptiones propositæ actionis cum suis replicationib.sunt enumeratæ:nūc reliquos eius actionis locos persequamur.*

II. QVIBVS DEBEATVR res donata?

Si uiro in usum uxoris donatum sit, ipsi uxori, non marito uidetur donatum.quæ regula approbatur l.donationes.32.§.species. ff.de donationib. cuius uerba uide ĵ.proximè.

III. QVID VENIAT IN Actionem ex donatione donatario competentem?

Huius loci regula prima est de usu & proprietate rei donatæ,utrum ueniat. Quamuis autem re donata, non nudus usus eius, sed proprietas regulariter debeatur: tamen regula hæc uidetur admittere exceptionem hanc: Nisi donator dixerit,se in usum filiæ ista mariti eius concedere. quæ tamen exceptio reprobatur d. l.32.§.species. ff.de donationib.hisce uerbis: Species extra dotem à matre filiæ nomine uiro traditas, filiæ quæ præsens erat donatas, & ab ea uiro traditas uideri, Papinianus respondit: nec matrem offensam petitionem habere, uel eas res rectè uindicare, quòd uir cauisset extra dotem usibus puellæ sibi traditas: cùm ea significatione non modus donationis declaretur, nec ab usu proprietas separetur, sed peculium à dote puellæ distinguatur. Iudicem tamen æstimaturum respondit, si mater iure contra filiam offensa eas reuocare uelit,& uerecundiæ maternæ congruam, boniq; uiri arbitrio competentem ferre sententiam.

I I.*Regula, De fructibus rei donatæ & omni causa. Fructus quoque & omnem causam donator post moram præstare tenetur. quæ regula approbatur l. Nesennius. 41. §.fundum. ff.de re iudicata, his uerbis:* Fundum quis donauit: si non restituat, ut quiuis possessor damnandus est. Si autem fundum restituit: fructuum nomine, si non eos consumpserit,in solidum condemnandus est. Potuit enim non periclitari, si statim restituisset.Si dolo malo desijt possidere,in litem iurabitur, & tanti sequetur condemnatio. *Contradicit l.in ædib.9.§.1.l.cum de donatione.11.ff.de donationibus.quarum uerba uide ĵ.except.prox.Sed & contradicit Ludesmus.38.§.si actionem.ff.de usuris. Ere qua antinomia uide glossam in d. §.fundum. Regulæ autem propositæ exceptio uidetur esse talis: Nisi donatio sit quingētorum solidorum actis non*

non insinuata: hoc enim casu uidentur fructus, partus & alia, tanquam modum donationis excedentia, posse à donatore retineri, secundum ea quæ dicta sunt ē.except.30.repl.2.Verum exceptio hæc reprobatur hac ratione, quòd fructus, partus & alia non augeant donationem, nec in ea computentur. Quod approbatur l. cum de.11.ff.de donationib.his uerbis: Cum de donatione quæritur, neq; partus nomine, neque fructuum,neq; pensionum,neq; mercedis ulla donatio esse uidetur facta. *Concordat l.in ædib.9.§.ex rebus.ff.d.tt.his uerbis:* Ex rebus donatis fructus recepti in ratione donationis non computantur. *Planè sequitur ibidem distinctio,his uerbis:* Si uerò non fundum,sed fructuum perceptionem tibi donem, fructus percepti ueniunt in computationem donationis.

I I I.*Regula,De usuris. Has donator post moram nō præstat. quæ regula approbatur l.cum qui.22.ff.de donationibus,his uerbis:* Eum qui donationis causa pecuniam,uel quid aliud promisit,de mora solutionis pecuniæ usuras non debere, summæ æquitatis est:maximè cum in bonę fidei contractibus donationis species non deputetur.

I I I I.*Regula:Instrumentis emptionum donatis,ipsæ res emptæ donatæ uidentur. quæ regula approbatur l. 1.C.de donationib. cuius uerba uide ē.except.33.repl.6.*

V.*Regula:Argento donato,id præstari potest uel in speciebus,uel in æstimatione. Quæ regula approbatur l.si quis.35.in prin.C.de donationib.his uerbis:* Si quis argentum donauerit,certumq; pondus nominauerit,non autem aliàs uel generaliter, uel specialiter expresserit: necessitatem ei imponi, omnimodò præfatum pondus argenti dare, siue in uasis quibus uoluerit, nō tamen peioribus æstimatione massæ: siue in ipsa æstimatione, quæ pro massa rudi in illis locis frequentata est.

V I.*Regula: Reditu certo ex possessionibus donato, nec possessionibus specialiter expressis: ex quibus possessionibus debeatur,definitur d.l.35.§.1.his uerbis:* Si reditum certum ex possessionibus donauit, non tamen nomina possessionum edixerit: necesse habere de sua substantia fundos tradere,tantum reditum inferre ualentes, quantū in donationē posuit:in talibus tamen agris, qui nec omnibus quos habet in possessione anteponūtur, nec deteriores omnibus,sed status mediocris inueniūtur.

V I I.*Regula: Re generaliter donata, nec specialiter expressa, non pessima, nec optima debetur, sed mediæ æstimationis. quæ regula cum ex prædictis constat,tum etiam approbatur d.l.35.§.similiq;,his uerbis:* Simili modo, si quis certum numerum seruorum donauerit,nō tamen hic nominatim seruos scripserit:& hic mediocris figuræ seruos tradere: & neq; tales, quos non habere magis quàm habere prodest: nec iterum eos, qui omnem seruorū familiam donatoris antecellunt:sed & hic mediocritas expetatur.

V I I I.*Regula: Si res donata in bonis donatoris non compareat,æstimatio eius præstanda. Item quanti æstimatio facienda sit,definitur d.l.35.§.fin aūt,his uerbis:* Si donator neq; argentum,neq; seruos habens,uel non tantum, quantum donauit,fecerit eorum donationem:æstimationem in his celebrari pro eo quod deest: ita tamen, ut argenti quidem (secundum quod prædiximus) æstimatio detur.in seruis autem nec amplius,nec minus quindecim solidis quātitate pro singulis reddetur:in reditibus autē in quindecim annis æstimationē præstet.

I X.*Regula: Aduersus donatorem quoq; in litem iurabitur ob dolum.quæ regula approbatur l.Nesennius. 41.§.fundum,in fine.ff.de re iudicata. cuius uerba uide ē.reg.2.in prin.*

X.*Regula: Donator non nisi in id quod facere potest,proposita actione tenetur.quæ regula approbatur l.qui ex.12.ff.de donationibus,his uerbis:* Qui ex donatione se obligauit,ex rescripto diui Pij,in quantū facere potest,conuenitur. Sedenim id quod creditorib,debetur,erit detrahendū: hæc uerò,de quibus ex eadē causa quis obstrictus est,nō debebit detrahere. *Concordat l.diuus.29.ff.de reg.iuris, his uerbis:* Diuus Pius rescripsit,eos qui ex liberalitate sua cō ueniūtur,in id quod facere possunt,condēnandos. *Concordat item l.inter eos.19.§.is quoq;.ff. de re iudicata,his uerbis:* Is qui ex causa donationis conuenitur,in quantū facere potest condemnatur: & quidem is solus deducto ære alieno. Et inter eos quibus ex simili causa pecunia debetur,occupātis potior erit causa. Imò nec totū quod habet, extorquendū ei puto:sed ipsius ratio habēda est,ne egeat. *Concordat item l.cum ex.30.ff.d.tt.his uerbis:* Cum ex causa donationis promissa pecunia est,si dubiū sit,an ea res eousq; donatoris facultates exhaurire possit,ut uix quicquā ei in bonis relictū sit: actio in id quod facere possit danda est,ita ut & ipsi donatori aliquid sufficiens relinquatur.quod ipsum maximè & inter parentes & liberos obseruandum est. *Concordat item l.si extraneus.33. in prin. ibi: hæc enim diuus Pius.ff.de iure dotium. cuius uerba uide ē.lib.15. cap.6.except.22,repl.2.Concordat item iuste.de actionib.§.sed etsi quis,in fin. cuius uerba uide ĵ.lib.36.cap. 12. quæst.1. causa 1.* Propositæ regulæ exceptio prima *hæc est:Nisi causa donationis in aliam actionē sit transfusa,puta in actionem de constituta pecunia,uel iudicati. Hæc exceptio reprobatur l.qui id.34. in prin. ff.de donationibus, his uerbis:* Qui id quod ex causa donationis stipulanti spoponderat, solui constituit: actione constitutæ pecuniæ, non in solidum,sed in quantum facere potest, conuenitur. causam enim & originem constitutæ pecuniæ,non iudicij potestatem

prævalere placuit. Sed & condemnatus ex causa donationis, in actione iudicati non frustra desiderat, in quantum facere potest, conueniri. *Concordat l. Nesennius. 41. §. fin. ff. de re iudicata, his uerbis:* In solidum condemnatus donator actione iudicati, nisi in quantũ facere potest, non tenetur beneficio constitutionis. *Secunda exceptio est: Nisi donator à donatario delegatus alij promiserit, ab eoq; conueniatur. Hæc exceptio approbatur d. l. 41. in pr. cip. his uerbis:* Si te donaturum mihi delegauero creditori meo, an in solidum conueniendus sis? & si es in solidum conueniendus, an diuersum putes, si non creditori meo, sed ei cui donare uolebam, te delegauero? & quid de eo qui pro muliere, cui donare uolebat, marito eius dotem promiserit? Paulus respondit: Nulla creditor exceptione submouetur, licet is qui delegatus est, poterit exceptione uti aduersus eum cuius nomine promisit. Cui similis est maritus, maximè si constante matrimonio petat. Et sicut hæres donatoris in solidum condemnatur, & ipse fideiussor, quem in donando adhibuit: ita & ei cui non donauit, in solidum condemnatur. *Concordat l. qui id, 34. §. fin. ff. de donationibus, his uerbis:* Si cum Primus tibi donare uellet, & tu donandi Secundo uoluntatem haberes, Primus Secundo ex uoluntate tua stipulanti promiserit: perficitur donatio. & quia nihil Primus Secundo, à quo conuenitur, donauit: in solidum quidem, non in id quod facere potest, condemnatur. Idq; custoditur, etsi delegante eo qui donationem erat acceptурus, creditori eius donator promiserit. etenim hoc casu creditor suum negocium gerit. *Concordat deniq; l. Lucius. 31. ff. de donationib. cuius uerba uide alibi. Tertia exceptio est:* Nisi hæres uel fideiussor donatoris conueniatur. *hisce enim regula proposita non prodest. quæ exceptio approbatur l. Nesennius. 41. in prin. ibi: & sicut hæres. ff. de re iudicat. cuius uerba uide paulò §. exc. prox. Sed & plura de regula proposita uide ĩ. lib. prox. cap. 12.*

IIII. DE PROBATIONE ET præsumptione donationis.

I. *Regula, De instrumento donationis conficiendo, proponitur l. donatio. 25. §. fin. C. de donat. cuius uerba uide §. eod. cap. except. 30. in prin.*

II. *Regula: De insinuanda donatione apud acta, uide §. d. except. 30.*

III. *Regula: Pactum de deposito, alij quàm ei qui deposuit restituendo, non inducit donationem. quæ regula approbatur l. donationes. 32. §. eiusmodi. ff. de donationib. his uerbis:* Eiusmodi lege, Deposita mille de arca, ut ea ipse solus qui deposuit, tolleret, aut post mortem domini Aelius Speratus: non uideri celebratam donationem, Papinianus respondit.

IIII. *Regula: Si dominus consentiat alium rem suã eius nomine in censum deducere, donare uidetur. quæ regula approbatur l. censi. 7. C. de donat. his uerbis:* Censualis quidem professio domino preiudicare non solet. Sed si in censum uelut sua mancipia deferenti priuigno tuo consensisti, donationem in eum transtulisse uideris. V. ADFINE *propositæ actionis remedium est, actio in rem, seu rei uindicatio: si scilicet res donata tradita sit, uel pro tradita habeatur. quæ regula approbatur per ea quæ dicta sunt §. eod. cap. except. 33. Huius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi cum alicui res donata tradita esset ad donatarium perferenda, antequam perferatur, donator sit mortuus. quæ exceptio approbatur l. 2. §. sed si quis. ff. de donat. cuius uerba cum alijs similib. uide §. lib. 22. cap. 4. causa 1. except. 1. repl. 1. dupl. 4. Secunda exceptio est: Nisi aliena res donata ac tradita sit. Hæc exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt d. except. 1. in prin. eiusq; exemplum proponitur l. si filius. 14. C. de donationib. cuius uerba uide §. exc. 14. Tertia exceptio est: Nisi donatarius non tanquam donatũ, sed tanquam mutuum sibi datum, uel alio animo acciпiat. Hæc exceptio approbatur l. si ego. 18. in prin. ff. si certum petatur. de quo alibi.*

DE ACTIONE AD REVOcandam donationem. Cap. III.

HActenus de actione, quæ datur donatario aduersus donatorem ad rem donatam tradendam, dictum est: nunc contrà dicetur de actione quæ donatori datur ad donationem reuocandam.

I. CAVSAE HVIVS actionis.

Harum tot & tales sunt, quot & quales exceptiones §. cap. prox. aduersus actionem donatarij sunt enumeratæ. Quæ enim ad rem donatam retinendam donatori sunt exceptiones: eædem, si donatario res tradita sit, ad recuperandam rem eidem sunt agendi causæ. Proinde quæ ibi exceptionum loco proposita sunt, huc quoq; causarum loco possunt referri. Est insuper actionis propositæ causa: Si donatarius legi donationis non obtẽperat. Quæ causa proponitur l. 1. C. de donat. quæ sub modo, his uerbis: Si do ceas (ut adfirmas) nepti tuæ ea lege à te esse donatum, ut certa tibi alimenta pręberet: uindicationem etiam in hoc casu utilem, eo quòd legi illa obtemperare noluerit, impetrare potes. Nam non solùm condictio tibi in hoc casu iure procedit, uerùm uindicationem quoq; diui principes in hoc casu dandam esse censuerunt. *Plura de causa propositа uide §. cap. prox. except. 36. & except. 38. in prin. item cap. 1. quæst. 5. secundi generis effectu 2. Sed & causa propositæ actionis est: Si, cum res ad certum tempus esset donata, tempus illud sit finitũ. quæ causa approbatur l. 2. C. de donat. quæ sub modo, his uerbis:* Si prædiorum tuorum proprietatẽ dono dedisti, ita ut post mortem eius qui accepit, ad te rediret, donatio ualet: cum etiam ad tempus certum uel incertum ea fieri potest,

potest, legi scilicet quæ ei imposita est, conseruanda. *Huius causæ exceptio hæc est: Nisi contra uenerit, ut finito donationis tempore res alij restituatur. Hæc exceptio iure antiquo reprobatur l. quoties. 3. C. eod. tit. de quo paulò ĩ. quæst. prox. reg. 1. Hæc de causis propositæ actionis sint dicta. Planè recipiunt causæ huius actionis exceptiones quasdam generales, ordine nunc proponendas. Harum prima hæc est: Nisi ob rem uel causam sit promissum. hoc enim casu non tanquam in mera donatione res propter ingratitudinem donatarij, uel aliam similem causam potest reuocari. quæ exceptio uidetur approbari l. hoc iure. 19. §. fin. ff. de donationibus, his uerbis:* Stipulationes quæ ob causam fiunt, non habent donationem. Deniq; Pegasus putabat, si tibi centum spopondero hac conditione, si iurasses te nomen meum laturum: non esse donationem: quia ob rem facta est, & res secuta est. *Propositæ exceptionis exemplum est: Si remunerandi causa quid detur. Quod exemplum proponitur d. l. 19. §. 1. his uerbis:* Labeo ait, extra causam donationum esse talium officiorum mercedes: utputa, si tibi adfuero, si satis pro te dedero, si qualibet in re opera uel gratia mea usus fueris. *Concordat l. Attilius. 27. ff. d. tt. cuius uerba uide §. cap. prox. except. 19. Item concordat l. si pater. 35. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Si quis aliquem à latrunculis uel hostibus captum eripuit, & aliquid pro eo ab ipso accipiat: hæc donatio irreuocabilis est. merces enim laboris eximij appellanda est: quod contemplatione salutis certo modo æstimari non placuit. *Aliud exemplum proponitur l. quæ liberti. 8. ff. de donation. his uerbis:* Quæ liberti imposita libertatis causa præstant, ea non donantur: res enim pro his interceſsit. *Aliud deniq; propositæ exceptionis exemplum est: Si is qui naturaliter ad præstandum obligatus erat, præstitit uel promisit. Quod exemplum proponitur l. hoc iure. 19. §. si quis seruo. ff. de donationib. his uerbis:* Si quis seruo pecuniam crediderit, deindè is liber factus eam expromiserit: non erit donatio, sed debiti solutio. Idem & in pupillo, qui sine tutoris authoritate debuerit, dicendũ est, si postea tutore authore promittat. *Propositæ exceptionis replicatio uidetur esse: Nisi causa non sit secuta. hoc enim casu uidetur locus esse repetitioni. de qua re uide §. cap. prox. except. 36. Secunda exceptio est: Nisi aliquo iure cogente dedit uel promisit. Hæc exceptio species est præcedentis, & approbatur l. donari. 29. ff. de donat. cuius uerba uide §. cap. 1. in prin. Concordat l. rem legatam. 18. in fine. ff. de adimen. legatis. cuius uerba uide §. lib. 32. cap. 8. causa 5. except. 1. replic. 2. Concordat item l. si unum. 69. §. si de Falcidia. ff. de leg. 2. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 1. except. 17. in prin.*

II. QVIBVS DETVR hæc actio?

I. *Regula, De eo qui donauit, & eo cui donatarius finito donationis tempore restituere iussus est, proponitur l. quæ liberti. 8. ff. de donation. his uerbis:* Quæ liberti imposita libertatis causa præstant, ea non donantur: res enim pro his interceſsit. *Aliud deniq; propositæ exceptionis exemplum est: Si is qui naturaliter ad præstandum obligatus erat, præstitit uel promisit. Quod exemplum proponitur l. hoc iure. 19. §. si quis seruo. ff. de donationib. his uerbis:* Si quis seruo pecuniam crediderit, deindè is liber factus eam expromiserit: non erit donatio, sed debiti solutio. Idem & in pupillo, qui sine tutoris authoritate debuerit, dicendũ est, si postea tutore authore promittat. *Propositæ exceptionis replicatio uidetur esse: Nisi causa non sit secuta. hoc enim casu uidetur locus esse repetitioni. de qua re uide §. cap. prox. except. 36. Secunda exceptio est: Nisi aliquo iure cogente dedit uel promisit. Hæc exceptio species est præcedentis, & approbatur l. donari. 29. ff. de donat. cuius uerba uide §. cap. 1. in prin. Concordat l. rem legatam. 18. in fine. ff. de adimen. legatis. cuius uerba uide §. lib. 32. cap. 8. causa 5. except. 1. replic. 2. Concordat item l. si unum. 69. §. si de Falcidia. ff. de leg. 2. cuius uerba uide §. lib. prox. cap. 1. except. 17. in prin.*

II. QVIBVS DETVR hæc actio?

I. *Regula, De eo qui donauit, & eo cui donatarius finito donationis tempore restituere iussus est, proponitur l. quoties. 3. C. de donat. quæ sub modo, his uerbis:* Quoties donatio ita conficitur, ut post tempus id quod donatum est, alij restituatur: ueteris iuris authoritate rescripтum est, si is qui liberalitatis compendium conferebatur, stipulatus non sit, placiti fide non impleta, ei qui liberalitatis author fuit, uel hæredibus eius condicticiæ actionis persecutionem competere. Sed cum postea benigna iuris interpretatione, diui principes ei qui stipulatus nõ sit, utilem actionem iuxta donatoris uoluntatem competere admiserint: actio quæ sorori tuæ, si in rebus humanis ageret, cõpetebat, tibi accõmodabitur.

II. *Regula, De hæredibus donatoris. His quoq; actio proposita competit, quemadmodum & aliæ actiones. Quæ regula ut per se uera est, ita recipit exceptionem hanc: Nisi ob ingratitudinem donatarij donationem uelint reuocare. hoc enim casu illis denegatur actio, per ea quæ dicta sunt §. cap. prox. except. 36. repl. 4.*

III. ADVERSVS QVOS detur?

De hæredibus. Aduersus hos ob ingratitudinem defuncti donatarij non datur actio. quæ regula approbatur l. his solis. 7. §. actionem. C. de reuocandis donat. cuius uerba uide §. d. except. 38. repl. 5.

IIII. QVID VENIAT?

De ijs quæ donatarius ingratus bona fide alienauit, uel uendidit. Hæc non reuocantur. Quæ regula approbatur d. l. 7. §. quidquid igitur. cuius uerba uide §. d. except. 38. repl. 6.

V. QVAE ACTIO DETVR?

Non solùm condictio, sed etiam uindicatio donatori competit. Quæ regula approbatur l. 1. C. de donationib. quæ sub modo. cuius uerba uide §. hoc cap. in prin. Concordat l. si sponsus. 5. in fine, cum l. sequente. ff. de donat. inter uirum & uxorem. cuius uerba uide ĩ. cap. 9. quæst. 3. reg. 1. Huius regulæ exceptio est: Nisi ob ingratitudinem donatarij res reuocetur. tũc enim ea quæ bona fide alienata sunt, non reuocantur. de qua re uide §. cap. prox. except. 38. repl. 6.

DE ACTIONE INOFFIcioſæ donationis. Cap. IIII.

I. SIMILE.

ACtio inofficioſæ donationis per omnia similis est querelæ de inofficioso testamento. *Quod approbatur l. non conuenit. 9. C. de inofficiosis donationib. his uerbis:* Non conuenit dubitari, quòd immodicarum donationum omnibus legibus querela ad similitudinem inofficioſi testaméti fuerit introducta, ut sit in hoc actionis utriusq; uel una causa, uel similis æstimanda, uel idem & tempore & moribus. *Cõcordat l. 1. in fine. C. eod. tit. cuius uerba uide ĩ. quæst. prox. in prin. Concordat item l. 2. in fine. C. eod. tit. cuius uerba uide ĩ. quæst. prox. except. 2. Concordat item l. cum donationib. 6. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. quæst. prox. except. 6.*

II. CAV-

II. CAVSA HVIVS actionis.

Si quis immodicam fecerit donationem in alium, liberis & parentibus donatoris competit actio ad præstandam uel supplendam legitimam. Quæ causa approbatur rescripto Imperatoris Alexandri l. Titia. 89. §. Imperator. ff. de leg. 2. de quo ĩ. quæst. 3. Concordat l. 1. C. de inofficiosis donationib. his uerbis: Si, ut allegastis, mater uestra ad eludendam inofficiosi querelam penè uniuersas facultates suas, dum ageret in rebus humanis, factis donationibus siue in quosdam liberos, siue in extraneos, exhausit, postea uos ex duabus uncijs fecit hæredes, easq; legatis & fideicommissis exinanire gestiuit: non iniuria iuxta formam de inofficioso testamento constitutorum subueniri uobis, utpote quartã portionem non habentibus, desideratis. *Concordat l. cùm donationib. 6. C. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. except. 6. Concordat item l. si mater. 7. C. eod. tt. his uerbis:* Si mater tua ita patrimoniũ suum profunda liberalitate in fratrem tuum euisceratis opibus suis exhausit, ut quartæ partis dimidium, quod ad excludendam inofficiosi testamenti querelam aduersus te sufficeret, in ijs donationibus, quas tibi largita est, non habeas: quod immoderatè gestum est, reuocabitur. *Concordat l. Titia. 89. §. fin. ff. de leg. 2. cuius uerba uide ẽ. lib. 32. cap. 4. except. 40. replic. 12. exemplo 2. Item concordat Nouell. c. 92. cuius uerba uide* paulò ĩ. *except. 7 & 10. Propositæ causæ exceptiones hæ sunt.*

I. Exceptio: *Nisi non extraneo, sed alicui ex liberis donatio sit facta. Hæc exceptio reprobatur l. 1. C. de offic. donat. cuius uerba uide paulo suprà.*

II. Exceptio: *Nisi ei quem in potestate habet, pater donauerit. Hæc exceptio approbatur l. 2. C. d. tt. his uerbis:* Si pater omne patrimonium suum impetu quodam immensæ liberalitatis in filium effudit: aut in potestate is permansit: & arbitri familiæ erciscundæ officio congruit, ut tibi quartam partem debitæ ab intestato portionis præstet incolumem. aut si emancipatus is fuit: & quia donatio nõ indiget alieno adminiculo, sed suis uiribus nititur, iuxta constitutiones: is qui prouinciam regit, ad similitudinem officiosi testamenti querelæ, auxilium tibi æquitatis impertiet.

III. Exceptio: *Nisi maritus uxori donauerit. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, iuxta ea quæ dicentur paulò ĩ. except. 5. quoniam huiusmodi donatio ipso iure non uidet. uerùm eius replicatio prima hæc est: Nisi uxor postea alij, marito consentiente, donauerit. quæ replicatio approbatur l. si liqueat. 8. §. nam quod uxor. C. de inoffic. donat. his uerbis:* Quod uxor à marito in se matrimonij tempore donationis causa collatum, emancipato filio, communi consentiente domino, donauit: uelut ex bonis patris, de cuius substãtia matrimonio prohibente non potuit exire, datum accipi, rationis est. in cuius bonis si idem consilium & euentus deprehenditur, lex quam matrimonio matris ediximus, obseruabitur. Ait Imp. Ediximus: *scilicet in prin. d. l. 8. cuius uerba proponentur paulò ĩ. quæst. 3. Hæc de prima replicatione aduersus exceptionem propositã. Sanè quot sunt exceptiones aduersus donationem inter uirum & uxorem ipso iure non subsistentem, de quibus ĩ. cap. 8. dicetur: tot etiam aduersus exceptionẽ propositam replicationes competere, credendum est.*

IIII. Exceptio: *Nisi donator intestatus decesserit. Hæc exceptio reprobatur l. precibus. 3. C. de inofficios. donat. his uerbis:* Precibus quidem tuis præposita rescripta eos parentes denotãt, qui cùm testamento facto uiui patrimonium suum immẽsis donationibus exinanissent, & inane nomen hæredum liberis reliquissent. sed ad intestatos quoq; eadem ratio æquitatis extenditur. *Huic contradicere uidetur l. si filius. 20. §. fin. ff. de leg. præst. contr. tabul. bonor. possess. petita. ubi Martianus:* Intestato mortuo patre (*inquit*) etiam super donationibus mortis causa factis non poterit filius queri: quoniam comparatio nulla legatorum occurrat. *Ad dissoluendam hanc antinomiam, Azo uerbum* Queri, *de portione bonorum possess. contra tabulas interpretatur, non de querela inofficiosæ donationis. Sed dici etiam potest, hæc uerba Martiani iurisconsulti per dictam l. 3. C. de inoffic. donat. esse sublata.*

V. Exceptio: *Nisi alia actione, uel alio modo donatio possit rescindi. Hæc exceptio approbatur exemplo l. si filius. 4. C. de inoffic. donat. his uerbis:* Si filius tuus immoderatæ liberalitatis effusione patrimonium suum exhausit, Præsidis prouinciæ auxilio uteris, qui discussa fide ueri, si in integrum restitutionem ex filij persona competere tibi ob improbabilem donationis enormitatem animaduerterit, in remouendis his quæ perperam gesta sunt, tibi subueniet. Ideoq; non est tibi necessarium aduersus immodicas donationes auxilium ad instar inofficiosi testamenti. *Concordat l. cùm donationib. 6. ibi: nec beneficio ætatis. C. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. except. prox.*

VI. Exceptio: *Nisi actor uoluntatem donatoris in eo quod ei relictum est, agnouit. Hæc exceptio approbatur ex contrario sensu d. l. 6. his uerbis:* Cùm donationibus in fratrem tuum collatis, facultates patris tui exhaustas esse, eundemq; patrem uestrum ea quæ superfuerant, codicillis inter uos diuisisse proponas: si uoluntatem eius non agnouisti, nec beneficio ætatis aduersus hoc iuuari poteris, nec tantum dos à patre data & fideicommissum continent, quantum ad submouendam querelam sufficiat: de enormitate donationum ad exemplum inofficiosi

cioſi teſtamenti, Præſes prouinciæ iuriſdictionis ſuæ partes exhibebit. *Ait Imperator:* Si uoluntatẽ eius non agnouisti. *Ex his uerbis elici potest exceptio proposita, quòd si actor uoluntatẽ donatoris agnouerit, illi deneganda sit actio.*

VII. Exceptio: *Nisi actori legitima sit data. Et hæc exceptio elici potest ex uerbis iam propositis hisce:* Nec tantum dos à patre data & fideicõmiſſum continent, quantum ad ſubmouendã querelam ſufficiat. *Concordat Nouell. c. 92. §. 1. his uerbis:* Illud uolumus, ut ſi quis immoderatam donationem in quempiã aut quoſpiam filiorum ſuorũ faciat, neceſſe habeat in hæreditatis diſtributione tantum cuiq; filiorum relinquere, quàm magna pars erat legitima, antequam pater donationem in filium aut filios hac ipſa honoratos conferret. Ita enim donationes amplius in crimẽ non uocabunt, cum in uniuerſa patris ſubſtantia legitimã habeant, ad eum modum menſura eius aucta, quem & pater in bonis habuit, antequàm donationibus patrimonium exhauſtum eſſet.

VIII. Exceptio: *Niſi actor bona donata donatario etiam uendiderit. Hæc exceptio approbatur l. cum res. 4. C. de contr. empt. his uerbis:* Cùm res tibi donatas ab hærede donatricis tibi diſtractas eſſe proponas: intelligere debueras, duplicari tibi titulum poſſeſſionis non potuiſſe, ſed ex donatione & traditione dominum factum fruſtra emiſſe, cum rei propriæ emptio non poſſit conſiſtere. at tunc demum tibi profecit, ſi ex donatione te non fuiſſe dominum demonſtretur. Sanè quoniam omnia bona tibi ab ea donata & tradita dicis: ad hoc & à filio facta uenditio rerum maternarũ adferre, perfecta etiam donatione, poterit defenſionem, ne uel exemplo inofficioſi teſtamenti poſſit hæc auocare.

IX. Exceptio: *Niſi actor in donatorem fuerit ingratus. Hæc exceptio approbatur Nouell. c. 92. §. fin. his uerbis:* Cæterùm hæc de his liberis loquimur, qui ſe gratos erga ipſos perhibuerunt, non de ingratis, & quibus pater ueram legitimam q; ingratitudinẽ obijciat. nam ſi res ita ſe habere uideatur, & ingratitudinis cauſæ comprobentur, ſunto contra ingratos filios propoſitarum legum præſcripta rata, in nullo per hanc noſtram legiſlationem minuẽda. *Ait Imp.* Hæc de his liberis loquimur, &c. *Quæ ſint iſta, uide ĩ. except. prox.*

X. Exceptio: *Niſi donatarius donatoris defuncti hæreditate ſeſe abſtineat. Hæc exceptio reprobatur d. Nouell. c. 92. §. nequeuntibus, his uerbis:* Nequeuntibus filijs donatione honoratis dicere, ſe cõtentos immoderatis illis donationibus, abſtinere paterna hæreditate decreuiſſe. quin tametſi non cogantur paternam hæreditatẽ agnoſcere, ſi donationibus contenti ſint: omnibus tamẽ modis neceſſitatem habentibus, ut quòd inde excurrit, ea mẽſura, qua diximus, cũ fratribus exæquent, ne per donationũ immenſitatem minus illi habeãt, quàm debetur legibus: utpote cũ patri, qui mediocriter circa reliquam progeniem affectus ſit, liceat utiq; his qui magis ab ipſo diliguntur, amplius aliquid largiri: non uerò per huiuſmodi immenſitatem in illos alteros profuſam, reliquos liberos oblædere, & à noſtro diſcedere propoſito. Ait Imp Ea menſura, qua diximus: *ſcilicet in præcedentibus uerbis, quæ habentur ẽ. except. 7. Hæc de cauſa propoſitæ actionis, eiuſq; exceptionibus ſint dicta. Plures huiuſmodi exceptiones uide ẽ. lib. 31. cap. 4. nam quæ exceptiones aduerſus querelam inofficioſi teſtamenti ibi opponuntur, eædem etiam propoſitæ actioni rectè opponuntur, cum ad ſimilitudinem inofficioſi teſtamenti ſit introducta: ut dictum ẽ. eod. cap. in prin.*

III. QVID VENIAT in hac actione?

Hac actione non in totum infirmatur donatio, ſed ſiue aliquid, ſiue nihil actori à defuncto ſit relictum, agitur ad præſtandam uel ſupplendam legitimã eius quod actor habiturus eſſet, ſi donator ante factam donationem deceſſiſſet. quæ regula approbatur l. ſi totas. 5. C. de inoff. donat. his uerbis: Si totas facultates tuas per donationes uacuas feciſti, quas in emãcipatos filios contuliſti: id quod ad ſubmouendas inofficioſi teſtamenti querelas non ingratis liberis relinqui neceſſe eſt, ex factis donationibus detractum, ut filij uel nepotes, qui poſtea ex quocunq; legitimo matrimonio nati ſunt, debitum bonorum ſubſidium conſequantur, ad patrimonium tuum reuertitur. *Concordat l. ſi liq. 8. in prin. C. eod. tt. his uerbis:* Si liqueat, matrem tuam interuertendæ quæſtionis inofficioſi cauſa patrimonium ſuum donationibus in unum filium collatis exhauſiſſe: cum aduerſus eorũ cogitationes, qui conſilijs ſupremũ iudicium anticipare contendunt, & actiones filiorum exhauriũt, aditum querelæ ratio depoſcat: quod donatum eſt, pro ratione quartæ ad inſtar inofficioſi teſtamenti conuicti deminuetur. *Concordat item Nouell. c. 92. §. 1. cuius uerba uide ẽ. eod. cap. except. 7.* Ait Imp. Quod donatum eſt, pro ratione quartæ deminuetur: *ſcilicet eius quod actor habiturus eſſet, ſi donator donationem non feciſſet, & inteſtatus deceſſiſſet. nam hæc iure antiquo legitima erat portio, quæ inofficioſi teſtamenti querelam excludebat. Inſt. de inoff. teſt. §. igitur quartã. & l. Papinianus. 8. §. quoniam autem. ff. d. tt.* Hodie uerò legitima portio cenſetur, ſiquidem quatuor filij defuncti ſuperſint, uel pauciores, tertia totius ſubſtantiæ defuncti pars: *ſin autem plures ſuperſint, dimidia. Nouell. c. 18. in princip. Sanè l. Titia. 89. §. Imperator. ff. de leg. 2. Imper. Alexander Auguſtus Claudio Iuliano præfecto urbi reſcripſit his uerbis:* Si liquet tibi, Iuliane chariſſime,

charissime,auiam ob interuertendam inofficiosi querelam patrimonium suum donationibus in nepotem factis exinaniſſe:ratio depoſcit, id quod donatum eſt, pro dimidia parte reuocari. *Planè propoſitæ regulæ exceptio hæc eſt: Niſi quis liberos non habens, omnia bona ſua partémue bonorum donauerit, poſteaq; liberos ſit nactus:hoc enim caſu non pro parte,ſed in totum donatio reſcinditur.quæ exceptio approbatur l.ſi unquã. 8. C. de reuocandis donationibus. cuius uerba uide ſ. cap.2.except.5.*

IIII. ADFINIA PROPOSITAE actionis remedia.

Primum adfine remedium eſt, querela inofficioſi teſtamenti. de quo uide ſ. hoc cap.in prin. Secundum adfine remedium eſt,actio familiæ erciſcundæ. quod approbatur l.2.C.de inoff. donationibus. cuius uerba uide ſ.quæſt.2.except.2. Tertium adfine remedium eſt, ſi mortis cauſa donatum ſit,ratio legis Falcidiæ. quod approbatur l.ſi mortis cauſa.5.C.ad l.Falcidiam. cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.2.except.34.repl.1. Quartum adfine remedium eſt,in integrum reſtitutio. de quo uide ſ.hoc cap.quæſt.2.except.5.

V. QVIBVS, *aduerſus quos, quando & quamdiu competat hæc querela inofficioſæ donationis,& alia uide ſ. lib.31. cap.4. cum capitibus ſequentibus. nam quæ inofficioſi teſtamenti iura ſunt, eadem etiam ſunt inofficioſæ donationis,ut dictum ſ.eod.cap.in prin.*

DE MORTIS CAVSA donationibus. Cap. V.

HActenus de donationibus earumq; effectibus in genere dictum eſt: ſequitur de quibuſdam donationis ſpeciebus, & primùm de mortis cauſa donationibus.

I. DEFINITIO *mortis cauſa donationis proponitur Inſtit. de donationib. ſ. mortis cauſa, his uerbis:* Mortis cauſa donatio eſt, quæ propter mortis ſit ſuſpicionem, cum quis ita donat, ut ſi quid humanitùs ei cõtigiſſet,haberet is qui accepit: ſin autem ſuperuixiſſet,is qui donauit reciperet, uel ſi eum donationis pœnituiſſet, aut prior deceſſerit is cui donatum ſit.*Concordat Inſt.d.tt.ſ.& in ſumma, his uerbis:* In ſumma,mortis cauſa donatio eſt, cum magis ſe quis uelit habere, quàm eum cui donatur: magisq; eum cui donat,quàm hæredem ſuum.Sic & Telemachus donat Pireo. *Concordat item l.1. ff.de mortis cauſa donat.his uerbis:* Mortis cauſa donatio eſt, cum quis habere ſe uult magis quàm eum cui donat:magisq; eum cui donat,quàm hęredem ſuum.Sic & apud Homerum Telemachus donat Pireo. *Huius definitionis exceptio hæc eſt: Niſi donatio aliud ſpeciale nomẽ habeat.Hæc exceptio approbatur l.mortis.30.in prin.ff.d.tt.his uerbis:* Mortis cauſa capitur,cum propter mortem alicuius capiendi occaſio obuenit: exceptis ijs capiendi figuris,quę proprio nomine appellantur.Certè enim & qui hęreditario aut legati aut fideicõmiſſi iure capit,ex morte alterius nácifcitur capiendi occaſionem: ſed quia proprio nomine hæ ſpecies capiendi appellantur, ideo ab hac definitione ſeparantur.

II. DIVISIO *huius donationis proponitur l.2.ff. de mortis cauſa donat. his uerbis:* Iulianus libro XVII. Digeſt. tres eſſe ſpecies mortis cauſa donationum ait.Vnam,cum quis nullo præſentis periculi metu conterritus,ſed ſola cogitatione mortalitatis donat. Aliá eſſe ſpeciem mortis cauſa donationũ ait, cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut ſtatim fiat accipientis. Tertiũ genus eſſe donationis ait, ſi quis periculo mortis non ſic det,ut ſtatim fiat accipientis:ſed tunc demum,cum mors fuerit inſecuta. *Concordat l. mortis cauſa,30.ſ.rurſus.& l.ſenatus cenſuit.34.ſ.mortis cauſa.ff.d.tt. quorum uerba uide ſ. cap.prox.exc.8.*

III. PROPRIA *huius donationis proponũtur d.l. 34.ſ.donatio.ff.de mortis cauſa donationib.his uerbis:* Mortis cauſa donatio longè differt ab illa uera & abſoluta donatione,quæ ita proficiſcitur,ut nullo caſu reuocetur. Et ibi qui donat,illum potius quàm ſe habere mauult:at is qui mortis cauſa donat, ſe cogitat, quòd amore uitæ recepiſſe potius quàm dediſſe mauult.& hoc eſt quod uulgò dicitur,ſe potius habere uult, quàm eum cui donat: illũ deinde potius, quàm hæredẽ ſuũ. Ergo qui mortis cauſa donat,qua parte ſe cogitat,negocium gerit: ſcilicet ut, cum conualuerit, reddatur ſibi . Nec dubitauêre Caſsiani, quin & condictione repeti poſsit, quaſi re non ſecuta , propter hanc rationẽ, quòd ea quæ dantur, aut ita dãtur ut aliquid facias, aut ut ego aliquid faciam,aut ut Lucius Titius aliquid faciat,aut ut aliquid contingat: & in iſtis condictio ſequitur.

IIII. SIMILE MORTIS cauſa donationis.

Mortis cauſa donationes ad exemplum legatorum ſunt reuocatæ. quod approbatur Inſt.de donationibus. ſ.hæ mortis cauſa,his uerbis: Hæ mortis cauſa donationes ad exemplum legatorum redactę ſunt per omnia. Nam cùm prudentibus ambiguum fuerat, utrum donationis,an legati inſtar eam obtinere oporteret: & utriuſque cauſæ quædam habebat inſignia , & alij ad aliud genus eam retrahebant : à nobis conſtitutum eſt, ut per omnia ferè legatis connumereretur, & ſic procedat, quemadmodum conſtitutio noſtra eam formauit. *Conſtitutio cuius hic fit mentio , habetur l.ult. ſ.fin. C. de mortis cauſa donationibus. cuius uerba uide ſ. cap.6. except.10. Concordat l.ſi mortis.14. ſ.final. ff.eodem titulo,his uerbis:* Ad exemplum legatorũ mortis cauſa donationes reuocatæ ſunt. *Concordat item l.etſi debitor.16. in fine. ff. eodem titulo. cuius*

cuius uerba uide ſ. cap.prox. quæſt.1. except.3. Item concordat l.illud.36.in prin. ff.eod.tt. his uerbis: Illud generaliter meminiſſe oportebit,donationes cauſa mortis factas legatis comparatas. Quodcunq; igitur in legatis iuris eſt, id in mortis cauſa donationibus erit accipiendum. *Concordat Nouell.c.87.ſ.nam cum ſcirent, his uerbis:* Deprehenſa ueterum legislatorũ de mortis cauſa donatione controuerſia,utrum donatio, an legatum eſſet, pleriſque pro donatione ipſam,nonnullis pro legato numerantibus: ſelecta maioris partis & meliorum legislatorum ſententia, declarauimus, ut penitus ea legatum eſſet, neque publicorum actorum indigeret monumentis, ſed ut liceret hanc perficere, inq; eam certas inſerere conditiones,quas uellet donator: & ſi hoc feciſſet, licentiam quoque haberet renunciandi , ne pœnitentia ob tales donationes ductus, reuocare eas poſsit, quemadmodũ ſapientiſsimus uir Iulianus ſanxit: id quod nos in XXXIX. Digeſt.noſtrorum uolumine deſcripſimus.

V. SPECIES COGNATA EST, mortis cauſa capio: de qua hic agendum.

I. DEFINITIO *mortis cauſa capionis proponitur l.mortis cauſa.30.in prin. ff. de mortis cauſa donat. cuius uerba uide ſ.eod.cap.quæſt.1.in fine.*

II. DIFFERENTIA *à mortis cauſa donatione, proponitur l.inter.37.ff.eod.tt.his uerbis:* Inter mortis cauſa donationes,& ea omnia quæ mortis cauſa quis ceperit, eſt earum rerum differentia. Nam mortis cauſa donatur,quod præſens præſenti dat. Mortis cauſa capi intelligitur,quod non cadit in ſpeciem donationis. Etenim , cùm teſtamento ſuo quis Pamphilum ſeruum ſuum liberum eſſe iuſſit, ſi mihi decem dederit,nihil mihi donaſſe uidebitur: & tamẽ ſi accepero à ſeruo decem, mortis cauſa accepiſſe me conuenit. Idemq; accidit in eo qui ſic hæres inſtitutus eſt,ſi mihi decem dederit:nam accipiendo ab eo qui hæres inſtitutus eſt conditionis implẽdę eius gratia, mortis cauſa capio.

III. SPECIES MORTIS cauſa capionis.

Prima ſpecies eſt id, quod conditionis implendæ cauſa capitur . quæ ſpecies ex iam dictis patet. Concordat l.qui precio.8.ſ.nam & quod. ff.eodem tit. his uerbis: Quod à ſtatulibero conditionis implendæ cauſa capitur, uel à legatario, mortis cauſa accipitur: & quod pater dedit propter mortem filij uel cognati,mortis cauſa capi, Iulianus ſcripſit. *Item concordat l.mortis cauſa.30.ſ.ſine donatione.ff.eod.tt.cuius uerba uide paulò inferius. Concordat denique l.Mœuius.53.in fine.ff.de condit.& demonſt.cuius uerba uide ſ.lib.prox.cap.6.except.14.*

Secunda ſpecies eſt: Si precio accepto quis hæreditatem uel legatum præteremiſerit. Quæ ſpecies approbatur d.l.8.in prin.ff.de mortis cauſa donat.his uerbis: Qui precio accepto hæreditatem prætermiſit, ſiue ad ſubſtitutum peruentura ſit, ſiue ab inteſtato ſucceſſurũ, mortis cauſa capere uidetur. nam quidquid propter alicuius mortem obuenit, mortis cauſa capitur. quam ſententiam & Iulianus probat: & hoc iure utimur. *Cõcordat l.mortis cauſa.30.ſ.ſine donatione.ff.eod.tt. his uerbis:* Sine donatione capitur: ueluti pecunia,quam ſtatuliber aut legatarius alicuius cõditionis implendæ gratia numerat, ſiue extraneus ſit qui accipit, ſiue hæres. In eodem numero eſt pecunia, quam quis in hoc accipit, ut uel adeat hæreditatem,uel non adeat: quiq; in hoc accipit pecuniam,ut legatum omittat.

Tertia ſpecies eſt: Si pecunia accepta hæreditatem adiuit. Quæ ſpecies approbatur uerbis iam dictis hiſce: Vt uel adeat hæreditatem. *Concordat l. eum qui.20.ff.eod.tt. his uerbis:* Eum qui, ut adiret hæreditatem, pecuniam accepiſſet, plerique(in quibus Priſcus quoque eſt)relpõderunt,mortis cauſa capere.

Quarta ſpecies proponitur l.ſi mul.12. ff.de mortis cauſa donat. his uerbis: Si mulier uẽtris nomine per calumniam, ut in poſſeſsionẽ mitti deſideret,pecuniam acceperit, fortè dum ſubſtituto patrocinatur, ut inſtitutum aliqua ratione excludat:mortis cauſa eam capere,Iulianus ſæpius ſcripſit.

Quinta ſpecies proponitur l.mortis cauſa.30.ſ.ſed & dos.ff.eod.tt.his uerbis: Et dos,quam quis in mortem mulieris à marito ſtipulatur, mortis cauſa capitur: cuius generis dotes receptĩciæ uocantur.

Sexta ſpecies eſt: Si cum alicui ita legatum eſſet, Si hæres penum non dederit, decem dato: hæres penũ dederit. Quæ ſpecies approbatur l.1.ſ.item ſi ita,in fine. ff.ad l.Falcidi.m.cuius uerba uide ſ.lib.31.cap.5.reg.50.

VI. EFFECTVS MORTIS cauſa donationis.

Prima regula: Res uxori à uiro mortis cauſa donata non efficitur eius,niſi mortuo marito.quæ regula approbatur l.ſed interim.11.in prin.ff.de donationib.inter uir.& uxor.his uerbis: Inter uirum & uxorem mortis cauſa donationes receptæ ſunt: ſed interim res non ſtatim fiunt eius, cui donatæ ſunt: ſed tunc demum,cum mors inſecuta eſt. Medio igitur tempore dominiũ apud eum remanet, qui donauit. *Concordat d.l.11. ſ.ſi uxor rem,his uerbis:* Si uxor rem,quã acceperat à marito ſuo mortis cauſa,uino eo alij tradiderit, nihil agitur ea traditione : quia non ante ultimum uitæ tempus mulieris fuit. Planè in quibus caſibus placet retrò agi donationem , etiam conſequens traditio à muliere facta in pẽdenti habebitur. *Propoſitæ regulæ exceptio hæc eſt: Niſi donator maritus ſit*

deportatus. quæ exceptio approbatur l.sed si.12.§.1.ff. eod.tt.his uerbis: Si mortis causa uxori donauit,& deportationem passus est,an donatio ualeat, uideamus. Et aliàs placet in casum deportationis donationem factam ualere, quemadmodũ in causa diuortij. Cum igitur deportatione matrimoniũ minimè dissoluitur,& nihil uicij mulier incurrit:humanum est donationem, quæ mortis causa ab initio facta est, tali exilio subsecuto cõfirmari, tâquam si mortuo marito rata habeatur. ita tamen, ut non adimatur licentia marito eã reuocare: quia & mors eius expectanda est, ut tũc plenissimam habeat firmitatem, quando ab hac luce fuerit subtractus, siue reuersus,siue adhuc in pœna constitutus.

Secunda regula: An maritus seruum, quem mortis causa uxori donauit,cum libertate hæredem instituere posit,definitur l.uxori.12. ff. de donationib.inter uirũ & uxorem, his uerbis: Vxori suæ quis mortis causa seruum donauit, eumq; postea cum libertate hæredem scripsit: an ualeat institutio, quæritur? & puto, si hoc animo eum scripsit hæredem, quòd donationis dixit se pœnituisse, ualere institutionem, & necessarium hæredem domino seruum fieri. Cæterùm si, posteaquam hæredem instituit, donauit,donatio præualebit: uel si antè donauit, non tamen animo adimẽdi libertatem scripsit.

Tertia regula:id quod rei donatæ post donationem ante mortẽ donatoris accessit, uel seruus donatus adquisiuit, mortuo donatore ad donatarii pertinet. quæ regula approbatur l.si mortis.39.ff.de mortis causa donationib.his uerbis: Si mortis causa inter uirũ & uxorem donatio facta sit, morte secuta reducitur ad id tempus donatio, quo interposita fuisset. *Concordat l.si is.20. ff. de donationibus inter uirum & uxorem,his uerbis*: Si is seruus,qui uxori mortis causa donatus est, priusquam uir decederet stipulatus est:in pendenti puto esse causam obligationis, donec uir aut moriatur, aut suspicione mortis, propter quã donauit, liberetur. quidquid aũt eorũ inciderit, quod donationem aut perimat, aut confirmet: id quoque causam stipulationis aut confirmabit, aut resoluet. *Concordat l.donationes.25.§.finali.C.eod.tt. cuius uerba uide ẽ.cap.8.except.39.repl.19.*

DE ACTIONE DONATARII ad rem mortis causa donatam petendam. Cap. VI.

INter effectus mortis causa donationis numerantur etiam actiones ad rem donatam petendam ac repetendam, de quibus nunc dicendum est: & primùm quidem de actione quæ ad rem mortis causa donatam petendam datur.

I. CAVSA HVIVS ACTIONIS cum suis exceptionibus.

Causa huius actionis est, si alicui mortis causa sit donatum. quæ causa ipso quidem iure subsistit ex Nouell.c.87.§.cæterùm, his uerbis: Secundum nouellæ nostrę constitutionis obseruationem mortis causa donationibus suam obtinentibus firmitatem, & omnibus alijs præter decuriones queuntibus prædictas mortis causa donationes in quascunq; uelint personas conferre, & conditiones inserere, & (si quidem hoc uelint) pœnitentiæ de reuocandis conuentis renunciare, ut per omnia negocium intra mortis causa donationis terminos eo pacto permaneat. Illud enim sanciendo prędicimus, huiusmodi donationes & firmas fore, & stabiles. quod non hoc primum tempore sancimus, sed quod iàm antè nostris sancitum est legibus, id nunc quoque uoce nostra interpretamur,& confirmamus in alijs omnibus personis: solis tamen (ut dictum est) decurionibus exceptis, idq; studio quodam iuuandæ reipublicæ. *Planè causæ propositæ exceptiones hæ sunt.*

I. Exceptio: *Nisi is qui donauit, testamentum facere non posit. Hæc exceptio approbatur ex contrario sensu l.cum hic status.32.§.si miles,in fine. ff.de donationibus inter uir.& uxor. his uerbis*: Et mortis causa donare poterit,cui testari permissum est. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi filiusfamiliâs uoluntate patris donauerit. Hæc replicatio approbatur l.tam is.24.§.fin.ff.de mortis causa donationib.his uerbis*: Filiusfamiliâs, qui non potest facere testamentum, nec uoluntate patris, tamẽ mortis causa donare patre permittente potest. *Secunda replicatio est: Nisi filiusfamiliâs miles donet. Hæc replicatio approbatur l. si mortis.14.§.item Marcellus. ff.eodem tit. his uerbis*: Cum testamẽto relinquẽdi cui uelint adepti sint filijfam. milites liberam facultatem, credi potest ea etiam permissa, quę in donatione mortis causa fieri debent.

II. Exceptio: *Nisi is qui intestatus decesserit, mortis causa donauerit.Hæc exceptio reprobatur l.tam is.24. in prin.ff.de mortis causa donat. his uerbis*: Tam is qui testamentum facit,quàm qui non facit, mortis causa donare potest.

III. Exceptio: *Nisi non soluendo sit is qui mortis causa donauit. Hæc exceptio approbatur l.etsi debitor.16.ff.d.tt.his uerbis*: Etsi debitor consilio creditorũ fraudandorũ nõ habuisset,auelli res mortis causa ab eo donata debet. Nam cũ legata ex testamẽto eius qui soluendo non fuerit,omnimodò inutilia sint:possunt uide ri etiam donationes mortis causa factæ rescindi debere, quia legatorũ instar obtinẽt. *Concordat l.circa.66.§.fin.ff.ad l.Falcidiã.cuius uerba uide ẽ.lib.prox.cap.2.quæst.5.reg.4.except.9.*

IIII. Exce-

IIII. Exceptio: *Nisi ei donatum sit,cui legari non potest. Hæc exceptio approbatur ex contrario sensu l.omnib.9.ff.de mortis causa donat.cuius hæc sunt uerba*: Omnibus mortis causa capere permittitur,qui scilicet legata accipere possunt. *Concordat l.senatus.34.in prin.ff.eod.tt.his uerbis*: Senatus cẽsuit,placere mortis causa donationes, factas in eos quos lex prohibet capere, in eadem causa haberi,qua essent ea quę in testamento eis legata essent, quibus per legẽ capere nõ liceret. *Ait iurisconsultus*: Senatus censuit. *Hoc senatusconsultum non extat. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi cum tempore donationis non esset capax donatarius,tempore mortis donatoris capere posit. Hæc replicatio approbatur l.in mortis.21.ff.eod.tt.his uerbis*: In mortis causa donationibus non tempus donationis, sed mortis intuendum est, an quis capere possit. *Secunda replicatio est: Nisi cum in annos singulos donatum esset, donatarius quibusdam annis capere posit. Hæc replicatio reprobatur d.l.34.§.fin. ff.eod.tt.his uerbis*: Si quis mortis causa in annos singulos pecuniam stipulatus est,nõ est similis ei cui in annos singulos legatum est. nam licet multa legata essent, stipulatio tamen una est, & conditio eius cui expromissum est, semel intuenda est. *Quod hic dicitur de legatis,uide ẽ.lib.32.cap.3.except.19.repl.8.& 9.*

V. Exceptio: *Nisi uir uxori, uel contrà uxor uiro mortis causa donauerit. Hæc exceptio reprobatur per ea quæ dicentur ẽ.cap.8.except.10.*

VI. Exceptio: *Nisi res non sit tradita. Hæc exceptio approbatur l.inter.37.in prin.ibi:nam mortis. ff. de mortis causa donat. cuius uerba uide ẽ.cap.proxim. quæst.5.in prin. Planè exceptio hæc iure nouo est sublata:de qua re dictum ẽ.cap.2.except.33.*

VII. Exceptio: *Nisi in annos singulos mortis causa sit donatũ. Hæc exceptio reprobatur l.mortis.33.ff.de mortis causa donat.his uerbis*: Mortis causa donatio sic etiã cõstitui potest, ut quis stipuletur in annos singulos,quoad uiueret:scilicet,ut post mortem promissoris incipiat exactio.

VIII. Exceptio: *Nisi donatori eo tempore quo donat,nullum uitæ periculum immineat. Reprobatur hæc exceptio l.2.in prin.ff.de mortis causa donat.cuius uerba uide ẽ.cap.prox. quæst.2. Concordat l.mortis causa.30.§.rursus.ff.eod.tt.his uerbis*: Id quod mortis causa donatur, aut in periculo mortis datur, aut cogitatione mortalitatis, quòd nos quoque morituros intelligimus. *Concordat item l.senatus.34.§.mortis.ff.cod.tt.his uerbis*: Mortis causa donatio fit multis modis. aliàs extra suspicionem ullius periculi à sano, & in bona ualetudine posito, cui ex humana sorte mortis cogitatio est. Aliàs ex metu mortis, aut ex præsenti uitæ periculo, aut futuro: siquidem terra mariq;, tam in pace quàm in bello, tam domi quàm militiæ,multis generibus mortis periculum metui potest. *Concordat item l.mortis causa.2.cum tribus ll.sequentib.ff.eod.tt.his uerbis*: Mortis causa donare licet non tantùm infirmæ ualetudinis causa, sed periculi etiam propinquæ mortis, uel ab hostibus,uel à prædonibus,uel ab hominis potentis crudelitate aut odio, aut nauigationis ineundæ, aut per infidiosa loca itturus, aut ætate confectus. hæc enim omnia instans periculum demonstrant.

IX. Exceptio: *Nisi non suæ, sed alterius mortis causa donauit. Et hæc exceptio reprobatur l.mortis causa.17.in prin.ff.de mortis causa donationib.his uerbis*: Mortis causa capimus nõ tunc solùm, cum quis suæ mortis causa nobis donat,sed etiam si propter alterius mortem id efficiatueluti si quis filio uel fratre suo moriente,donet Mæuio ea conditione,ut si conualuerit alteruter eorum, reddatur sibi res: si decesserit, maneat apud Mæuium. *Concordat l.mortis causa.11.ff.eod.tt.his uerbis*: Mortis causa filij sui donare pater rectè poterit nutui, etiam constante matrimonio filij. *Concordat item l.nec fratris.3.C.eod.tt. his uerbis*: Nec fratris sui mortis causa rectè factam donationem sorori rescindere licet.

X. Exceptio: *Nisi donatio actis non sit insinuata. Hæc exceptio reprobatur l.ult.C.de mortis causa donat.his uerbis*: Cum de mortis causa donatione dubitabatur, & alij quidẽ inter ultimas uoluntates eam posuerunt,& legatis aggregandam esse censuerunt: alij autem inter donationes quæ inter uiuos cõsistunt, eam posuerunt: dubietate eorum exposita, sancimus omnes mortis causa donationes,siue iuxta mortem facientis fuerint celebratæ, siue longiore cogitatione mortis subsecutę sunt, actis minimè indigere, neq; expectare publicarum personarum præsentiam, & ea quæ super huiusmodi monumentis solent adhiberi:sed ita res procedat,ut si quinque testibus præsentibus,uel in scriptis, uel sine literarum suppositione aliquis uoluerit mortis causa donationem facere,& sine monumentorum accessione res gesta maneat firmitate uallata, & nullã in ea calumniam accipiat: neque propter hoc, quòd gesta ei non accesserunt, inefficax esse atque inutilis uideatur: & omnes effectus sortiatur, quos ultimæ habent liberalitates, nec ex qua cunq; parte abs imilis esse intelligatur. *Concordat Nouell.c.87.§.nam cum scirent. cuius uerba uide ẽ.cap.prox.quæst.4.in fine.*

XI. Exceptio: *Nisi donator ob sceleris conscientiam mortem sibi consciuit. Item*

XII. Exceptio: *Nisi memoria donatoris post mortem eius sit dãnata. Hæ duæ exceptiones approbantur argumento l.cum hic status.32.§.si maritus. ff. de donationib.inter uir.& uxor. cuius uerba proponentur ẽ.cap.8.except.39.repl.9.*

XIII. Exceptio: *Nisi donator pœna capitis fuerit affectus. Hæc exceptio approbatur l.si aliquis.7.ff. de mortis causa donationibus, his uerbis:* Si aliquis mortis causa donauerit,& pœna fuerit capitis affectus,remouetur donatio ut imperfecta: quamuis cæteræ donationes, quæ sine suspicione pœnæ factæ sunt,ualeant.

XIIII. Exceptio: *Nisi donator conualuerit. Hæc exceptio approbatur l.non uidetur.31.ff.de mortis causa donat. his uerbis:* Non uidetur perfecta donatio mortis causa facta, antequam mors insequatur. *Concordat l.apud Celsum.4.§.1.ff.de doli mali except. cuius uerba uide §.lib.37. cap.3. except.45. Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi in donatione ita conuenerit, ut nullo casu eius sit repetitio. Hæc replicatio approbatur l.si alienam.13. §.fin.ff.de mortis causa donat. his uerbis:* Potest sic quoque donari mortis causa, ut nullo casu sit eius repetitio: & ideo nec si conualuerit quidem donator, reuocabitur. *Concordat l. ubi ita.26.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.lib.prox.cap.2. except.34.in prin. Item concordat l.senatus.34.§.non etiam sic, in fine.ff. eod.tt. his uerbis:* Sic quoque potest donari mortis causa, ut nullo casu sit repetitio, ne si conualuerit quidem donator. *Secunda replicatio est: Nisi res aliena donata sit, eáq; à donatario usucapta. Hæc replicatio reprobatur l.si alienam.13.in prin.ff.eod.tt. his uerbis:* Si alienam rem mortis causa donauero, eaq; usucapta fuerit: uerus dominus eam condicere non potest,sed ego,si cõualuero. *Tertia replicatio est: Nisi liberatione debiti donata, debitor etiam tempore fuerit liberatus. Et hæc replicatio reprobatur l.quod deb.23.ff.eod.tt.his uerbis:* Quod debitori acceptum factum esset mortis causa,si conualuerit donator,etiam tempore liberato ei potest condici.nanque acceptilatione interueniente abitum est à iure pristinæ obligationis, eamq; in huiusmodi condictionem transfusam dicimus. *Reliquas propositæ exceptionis replicationes uide §.except.prox.*

XV. Exceptio: *Nisi donator mutauerit uoluntatem, eumq; pœnituerit. Hæc exceptio approbatur l. qui mortis.29.ff.de mortis causa don. his uerbis:* Qui mortis causa donauit, ipse ex pœnitentia condictionem, uel utilem in rem actionem habet. *Concordant ea quæ proponuntur infrà quæstione 4. Huius autem exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi donator potestati mutandæ uoluntatis specialiter renunciauerit. Hæc replicatio approbatur Nouell.c.87.§.cæterùm.ibi:& si quidem hoc uelint. cuius uerba uide suprà hoc cap.in prin. Concordat d.Nouell.c.87.§.nam cum scirent. cuius uerba uide §.cap.prox.quæst.4.in fine. Secunda replicatio est: Nisi specialiter conuenerit, ut omni modo non reddatur. Hæc replicatio approbari uidetur l.si alienam. 13.§.Marcellus. ff.de mortis causa donationib. his uerbis:* In mortis causa donationibus etiam facti quæstiones sunt. nam & sic potest donari,ut rũ,ut omnimodò ex ea ualetudine donatore mortuo res non reddatur: & ut reddatur,etiamsi prior ex eadẽ ualetudine donator decesserit,si tamen mutata uoluntate restitui sibi uoluerit. Sed & sic donari potest, ut nõ aliter reddatur, quàm si prior ille qui acceperit,decesserit. Potest sic quoque,&c. *Reliqua uide §.except.prox.repl.1. Concordat l.senatus.34. §.nam etiam sic. ff. eod.tt. his uerbis:* Etiam sic potest donari, ut omnino ex ea ualetudine donatore mortuo res non reddantur: & ut reddantur, etiamsi prior ex eadem ualetudine decesserit,si tamen uoluntate mutata restitui sibi uoluerit. sic donari potest, ut non aliter reddantur, quàm si prior ille qui accepit,decesserit. Sic quoque potest donari mortis causa, ut nullo casu sit repetitio, ne si conualuerit quidem donator. *Tertia replicatio est: Nisi in donatione conuenerit, ut tantùm uno certo casu res reddatur. tunc enim reliquis casibus uidetur renunciatum. Hæc replicatio uidetur approbari per ea quæ proposita sunt §.repl.prox. Huic concordat l.qui precio.8.§.finali.ff.eod.tt.his uerbis:* Et sic posse donari Iulianus ait, ut (tunc demum) si conualuerit,recipiat.

XVI. Exceptio: *Nisi donatarius ante donatorem fuerit mortuus. Hæc exceptio approbatur instit.de donationib.§.mortis causa,in fine.cuius uerba uide §.cap. prox.in prin. Concordat l.etiamsi.6. C.de donat.inter uirum & uxorem, his uerbis:* Etiamsi uxoris tuæ nomine res,quæ tui iuris fuerant,deposite sunt:causa proprietatis ea ratione mutari non potuit, etsi donasse te uxori res tuas ex hoc quis intelligat: cum donatio in matrimonio facta,prius mortua ea quæ liberalitatem excepit,irrita sit. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi simul tam donator quàm donatarius decesserint, ut ignoretur uter prior perierit. Hæc replicatio approbatur l.si hi.25.ff. de mortis causa donationibus, his uerbis:* Si hi qui inuicẽ sibi mortis causa donauerunt, pariter decesserint, neutrius hæres repetit: quia neuter alteri superuixerit. Idem iuris est,si pariter maritus & uxor sibi donauerint. *Concordat l. cum hic status.32. §.si ambo.ibi:proinde rectissimè. ff. de donationibus inter uirum & uxorem. cuius uerba uide §.cap.8.except.29.repl.14.dupl.3. Secunda replicatio est: Nisi cùm filiofamiliâs uel seruo donatum esset, pater dominusue superuiuat. Hæc replicatio reprobatur sub conditione l.si filiofam.22.ff.de mortis causa donat.his uerbis:* Si filiofamiliâs mortis causa donatum sit, & uiuo donatore moriatur filius,& pater uiuat: quæsitum est, quid iuris sit? Aphricanus respondit,morte filij condictionem competere,si modò ipsi filio potius quàm patri donaturus dederit: alioquin si quasi ministerio eius pater usus sit, ipsius patris mortem spectãdam esse.Idémque iuris fore, etsi de persona serui quæratur.

tur. *Concordat l.si seruo.43. ff.eod.tt.his uerbis:* Si seruo mortis causa donatum sit, uideamus cuius mors inspici debeat, ut sit locus condictioni, domini,an ipsius serui? Sed magis eius inspicienda est,cui donatum esset. Sed tamen post mortem eius ante apertas tabulas testamenti manumissum hæc donatio non sequitur. *Hæc de exceptionibus actionis propositæ, necnon de causis actionis §.cap.prox.proponendæ. Sequuntur reliqui propositæ actionis loci.*

II. QVIBVS DATVR hæc actio?

Prima regula: De seruo cui donatum est manumisso, & domino eius, utri detur,definitur *d.l.43.§.fin.ff. de mort.caus.donat. cuius uerba uide paulò superius. Sed & plura de regula proposita uide §.lib.33.capite 1. quæst.3.reg.2.except.1.*

Secunda regula: Si filiofamiliâs mortis causa donatum sit,isq; mortis donatoris tempore paterfamiliâs inueniatur,ipsi adquiritur, non patri. quæ regula approbatur l.sed interim.11.§.idem ait. ff. de donationib.inter uirum & uxorem.cuius uerba uide infrà cap.3.except.10.repl.8.

Tertia regula: Si patrifamiliâs donatũ sit, qui mortis donatoris tempore filiusfamiliâs inueniatur, nõ ipsi, sed patri adquiritur. quæ regula approbatur d.l.11.§. per contrarium,his uerbis: Per contrarium quoque, si uxor donauerit mortis causa patrifamiliâs marito, & mortis eius tempore filiusfamiliâs inueniatur, patri erit nunc emolumentum quæsitum.

Quarta regula, De substituto ei cui mortis causa donatum est. Et huic datur actio. quæ regula approbatur l.ei cui.10.ff.de mortis causa don.his uerbis: Ei cui mortis causa donatum est, posse substitui constat in hunc modum,ut promittat alicui,si ipse capere nõ possit: uel sub alia cõditione. *Concordat l.unica.§.sin autem aliquid, in fine.C.de caducis tollendis. cuius uerba uide §.lib.32.capite ult.quæst.1.reg.4. Concordat item l.1.C.de mortis causa donationib.his uerbis:* Si donatione contineatur,ut altero defuncto,ad alterum portio eorum quæ donabantur pertineret:existente conditione, si mortis causa donatio perficiebatur, fideicommissi actio competit. *Plura de hac re uide §.lib.32.cap.4.except.40. repl.12.in prin.*

III. QVID ET QVANTVM ueniat in hanc actionem?

I. Regula: *De eo quod rei donatæ post donationem acceßit,proponitur l.si mortis causa.39.ff.de mort.causa donat. cuius uerba cum concordantibus uide §.cap. prox.quæst.6.reg.3.*

II. Regula: *Si immodicè uel inofficiosè donatũ sit mortis causa, quarta ratione Falcidiæ retineri potest. quæ regula approbatur per ea quæ habentur §.libro prox.cap.1.except.24.repl.1. Cuius regulæ exceptio hæc est: Nisi ita donatum sit, ut nullo casu reuocetur. Hæc exceptio approbatur l.ubi ita.26. ff. de mortis causa donationibus. cuius uerba uide d.except.34.in prin. Concordat l.Seia.41.§.fin.ff.eod.tt. cuius uerba uide itidem d.except.34.in prin.*

IIII. QVANDO COMpetit hæc actio?

Non nisi post mortem donatoris.quæ regula approbatur l.non uid.31.ff. de mortis causa donat. his uerbis: Non uidetur perfecta donatio mortis causa facta,antequam mors insequatur. *Concordat l.mortis causa.33.in fine. ff. eod.tt. cuius uerba uide §. eod.cap.except.7. Huius regulæ exceptio uidetur esse talis: Nisi cum quis Titio bona sua donasset & tradidisset,retento sibi eorum usufructu,ita ut Titio ante donatorem mortuo liberis eius sint donata,Titius ante donatorem mortuus sit: hoc enim casu liberis Titij ad cautionẽ præstandã aduersus donatorem actio uidetur data. Verùm exceptio hæc reprobatur l.Seia.41.in prin. ff.de mortis causa donat. his uerbis:* Seia cùm bonis suis, traditionibus factis, Titio cognato donationis causa cessisset, usumfructũ sibi recepit, & conuenit, ut si Titius ante ipsam uita decessisset, proprietas ad eam rediret: & si postea superstitib. liberis Titij mortua fuisset,tunc ad eos bona pertinerent. Igitur si res singulas hęredes Lucij Titij uendicẽt, doli nõ inutiliter proponetur exceptio. Bonæ fidei autem iudicio constituto quærebatur, an mulier promittere debeat, se bona, cũ morietur,filijs Titij restiturã? Incurrebat hæsitatio nõ extorquendæ donationis, quæ nondum in persona filiorum initium acceperat. Sed nunquid interposita cautione, prior donatio, quæ dominio translato perfecta est, propter legẽ in exordio datam perimeretur,dũ secũda permittitur? Vtrum ergo certę conditionis donatio fuit, an quę mortis consilium ac titulũ haberet? Sed negari non potest,mortis causa factum uideri. Sequitur ergo, ut soluta priore donatione, quoniã Titio Seia superstes fuerit, sequens extorqueri uideatur. Muliere denique postea diem functa, liberi Titij, si cautionẽ ex consensu mulieris acceperint, ad contributionem propter Falcidiam ex persona sua tenebuntur.

V. QVAE EX MORTIS CAVsa donatione competat actio,quæq; eius adfinia sint remedia?

Prima regula: in rem actio donatario cõpetit. Quæ regula approbatur l.si mortis causa.28.ibi:mortuo eo. item ibi:interim autem. ff.de mortis causa donat. cuius uerba proponentur §.cap.prox.quæst.ult.

Secunda regula: Si donatariorũ alter alteri sit substitutus: existente conditione fideicommissi actio competit. quæ regula approbatur l.1.C.eod.tt. cuius uerba uide §.quæst.2.reg.4.

Tertia regula: Si debitori chirographa uel liberatio mortis causa donetur, hæredi debitum petenti obstat exceptio.quæ regula approbatur l.mortis causa.17.

§. Titia. ff. de mortis causa don. his uerbis: Titia chirographa debitorum suorũ Septitij & Mæuij donatura illis Agerię dedit, & rogauit eam, ut si decessisset, illis daret: si cõaluisset, sibi redderet. morte secuta, Mæuia Titiæ filiæ hæres extitit: Ageria autem, ut rogata erat, chirographa Septitio & Mæuio suprascriptis dedit. quęritur, si Mæuia hęres summam quæ debebatur, ex chirographis suprascriptis petat, uel ipsa chirographa, an exceptione excludi possit? Iulianus respondit, Mæuiam uel pacti cõuenti, uel doli mali exceptione summoueri posse. *Concordat l. aunnculo. 27. ff. eod. tt. his uerbis:* Aunnculo suo debitori mortis causa donaturus quæ debebat, ita scripsit: Tabulæ uel chirographum, ubicunq; sint, inanes esse uolo, neq; eũ soluere debere. quæro, an hæres, si pecuniã ab aunnculo defuncti petat, exceptione doli mali se tueri possit? Marcellus respondit, posse: nimirum enim contra uoluntatẽ defuncti hæres petit ab eo. *Concordant insuper ea quæ proposita sunt ſ. lib. 33. cap. 5. reg. 11.*

DE ACTIONE AD REuocandam mortis causa donationem, & rem repetendam.
Cap. VII.

PRIMO': *Causæ huius actionis, propositæ sunt exceptionum loco ſ. cap. prox. quæſt. 1. præsertim exceptione 14. cum sequentibus. Quæ ergo ibi dicta sunt, ad hunc quoq; locum pertinent: quæq; ibi replicationum loco posita sunt, hic exceptionũ loco sunt repetenda. Sed & huiusmodi exceptionum una & hæc est: Nisi donator non reddat impensas, quas donatarius in rem fecit. quæ exceptio approbatur l. si mortis. 14. ff. de mort. causa donat. his uerbis:* Si mortis causa donatus fundus extet, & in eum impensæ necessariæ atq; utiles factæ sint: fundum uendicantes, doli mali exceptione submouentur, nisi precium earum restituant.

II. ADVERSVS QVOS detur hæc actio?

Si cum duos reos promittendi haberet, uni acceptum tulit, nihilominus alteri poterit condici. quæ regula approbatur l. senatus. 34. §. si duob. ff. de mort. causa donat. his uerbis: Si duobus debitoribus mortis causa donaturus creditor uni acceptum tulerit, & conaluerit, eligere potest utri eorum condicat.

III. QVID VENIAT in hac actione?

Prima regula, De *ipsa re donata, & rei precio, utrũ ueniat petendum?* Regulariter quidem *ipsa res donata uenit condicenda. Cuius regulæ exceptio prima hæc est: Nisi filiofamiliâs mortis causa donatũ sit: tunc enim aduersus patrem de peculio actio datur. quæ exceptio approbatur simul & distinguitur l. si filiofamil. 18. ff. de mortis causa donat. his uerbis:* Si filiofamiliâs res mortis causa fuerit donata, & conaluisset donator: actionẽ de peculio cũ patre habet. At si paterfamiliâs, cùm mortis causa donationẽ accepisset, in adoptionem se dederit: res ipsa à donatore repetitur. *Secunda exceptio est: Nisi donatarius rem alienauerit. tũc enim precium rei condicendũ. quæ exceptio approbatur d. l. 18. in fine, his uerbis:* Nec huic similis est is, qui rẽ, quam mortis causa acceperat, alij porrò derit. nam donator huic nõ rem, sed preciũ eius cõdicet. *Concordat l. si is. 38. ff. eod. tt. his uerbis:* Si is cui mortis causa seruus donatus est, eum manumisit, tenetur condictione in preciũ serui: quoniam scit, id posse sibi cõdici, si conaluerit donator. *Planè si res donata à donatario alienata sit, in arbitrio ipsius donatoris est, utrum precii, an rem ipsam uelit cõdicere. quod approbatur l. illud. 36. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Iulianus ait, Si quis seruum mortis causa sibi donatũ uendiderit, & hoc uiuo donatore fecerit: precij condictionẽ donator habebit, si conaluisset, & hoc donator elegerit: alioquin & ipsum seruum restituere compellitur. *Quanti autem res sit æstimanda, si precium eius restituendum sit, uide ſ. lib. prox. cap. 2. quæſt. 4.*

Secunda regula: Si nomen debitoris qui non est soluendo, sit donatum, quid condicendum, definitur l. mortis causa. 17. §. si donaturus. ff. de mortis causa donat. his uerbis: Si donaturus mihi mortis causa debitorem tuum creditori meo delegaueris, omnimodò capere uidebor tantam pecuniam, in quãtam à creditore meo liberatus fuero. Quòd si ab eodem ego stipulatus fuero, eatenus capere existimandus ero, quatenus debitor soluẽdo fuerit. nam etsi conaluisset creditor, idemq; donator, condictione duntaxat reciperet. *Concordat l. mortis causa. 30. §. si insseris. ff. eod. tt. his uerbis:* Si iusseris mortis causa debitorẽ tuũ mihi aut creditori meo expromittere decẽ: quid iuris sit, quæritur, si iste debitor soluendo non sit? Et ait Iulianus, si ego stipulatus fuerim, tantam pecuniã me uideri accepisse, in quãtam debitor soluendo fuisset. Nam etsi conaluisset (inquit) donator, obligationẽ debitoris duntaxat recipere deberet. Si uerò creditor meus stipulatus fuerit, tantã pecuniam uideri me accepisse, in quantum à meo creditore liberatus essem. Per acceptilationem quoque egenus debitor liberatus, totã eam pecuniam, qua liberatus est, cepisse uidetur. *Sed pertinẽt hæc potius ad ea quæ dicta sunt ſ. lib. proxim. cap. 2. quæſt. 4. reg. 8.*

Tertia regula: Fructus quoq; condicuntur. Quæ *regula approbatur l. uideamus. 38. §. item si indebitum. ff. de usuris & fructibus, his uerbis:* Si indebitum solui, & repeto, fructus quoq; repetere debebo. Idemq; est, si mortis causa fundus sit dona-

donatus, & reualuerit qui donauerat, atque ita condictio nascatur.

IIII. QVANDO competat?

Etiam dum pendet, an conualescere possit, repetere potest donator. Quæ regula approbatur l. mortis causa. 15. ff. de mortis causa donat. his uerbis: Mortis causa donatio, etiam dum pendet, an conualescere possit donator, reuocari potest. *Sed de hac re uide ſ. cap. prox. except. 15.*

V. QVAE ACTIO COMPEtat, quæq; eius sint adfinia remedia?

I. Regula: Condictio competit rei donatæ. Quæ regula approbatur l. senatus. 34. §. nec dubitauêre. ff. de mortis causa donat. cuius uerba uide ſ. cap. 5. quæſt. 3. Concordat l. mortis causa. 17. §. si donaturus, in fine. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò superius quæſt. 3. reg. 2. Item concordat l. qui mortis. 29. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. cap. prox. except. 15. in prin.

Secunda regula: Etiam in rem actio competit donatori. Quæ regula approbatur d. l. 29. item l. si mortis. 28. ff. eod. tt. his uerbis: Si mortis causa res donata est, & conaluit qui donauit: uidendum, an habeat in rem actionem? Et si quidẽ sic quis donauerit, ut si mors contigisset, tunc haberet cui donatum est, sine dubio donator poterit rem uendicare: mortuo eo, tunc is cui donatum est. Si uerò sic, ut iam nunc haberet, sed redderet, si conaluisset, uel de prælio, uel de peregrinatione redijsset, uel de quo posset defendi, in rem competere donatori actionem, si quid horum contigisset: interim autem ei cui donatũ est. Sed etsi morte prẽuẽtus sit is cui donatum est, adhuc quis dubitat, in rem donatori competere?

Tertia regula: Datur etiam in factum actio. Quæ regula approbatur l. mortis causa. 17. §. si donaturus, in fine. ff. de mortis causa donationib. cuius uerba uide ſ. eod. cap. quæſt. 3. reg. 2.

DE DONATIONIBVS inter uirum & uxorem.
Cap. VIII.

SEquitur *de alia specie donationis, quæ est ipso iure nulla, quãdo scilicet uxor uiro, uel contrà uir uxori donauerit. Sit igitur huius capitis principalis propositio ac regula talis, Quòd donatio inter uirum & uxorem nullius sit momenti, nec obligatoria. Quæ regula approbatur l. 1. cum ll. sequentibus. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Moribus apud nos receptum est, ne inter uirum & uxorem donatio ualeret. Hoc autem receptum est, ne mutuo amore se inuicem spoliarent, donationibus non obtemperantes, & profusa erga se facilitate utẽtes, nec esset eis studium liberos potius educandi. Sextus Cæcilius & illam causam adijciebat, quia sæpe futurum esset, ut distraherentur matrimonia, si non daret is qui posset: atque ea ratione euenturum, ut uenalia matrimonia essent. Hæc ratio & oratione Imperatoris nostri Antonini electa est. nam ita ait: Maiores nostri inter uirum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes: famæ etiam coniunctorũ consulentes, ne concordia precio conciliari uideretur, néue melior in paupertatem decideret, deterior ditior fieret. *Concordat l. sed si uir. 31. §. quod legatur, us, in fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. except. 9. Concordat item l. cum multæ. 20. §. simplices. C. de donat. ante nuptias. cuius uerba uide ſ. lib. 15. cap. 11. in prin. Concordat item Nouell. c. 74. §. illud quoq; melius. cuius uerba uide ſ. lib. 14. cap. 4. except. 13. in fine. Nunc propositæ regulæ exceptiones cũ suis replicationibus ordine dispiciamus, quæ certè multæ & uariæ sunt, partim ex personis donantium, & ijs quibus donatur, partim ex re donata, partim ex specie seu forma donationis, ex causa & modo, ex tempore donationis & consequentibus desumptæ.*

I. Exceptio: Nisi ante nuptias sponsus sponsæ, uel contrà hæc illi donauerit. Hæc exceptio approbatur l. inter eos. 27. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis: Inter eos qui matrimonio coituri sunt, ante nuptias donatio facta iure consistit, etiãsi eodem die nuptiæ fuerint consecutæ. *Concordat l. 2. §. fin. ff. de donat. cuius uerba uide ſ. capite 1. quæſt. 4. Ait iurisconsultus:* Etiamsi eodem die nuptiæ fuerint cõsecutæ. *Hisce uerbis reprobatur prima propositæ exceptionis replicatio hæc: Nisi nuptiæ eodem die, quo donatio facta est, fuerint secutæ. Cõcordat l. Seia. 66. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Virgini in hortos deductæ ante diem tertium, quàm ibi nuptiæ fierent, cũ in separata diæta ab eo esset, die nuptiarũ, priusquam ad eũ trãsiret, & priusquã aqua & ignis acciperetur, id est nuptiæ celebrarẽtur, obtulit decẽ aureos dono. quæsitum est, post nuptias cõtractas diuortio facto, an summa donata repeti possit? Scæuola respondit, id quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse deduci. *Planè admittitur replicatio proposita, si in domo uiri donatio die nuptiarum sit facta. Quæ distinctio approbatur l. cũ in te. 6. C. de don. ante nupt. his uerbis:* Cum in te simplicem donationem dicas factam esse die nuptiarum, & in ambiguum possit uenire, utrum à spõso, an à marito donatum sit: distinguendum est, ut si in tua domo donum acceptum est, ante nuptias uideatur facta esse donatio: quòd si penes se dedit sponsus, retrahi possit. uxor enim fuisti. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi cum ante nuptias promissum esset, in tempus matrimonij collata sit donatio. Hæc exceptio approbatur l. cum hic status. 32. §. si sponsus. ff. de don. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si sponsus sponsæ donauerit, in tempus matrimonij collata donatione: quamuis inter uirũ & uxorem do-

natio non uidetur facta, & uerba orationis minus sufficiant: tamen donationem dicendum est ad sententiam orationis pertinere, ut si durauerit uoluntas usque ad mortē, ualeat donatio. *Concordat l. quod sponsæ. 4. C. de donat. ante nupt. cuius uerba uide §. lib. 15. cap. 11. quæst. 4. reg. 3. except. 3.* *Planè hoc casu non simpliciter inutilis censetur donatio, sed causa cognita. quod duplicationis loco notandum.* *Quæ duplicatio approbatur l. si ita. 97. §. fin. ff. de uerb. obligat. his uerbis*: Si tibi nupsero, decem dare spondes. causa cognita denegandam actionem puto: nec rarò probabilis causa huiusmodi stipulationis est. Item si uir à muliere eodem modo, non in dotem stipulatus est. *Tertia replicatio est*: *Nisi cum sponsus alicui rem dedisset sponsæ dandam, is post nuptias demum mulieri dederit.* *Hæc replicatio approbatur sub conditione l. si sponsus. 5. in prin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si sponsus sponsæ donaturus tradiderit Titio, ut is sponsæ daret, deinde Titius tradiderit post nuptias secutas: siquidem maritus eum interposuit, donationem non ualere, quæ post contractas nuptias perficiatur: si uerò mulier eum interposuit, iamdudum perfectam donationem, hoc est, ante nuptias: atq; ideo, quamuis contractis nuptijs Titius tradiderit, donationem ualere. *Planè replicatio proposita cū superiore proxima fundatur in iure antiquo, quo donationes non nisi re tradita perficiebantur: quod tamen ius postea sublatū est, & constitutum, ut etiam sine traditione uel sola stipulatione, imò nudo consensu donatio perficiatur. de qua re dictum §. capite 2. except. 33.* *Cum itaq; causa seu ratio propositarum replicationum sit sublata, non ineptè quis dixerit, & ipsas replicationes sublatas esse iuxta uulgarem regulam, quæ est: Cessante causa, cessat effectus.* *Quarta replicatio est*: *Nisi cum ante nuptias sponsus sponsæ rem alienam donasset, post nuptias permutatione facta suam dederit.* *Hæc replicatio reprobatur l. si donatio. 36. §. fin. ff. d. tt. cuius uerba ĩ. proponentur except. 25.*

11. Exceptio: *Nisi post solutum matrimonium donauit.* *Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, eiusq; exemplum proponitur l. donatio. 4. in fine. C. de donationib. inter uir. & uxor. cuius uerba uide ĩ. except. 39. in prin.* *Verùm eius replicatio prima hæc est*: *Nisi diuortium non sit legitimum.* *Quæ replicatio approbatur l. si non. 35. ff. eod. tt. his uerbis*: Si non secundum legitimam obseruationem diuortium factum sit, donationes post tale diuortium factæ nullius momenti sunt, cum non uideatur solutum matrimonium. *Secunda replicatio est*: *Nisi diuortium sit simulatum.* *Hæc replicatio approbatur l. uir mul. 64. ff. eod. tt. his uerbis*: Vir mulieri diuortio facto quædam id circo dederat, ut ad se reuerteretur. mulier reuersa erat, deinde diuortiū fecerat. Trebatius inter Terentiam & Mœcenatem respondit, si uerum diuortium fuisset, ratam esse donationem: si simulatum, contrà. Sed uerum est quod Proculus & Cæcilius putant, tunc uerum esse diuortium, & ualere donationem diuortij causa, si aliæ nuptiæ insecutæ sint, aut tam longo tempore uidua fuisset, ut dubium non foret, alterum esse matrimoniū: aliàs nec donationem ullius esse momenti futuram. *Concordat l. cum hic status. 32. §. si mulier. ff. eod. tt. his uerbis*: Si mulier & maritus diu seorsim habitauerint, sed honorē inuicē matrimonio habeant, quod scimus interdū & inter cōsulares personas subsecutum: puto donationes nō ualere, quasi durauerint nuptiæ. nō enim coitus matrimoniū facit, sed maritalis affectio. Si tamen donator prior decesserit, tunc donatio ualebit.

111 Exceptio: *Nisi donatio facta sit, antequam mulier in domum mariti deduceretur, uel tabulæ dotis signarētur.* *Hæc exceptio reprobatur l. Seia. 66. in prin. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis*: Seia Sempronio, cùm certa die esset nuptias, antequam domum deduceretur, tabulæq; dotis signarentur, donauit tot aureos. quæro, an ea donatio rata sit? Scæuola, nō attinuisse tempus, an antequam domum deducere tur, donatio facta esset, aut tabularum consignatarum, quæ plerunque & post contractum matrimonium fierent, inquirere exprimit. Itaq; nisi ante matrimonium contractum, quod de consensu intelligitur, donatio facta esset, non ualere, &c. *Reliqua huius legis uerba uide §. except. 1. repl. 1.*

1111. Exceptio: *Nisi matrimonium non consistat, uel nullum sit.* *Hæc exceptio approbatur l. hæc ratio. 3. §. uideamus. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis*: Videamus, inter quos sint prohibitæ donationes. Et quidem, si matrimonium legibus & moribus constat, donatio non ualebit: sed si aliquod impedimentū interueniat, ne sit omnino matrimonium, ualebit donatiò. Ergo si senatoris filia libertino contra senatusconsultum nupserit, uel prouincialis mulier ei qui ibi moretur contra mandata, ualebit donatio: quia nuptię nō sunt. Sed fas nō est eas donationes ratas esse, ne melior cōditio sit corū qui deliquerūt. Diuus tamen Seuerus in liberta Pontij Paulini senatoris contrà statuit: quia non erat affectione uxoris habita, sed magis concubinæ. *Ait Iurisconsultus*: Sed fas non est eas donationes ratas esse, ne melior conditio sit eorum qui deliquerunt. *Ex his uerbis constat, exceptionem propositam stricto quidem iure subsistere, æquitatis autem ratione nequaquam: quod replicationis loco notandum.* *Cui concordat l. cum hic status. 32. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis*: Si senator libertinam desponderit, uel tutor pupillam, uel quis alius ex his qui matrimonium copulare prohibentur, & duxerit, an donatio quasi in sponsalibus facta ualeat? & putat Vlpianus, etiam sponsalia improbāda, & quasi ab indignis ea quæ donata sunt, ablata fisco uindicari. *Quod antè ait* I.C. Quasi in spōsalibus facta: *hoc quorsum pertineat, dicetur paulò inferius duplic. 1.* *Cōcordat replicationi propositæ l. si ex. 7. C. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis*: Si ex uoluntate patris tui filio tutoris nupta es, collata in maritum donatio ipso iure irrita est: sed si matrimonium iure non ualuit, licet ipso iure donatio tenuerit: quia tamen indigna persona eius fuit, qui nec maritus potest dici, utiles actiones super reuocandis his tibi competunt. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est*: *Nisi quis eam quæ nondum uiripotens est, in uxorem duxerit. hoc enim casu, quamuis matrimonium non consistat, tamen donatio etiam æquitatis ratione non infirmatur.* *Quæ replicatio approbatur l. quod uir. 65. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis*: Quod uir ei quæ nondum uiripotens nupserat, donauerit, ratum futurum existimo. *Concordat l. cum hic status. 32. §. si quis sponsam. ff. eod. tt. his uerbis*: Si quis sponsam habuit, deinde eandem uxorem, cum non liceret: an donationes quasi in spōsalibus factæ ualeant, uideamus? Et Iulianus tractat hāc quæstionē in minore duodecim annis, si in domum mariti quasi immatura sit deducta. ait enim, hāc sponsam esse, etsi uxor nō sit. Sed est uerius quod Labeoni uidetur, & à nobis & à Papiniano libro decimo Quæstionum probatum est, ut si quidē præcesserint spōsalia, durent, quamuis eam uxorem esse putauit qui duxit: si uerò non præcesserint, neq; sponsalia esse, quæ non fuerunt: neq; nuptias, quòd nuptiæ esse non potuerunt. Ideoq; si sponsalia antecesserunt, ualet donatio: si minus, nulla est: quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad uxorem fecit: & ideo nec oratio locum habebit. Sed si senator, &c. *Reliqua uerba uide paulò superius eadem replicatione, in prin.* *Ait Iurisconsultus*: Si minus, nulla est. *Hisce uerbis aduersus propositam duplicationem triplicatio continetur, hæc scilicet*: *Nisi cum tanquam uxori donatum esset, sponsalia nulla præcesserint.* *Secunda duplicatio est*: *Nisi non uxoris, sed concubinæ loco habeat quis eam, cui donat. hoc enim casu donatio nec æquitatis ratione infirmatur.* *Quæ duplicatio approbatur l. hæc ratio. 3. §. uideamus, in fine. ff. de donationib. inter uirum & uxorem. cuius uerba uide paulò superius ead. except. in prin.* *Huius duplicationis triplicatio prima hæc est*: *Nisi miles concubinæ suæ donauerit.* *Hæc triplicatio approbatur l. si ancill. 3. C. eod. tt. his uerbis*: Si ancillam numis tuis comparatā esse Præsidi prouinciæ probaueris, donationisq; causa socariæ tuæ nomine instrumentū donationis esse conscriptū, eam tibi restitui iubebit. nā licet cessante iure matrimonij donatio perfici potuerit, milites tamen meos à focarijs suis hac ratione fictisque adulationibus spoliari nolo. *Secunda triplicatio uidetur esse*: *Nisi postea eam duxerit in uxorem.* *Hæc triplicatio reprobatur l. donationes. 32. in prin. ff. de donationibus, his uerbis*: Donationes in concubinam collatas, non posse reuocari conuenit: nec si matrimonium inter eosdem postea fuerit contractū, ad irritum recidere potest, quod antè iure ualuit. An autem maritalis honor & affectio pridem præcesserit, personis comparatis, uitæque coniunctione considerata, perpendendum esse Papinianus respondit. neq; enim tabulas facere matrimonium.

V. Exceptio: *Nisi alius quàm maritus uel uxor coniugi donauerit.* *Hæc exceptio per se quidem uera est, sed habet suas etiam replicationes, quarum prima hæc est*: *Nisi is qui in potestate est mariti, donet uxori: uel contrà, qui in potestate est uxoris, donet marito. hoc enim casu nihilominus donatio inutilis est.* *Quæ replicatio approbatur l. hæc ratio. 3. §. qui in eiusdem. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis*: Verbum potestatis nō solùm ad liberos trahimus, uerùm etiam ad seruos. nā magis est, ut hi quoq;, qui aliquo iure subiecti sunt marito, donare non possint. *Quod dictum est de ijs qui sunt in potestate mariti, idem etiam de ijs qui sunt in potestate uxoris, dicitur d. l. 3. §. ab uxor. his uerbis*: Ab uxoris nurúsue parte prohibitū est donari uiro uel genero. *Cōcordat l. si sponsus. 5. §. generaliter. ff. eod. tt. cuius uerba uide ĩ. except. 31. Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est*: *Nisi filius familiās de castrensi peculio matri suæ donet, uel uxori patris.* *Quæ duplicatio approbatur d. l. 3. §. quare etsi, his uerbis*: Si filius uel priuignus, uel quiuis alius potestati mariti subiectus, de castrensi suo peculio donauerit, non erit irrita donatio. *Secunda duplicatio est*: *Nisi seruus mariti, in quo alius habet usumfructū, donet uxori ex eo peculio, quod ad maritum non pertinet.* *Hæc duplicatio reprobatur l. hæc ratio. 3 §. si seruus. ff. de donat. inter uirum & uxorem.* *Tertia duplicatio est*: *Nisi liber homo marito bona fide seruiens, uxori eius donet.* *Hæc duplicatio approbatur d. §. si seruus, his uerbis*: Si seruus meus, cuius ususfructus alienus est, donet uxori meæ ex eo peculio, quod ad me non pertinebat, uel liber homo bona fide mihi seruiens: an ualeat donatio, quæritur? Et in libera quidem persona utcunque admitti potest donatio: cæteræ enim personæ alienationem peculij, ut donent, non habent. *Quarta duplicatio est*: *Nisi seruus marito cum alio sit communis.* *Hæc duplicatio reprobatur ita, ut pro mariti parte inutilis sit donatio. l. si seruus. 38. in prin. ff. eod. tt. de quo ĩ. except. 26.* *Hæc de prima replicatione, eiusq; duplicationibus sint dicta. Secunda replicatio est*: *Nisi is in cuius potestate est maritus, uxori donet: uel contrà, is in cuius potestate est uxor, donet marito.* *Hæc replicatio approbatur l. si sponsus. 5. §. generaliter. ff. de donat.*

nat.inter uir.& uxor. cuius uerba proponentur inferiùs except.31. Concordat l.hæc ratio.3.§.ab uxoris.ff. eod.tt.cuius uerba proposita sunt §.repl.prox.in prin. Item concordat l.fi,ut prop.5.C.eod.tt.his uerbis: Si, ut proponis, pater tuus, in cuius potestate fuisti, marito tuo, genero suo, instrumẽtum debitoris donationis causa dedit, isq; uita functus est, ac postea à marito diuertisti: quod gestum est, non ualet. *Tertia replicatio est: Nisi is qui in eiusdem est potestate, in cuius maritus uel uxor est, marito uel uxori donauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.3.§.qui in eiusdem.ff.de donat.inter uir.& uxor.his uerbis:* Qui in eiusdem potestate sunt, prohibentur sibi donare: utputa frater mariti, qui est in potestate soceri. Verbũ potestatis, &c. *Reliqua uerba uide paulò superius repl.1.in prin. Cõcordat item d.l.3.§.prohibetur,his uerbis:* Prohibetur uxori & nurui donare etiam is qui est in soceri potestate, si modò maritus sit in patris potestate. *Concordat item d.l.3.§.ab uxoris.cuius uerba uide §.repl.1.in prin.Hæc de tribus propositæ exceptionis replicationibus specialiter sint dicta.* *Duplicationes generales.* *Harum replicationum duæ potissimum sunt duplicationes generales, quarum prima hæc est: Nisi alter in alterius potestate non sit. tunc enim, quamuis pater sit uel frater, &c. nihilominus rectè donat. Quæ duplicatio approbatur l.hæc ratio.3.§.sed & his,in fine.ff.de donat.inter uir.& uxor.cuius uerba inferius proponentur except.prox. Huius duplicationis exemplum primum proponitur d.l.3.§.socrui,* his uerbis: Socrui à nuru, uel contrà donari non est prohibitum: quia hic ius potestatis non uertitur. *Aliud exemplum proponitur l.si te.23.C.eod.tt.his uerbis:* Si te in uacuam possessionem prædij socrus tua titulo donationis ante matrimonium uel post induxit, ad rescindendam donationem pœnitẽtia nihil proficit. *Concordat l.si mater.12. C.de donat.ante nuptias,his uerbis:* Si mater uestra filię suæ sponso uel marito prædia sine ulla repetendi lege donauit, & eum in uacuam possessionẽ induxit: nuptijs diuortio solutis, perfecta non dissoluitur donatio. *Ait Imperator:* Et eum in uacuam possessionem induxit. *Hoc iure nouo nõ requiritur, quo etiam sine traditione perficitur donatio.de qua re uide §.cap.2.excep.33.in prin. Tertium propositæ duplicationis exemplum proponitur l.uitricus.60.in prin.ff.de donat.inter uir.& uxor. his uerbis:* Vitricus & priuignus inuicem sibi donare prætextu matrimonij non prohibẽtur. *Quartum exemplum proponitur l.si seruus.38. in fine.ff.eod.tt.cuius uerba j.proponentur except.26. Hæc de prima duplicatione generali. Altera duplicatio generalis est hæc: Nisi à marito uel uxore facta donatio ualeret: tunc enim ab alijs, qui alioquin ratione potestatis donare prohibentur, donatio facta debet ualere. Quæ duplicatio approbatur l.si eum.26.§.fin.ff. de donationib.inter uirum & uxorem,his uerbis:* Ex quibus causis inter uirum & uxorem concessæ sunt donationes, ex ijsdem & inter socerum & generum nurúmue concessas, Neratius ait. Ergo & socer genero mortis uel diuortij causa, & gener socero mortis suæ uel diuortij causa rectè donabit. *Cõcordat l.donatio.4.C.eod.tt.cuius uerba uide j.except.39.in prin. Postremò, præter prædictas tres replicationes, quartæ quoq; propositæ exceptionis replicatio est talis: Nisi alius nomine mariti uel uxoris, aut marito uel uxore iubente, alterutri donet. nam nec hoc casu donatio ualet, quamuis ab alio facta. Quæ replicatio approbatur l. hæc ratio.3.§.non tantùm autem.ff.de donationibus inter uirum & uxorem,his uerbis:* Non tantùm autem per se maritus & uxor, cęteræq; personæ donare non possunt, sed nec per alios. *Concordat l.si sponsus.5.§.generaliter.ff.d.tt.cuius uerba uide j.except.31. Propositæ replicationis exemplum est: Si mariti debitor eo delegante uel iubente uxori soluerit.de quo j. item,si maritus donaturum sibi uxori donare iusserit.de quo j.except.7.repl.1.*

VI. Exceptio: *Nisi alij quàm marito uel uxori donatum sit. Hæc exceptio & ipso iure subsistit, & easdem quas superior proxima recipit replicationes & duplicationes. Est igitur prima propositæ exceptionis replicatio: Nisi ei qui in potestate est mariti, uxor donet: uel contrà, ei qui est in potestate uxoris, à marito donetur. Hæc replicatio approbatur l.hæc ratio.3.§.sed & his.ff.de donat.inter uir.& uxor.his uerbis:* Sed & his qui sunt in eorum potestate, si fuerit donatum, uel in quorum sunt potestate, non ualebit donatio: si modò uir & socer in eiusdem sunt potestate, uel uir in soceri. Cæterùm si in alia familia est maritus: neque socero, neque ei qui in eius est potestate, neque ei in cuius est, donatione interdictum est. *Ait Iurisconsultus:* Si modò uir & socer in eiusdem sunt potestate, &c. *Pertinent hæc ad except.prox.duplicationem generalem primã. Propositæ replicationi concordat l.si uxor. 19.ff.eod.tt. cuius uerba uide j.cap.prox.quæst.4.reg. 6. Sed & huius proponitur exemplum l. si prædia.58. §.fin.ff.eod.tt.his uerbis:* Filius rebus matris interuenire solitus, pecunia matris, cõsentiente ipsa, mancipia & res mercatus, emptionũ instrumenta suo nomine confecit: decessit in patris potestate. quæsitum est, an mater cum marito suo experiri, & qua actione uti possit? Scæuola respondit, Si mater obligatum filium in ea pecunia uoluit esse, intra annum, quàm filius decessit, de peculio cũ patre, in cuius potestate fuisse proponatur, actionem habere: si donauit, repeti posse quanto locupletior ex ea donatione pater factus esset. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi mater filio in castra eunti donauerit. Quæ duplicatio approbatur l.hæc ratio.3.§.qui in eiusdem.ibi:secundum hæc.ff.eod.tt.his uerbis:* Si mater filio, qui in potestate patris est, donet: nullius momenti erit donatio, quia patri quæritur. Sed si in castra eunti filio dedit, uidetur ualere: quia filio quæritur, & est castrensis peculij. *Secunda duplicatio est: Nisi in mariti potestate non sit filius. Hæc duplicatio approbatur per eã quæ dicta sunt §.except.prox.duplic. gener.1.& secundum hanc interpretantur l.si constante.19.C.de donationib.inter uirum & uxorem. cuius hæc sunt uerba:* Si constante matrimonio tibi mater domum tradidit, hanc in tuis bonis fecit. *Secunda propositæ exceptionis replicatio est: Nisi ei, in cuius potestate est maritus, uxor donet: uel cõtrà, maritus donet ei, in cuius potestate est uxor. Et hæc replicatio approbatur d.l.3.§.sed & his.ff.de don. inter uir.et uxor.cuius uerba uide §.repl.1.in prin. Cessante ergo patria potestate, & in hoc casu ualet donatio. Vnde si uxor matri mariti donet, ualet. d.l.3.§.socrui. cuius uerba uide §.except.prox. duplic.gener.1. Reliquas propositæ exceptionis replicationes & duplicationes uide §.except.prox. Nam & ad hanc exceptionem pertinent quæ ibi sunt dicta.*

VII. Exceptio: *Nisi non inter maritum & uxorem, sed inter alios facta sit donatio. Et hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, recipitq; replicationem hãc: Nisi ij qui maritum & uxorem in sua potestate habent, uel qui eorum iuri subiecti sunt, sibi inuicem donent. Quæ replicatio approbatur l.2. C.de donat.inter uir. & uxor.his uerbis:* Nec inter eas quidem personas, quarum iuri subiecti sunt uir & uxor, quíue in eorum potestate sunt, donationes iure ciuili fieri possunt. *Concordat l.si sponsus.5. §.generaliter.ff. eod.tt. cuius uerba uide j.except.31. Planè & huius replicationis eædem sunt duplicationes, quæ propositæ sunt §.except.5.in fin.*

VIII. Exceptio: *Nisi Imperator Augustæ, uel contrà illa huic donauerit. Hæc exceptio approbatur l.donationes.26. C.de donat.inter uir.& uxor. his uerbis:* Donationes quas diuus Imperator in pijssimam reginam suam coniugẽ, uel illa in serenissimum maritum contulerit, illicò uale re sancimus, & plenissimam habere firmitatem, utpote Imperialibus cõtractibus legis uicem obtinentibus, minimeq; opitulatione quadam extrinsecus egentibus.

IX. Exceptio: *Nisi donans non fiat pauperior, uel accipiens locupletior. Hæc exceptio approbatur l.si sponsus.5.§.ubicunque igitur. ff. de donat.inter uir.& uxor.his uerbis:* Vbicunq; non deminuit de facultatibus suis qui donauit, uel etiam si deminuat, locupletior tamen non fit qui accepit: donatio ualet. *Cõcordat l.sed & si.15.ff.eod. tt.his uerbis:* Ius cõstitutum ad eas donationes pertinet, ex quibus & locupletior mulier, & pauperior maritus in suis rebus fit. *Sed & propositæ exceptionis, quantũ ad primam eius partem attinet, exemplum proponitur d.l.5.§.si maritus, his uerbis:* Si maritus hæres institutus repudiat hæreditatẽ donationis causa, Iulianus scripsit lib.17.Dig. donationem ualere. neq; enim pauperiorẽ fieri, qui nõ adquirat, sed

qui de patrimonio suo deposuerit. Repudiatio aũt mariti mulieri prodest, si uel substituta mulier sit, uel etiam ab intestato hæres futura. Simili modo, etsi legatũ repudiet, placet nobis ualere donationem, si mulier substituta sit in legato, uel etiam si proponas eam hæredẽ institutã. *Aliud exemplũ proponitur l.sed si uir.31.§.quod legaturus. ff.d.tt.his uerbis:* Quod legaturus mihi, aut hæreditatis nomine relicturus es, potes rogatus à me uxori meæ relinquere, & non uidebitur ea esse donatio: quia nihil ex bonis meis demi nuitur. in quo maximè maiores donãti succurrisse Proculus ait, ne amore alterius alter despoliaretur, néue quasi inter maleuolos alter locupletior fieret. *Tertium exemplum est: Si maritus rem alienam, nõ suam donauerit. Quod proponitur l.sed & si.25. ff. eod.tt. cuius uerba uide §. lib.22.cap.6.pro donato, except.2, repl.4. Planè exceptio proposita non habet locũ, si maritus eũ qui ei donaturus erat, uxori donare iusserit. quod loco replicationis notandũ. Quæ replicatio approbatur l.hæc ratio.3.§.fin.cum lege sequente. ff.de donat.inter uir.& uxor. his uerbis:* Iulianus lib.17.Dig. ait, Si donaturũ mihi iussero uxori meę dare, nullius esse momenti: perinde enim habendũ, atq; si ego acceptã rem meã factã uxori meę dedissem. quę sentẽtia uera est. Idemq; est, etsi mortis causa traditurũ mihi iusserim uxori tradere. nec refert, conualuerit donator, an mortuus sit. neq; existimandũ est, si dixerimus ualere donationẽ, non fieri me pauperiorem: quia siue conualuerit donator, ei condictione tenebor: siue mortuus fuerit, rem quã habiturus eram in bonis meis, desinam propter donationem habere. *Concordat l.si quod.56. ff.eod.tt. his uerbis:* Si quod mihi mortis causa donare quis uellet, ego purè uxori donare uelim, non ualet quod uxori iubeo dari: quia illo conualescente, condictione teneor: mortuo autem, nihilominus pauperior fum. non enim habeo, quod habiturus essem. *Hæc de priore propositæ exceptionis parte dicta sunt. Posterioris partis exemplum primũ est: Si sepulturæ causa maritus uxori donet. Quod exẽplum proponitur l.si sponsus.5.§.cõcessa. ff. de don. inter uir.& uxor.de quo j.except.18. Aliud propositæ exceptionis exemplũ proponitur d.l.5.§.Marcellus, his uerbis:* Marcellus lib.7.Dig. quęrit, si mulier à marito acceptã pecuniã in sportulas, p cognato suo ordini erogauerit, an donatio ualeat? & ait ualere, nec uideri locupletiorem mulierẽ factam, quãuis mutuam pecuniã esset acceptura, & pro adfine erogatura. *Est insuper propositæ exceptionis exemplũ, si cum uxor pecunia sibi à marito donata quid emisset, illud perierit: puta seruus emptus decesserit, &c. Quod exemplum proponitur l.si id.28.§.si ex decem. ff.eod.tt.de quo cũ alijs similibus j.dicetur cap.9.quæst.4.reg.1.*

X. Exce-

X. Exceptio: *Nisi mortis causa donatum sit. Hæc exceptio approbatur l.si eum.9.§.fin.cum lege sequente.ff.de donat.inter uirum & uxorem,his uerbis:* Inter uirum & uxorem mortis causa donationes receptę sunt: quia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo uir & uxor esse desinunt. *Huius exceptionis replicatio prima uidetur esse:* Nisi non ob iustum mortis metum maritus uxori donauerit. *Hæc exceptio reprobatur l.Fulcin.42.ff.de mortis causa donat.his uerbis:* Fulcinius inter uirum & uxorem mortis causa donationem ita fieri putabat, si donatori iustissimũ mortis metum habeat. Neratius, sufficere existimationem donantis hanc esse, ut moriturum se putet: quam iustè, nécne, susceperit, non esse quærendum. quod magis intuendum est. *Secunda replicatio est:* Nisi non uir, *sed socer nurui uel genero mortis causa donauerit. Hæc replicatio approbatur l.mortis.51.in prin.ff. de donat. inter uir.& uxor. his uerbis:* Mortis suæ causa genero uel nurui socerũ frustra donare conuenit: quia mortuo socero nuptiæ non soluuntur, nec interest, an pater filium uel filiam exhæredauerit. sed diuortij species eatione diuersa est. *Huius replicationis duplicatio hæc est:* Nisi non suæ, *sed filij sui mortis causa socer nurui donet. Quæ duplicatio approbatur l.mortis.11.ff.de mortis causa donationib. his uerbis:* Mortis causa filij sui donare pater rectè poterit nurui, etiam constante matrimonio filij. *Concordat l.si eum.16.§.fin.ff. de donat.inter uir.& uxor. cuius uerba uide ẽ.eod.cap.except.5. dupl.generali 2. Tertia propositæ exceptionis replicatio est:* Nisi ita sit donatum mortis causa, *ut res statim fiant accipientis. Hæc replicatio reprobatur l.sed interim.11.§.1.ff.de donat.inter uir.& uxor. his uerbis:* Quod dicitur mortis causa donationem inter uirũ & uxorem ualere, ita uerũ est, ut non solùm ea donatio ualeat secundum Iulianum, quę hoc animo fit, ut tunc demum res fiant uxoris uel mariti, cum mors insequatur: sed omnis mortis causa donatio. Quando itaque non retrò agitur donatio, emergunt uitia, ut Marcellus animaduertit in specie huiusmodi, &c. *Cætera uide j.repl.8. cum sequentibus. Quarta replicatio est:* Nisi donator seruum donatum postea cum libertate hæredem instituerit. *Hæc replicatio reprobatur sub conditione l.uxori.22.in fine.ff. eod.tt.cuius uerba uide ẽ.cap.5.quæst.6.reg.2. Quinta replicatio est:* Nisi uxor donataria postea diuerterit. *Hæc replicatio approbatur d.l.11.§.pen.his uerbis:* Si maritus uxori donauerit mortis causa, eaq; diuerterit, an dissoluatur donatio? Iulianus scripsir, infirmari donationem, nec eam impendenti esse. *Sed & plura de hac replicatione uide j.except.39.repl.17. Sexta replicatio est:* Nisi donatarius maritus uiua donatrice decesserit. *Hæc replicatio approbatur l.si uir.52.§.fin.ff.eod.tt. his uerbis:* Vxor uiro fructum fundi ab hærede suo dari, & si datus non fuisset, certam pecuniam mortis causa promitti curauit. defuncto uiro, uiua muliere, stipulatio soluitur, ut traditio quæ mãdante uxore mortis causa facta est. nam quo casu inter exteros cõdictio nascitur, inter maritos nihil agitur. *Plura de replicatione proposita uide ẽ.cap.6. except.16. Septima replicatio est:* Nisi res ei qui à muliere ad eam accipiendã interpositus erat, tradita, nullo temporis momẽto eius fuerit facta. *Hæc replicatio approbatur l.sed interim.11.§.idem Marcellus.ibiquia debebat. ff. de don. inter uir.& uxor. cuius uerba paulò j.replicat.9. proponentur. Ratio autẽ propositæ replicationis est, quòd donatio traditione olim perficiebatur, eaq; inutili exĩstente, nec donatio utilis esse poterat. Cum autẽ hodie etiam sine traditione perficiatur donatio, ut ostensum ẽ.cap.2.except.33.in prin.& ita ratio propositæ replicationis sit sublata: ipsam quoq; replicationẽ cum repliscationib.sequentib. quæ ex hac pendent, sublatam esse credendũ est. Octaua replicatio est:* Nisi is cui res donata traditur, *sui iuris non sit. hoc enim casu res tradita accipientis non fit, & ob id traditio ac donatio non ualet. Quæ replicatio subsistit ratione replicationis præcedentis, uerum eius duplicatio hæc est:* Nisi tempore mortis donatoris *sui iuris inueniatur. Quæ duplicatio approbatur d.l.11.§.maritus, his uerbis:* Maritus uxori mortis causa donatum uoluit. interpo suit mulier filium familiâs, qui à marito acciperet, eiq; traderet. deinde cũ moritur maritus paterfamiliâs inuentus, an ualeat traditio? & ait Marcellus, cõsequens esse dici traditionẽ ualere: quia sui iuris effectus sit eo tempore, ad quod traditio redigitur, id est, cum maritus moriebatur. Idem ait: Placuisse scio Sabinianis, si filiæ familiâs uxori maritus tradiderit, donationem eius cum omni suo emolumento fieri, si uiuo adhuc marito sui iuris effecta fuerit. quod & Iulianus lib.17.Digest.probat. Proinde etsi uxor marito filiofamiliâs mortis causa tradat, & is sui iuris effectus sit, sine dubio dicemus ipsius fieri. Consequenter Scæuola apud Marcellum notat, si interposuerit seruum mulier, ut ei tradatur mortis causa, isq; adhuc seruus dederit mulieri, deinde mortis tempore liber inueniatur: tantundem esse dicendum. *Nona replicatio est:* Nisi interpositus, *qui rem donatam à marito accepit, & uxori tradidit, uiuo donatore decesserit. Hæc replicatio approbatur d.l.11.§. idem Marcellus, his uerbis:* Marcellus tractat, si is qui interpositus est, postquàm dederit mulieri, decesserit uiuo adhuc donatore, donationem euanescere: quia debebat aliquo momento interposito eius fieri, & sic ad mulierem transire. *Huius replicationis duplicatio hæc est:* Nisi à donatore, *non à donatrice fuerit interpositus. Quæ duplicatio approbatur d.§.idem Marcellus, his uerbis:* Quod ita procedit, si ea cui donabatur, eum interposuit, non is qui

qui donabat. porrò si à marito est interpositus, res ipsius statim facta est: & si ante mortem mariti tradiderit & decesserit, traditio eius egit aliquid: ut tamen hæc traditio pendeat, donec mors consequatur. *Decima replicatio est:* Nisi interpositus, *qui rem donatam accepit, post mortem demum donatoris rem dederit. Hæc replicatio approbatur sub conditione d.l.11.§.si uxor, his uerbis:* Si uxor rem Titio dederit, ut is marito mortis causa traderet, eaque defuncta inuitis hæredibus eius Titius marito dederit: interest, utrum à muliere sit interpositus Titius, an uerò à marito cui donabatur. si à muliere interpositus est, obligabit se conditione, si marito tradiderit: si autem à marito sit interpositus, mortua muliere, confestim fundus efficietur eius, quem maritus interposuit, & actionem ipse maritus cum eo habebit. *Plures propositæ exceptionis replicationes uide j.except.39.*

XI. Exceptio: Nisi *diuortij causa donatum sit. Hæc exceptio approbatur l.sed interim.11.§.fin.ff.de donationibus inter uirum & uxorem,his uerbis:* Iulianus ait, si diuortij causa facta sit donatio, ualere. *Concordat l.uitricus.60.cum sequentibus.ff.eod.tt. his uerbis:* Diuortij causa donationes inter uirum & uxorem concessæ sunt. sæpe enim euenit, ut propter sacerdotium, uel sterilitatem, uel senectutem, aut ualetudinem, aut militiam satis commodè retineri matrimonium non possit: & ideo bona gratia matrimonium dissoluitur. *Huius exceptionis replicatio prima hæc est:* Nisi diuortium *non statim sequatur donationem. Hæc replicatio approbatur l. quæ tamen.12.ff.eod.tt.his uerbis:* Quæ tamen sub ipso diuortij tempore, nõ quæ ex cogitatione quã doq; futuri diuortij fiat. *Secunda replicatio est:* Nisi mors alterutrius *statim donationẽ sequatur. Quæ replicatio approbatur l. sed si.13. in prin. ff.eod.tt. his uerbis:* Sed si mors sit insecuta, non uideri factas res mulieris: quia donatio in alium casum facta est.

XII. Exceptio: Nisi *in alimenta uxori maritus annuum uel menstruum præstet. Hæc exceptio approbatur l.mutus.71.§.manente.ff.de iure dotium,his uerbis:* Manente matrimonio non perdituræ uxori ob has causas dos reddi potest, ut se suósque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium uel in insulam relegato parenti præstet alimoniam, aut ut egentem uirum, fratrem sororémue sustineat. *Concordat l. si quis.21.§.fin. ff.de donat. inter uirum & uxor. his uerbis:* Si conuenerit, ut se mulier pasceret, suosq; homines, & idcirco passus est eam dote sua frui, ut se suosq; aleret: expeditum erit. puto enim, non posse ab ea peti quasi donatum, quod compensandum est. *Item concordat l.sed si uir.31.§.antepen.ibi: sed si impensas. ff.de donat. inter uir.& uxorem.cuius uerba uide j. except.23. Concordat item l.sicut.10.C. eod.tt. his uerbis:* Sicut cessat petitio quantitatis, quam de suo maritus uxori in menses singulos, uel in annos singulos, proprij usus eius gratia promittit: ita & ex ea causa numis solutis erogatisq;, nõ dari repetitionem, manifestum est. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur, simul & prima eius replicatio introducitur, talis scilicet:* Nisi res nondum *fuerit tradita. Quæ replicatio iure quidem antiquo subsistit, iure autem nouo uidetur esse sublata, secundum ea quæ dicta sunt ẽ.cap.2.except.33.in prin. Concordat hic exceptioni & replicationi l. si id.28.§.fin. ff.eod. tt. his uerbis:* Illud rectè dictum Celsus ait, si dotis usuras annuas uxor stipulata sit, licet ei non debeantur, quia tamen quasi de annuo conuenerit, peti quidem dotis iudicio non possunt, compensari autem possunt. Idem ergo dicemus in qualibet pactione annui nomine facta. *Concordat deniq; l.si stipulata.33. in prin.ff.eod.tt.cuius uerba uide j.except.39.repl.18. Huius replicationis duplicatio prima hæc est:* Nisi *alio modo uxor possessionem rei sit nacta, ut per exceptionem se defendat. Hæc duplicatio reprobatur exemplo l. quidam.22.ff.de pactis dotalibus, his uerbis:* Quidã fundum dotis causa ab uxore sua acceperat, interq; eos conuenerat, ut mercedes eius fundi uir uxori annui nomine daret. deinde eũ fundum uir matri mulieris certa pensione colendum locauerat: eaq;, cum mercedes eius fundi deberet, decesserat, & filiam suã solam reliquerat hæredem, & diuortium factum erat. Vir deinde petebat à muliere mercedes, quas mater debuerat. Placuit, exceptionem mulieri dari non debere, ac si inter se & uirum non conuenisset, ut hæ mercedes sibi alimentorum nomine darentur: cũ futurum sit, ut quodammodò donationes inter uirum & uxorem confirmentur. Nam quod annui nomine datur, species donationis est. *Altera duplicatio est:* Nisi maritus *in uita donationem non reuocaucrit. quæ duplicatio approbatur j.except.39.repl.18. Sed & tollitur replicatio proposita iure nouo, de quo d.repl.18. in fine dicetur. Secunda propositæ exceptionis replicatio est:* Nisi aliquid ex eo quod annui nomine datum est, *supersit. hoc enim quod supereſt, reuocabitur. Quæ replicatio approbatur simul & distinguitur l.ex annuo.15. in prin. ff.eod. tt.his uerbis:* Ex annuo uel menstruo, quod uxori maritus præstat, tunc quod supereſt reuocabitur, si satis immodicum sit, id est, supra uires dotis. *Propositæ replicationis duplicatio prima hæc est:* Nisi id quod *supereſt, uires dotis non excedat. tunc enim reuocari non potest. Quæ duplicatio ex uerbis iam propositis elicitur. Secunda eius duplicatio est:* Nisi uxor de suo, *aut ex pecunia mutuata impendit. tunc enim, quod postea à marito annui nomine accepit, non tanquam supersit reuocabitur. Quæ duplicatio approbatur l. si id. 28.§.illud constat. ff. de donat. inter uir.& uxorem, his uerbis:* Illud constat,

conſtat, ſi antequam à uiro annuum acciperet mulier, ipſa de ſuo, aut etiam mutuata impendit, uideri iam tantùm ex annuo conſumptum. *Tertia propoſitæ exceptionis replicatio eſt: Niſi non maritus uxori, ſed contrà uxor marito annuum præſtet. Quæ replicatio approbatur l. ſi ſtipulata. 33. §. ſi uxor. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si uxor marito annuũ uerſa uice præſtiterit, reſtituetur ei hoc, & poterit uindicare id quod extat. credo poterit & condicere, in quantum locupletior factus eſt, quia non ut ſolenne eſt annuum, quod maritus uxori pendit, & quod uxor marito præſtat: imò incongruens eſt, & contra ſexus naturam. *Quarta replicatio eſt: Niſi de damno dato in ijs rebus, quarum uſum maritus uxori annui nomine cõceſſit, agatur. Hæc replicatio approbatur l. mortis. 53. §. fin. ff. d. tt. his uerbis:* Res in dotem æſtimatas, conſentiente uiro, mulier in uſu habuit. uſu deteriores res ſi fiant, damni compenſatio non admittitur: cum eaſdem res non poſſit mulier ſibi quaſi donatas defendere ex illis uerbis, quibus donationes ei à uiro legatæ ſunt: cum eiuſmodi ſpecie neq; donari, neque auferri uideatur.

XIII. *Exceptio: Niſi in profectionem uxoris maritus impendit. Hæc exceptio approbatur l. ſi quis. 21. in prin. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si quis pro uxore ſua uectigal in itinere, quod præſtari ſolet, ſoluiſſet, an quaſi locupletiore ea facta, exactio fiat, an uerò nulla ſit donatio? & magis puto, non interdictum hoc, maximè ſi ipſius cauſa profecta eſt. Nam & Papinianus libro quarto Reſpõſorum ſcripſit, uecturas uxoris & miniſteriorum eius uirum itineris ſui cauſa datas repetere non poſſe. iter autem uideri fuiſſe uiri cauſa, & cum uxor ad uirum perueniat. nec intereſſe, an aliquid de uecturis in contrahendo matrimonio conuenerit. non enim eum donare, qui neceſſarijs oneribus ſuccurrit. Ergo etſi conſenſu mariti profecta eſt mulier propter ſuas neceſſarias cauſas, & aliquid maritus expenſarum nomine ei præſtitit, hoc reuocandum non eſt.

XIIII. *Exceptio: Niſi in alimenta familiæ & iumentorũ uxoris maritus donauit. Hæc exceptio approbatur d. l. 21. §. fin. ibi: ſuoſq; homines. cuius uerba uide ſ. except. 12. in prin. Cõcordat l. ſi prædia. 58. §. item cum. ff. eod. tt. his uerbis:* Cum quæreretur de cibarijs mancipiorum, Scæuola reſpondit: Tempore quidem concubinatus data cibaria repeti non poſſunt: ſed nec tempore matrimonij, ſi ea mancipia uxoris in communi uſu fuerũt. *Propoſitæ exceptionis replicatio hæc eſt: Niſi mancipia non in uſu communi ſint, ſed domeſtica uxoris, aut uenalia. Quæ replicatio patet ex uerbis iam propoſitis hiſce:* Si ea mancipia uxoris in cõmuni uſu fuerunt. *Cui concordat l. ſed ſi. 31. §. fin. ff. eod. tt. his uerbis:* Quæ uir cibaria uxoris ſuæ familiæ iumentiſue præſtitit, quæ in rem cõmuni erant, non condicentur. Quòd ſi familiam domeſticam uxoris autuenalicia pauit, cõtrà putat Paulus obſeruari debere.

XV. *Exceptio: Niſi in hoc donauerit, ut pro communi filia in dotem daret. Hæc exceptio approbatur l. ſiue uxor. 34. ff. de don. inter uir. & uxor. his uerbis:* Siue uxor marito res donaſſet, ut eas in dotem pro cõmuni filia daret: ſiue poſt donationem, quam in maritũ cõtulit, uxor paſſa eſt eum pro filia in dotem dare: benignè poteſt dici, etſi prima donatio nullius momenti eſt, attamen ex ſequente conſenſu ualere dotis dationem. *Concordat l. profecticia. 5. §. ſi quis certam. ibi: hoc in matre. ff. de iure dotium, his uerbis:* Hoc in matre iuris eſſe Iulianus ait, ſi forte ſub ea conditione uxor marito det, ut pro filia genero in dotem daret: nec uideri uxorẽ marito donaſſe. Rectiſsimè ergo ait, ut non ſit interdicta donatio iure ciuili. non enim in hoc dedit, ut ipſe habeat, ſed ut genero pro filia expendat. denique ſi non dederit, condictione tenetur. Eſſe igitur dotem iſtam aduenticiam, Iulianus ait: & ita utimur.

XVI. *Exceptio: Niſi ita dedit, ut poſt mortem ſuam filio communi reſtituat. Hæc exceptio approbatur ſub conditione l. Sulpit. 49. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Sulpitius Marcello. Mulier quæ ad communem filium uolebat, quia in poteſtate patris erat, poſt mortẽ patris fundum peruenire, eum patri tradidit, ut poſt mortem reſtituatur filio. quæro, an donatio tibi uideatur, ut nihil agatur: an ualeat quidem, ſed mulieri poteſtas detur, ſi uoluerit eum petere? Marcellus reſpõdit, ſi color uel titulus (ut ſic dixerim) donationi quæſitus eſt, nihil ualebit traditio: id eſt, ſi hoc egit uxor, ut aliquid ex ea re interim commodi ſentiret maritus. alioquin ſi ſolo eius miniſterio uſa eſt, & id egit, ut uel reuocare ſibi liceret, uel ut res cum omni emolumẽto per patrem poſtea ad filium tranſiret: cur non id perinde ſit ratum, ac ſi cum extraneo tale negocium contraxiſſet: hoc eſt, ſi extraneo in hanc cauſam tradidiſſet.

XVII. *Exceptio: Niſi donauerit ad refectionem ædificiorũ incendio conſumptorum. Hæc exceptio approbatur l. quòd ſi. 14. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Quòd ſi uir uxori, cuius ædes incendio conſumptæ ſunt, ad refectionem earum pecuniam donauerit: ualet donatio in tantum, in quantum ædificij extructio poſtulat.

XVIII. *Exceptio: Niſi ſepulturæ cauſa donauit, uel ita ut Deo dicaret, uel publico uſui. Hæc exceptio approbatur l. ſi ſponſus. 5. §. conceſſa. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Conceſſa donatio eſt

eſt ſepulturæ cauſa. nam ſepulturæ cauſa locum marito ab uxore, uel contrà poſſe donari, conſtat: & ſi quidem intulerit, faciet locum religioſum. Hoc autem ex eo euenit, quod definiri ſolet, eam demum donationem impediri ſolere, quæ & donantem pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorem. porrò hic non uidetur fieri locupletior in ea re, quam religioni dicauit. nec mouleat quenquam, quòd emeret, niſi à marito acciperet. nam etſi pauperior ea fieret, niſi maritus dediſſet: non tamen idcirco fit locupletior, quòd nõ expendit. hoc & illud ſuadet, etſi uxori maritus ſepulturæ cauſa donauerit, ita demum locum fieri intelligi mulieris, cum corpus humatur: cæterùm antequam fit religioſus, donantis manet. proinde etſi diſtraxerit mulier, manet locus donatoris. *Huius replicationis duplicatio hæc eſt: Niſi mulier donataria ſuam pecuniam in eam cauſam conuerterit, in quam à marito pecuniam acceperat. tunc enim, quamuis pecuniam à marito donatam uel retinuerit, uel in alios uſus conuerterit, nihilominus ualet donatio. Quæ duplicatio approbatur l. quod autem. 7. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis:* Si maritus uxori pecuniam in unguenta dederit, eaque eam creditori ſuo ſoluerit, mox de ſua pecunia emerit unguenta: non uideri locupletiorem factam, Marcellus lib. VII. Digeſt. ſcribit. Idem ait, etſi lancem ob eãdem cauſam ei dederit, eaq; lancem retinuerit, de ſua autem pecunia unguenta emerit, uindicationem ceſſare: quia non ſit locupletior, quæ tantundem in re mortua impẽderit. *Concordat l. ſi id. 28. §. illud conſtat. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. except. 12. repl. 2. dupl. 2.*

XIX. *Exceptio: Niſi propter nuptias donatum ſit. Hæc exceptio approbatur l. cum multæ. 20. §. ſancimus itaque. C. de don. ante nuptias. de qua re uide ſ. lib. 15. cap. 11.*

XX. *Exceptio: Niſi ſeruus donatus ſit ita, ut manumittatur. Hæc exceptio approbatur l. quod autem. 7. §. fin. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Manumiſsionis cauſa donatio facta ualet: & licet non hoc agatur, ut ſtatim ad libertatem, ſed quandoque perducatur. Proinde ſi, ut poſt certum tempus manumittat, uxori ſuæ tradidit: tunc demum eius fiet, cùm tempore impleto manumittere cœperit. quare antè manumittendo nihil agit. Nam & illud ſciendum eſt, ſi uxori quis ſuæ donauerit, ut intra annum manumittat, deinde non manumiſerit intra annum, poſtea manumittẽdo nihil agi. *Concordat l. maritus. 22. C. eod. tt. his uerbis:* Maritus manumiſsionis cauſa ſeruum mulieri conſtante matrimonio donare poteſt. *Huius exceptionis replicatio prima hæc eſt: Niſi talis ſit ſeruus donatus, qui omnino ad libertatem peruenire non poſſit. Quæ replicatio approbatur l. ſi eum. 9. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si eum uxori maritus donet, qui eius erat cõditionis, ne unquam ad libertatem perduci poſsit: dicendum eſt, omnino nihil agi hac donatione. *Secunda replicatio eſt: Niſi antequam ſeruus manumittatur, matrimonium ſit ſolutum. Quæ replicatio approbatur l. ſi anteq. 8. ff. eod. tt. his uerbis:* Si antequam ſeruus manumittatur, morte aut diuortio ſolutum fuerit matrimonium, reſoluitur donatio. ineſſe enim cõditio donationi uidetur, ut manente matrimonio manumittatur. *Tertia replicatio eſt: Niſi uxor operas manumiſſo impoſuerit. Hæc replicatio reprobatur d. l. 9. §. ſi pecunia. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. proximè. Quarta replicatio eſt: Niſi uxor accepta pecunia ſeruum manumiſerit. Hæc replicatio approbatur ſub conditione d. §. ſi pecunia, his uerbis:* Si pecunia accepta mulier manumiſerit, uel operas ei impoſuerit: ait Iulianus, operas quidem licito iure eam impoſituram, & tenere obligationem: nec uideri mulierem ex re uiri locupletiorem fieri, cum eas libertus promittat. Quòd ſi precium ob manumiſsionem acceperit mulier, & ſic manumiſerit: ſi quidem ex peculio ſuo dedit, numos mariti manere: ſi uerò alius pro eo dedit, fieri numos mulieris. quæ ſententia rectè ſe habet.

XXI. *Exceptio: Niſi maritus pecuniam uxori donatam, ſibi reddi ſtipulatus ſit, ſi culpa eius diuortium fieret. Hæc exceptio reprobatur l. ea quæ. 57. §. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Ea quæ à marito ſuo pecuniam ex cauſa donationis acceperat, literas ad eum miſit huiuſmodi: Cum petenti mihi à te, domine chariſsime, annuerit indulgentia tua uiginti ad expediendas quaſdam res meas, quę ſumma mihi numerata eſt ſub ea conditione, ſi per me meosque mores non ſteterit, quo minus in diem

diem uitæ noſtræ matrimonium permaneat: ſi quidem inuito te diſceſſero de domo tua, uel repudium tibi ſine ulla querela miſero, diuortiúmue factum per me probabitur: tunc uiginti quæ mihi hac die donationis cauſa dare uoluiſti, daturam reſtituturáme ſine ulla dilatione ſpondeo. quæro, ſi eadem Titia marito ſuo repudium miſerit, an pecuniam reſtituere debeat? Paulus reſpondit, pecuniam quam uir uxori donauit, ex ſtipulatione propoſita, ſi conditio eius extitit, peti poſſe: quoniam ex donatione in pecuniam creditam cõuerſa eſt. quòd ſi ſtipulatio commiſſa non probetur, tunc tantum peti poſſe, quanto locupletior ex ea donatione facta probetur.

XXII. Exceptio: *Niſi in caſum deportationis uel exilij ſit donatio facta. Hæc exceptio approbatur l. ſed ſi. 13. §. & aliàs placet. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Placet, in caſum deportationis donationem factam ualere, quemadmodũ in cauſa diuortij. *Concordat l. inter. 43. ff. eod. tt. his uerbis:* Inter uirum & uxorem exilij cauſa donatio fieri poteſt.

XXIII. Exceptio: *Niſi xeniolum dedit, uel nata ſi die donauit. Hæc exceptio ipſo quidem iure ſubſiſtit, uerùm eius replicatio hæc eſt: Niſi munus immodicum ſit datum. Quæ replicatio approbatur l. ſed ſi uir. 31. §. antepenult. ff. eod. tt. his uerbis:* Si uir uxori munus immodicum calendis Martijs aut nata ſi die dediſſet, donatio eſt: ſed ſi impenſas, quas faceret mulier, quo honeſtius ſe tuere tur, contrà eſt.

XXIIII. Exceptio: *Niſi honoris adipiſcendi cauſa donatum ſit. Hæc exceptio approbatur l. nuper. 42. ff. de de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta eſt alia cauſa donationis, quam dicimus Honoris cauſa: ut ecce, ſi uxor uiro laticlaui perẽdi gratia donet, uel ut equeſtris ordinis fiat, uel ludorum gratia. *Concordat l. quod adipiſ. 40. cum l. ſequente. ff. eod. tt. his uerbis:* Quod adipiſcendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum collatum eſt, eatenus ratũ eſt, quatenus dignitati ſupplendæ opus eſt. nam & Imp. Antoninus cõſtituit, ut ad proceſſus uiri uxor ei donare poſsit. *Concordat l. ſi prop. 21. C. eod. tt. his uerbis:* Si proprijs habitis contractibus, quam acceperas mutuam pecuniam pro marito donationis cauſa eroga ſti: cùm hæc ad dignitatem profuerit, nec locupletior ſit factus, intelligis nullam tibi contra eum competere actionem.

XXV. Exceptio: *Niſi cum ante nuptias alienum annulum ſponſus ſponſæ dederit, poſt nuptias maritus uxori ſuum dederit. Hæc exceptio approbatur l. ſi donat. 36. §. fin. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si ſponſus alienum annulum ſponſæ munerimiſit, & poſt nuptias pro eo ſuum dedit, quidam (ut Nerua) putant eum fieri mulieris: quia tunc factam donationem confirmare uidetur, non inchoare nouam. quam ſententiam ueram eſſe accepi.

XXVI. Exceptio: *Niſi res aliena donata ſit. Hæc exceptio approbatur l. ſed & ſi. 25. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. lib. 22. cap. 6. pro donato, except. 2. repl. 4. Planè ſi rem communem ſibi cum alio maritus uel ſocius uxori donauerit, pro parte mariti non ualet donatio. Quæ replicatio approbatur l. ſi ſeruus. 38. ff. de donat. inter uir & uxor. his uerbis:* Si ſeruus communis uiri & fratris eius puerum donauit uxori fratris: pro qua parte is ſeruus qui donaſſet, uiri eſſet, pro ea parte munus eſſe factum mulieris, Alfenus reſpondit. Idem iuris eſſe, ſi ex tribus fratribus unus uxorem haberet, & rem cõmunem uxori donaſſet. nam ex tertia parte rem mulieris factã non eſſe: ex duabus autem partibus reliquis (ſi id ſciſſent fratres, aut poſteaquam donata eſſet, ratum habuiſſent) nihil debere mulierem reddere.

XXVII. Exceptio: *Niſi non proprietas, ſed poſſeſſio tantùm ſit donata. Hæc exceptio reprobatur l. inter. 46. ff. de donat. inter uir. et uxor. his uerbis:* Inter uirum & uxorem nec poſſeſſionis ulla donatio eſt.

XXVIII. Exceptio: *Niſi operas ſerui præſtiterit. Hæc exceptio approbatur l. ſi id. 28. §. ſi quas. ff. eod. tt. his uerbis:* Si quas ſerui operas uir uxori præſtiterit, uel contrà: magis placuit, nullam habendam earum rationem, & ſanè nõ amarè, nec tanquam inter infeſtos ius prohibitæ donationis tractãdum eſt, ſed ut inter coniunctos maximo affectu, & ſolã inopiam timentes. *Concordat l. ſed ſi. 31. §. 1. ff. eod. tt. his uerbis:* Si uxor lana ſua operis ancillarum uiri, ueſtimenta ſui nomine confecit mulierbria: & ueſtimenta mulieris eſſe, & pro operis ancillarum uiro præſtare nihil debere. *Concordat d. §. 1. ibi: nec unquam, his uerbis:* Nec unquam operas ancillarum uiri æſtimari conuenit. *Concordat item l. ſi uir. 18. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. except. 30.*

XXIX. Exceptio: *Niſi non donatum, ſed alio modo inter uirum & uxorem contractum ſit, uel aliud geſtum. quæ exceptio ipſo iure ſubſiſtit, eiuſq; exemplũ eſt, ſi uenditio inter eos ſit contracta. quod exemplum proponitur l. quod autẽ. 7. §. ſi uxor à marito. ff. de donat. inter uir. & ux. his uerbis:* Si uxor à marito ſuo prędia, quæ ob dotẽ pignori acceperat, emerit, eaq; emptio donationis cauſa facta dicatur nullius eſſe momẽti: pignoris tamẽ obligationẽ durare, Imp. noſter cum patre ſuo reſcripſit. cuius reſcripti uerba ideo retuli, ut appareat uenditionẽ inter uirũ & uxorem bona fide geſtã nõ retractari. Si tibi maritus pignora, propter dotẽ & pecuniã creditam data, nõ donationis cauſa uendidit: quod

quod bona fide geſtum eſt, manebit ratum. At ſi titulus donationi quæſitus oſtenderetur, atque ideo uenditionem irritam eſſe conſtabit: iure publico cauſam pignorum integram obtinebis. *Concordat l. ſed ſi. 31. §. ſi duo, in fine. ff. eod. tt. his uerbis:* Sine dubio enim licet à uiro uel uxore minoris emere, ſi non ſit animus donandi. *Aliud exemplum exceptionis propoſitæ eſt, permutatio inter maritum & uxorem facta. quod exemplum proponitur l. ſi prædia. 58. in prin. ff. eod. tt. his uerbis:* Si prædia & mancipia Seiæ data effecta ſint eius tempore concubinatus, ac poſtea tempore matrimonij alijs acceptis reddita ſint: quid iuris eſt? Scæuola reſpondit, ſecundum ea quæ proponerentur, negocium potius geſtum uideri, quàm donationem interueniſſe. *Concordat l. ſi donatæ. 36. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò ſuperius except. 25. Propoſitæ exceptionis replicatio hæc eſt:* Niſi *donationis cauſa geſtum ſit, puta uenditio facta, uel quid aliud. Hæc replicatio ex prædictis patet. Sed & approbatur l. hæc ratio. 3. §. ſciendum. ff. eod. tt. cuius uerba proponentur ſ. except. 37. Huius replicationis exempla hæc ſunt. Primum exemplum proponitur l. ſi ſponſus. 5. §. ſi debitor. ff. eod. tt. his uerbis:* Si debitor uiri pecuniam iuſſu mariti uxori promiſerit, nihil agitur. *Plura de hoc exemplo uide ſ. lib. 48. capite 15. quæſt. 2. except. 5. Secundum exemplum proponitur d. §. ſi debitor, his uerbis:* Si uxor uiri creditori donationis cauſa promiſerit, & fideiuſſorem dederit: neq; uirum liberari, neque obligari mulierem uel fideiuſſorem eius, Iulianus ait, perindeq; haberi, ac ſi nihil promiſiſſet. *Tertium proponitur d. l. 5. §. ſi donationis, hiſce uerbis:* Si donationis cauſa uir uel uxor ſeruitute non utatur, puto amitti ſeruitutem: uerùm poſt diuortium cõdici poſſe. *Quartum exemplum proponitur d. l. 5. §. ſi uxor, his uerbis:* Si uxor uel maritus exceptione quadã donationis cauſa ſubmoueri uoluerit: facta à iudice abſolutione, ualebit quidem ſententia, ſed condicetur ei cui donatũ eſt. *Quintum exemplum eſt, ſi pluris uel minoris dos uel res commodata donationis cauſa ſit æſtimata. quod proponitur l. quod autem. 7. §. ſi maritus. ff. eod. tt. his uerbis:* Si maritus æſtimationem rerum quas in dotem accepit, dicat ſe donationis cauſa auxiſſe, remedium monſtrauit Imper. noſter cum diuo patre ſuo reſcripto, cuius uerba hæc ſunt: Cùm donationis cauſa precium auctum adfirmes: qui ſuper ea re cogniturus erit, ſi pecuniæ modum recuſabis, ipſa prædia reſtitui debere, ſumptuum deductis rationibus, arbitrabitur. Igitur in arbitrio mariti erit, quid præſtirum malit. Idem iuris eſt, etſi econtrariò mulier de minore æſtimatione queratur. Nec aliud in commodato æſtimato obſeruari ſolet, ut Pomponius lib. quarto Variarum lect. ſcribit. *Sextum exemplum eſt, Si maritus donationis cauſa in res uxoris impendit. quod exemplum proponitur l. in uoluptarijs. 12. §. fin. ff. de impenſis in reb. dotal. fact. his uerbis:* Donationem inter uirum & uxorem circa impenſas quoque inhibitam, uerè Sabinus ſcribit. *Septimum exemplum eſt: Si maritus uxori actionem dotis & uſurarum eius remiſerit. quod proponitur l. pro onerib. 20. C. de iure dotium, his uerbis:* Pro oneribus matrimonij mariti lucro fructus totius dotis eſſe, quos ipſe cepit: uel ſi uxori capere donationis cauſa permiſit, eum in quantum locupletior facta eſt, poſſe agere, manifeſtiſſimi iuris eſt. *Concordat l. ſi quis. 21. §. ſi uxor. ff. de donat. inter uirum & uxor. cuius uerba uide ſ. lib. 15. cap. 2. quæſt. 4. reg. 1. except. 2. replic. 2.* Planè *replicatio propoſita in exemplo propoſito recipit duplicationem hanc: Niſi in alimenta maritus uxori dotem concedat. quæ duplicatio approbatur d. l. 21. §. fin. de quare uide ſ. except. 12. & except. 14. Octauum exemplum eſt: Si ſocietas donationis cauſa ſit contracta. quod exemplum proponitur l. cum hic ſtatus. 32. §. ſi inter. ff. de donat. inter uirum & uxor. cuius uerba uide ſ. except. 39. replic. 21. Nonum exemplum eſt: Si uenditio donationis cauſa ſit cõtracta. quod exemplum proponitur d. §. ſi inter. Concordat l. quod autem. 7. §. ſi uxor à marito. ff. eod. tt. cuius uerba uide ſ. ead. except. in prin. Item concordat l. ſi non uerum. 15. C. eod. tt. his uerbis:* Si non uerum contractum pater ueſter geſſit, ſed ſub ſpecie uenditionis donationem poſſeſſionis in matrem ueſtram contulit, nec ex bonis quæ in perſona patris ueſtri permanſiſſe uidebantur, ob primipilum indemnitati fiſcali ſatisfieri potuit: licet in eadem donandi uoluntate perſeuerauit, ex eadem tamen poſſeſſione ad ſupplendam pecuniam, quæ ex bonis ab eo relictis colligi nequiuerit, conferendum eſt. Quòd ſi liberalitatis tenorem mutata uoluntate pater tuus interrupit, in hæreditate eius dominium reſediſſe, nulla dubitatio eſt. *Concordat l. creditor. 20. C. eod. tt. his uerbis:* Creditor, ſoluto debito, de pignore liberato nihil ad uxorem debitoris quondam transferre potuit. Sed nec conſenſus eiuſdem debitoris accedens per eum qui creditor fuit, imaginariæ factæ uenditioni ad dominium transferendum prodeſſe quidquam potuit: cum tam ea quæ ſimulatè geruntur, quàm quæ in uxorem à marito donationis cauſa tempore matrimonij procedunt, propter iuris ciuilis interdictum (cum proponas uxorem ſuperſtite marito rebus humanis exemptam) pro infectis habeantur. *Decimum exemplum eſt: Si locatio donationis cauſa ſit facta. quod exemplum propoſitum eſt l. ſi uir. 52. in prin. ff. de donat. inter uirum & uxor. his uerbis:* Si uir uxori donationis cauſa rem uilius locauerit,

cauerit, locatio nulla est: cum autem depositum inter eas personas minoris donationis causa æstimatur, depositū est. hoc ideo tam uariè, quia locatio quidē sine certa mercede contrahi nō potest, depositum autem & citra æstimationem quoq; dari potest. *Vndecimum exemplum est: Si depositum donationis causa minoris æstimatur, quod exemplum in uerbis iam dictis est propositum. Simile exemplum habetur paulò superius exemplo quinto.* Duodecimum exemplum est: Si dis constante matrimonio uxori sit restituta, de quo uide §. *lib. 15. cap. 2. except. 36.* Hactenus exēpla propositæ replicationis enumerata sunt: nūc eius duplicationes uideamus. *Harum prima hæc est: Nisi non in totum contractus, puta uenditionis, &c. donationis causa sit celebratus, sed pro aliqua parte. tunc enim id solum, quod in eo contractu donationis causa conuenit, non ualet: contractus autē ipse per se subsistit. quæ duplicatio approbatur l. si sponsum. 5. §. circa uenditionē. ff. de donat. inter uirum & uxor. his uerbis:* Circa uenditionē Iulianus scribit, minoris factam uenditionē nullius momēti esse. Neratius etiam (cuius opinionem nō improbat Pomponius) uenditionem donationis causa inter uirum & uxorem factam, nullius esse momenti ait: si modò, cum animum maritus uendendi nō haberet, idcirco uenditionē cōmentus sit, ut donaret. Enimuerò si, cum animū uendēdi haberet, ex precio ei remisit, uenditionē quidem ualere: remissionem hactenus non ualere, quatenus locupletior facta est. Itaq; si res quindecim uenit quinq;, nunc autē sit decem, quinq; tantùm prestanda sunt: quia in hoc locupletior uidetur facta. *Concordat l. sed si uir. 31. §. si duo. ff. d. tt. his uerbis:* Si duo mācipia fuerint singula quinis digna, sed utrūq; unis quinq; donationis causa à uiro mulieri, uel contrà uenierit: melius dicetur, communia ea esse pro portione precij: nec tantū spectandum esse, quanti mancipia sint, sed quantum ex precio donationis causa sit remissum. sine dubio enim licet à uiro uel uxore minoris emere, si non sit animus donandi. *Concordat d. l. 31. §. si uir uxori, his uerbis:* Si uir uxori, uel contrà, quid uendiderit uero precio, & donationis causa paciscantur, ne quid uenditor ob eam rem præstet: uidendum est, quid ea uenditione agatur: utrum res uenierit, & totum negociū ualeat: an uerò, ut ea sola pactio irrita sit, quemadmodū irrita esset, si post contractā emptionem nouo consilio inito, id pacti fuisset factū? Et uerius est, pactum duntaxat irritum esse. Idem dicemus, si donationis causa pacti sint, nec fugitiuū aut erronē præstari: id est, integras esse actiones ædilitias & ex empto. *Concordat item l. si uir. 52. in prin. ibi: depositum est. ff. d. tt. cuius uerba uide paulò superius exēplo 10. Secunda proposite replicationis duplicatio est: Nisi donator in eadem uoluntate usq; ad finē uitæ perseuerauerit. De hac re uide* §. *exc. 39. Tertia duplicatio est: Nisi id quod in diem debebatur, donationis causa ante diem sit solutū. quæ duplicatio approbatur l. sed si uir. 31. §. quod uir. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Quod uir uxori in diem debet, sine metu donationis præsens soluere potest: quamuis commodū temporis retenta pecunia sentire potuerit. *Quarta duplicatio est: Nisi eum maritus percepta ea ta quantitate rogatus esset uxori hæreditatem restituere, quantitate non percepta, nec quarta deducta hæreditatē restituerit. quæ duplicatio approbatur l. si sponsum. 5. §. si quis rogatus. ff. de don. inter uir. & uxor. cuius uerba uide* §. *lib. prox. cap. 1. exc. 35. repl. 2. Quinta duplicatio est: Nisi ex alterutrius materia alterius nomine species sit confecta. hoc enim casu species ei adquiritur, cuius nomine facta est, quamuis ex alterius materia donata. quæ duplicatio approbatur l. si mulier. 29. §. fin. cum l. sequente. ff. d. tt. his uerbis:* Si uir uxori lanam donauit, & ex ea lana uestimenta sibi confecit: uxoris esse uestimenta, Labeo ait, utilem tamen uiro competere actionē. *Concordat l. sed si uir. 31. §. 1. ibi: sed uiri nomine. ff. d. tt. his uerbis:* Viri nomine uestimenta uxoris lana confecta uirilia, uiri esse, ut is lanę uxori precium præstet, Labeo ait. *Concordat item d. §. 1. ibi: quamuis illa, his uerbis:* Quamuis illa donatio ualeat, cùm sua lana uxor uiri nomine uestimenta confecit. *Planè hoc casu is cuius lana fuit, utilem habet actionem ad precium lanæ consequendū, ut ex iam dictis constat. Sed etsi uestimentū, quod mulier sua lana uiri nomine confecit, uiri efficiatur, ut tamen est dictum: non tamen contrà, si uir sua lana uxoris nomine uestimentum confecerit, id uxoris efficitur. quod approbatur d. l. 31. in prin. his uerbis:* Sed si uir lana sua uestimentū mulieri confecerit, quamuis id uxori confectum fuerit, & uxoris cura, tamē uiri esse: neq; impedire, quòd in ea re uxor tanquam lanipendia fuerit, & uiri negocium procurarit. *Plura de re proposita uide* §. *lib. 21. cap. 1. causa 12. Plures propositæ replicationis duplicationes uide* §. *except. 9.*

XXX. *Exceptio: Nisi habitatio gratis sit concessa. Hæc exceptio approbatur l. si uir. 18. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si uir uxoris, aut uxor uiri seruis aut uestimentis usus uel usa fuerit, uel in ædibus eius gratis habitauerit, ualet donatio.

XXXI. *Exceptio: Nisi aliarum extrinsecus personarum uel rerum causa commixta sit. Hæc exceptio approbatur sub conditione l. si sponsum. 5. §. generaliter. ff. de don. inter uir. & uxor. his uerbis:* Generaliter tenendum est, quod inter ipsos, aut qui ad eos pertinent, aut quod per interpositas personas donationis causa agitur, non uale re. quòd si aliarum extrinsecus personarū rerūmue causa commixta sit, si separari nō possit, nec donationem impediri: si separari possit, cætera ualere, id quod donatum sit

sit non ualere. *Hisce uerbis exceptio proposita approbatur, simul & eius replicatio introducitur talis: Nisi causa mixta posit separari. Huius exemplum proponitur d. l. 5. §. 1. his uerbis:* Si maritus duos reos habeat, Titium & mulierem, & mulieri acceptotulerit donationis causa, neuter liberatur: quia acceptilatio nō ualet. & hæc fal. lib. XVII. Digest. scribit. Planè si proponas, Titio acceptolatum esse: ipse quidem liberabitur, mulier uerò manebit obligata.

XXXII. *Exceptio: Nisi diuortium inter maritum & uxorem sit factum. Hæc exceptio reprobatur l. & ideo. 62. ff. d. tt. his uerbis:* Diuortio facto, nec instaurato matrimonio, non confirmatur inter uirum & uxorem facta donatio: sed nec inter patronum & libertam (etsi ab eo inuito diuertere non licet) facta donatio confirmatur, cum inter eos diuortium intercedit. perinde enim id quod donatum est habetur, diuortio intercedente, ac si donatum non fuisset.

XXXIII. *Exceptio: Nisi sibi inuicem donauerint, uel donataria donatori rursus donauerit. Hæc exceptio ipso quidem iure reprobatur: uerùm admittitur primùm sub hac conditione, Si ambo simul decesserint. Quæ distinctio approbatur l. cum hic status. 32. §. si ambo. ibi: proinde rectissimè. ff. de donat. inter uir. et uxor. cuius uerba uide* §. *except. 39. repl. 14. dupl. 3. Secūdò admittitur exceptio in casu, qui proponitur l. ult. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si uxor nimis à uiro, aut ab eo qui in eius potestate esset, sibi donatis seruū emerit: deinde cum eius factus esset, eum ipsum donationis causa uiro tradiderit: rata erit traditio, quamuis ea mente facta fuerit, qua cæteræ donationes: neq; ulla actio eius nomine dari potest. *Tertiò admittitur exceptio proposita in casu, de quo* §. *except. 38. repl. 3.*

XXXIIII. *Exceptio: Nisi donataria donatori contrà ampla legata reliquerit. Hæc exceptio reprobatur l. quæ iam. 48. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Quæ iam nuptæ maritus donauit, uiri manent, & potest ea uindicare: nec quidquam refert, quòd ampla legata ab uxore ei relicta sunt.

XXXV. *Exceptio: Nisi donatum ædificio iunctū sit. Hæc exceptio reprobatur l. de eo. 63. ff. d. tt. his uerbis:* De eo quod uxoris in ædificium uiri ita coniunctum est, ut detractum alicuius usus esse possit: dicendum est agi posse, quamuis nulla est actio ex lege XII. Tabul. quia decemuiros non sit credibile de his sensisse, quorum uoluntate res eorum in alienū ædificium coniunctæ essent. Paulus notat: Sed in hoc solum agi potest, ut uindicatio soluta re competat mulieri, non in duplum ex lege XII. Tabul. neq; enim furtiuum est, quod sciente domino inclusum est. *Concordat l. Marcellus. 45. ff. d. tt. his uerbis:* Marcellus lib. VII. Digest. scribit, eum etiam detrahere sine mulieris damno, & citra metum senatusconsulti, quod detrahentibus negociationis causa occurrit.

XXXVI. *Exceptio: Nisi ex re donata uxor suo uel uiri nomine speciem aliquam fecerit. de hac re uide* §. *except. 29. repl. 1. dupl. 5.*

XXXVII. *Exceptio: Nisi in integrum restitutio contra donationem non sit petita, uel donatio rescissa. Hæc exceptio reprobatur l. hæc ratio. 3. §. sciendum. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Sciendum est, ita interdictam inter uirum & uxorem donationem, ut ipso iure nihil ualeat quod actum est. proinde si corpus sit quod donatur, nec traditio quicquam ualet: & si stipulanti promissum sit uel acceptolatum, nihil ualet. ipso enim iure, quæ inter uirū & uxorem donationis causa geruntur, nullius momenti sunt. Si quis igitur numos uxori dederit, non fieri eius apparet: quia nihil corporis eius fieri, palàm est.

XXXVIII. *Exceptio: Nisi res donata perierit, uel à donatario consumpta sit. Hæc exceptio approbatur l. si id. 28. in prin. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si id quod donatum est, perierit uel consumptū sit: eius qui dedit, est detrimentum. meritò: quia manet eius res qui dedit, suamq; rem perdit. *Concordat d. l. 28. §. si ex decem. ibi: quemadmodum. cuius uerba uide* §. *cap. prox. quæst. 4. reg. 1. in prin. Concordat item l. si fructus. 8. C. d. tt. his uerbis:* Si fructus eorum prædiorum, quæ in dotem accepisti, matrimonij tempore uxorem tuam percipere passus es, eosq; uxor tua absumpsit: restitui tibi post diuortium oportere, nulla ratione contendis. Sin autem ab his locupletior facta est, in tantum potest conueniri. *Propositæ exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi dolo mulieris factum sit, ne res extet. Hæc replicatio approbatur l. si mulier. 37. ff. d. tt. his uerbis:* Si mulier dolo fecerit, ne res extaret sibi à marito donata: uel ad exhibēdum, uel damni iniuriæ cum ea agi poterit, & maximè si post diuortium id commiserit. *Secunda replicatio est: Nisi mulier ex pecunia donata rem aliquam emerit, eaq; rursus uendita aliam emerit, quæ posterior perijt. Hæc replicatio reprobatur l. si mulier. 29. in prin. ff. d. tt. his uerbis:* Si mulier ex pecunia donata emptum seruum uendi disset, & alium emisset: posteriorem periculo mulieris esse, Fulcinius scripsit: quod nō est uerum, licet non ex re mariti emptus sit. *Tertia replicatio est: Nisi donator ad aliam rem donatam restituendam conuentus, compensationem opponat: hæc enim utilis est, quamuis actor rem sibi donatā consumpserit. quæ replicatio approbatur l. quod autem. 7. §. si uir & uxor. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si uir & uxor quina inuicem sibi donauerint, & maritus seruauerit, uxor consumpserit: rectè placuit, compensationem

cũ nihil tam peculiare sit Imperialis maiestatis, quàm humanitas, per quã solam Dei seruatur imitatio: in ambobus casibus donationem firmam esse censemus. *Concordat l.cum hic status.32.§.si ambo.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.replicat.14.* *Octaua replicatio est: Nisi donator iudicio publico sit damnatus. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit, uerùm eius duplicatio prima hæc est: Nisi antequam crimen committeretur & damnatus sit, maritus donauerit. Quæ duplicatio approbatur l. res uxoris.24. C.de donat.inter uir.et uxor.his uerbis:* Res uxoris, quæ uel successione qualibet, uel emptione, uel etiam largitione uiri, in eam ante reatum iure peruenerunt: damnato & mortuo ex pœna marito, uel in seruilem conditionem ex pœnæ qualitate deducto, illibatas esse præcipio: nec alieni criminis infortunio adstringi uxorem, cùm paternis maternísue ac proprijs bonis frui eam integro legum statuto religiosum sit: & donatio maritalis ante tempus criminis ac reatus collata in uxorem, quia pudicitiæ præmio cessit, obseruanda sit, tanquam si maritum eius natura, non pœna subduxerit. Sin autem aqua & igni ei interdictum erit, uel deportatio illata, non tamen mors ex pœna subsecuta: donationes à uiro in uxorem collatæ adhuc in pendenti maneant (quia nec matrimonium in huiusmodi casibus dissoluitur) ita ut si usque ad uitæ suæ tempus maritus eas non reuocauerit, ex morte eius confirmentur, fisco nostro ad easdem res nullam in posterum communionem habituro. *Secunda propositæ replicationis duplicatio est: Nisi damnatus nihilominus ius testamenti faciendi habeat. Hæc duplicatio approbatur d.l.32.§.si miles.ff.eod.tt.his uerbis:* Si miles uxori donauerit de castrensibus bonis, & fuerit damnatus: quia permissum est ei de his testari (si modò impetrauit, ut testetur, cum damnaretur) donatio ualebit. nam & mortis causa donare poterit, cui testari permissum est. *Nona replicatio est: Nisi donator sibi ipsi ob sceleris conscientiam mortem consciuit. Hæc replicatio approbatur d.l.32.§.si maritus, his uerbis:* Si maritus uxori donauerit, & mortem sibi ob sceleris conscientiam consciuerit, uel post mortem memoria eius damnata sit, reuocabitur donatio: quamuis ea quæ alijs donauerit, ualeant, si non mortis causa donauit. *Decima replicatio est: Nisi memoria donatoris post mortem eius sit damnata. Hæc replicatio approbatur uerbis iam propositis. Vndecima replicatio est: Nisi socer qui donauit, uiuo adhuc filio uel filia decesserit. Hæc replicatio approbatur d.l.32.§.oratio, in fine. cuius uerba uide paulò superius replicat.1. Concordat l.si, ut proponis.5. C.eod.tt. cuius uerba uide §. eod. cap. except.5. replic.2.* *Duodecima replicatio est: Nisi socer qui donauit, postea filium maritum eman-*

cipauerit. Hæc replicatio approbatur d.l.32.§.in hac autem, his uerbis: In hac donatione inter soceros facta, mors consideranda est eius qui donauit, constante matrimonio, & iure potestatis durante. Idemque & in his qui sunt in eorum potestate. *Concordat d.l.32.§.si consocer, his uerbis:* Si consocer consocero donauerit, & alter eorum uel uterque copulatos emancipauerit: debet dici, donationem ad orationem non pertinere, & ideo infirmari donationem. *Decimatertia replicatio est: Nisi donataria serua sit effecta. Hæc replicatio approbatur d.l.32.§.si donator. ibi: proinde, his uerbis:* Si ipsa in seruitutem redigatur, cui donatum est, extincta erit. *Decimaquarta replicatio est: Nisi donataria prior decesserit, uiuo donatore. Hæc replicatio approbatur l.à marito.18. ibi: uel prior. C. de donat.inter uir.& uxor.his uerbis:* A' marito in uxorẽ donatione collata matrimonij tempore, nec initio dominium transferri potest: nec si pòst diuortium interceſſerit, uel prior persona, quæ liberalitatem accepit, rebus humanis fuerit exempta, uel ab eo qui donauit, fuerit reuocata, potest conualescere. *Concordat l.etiamsi.6.C.eod.tt.cuius uerba uide §.cap.6.except.16.in prin. Concordat item l.creditor.20. in fine. C. eod. tt. cuius uerba uide §. except. 29.replic.1.exemplo 9. Concordat item l.cum hic status.32.§.si ambo.ibi: oratio.ff.eod.tt.cuius uerba uide §. duplic.3. Concordat item d.l.32.§.si nurus. cuius uerba uide §.duplic.2. Concordat item l.si inter.9.ff.de rebus dubijs.cuius uerba uide §.duplic.3. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi donator adhuc uelit donationem ualere. Quæ duplicatio approbatur d. l.32.§.si diuortium. de quo paulò inferius replic.17. Secunda duplicatio est: Nisi cum nurus socero donasset, socer ante nurum decesserit, solo marito filio suo hærede relicto. Quæ duplicatio approbatur d.§.si nurus, his uerbis:* Si nurus socero donauerit, mortem nurus, & perseuerantem in supremam diem uoluntatem spectare nos oportet. quòd si socer antè decesserit, dicemus extinctam donationem? an quia maritus uiuus uxori suæ superuixerit, admittimus uim habere donationem? & siquidem maritus solus socero hæres extitit, quasi noua donatio in maritum collata seruari potest, ut illa finita sit, alia cœperit: si uerò filius patri hæres non est, finita erit donatio ratione noua *Tertia duplicatio est: Nisi donator & donataria pariter decesserint, uel ignoretur uter prior decesserit. Quæ duplicatio approbatur l.si inter.9. ff.de rebus dubijs, hisce uerbis:* Si inter uirum & uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum est, ad eum res redit, qui donauerat: quòd si simul tam is cui donatum est, quàm is qui donauerit, quæstionis decidẽdæ gratia magis placuit ualere donationem, eo maximè quòd donator non superuiuat,

uiuat, qui rem concedere possit. *Concordat l. cum hic status.32. §. si ambo. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si ambo ab hostibus capti sunt, & qui donauit, & cui donatum est, quid dicemus? Et prius illud uolo tractare. Oratio, si antè mors contigerit ei cui donatum est, nullius momenti donationem esse uoluit. Ergo si ambo decesserint, naufragio fortè, uel ruina, uel incendio, quid dicemus? Et siquidem possit apparere quis antè spiritum posuerit, expedita est quæstio: si uerò non appareat, difficilis est quæstio. & magis puto donationem ualuisse, & id uerbis orationis defendimus. ait enim oratio, Si prior uita decesserit, qui donatum accepit. non uidetur autem prior uita decessisse, qui donatum accepit, cum simul decesserint. Proinde rectissimè dicetur, utrasque donationes ualere, si fortè inuicem donationibus factis simul decesserint: quia neuter alteri superuixit, licet de commorientibus oratio non fuerit: sed cum neuter alteri superuixerit, donationes mutuæ ualebunt. nam & circa mortis causa donationes mutuas id erat consequens dicere, neutri dandam condictionem. Iocupletiores igitur hæredes donationibus relinquentur. Secundum hæc, si ambo ab hostibus simul capti sint, amboque ibi decesserint, an simul utrinque captiuitatis tempus spectemus, ut donationes dicamus ualere, quasi simul decesserint: an neutras, quia uiuis eis finitum est matrimonium: an spectemus, uter prior decesserit, ut in eius persona non ualeat donatio: an uter redierit, ut in eius ualeat? Mea tamen fert opinio, ubi non reuertuntur, ut tempus spectandum sit captiuitatis, quasi tunc defecerint: quòd si alter redierit, eum solum uideri superuixisse, qui redijt. *Ait Iurisconsultus:* Sed cum neuter alteri superuixerit, donationes mutuæ ualebunt. *Huic concordat l.si hi.25. ff.de mort.causa donat. cuius uerba uide §.cap.6.except.16. replic.1. Hæc de decimaquarta replicatione sunt dicta. Decimaquinta replicatio est: Nisi donator maleficijs donatariæ dicatur extinctus. Hæc replicatio ipso quidem iure subsistit exemplo legatorum, uerum eius duplicatio hæc est: Nisi hæres donatoris propria authoritate res donatas abstulerit. Quæ duplicatio approbatur l.si maritus.11. C. de donat. inter uir. & uxorem, his uerbis:* Si maritus quondam uxoris tuæ, cum sui iuris esset, in eam prædia uel cætera donationis titulo contulit, & in ea uolun tate usq; ad mortem suam durauit: ex oratione diui Seueri confirmata est donatio. At si eas res pater defuncti iniuriosè abstulit, per præsidem prouinciæ eas restituere cogetur. nec enim quasi maleficijs eius sit maritus extinctus, crimen intendens sub prætextu accusationis quæ donata sunt auferre debuit, cùm causa liberalitatis à criminatione separata sit. *Decimasexta replicatio est: Nisi illegitimum fuerit matrimonium. Hæc replicatio approbatur per ea quæ dicta sunt §.eod.cap. except.4. replic.1. item per ea quæ dicta sunt §.lib.32. cap.3.except.20. Decimaseptima replicatio est: Nisi post donationem diuortium sit factum. Hæc replicatio approbatur l.sed interim.11. §. penult. ff. de donat. inter uirum & uxorem. cuius uerba uide §.except.10. replic.5. Concordat l.à marito.18.ibi: nec si post.C.eod. tt. cuius uerba uide §.replic.14. Item concordat l.si, ut proponis.5.C.eod.tt.cuius uerba uide §.except.5.replicat.2. Concordat item l.cum hic status.32. §. in hac donatione.ibi: constante.ff.eod.tt.cuius uerba uide §.repl. 12. Huius replicationis duplicatio prima hæc est: Nisi maritus nihilominus post diuortium uelit donatum, idq; expresserit. Quæ duplicatio approbatur d.l.32.§. si diuortium, his uerbis:* Si diuortium post donationem interceſsit, aut prior decesit qui donum accepit, uteriiure ſtatur: hoc est, ſi maritus uxori donatum uult, ut ualeat donatio: quòd ſi non uult, extinguatur. Plerique enim cum bona gratia discedunt, plerique cum ira animi ſui, & offenſa. *Secunda duplicatio est: Nisi postea matrimonium fuerit restauratum. Hæc duplicatio approbatur d. §. si diuortium, his uerbis:* Quid ergo, ſi diuortium factum eſt, deinde matrimonium reſtauratur: & in diuortio uel mutata uoluntas eſt, uel eadem durauit, reſtaurato tamen matrimonio, & uoluntate donatoris reconciliata: an donatio duret, ſi conſtante matrimonio donator deceſſerit? & poteſt defendi, ualere. *Tertia duplicatio est: Nisi non tam diuortium, quàm frigusculum quoddam fuerit. Hæc duplicatio approbatur d.§.si diuortium, in fin. his uerbis:* Quid ſi diuortium non interceſſerit, ſed frigusculum? profectò ualebit donatio, ſi frigusculum quieuit. *Quarta duplicatio est: Nisi sine effectu nuncius sit missus. Hæc duplicatio ipso quidem iure approbatur: uerùm eius duplicatio proponitur d.l.32. §.si socer nurui. cuius uerba uide paulò superius replic.4. Decimaoctaua replicatio est: Nisi promissum tantùm sit, non etiam traditum donationis causa. Hæc replicatio approbatur quidem iure antiquo, l.Papin.23. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Papinianus rectè putabat, orationem diui Seueri ad rerum donationem pertinere. Denique ſi ſtipulanti uxori ſuæ ſpondiſſet, non putabat conueniri poſſe hæredem mariti, licet durante uoluntate maritus deceſſerit. *Huius replicationis duplicatio prima hæc erat: Nisi annuum mulier à uiro, uel contrà uir à muliere esset stipulatus. Quæ duplicatio approbatur l.si stipul.33.in prin.ff.eod.tt.his uerbis:* Si ſtipulata fuerit mulier annuum dari, id ex ſtipulatu petere conſtante matrimonio non poteſt: ſed ſi manente matrimonio deceſsiſſe

maritum proponatur, puto, quia in annuo quoque donatio uertitur, posse dici donationem confirmari ex senatusconsulto. *Concordat d.l.33. in fin. his uerbis:* Si fortè maritus ab uxore stipulatus sit annuum, decesseritque mulier constante matrimonio: dicendum erit, ex oratione donationem conualescere. *Secunda duplicatio erat: Nisi ita donasset, ut id quod donatum est, in dotem haberet. Hæc duplicatio approbatur l.si quis.59.ff.eod.tt. his uerbis:* Si quis uxori ea conditione donauit, ut quod donauit, in dotem accipiat: defuncto eo, donatio conualescit. *Hæc de iure antiquo. Iure autem nouo replicatio proposita reprobatur, nempe Nouell. c.162. in prin. cuius uerba uide ℨ.cap.2.except.32. Decimanona replicatio est: Nisi donatio maior quingentorum solidorum actis non sit insinuata. Hæc replicatio approbatur l.donationes.25. C. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Donationes quas parentes in liberos cuiuscũq; sexus, in potestate sua cõstitutos conferũt, uel uxor in suum maritũ, uel maritus in suam uxorem, uel alter eorũ in aliam personam, cui constante matrimonio donare non licet, uel ipsæ aliæ personæ in eam, cui donare non poterant: ita firmas esse per silentium donatoris uel donatricis sancimus, ut usq; ad quantitatem legitimã, uel eam excedentes actis fuerint intimatæ. nam amplioris quantitatis donationem minimè intimatam, nec per silentium eius qui donauit, confirmari concedimus. *Propositæ replicationis duplicatio hæc est: Nisi donator in ultima sua uoluntate specialiter donationem confirmauerit. Quæ duplicatio approbatur d.l.25.ff.si uerò, his uerbis:* Si uerò specialiter eas in suprema uoluntate donator uel donatrix confirmauerit, sine ulla distinctione ratę habebuntur: ita tamẽ, ut si quidem ultra lege finitam quantitatem expositæ, in actis minimè insinuatæ fuerint, specialiter earum cõfirmatio ex eo tempore uim habeat, ex quo eædem donationes confirmatæ sunt. Si uerò uel non amplior sit donatio, uel cum amplior esset, in actis insinuata sit: tunc & silentium donatoris uel donatricis, & specialis confirmatio ad illud tempus refertur, quo donatio conscripta sit: sicut & alias ratihabitiones negociorum ad illa reduci tempora oportet, in quibus contracta sunt: neq; in cæterum subtilem diuisionem facti & iuris introduci posse. *Ait Imperator:* Ita tamen, ut si quidem ultra lege finitam quantitatem expositæ, in actis minimè insinuatæ fuerint, specialiter earum confirmatio ex eo tempore uim habeat, ex quo eædem donationes confirmatæ sunt, &c. *Hæc pertinent ad ea quæ dicta sunt ℨ. cap.5. quæst.6. reg.3. Vicesima replicatio est: Nisi non donatum sit, sed quid aliud donationis causa gestum uel contractum. Quæ replicatio reprobatur l.cum hic status.32. §. siue autem res. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Siue res fuit quæ donata est, siue obligatio remissa, potest dici donationem effectum habituram. utputa, uxori acceptum tulit donationis causa quod debebat: potest dici pendére ac ceptilationem nõ ipsam, sed effectum eius. Et generaliter, uniuersæ donationes, quas impediri diximus, ex oratione ualebunt. *Vicesimaprima replicatio est: Nisi id quod donationis causa inter uirum & uxorem gestum est, etiam alio iure uel inter cæteros non subsistat: tunc enim morte donantis non confirmatur. Quæ replicatio approbatur d.l.32. §. si inter, his uerbis:* Si inter uirum & uxorem societas donationis causa contracta sit, iure uulgato nulla est. Sed nec post decretum senatus, emolumentum ea liberalitas, ut actio pro socio constituatur, habere potest. quæ tamen in commune tenuerunt, præstituto fine reuocanda non sunt. Idcirco igitur pro socio actio non erit, quia nulla societas est, quæ donationis causa interponitur, nec inter cæteros: & propter hoc nec inter uirum & uxorem. Idem erit dicendum, etsi emptio contracta sit donationis causa: nam nulla erit. Planè si minoris res uenient donationis causa, uel precium postea sit remissum: admittemus donationem pertinere ad S. C. *Vicesimasecunda replicatio est: Nisi usus tantum à marito uxori sit concessus. tunc enim res ipsa donata non uidetur. Ideoq; morte non confirmatur donatio. Quæ replicatio approbatur l. mortis.53. §. fin. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide ℨ. except.12. repl.4. item lib.15. cap.8. reg.25. except.5. Vicesimatertia replicatio est: Nisi hæreditas donatoris non sit soluendo. hoc enim casu creditoribus hæreditarijs, rem donatam persequentibus, exceptio proposita non obstat. Quæ replicatio approbatur l.si non.15. C. eod.tt. cuius uerba uide ℨ. except.29. repl.1. exemplo 9.*

¶ *Hactenus exceptiones contra donationem inter maritum & uxorem factam, & ipso iure non subsistentem, sunt propositæ. Replicationes autem harum exceptionum generales uide ℨ. except. proxim. item ℨ. except.10. eod. cap. Nunc ad effectus huius donationis transeundum.*

DE ACTIONE AD REVOcandum & repetendum id quod inter uirum & uxorem inutiliter donatum est. Cap. IX.

PRIMO: *Causa huius actionis est, donatio inter coniuges facta, ipso iure non subsistens. de qua causa cum suis exceptionibus, & exceptionum replicationibus dictum ℨ. cap. prox.*

II. QVIBVS HAEC actio detur?

I. Regula, De marito qui donationis causa debitorem

rem suum uxori delegauit, & ipso debitore, uiri detur actio, proponitur l.uir.39. ff. de donat. inter uirum & uxor. his uerbis: Vir, cum uxori pecuniam donare uellet, permisit ei, ut à debitore suo stipularetur. illa, cum id feciſſet, priusquam pecuniam tulisset, diuortium fecit. quæro, utrum uir eam summam petere debeat, an ex ea promissione propter donationis causam actio nulla sit? Iulianus respondit, inanem fuisse stipulationem. Sed si promissor mulieri ignorans soluisset, siquidem pecunia extat, uindicare eam debitor potest: sed si actiones suas marito præstare paratus est, doli mali exceptione se tuebitur. Ideoque maritus hanc pecuniam, debitoris nomine uindicando, consequetur. Sed si pecunia non extat, & mulier locupletior facta est, maritus eam petet: intelligitur enim ex re mariti locupletior facta esse mulier: quoniam debitor doli mali exceptione se tueri potest.

II. *Regula: Si, cum matrimonium esset illegitimum, alter alteri donauerit, fisco ad reuocandum datur actio. Quæ regula approbatur l.cum hic status.32. §. fin. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide ℨ. cap. prox. except.4. replic.1.*

III. *Regula: Hæredibus donatoris non datur repetitio, nisi ex pœnitentia donatoris defuncti. Quæ regula approbatur d.l.32. §. ait oratio. de qua re uide ℨ. cap. prox. except.39.*

III. QVAE ACTIO detur?

I. *Regula: Rei uindicatio competit, si quidem res extat: sin autem res cõsumpta sit, condictio nascitur. Quæ regula approbatur l.si sponsus.5. §. fin. cum l.sequente. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* In donationibus iure ciuili impeditis hactenus reuocatur donum ab eo, ab eáue cui donatum est, ut si quidem extet res, uindicetur: si consumpta sit, condicatur, quatenus locupletior quis eorum factus est. Quia quod non ex cõcessa donatione retinetur, id aut sine causa, aut ex iniusta causa retineri intelligitur: ex quibus causis condictio nasci solet. *Concordat l.si donatæ.36. in princ. ff. eod. tt. cuius uerba uide ℨ. quæst. proxim. reg.2. Concordat item l.uir.39. ff. eod. tt. cuius uerba uide paulò ℨ. quæst.2. reg.1. Concordat item l.si stipulata.33. §. si uxor. ff. eod. tt. cuius uerba uide ℨ. except.12. replic.3. Concordat item l.uxor.55 ff. eod. tt. cuius uerba uide ℨ. quæstion.4. reg.1. except.5. Ait Iurisconsultus:* Vt si quidem extet res, uindicetur. *Huius exceptio uidetur esse talis: Nisi ædibus iuncta sit. Verùm exceptio hæc reprobatur l.de eo.63. ff. de donat. inter uirum & uxor. cuius uerba uide ℨ. cap. prox. except.35. Ait insuper Iurisconsultus.* Si consumpta sit, condicatur. *Huius exceptio est: Nisi dolo malo donatarij consumpta sit, uel non extet: tunc enim ad exhibendum, uel damni iniuriæ agi potest. Quæ exceptio approbatur l.si mulier.37. ff. eod. tt. cuius uerba uide ℨ. cap. prox. except. 38. replic.1.*

II. *Regula: Est insuper propositæ actionis adsine remedium, actio de peculio aduersus patrem donatarij. Quod approbatur l.si prædia.58. §. fin. ff. de donat. inter uirum & uxor. cuius uerba uide ℨ. cap. prox. except.6. replic.1. Sed & aliud propositæ actionis adsine remedium proponitur l. quod autem.7. §. si maritus. ff. eod. tt. cuius uerba uide ℨ. cap. prox. except.29. exemp.5.*

IIII. QVID VENIAT in hanc actionem?

I. *Regula: Venit in hanc actionem, si res non extat, quatenus locupletior factus est donatarius. Quæ regula approbatur l.si sponsus.5. §. fin. ff. de donat. inter uir. & uxor. cuius uerba uide ℨ. quæst. prox. reg.1. Concordat l.si cum.50. §. fin. ff. eod. tt. cuius uerba ℨ. except.3. proponentur. Item concordat l.fructus.8. in fin. C. eod. tt. cuius uerba uide ℨ. cap. prox. except.38. Concordat item l.pro oneribus.20. C. de iure dotium. cuius uerba uide ℨ. cap. prox. except.29. replic.2. exemplo 7. Exemplà huius regulæ uide ℨ. cap. prox. except.9. in fine. Sed & exemplum huius regulæ proponitur l.si id.28. §. si ex decem. ff. de donat. inter uir. & uxor. his uerbis:* Si ex decem donatis sibi mulier seruum emat, & is quinq; sit: quinq; petenda esse, apud Plautium placuit: quemadmodum si mortuus est, nihil petetur. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi res quam pecunia donata emit, pluris æstimetur, quàm est pecunia donata. hoc enim casu, non quanto locupletior facta est uxor petetur, sed pecunia donata. Quæ exceptio approbatur d.§. si ex decem, his uerbis:* Si uerò quindecim dignus sit, non plus quàm decem peti possunt: quoniam hactenus donator patperior factus est. *Concordat l.quod autem.7. §. idemq; ait, in fin. ff. eod. tt. cuius uerba uide ℨ. except.4. Concordat item l.uxor.55. in fine. ff. eod. tt. ubi Paulus:* Non ut ultra id tamen (inquit) quod donatum est, condicatur. *Ait Iurisconsultus:* Non plus quàm decem peti possunt. *Hoc ita intelligendum, si res pluris empta non sit deterior facta. si autem deterior sit facta, uel perierit aut in totum, aut pro parte: tunc non decem quæ donata sunt, sed quanti id quod ex re empta superest, æstimatur, petendum. Quæ distinctio approbatur simul & distinguitur d.§. si ex decem, his uerbis:* Quòd si ex decem duos seruos emerit, & eorum alter mortuus sit, alter decem dignus sit, solet quæri. Et plerique (ut Pomponius) interesse putant, utrum uno precio uenierint, an diuersis. si uno, tota decem petenda, quemadmodum si una res empta deterior facta esset, uel grex, uel carrucha, & aliqua pars inde periisset: si diuersis, hoc solum petendum, quanti emptus sit qui supereſt. *Secunda propositæ regulæ exceptio est: Nisi precio rei pecunia donatæ emptæ, mulier aliquid etiam de sua pecunia addiderit: tunc enim non quanti res empta est restituendum, sed pro portione pecuniæ donatæ. Quæ exceptio ap-*

probatur l.quod autem.7. §.eleganter. ff.de donat.inter uir.& uxor.his uerbis:Eleganter tractabitur, si mulier prædia quindecim emerit, & maritus non totum precium numerauerit, sed duas partes precij, hoc est decem, uxor de suo quinque, deinde hæc prædia ualeant nunc decem: maritus quantum consequetur? & magis est, ut consequi debeat duas partes decem, ut quod perierit ex precio, utrique perierit, & marito, & uxori. *Tertia exceptio est: Nisi maritus creditori uxoris soluerit. tunc enim, quamuis mulier ex eo credito non fit locupletior facta, nihilominus in solidum tenetur. Quæ exceptio approbatur l.si cum.50. ff.de donat.inter uirum & uxor. his uerbis*: Si cum mulier uiginti seruum emisset, in eam emptionem uir quinque uenditori dedit: diuortio facto, omnimodò uir eam summam exiget: neque ad rem pertinet, an is seruus deterior factus sit. nam etsi mortuus esset, quinque exactio ei competeret. Quæritur enim, an mulier ex patrimonio uiri locupletior sit eo tempore, quo de dote agatur. facta autem intelligitur, quæ ære alieno suo interuentu uiri liberata est: quod potuisset adhuc debere, si uir pecuniam non exoluisset. neq; enim interest, ex qua causa mulier pecuniam debuit, utrum creditã, an eam quam ex emptione præstare debebat. Quòd si mulier non emerat seruum, sed ut emeret, à uiro pecuniam accepit: tunc uel mortuo, uel deteriore facto seruo, damnum ad uirum pertinebit: qũia quod aliter emptura non fuit, nisi pecuniã à uiro accepisset, hoc consumptum ei perijt qui donauit, si modò in rerum natura esse desijt. nec enim uidetur mulier locupletior esse, quæ neque à creditore suo liberata est, neq; id possidet, quod ex pecunia uiri emerat. *Concordat l.quod autem.7. §.si uxor rem. ff. eod.tt. his uerbis*: Si uxor rem emit, & maritus precium pro ea numerauit: interdum dicendum est, totum à muliere repetendum, quasi locupletior ex ea in solidum facta sit. utputa, si emit quidem mulier rem, & debeat pecuniã, maritus autem eam à uenditore liberauit. quid enim interest, creditori soluat, an uẽditori? *Quarta exceptio est: Nisi litis contestatæ tempore fuerit locupletior. Hæc exceptio approbatur d.l.7.in princ.his uerbis*: Quod autem spectatur tempus, an locupletiores sint facti, utrum tempus litis contestatæ, an rei iudicatæ? Et uerum est, litis contestatæ tempus spectari oportere: idemq; Imper. noster cum patre rescripsit. *Concordat d.l.7.§.idemq;,his uerbis*: Imperat. Hadrianus ait, si maritus uxori pecuniam donauerit, ipsaq; ex ea pecunia prædia comparauerit: æstimari oportere, in quantum locupletior facta sit mulier. Proinde etsi prædia hodie uilissima sunt, consequenter dicemus, litis contestatæ tempore æstimationem eorum spectandam. Planè si magni precij prædia sunt, summa numerata erit restituenda, non etiam usuræ precij. *Quinta exceptio: Nisi donatarius non sit soluendo. Hæc exceptio reprobatur l.uxor.55. ff.eod.tt. his uerbis*: Uxor marito suo pecuniam donauit. maritus ex ea pecunia sibi donata aut rem mobilem, aut soli comparauit. soluendo non est, & res extant. quæro, si mulier reuocet donationem, an utiliter condictione experiatur? uidetur enim maritus, quamuis soluendo non sit, ex donatione locupletior effectus, cùm pecunia mulieris res comparata extet. Respondit Paulus: Locupletiorem esse ex donatione, negari non potest. non enim quærimus, quid deducto ære alieno liberum habeat, sed quid ex re mulieris possideat: solo enim hoc separatur ab eo cuĩ res donata est. quòd si res mulieris permaneat, & uindicare directò potest, & erit deterior causa uiri, si ea pecunia, quatenus res ualet (non ut ultra id tamen, quod donatum est, condicatur) quàm si dotis iudicio conueniatur. Sed nihil prohibet, etiam in rem utilem mulieri in ipsas res actionem dari. *Sexta exceptio est: Nisi donataria donatori stipulanti sub certa conditione promiserit se restitutu-*
ram, & ea stipulatione agatur. Hæc exceptio approbatur l.ea quæ.57. ff. de donat. inter uirum & uxor. cuius uerba uide §. cap.proxim. except.21. Septima exceptio est: Nisi non donandi animo dederit, uel in res uxoris impenderit. Hæc exceptio approbatur l.de his.17.C.eod.tt.his uerbis: De his quæ extra dotem in domum illata à marito erogata commemoras, siquidem te donante consumpta sunt, intelligis aduersus hæredes, non nisi in quantum locupletior fuit, habere te actionem: si uerò contra uoluntatem tuam, omnia restitui oportere. *Concordat l.etsi.9. ibi: siue negocium eius gerens. & ibi: etenim uel in solidum. C. eod. tt. cuius uerba uide §. reg.3. Concordat item l.si prædia. 58. §.fin. ff. eod.tt. cuius uerba uide §.cap.proxim.except.6.repl.1. Octaua exceptio est: Nisi donator à donataria conueniatur ex simili causa donationis: tunc enim per exceptionem solidam rem conseruare potest. Quæ exceptio approbatur per ea quæ dicta sunt §. cap.proxim. except.38.replic.3. Nona exceptio est: Nisi locupletior ex re donata sit factus donatarius in tantum, quanta res fuit donata. Hæc exceptio ipso quidem iure subsistit, secundum ea quæ dicta sunt §. ead.reg. in princ. uerùm eius exceptionis replicatio prima hæc est: Nisi ex usuris pecuniæ donatæ sit factus locupletior. Quæ replicatio approbatur l.ex annuo.15.§.fin.cum lege sequente.ff.de don.inter uir.& uxor.his uerbis*: Si maritus uxori donauerit pecuniã, eaq; usuras ex donata pecunia perceperit, lucrabitur. Hæc

Hæc ita Iulianus in marito libro 17. Digestorum scribit. Quid ergo, si ex centum quæ uir uxori donauit, quinquaginta apud debitorẽ perierint, & ex his alia quinquaginta duplicata pro usuris uxor habeat? non plus quinquaginta eius donationis nomine maritus ab ea consequetur. *Secunda replicatio est: Nisi ex fructibus rei donatæ facta sit locupletior. Hæc replicatio approbatur l.de fructib.17.ff.eod.tt.his uerbis*: De fructibus quoque uideamus, si ex fructibus prædiorum quæ donata sunt, locupletata sit, an in causam donationis cadant? Et Iulianus significat, fructus quoque, ut usuras, licitam habere donationem. *Tertia replicatio est: Nisi obsonia, unguenta aut cibaria familiæ emerit. Hæc replicatio approbatur l.sed si uir.31. §.penult. ff. de donat. inter uirum & uxor. his uerbis*: Non uidetur facta esse mulier locupletior, si aut in obsonio, aut in unguentis, aut in cibarijs familiæ donatam sibi pecuniam impenderit. *Plures huiusmodi replicationes uide §. cap.prox. except.9.in fin.item §.in regulis sequentibus. Sed & plures propositæ regulæ exceptiones uide §. capite prox. except.38.*

I I.Regula: *Si non reddatur res, æstimatio eius præstanda. Quæ regula approbatur l.si donatæ.36.in prim. ff.de donat. inter uirum & uxor. his uerbis*: Si donatæ res extant, etiam uindicari poterunt: sed quia causam possidendi donatio præstitit, nisi reddatur res, æstimatio facienda est iusto precio, cauerique possidenti debebit de euictione simpli, quanti ea res sit. idq; etiam Pedio uidetur. *Concordat l.sed si uir.31.§.2. ff.eod.tt. ibi: ut is lanæ uxori precium præstet. cuius uerba uide §. cap.prox. except.29. replic.1. duplic.5.*

I I I.Regula, *De re ex pecunia donata empta. Eam donator uindicare non potest. Quæ regula approbatur l.etsi.9.in princ. C.de donat.inter uirum & uxor. his uerbis*: Etsi de tua pecunia mancipia uxori tuæ comparata sunt, tamen si ei sunt tradita, eorum dominium non ad te, sed ad eam pertinet: pecuniæ autem tantummodò repetitionẽ habes, siue negocium eius gerens, numerationem fecisti: siue in eam donationem conferens, quantitatem precij largitus es. etenim uel in solidum, uel quatenus locupletior facta est, actione cum ea competenti poteris experiri. *Concordat l. filij.16.C.eod.tt.his uerbis*: Si filij tui emancipati matris hæreditatem sibi acquisierunt, proba apud Præsidem prouinciæ, non donandi animo te nomine uxoris tuæ prædia cõparasse, sed nominis duntaxat eius titulo usum, per possessionem rerum à uenditoribus tibi traditarum dominum esse effectum, ut comprehensa filiorum tuorum iniuria, proprietatis ius incolume perseueret. nam si largiendi proposito id te feciss̃e constiterit, pecuniæ tibi persecutio competit. *Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi donatarius non sit soluẽdo. tunc enim donatori utilis in rem emptam competit actio. Quæ exceptio approbatur l.uxor.55.in fin. ff.de donat.inter uir.& uxor. cuius uerba uide §.ead. quæst.reg.1.except.5.*

I I I I.Regula, *De fructibus rei donatæ. Ii non repetuntur. Quæ regula approbatur l.de fructib.17. ff. de donat.inter uirum & uxor. cuius uerba uide §.ead. quæst.4. reg.1. except.9. replic.2. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi non suis operis donatarius fructus ex re donata perceperit, sed aliunde. Quæ exceptio approbatur l.fructus.45. ff.de usuris & fructib.his uerbis*: Fructus percipiendo uxor uel uir ex re sibi donata, suos facit illos tantùm, quos suis operis adquisierit (ueluti serẽdo.) nam si pomum decerpserit, uel ex sylua cæciderit, non fit eius, sicut nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris: quia non ex facto eius is fructus nascitur.

V.Regula, *De usuris pecuniæ donatæ. Nec usuræ ueniunt in hanc actionem. Quæ regula approbatur l. quod autem.7.§.idemq; ait, in fin.ff.de donat.inter uir. & uxor. cuius uerba uide §. reg.1. except.4. Huius regulæ exceptio hæc est: Nisi donatarius usuras ex re donata perceperit. Quæ tamen exceptio reprobatur l.ex annuo.15.§.fin.cum l.sequente.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.reg.1.except.9.replic.1.*

V I.Regula, *De eo quod seruus donatus adquisiuit. Hoc in hanc uenit actionem restituendum. Quæ regula approbatur l.de fructib.17. in fin. ff.de donat. inter uirum & uxor.his uerbis*: Si quid seruus donatus adquisiuit, ad eum qui donauit, pertinebit. *Concordat l.si uxor.19.ff.eod.tt.his uerbis*: Si uxor filio donauerit seruum, qui in patris mariti sit potestate, deinde is seruus ancillam accipiat, dominium mulieri quæritur: nec interesse Iulianus ait, ex cuius pecunia ancilla empta sit: quia nec ex re sua quidquam adquiri potest per eum qui donatur, ei cui donatur. hoc enim bonæ fidei possessoribus concessum esse: uirum autem scientem alienum possidere. Idem quærit, si ex re mariti ea ancilla comparata fuerit, an aduersus mulierem agẽtem de dote precium possit per exceptionem retineri? Et dicendum est, posse maritum exceptionem habere, si dos ab eo petatur, secundum Marcelli sententiam: & si soluerit, secundum Iulianum posse condicere. *Propositæ regulæ exceptio prima hæc est: Nisi seruus ex re ipsius donatarij adquisierit. Hæc exceptio reprobatur uerbis iam propositis hisce*: Nec interesse Iulianus ait, ex cuius pecunia ancilla empta sit, &c. *Concordat l.per seruum.57.ff.de adquir.rer.dom. cuius uerba uide §. lib.21. cap.2.reg.6.except.9. Planè donatarius pecuniam suam, qua res empta est, uel per exceptionem retinere potest, uel per condictionem recuperare:*

ut ibidem

ut ibidem ſequitur. Secunda exceptio eſt: Niſi ſeruus *per quem adquiſitum eſt, non ipſe ſit donatus, ſed pecunia donata emptus. Et hæc exceptio reprobatur l.ſi id.28.§.Iulianum.ff.de donat.inter uirum & uxor. his uerbis:* Iulianum putaſſe Pomponius refert, ſi quid per eum ſeruum, quem emerat ex numis à marito donatis, mulier adquiſiſſet, fortè legatum, hæreditatem, aut cum partus editus eſſet, eo quoq; nomine petitionem faciendam eſſe. *Hæc uerba uidentur contradicere ſupradictæ regulæ tertiæ:item ſupradictæ regulæ 1.except.1.*

VII. *Regula, De ueſtimento ex lana donata facto. Illud donator uindicare non poteſt. Quæ regula approbatur l.ſi mulier.29.§.fin.ff.de don.inter uirum & uxor. cuius uerba uide §.cap.prox.except.29.replic.1. duplic.5. Concordat l.ſed ſi uir.31.§.1.ibi:ſed uiri nomine.ff.eod.tt.cuius uerba uide d.dupl.5.*

VIII. *Regula, De domo in area donata, ædificata. Ista domus à donatore poteſt uindicari. Quæ regula approbatur d.l.31.§.ſi uir uxori,his uerbis:* Si uir uxori aream donauerit, & uxor in ea inſulam ædificauerit, ea inſula ſine dubio mariti eſt. *Huius regulæ exceptio eſt:* Niſi *donator uindicans non reſtituat impenſas operis. Quæ exceptio ibidem approbatur his uerbis:* Sed eius impenſam mulierem ſeruaturam placet. nam ſi maritus uindicet inſulam, retentionem impenſæ mulierem facturam. *Concordat l. cum uir.10. ff.de doli mali except. his uerbis:* Cum uir aut uxor in area ſibi donata aliquid ædificaſſet, pleriſque placet, doli mali exceptione oppoſita rem ſeruari poſſe. *Sed plura de regula propoſita uide §.lib.21.cap.1.cauſa 10.*

IX. *Regula, Si donationis cauſa res minoris uendita ſit,non in totum reſoluitur uenditio, ſed quod donationis cauſa ex precio remiſſum eſt,condicitur. Quæ regula approbatur l.ſi ſponſa.5.§.circa uenditionem, in fine. ff.de donat.inter uirum & uxorem. cuius uerba uide §. cap.prox.except.29.replic.1.duplic.1. Concordat l.ſed ſi uir.31.§.ſi duo.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.d.duplic.1.*

X. *Regula: Si res uiro cum alio communis à ſocio uiri uxori donata ſit, tantùm pro ea parte, qua res uiri eſt, reuocatur donatio. Quæ regula approbatur l. ſi ſeruus.38.ff.eod.tt. cuius uerba uide §.cap.proximo, except.26.*

V. ADIVNCTA ET EVENTUS propoſitæ actionis.

Prima huius loci regula, Si de iure huius donationis quæratur, proponitur l.ſi id.28.§.ſi quas ſerui. ibi: & ſanè non amarè. ff. de donat. inter uir. & uxorem, his uerbis: Non amarè,nec tanquam interinfeſtos ius prohibitæ donationis tractãdum eſt: ſed ut inter coniunctos maximo affectu, & ſolam inopiam timentes.

Secunda regula, Si dubitetur, utrum tanquam negotium uxoris gerens, an donandi animo uir in rem eius impenderit, proponitur l.utrum. 47. ff.eod.tt. his uerbis: Vtrum negocium uxoris gerens, an officio mariti ductus in rem eius impenderit uir,facti,non iuris quæſtio eſt:ſed coniectura eius rei ex modo & genere impenſæ non difficilis eſt.

Tertia regula: Si dubitetur, unde quid ad uxorem peruenerit, præſumitur ex bonis uiri ad eam perueniſſe. Quæ regula approbatur l.Quintus.51. ff.eod.tt. his uerbis: Quintus Mutius ait: Cum in controuerſiam uenit, unde ad mulierem quid peruenerit: & uerius & honeſtius eſt, quod non demonſtrat unde habeat, æſtimari à uiro, aut quiin poteſtate eius eſſet, ad eam peruenisſe. euitandi autem turpis quæſtus gratia, circa uxorem hoc uidetur Quintus Mutius probaſſe. *Concordat l.etiamſi.6.in fine.C. eod.tt.his uerbis:* Non eſt ignotum, quod cum probari non poſsit, unde uxor matrimonij tempore honeſtè quæſierit, de mariti bonis eam habuiſſe, ueteres iuris authores meritò crediderint.

Quarta regula: Reo *conuento litis æſtimationem offerenti, de euictione ab actore cauendum. Quæ regula approbatur l.ſi donatæ.36.in prin.ibi:cauerique. ff. de donat. inter uirum & uxorem. cuius uerba uide §. eod.cap.quæſt.4.reg.2.*

¶ *Hactenus de donatione inter uirum & uxorem: ſed & alios huius donationis effectus uide §. capite 5. quæſt.6.*

DE ACTIONE, SEV EO quod ſibi debetur donato. Cap. X.

SEquitur *alia donationis ſpecies, ſcilicet donatio actionis. Regulariter autem donatio actionis, ſeu eius quod ſibi debetur, utilis eſt. Quæ regula approbatur l.2.§.1.ff.de donationib.his uerbis:* Si pater donaturus Titio pecuniam, iuſſerit filium ſuum eam promittere: poterit dici intereſſe, an debitor filius patri ſuo fuerit, nécne. Nam ſi tantundem filius patri debuit,quantum promiſit: ualere donatio intelligitur, perinde ac ſi quemlibet alium debitorem pater iuſsiſſet pecuniam promittere. *Concordat d.l.2. §.cum uerò. cuius uerba uide §. capite 2. quæſt.1. except.33. Huius regulæ exceptio prima hæc eſt:* Niſi *delegatio non interuenerit, & debitor donatario ſtipulanti non promiſerit. Hæc exceptio approbatur l.1.in princ.C.de nouationibus,his uerbis:* Delegatio debiti, niſi conſentiente & ſtipulanti promittente debitore,iure perfici non poteſt. *Exemplum huius exceptionis proponitur l.ſiquidem.8.C.de obligat.& actionibus. cuius uerba uide §. cap.2. except.33. replic.4. Propoſitæ exceptionis replicatio hæc eſt:* Niſi *pecunia eius nomine cui donatum uoluit, ſit credita. Quæ replicatio approbatur l. ultim.§.fin.ff.de donationibus,his uerbis:* Auia ſub nomine Labeonis nepotis ſui mutuam pecuniam

cuniam dedit, & uſuras ſemper accepit, & inſtrumenta debitorum ad Labeonem recepit, quæ in hæreditate eius inuenta ſunt. quæro, an donatio perfecta eſſe uideatur? Scæuola reſpondit, cum debitor Labeoni obligatus eſſet, perfectam donationem eſſe. *De hac re plura dicentur in conditione mutui, quibus ſcilicet ea detur? Sanè exceptionis propoſitæ ratio hæc eſt,quòd olim donatio ſine rei traditione non perficiebatur: pro traditione autem nominis donati erat, ſi donatarius à debitore ſtipulatus erat, uel eius nomine pecunia credita. Hodie uerò, cum dicta ratio ſit ſublata per ea quæ dicta ſunt §. capite 2. except.33. in prin. & ſolo conſenſu perficiatur donatio: credendum eſt, exceptionem etiam propoſitam eſſe ſublatam,ut etiam ſine delegatione & ſtipulatione ualeat donatio nominis ſeu actionis: ita tamen, ut donatarius agere poſsit aduerſus donatorem ad cedendam ſibi actionem aduerſus debitorem, ſi ſtipulatus non ſit. Secunda propoſitæ regulæ exceptio eſt:* Niſi *debitor non conſenſerit nomen ſuum donari. Hæc exceptio reprobatur l.2. C.de donationibus, his uerbis:* Si nominis perſecutionem in te emancipatam pater tuus titulo donationis trãſtulit,fruſtra prætendit, qui debitori tuo hæres extitit, conſenſum fuiſſe & debitoris neceſſarium:cum ſatis fuerit, actiones eo nomine tibi mandatas fuiſſe. *Plura de propoſita exceptione uide §. lib.48.cap.15.quæſt.1.except.2. Tertia exceptio eſt:* Niſi *debitor exceptione aliqua ſe aduerſus donatorem tueri poſsit. Quæ exceptio approbatur l.2.§.aliud iuris. ff.de donat. de qua re uide d.lib.48.cap.14.quæſt. 3.reg.7.except.8. Quarta exceptio eſt:* Niſi *conditionale ſit debitum. Hæc exceptio reprobatur l.ſpem. 3.C.de donationibus, his uerbis:* Spem futuræ actionis, plena intercedente donatoris uoluntate,poſſe transferri,non immeritò placuit. *Quinta exceptio eſt:* Niſi *donatarius ante litis conteſtationem deceſſerit. Reprobatur hæc exceptio l.illam ſubt.33.C.eod.tt.his uerbis:* Illam ſubtilem obſeruationem amputamus,per quam donationis titulo ceſsiones actionum accipientes, non aliter eas ſuis tranſmittere hæredibus poterant,niſi litem ex ijs conteſtati eſſent,uel ius conteſtationis diuino reſcripto meruiſſent. Nam ſicut uenditionis titulo ceſſas actiones etiam ante litis conteſtationem ad hæredes tranſmitti permittitur: ſimili modo & donatas ad eos tranſferri uolumus, licet nulla conteſtatio uel facta,uel petita ſit. Quod & in procuratore conſtituendo ad mouendas eaſdem ceſſas actiones ſimiliter obſeruandum erit,ut minimè quis impediatur procuratorem ceſſarum ſibi per donationem actionum dare, licet nulla conteſtatio litis facta uel petita ſit. Quæ in his tantummodò perſonis locum habere cenſemus, quæ ſuſceptis per donationem ceſsionibus, adhuc ſupereſſe noſcuntur. Nam iam mortuis huiuſmodi perſonis, uetera iura ſuper iiſdem ceſsionibus poſita ſeruari concedimus. *Hactenus de donationibus tam in genere, quàm in ſpecie actum eſt.*

Sanè de antenuptiali donatione & dote,quæ & ipſa donationis ſpecies eſt,uide §. libro 25.

QVARTÆ DIGESTORVM PARTIS, De cauſis iuris lucratiuis, FINIS.